HISTORIA REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI,

IN IV. PARTES DISTRIBUTA.

OPUS

ERUDITORUM VOTIS DIU EXPETITUM,

AD

Perfectam Historiæ Benedictinæ Cognitionem summè necessarium, & universim omnibus bonarum Artium Cultoribus non utile minùs, quàm scitu lectúque jucundum,

A

R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER,

O. S. B. Theologo Presbytero, &c.

Ichnographicè adumbratum,

RECENSUIT, AUXIT, JURISQUE PUBLICI FECIT

R. P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS,

Ejusdem Instituti ad S. Martinum Coloniæ Cœnobita, SS. Theologiæ Licentiatus, & Professor emeritus, Societ. Lit. Germ. Bened. Promotor & Secretarius.


PARS QUARTA BIBLIOGRAPHICA,

SIVE

BIBLIOTHECA BENEDICTINA HISTORICO - CRITICA REALIS,

Quæ Libros juxta materiarum seriem digestos repræsentat, uniuscujúsque Scriptoris genio & meritis ad æquitatis lancem perpensis.







PERMISSU SUPERIORUM.



AUGUSTÆ VIND. ET HERBIPOLI,

Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ,

ANNO MDCCLIV.

Opera Literis mandata de Majorum nostrorum Studio, Eruditione & Doctrina testimonium ferunt; cujus laudis ac gloriæ hæreditas non minùs ad Posteros, quàm factorum imitatio, attinere dignoscitur.



DEO

SCIENTIARUM DOMINO,
ECCLESIÆ, RELIGIONI, PATRIÆ,
ORBI ERUDITO,
ET PERPETUÆ MÆCENATUM MEMORIÆ,

VIRISQUE

DOCTRINA, VIRTUTE ET MERITIS,
AC QUOVIS DIGNITATIS SPLENDORE
ORNATISSIMIS,

DOMINIS, DOMINIS

INCLYTÆ
BENEDICTINORUM PER GERMANIAM
SOCIETATIS LITERARIÆ

PRÆSTITIBUS,

TRIUMVIRIS, SENATORIBUS, SOCIIS,
PROMOTORIBUS, MEMBRISQUE CONFOEDERATIS,
ASSISTENTIBUS ET HONORARIIS,
AC UNIVERSIM OMNIBUS,
QUOS

SOCIA STUDIA,

BONARUMQUE ARTIUM CULTUS,
ET UTILITATIS PUBLICÆ AMOR,
IN ARCTUM MUTUÆ BENEVOLENTIÆ NEXUM,
AD PROVEHENDAS SOLIDIORES DISCIPLINAS,
TRAXERUNT,

PATRIÆ PATRIBUS,

ÆQUISSIMIS REI LITERARIÆ ARBITRIS,
CENSORIBUS, CRITICIS, VINDICIBUS,
ET BENEDICTINÆ GLORIÆ ASSERTORIBUS
SOLERTISSIMIS...

DOMINIS, DOMINIS
FAVITORIBUS SUIS ET COLLEGIS
HONORATISSIMIS...

OB

FENERATA MUTUO SUBSIDIA,
COLLATASQUE AD HOC OPUS SYMBOLAS,
ET PROMOTA SODALITII EXORDIA,
UT PORRO
NOBILIS INSTITUTI PROGRESSUM ET SPLENDOREM
MERITIS AMPLIFICENT,
SOCIATIS LABORIBUS ET STUDIIS ILLUSTRENT,
AC PUBLICÆ EXPECTATIONIS VOTA
FELICITER IMPLEANT;

HAS

QUALESCUMQUE LUCUBRATIONES
PRO COMMUNI PHILOBIBLORUM USU ET COMMODO,
REIQUE LITERARIÆ PROVECTU
SUSCEPTAS ET PERFECTAS,
VELUT
PRIMIGENIOS HONORIS ET HONESTATIS FRUCTUS,
LABORUMQUE PRIMITIAS,
IN SACRUM
FOEDERIS, DEVOTI ANIMI, OFFICIOSÆ VENERATIONIS,
ET CULTUS PERPETUI
SYMBOLUM
DICAT ET CONSECRAT,
PIAQUE VOTA, PRO AUSPICATIS SUCCESSIBUS,
SUPREMO NUMINI,
DIVISQUE TUTELARIBUS ET EVERGETIS

S. PLACIDO ET SOCIIS

NUNCUPAT
P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS
INSTITUTI PROMOTOR...

III. NONAS OCTOBRIS
A.R.S. CIↃ IↃ CCLIV.

PRÆFATIO.



PRÆFATIO.



Ffudêrunt tandem irrequieta per triennium prela quartum hoc & ultimum Historiæ Literariæ Benedictinæ Volumen, cui titulus ab Auctore præfixus: *Bibliotheca Benedictina Historico-Critica Realis*. Inscriptio promissis oppidò dives, quorum fidem liberare nemo possit, nisi de singulis Scriptoribus Benedictinis ita differat, ut quando floruerint, & plerumque etiam quando diem expleverint suum, quáque in Orbe Literato valuerint authoritate, exponat; tum eorum lucubrationes maximas minimas ordine temporis accuratè recenseat; Deinde quænam earum genuinæ, quæve spuriæ habendæ sint, patefaciat; quo insuper loco, quo anno, per quem typothetam, quâ formâ libri prodierint, indigitet; Denique idioma, argumentum, dignitatem & usum Operis ostendat. Neque porrò fata tum prospera tum adversa, quibus Scriptores nonnulli ob libros in lucem à se emissos jactati fuerunt, silentio involvi debent. Parem in modum Eruditorum de libris ipsis judicia, censuræ, confutationes, apologiæ, variæ item editiones, præ cæteris laudatæ, accessionibus locupletatæ, ad incudem revocatæ, à falsariis corruptæ, castratæ, truncatæ, & his similia memoratu digna in medium ita sunt afferenda, ut sua inde omni Literarum atque Artium generi, earumdémque cultoribus utilitas & jucunditas accedat. An non verò hoc nimium est, quod noster à se faciendum promisit *Magnoaldus?* Et tamen hoc reipsâ est, *Bibliothecam Benedictinam Historico-Criticam Realem* publico exhibere, quæ simul & erudiendo placeat, & placendo erudiat.

Ad me, quod attinet, candidè profiteor, hæc omnia præstare ultra meas esse vires positum. Neque verò tam arrogans fuero, ut mihi Censuræ tam vastæ, támque latè patentis de omnibus Familiæ nostræ Scrptoribus partes sumere sustineam. Eum, qui hoc facere aggrediatur, non insigni tantùm artis Criticæ peritiâ præditum esse oportet, sed libros ipsos à capite ad calcem evolvisse necesse est; quod tantum abest, ut ego fecerim, quin ne multi quidem mihi unquam visi fuerint. Nolim esse ex eorum numero, qui nec delecti, nec postulati, licentiam tamen sibi omnia censendi usurpant, atque libros, quos nequidem inspexerunt, aut attigerunt, suo ta-



men arbitratu in trutina suspendunt, nunc encomiis ad sidera evehendo, nunc vituperiis ad ima deprimendo, mox virgas & secures in quoslibet expediendo. Truculentum, *ita me omnes Musæ ament!* & audax hominum genus, Critici, qui suis præventi opinionibus urunt, secant, sæviunt, quoties aliquid suo horizonte sublimius prospiciunt. Ita verò hodie non pauci faciunt, qui cùm famam singularis affectent eruditionis, ut cujúsque libri notitiâ suffarcinati videantur, voce dictatoriâ, gravi supercilio, imperterrito vultu, de singulis, quandóque etiam non rogati, pronuntiant, immemores illius, quod egregiè VENATOR in Panegyri *Jani Gruteri* deprømebat: *Temerarium est, & fatuum judicare de re, quam non videris, approbare vel damnare librum, quem non legeris, firmare sententiam, quam non consideraveris, subscribere divinis, quæ cum divinis non contuleris.*

Uti verò periculo non vacat, eorum exquirere, multóque magis sequi sententiam, qui de libris nunquam à se lectis judicium ferunt, ita nescias aliquando in magna Criticorum diversitate, cui potissimùm accedas. Quem enim librum alius candido exornat lapillo, huic ipsi alius nigrum affigit *Theta;* Quem iste cum plausu excipit, hic in contemtum adducit; Sícque *pro captu Lectoris habent sua fata libelli.* Cujus rei exemplum in promptu est: *Mabillonii* ITER ITALICUM *Thomas Smithus* cum aliis Viris sui similibus, id est, disertis, doctis & eruditis, ceu accuratissimè scriptum dilaudat; Ex opposito *Ernestus Tenzelius*, vir etiam non ineruditus, in *Menstruis suis colloquiis* nauci multis in locis faciendum præfidenter asseverat. Utrius jam judicio standum? Illud solùm esse certum reputo, quòd MABILLONIUS & doctrinæ copiâ & scribendi prudentiâ, ut de candore & elegantia nihil dicam, multùm suis præstet obtrectatoribus. Aliud exemplum ipse Mabillonius adducit de *Erasmo Rotterodamo*, & *Jacobo Billio* nostro. Priori, si fides habetur, nullum ex S. JOANNIS CHRYSOSTOMI Operibus ignobilius legitur, atque ejus Homiliæ; Posteriori, si assentimur, *Græco Codice* nihil fingi potest elegantius, nihil quod *Chrysostomi* phrasin meliùs referat. Plura nôsse exempla, qui desiderat, *Thomæ Pope-Blount* censuram celebriorum Auctorum evolvat; Quot Censores, tot ferè reperiet sententias; uti enim palato & gustu differunt convivæ, ita judiciis dissident Eruditi, *nec voto vivitur uno*, hoc præsertim tempore, quo plures sunt Librorum Judices, quàm Vindices, plures Lictores, quàm Lectores. Quid? quòd non rarò contingat, ut iidem Critici eosdem Scriptores, in quibus laudandis nullum ferè modum anteà tenuerant, paulò pòst commutatâ sententiâ, nescio quâ re offensi, omnibus impetendos telis decernant. Tanta est hominum, temporum, ac judiciorum iniquitas! Multùm itaque desipit, qui ut sua omnia omnibus sapiant, futurum sperat. Nemini uni id adhuc contigit, ne Theognideo quidem illi, qui, ut ab alio pronuntiatum:

Nunc pluit, & claro nunc Jupiter æthere fulget.

Cujus igitur judicium sequemur Criticum? Forsan RAYNAUDI *de bonis & malis libris?* Sed multa esse in Raynaudo inepta & falsa de Scriptoribus judicia *Morhofius* (a) monet. Forsan RICHARDI SIMONII *in Bibliotheca Critica?* At tanta in hac comminiscendi lascivia est, ut pauca sint, quibus sua ex omni parte constet veritas, plurima ex toto conficta, secum pugnantia, falsi sæpe convicta & confutata, iterùm tamen incredibili audaciâ

(a) Morhof. Polyhist. Lib. 1. c. 8. p. 73. 74.

daciâ prolata; tantæ iræ, ut luxatis habenis in obvios quosque, Vivos, Defunctos, ipsósque Sanctos nullo discrimine habito insiliat, mordeat, laceret, discerpat; sed nullos crudeliùs, quàm Monachos, præsertim *Benedictinos*, hominum genus injuriis opportunum. Non mirum proinde, si Bibliotheca hæc Critica tantam habuerit apud omnes offensionem, ut Regii Concilii Decreto suppressum fuerit Opus, & ad chartariorum pistillum damnatum. Fortean sequemur PETRUM BAILIUM *in Dictionario Historico-Critico?* Hunc siquidem *Bernardus Pezius* Bibliothecam Benedictinam adornaturus, laudibus in suis ad *Renatum Massuet* literis ornârat; Cui iste, *vix ab ira tempero*, rescripsit, *cùm* BAILLIUM *à Te laudibus efferri audio. Virum nôsti*, Amice! *Homo fuit nullius religionis, nullius fidei, nullius judicii, qui obvia quæque, vera an falsa, prout sub manum veniunt, temerè arripit, permiscet, confundit, fucúmque Lectoribus incredibili audaciâ, etiam ubi turpiùs fallit, aut fallitur, facit; qui denique vanos rumores, aniles fabulas, ac misellorum Auctorum testimonia plerúmque captat, sequitúrque. Paulò quidem accuratior secunda Dictionarii ejus editio, quàm prima, quam probus nemo sine rubore legisset, sed illa mendis adhuc & erroribus scatens. Sic igitur legas, ut quàm maximè diffidas, nec quidquam ejus auctoritate nixus unquam asseras.* Hæc MASSUETUS ad *Pezium;* cui alios tamen Bibliographos, quorum vestigia legeret, commendavit, *Pitseum* nempe, *Waræum & Maihew;* tum *Dupinium, Caveum, Oudinum, Fabricium*, aliósque plures.

Priorum Opera admodum rara sunt, quæ *Massuetus* in gratiam *Pezii* quoquo pretio Parisiis reperire frustrà conatus est. Auctori nostro *Pitseus*, non item *Miræus* & *Maihew*, præsto fuit; tum *Du-Pinius, Caveus, Fabricius*, aliíque, quos idem *Massuetus* Pezio esse usui posse existimavit. Quæ igitur de Benedictinis Anglis in medium attulit Noster, pleráque ex *Pitseo, Lelando, Warthono, Seldeno*, cæterisque rerum Anglicarum Scriptoribus hausit. Multa exscripsit, non ut chartas impleret, sed ut iis Sodalibus nostris in Germania, qui ejuscemodi libris destituti sunt, rem gratam faceret. Quod idem de Benedictinis Hispanis præstitit, quorum notitiam ipsi suppeditavit NICOLAUS ANTONIUS *in Bibliotheca Hispana Veteri & Nova*, Opere quàm erudito, tam raro in nostris per Germaniam Bibliothecis; quamquam ipse Romæ scribens perplures silentio prætermiserit, uti in Præfatione his verbis non diffitetur: *Ut Benedictini pro dignitate amplissimi Ordinis in hac pompa exhiberentur, nulli eorum historiæ acceptum ferre potuimus; siquidem* Franciscum Ibannez *Viros Illustres ejus compendio laudavisse tantum audivimus.* Me verò Literæ Clar. Viri P. *Ludovici Alvarez* Congregationis Vallisoletanæ Chronographi ad R.^{mum} Abbatem *Calmetum* A. 1714. datæ (a), certiorem reddiderunt, doctissimos illius Sodalitii Monachos in adornanda universali Scriptorum omnium Ordinis nostri Bibliothecâ fuisse occupatos; è qua, si juris publici facta fuerit, *quod optamus magis, quàm speramus*, uberiorem de Hispanis Scriptoribus Benedictinis notitiam haurire licebit. Quos Scriptores celeberrimæ Congregationes, *Casinensis* in Italia, & *S. Mauri* in Gallia protulerunt, docent nos *Marianus Armellinus, Bernardus Pezius*, & *Philippus le Cerf.* Notitiam Virorum Illustrium è Congregatione Lotharingica S. Vitoni recèns dedit Doctissimus Abbas *Calmetus*. Quæ de Germanis Benedictinis, medii præsertim ævi, referimus, *Joanni Tritbemio*

(a) Extant in fronte Bibl. Lotharingicæ Nancei A. 1751. editæ p. xix.

mio Abbati Spanheimensi magnam partem accepta debemus. Reliquos vel bona nobis obtulit fortuna, vel sufficit industria.

His aliisque instructus subsidiis *Magnoaldus* ad hanc Scriptorum O. S. B. Bibliothecam Critico-realem concinnandam accessit, quam dum meditatiùs ad æquitatis trutinam revoco, non possum quidem non laudare improbum ipsius laborem, industriámque singularem, quandoque etiam eruditionem variam, & sagacitatem miror; vellem tamen vivo gurgite magis exundaret, nec *aquas pluvias*, ut Pindarus ait, è cisternis hinc inde collegisset. Verùm argumentum, in quo versamur, id planè recusat. Neque verò mihi, dum hujus lucubrationis fuligo bibenda fuit, ipsos semper fontes, quod summè optabam, adire licuit; sed beneficii loco acceptum habui, si quandoque sitienti in ipso æstu vel rivulos tantùm gustare concessum fuit. Atque utinam ipsemet non aliquando ex cucurbita turbidam hauserim, aliisque propinaverim! Ut enim fatear, quod res est, longè majorem in hoc Opere elimando difficultatem ex Librorum inopia, quàm ex re ipsa expertus fui. *Proh!* quàm sæpè operas sufflaminare me oportuit, donec hujus vel illius Libri copiam, vel accuratiorem Scriptoris notitiam nancisci licuit.

Nemo igitur à nobis exspectet plenam, integrámque & accuratam recensionem eorum omnium librorum ac ingenii monumentorum, quæ Sodales nostri elucubrârunt. Hanc dare non unius est hominis, nec unius libri, sed multorum, eorúmque magnæ molis res foret voluminum. Paucissimis in præsenti attingemus Scriptorum deperditorum infinitum propè numerum, nec de illis copiosè dicturi sumus, qui vel sibi Musísque, ut ajunt, solitarii cecinerunt, vel quorum opera adhuc inedita, nec unquam fors edenda in Bibliotaphiis monasteriorum delitescunt. Fraudi etiam nobis non esse debet, quòd non omnia Sodalium nostrorum schediasmata & opuscula, quæ typis excusa sunt, semper anumeremus. Habenda enim ratio fuit Sciagraphiæ, quam solam, non verò Historiam omnibus absolutam numeris, scribendam susceperat *Magnoaldus*. In hac non omnia sunt exhaurienda; nec benè eandem scribit, qui omnia scribit, & nihil aliis investigandum relinquit. In tanta igitur messe haud leve aliis spicilegium relinquimus. Non raró etiam deditâ operâ in auctariis brevior fui, ut Sodalibus nostris magis eruditis, & studio Historiæ Literariæ Benedictinæ se daturis totum majori cum gloria perficiendum submitterem. Habent igitur, qui acri pollent ingenio, varióque eruditionis apparatu instructi sunt, nec otio librísq; destituuntur, in quo suam exerceant industriam. Authori nostro laudis & gloriæ satis supérque fuerit, quòd glaciem fregerit primus, facémque prætulerit, & viam monstrârit, quâ sit eundem. Magnum verò mihi laboris in hujus Operis revisione & editione impensi levamen erit, Sodalibus nostris aliquatenus profuisse, aliósque ad decurrendum hoc stadium provocâsse, sive nostra deinde novis accessionibus sint aucturi, sive ad limam revocaturi, aut etiam inde variam rerum & librorum cognitionem, quæ innoxiam præstet animi jucunditatem, hausturi, vel majus quidpiam molituri, quò suum tandem decus Musis Benedictinis firmiùs constet.

Ut autem nomini quoque consulam meo, Divos præfari impunè ausim, plures hac in parte Scriptores occurrere ab Authore nostro laudatos, quorum opera sic perlegendi otium minimè suppetebat, ut attentâ mente perpenderem, vel de iis aliunde judicium mutuarem, vel viros eruditos, veluti

leges

leges artis criticæ deposcunt, consulerem. Sunt etiam privata quædam topinomata, paucorum fortè applausum meritura, quibus uti meum nihil immiscui, ita Auctoribus me suis ea relinquere, nec patrocinium illorum suscipere profiteor. Sed & nonnulla observavi, cùm hæc edita attentiùs relegi, quæ fugerem ipse vel Carmen, vel Orationem, aut Historiam scripturus. Verùm in his omnibus adeò oculatum esse non licuit; neque ut essem, multum laboravi, probè gnarus hujus commatis Opera semper aliquid habere, quod refici, exasciari & expoliri possit, vel ab aliis impeti, excuti, reprobari. Quotus enim quisque est, qui in tanta Rerum, Librorum, Sententiarum, Dogmatum multitudine omnia exhauriat, cribret, discutiat, ponderet? Ecquis verò in liberiore censura non alicubi impingeret? Quis malignitatis dentes evitaret, aut salvum ab invidia caput retraheret? Nobis in omni hac commentatione prora puppísque fuit, justam & sinceram Librorum à Nostris editorum delineationem exhibere, ac præcipua cujusque momenta, partim quoad argumentum, partim quoad usum in omni Scientiarum genere salutarem, eâ, quâ fieri potuit, industriâ, explanare. Qui venustius quid aut accuratius desideraverit, horrea nos hìc struere meminerit, in quibus nemo marmoreas, varióque opere elaboratas columnas, nemo peristylia & porticus, nemo parietes aulæis superbos, sed apta pro congerendis frugibus spatia requirat.

In hujus verò Operis structura præprimis ex *Mabillonio* proficere studuimus; Is enim est, qui his in Sacris clarissimam prodit lucem, promptum subactúmque judicium, & modestissimum juxtà ac integerrimum acumen. Is est *Mabillonius*, qui Benedictinæ licet Familiæ sit alumnus, justè tamen & candidè de Benedictinis eorúmque scriptis judicet. Quid? quòd teste *Gerbesio* Doctore Sorbonnico & Professore Regio, *toti mundo justitiam administret*, *absque personarum acceptione*, *aut ullo partium studio.* Sed nec minor ejus modestia fuit LUDOVICO XIV. Galliarum Regi summoperè laudata. Optandum, ut modestos id genus Criticos Literatus Orbis quàmplurimos haberet. Sed hodie multi alteram in partem possident palmam. Quid enim Critici sæpiùs non dicunt, non effutiunt, non scribunt? quo non mutua tantum existimatio & authoritas violatur, sed graviter etiam in Christianæ Charitatis Leges peccatur. Etsi enim dictum olim fuit, *Doctos Doctis obloqui nefas esse;* apud Criticos tamen non paucos nostræ ac superioris ætatis mos ille jam obtinuit, ut se maledictis proscindant, ac plaustris onerent conviciorum. Ab hac conviciandi libidine, ut immunes nos præstaremus, summæ nobis curæ fuit. Si quos refellimus, qui Ordinis nostri Scriptoribus injuriosas imposuerunt censuras, id ita faciendum suscepimus, ut ab illiberali mordacitate calamum temperemus. Si qui futuri sint, quibus nostra revincere, aut ad crisin revocare collibitum fuerit, faciant id, per me licet, sed eos mihi expeto judices, quos ipsi in eadem trutina positi non recusent.

Ne quis verò mihi duriùs obstrigillet, istud etiam hìc præmonendum putavi, Nos sæpiùs de aliorum scriptis quod diceremus habuisse nihil, præter ea, quæ *Pitsei*, *Nicolai Antonii*, *Fabricii*, *Schoetgenii*, aliorúmque præstantium Virorum industria suffecit. Ita omnem eruditionis penum illi exhauserunt, ut frustra sit, qui plura requirat. Hinc illorum & nomina sæpè edimus, & verba reddimus; neque enim aliter dicere placet, cùm alia non licet. Scriptores, è quibus profecimus, ferè semper assignare studuimus:

tacere enim faviſſam, ex qua deptompſiſti, *non eſt ingenui*, ut Plinius ait, ſed apertum ſapit plagium. Nec loca tacuimus, ubi integræ habentur Operum recenſiones. Laudatiſſimæ editiones Operum Ss. Patrum à doctiſſimis San-Maurianæ Congregationis Sodalibus accuratæ, pleræque in Actis Eruditorum Lipſienſium cum cura recenſentur, ad quæ, ut brevitati conſuleremus, Lectorem remiſimus. In iisdem Actis aliæ aliorum lucubrationes ſubinde comparent fuſiùs expenſæ. Quibus igitur hæc noſtra non ſufficiunt, fontes laudatos conſulant, næ illi habebunt, quo aviditatem ſuam expleant. Nobis recenſionum prolixitate, ne Opus in immenſum creſceret, plerumque abſtinendum fuit. Quæ verò hac in parte omiſſa ſunt, in aliis identidem relata occurrunt. Reliqua, *ſi me Numina læva ſinunt*, dabo in ſupplemento unà cum indice univerſali & emendationibus.

Et hæc quidem ſunt, quæ ad illuſtrandum Auctoris contextum exequi libuit, & præfari neceſſe fuit, ut & ſuſcepti laboris, atque benigniſſimi Numinis auxilio abſoluti ratio conſtaret, ſuúsque honos haberetur tot Viris clariſſimis de Re Literaria Benedictina optimè meritis, à quibus maximum huic Operi momentum acceſſit. Nunc ad Sodales noſtros, in quorum gratiam placuit tot adire labores, convertenda eſt oratio. Neque enim defuturos prævidemus, qui de uſu & utilitate Operis edoceri cupiant, ſive dein curioſitatem explendi, ſive quæſtum quendam literarium faciendi gratiâ ad illud evolvendum accedant. Id verò præfiſcinè auſim dicere, nullam eſſe proficiendi in literis expeditiorem viam ac *Hiſtoriâ Literariâ*; Primum námque eruditionis cimelium eſt, *Noſſe bonos libros, & ſcire unde quid peti debeat, cùm inquirendum eſt*. Hæc librorum notitia ad ſumma quæque & ſublimia ritè tractanda peragendáque adeò eſt neceſſaria, ut niſi his inſtructus præſidiis, ac quodam veluti Doctrinæ ſucco in anteceſſum irrigatus quis fuerit, tantum abeſt, ut quidquam honeſtè ſit prolaturus, quin facilè in ſolidioribus ſcientiis cæcutiet, palpitabítque, aut pepones ſolùm & lappalia metet. Jam verò ſi qui ſint è Noſtris, qui in Literaria ſacri Ordinis ſui Hiſtoria hoſpites, & in rebus Benedictinis peregrini, earúmque cognitione ſemper pueri eſſe malint, quàm hæc noſtra legere, ſibi *per me* placeant, ſibi ſtertant, ſibi utramque in aurem dormiant; Nos non ipſis occavimus, nec ſevimus, non hæc in eorum gratiam congeſſimus, non illis multo ſudore, multíſque vigiliis & expenſis lucubravimus; ſed iis, qui ſciant, qui & velint pollicem aliquando mordere, ac meliora in ſuccum & ſanguinem convertere. Quòd ſi qui etiam fuerint, ut fortè non ſunt nulli, quorum animis ea inſedit opinio, ſe libro hoc Bibliographico citra omne eruditionis ac doctrinæ detrimentum carere poſſe; in magno ſe errore verſari non neſciant. Niſi enim Hiſtoriæ Literariæ Ordinis ſui, quod multò turpiſſimum eſt, rudes ac expertes haberi velint, quì licebit eisdem nullam Familiæ ſuæ Scriptorum habere notitiam ac cognitionem, ita ut planè ignorent, ſi quorum mentionem fieri audiant, num Ordinis fuerint alumni, quâ ætate, quo ſeculo ſinguli vixerint, quænam ab ipſis elucubrata Opera, vel quænam ipſis ſuppoſita fuerint, quâ occaſione ad lucubrandum acceſſerint, quam ſcribendi rationem tenuerint, quâ denique in Orbe Literario floruerint authoritate, quâ laude, quâ gloria &c. Hæc ignorare eſt domi ſuæ cæcum eſſe *Tireſiam*.

Præterea Superiorum eſt, in id ſolertiùs incumbere (a), ut Religioſi ſuæ curæ commiſſi, non ſacræ modo lectioni vacent, ſed id genus etiam libros evol-

(a) Ex Regula cap. 48.

evolvant, quorum lectio ad eos potissimùm attineat, & ex qua fructum haurire possint. Nemo autem nescit, ejuscemodi libros magno numero à Benedictinis fuisse conscriptos. Poterúntne verò Superiores, Magistri Novitiorum, conscientiarum Arbitri, illos subditis perlegendos præstituere, quorum nullam ipsimet habent notitiam? Quâ causâ fit, ut obvios quosque sæpè non magni pretii, vel alieni à Professione Benedictina argumenti offerant manu terendos. An ferendum verò, ut Libri à Benedictinis, Spiritu Benedictino, pro Benedictinis conscripti non ante aliorum libros percurrantur? Accedit aliud incommodum, nempe quòd ex ignorantia Ordinis Scriptorum, Bibliothecarum foruli in non paucis Monasteriis libris quidem instruantur, sed non iis, qui à Benedictinis singulari diligentiâ, eruditione ac doctrinâ elucubrati fuerunt. Videbis Theologos, Philosophos, Canonistas, Historicos, Ascetas &c. sed non Benedictinos. Videbis editiones Patrum, sed non à Benedictinis maximè Congregationis S. Mauri, incredibili studio ac summâ eruditione accuratas. Videbis opera conjunctim edita, sed non Benedictinorum. In omne denique librorum genus offendas sæpiùs, quàm in utiles, & exquisitos à Benedictinis elaboratos. Si verò horum aliquos Tibi à Bibliothecæ Præfecto ostendi postules, aures ille scalpit, & dicit: *Non adsunt*. . . Quod quàm absurdum sit & pudendum, non est, ut multis hìc operosiùs atque odiosiùs explicem; Res oculis contrectatur.

Si qui denique fuerint, qui ut Literarum felicitati benè precari videantur, suámque obtegant inertiam, Sodalium suorum labores literarios, Scripta & Opera in lucem emissa enumerando jactitent, hi vanissimè atq; omninò ridiculè facere mihi videntur: similes enim sunt ignavo illi militi, qui ut se bellicâ fortitudine præstare adstrueret, fortia suorum commilitonum facta invidendis celebrare elogiis in morem induxerat. Industrios fuisse Majores nostros, & Literarum studiis deditos, eorum ingenii monumenta indicio sunt, ita ut pluribus verbis non sit opus, non secùs atque floribus, ubi subsecuti sunt fructus. Sed hoc non satis est; audi Poëtam:

Te nomina clara
Delectant, Tibi fama placet, Tibi gloria, cur non
Et Labor, & Virtus etiam placeat?

Majorum exemplo laborandum, vigilandum, lucubrandum: *Omnia sunt profectò laudanda*, inquit Romanæ eloquentiæ Princeps, *quæ conjuncta cum virtute sunt, & quæ cum vitiis vituperanda.* Jam verò diligentiam, laborem & industriam semper cum virtute, inertiam cum vitio conjungi, nemo est, qui non existimet; Hinc laudantur monachi operosi & industrii, vituperantur desides & otiosi. Nemo autem facilè credit eos operosos & industrios, nisi quosdam ingenii partus videat; sine his otii & inertiæ nota ex communi opinione quasi ossibus eorum inhæret.

Quàm parùm igitur famæ atque existimationi sacri Ordinis consulunt Abbates illi ac Superiores, qui otiosos magis quàm industrios ferunt Monachos, quísque æquo tolerare animo non possunt, si eorum Monachi, quod publicam in lucem emittendum sit, literis consignent. Festivè id pridem lepidis ejusmodi ignorantiæ Patronis exprobrabat Trithemius (a), hisce fascino depellendo usus amuletis: *O stulti & insipientes! qui Ordinem sanctum subvertitis, dum literis dare operam Monachos prohibetis*... Quid enim Monachum, quid Solitarium decet magis, quàm inconnivens, quàm

(a) Trithem. in Oratione Reinhartzbornensi & Martin. Marrier.



quàm assiduum, quàm indefessum studium, & sacræ Lectionis irrequieta meditatio? Quantum hanc, qui dignè præstat, cæteris mortalibus anteire est censendus? Quantis divinæ consolationis afflatibus animum alioqui gravescentem ad purum & defœcatum statum, quietémque nulli quàm sibi ipsi notàm & exploratam reducit? O quàm inæstimabile bonum est sic suum fieri! Contra quid insulsiùs, quid insuavius & ad quodvis negotium ineptius homine illiterato, eóque Monacho & Cœnobitâ? Sordere, otiari, languere, torpere, ac ne quid duriùs dicam, id fermè, quod instituto suo directè obstrigillat, identidem agere videas inertes & amusos. Magna verò ingenia, *ut Plato ajebat* (a), nisi rectè instituta fuerint literis, quæ mores emolliunt, tantò deteriora & Reipublicæ perniciosiora evadunt, quantò in illis majores igniculi extiterint. *Natura autem infirmitatis humanæ*, inquit Tacitus (b), *tardiora sunt remedia, quàm mala, & ut corpora lentè augescunt, citò extinguuntur, sic ingenia studiáque oppresseris faciliùs, quàm revocaveris. Subit quippè etiam ipsius inertiæ dulcedo, & invisa primò desidia, postremò amatur.* Quod certè malum quantas & quàm altas in plerisque nostris per Germaniam cœnobiis radices egerit, memorare pudet. Scio equidem Abbates quosdam speciosè obtendere, *Scientiam Monachos non humiles, sed superbos & contumaces reddere.* Ast nonne & mihi in illas *Trithemii* voces prorumpere licebit? *Ergóne,* inquit ille, *Monachi vestri, cùm sint rudes & indocti, non possunt esse superbi? si ignorantia Scripturarum facit humiles, Vos veraciter* Humillimi *debetis appellari. Sed erratis: Nemo enim tam rudis, nemo tam imperitus, cui non pars stultitiæ & superbiæ major contigerit.* Uti enim folles tument, quia vacui, & inde inflati, ita & insipidi. Sapientia auro contra solidior sibi constat, nullo superbiæ vento distenditur, sine cristis, sine supercilio est. *Stultum ergò est Monachis studium literarum propter humilitatem interdicere, cùm eos, qui sine eruditione sunt, videamus ampliùs superbire.* Hæc ille peritissimus rei monasticæ Magister. Sed nostra de his cùm sit infructuosa disputatio, tacere compellimur, ne os in cœlum posuisse videamur. Vos interim Sodales nostri, bonarúmque artium Cultores solertissimi! animos virésque colligite, Virorúmque Illustrium, quos in hoc circulo gloriosos habuistis præcursores & antesignanos, vestigiis pressiùs insistite, atque acceptum à Patribus *Virtutis & Doctrinæ* depositum cum fœnore in Posteros transmittere, nominísque Benedictini decus & gloriam splendidiùs exornare nervis omnibus contendite:

Est studium stadium, frustra hic se nemo fatigat;
Ad celsos apices proxima scala, schola est.

Benè valete!

(a) Plato 6. de Rep. (b) Tacit. in Agric.



ELEN-

ELENCHUS
CAPITUM, SECTIONUM, & PARAGRAPHORUM
PARTIS IV. BIBLIOGRAPHICÆ,

Qua

Bibliothecam Scriptorum Ord. S. B. Historico-Criticam Realem per classes digestam exhibet hoc ordine.

CAPUT I.
BIBLIOTHECA BENEDICTINA-THEOLOGICA.

CAPUT II.
JURISPRUDENTIA ECCLESIASTICA.

CAPUT III.
SCRIPTORES DE MEDICINA, PHILOSOPHIA, ET MATHEMATICA.

§. I.

CAPUT IV.

SCRIPTORES HISTORICI.

CAPUT V.

SCRIPTORES ELEGANTIORIS LITERATURÆ.

CAPUT VI.

SCRIPTORES ET AUCTORES MISCELLANEI.

HISTO-



HISTORIÆ REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI

PARS IV. BIBLIOGRAPHICA DE LIBRORUM NOTITIA.



Mpliſſimus eſt ille, quem ingredimur, campus, ſeges multa, meſſis propè immenſa. Ea enim eſt librorum à Benedictinis in omni diſciplina, facultate & doctrina ſcriptorum copia, ea multitudo & varietas, ut qui Bibliothecarum forulos ubique gentium paullò curatiùs perluſtraret, experiretur omninò vix codicem eſſe antiquiorem, cujus frons non Monachi titulo fulgeat. *Habuit Religio Benedictina*, inquit Arnoldus Wion, * *in quo gloriari poſſit, & verè debeat citra alterius injuriam. Habuit in omni ætate ſuos Marones, Homeros & Cicerones, etiamſi defuerint illi Mecænates. Habuit & ſuas Bibliothecas loquentes, atque, ut ita dicam, Apes Aureas. Habuit & in arcanis ſacroſanctæ Triadis enodandis, & Divinitatis ineffabilibus ſacramentis elucidandis, ſuos* AUGUSTINOS & HIERONYMOS, *ita ut verè de illa dici poſſit, in ea illam diſciplinarum penè omnium fuiſſe intelligentiam, quam olim in Catone* Cicero ** *ipſe ingenuè agnoſcebat.* Idipſum pleniùs edocebit hæc Hiſtoriæ noſtræ Pars quarta realis & claſſica, quæ per ſumma rerum capita, ac diſciplinarum claſſes digeſtos Scriptores, libróſque enumerat, recenſet, ac ſubinde examinat; ſícque in univerſalem eorum notitiam Studioſos ac Bibliophilos introducere inſtituit, eo quidem fine, ut & doctrina & eruditio habeat, quo paſcatur, nec deſit virtuti, quod imitandum foret.

* Libr. 2. Ligni vitæ cap. 61.

** Cicero in Academicis libr. 1.

Elenchus Capitum, Sectionum, & Paragraphorum P. IV.

HISTO-



HISTORIÆ REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI

PARS IV. BIBLIOGRAPHICA DE LIBRORUM NOTITIA.



Mplissimus est ille, quem ingredimur, campus, seges multa, messis propè immensa. Ea enim est librorum à Benedictinis in omni disciplina, facultate & doctrina scriptorum copia, ea multitudo & varietas, ut qui Bibliothecarum forulos ubique gentium paullò curatiùs perlustraret, experiretur omninò vix codicem esse antiquiorem, cujus frons non Monachi titulo fulgeat. *Habuit Religio Benedictina*, inquit Arnoldus Wion, ** *in quo gloriari possit, & verè debeat citra alterius injuriam. Habuit in omni ætate suos Marones, Homeros & Cicerones, etiamsi defuerint illi Mecænates. Habuit & suas Bibliothecas loquentes, atque, ut ita dicam, Apes Aureas. Habuit & in arcanis sacrosanctæ Triadis enodandis, & Divinitatis ineffabilibus sacramentis elucidandis, suos* AUGUSTINOS & HIERONYMOS, *ita ut verè de illa dici possit, in ea illam disciplinarum penè omnium fuisse intelligentiam, quam olim in Catone* Cicero *** *ipse ingenuè agnoscebat.* Idipsum pleniùs edocebit hæc Historiæ nostræ Pars quarta realis & classica, quæ per summa rerum capita, ac disciplinarum classes digestos Scriptores, librósque enumerat, recenset, ac subinde examinat; sícque in universalem eorum notitiam Studiosos ac Bibliophilos introducere instituit, eo quidem fine, ut & doctrina & eruditio habeat, quo pascatur, nec desit virtuti, quod imitandum foret.

** Libr. 2. Ligni vitæ cap. 61.

*** Cicero in Academicis libr. 1.

CAPUT I.

BIBLIOTHECA BENEDICTINO-THEOLOGICA.

SECTIO I.

DE THEOLOGIA POSITIVA; RECENSENTUR LIBRI AD EAM SPECTANTES.

§. I.

Biblia Sacra Benedictinæ correctionis, versionis atque editionis.

Bibliorum classis triplex.

Biblia Benedictinæ industriæ ad triplicem classem referri possunt; quorum alia ante artis typographicæ inventionem vel manu à Monachis sunt exarata, & Abbatum jussu descripta, vel si librariorum imperitiâ negligentiáve vitiosa erant, integritati suæ summa cura studióque maximo restituta; alia post inventas impressorias formas pariter emendata, typis edita atque impressioni mandata fuerunt. Utroque autem tempore non defuerunt, qui Sacra Biblia in alias transferrent linguas: de quibus nunc ita agendum, ut tam Biblia msc. quàm impressa, eorúmque tum Correctores, tum Translatores, atque Editores paucis recenseamus.

CASSIODORI *Biblia*, quæ se sub *collatione priscorum codicum* recognovisse ipse testatur *Præfat. divin. liter.*

ALCUINI *Bibliotheca*, id est, *Biblia* (a) jussu *Caroli M.* ab Alcuino recognita, & à mendis atque erroribus purgata. Extat ejusmodi Bibliorum codex, Alcuini labor, Baronio teste, in Bibliotheca Vallicellana PP. Oratorii ex dono Achillis Statii, ubi velut ingens thesaurus asservatur: dicatus est Carolo Magno, utì versus ad calcem adscripti testantur, in quibus hujus recognitionis laus Carolo tribuitur, & codex ipse *Bibliotheca*, ut illis temporibus, id est, *Bibliorum* codex appellatur. De hoc codice Card. Baronius tom. IX. Annal. Eccles. ad an. 778. hæc habet: „ Sed & quod „ præstat cæteris, eidem Carolo Ma- „ gno debemus ingens opus illud ab „ Alcuino, sive Albino elaboratum, „ quô totius divinæ Scripturæ tam „ veteris, quàm novi Testamenti vul- „ gata editio emendata est. Testatur „ hoc ipse Alcuinus Epistola ad Can- „ didam & Gislam. Accideràt enim, „ ut ipsa multiplicium librariorum ex- „ scribentium vitio mendis obsita jam „ vilesceret: quod periniquo animo „ ferens Carolus, ut quàm emendatissima ederetur, in pristinámque „ vendicaretur integritatem atque „ splendorem, studio propensiori curavit. Cujus rei fidem facit ejus in „ Capitularibus intextum elogium „ istis verbis: *Volumus, & ita Missis* „ *nostris mandavimus, & præcepimus,* „ *ut in Ecclesiis Libri Canonici veraces* „ *habeantur; sicut jam in alio Capitulari mandavimus.* Hæc ipse, qui, „ ut quod omnes refugerent ob nimiam difficultatem, omninò perficere- „ tur, opus delegavit Albino, ut absolveret. Qui in idipsum viribus totis „ invigilans, universam divinam Scri- „ pturam è vetustioribus ac verioribus „ fontibus descriptam, recognitam, & „ emendatam eidem Carolo Magno „ obtulit: ad cujus calcem hos, quos „ hîc descriptos leges, versus apposuit, „ per epigramata diversa distinctos:

Nomine Pandecten proprio vocitare memento
Hoc corpus sacrum, Lector in ore tuo.
Quod nunc à multis constat Bibliotheca dicta
Nomine non proprio, ut lingua Pelasga docet.

Et post pauca:

Codicis illius quot sunt in corpore sancto
Depicta formis litterula variis.
Mercedes habeat, Christo donante per ævum
Tot Carolus Rex, qui scribere jussit eum.

Tum:

Pro me quisque legas versus, orare memento,
Alcuinus dicor: Tu sine fine vale.

„Extat ejusmodi vetus Bibliorum co- „dex, Alcuini labor, in Vallicellana „Bibliotheca, ubi velut ingens the- „saurus asservatur, utpote quòd viri „eruditi, qui in emendatione *Vulga-* „*tæ* iterùm nostro tempore laborà- „runt, eô ut antiquiori sunt usi, cui &

(a) Mabill. Annal. Bened. tom. 2. lib. 26. pag. 328. & Itin. Italici pag. 68.

„& plurimum detulerunt.„ Hæc porrò Alcuini operâ & studio Bibliorum emendatior editio in omnes Gallicanas Ecclesias propagata fuit, mandante Carolo Magno, & Missis ejus Dominicis accurantibus, ùt ex Capitularibus audivimus.

RADONIS *Abbatis Biblia.* Erat is inter Abbates celeberrimi Monasterii *S. Vedasti* apud Atrebates ordine undecimus. Quo anno autem (erat à parta salute DCCXCV.) ad Abbatialem dignitatem assumptus fuerat, ejus sumptibus, & Monachorum stùdio exarata fuerunt Biblia Latina, ita quidem, ut singulæ cujusque folii paginæ in tres columnas divisæ sint. Causam scribendi ejus Codicis præbuit incendium hostile, quo templum S. Vedasti unà cum omni supellectile sacrâ conflagraverat. Illi ergò reædificando, omnibúsque rebus necessariis instruendo & exornando jam memoratus Abbas *Rado* primo statim regiminis sui anno summam impendit industriam, & liberalitatem, adhibito ad hoc in consilium & auxilium *Alcuino*, Caroli Magni præceptore; cujus operâ potissimùm usus est ad recensionem & emendationem librorum, ad studium Theologiæ & cultum divinum pertinentium, quos illorum loco, qui igne perierant, per Cœnobii sui alumnos de-integro curavit describi. Inter eos autem, ut propter quotidianum usum maximè necessarii, primum locum obtinuerunt duo, nempe *Codex Sacrorum Bibliorum utriusque Testamenti*, ac *Missale.* Et quod quidem ad Codicem Sacrorum Bibliorum eorundem Monachorum curâ descriptum attinet, is est ille ipse, qui in *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* etiam nunc adservatur, sed ita, ut partim inscitiâ & negligentiâ eorum, qui tanti thesauri dignitatem vel prorsùs ignorârunt, vel non rectè æstimârunt, partim autem longinquo mille brevì annorum spatio, totus sit ruinosus, & plerisque locis præ vetustate vix ampliùs legibilis. In principio ejusdem extant *duo Poëmata Alcuini*, hactenus, quod sciam, non edita, quæ continent commendationem lectionis Sacræ Scripturæ, enumerationem & argumentum Librorum sacrorum utriusque Testamenti, invocationem Christi pro salute & felici imperio Regis Caroli Magni, ac denique honorificam Abbatis *Radonis* mentionem, quòd is Codicem hunc loco ejus, qui igne perierat, describi curaverit. Titulus antiquis Poëmatibus istis præfixus est hic:

IN CAPITE BIBLIOTHECÆ AB ALCUINO EDITI.

Ubi primò quidem notandum est, sine dubio hic subintelligendum esse substantivum plurale VERSUS; secundò autem per *Bibliothecam* significari integrum corpus totius Scripturæ Sacræ, cùm Veteris tum Novi Testamenti, eodémque modo in *Præfatione prosaica* Genesi ibidem præfixa eundem Codicem appellari *Bibliothecam Sanctarum Scripturarum.* Sequitur nunc Poëma primum:

In hoc quinque libri retinentur Codice Mosis,
Bella Ducis Josue, Seniorum & tempora Patrum,
Ruth, Job, & Regum bis bini iámque libelli,
Atque Prophetarum sancti bis octo libelli;
Carmina præclari Christi patris hymnica David,
Et tria pacifici Salomonis opuscula Regis,
Jungitur bis Sophiæ Jesu simul atque libellus,
Et Paralipomenonis enim duo nempe libelli;
Hinc Ezræ, Nehemiæ, Hester, Judith atque libelli,
Et duo jámque libri Machabæa bella tenentes.
Mathæi & Marci, Lucæ liber atque Johannis
Inclyta gesta tenens salvantis secula Christi;
Sanctus Apostolicos Lucas conscripserat Actus,
Bis septem sancti per chartas dogmata Pauli,
Jacobi, Petri, Judæ & pia dicta Johannis,
Scribitur extremo Johanis in ordine Tomus.
Hos lege tu Lector felix feliciter omnes
Ad laudem Christi propriámque in secla salutem.

Alterum autem ejusdem *Alcuini* Poëma, quod præcedenti sine ullo novo titulo ibidem subjungitur, hoc est:

Dum primus pulchro fuerat homo pulsus ab horto
In hanc prô miseram morte dolore diem,
Infandi & gemuit condigna piacula facti
Cum tota pariter prole salutis inops.
Non tamen omnipotens bonitas dimiserat omne
In miseris magnæ jam pietatis opus.
Plurima sed mitis lacrymis solatia nostris
Attulit è cælis in bonitate sua,
Illius ut semper pietas laudetur, ametur
Cunctorum pariter pectore, mente, manu.
Quicquid habere boni poterit mens conscia recti,
Illius hoc totum gratia summa dedit.
Inter quæ siquidem sunt maxima dona librorum,
Qui series rerum & tempora cuncta canunt,
Et dictante Deo retinent primordia Mundi,
Et Christum seclis præcecinere pium;
In quibus & homini ratio est data certa colendi
Ipsa Deum, vera est quæ via, vita, salus.

Hos legat & teneat, placeat cui pectore puro
Vivere cum Christo perpes in arce poli.
Sunt numero pariter (b) *deni duo septies atq;*
De quibus & nulli jam dubitare licet.
In Christi nobis numerus venerabilis iste
Mysticè Discipulis namque sacratus adest.
His etiam libris inest cœlestis origo,
Hos quia dictavit Spiritus ipse Deus.
Continet iste uno sanctus sub corpore Codex
Hic simul hos totos munera magna Dei.
Omnia námque nova ac veteris pia famina legis
Hicce non dubites Lector habere pius.
Hic vita fons est, hæc est sapientia vera,
Hæ sunt perpetuæ namque salutis opes.
Qui cupit inveniet Scripturas dicere sacras
Sanctorum dicta hic veneranda Patrum,
Legifer ille pius quicquid jam scripserat olim
De mundi ac rerum principio siqui lem
Qualiter omnipotens naturas conderet omnes,
Ingenio quantum scire licet hominis.
Hic etiam legitur hominis factura creati,
Qualiter aut fugerit exul ab orbe sacro;
Impius aut frater sceleratam sanguine dextram
Fraterno impleret cur pietatis inops.
Post etiam retinet numeros & nomina Patrum,
Seclorum per quos ordo cucurrit ovans.
Inde Noe requies mundi jam nascitur almi
Tempore sub cujus jam cataclysmus erat,
Dum natat arca Dei pelago, spes altera mundi,
Totius & secli prole repleta simul.
Extruit immensam damnanda superbia turrim,
Pro qua dividitur consona vox hominum.
Tum pater Abraam, cœli benè doctus in astris,
Cui promissus erat Filius ipse Dei.
Exilia hinc Isaac, Jacob quoque longa leguntur,
Pérque patres bis sex gentis origo sacra.
Venditur hinc fratrum scelere & puer (c) *-tatur atro*
Joseph in Ægyptum patre dolente pio;
Qui Regni est subitò factus de carcere Rector,
Et cum prole patrem duxit in arva senem.
Continet hæc Genesis pariter liber omnia primus,
Usque fuit Joseph mortis amara dies.
Post cujus mortem Pharao Rex impius alter
Imposuit famulis vincula dura Dei.
Post Exodus habet præclari tempora Mosis,
Qui mandante Deo Dux fuit in populo;
Fortiter educens Ægypti hac gente maligna
Pérque decem plagas agmina sancta Dei.
Egit iter populus siccis per æquora plantis,
Cantantes Domino carmina lætitiæ.
Hinc data lex fuerat Sinai de vertice celso
In tabulis sancto scripta Dei digito.
Quam turbis retulit descendens vertice montis
Cornutâ facie (d) *Legifer ipse pius*
Longa quidem populis vix per deserta vagantem
Condere præcipiens atria sancta Deo,
Cum mensis, vasis, tabulis simul atque lucernis
Sanctáque Sanctorum, quo fuit arca Dei.
Inde Sacerdotum describit in ordine cultus
Ac Levitarum tertius ipse liber.
Tempora sanctorum currentia festa dierum,
Et vestes Aaron progeniémque sacram.
Scribitur in quarto Numerorum mysticus ordo
Per tribus & turmas summa Dei populo.
Mystica sed Balaam senioris verba Prophetæ
Verba cadens quidam plurima præcecinit.
Quatuor hinc decies per vasta silentia mundi
Erravit sitiens plebs malè fida Deo.
Dux renovat legem dictis mordacibus almam
Dúmque diem mortis sensit adesse sibi.
Hoc tenet egregio quintus sermone libellus
In mentem revocans dona Dei populo.
Per deserta negans Dominum perit improba turba,
Ac mandante Deo Legifer almus obit.
Josue surrexit, turbas Dux inclytus armis
Inducens patriam, quam Deus ipse dedit.
Plurima qui gessit præclaris bella triumphis,
Dispergens gentes Cananeas gladio;
Per tribus & sortes per nomina clara parentum
Inclyta distribuens Regna Dei populo;
Cujus gesta tenet jam sextus in ordine Tomus
Prætitulatus enim nomine námque suo.
Post mortem cujus populus cum tempore multo
Usque dies Sauli Judicibus regitur.
Quorum gesta, genus, tempus, loca, bella, triumphos,
Nomina námque refert septimus ille liber.
Et (e) *paticus enim librum decurrit in istum*
Quem Ruth consequitur fœmina clara satis.
Hinc Job intrepidus fidei bellator in armis
Præsignans Christi tempora sacra Dei.
Hinc scribuntur eam Samuelis gesta Prophetæ,
Saúlque Philistæo qui perit ense fero.
Israelita potens primus electus ob annis
Post quem detinuit Regna beata David.
Hymnica qui cecinit Psalmorū carmina vates
Prætitulans Christi tempora, gesta, diem:
Semine de cujus Regali stemmate felix
Alma Dei-genitrix virgo Maria fuit.
Pacificus post quem Salomon Regna regebat,
Qui construxit ovans templa sacrata Deo.
In nato cujus finduntur viscera Regni,
Et Judam tantùm Rex Roboam tenuit.
Induit Hieroboam Samaria stemmata parvus (f)
Qui Regum primus excoluit vitulos,
Hinc sibi Regna duo fuerunt contraria semper,
Et fratres inter bella fuere rea.
Sic Regum series per tempora longa cucurrit
Præ multis scelerum noxia criminibus,
Donec in exteras populus cum Principe gentes
Ductus erat, pœnas jámque luêre suas.
Quattuor hæc libris clauduntur tempora Regū,
Urbs perit usque sacra, Rex simul & populus.
Inde Prophetarū præclara volumina constant,
Venturos Christi quæ cecinere dies.
Nominibus propriis qui sunt bis octo libelli,
Hieremiæ hinc gemitus pro Josia & populo.
Hymnica Psalterū constat per carmina Tomus,
Quæ cecinit Christi Rex pater ipse David.
Tres Salomon libros mirabilis edidit auctor,
His duo junguntur per paradigma libri,

Quorum

(b) Deni duo septies pro septuaginta duo.
(c) Locus mendosus, de cujus verâ emendatione Lambecio non liquebat.
(d) Vide Lambecii Histor. Liter. lib. secund. cap. 1. § 2.
(e) Locus mendosus, cujus vera emendatio nondum liquet.
(f) Ita quidem ibi scriptum est, sed videtur legendum esse *pravus*.

Quorum quippe prior Sapientia dicitur alma,
Notatur Jesu nomine posterior.
Hinc Paraliponienonis adest sacer ille libellus,
Qui veteris legis dicitur epitome.
Hinc Esra, Nehmia, Judith, Hestérque libelli,
Tunc Tobiæ pietas, Angelus, actus, iter.
Inclyta nam binis Machabæa bella libellis
Scribuntur victis gentibus & populis.
Hæc est sancta quidem legis scriptura vetustæ,
Divinis tota quæ titulis redolet;
Tempora Baptistæ decurrens usque Johannis.
Sanctus Evangelii hinc celebratur honor;
In quo tecta diu sacrorum gesta librorum
In Christi adventu jam reserata patent,
Et veniente Deo præclaræ lucis in orbem
Umbrarum tenebræ mox abiêre procul.
Hinc quadriga Dei Cherubin comstante refulget,
Quæ Christi in Mundum tempora sacra sonat.
Mathæus, Marcus, Lucas simul atque Johañes
Scribentes Christi gesta sacrata Dei.
Sanctus Apostolicos Lucas descripserat Actus,
Dogmata, sudores, atque laboris iter.
Bis septem Paulus rescripsit in ordine chartas
Discipulis, nec non Urbibus & populis,
A Domino electus specialis in orbe Magister,
Gentibus innumeris dogmata sacra serens.
Hinc Jacobus, Petrus, Judas simul atque Johannes
Scripserunt titulis Mystica verbâ sacris.
Hic etiam recubus Divini pectoris almus
Exul ab humano expellitur orbe pius;
Plurima quæ cernens sæclis ventura futuris,
Quæ sit pœna malis, gloria quæve bonis.
Hic liber extremus scripturæ inscribitur almæ,
Divinis totus mysteriis redolens;
Hæc sunt dona Dei cælestibus inclyta gazis,
In his vita, salus, gloria, divitiæ.
His sine nemo Deum poterit cognoscere sensu
Vel præcepta Dei, aut Regna beata poli:
In his vera quidem fulget sapientia tantùm,
In his laus, merces, vita, salus hominum;
His sine deducit malè falsa scientia mentem
Discere non curans verba sacrata Dei;
In quibus æternæ vera est sapientia vitæ,
Gloria, lux, pietas, notus & ipse Deus.
Quisque legat hujus sacrato in corpore libri
Lector in Ecclesia verba superna Dei.
Distinguat sensus, titulos, cola, commata voce,
Dicat, ut accentus ore sonare sciat.
Auribus Ecclesiæ resonet vox (g) vinula longè
Omnis ut auditor laudet ab ore Deum.
Regnorum Regi Christo & Domino Dominorum
Gloria, lux, virtus, laus, honor atq; salus;
Qui regit imperio terram, pelagúsque polúmque,
Qui voluit scire nomen in orbe suum,
Et genus humanum clementer ab hoste maligno
In Cruce jam moriens carne redemit ovans;
Qui solitâ Carolum *Regem pietate gubernet*
Semper in æternum protegat atque regat;
Dicat & omnis Amen populorum turba per orbem:
Hoc tribuat Cæli Christus ab arce pius,
Ut multis vivat felix feliciter annis,
Post hæc & teneat Regna beata Dei.

Codicibus sacris hostili clade perustis
Et Rado fervens hoc reparavit opus;
Hoc opus: hoc etenim flammis te subtrahit atris
O Lector, si tu pacis amore legis.

Hucusque duo illa *Alcuini* Poëmata, quæ Codici Sacrorum Bibliorum, *Radonis*, Abbatis Monasterii S. Vedasti curâ & sumptibus abhinc annis ferè mille descripto præfixa sunt. Hæc ex Petri Lambecii Comment. de Biblioth. Cæs. Lib. II. cap. v. pag. 402. seq. qui à tempore, quo memorabilis iste Codex scriptus est, ad sua usque tempora annos numerat octingentos septuaginta duos: edidit verò Lambecius suum Commentarium an. 1669.

FLORIACENSIA BIBLIA Sacra Latina vulgatæ editionis, quæ egregiis characteribus, sed parvis, circa annum Christi septingentesimum nonagesimum *Theodulphus* Abbas Floriacensis, deinde Episcopus Aurelianensis, operâ Monachorum Floriacensium sibi describenda curaverat. Vocantur vulgò *Theodulphi* Biblia, non quòd ipse eadem scripserit, sed quòd in ejus usum manu Monachorum exarata fuerint. „ Perstant, inquit Sirmondus tom. 2. Operum pag. 1046. „ perstant hodiéque Parisiis in Bibliotheca Memmiana egregii operis illustre monumentum, idem ipse Bibliorum codex, quem Theodulfus olim „ exarandum curaverat, cum iisdem „ iis versibus, quos in libri fronte aureis characteribus expressos collocârat. Alii literis argenteis descripti præfixi sunt brevi chronico (*quod Bibliis adjunctum est ante Novum Testamentum*) Isidori & opusculo Eucherii de interpretatione Hebraicorum nominum & Græcorum cum „ clave, ut nonnullis visum est, Melitonis Episcopi Sardensis. „ Hæc ille. Sunt itaque Biblia in usum Theodulphi à Monachis Floriacensibus scripta codex membranaceus in folio minori: versus literis aureis in membranis purpureis exarati sunt, Chronicon verò Isidori & opusculum Eucherii argenteis. Illius inspiciendi facultatem sibi perhumaniter concessisse Illustrissimum Dominum de Mesmes in supremo Galliarum Senatu Principem, apud quem religiosè servatur, doctissimus Jacobus le Long testatur Bibl. Sac. part. 1. c. iv. sect. 2. pag. 235. col. 1. apud quem plura de alio Theodulphi Bibliorum codice.

 Bi-

(g) Sic & apud Plautum in Asinaria legitur *oratio vinula*, seu potiùs, ut Douza legendum censet *vinnula*, hoc est chromatica. *Vide Mathia Martini Lexicon Philologicum* V. Vinnulus.

Biblia Latina elegantissima Carolo Calvo circa annum 876. à *Monachis S. Martini Turonensis* oblata, Codex membranaceus in majori folio. Leguntur initio versus in membranis purpureis charactere aureo exarati, quorum primi hi sunt:

Rex benedicte tibi placeat Bibliotheca Carle,
Testamenta duo quæ relegenda gerit.

Deinde sequitur titulus Prologi Galeati literis aureis & uncialibus. Plurimæ sunt in hoc Codice imagines; ad calcem extat ipsa effigies Caroli Calvi in throno sedentis; præfiguntur ei alii versus eodem, quô præcedentes, charactere scripti, & legitur: *Hic petit veniam Monachus S. Martini, præsentat hanc Bibliam Carolo Imperatori.* Istud exemplar Bibliorum diu in Cathedrali Ecclesia Metensi servatum Canonici Metenses Bibliothecæ Colbertinæ donârunt anno Christi 1675. in quâ custoditur cod. 1. Vid. le Long. l. c. p.237. col. 1.

BIBLIA HIRSAUGIENSIA, de quibus audiendus est *Tritbemius* in Chronico ejusdem Monasterii. „ Considerans, inquit, beatissimus Abbas „ Wilhelmus, *Theogerum* (postea Metensem Episcopum, & Sanctorum „ Fastis adscriptum) in omni varietate scripturarum esse peritum, ipsi, „ & cuidam alteri Monacho, æquè „ doctissimo, qui *Haymo* fuerat nominatus, de quo postea dicemus, id „ injunxit officii, ut in omnibus divinæ historiæ libris, ac in toto novi, veterisque Testamenti corpore, „ quicquid vitio scriptorum inveniretur vel corruptum, vel depravatum corrigerent, & ad veritatis regulam per distinctiones, & subdivisiones emendarent. Qui viri Abbatis imperium humiliter exequentes, totam utriusque Testamenti paginam emendârunt, cujus necessariæ & ingeniosæ correctionis exemplaria in Bibliotheca Hirsaugiensis „ Cœnobii usque hodie servantur. „ Hæc *Trithemius ad an.* 1087. *in Chron. Hirsaug edit. Sangall. pag.* 283. Cùm subinde verò Monasterium Hirsaugiense in manus Acatholici Ducis Wirtembergiæ venerit, quid de his Bibliis tantoperè Trithemio laudatis factum fuerit, ignoramus. Cæterùm B. *Wilhelmus* seu *Gulielmus* Abbas Hirsaugiensis à Possevino Bibl. S. pag. 111. inter *Translatores* Sacri Codicis numeratur.

BIBLIA HEBRAICA Monasterii Gladbacensis, optimæ notæ, pereleganti manu in membranis voll. 2. fol. augusto exarata, magno pretio à philobiblis æstimata.

Biblia Monasterii S. Martini Coloniæ Agrippinæ subtilissimo charactere pereleganter exarata per aliquem Cœnobitam S. Martini, ut imago frontispicii indicat.

GARNERIUS monachus S. Remigii Remensis annis abhinc quingentis, & quod excurrit, Biblia Latina tribus voluminibus in folio scripsit, quæ asservantur in ejusdem Monasterii Bibliotheca cod. 1. 2. 3. le Long l. c. p. 239. qui pag. 246. subjungit, ab eodem *Garnerio* Testamentum Novum in folio & majori & minori perscriptum fuisse: illud cod. 14. hoc cod. 15. exhibetur.

Grimoaldus, seu *Grimaldus*, monachus Asceterii S. Æmiliani circa an. MLXXX. Sac. Biblia ex Latino in Hispanicum idioma transtulit, quod opus in ejusdem Monasterii tabulario asservari scribit Nic. Ant. Bibl. Hisp. Vet. Tom. II. pag 3. n. 13.

BIBLIA AFFLIGENSIA manuscripta, in quibus nulla est capitum distinctio, sic dicta à cœnobio *Affligensi* non longè à Bruxellis urbe dissito. Usui fuerunt Ariæ Montano celeberrimo sacrarum literarum Interpreti, qui eadem ceu optimæ notæ in cap. XIV. Isaiæ paulò post initium commendat.

BIBLIA UTICENSIA, quæ Abbas Theodericus sub an. 1050. à monachis suis exaxari curavit. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 519.

BIBLIA AUGIENSIA, seu Monasterii Divitis Augiæ complura supersunt à diligentissimis ejus loci Monachis aliquando conscripta in pergameno, quæ & oculis usurpavi, & admiratus sum. Cæterorum Monasteriorum singula recensere Biblia, nimis longum foret, cùm nullum extiterit, quod non Biblia à suis descripta Monachis habuerit. Vide Catalogos Bibliothecarum San - Emmeramensis & Lunælacensis nuper typis excusos.

Rabanus Maurus, Haimo, & Strabus manu admota socia versionem sacræ Scripturæ Teutonicam composuisse dicuntur; ídque opus tam citò per temporum injuriam periisse dolet Flaccius in præfatione Otfridi Evangelio præmissa. Fides tamen historica huic deest operi, quæ si ex idoneis scriptoribus subderetur, fanè fateor, dolendum cunctis adhuc posteris foret.

ret. *Ita apud le Long l. c. pag. 374. col. 2. Joh. Reiskius in Epist. de Version, German. ante Lutherum ad Joh. Frideric. Mayerum p. 135. tract. de version. Bibl. Germ. Lutheri.* Ego verò, etsi Flaccii dicta nec affirmare nec refellere in animo unquam fuerit, ex viro minimè indocto sciscitatus aliquando fui, quid ipsi hac de re videretur? Tum ille; fidem eidem versioni non ex *Rhabani* modò *Glossario Latino - Theotisco in tota Biblia Sacra Veteris & Novi Testamenti*, sed ex præcepto etiam & mandato Ludovici Pii Imperatoris adstrui posse respondit. Jussisse hunc Imperatorem, ut Sacra Biblia ex Latino Germanicè redderentur. Ejus præceptum exhiberi ab Andrea Duchesnio Tom II. Collectionis Scriptorum Rerum Francicarum fol. 326. Jam verò quòd Imperator fieri seriò mandarit, effectui re ipsa datum fuisse, quemvis facilè animum esse inductum; ut haud cunctanter credat: neque enim magnos Principes edicta dare, quæ observari nolint. Existimandum autem omnino esse, Ludovicum Pium pro sua prudentia arduam hanc provinciam non nisi viris doctissimis imponere voluisse; opus enim fuisse non multarum tantùm vigiliarum, sed magnæ etiam doctrinæ, & sacrarum literarum peritiæ: neminem verò id temporis in divinæ paginæ studio Rabano Mauro, Haimone, & Strabo superiorem fuisse. Quando igitur Flaccius dixerit, Sacra Biblia ab iisdem in linguam Teutonicam fuisse conversa, rem dixisse, quæ cum Ludovici Pii decreto componi omnino possit. Hæc ille, quibus ego aures quidem præbui; sed fidem tamen antequam darem, ipsum Ludovici Pii præceptum consulendum duxi. Totum igitur legi, quod cùm non ita prolixum sit, in gratiam lectoris adscribam.

De Translatione Divinorum Librorum in Theotiscam linguam, Jussu Ludovici Pii facta.

Præfatio in Librum antiquum lingua Saxonica scriptum.

„ Cùm plurimas Reipublicæ utilitates HLUDOVICUS piissimus Augustus summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat: maximè tamen quod ad sacrosanctam religionem æternámque animarum salubritatem attinet, studiosus ac devotus esse comprobatur. Hoc quotidie sollicitè tractans, ut populum sibi à Deo subjectum sapienter instruendo, ad potiora atque excellentiora semper accendat, & nociva quæque atque superstitiosa comprimendo compescat. In talibus ergo studiis jugiter benevolus versatur animus, talibus delectamentis pascitur: ut meliora semper augendo multiplicet, & deteriora vetando extinguat. Verùm, sicut in aliis innumerabilibus infirmioribúsque rebus ejus comprobari potest affectus, ita quoque in hoc magno opusculo sua non mediocriter commendabatur benevolentia. Nam cùm divinorum Librorum solummodò literati atque eruditi priùs notitiam haberent, ejus studio, atque Imperii tempore, sed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum est nuper, ut cunctus populus suæ ditioni subditus, Theotisca loquens lingua, ejusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam uno de gente Saxonum, qui apud suos non ignobilis vates habebatur, ut vetus ac novum Testamentum in Germanicam linguam poëticè transferre studeret: quatenus non solùm literatis, verùm etiam illiteratis sacra divinorum præceptorum lectio panderetur. Qui jussis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eò faciliùs, quò desuper admonitus est priùs, ad tam difficile, támque arduum se statim contulit opus: potiùs tamen confidens de adjutorio obtemperantiæ, quàm de suæ ingenio parvitatis. Igitur à mundi creatione initium capiens, juxta historiæ veritatem quæque excellentiora summatim decerpens, & interdum quædam, ubi commodum duxit, mystico sensu depingens, ad finem totius veteris ac novi Testamenti, interpretando more poëtico, satis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucidè, támque eleganter juxtà idioma illius linguæ composuit, ut audientibus ac intelligentibus non minimam sui decoris dulcedinem præstet. Juxta morem verò illius Poëmatis, omne Opus per *vitteas* distinxit, quas nos lectiones vel sententias possumus appellare. „

Jam verò ex hactenus dictis colligi posse, Rhabano Mauro, Haimoni &

& Walafrido Strabo à Ludovico Pio in mandatis datum fuisse, ut Sacra Biblia in Theodiscam linguam è Latinò transferant, nemo dixerit, nisi qui eosdem à Poëta Saxone, carménque à prosa discerni posse, negaverit. Allata tamen Præfatio, judice Jo. Alberto Fabricio (h), suffragatur eorum sententiæ, qui libros sacros in Franciscam, seu Teutonicam linguam à *Rabano Mauro*, *Haymone*, & *Strabone* jussu Ludovici Pii translatos referunt. Confer *Usserium* de Scripturis vernaculis pag. 110. seq. *Heumannum* in Comentariis de re Diplomatica Impp. ac Regum *German.* pag. 233. *Eccardum* T. II. Rer. Franc. pag. 325. ubi, veterem illum Codicem, qui Londini in Cottoniana Bibliotheca asservatur, & in quo Evangelia ligato sermone habentur, partem esse hujus versionis dicit; deinde etiam Wirceburgi ejuscemodi Opera fuisse asservata.

GUNDULPHUS illustri loco natus, Monachus primùm Beccensis in Normannia, tum Episcopus Roffensis, ac intimus S. Anselmi Cantuariensis amicus, cujus codex Bibliorum an. 1734. in Anctione publica Bibliothecæ C. V. Hermanni van der Wall Amstelodami væniit. Codex membranaceus magnæ molis per duas columnas exaratus satis nitidè, & hanc in fronte voluminis & partis utriusque, notam præferens (i): *Prima pars Bibliæ per bonæ memoriæ Gundulphum Roffensem Episcopum. Liber de claustro Roffensi: Quem qui inde alienavit, alienatum celavit, vel hunc titulum in fraudem delevit, excommunicatus est, ferentibus sententiam Priore, & singulis Presbyteris Capituli Roffensis.* Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. l. 7. p. 519.

EVANGELIA, secundùm SS. Matthæum, & Marcum, latinè charactere admodùm antiquo, quæ *S. Augustino*, Anglorum Apostolo usui fuisse perhibentur. Præfiguntur utrisque indices capitum præcipuorum, sive breves *causæ*, & nominum Hebræorum interpretatio & argumenta. Ante Evangelium S. Mathæi ponitur imago hominis; ante Evangelium S. Marci imago leonis: In margine numerus capitulorum in recto ordine signatur, numeratis capitulis aliorum Evangelistarum, ubi in eadem historia conveniunt, asservantur in Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Galba* Lit. C. cod. V.

ALDHELMUS, Anglus, ex regiâ prosapia, Monachus primùm, tum Abbas Malmesburiensis anno Christi 666. ac deinde primus apud Saxones Occidentales Episcopus an. 705. Schireburnensis, vita functus an. 709. & postea in Divorum numerum relatus, erat Græcè & Latinè doctissimus. Juxta Balæum Script. Brit. Cent. 1. p. 83. Psalterium in linguam Anglo-Saxonicam transtulit.

QUATUOR EVANGELIA, Latinè, ex translatione S. Hieronymi cum versione interlineari Saxonica. In fine narrationes breviculæ de tempore, quando, & quorum opere completum fuit hoc opus Saxonicè. Pòst, Latinè *Eadfrith, Oethilvald, Billfrith, Aldred hoc Evangelium Deo & Cuthberto construxerunt, & ornaverunt.* Fuit verò *Eadfridus* octavus Episcopus Lindisfarnensis, anno 721. Episcopatûs sui anno 24. defunctus. Is in usum S. Cutbberti, dum in cœnobio Lindisfarnensi sub ipso patre adhuc militaret, pulcherrimum Latinorum Evangeliorum codicem propria manu scripsit. *Ethelwoldus*, seu *Æthilwaldus* fuit sancti Cuthberti primùm minister, dein Abbas Mailrosensis, demùm Eadfrido ad Superos translato, creatus Lindisfarnensis Episcopus. In cœlum migravit an. 740. ut in continuatione Bedæ epitomes legitur. Is codicem auro gemmisque ornavit; unde eidem mille annorum vetustas adjudicanda est. *Bilfridus* ex Monacho Lindisfarnensi anachoreta codicem depinxit. *Alredus*, qui totum librum versione Dano-Saxonico-Boreali glossavit, & nonnunquam etiam adnotatiunculas suas ad quædam loca, præsertim in Evangelium S. Mathæi margini adscripsit; fuit, ut ego existimo, monachus etiam Lindisfarnensis, *presbyter* verò dictus propter magnam sacerdotalis dignitatis existimationem, qui enim antiquissimis illis temporibus sacerdotio initiati erant, multis aliis nominibus *Presbyteri* appellari consueverant. Liber præclarissimus, elegantissimis characteribus, & curiosissimis pro istius seculi arte picturis, & delineationibus ornatus: de quo *Thomas Smithus* in historia Bibliothecæ Cottonianæ pag. xxxiii. col. 2. sequentem texit narrationem.

„ Maximè & primo in loco memorandus venit tùm ob sacri argumenti majestatem, tum ob venerandam, „ quam

(h) Bibl. med. Lat. l. 3. pag. 951.
(i) Idem ibid. l. 7. pag. 519.

„ quam præ se fert certis indiciis & „ probationibus, antiquitatem, co- „ dex Evangeliorum, interlineata ver- „ sione Saxonica illustratus; de quo „ licèt Viri summi, Joannes Selde- „ nus (k), & Thomas Mareschallus (l) „ fusè egerunt, dum istas membra- „ nas frequenti & sedula manu volvo „ revolvóque, non possum mihi tem- „ perare, quin hîc quoque eadem re- „ petam, quibusdam tamen ex indu- „ stria superadditis, ut inde totius „ venerandi codicis conspectus Lecto- „ ri longè exploratior appareat.

„ Textum propria manu descripsit S. „ Eadfridus, quando monachus erat, „ adhuc superstite S. Cuthberto, qui „ juxtà Auctorem Chronici Saxonici, „ in Episcopum Landisfarnensis Ec- „ clesiæ consecrabatur à Theodoro, „ Archiepiscopo Cantuariensi A. C. „ DC.LXXXV. cui post trienium cir- „ citer in ista sede successit. Dein sa- „ cri illius operis amore captus Ethel- „ waldus ex eodem Cœnobio, suppa- „ ris ætatis Monachus, qui ad ean- „ dem sedem circa an. DCCXXI. pro- „ motus, anno DCCXXXVII. deces- „ sit, ab exteriore parte gemmis & „ auro, intus verò tessellatis delinea- „ tionibus, picturis Evangelistarum, „ insigni politura, reliquóque divite „ apparatu perornari curavit, usus „ opera Bilifridi Anachoretæ, istarum „ artium, prout ista ferebant tempo- „ ra, peritissimi. Tandem ad egre- „ gium illud opus complendum, ut „ Monachis & populo non soli admi- „ rationi, sed usui esse posset, versio- „ nem in lingua vernacula interposuit „ Aldredus, qui se pro humilitate sua „ *Presbyterum indignum & peccatorem* „ *miserrimum* nuncupat; qui hæc „ omnia Saxonicè sua manu testatus „ est: cujus nomini ex adverso appo- „ nuntur in margine hi rhythmi, an- „ tiqua sanè, si non ipsius, scriptura:

Ælfredi natus Aldredus vocor,
Bona mulieris filius eximius loquor.

„ Ad finem verò Saxonicorum repe- „ riuntur verba hæc, Saxonicis cha- „ racteribus exarata, *Eadfrith, Oethil- „ wald, Bilfrith, Aldred hoc Evange- „ lium Deo & Cuthberto construxerunt* „ *& ornaverunt*. Consona his, utpo- „ te ut credere planè oportet, inde „ desumpta, habentur apud Simeo- „ nem Dunelmensem (sive potiùs „ Turgotum, ut optimè probat D. „ Seldenus) in Historia Dunelmensis „ Ecclesiæ lib. II. cap. XI. cujus verba „ cum gratia curiosi Lectoris hîc ap- „ ponam‥· *Qua tempestate dum na-* „ *vis* (quam nimirùm Monachi Lin- „ disfarnenses conscenderant ad evi- „ tandos barbarorum hostium insul- „ tus) *verteretur in latera, cadens ex ea textus Evangelicus, auro & gemmis perornatus, in maris ferebatur profunda*.... & cap. XII. *Pergentes ad mare, multo quàm consueverat, longius recessisse conspiciunt, & tribus vel eo ampliùs milliariis gradientes, ipsum sanctum Evangeliorum codicem reperiunt, qui ita forinsecus gemmis & auro sui decorem, ita intrinsecus literis & foliis priorem præferebat pulchritudinem, ac si ab aqua minimè tactus fuisset.* Deinde sequitur: *Liber memoratus in hac Ecclesia, quæ corpus istius sancti Patris habere meruit, usque hodie servatur, in quo nullum omninò, ut diximus, per aquam læsionis signum monstratur. Quod planè & ipsius sancti Cuthberti & ipsorum quoque meritis, qui ipsius libri auctores extiterant, gestum creditur; Eadfridi videlicet venerandæ memoriæ Episcopi, qui hunc in honorem B. Cuthberti manu propria scripserat; successoris quoque ejusdem Venerabilis Ethelwaldi; qui auro gemmísque perornari jusserat; S. etiam Bilfridi Anachoritæ, qui vota jubentis manu artifici prosecutus, egregium opus composuerat. Erat enim aurificii arte præcipuus. Hii pariter amore dilecti Deo Confessoris & Pontificis fervent, suam erga ipsum devotionem posteris omnibus monstrandam hoc opere reliquerunt.* Ex quibus „ verbis, quod Vir doctissimus, D. Ri- „ chardus Jamesius, de hac Bibliothe- „ ca benè meritus, primò, & post il- „ lum D. Seldenus, observârunt, cla- „ rissimè liquet, vel illum ipsum li- „ brum, in Bibliotheca Cottoniana „ servatum, de quo miraculum istud, „ quod nempe recedente solito lon- „ gius æstu, nudato littore, repertus, „ ne minimum quidem detrimentum, „ aut læsionem ab aquis marinis, in „ quibus demergebatur, passus fuerit, „ in hac aliísque Ecclesiæ Dunelmen- „ sis historiis enarratur.

„ Præmittuntur suprà memoratæ „ narrationi ab Aldredo factæ, nimi- „ rùm in ultima pagina libri ad finem „ Evangelii S. Joannis, hæc verba, in- „ serta

(k) in præfat. ad Historiæ Anglicanæ Scriptores Londini editos A. 1652. pag. 25.
(l) in observat. in versionem Saxonicam Evangel. pag. 491, 492.

„ ferta quoque versione Saxonica di-
„ stinctis lineis :

Trinus & unus Deus Evangelium hoc ante secula constituit.
Mathæus ex ore Christi scripsit.
Marcus ex ore Petri scripsit.
Lucas de ore Pauli Apostoli scripsit.
Joannes in prochemio deinde eructavit verbum, Deo donante & Spiritu sancto scripsit.

„ In margine versus hi apponuntur
„ vetusta manu :

Litera me pandat, sermonis fida ministra,
Omnes alme meos fratres voce saluta.

„ quorum alter claudicat ob defectum
„ dictionis monosyllabæ *hos* post *meos*,
„ aut ejusmodi.

„ Sed de conditoribus hujus libri
„ satis; jam de ipso libro, & præfa-
„ tionibus, quibus interpretatio Al-
„ dredi Saxonica apponitur, pauca
„ dicam.

„ Picturæ Evangelistarum propriis
„ Evangeliis præfiguntur, cum sym-
„ bolicis imaginibus *hominis*, *leonis*,
„ *vituli* & *aquilæ*, quibus ab antiquis
„ Scriptoribus, allusione ad narratio-
„ nes unicuique peculiares facta, so-
„ lent repræsentari, in superiori par-
„ te imminentibus. Horum nomini-
„ bus ad testandam reverentiam, illo-
„ rum memoriæ debitam, præponi-
„ tur Ο ΑΓΙΟΣ : Sed figuræ istæ planè
„ rudes videbuntur, si cum hodiernis
„ conferantur, utpote nitore, ele-
„ gantia, & symmetria vacuæ; arte
„ pingendi non ita isthoc tempore ex-
„ culta, licèt in membranis polien-
„ dis, literarum ductibus efforman-
„ dis, & scripturæ pulchritudine vel
„ politissimis seculis haud impares An-
„ glo-Saxones censeri possint.

„ Præmittuntur

„ 1. Prologus decem tabularum
„ Canonum.

„ 2. Præfatio S. Hieronymi.

„ 3. Præfatio Eusebii, sive Epistola
„ illius ad Carpianum scripta, de usu
„ istorum Canonum, quos composuit
„ juxta harmoniam Ammonii Alexan-
„ drini.

„ 4. Decem tabulæ Canonum Evan-
„ geliorum accuratissimè & elegantis-
„ simè elaboratæ, quorum ope Evan-
„ gelistarum ὁμοφωνία ostenditur.

„ 5. Argumenta & capitula lectio-
„ num, i. e. singula Evangeliis, ad
„ quæ spectant, seorsim, suis ni-
„ mirùm in locis, præfixa: quorum
„ S. Mathæus habet LXXXV. S. Mar-
„ cus XLIII. S. Lucas XCIV. S. Joan-
„ nes XLII. In margine sacri textus
„ apponuntur numeri lectionum recta
„ & ordinata serie, cum ordinatione
„ lectionum concordantium in cæte-
„ ris Evangeliis, juxta normam tabu-
„ larum Canonum.

„ 6. Indices dierum festorum suis
„ Evangeliis præfixi, quando peculia-
„ ribus Officiis & Missis celebratis
„ quælibet Evangelii periocha, istis
„ solennitatibus congrua, legi debet.

„ Ad finem Evangelii S. Lucæ oc-
„ currunt hæc verba: *Explicit Evangelium secundùm Lucanum. Lucas*
„ enim compendii causa in familiari
„ conversatione contractum videtur
„ pro *Lucano*, quod de reliquis nomi-
„ nibus ejusdem formæ, quæ in N.T.
„ occurrunt, puta Dema, Sila, Epa-
„ phra, aliisque, uti olim observavi,
„ non improbabili conjectura dici
„ possit. Auctoritas sanè libri ante
„ mille annos descripti, hac ex parte
„ non omninò aspernanda: nec diver-
„ sus iste scribendi modus Librarii aut
„ festinationi, aut malè conceptæ opi-
„ nioni, sed cuidam traditioni, quæ
„ tum obtinuit, videtur adscriben-
„ dus. In aliis quoque codicibus
„ Evangeliorum magnæ vetustatis,
„ nomen illius Evangelistæ eodem
„ modo plenè & productè exaratum,
„ tum in Bibliotheca Augustiniano-
„ rum Neapoli, tum in Bobiensi se vi-
„ disse memorat D. Mabillonus in ac-
„ curatissima itineris Italici descriptio-
„ ne pag. 111. Sanè quotquot justum
„ veterrimis libris pretium statuere
„ nôrunt, inclytissimum Ecclesiæ An-
„ glo-Saxonicæ monimentum, ob
„ augustam speciem & celebritatem
„ ante tot secula notissimam, maximè
„ venerandam jure merito dixerint. „
Hactenus V. C. Thomas Smithus.

WITIKINDI, Monachi Corbeiæ Novæ, *Evangelia quatuor*, quorum initia variis & exquisitis literis excoloravit cum nonnullis versibus; extant in egregio deaurato, gemmisque exculto codice. Leznerus & Meibomius apud Mabill. Annal. tom. 3. pag. 617.

ÆLFRICUS Abbas Malmesburiensis, & Archiepiscopus Eboracensis ab anno 1023. ad annum 1051. quo apud Suthwellam obiit, & apud Monasterium Petroburgense sepultus est. Claruit magnâ doctrinæ famâ, unde *Elfricus doctus* seu *Elfricus sapiens* vulgò dictus est. Quod quidem cognomen jure illi datum fuit; quum ipse solus plus omnibus simul suæ ætatis Anglis in rem literariam contulerit, inquit

Hen-

Henricus Wharton Angliæ Sacræ Tomo I. pag. 134. ad finem Dissertationis de *Elfrico* Archiepiscopo Cantuariensi, quem malè confundi cum *Elfrico* Archiepiscopo Eboracensi ostendit. Noster Ælfricus, quem etiam Grammaticum vocant, *versionem Veteris Testamenti* adornavit, quæ tamen hactenus, præter *Psalmorum Librum*, quem Joannes Spelmannus anno 1640. in lucem asseruit, inter privatos parietes delituit. Hujus versionis partem *Pentateuchum*, *libros Josue*, & *Judicum*, ac *Librum Job* typis exscribi curavit Oxonii è Theatro Scheldoniano anno 1698. Eduardus Thwaites. E bono enim Ecclesiæ futurum arbitratus est, ut inter cæteras divinæ paginæ translationes, quæ omnium ferè gentium ac linguarum prodiere, ista Majorum suorum vernacula conspiceret lucem. Edidit verò sub nomine *Ælfrici* Archiepiscopi Cantuariensis, qui priùs fuerat ex Monacho Abendoniensi factus Abbas S. Albani, & ipse vir perquàm eruditus, cujus eruditionis famam astruit non solùm institutio sub doctissimo Præsule Ethelwoldo, verùm etiam Bridferti Monachi Ramesiensis coævi fides, qui in vita S. Opunstani ipsi *Elfrico* dicata illius nomen ob enormitatem divulgatæ peritiæ deprædicat. Vid. Wharton l. c. p. 127.

NOTKERI cognomento *Labeonis*, seu à labio lato ita dicti, San-Gallensis, anno 1022. defuncti *Psalterium Theotiscum*. Hunc enim, non *Notkerum Balbulum*, multóque minùs *Otfridum Wizanburgensem*, uti Lambecius Trithemium secutus asseruit, auctorem esse verum eruditè demonstravit Cl. Bernardus Franckius Bibliothecarius San-Gallensis in Dissertatione Historico-Critica Notkeri Psalterio præmissa in Tomo I. Thesauri Schilteriani. *Librum* etiam *Job*, ut Mabillonius ex antiquo carmine conjicit, idem *Notkerus Labeo* Teutonicè reddidit. Addunt alii Cantica Biblica, Symbolúmque Apostolorum atque Athanasianum, de quibus, inquit Mezlerus de Viris Illust. San-Gall. lib. 1. c. 44. Psalterium tantùm paraphrasticè ab eo interpretatum vidimus, ex archetypo transcriptum, quandoquidem archetypon ipsum Gisela Imperatrix ad S. Gallum cùm venisset, ab Abbate exoraverat, & asportârat: unde si quædam eorum, ut Cl. Franckius testatur, in Bibliotheca San-Gallensi adhuc asservantur, autographa non sunt.

MARIANUS SCOTUS, Monachus Fuldensis, anno Christi 1079. Epistolas sancti Pauli primùm descripsit, tum notis marginalibus, nondum editis, illustravit. Lambec. Coment. de Bibl. Vindobon. lib. 2. p. 749.

EADWINUS, Monachus Anglus, seculo, prout *le Long* Bibl. Sac. cap. 1. pag. 7. conjicit, undecimo, Psalterium ingenti volumine pulcherrimè descripsit, & picturis elegantissimè ornavit. In eo præter versiones plures Latinas, & unam Anglo-Saxonicam, habetur versio Gallica, eâ scilicet linguâ, quæ Normannis illo tempore vulgaris erat. Asservatur Cantabrigiæ in Bibl. Collegii SS. Trinitatis cod. 35. n. 253. catalogi editi.

ADAMUS DE ESTON, Anglus, Herefordiensis, Monachus Norwicensis, Theologiæ Doctor Oxoniensis, Episcopus Londinensis, S. R. E. Cardinalis sub Urbano VI. & Bonifacio IX. præter alias linguas, Hebraicam, Græcam, & Latinam callebat. Monachus adhuc suâ manu Biblia Hebræa & glossam Salomonis Jarchi Hebræam descripsit: præcipua verò illius laus est, quòd Vetus Testamentum (primus fortassis post Hieronymi tempora) de Hebræa in Latinam convertit linguam, ut in ejus vita expolumus. Hanc translationem penes se aliquando fuisse, sed posteà furto subreptam testatur Robertus Wakfeldus (anno 1538. defunctus) in Tractatu de Hebræorum codicum incorruptione.

ISIDORI CLARII, Brixiani, nati in oppido Chiari, unde nomen accepit, trium linguarum periti, Monachi primùm è Congreg. Casinensi, ac posteà Episcopi Fulginatis, anno 1555. defuncti *Biblia Sacra*, non bis tantum, ut Graveson scribit, sed tertio excusa, scilicet typis Petri Scheffer Venetiis 1542. in folio; deinde ex secunda recognitione *Isidori* cum ejusdem præfatione & scholiis in folio Venetiis apud Juntas 1557. ac denique Deputatorum Concilii Tridentini servata censura (*omissa scilicet præfatione & Prolegomenis*) tertia editio in folio Venetiis apud Juntas 1564. De his Bibliis Regula IV. Indicis Librorum prohibitorum sic habet: *Ex Bibliis verò Isidori Clarii Brixiani Prologus, & Prolegomena præcidantur. Ejus verò Textum nemo Textum vulgatæ editionis esse existimet.* Hinc, inquit citatus Graveson, actior est censura Melchioris Cani lib. 2. de Locis Theologicis cap. 13. asserentis, *Isidorum Cla-*

rium multa in sua Scripturæ versione inseruisse, adjecisse quædam, nonnulla mutâsse, ut *Lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris Interpretis errorem, aut veterum codicum depravationem.* Benignius tamen de *Isidoro Clario* judicium profert Illustrissimus Huetius in Libro de Claris Interpretibus, ubi num. 16. hæc scribit: *Isidorus Clarius non tam novæ author editionis quàm veteris, uti in operis sui fronte prænuntiat ipse, emendator & corrector dicendus; cujus tituli modestiam, & veritatem adeòque laudabilem, immeritò castigat Melchior Canus.* Vindicias etiam pro *Isidoro Clario* habet Marianus Armellinus in Bibliotheca Scriptorum è Congr. Casin. part. 2. pag. 52. ubi non omittit, quæ de Isidori Bibliis habet doctissimus Abbas Augustinus Calmet in Dictionario Historico - Critico sacræ Scripturæ pag. 20. & 28. A Petro autem Soave Polano, id est, Fr. Paulo Servita referri, inquit, in Hist. Concil. Trid. l. 2. pag. 161. editionis anni 1629. (m) *Isidori Calrii* historicam narrationem plurimùm eruditam, ut probaret editionem vulgatam Bibliorum approbandam, & omnibus anteponendam, solámque retinendam, priùs tamen ad textus originalis Græci, atque Hebraici correctam, & emendatam, omnibus aliis translationibus penitus interdictis, eliminatis, ac prorsus extinctis, quo sanè omnia absurda & incommoda tollerentur ex novis interpretationibus prodeuntia. In Ecclesiâ, narrabat Isidorus, primitivâ permultas fuisse Græcas veteris testamenti translationes, quas distinctas in sex columnas, Origenes collegerit in unum volumen: harum præcipuam vocari *Septuaginta*, ex quâ variæ in linguam Latinam versiones petitæ, quemadmodùm è Græcis novi Testamenti libris variæ etiam desumptæ; inter quas ea, quæ vocatur *Itala*, sit maximè recepta, in Ecclesia legi solita, & à D. Augustino præ cæteris omnibus approbata: sic tamen, ut procul dubio contextus Græci sint præferendi. Hieronymum verò linguarum, uti omnibus compertum est, callentissimum, cùm observaret veteris Testamenti versionem à veritate Hebraica deflectere, partim interpretis Græci, partim Latini vitio, unam in lingua Hebraica immediatè petitam edidisse, & alteram novi Testamenti versionem ad veritatem Græci contextûs emendâsse, eam translationem, propter nominis celebritatem, quâ tum temporis erat Hieronymus, à permultis acceptam fuisse, ab aliis verò errorum antiquitatis tenacioribus, & à novitate magis alienis, aut (ut ille dolens questus est) gloriæ suæ æmulis, rejectam ac repudiatam. Verùm victa post aliquot annos invidia, illam Hieronymi versionem à Latinis omnibus acceptam, sic ut utraque in usu esset *vetus* & *nova* vulgò nuncupatæ. Testari id D. Gregorium, scribentem ad Leandrum in Jobi Historiam, Sedem Apostolicam utramque recepisse: se verò in illius libri expositione novam, quòd ad Hebraicum contextum proximè accederet, sibi sequendum delegisse: in citationibus autem locorum interdum hanc, interdum illam versionem adferre, prout ad propositum suum alterutra maximè faciat. Secutis temporibus è duabus his unam factam, partim novam, partim veterem, pro occasionum varietate, cui nomen inditum *Editionis vulgatæ.* Psalmos omnes dicebat esse veteris versionis, quòd cùm in templis quotidie decantarentur, mutari non possent. Prophetas omnes minores novæ: majores, ex utraque permistos esse certissimum indicium, divina hæc omnia voluntate ac destinatione accidere, sine quâ nihil succedat. Neque tamen ideò dicendum, humanâ majorem hîc intervenire. Divum enim Hieronymum palàm profiteri, nullum interpretem Spiritu S. afflante locutum. Cùm autem editio, quam præ manibus habemus, magna parte illius sit, nimium esse, Divini Spiritus adminiculum ei tribuere, qui affirmet, & cognoscat eundem sibi deesse. Ideò nullam translationem cum sacro contextu lingua originali æquiparandam. Quamobrem in hac se esse opinione, editionem vulgatam aliis omnibus anteponendam approbandámque, modò ad textum originarium corrigatur: ea verò emendata, ut & aliæ omnes extinguantur, & ne quis aliam in posterum edat, severo edicto prohibendum. Sic omnia incommoda ex novis interpretationibus profecta, quæ acri judicio viri in congregationibus observârunt, & reprehenderunt, brevi tempore desitura.

Gregorii Cortesii, Itali, Mutinensis, è Congregatione Casin. Abbatis

(m) Latin. verf. p. 258.

batis plurium successivè Monasteriorum, ac posteà S. R. E. Cardinalis *Novum Testamentum vulgatæ editionis correctum & restitutum.* Excusum Venetiis apud Juntas, teste Petro Ricordato in Historia Monastica, qui tamen formam & annum editionis non expressit. Cortesius ad Superos (erat enim vir integerrimæ vitæ) migravit anno 1548.

Gilberti Genebrardi, Galli, Ricomagensis, Monachi Mausacensis, in Universitate Parisiensi Regii Professoris Sacræ Linguæ, ac demum Archiepiscopi Aquensis *Vetus Testamentum vulgata editione* cum Commentariis ad recentiorum omnium hæreticorum Biblia, & Annotationes abolendas.

— EJUSDEM *Novum Testamentum vulgata editione* cum Commentariis, eàdem, quâ vetus, methodo & ratione. Vid. Possevinus in Apparatû Sacro Tom. 2.

— EJUSDEM *Targum*, id est, Paraphrasis Chaldaica in Joëlem Latinè reddita; ex cujus etiam recensione habemus Psalterium in 24.to Parisiis, typis Dionysii du Val 1578. Item Psalterium Latinum cum calendario multiplici & notis in 8.vo Parisiis, typis Petri l'Huillier 1581. Vid. le Long l. c. pag. 587. & 275.

— EJUSDEM *Psalterium Davidis*, Græcè & Latinè ad fidem Vulgatæ, & multorum exemplarium restitutum. Parisiis typis Olivarii de Varennes 1605. in 16.

LEANDER A S. MARTINO, Præses Generalis Congregationis Anglicanæ, & in Academia Duacena Hebrææ Linguæ Professor, inter Theologos ejusdem Academiæ præcipuus fuit, quorum operâ & studio prodierunt Biblia *juxta editiones ante correctionem Clementinam vulgatas*, cum glossa ordinaria primùm à Strabo Fuldensi collecta, nunc novis explicationibus locupletata cum postillis Nicolai de Lira, nec non additionibus Pauli Burgensis & Mathiæ Thoringi replicis. In fine cujusque tomi adjiciuntur Correctionis Romanæ loca insigniora à Francisco Luca Brugensi collecta, cum ejusdem *Leandri* conjecturis. Vol. VI. in fol. Duaci, typis Balthazaris Belleri an. 1617.

— *Biblia* cum glossa ordinaria à Strabo Fuldensi collecta, novis Patrum Græcorum & Latinorum explicationibus locupletata, & postilla Nicolai Lyrani cum Additionibus Pauli Burgensis ac Mathiæ Thoringi replicis, Theologorum Duacensium studio emendatis, tomis VI. comprehensa. Omnia denuo recensuit *Leander à S. Martino*, adjecitque plures antiquos ac novos tractatus, analyses, parallela, tabulas chronologicas, & prosographicas cum indicibus copiosissimis, ut meritò hæc editio dici possit Theologorum & Concionatorum Thesaurus, VI. vol. Antverp. Joan. Meursii 1634. *Editio*, inquit doctiss. le Long l. c. pag. 171. *cum glossa ordinaria, & omnium optima.* Leandri in opere socius fuit Leander de S. Joanne ex eadem Congregatione Collegii Gregoriani alumnus.

JOANNES MARTIANAY, è Vasconibus, in oppido S. Severi natus, Congreg. S. Mauri Monachus, Græcè, Hebraicè, ac Latinè apprimè doctus, operâ & studio *Antonii Pouget* ex eadem Congregatione adjutus *Bibliothecam Divinam* S. Hieronymi, seu *Biblia Latina vulgata* ex vetustissimis codicibus vulgavit Parisiis in fol. typis Joan. Anisson an. 1693.

„ Edita est ex sex mss. exemplaribus, quorum IV. totum dividunt vetus Testamentum per tres ordines. „ *Incipit primus ordo Legis: incipit secundus ordo Prophetarum: incipit tertius ordo Agiographorum.* Codices illi sunt, unus insignis Ecclesiæ Narbonensis, alter Ecclesiæ Carcassonensis, tertius Monasterii S. Germani à Pratis, quartus Bibliothecæ Illustrissimi Domini de Mesmes in Curia Parisiensi Præsidis (non habet ille codex scholia marginalia)…. Tria exemplaria jam dicta Memmianum, Carcassonense, & San-Germanense scripta sunt eodem tempore, & si expertis credimus, ante octingentos annos…. Aliud exemplar Canonis Hebraicæ veritatis suppeditavit nobis Bibliotheca Regia, illúdq; antiquissimum, & optimæ notæ 2. vol. in fol. codd. 3563.-64… Psalterium ex Hebræo Latinè versum à S. Doctore restitutum est ad fidem decem præstantissimorum & antiquiss. mss. exemplarium: nam præterCanonis exemplaria recensita aliis sex uti licuit, uno Vaticano, altero Augustinianorum, tertio Monasterii S. Petri Carnutensis. „ Hæc Jo. Martianay in laudem Mss. Codd. quibus usus est, ad calcem prolegomenorum.

Sorbonæ verò editionem divinæ S. Hieronymi Bibliothecæ approbantis ea vox fuit. „ Prodiit recens divina S. Hieronymi Bibliotheca, quæ

„ ignota hactenus velut è tenebris eruta fuit à R. P. Martianay, viro eximiæ eruditionis, qui eodem erga Scripturas sacras & Hebraicam veritatem studio affectus, quo olim flagravit Hieronymus, hoc pretiosissimo & excellentissimo munere Ecclesiam ditavit singulari diligentia, ac labore propemodùm immenso, & talium studiorum inexpertis prorsus incredibili &c.

Idem doctissimus P. *Martianay* aliam Bibliorum vulgatæ versionis editionem aggressus est. Puncta summo studio notantur, adjectæ sunt plurimæ variæ lectiones ex Codicibus Hebraicis, Græcis, & Latinis excerptæ; loca parallela auctiora, seu Concordantiæ novæ de veteribus recognitæ. Præmittuntur quinque prolegomena &c. *Hæc fusiùs explicat Auctor pag.* 293. *libri Gallici, quem inscripsit*: HARMONIA ANALYTICA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, Parisiis 1708. Hæc tamen editio morte auctoris obveniente non est in lucem data. Vid. le Long l. c. p. 273. col. 2.

— EJUSDEM Novum Testamentum D. N. J. Christi in linguam Francicam traductum ad fidem editionis vulgatæ, in 12. vol. 2. Parisiis 1712.

— EJUSDEM vulgata antiqua Latina, & Itala versio Evangelii secundùm Mathæum è vetustis eruta monumentis, illustrata prolegomenis ac notis, nùncque primùm edita. Accessit Epistola Canonica S. Jacobi Apostoli, juxtà vulgatam veterem, seu Italam versionem &c. 12. Parisiis 1695.

Præthereà habemus à Joanne Martianay, inquit *le Cerf in sua Bibliotheca Historico-Critica pag.* 320. tria Psalteria S. Hieronymi in Francicum translata sermonem cum expositionibus Literalibus, Harmonicis, & Moralibus, sumptis ex aliis ejusdem sancti Doctoris Operibus. Hujus verò operis, de quo etiam Do Pin & le Long in suis Bibliothecis meminerunt, specimen, seu ut ipse loquitur, Ideam habes in Tom. V. Oper. S. Hieron. col. 1198.

GUIDO ALEXIUS LOBINEAU, Gallus, Redonensis, è Congr. S. Mauri, multarum linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebrææ præsertim peritissimus, Biblia Sacra, & Vetus quidem Testamentum ex Hebræo, Novum verò ex Græco sex voluminibus in quarto in lucem publicam dedit, teste le Long in Bibl. Sac. ultimæ editionis anno 1723. Mirari itaque subit, quòd Philippus le Cerf, qui triennio pòst suam Bibliothecam Historico-Criticam de Scriptoribus Congregationis S. Mauri publicavit, hujus rei nullam fecerit mentionem.

— EJUSDEM Liber Psalmorum ad Hebraicos fontes emendatus unà cum Canticis Prophetarum, orationibus aliquot Ecclesiasticis certo ordine digestis. MS. tum in 4. penes Authorem.

RENATUS AMBROSIUS JANVIER, Gallus, ortus in Diœcesis Cenomanensis vico, Sanctæ Osannæ noncupato, Monachus è Congr. S. Mauri, trium linguarum intelligens, Psalmos cum commentario R. Davidis Kimchi ex Hebræo Latinè redditos Parisiis in 4. anno 1666. typis Lud. Billaine edidit. Quia verò Kimchius Operi suo non pauca contra Religionem Christianam, ex more Rabbinorum, intexuit. P. Janvier omittenda illa duxit, ceu parùm ad Psalmorum intelligentiam facientia. Obiit 1682. Le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 182.

CLAUDII LANCELOTI, Galli Parisiensis, Monasterii San-Cyrani Subdiaconi *Biblia sacra vulgatæ editionis* in folio Parisiis an. 1662. apud Vitre.

— EJUSDEM Biblia Gallica 3. vol. in fol. Leodii an. 1701. 1702. Parisiis 1711.

AUGUSTINUS CALMET, Lotharingus, Comerciensis, Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Præses, Abbas Senoniensis, Gallicam sacri codicis versionem à *Ludovico Isaaco le Maitre de Saci* adornatam quibusdam in locis recognovit, accum textu Latino vulgatæ editionis vulgavit Parisiis typis Petri Emery an. 1707. De Commentario, quibus hæc Biblia illustravit, paulò pòst dicturi sumus.

BERNARDUS DE MONTFAUCON, Gallus, Alectensis è castro Rupis scissæ, Francis *Roque taillade*, Monachus è Congr. S. Mauri, trium linguarum callentissimus, Fragmenta veterum Interpretum Græcorum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis decuplo auctiora, quàm à Petro Morino, Joanne Drusio, & aliis edita fuerint, cum notis prælo subjecit. 2. vol. in fol. Parisiis an. 1712.

— *Hexapla Origenis* ex MSs. & libris editis eruta & notis illustrata à D. *Bernhardo de Montfaucon* Parisiis apud Lud. Guerin &c. 1713. fol. maj. Tom. II. Quamvis enim *Flamminius Nobilius* in Bibliis Græcis Romæ excusis an. 1587. huic labori manum jam admoverit, multas Aquilæ, Symmachi

machi, & Theodotionis, aliorúmque Interpretum lectiones notis suis inserens, ejúsque deinde vestigiis *Jo. Drusius in veterum Interpretum Græcorum in V. T. Fragmentis collectis*, & Arnhemiæ 1622. in 4. editis, ita institerit, ut illius collectionem egregiis accessionibus locupletârit; Montfauconii tamen tanta fuit industria, ut ex Codd. Mss. in Gallia æquè ac Italia, & potissimùm Romæ evolutis, hunc apparatum multis modis amplificaret, Drusianáque collectio, cum ista comparata, ne decimam quidem, imò ne decimam quintam ejus partem, quod in præfatione ipse profitetur, attingeret. *Hexapla* verò hoc nomen ferebant à sexduplici Scripturæ textu uno conspectu per sex columnas posito. Vide plura in Act. Erud. Lips. m. Jan. an. 1714. pag. 1. seq.

PAULUS RABUSSON, Gallus, Congregationis Cluniacensis strictioris Observantiæ Præpositus Generalis (obiit 1717.) Evangelium secundùm Mathæum in linguam Gallicam transtulit. *Le Long l. c. col. 917. ex Memoriis Trevoltianis mens. Febr. an. 1718. art. 21.*

THOMÆ ERHARD, Germani Wessofontani Theologi è Congr. Bavarica *Biblia Sacra Latino - Germanica Notis Theologicis, & Chronologicis illustrata.* Quàm acceptum fuerit hoc Opus Germaniæ Catholicæ, testantur quinæ paucos intra annos editiones, quarum prima prodiit Augustæ Vindel. an. 1723. altera ibid. 1726. tertia ibid. 1730. quarta ibid. 1735. Quinta ibid. 1737. Pleræque typis Antonii Heiss, sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger. Possem sextam adjicere, quam tamen, quia Græcii in Styria an. 1737. in fol. med. inscio & invito Auctore facta est, silentio prætereo. Nec mirum tot editiones iterari „ nam opus istud (*utor verbis Illust. Franc. Josephi de Handl SS. Theologiæ Licentiati Rev.mi & S.mi Principis & Episcopi Augustani Consiliarii Eccl. Major. Pœnit. & Librorum Censoris*) Capitum Summas, seu Summaria, ut vocant, singulari industria ritè dividit, Latinum textum „ vulgatæ editionis fideli & probata „ versione Germanicè reddit, ac eundem brevibus, ac claris Notis per singula capita elucidat, adeóque panem divini verbi bene fractum & elucidatum Germaniæ volenti comedere, hoc est, legere, & intelligere, ac in Domino enutriri, fideliter apponit, ac insuper Lectoribus „ splendidam lucem præfert & facem, „ primò intelligendi sensum literalem, „ tum etiam assurgendi ad spiritualem. „ Temporum etiam exhibet rationem, „ quæ sicut Chronologis doctissimis „ proba, ita & memoriæ commodissima videtur.„

Huc etiam spectant *Concordantiæ S. Scripturæ utriusque Testamenti*, novâ methodo, ordine commodius, sensu pleniùs, usu expeditiùs adornatæ, operâ & studio Religiosorum Patrum Monasterii Wessofontani. *Augustæ Vindelicor.* an. 1751. Tom. II. in fol.

PETRI SABBATIER, Galli, Pictaviensis, è Congr. S. Mauri *Bibliorum sacrorum Latinæ versiones antiquæ, seu versio Italica & cæteræ omnes, quotquot in Codicibus Manuscriptis, & in antiquorum libris reperiri potuerunt, quæ omnia cum Vulgata Latina, & cum textu Græco comparantur. Accedunt observationes ac notæ, indiceśque locupletissimi.* Tom. II. in fol. Remis an. 1738. & 1739.

Latinam versionis Græcæ 70. Interpretum tralationem ex SS. Patrum Operibus summa cura collectam adornant eruditi Patres Benedictini è Congregatione S. Mauri. Ita testatur doctissimus Jacobus le Long in Bibliotheca Sacra tertiæ editionis an. 1723. cap. IV. de Bibl. Lat. pag. 231. col. 1. Cùm verò ab eo tempore, quo hæc scripsit, quatuor integra lustra fuerint interjecta, nullus dubito, quin viri Religiosissimi juxtà ac doctissimi labori suo supremam imposuerint manum. An actu verò & quo anno Latina hæc versio prælo subjici cœperit, ignorare me fateor.

ISIDORI CLARII *Novum Testamentum*, Latinè, vulgatæ editionis [Evangelia & Acta Apostolorum] ad vetustissimam exemplarium fidem emendata, adjectis scholiis, Venetiis apud Petrum Scheffer an. 1541. in 8.

—— *Canticum Canticorum Salomonis*, Latinè; ad Hebraicam veritatem emendatum, adjectis scholiis ex arcanis Hebræorum erutis. Venetiis Gabriel Gilotius de Ferrariis an. 1544. in 8.

Les Pseaumes tradults sur l' Hebreu avec des notes par un Religieux Benedictin de la Congregation de S. Maur. Nouvelle Edition revuë, corrigée, & augmentée des cantiques d' un pseautier distribué &c. à Paris. 1740. in 8.

GER-

GERMANUS CARTIER, SS.Theol. Professor in celebri Brisgoiæ Monasterio *Ettenheimmünster*, novam Bibliorum sacrorum vulgatæ editionis versionem theotiscam adorsus, eam, aliis Theologis ejusdem Monasterii opem ferentibus, ad fastigium perduxit, ita ut inpræsentiarum, dum hæc scribimus, *Constantiæ* ad Rhenum typis excusa prodierit hoc rubro: *Biblia Sacra vulgatæ editionis jussu Sixti V. Pont. Max. recognita, Commentariis illustrata, & in IV. Tomos distincta cum fig. in fol.* 1751...

§. II.

Interpretes totius Sacræ Scripturæ, aliique Compendiarii, qui divinas Scripturas in synopsin & compendium redegerunt.

NUllus adhuc inter Veteres occurrit author, inquit R.mus Abbas (n) Augustinus Calmet, cujus Commentaria totum Vetus ac Novum Testamentum complectantur. Rabanus Maurus, & Ven. Beda plerosque Bibliorum libros explanârunt quidem, nonnullos tamen prætererunt. At enim si Honorii Augustodunensis authoritatem non respuimus in libro de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Rabanus *totum vetus & novum Testamentum exposuit.* Honorium secuti sunt Trithemius, Sixtus Senensis, Bellarminus, aliique Recentiores. Et Trithemius (o) quidem de Rabano Mauro tradit, ipsum præter Opuscula tam carmine quàm solutâ oratione conscripta, Scripturam sacram à principio usque ad finem feliciter explanâsse. En verba Trithemii: (p) *Rabanus Maurus Moguntinus, sextus post Bonifacium Archiepiscopus nostri Ordinis, vir in Scripturis divinis studiosissimus & valdè peritus in omnes Scripturæ divinæ libros commentarios edidit, in quibus magnitudinem ingenii sui profundam ostendit.* Trithemio subscribit Bellarminus his verbis: (q) *Edidit Rabanus commentaria in universam sacram Scripturam utriusque Testamenti.* Nec omittenda Sixti Senensis verba: „ Is „ ergò (*Rabanus*) cùm adhuc esset in „ monasterio suo, hortatu Freculfi „ Episcopi Lexoviensis & Ludovici, „ ac Lotharii Augustorum compo„ suit *in omnes divinas Scripturas* juxta „ literæ sensum & spiritualem intelli„ gentiam comentariorum libros 172. „ quos ex omnibus Latinis Patribus „ continuata serie à Hieronymo usque „ ad Bedam collegit, servatis ubique „ ipsorum dictis ac sensibus: & in his „ locis, in quibus Patrum expositio„ nem non invenit, propriis explana„ tionibus usus est, notatis in fronte „ paginarum tam suo, quàm aliorum „ interpretum nominibus, quorum „ sententiæ in codicibus coaptaverat, „ ut sciret Lector, & quid à Patribus, „ & quid ab eo haberet, & quo judi„ cio singula forent legenda.

Equidem Rabani in aliquot utriusque Testamenti libros Commentarii desiderantur, sed propterea eos ab ipso non fuisse elucubratos asserendum non est. Vero enim simillimum videtur, quòd hinc inde in variis delitescant bibliothecis, nisi omninò exciderint. Sic Petrus Franciscus Chiffletius *Expositionem in Josue* nescio ex qua eruit bibliotheca. Eadem ipsa in Librum Josue commentaria ex MS. Cisterciensi eruta Edmundus Marthene & Ursinus Durand amplissimæ suæ Collectioni Vet. Scriptor. Tom. IX. inseruerunt. Ego ipse duo illius Comentaria in Danielem & Joannem ex Bibliothecæ Augiensis msc. codice descripsi, quæ cùm aliis ipsius Operibus suo tempore juris publici facturus sum. Extat in eadem Augiensi Bibliotheca Msc.tus Commentarius in Job sub nomine Rabani, sed cùm sub Hieronymi, licèt perperàm, jam vulgatus fuerit, ab eo transcribendo calamum abstinui. In Bibliotheca Oxoniensi habetur Rabani Commentarius in Acta Apostolorum, cujus fragmentum recitat P. Quesnel in sua disciplina Ecclesiastica Tom. I. pag. 89. Habemus igitur Rabani Mauri Commentaria in Pentateuchum (de quo plura §. seq.) In Genesin, in Josue, in Judices, in Ruth, in quatuor Regum, duos Paralipomenon, Judith, Esther, in Proverbia Salomonis, Canticum, Librum Sapientiæ & Ecclesiasticum, in Jeremiæ Prophetiam & Lamentationes, in Ezechielem & Danielem, in duos libros Machabæorum, in Mathæum & Joannem, in Acta Apostolorum, in 14. Epistolas Pauli, denique Allegorias in universam Scripturam, quas offert Operum ipsius Tomus V. pag. 749.

Magnus Aurelius CASSIODORUS scripsit Compendium totius divinæ Scri-

(n) Diction. Sac. Script. pag. 26.
(o) apud Graveson Hist. Eccl. Sec. IX. Colloq. V. p. mihi 26.
(p) Epist. XV.
(q) de Script. Eccl. p. mihi 200.

Scripturæ, quod *Memoriale Scripturarum* prænotavit, Sixt. Sen. Bibl. Sanctæ lib. IV.

S. GREGORIUS M. eruditione insignis fuit, & in explanatione divinorum voluminum tam visibili quàm invisibili S. Spiritûs illustratione edoctus *omnes ferè Scripturas* partim per Homilias, partim per Commentaria explicavit, quorum majorem partem nondum in plura exemplaria multiplicatam, statim post mortem ejus æmuli flagitiosissimi exusserunt, veriti ne sanctitatis & doctrinæ gloria Scriptorum monumentis ad posteros perveniat. Oldoin. in addit. ad Ciaccon. tom. 1. col. 412.

WALAFRIDUS STRABO, seu *Strabus*, non Fuldensis, ut post Trithemium multi falsò scribunt, sed Augiæ Divitis in Diœcesi Constantiensi Monachus Professus & tandem Abbas, Fuldæ sacris literis institutus fuit, ita ut quanta demum cunque earum peritiâ præstiterit, eam omnem Fuldensi Scholæ in acceptis referre debeat. Hic *Glossam*, uti vocant, *Ordinariam* improbo labore ex difusissimis aliorum, ac præcipuè Rabani Mauri Magistri sui, collegit, & ita coagmentavit, ut veluti catena Veterum Patrum habenda sit. Plures verò sunt *Glossæ Ordinariæ* editiones: P. le Long earum 14. recenset. *Prima* Norimbergæ 1493. *Altera* Venetiis 1495. *Tertia* Norimb. 1496. *Quarta* 3. vol. in fol. absque anno & loco. *Quinta* 6. vol. in fol. Basileæ ex officina Frobeniana 1498. *Sexta* ibid. 1502. 7. vol. in fol. *Septima* ex Arta Valle 1506 - 1508. 8. vol. in fol. *Octava* Parisiis 1524. 6. vol. in fol. *Nona* Lugduni 1528. *Decima* ibidem 1545. 4. vol. in fol. *Undecima* Venetiis 1588. *Duodecima* studio Francisci Feuardentii, Joannis Dadræi, & Joannis de Cuilly 6. vol. in fol. Lugduni 1589. *Decima tertia* operâ Doctorum Duacenorum, inprimis nostri Leandri à S. Martino 6. vol. in fol. Duaci 1617. *Decima quarta* Antverpiæ 1634. opera & studio ejusdem Leandri. Cui ultimæ editioni accesserunt in Tomo VI. celebre opus *Lyræ* in Judæos, ejus expositio in Decalogum, & Pauli Burgensis *Scrutinium Sacerdotale*. Adhæc Analyses, Parallela, Tabulæ Geographicæ, & Prosographicæ, ut editionem hanc perinde charam habeant Theologi & Concionatores ac thesaurum. Fusiùs agit de illa, totámque latè sub oculis expandit Fabricius in Historia Bibliothecæ suæ. Omnium igitur optima editio est Antverpiensis an. 1634. Illud autem, inquit doctissimus Calmet de Glossa Strabi ingenuè fatendum, clavem esse ad reserandum sensum literalem, historicum & moralem Scripturarum optimam. Est autem Opus veluti è sententiis Patrum contextum. Calmet in Supplem. ad B. S. part. 1. p. 299.

Ante *Rabanum*, ejúsque discipulum *Strabonem* vixit Ven. Beda, quem Sixtus Senensis in Bibl. Sanct. eorum Scriptorum catalogo accenser, qui in utrumque Testamentum scripserunt. Is, inquit, anno ætatis suæ trigesimo presbyter à Joanne Episcopo ordinatus, hortatu Accæ Episcopi Eboracensis (r), ac multorum fratrum aggressus est scribere in universam sacrosanctam Scripturam diversa explanationum volumina, in quatuor ordines distincta, videlicet in *Rapsodias*, *Quæstiones*, *Homilias*, & *Commentarios*. In *Rapsodiis*, sive *Stromatibus* vel *Collectaneis*, mysticas magis quàm historicas expositiones congregavit ex probatissimis Ecclesiæ Doctorum sententiis &c. In *Commentariis* verò, *Quæstionibus*, & *Homiliis*, in quibus frequentiùs & sermone, & sensu suo utitur, stylum habet nec omninò inelegantem, nec affectatæ eloquentiæ curiosum, sed temperatum & medium. Fateamur tamen oportet, inquit laudatus Calmet, nonnullos libros Bedæ ac Rabano adscriptos ipsis Authoribus in dubium revocari, optandúmque esset, ut vir aliquis eruditus novam eorum Operum editionem aggressus, vera à spuriis seligeret. Illud etiam sedulò animadvertendum est, Bedæ ac Rabani Commentaria ex sententiis Veterum Patrum magna ex parte intexta constare. Beda etiam, si Thomæ Fullero, Theologo Anglo, fidem habemus, *Psalmos*, & *Novum Testamentum* in Anglicum idioma transtulit.

S. HAIMO vel *Heymo* ex Monacho Fuldensi Professor ac Scholasticus primùm Hirsfeldensis, dein tertius Episcopus Halberstadiensis composuit teste Sixto Senensi Bibl. San. lib. 4. p. 258. „ in omnes libros utriusque Testamenti commentarios, pietate, brevitate, dictionis simplicitate ac perspicuitate laudandos, in quibus, „ quæ à veteribus interpretibus vel erant-

(r) corrige *Hagustaldensis*.

„ erant scripta doctis, vel apud populum dicta fusiùs, in compendium redegit, adeò perspicua & lucida brevitate, ut & ab occupatis parvo temporis dispendio legi, & à simplicibus levitérque literatis facillimè intelligi possint. Versatus est autem fermè semper in allegoricis & anagogicis sensibus, quos, velut spiritualis apicula ex omnium antiquorum hortis, ac pratis florentissimis decerpsit, quò legentibus esset parata saluberrimi mellis copia.„ Etsi Igitur Haimo omnes, ex Sixti Senensis sententia, Sacræ Scripturæ libros, vel fermè omnes, ut Bellarminus vult, exposuerit, ejus tamen Commentarii tantùm in libros sequentes typis excusi sunt 1.) *in Psalmos* in 8. Parisiis 1531. in fol. Parisiis & Friburgi Brisgoiæ 1533. in 8. Coloniæ 1561. 2.) *In Esaiam* in 8. Parisiis & Coloniæ 1531. 3.) *In Danielem* in 8. Coloniæ 1531. 4.) *In Prophetas Minores* (excepto Hosea) *& in Cantica Canticorum* in fol. Coloniæ 1519. in 8. Ibid. 1529. 5.) *In Prophetas Majores & Minores & Canticum Canticorum* in fol. Coloniæ 1533. 6.) *Homiliæ in quatuor Evangelia.* 7.) *Commentarius in Acta Apostolorum*, & in *Epistolas Canonicas*, in fol. Coloniæ 1573. 8.) *Enarrationes in omnes Epistolas Pauli*, in 8. Haganoæ 1529. Coloniæ 1531. 1534. in fol. Parisiis 1533. 1538. in 8. Ibid. 1550. 1556. Eædem (editæ sunt sub nomine Remigii Remensis) in fol. Romæ 1598. Moguntiæ 1614. (Nec esse Haymonis, nec Remigii Remensis, sed Remigii Autissiodorensis contendit Guill. Cave ad an. 880. Hist. Liter. de Script. Eccl. 9.) Commentarius in Apocalypsim in 8. Coloniæ 1529. 1531. 1534. Parisiis 1540. Vid. le Long Bibl. Sac. pag. 766. col. 2. Denique de Haymone Trithemius in Annalibus Hirsaug. pag. 15. hæc habet: *Etiam totam Bibliam suis commentariis explanavit, quemadmodùm in libro nostro de Scriptoribus Ecclesiasticis dudum ostendimus.* Unde Joannes à Winnigstedt in Chronico MS. de Haymone: *Explicat ingenio Biblia tota suo.*

Hartmundus, rectiùs *Hartmuthus* vel *Hartmudus*, Rodulphi Burgundiæ Regis consanguineus, Benedictinus, Abbas S. Galli linguarum Orientalium peritissimus claruit 882. Ejus sunt Commentarii in S. Scripturam juxta Hebraicam veritatem. Ita le Long in Biblia Sac. allegans Possevinum, qui Trithemium de Script. Germ. exscribens, Hartmundum Rabani Mauri auditorem, atque Græcæ, Latinæ, Hebraicæ & Arabicæ linguæ peritum fuisse testatur: in quos verò potissimùm sacri Codicis libros commentatus fuerit, non æquè commemorat, dixisse contentus: *Feruntur autem in quosdam divinæ Scripturæ libros Commentarii ipsius.* Consului Jodocum Mezlerum, qui quòd *Hartmuthus* in omnes Sacræ Scripturæ libros commentatus fuerit, minimè dicit, sed eum duntaxat varios in Scripturas sanctas Tractatus præter alia composuisse asserit Libro I. de Vir. Illustr. S. Galli cap. 22. pag. 20. Eysengrenio teste in Catalogo Testium veritatis pag. 70. *Hartmundus cùm constanter sacræ Philosophiæ incumberet, maximam Bibliæ partem exposuit.*

Heribertus Magister Scholarum Monasterii S. Wilibrordi Epternacensis, anno 970. defunctus edidit Commentaria multa in utriusque Testamenti libros. Trith. Chron. Hirs. tom. 1. pag. 112.

Vedastini in urbe Atrebatensi Cœnobitæ laudibus ornantur in Ferreolo Locrino Tract. de Atrebatensis Civitatis Scriptoribus, quòd eorum aliqui Explicationem utriusque Testamenti concinnârint; an illa verò typis unquam mandata fuerit, vel in mſ.tis adhuc jaceat, non meminit le Long l. c. p. 1000. col. 1. cui Ferreoli Locrini Tractatus in Bibliotheca sacra scribenda usui fuit.

Radulphus Flaviacensis in Episcopatu Bellovacensi non seculo X, uti hactenus perperàm creditum, sed XII. scripsit ferè in omnes libros veteris & novi Testamenti, prout constat ex notatoris cujusdam veteris in Radulphi Flaviacensis Commentarium super Parabolas Salomonis, qui asservatur inter Mss. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 2011. in MSs. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Cod. 83. Vid. Oudin. de Script. Eccl. Tom. II. pag. 1441.

Alulfi S. Martini Tornacensis Monachi c. a. 1092. *Expositio Novi Testamenti* ex S. Gregorii M. verbis & sententiis concinnata, aliàs, sed perperàm, sub nomine *Paterii* vulgata. Optima, & castigatissima editio Tom. IV. Collectionis Operum S. Greg. à Dionysio Sammarthano adornatæ habetur.

Rupertus Abbas Tuitiensis, juxtà Coloniam Agrippinam professione Benedictinus, natione Germanus, vir in divi-

divinis Scripturis, Spiritu sancto per visionem illustrante, doctissimus, eloquio præstans, hortatu Cunonis, Abbatis Sigembergensis, posteà Episcopi Ratisponensis collegit *in omnes divinas Scripturas* egregia varii sensûs & maximè allegorici quàm plurima ex Patrum scriptis succincta commentaria: ex quibus fertur insigne volumen, cui titulus est DE SANCTA TRINITATE ET OPERIBUS EJUS, in utrumque Testamentum ad Cunonem, Abbatem Sigembergensem, lib. 42. Quod opus ipse ita in tres partes divisit, ut prima pars Patris Opera in tribus libris contineat, hoc est, à prima mundi creatione usque ad ejectionem Adæ de Paradiso. Secunda verò pars habet propria Filii Opera, quæ ab ejectione Adæ usque ad Incarnationem, & mortem Filii Dei in figuris, vaticiniis, visionibus, & Scripturis propter venturum Christum dicta factáque sunt in libris 30. Tertia autem Pars concludit in libris novem Opera Spiritûs sancti propria, scilicet ab incarnatione Filii Dei usque ad finem seculi in Scripturis recitata: Quorum 42. librorum simul adunatorum hic est Index:

Prima Pars.

De Sancta Trinitate, & Operibus Patris in prima tria Geneseos capita commentariorum libri tres: quorum primus incipit, *Scripturarum omnium.*

Secunda Pars.

De Trinitate, & Operibus Filii commentariorum libri 30. viz.
In Residuum libri Geneseos comentariorum lib. 6. *Humanæ creaturæ.*
In Exodum commentariorum Lib. 4. *Qua causa, vel quo ordine.*
In Leviticum comentariorum Lib. 2. *Liber iste.*
In Numeri commentariorum Lib. 2. *Apertum in Apocalypsi.*
In Deuteronomium Lib. 2. *Iste Liber.*
In Josue comentariorum Lib. 1. *Septem periodis.*
In Judicum & Ruth Lib. 1. *Post mortem Josue.*
In quatuor libros Regum adjuncto libro Psalmorum Lib. 1. *Post ampla virtutis.*
In Esaiam Lib. 1. *Omnis anima, quæ Christum &c.*
In Jeremiam Lib. 1. *Quintæ ætatis seculi crepusculum.*
In Ezechielem Lib. 1. *Hac mundi ætate.*
In Danielem, Zachariam & Malachiam simul Lib. 2. *Aperiente Christo.*
P. Ziegelbauer Hist. P. IV.
In Machabæos Lib. 1.
In volumen quatuor Evangelistarum Lib. 1. *Sexta mundi ætate.*

Tertia Pars.

De Operibus Spiritûs sancti à Christi adventu usque ad finem seculi lib. 9. *Omnipotentis iram.*

Præter hæc autem scripsit latiori stylo in varios Scripturæ sanctæ libros plures commentarios: in quibus sunt de Incarnatione Domini in Canticum Canticorum juxta sensum mysticum libri septem eruditissimi, quorum initium est, *Qui contra hominem.*

In XII. Prophetas Minores ad Fridericum, Archiepiscopum Coloniensem, libri 30. quorum primus incipit *Spiritui sancto.*

Ad Cunonem Abbatem de gloria & honore Filii hominis in Mathæum lib. 13. quorum initium est, *Exigui à me ô Philochriste Cuno.*

In Joan. Evangelium lib. 14. *Discipulus, quem* &c. Ad Fridericum Archiepiscopum Coloniensem commentariorum in Apocalypsin lib. 12. quorum initium est, *Ut tu quoque ô Venerabilis Coloniensium Archipræsul.*

Hæc ex Sixti Sen. Bibl. San. lib. 4. p. 464. qui Rupertum mortuum anno Dom. 1124. asserit, cùm veriùs anno 1135. è vivis excesserit: Ejus Opera simul nuper recusa sunt *Venetiis*, cum suis auctariis & apologiis.

ADAMI BARCHINGENSIS Schirbornensis, seu Clarofontani Monachi circa an. 1217. clari Liber I. *in Vetus & Novum Testamentum* (Sixtus Sen. Bibl. San. lib. 4.) seu *Postillæ Breves super Vetus & Novum Testamentum*; asservantur mſtæ Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

JOANNES Monachus Castellensis in Diœcesi Aichstadiensi, vir in divinis Scripturis valdè studiosus, & secularis literaturæ non ignarus, ingenio subtilis, & disertus eloquio claruit 1320. atque *Breviarium Bibliæ* lib. 1. seu *Summam compendiosam in totam Bibliam lib.* 1. elaboravit. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. L. 2. c. 135. Item Chron. Hirsaug. tom. 2. p. 365. de eo Sixtus Sen. Bibl. San. lib. 4. pag. 421. *Joannes* Monachus Benedictinus, Theologus, Philosophus, & Rhetor Germaniâ oriundus, Castellensis cœnobii in Elstensi Diœcesi Professor, condidit utilissimum totius Scripturæ compendium, cui *Breviarium Bibliæ* titulum fecit.

PETRUS BERCHORIUS, natior

Gallus, patriâ Pictaviensis, Prior Monasterii S. Eligii Parisiensis scripsit in totam Bibliam quatuor insignia volumina.

Quorum *primum* inscripsit *Morale Reductorium utriusque Testamenti* in 34. libros divisum, in quo prætermisso historico sensu, breviter universa capita Scripturæ tropologicè exposuit, intermistis interdum allegoriis: stylóque usus demisso & aperto, & ad sensus animi explicandos maximè accomodato: Operis initium est: *Cùm jam præoptatam naturæ sylvam.*

Secundum Volumen *Repertorium Morale*, sive *Dictionarium Biblicum* prænotatum, est tribus magnis voluminibus distinctum, & per ordinem Alphabeti digestum, cujus initium est: *Reverendo in Christo Patri.*

Tertium, quod *Inductorium Morale* inscribitur, in tres libros partitum incipit: *Videte quoniam non solùm.*

Quartum, quod *Breviarium Historiarum Bibliæ* dicitur, sic incipit: *Considerans historiæ.* Claruit temporibus Caroli Imperatoris IV. & Innocentii Papæ VI. anno Domini 1360. V. Sixtus Senensis Bibl. Sanct. l. 4. Atteftante autem *Antonio Possevino in Apparatu sacro*, cùm vix reperiretur (licèt Norimbergæ an. 1489. Parisiis an. 1521. Lugduni anno 1520. exivisset in lucem) denuò apud Casparum Bindonum Typographum Venetum prodiit anno 1589. Dubitant tamen eruditi, an totum opus apud tam varios typographos iis annis prodierit, quos designat Possevinus. Unde alii eos annos consignant in iis editionibus, quas ipsi viderunt, sc.

Repertorium Morale impressum est Lugduni per M. Jacobum Tacon anno Domini 1517.

Ibidem excudit *Reductorium Morale* in Biblia Mathias Bonhome anno 1536. Et priùs Basileæ 1515. in fol. min.

Omnia Berchorii Opera *Venetiis* prodiêre apud hæredem Hieronymi Scoti, an. 1583.

Novissima & omnium correctissima editio est, quæ *Coloniæ* prodiit VI. Tomis comprehensa, quorum duo colligati tria volumina constituunt. Tomus I. an. 1730. II. 1731. III. 1731. & reliqui anno eodem. Deest tamen Commentarius in Psalmos sub nomine *Michaëlis Ayguani* pridem editus, *Petro Berchorio* restituendus...

ALBERTI SIGEBERGENSIS perquàm illustris Cœnobii propè Bonnam civitatem in diœcesi & ditione Electoris & Archiepiscopi Coloniensis Monachi, Viri perdocti *Glossarium Veteris & Novi Testamenti*, de quo ipse in Prologo hisce verbis nos instruit: *Ex infinitis Glossariis unum in V. & N. Testamentum excerpsi, & nota quædam ac superflua vel iterata resecans, ex opusculis S. Hieronymi & Isidori & Bedæ, & de omnibus libris idoneis, quæ deerant, defloravi - - - voces & naturas animalium & volucrum, & arborum, & gemmarum pondera quoque & mensuras addidi: legant, qui volunt, abjiciant, qui nolunt.* Opus Alberti habetur msstum in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex hujus Catalogo Bibliothecæ manuscriptorum Codicum pag. 72. num. 8. impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri. Mentionem etiam hujus Scripturistæ facit Antonius Possevinus tom. 1. Apparatûs sacri pag. 35. *Albertus Sigebergensis Benedictinus Commentaria in utrumque Testamentum* scripsit.

GUILLELMUS L'EVESQUE, Gallus, Theol. Professor, Abbas S. Germani à Pratis obiit 1418. Extat ejus Comentarius in Vetus Testamentũ in fol. Parisiis in Bibliotheca hujus Cœnobii cod. 55. teste le Long l. c. p. 717. Montfaucon Bibl. Mss. Codd. Tom. 2. pag. 1124.

ODONIS, Angli, Abbatis S. Martini de Bello *Expositiones in Vetus Testamentum.* Lelandus c. 180.

JOANNIS SCHLITPACHER vulgò de Weilheim, Prioris Mellicensis *Extractiones Bibliorum*, seu succincti Commentarii in universam Scripturam. Vid. Histor. Bibl. Mellic. p. 391. Item *Glossa textualis seu literalis in universum novum Testamentum.* Ibid.

ISIDORUS CLARIUS ex monacho Congr. Casin. Episcopus Fulginas in Umbria, de quo dubitare licet, doctiórne fuerit, an sanctior, annotationes in totum Vetus ac Novum Testamentum Venetiis excusas in fol. an. 1542. edidit. Ejus annotationes in Vetus Testamentum eædem ferè sunt, ac Sebastiani Munsteri, sed emendatæ, ac in compendium, melioremque formam redactæ. Abbas Calmetus in Supplem. ad Bibl. Sac. part. 1. pag. 301. nunquam antehac, inquit, facilè animadversum est, ejus Scholia in Apocalypsim deesse in editione Veneta an. 1557. in fol. quæ est secunda; solus est ibi libri Textus. Andesint pariter in priori Editione an. 1542. vel in tertia

an. 1564.

an. 1564. *ibid.* comodum mihi non fuit indagare. Scholia ista distributa sunt per totam collectionem magnorum Criticorum juxta ordinem librorum Scripturæ, sed nihil legitur de illo in Apocalypsim, ex quo suspicio, continuisse se Virum hunc, ne audaciùs aliquid effutiret in librum mysteriis adeò obscurum, vel saltem consilium suum in Scriptura implere non valuisse. Calmet in Supplem. ad Bibl. Sac. part. 1. pag. 301. col. 1. Quos verò magnos Criticos appellat, eos esse opinor Joannem & Richardum Pearson, Antonium Scatergood, & Franciscum Gouldman, qui Annotationes & Tractatus Criticos in Sacra Biblia Londini an. 1660. ediderunt, unde & *Critici sacri* vulgò audiunt.

GILBERTI GENEBRARDI, in Vetus & Novum Testamentum vulgatæ editionis *Commentaria* ad recentioris ætatis Sectariorum Biblia & annotationes abolendas. Le Long Bibl. Sac. pag. 741. Quo teste, ejusdem Genebrardi *Commentarii in totum Vetus Testamentum* asservantur Parisiis in Bibliotheca S. J. *Magnam Patres apud nos*, inquit Edmundus Richer in Scripto nomine totius Facultatis edito anno 1609. *inibunt gratiam, si Commentarios, quos vir ille doctissimus, Genebrardus, in totum Vetus Testamentum adinstar Commentariorum suorum in Psalmos lucubravit, publici juris esse patiantur; hos enim libros Patres ab Genebrardi hæredibus accepisse D. Michaël Millerum Genebrardi Anagnostes nobis certò retulit.*

HIERONYMI LAURETI Cervariensis Monachi in Cœnobio Montis Serrati & Abbatis S. Felicis Guixolensis *Sylva*, seu potiùs *Hortus Floridus Allegoriarum* totius S. Scripturæ mysticos ejus sensus, & magna etiam ex parte literales complectens, sinceræ Theologiæ Candidatis perutilis ac necessarius, qui loco integræ Bibliothecæ cuilibet sacrarum literarum studioso fervire poterit. Barcinonæ apud Paulum Cortey & Petrum Mali 1570. in fol. Venetiis apud Gasparum Bindonum A. 1575. Parisiis apud Sonnium 1584. Coloniæ Agripp. 1701. in fol. Nicolaus Antonius in Bibliotheca sua magnæ molis opus vocat, sed utilissimum verbi Dei præconibus; quod etiam Antonius Possevinus commendans, quid in eo tractetur, his verbis exponit: „ Aperuit „ & statuit Lauretus in primis aditum, „ qui ferret commodè in Sylvam ipsam „ Allegoriarum, in quo agit de variis „ Scripturæ sensibus. Nam ubi attigit, quæ ad utilitatem Allegoriarum pertinent, mox differit: Quid sit „ sensus literalis. Quid sensus spiritualis. Quid typus & figura. Quæ figurata locutio. Quatenus extendenda sit Allegoria. Quæ sit optima Allegoria. Quando una res typus sit plurium. Quomodo triplex sit „ sensus spiritualis. Quodnam discrimen sit inter typum & Allegoriam „ secundùm aliquos. Quid Parabola, „ quidve hæc per locum à similibus „ aut dissimilibus. Quæ discretio „ Parabolæ, & Allegoriæ. Quid sit „ sensus literalis Parabolæ. Quatenus „ explicanda Parabola.

„ Atqui Alphabeticum quidem „ servavit ordinem, sed Religiosæ suæ „ familiæ negotiis distentus quòdque „ operis moles superabat unius homi- „ nis vires, in singulis dictionibus, „ quæ Allegoriis abundant, ea col- „ legit, quæ primò occurrerant. „ Quamobrem sæpe quæ priorem lo- „ cum postulabant, sunt furtitæ po- „ steriorem, cùm tamen interdum „ (licèt non perpetuò) curaverit, ut „ quæ de Deo dicerentur, hæc prin- „ cipem locum obtinerent; mox, „ quæ de Angelis, quæ de Bonis, & „ Virtutibus, quæ de Dœmonibus & „ Hæreticis, de Malis & Vitiis, ea „ sequentibus sedibus locarentur. In „ quibus omnibus cùm citat locum, „ cui non addat Allegoriam, id eo „ consilio fecit, ut intelligeretur exi- „ stimasse quidem sese ibi latere Alle- „ goriam; sed cùm eam apud ullum „ Auctorem haud comperisset, nolu- „ isse è proprio capite fingere, sed „ exercendis legentium ingeniis relin- „ quere, quam tamen ipsi fortasse es- „ sent inventuri.

„ De discrimine autem inter *Sancti Pagnini* ad mysticos sensus Sa- „ cræ Scripturæ, & ejusdem *Laureti* „ *Sylvam Allegoriarum* hoc dici potest. „ Pagninus fœcundiora cæteris omis- „ sis vocabula selegit. Lauretus om- „ nia conatus est amplecti, in qui- „ bus aliquid Allegoriæ posset è quo- „ libet alicujus notæ Autore inveniri. „ Pagninus citat uberiùs Patres, afferens ipsamet verba, ut vel unius „ Authoritas totam impleat paginam. „ Lauretus ad marginem notat loca, „ ne plus justo volumen excresceret. „ Pagninus sola tractat mystica. Lau- „ retus etiam complura, quæ spectant



„ ad sensum literalem, phrasésque, & „ varias vocum explicat acceptiones: „ ut hic Allegoriarum liber, Com- „ mentarii atque Indicis locum habe- „ re possit in Sacram Scripturam, & „ Patres præcipuos.

„ S. Carolus autem Borromæus „ Cardinalis, vir sanctus, cùm hujus „ Sylvæ usum cuperet faciliorem ac „ fructuosiorem, statuerat, rerum, „ quæ vocibus Allegoricis designan- „ tur, ac primò ponuntur, vocabula „ præponere: quem laborem fortasse „ pius aliquis & doctus suscipiet, Alle- „ goriásque ipsas meliore ordine di- „ sponet, ut Reipublicæ literariæ in „ proximorum salutem commodet. „ Hæc Possevinus.

LEANDER à Sancto Martino, aliàs Joannes, *Jones*, Londinensis, Theol. linguæ Hebr. Professor Duacenus an. 1636. defunctus Commentarios in Prologos S. Hieronymi & illustrationes in Glossam ordinariam edidit. *Glossa ordinaria ex ejus recensione, 6. vol. in fol. Antverpiæ an. 1634.*

GREGORIUS URBANUS, Italus, Romanus, Monachus Cœnobii Farfensis factus an. 1611. Abbas Titularis S. Mathæi è Congr. Casin. sacræ Scripturæ intelligendæ ac explanandæ totus incubuit: Ejus sunt

Summaria, seu *Brevia Commentaria in omnes omnino libros veteris Testamenti*, quæ discipulis tradebat & explicabat. Armellinus Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 1. pag. 193. asservantur MS.ta in Bibliotheca S. Pauli de Urbe.

AUGUSTINUS CALMET, Lotharingus, Comerciensis, Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, Abbas S. Leopoldi Nanciensis, nunc Senoniensis, Auctor est amplissimi Commentarii Literalis in libros Scripturæ Sacræ tum Veteris tum Novi Testamenti, in quo, ex sententia doctissimi Amat de Graveson, quidquid sacræ & prophanæ eruditionis in sacræ Scripturæ antiquis & modernis Interpretibus nancisci potuit, collegit, digessit, atque doctissimis Dissertationibus explanavit. Opus viginti voluminibus in 4.to comprehensum, & Gallico conscriptom sermone publicam in lucem prodiit Parisiis anno 1707. è quibus volumina 15. Vetus Testamentum, & alia 5. Novum continebant. Altera vice eodem loci totidem tomis, & eadem forma anno 1715. prodiit. Tertia vice ibidem prælo subjectum fuit anno 1723. & eodem liberatum anno 1726. Ne verò præstantissimum hoc Opus Gallorum tantùm delicium foret, sed ut Orbis universus eo frui posset, à Joanne Dominico Mansi, Lucensi, Congregationis Matris Dei è Gallico in Latinum idioma translatum, ac Venetiis anno 1730. in lucem emissum fuit. „ De Commentario nostro, inquit, ipse R.mus Calmet, judicium ferre utiqne nostrum „ non est, satísque habendum, si, „ quæcunque continet, omnia expo- „ suerimus. Quæ autem viri docti „ de illo prædicàrunt, majora sunt, „ quàm ut nos hîc commemorare su- „ stineamus. „ Pauci abierunt anni, cùm ego Celsissimum Principem, Archiepiscopum Strigoniensem atque Hungariæ Primatem Emericum è Comitibus de Esterhazi de Calmeti Commentario sermonem ultrà injicere audivi his verbis: *Summi æstimo Calmeti Commentaria, nec Corneli à Lapide, nec ullis aliis cedunt, omnia antecellunt.* Quod judicium Archipræsul, quàm magna pietate, ac virtute, tam excellenti doctrina ac eruditione inclytus alia occasione & tempore mihi repetiit. Idem judicium fuit *Philippi Buliphonis*, viri præstanti doctrina & prudentia, qui Calmeti Commentarios *Opus*, vocat, *ingens*, *eximium*, *& superius omni laude*. Addit: *Hos qui viginti tres tomos habeat, haud ille ad pleniorem sacrorum Codicum intellectum, uberiorémque divini sermonis doctrinam quidquam desiderabit.* Textus verò literalis est, cui exponendo Calmetus præcipuè studuit, uti ipse in literis an. 1737. die 1. Junii ad me datis his verbis profitetur: „ Scri- „ pturæ Sacræ textum literalem toto „ ferè vitæ tempore mihi exponendum „ proposui; ad cujus rei subsidium „ linguas Græcam ac Hebraicam olim „ perdidici. Vidisti Commentaria „ nostra in tota Biblia, & Dictionari- „ um nostrnm Biblicum, & ante me „ in hoc studio versatus fuerat R. P. D. „ Hyacinthus Alliot dudum in flore „ ætatis nobis ereptus; Is ad hoc Aca- „ demiã instituerat in Mediano nostro „ Monasterio, ubi olim & ipse studui „ sub ejusdem auspiciis. „ Hæc ille.

Latina versio adornari cœpta est Venetiis & Lucæ: illa quidem à viro docto è Somascha institutum profitente: altera verò à Religioso illo Viro Congregationis Matris Dei Lucensis, qui & Dictionarium & Dissertationes & Supplementum Latinis literis tradidit. Prodierunt è priore quidem ver-

versione 3. vol. in fol. ex altera verò unum. Prodiit etiam Aug. Vindel. & Græcii Sumptibus fratrum Veith an. 1734. in fol.

PETRI GUILLEMINI è Congr. SS. Vit. & Hidulphi Commentarius in omnes' Veteris & Novi Testamenti libros Gallicè scriptus Tom. III. in 8. in quibus minùs probare videtur, quòd Abbas Calmet, prætermisso mystico & Allegorico sensu, duntaxat literalem exposuerit. Opus recensent Trivoltienses an. 1723. m. Junio.

THOMÆ AQUIN, ERHARD Commentarius in universa Biblia Sacra vulgatæ editionis Sixti V. & Clementis VIII. Pontif. Max. authoritate recognita, illustrans & explicans sacram Scripturã per clara prolegomena in omnes & singulos libros: per dilucida Sumãria in quævis capita: per selectas añotationes, breves paraphrases, & exegeses in loca & versus paullò difficiliores, ex optimis Catholicis interpretibus, præsertim SS. Patribus desumptas: Augustæ Vindelicorum, & Pedeponti, vulgò *Statt am Hoff* propè Ratisbonam: Sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger Bibliopolarum, typis Antonii Maximil. Heiss. an. 1735. vol. 2. in fol.

GERMANUS CARTIER Theologus Monasterii D. Ettonis, seu *Ettenheimmünster* in Brisgoia, studio & labore suorum Sodalium, ejusdem Cœnobii Theologorum, adjutus, in Biblia Sacra commentatus, Opus Tomis IV. comprehensum prælo subjecit, cujus titulus est: *Biblia sacra vulgatæ editionis... locupletibus SS. Patrum & aliorum probatorum S. Scripturæ interpretum commentariis illustrata, unà cum novâ, eâque excultiore, nec non ad sensum Scripturæ magis accommodâ versione Germanicâ...* Constantiæ Sumptibus *Jacobi Friderici Beez* an. 1751. in fol. cum. figuris...

§. III.

Interpretes Bibliorum ex parte.

QUi Commentaria in primos quinque, septem, & octo divinæ paginæ libros ediderunt, ante alios recensendi veniunt.

COMMENTATORES IN PENTA-HEPTA-ET OCTATEUCHUM.

S. GREGORIUS M. non modò in *Penta*- sed *Octateuchum*, hoc est, in octo primos sacræ Scripturæ libros ab initio videlicet Geneseos usque ad Paralipomenon scripsit; hos libros Joannes Diaconus ab invidis post obitum Auctoris fuisse concrematos testatur. Oldoin. in addit. ad Ciaccon.

CLAUDIUS Urbis Classitanæ in Æmilia, seu Romandiola Abbas *multa de Heptateucho,* aliisque Sacri Codicis libris, *loquente S. Gregorio Magno audierat exponi, nec tamen ea Gregorius præ infirmitate, & occupatione scripserat, ipse suo sensu dictavit, ne perirent, ut apto tempore emendatiùs dictarentur. Quæ cùm Gregorius comperisset valde inutilibus permutata esse, ea studiosius recollegit, & opportunè correxit.* Hæc ex Sigeberto Gemblac. de S. E. cap. 44. & Trithemio de Vir. Illust. O. S. B. II. 11.

CLAUDIUS CLEMENS natione Scotus, Monachus Benedictinus, Bedæ Venerabilis discipulus, Albini Levitæ collega, divinæ Scripturæ studiosissimus & secularis doctrinæ non ignarus, tam pedestri oratione, quàm carmine conspicuus, edidit stylo succincto & simplici in Pentateuchum Moysis libros quinque. Ita Sixtus Senensis Bibl. San. lib. IV. pag. 350. De hoc *Claudio Clemente* Monachus San-Gallensis lib. 1. testatur, ejus opera Carolum M. cui ob singularem eruditionem acceptissimus fuerat, in Parisiensi Schola condenda, atque instituenda inventute usum fuisse. Quòd verò Ven. Bedæ discipulus fuerit, addubitare licet; cùm ille an. 735. jam agere inter vivos desierit, quo tempore Claudius forsan nondum vitales in auras elatus fuerat. Joanni Alberto Fabricio Bibl. med. Lat. Lib. III. pag. 1082. verisimile videtur, *Claudium Clementem* à Trithemio, Sixto Senensi, & ab iis, qui hos sequuntur, cum *Claudio Taurinensi* confundi; hunc enim *Pentateuchum* auditoribus suis exposuisse, & jussu Ludovici Imperatoris etiam expositionem suam calamo scriptitâsse, palam fieri ex ejusdem præfatione ad Epistolam ad Corinthios.

VEN. BEDÆ *Commentarii in Pentateuchum* extant Operum Tom. IV. *In Genesin*, pag. 19. *Exodum* pag. 87. *Leviticum* pag. 121. *Numeros* p. 139. & *Deuteronomium* pag. 241. Pleræque ex dictis Patrum, Augustino, Hieronymo, Isidoro, Sedulio &c. exceptæ, & more Dialogi inter magistrum & discipulum formatæ.

RABANI MAURI Commentaria in Pentateuchum in 8. Coloniæ 1532. Sed hæc editio eo sensu intelligi debet, quòd Rabanus quidem Genesin ex-

explanârit, reliquos verò quatuor libros prosecutus sit *Strabus*, ejus discipulus, qui tamen integrâ fide, & compendiosè verba Magistri sui refert, ut proinde primus author totius Operis meritò Rabanus habeatur. Extat manuscriptum Rabani solùm continens Opus in Genesin, in reliquos quatuor libros nihil, & in alio manuscripto Bibliothecæ Collegii novi Oxoniensis legimus, Rabanum adornâsse tantùm Commentarium in Genesin, reliqua in Pentateuchum deberi Strabo, quod pariter legitur in Præfatione in Exodum: verba habes relata apud le Long in Biblioth. Sac. pag. 917. col. 1. Vid. Calmet Supplem. ad Bibl. Sac. part. 1. p. 299. col. 1. Confer tamen ea diligenter, quæ libro superiore in vita B. Rabani hac de re diximus.

HAYMONIS Commentarius in Pentateuchum inter Opera ejus Scripturistica omnium primò refertur à le Long in Bibl. Sac. p. 756. col. 2. qui tamen, quod sciam, typis nunquam fuit mandatus.

AMALARIUS ex Weissenburgensi ad montem Vosagi monacho Episcopus Spirensis ab anno 891. ad 893. *Commentaria in Pentateuchum* ab Eisengrenio in Catal. Testium veritatis pag. 71. scripsisse fertur.

SIGWOLFUS, Anglus, Transabrinus claruit circa annum 790. Scripsit *De exponendis difficultatibus super Genesim Quæstion.* librum unum. Cùm enim inter legendum in quædam Geneseos difficilia loca incidisset, ea explicare non præsumpsit, contentus, quòd faciliora saltem commentariis illustrare posset. Unde Alcuinus ejus rogatu scripsit suam in Genesim interpolatam quæstionum expositionem, illa videlicet loca explicans, quæ *Sigwolfus* victus rerum difficultate explicare non est ausus, & ab Alcuino sibi explicari petiit. Alcuini verò Expositio inter ea, quæ super diversos Sacræ Scripturæ libros commentatus est, typis vulgata primum locum occupat sub hac epigraphe: *Interrogationes & Responsiones in librum Geneseos.* Vid. *Pitseus* æt. 9. pag. 164.

JOANNES Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Anastasii Bibliothecarii familiaris, claruit 875. & Commentarios in Pentateuchum, & in duos subsequentes *Josue* & *Judicum* libros composuit ex sententiis Patrum, nondum editos, qui in optimæ notæ codice perantiquo Bibliothecæ S. Germani à Pratis juxta Caveum Hist. Lit. de S. E. p. 394. in *Heptateuchum* inscribuntur; ex fide verò Mabillonii oculis eosdem usurpantis hunc titulum præferunt: *Expositum Joannis Romanæ Ecclesiæ Diaconi in Genesin. Annal. Bened. tom. 3. pag. 36.*

ERHARDUS, Monachus & Scholasticus Cœnobii S. Michaëlis in Luneburg claruit 983. ac Commentaria in quinque libros Moysis elucubravit. Trith. Tom. I. Anal. Hirsaug. pag. 125. Sixtus verò Senensis Bibl. Sanct. l. 4. p. 360. hæc de eo habet: „Erhardus, „Monachus Benedictinus, vir, quan„tum apparet ex fragmentis ejus, qui „in compendio allegoriarum Tilmanni „leguntur, piè doctus, ingenio subti„lis, & eloquio gratus scripsit in Penta„teuchum Mosis commentariorum non „contemnendæ lectionis libros quin„que. Vixit an. Dom. 1050.

SERLO, ex Monacho Cantuariensi Episcopus, non ut aliqui perperàm scribunt, Sbirburnensis, sed Cornubiensis, erat in sacris Literis plusquàm mediocriter versatus. Claruit an. 960. & scripsit *Commentarium in Pentateuchum libris quinque.* Pitsf. æt. 10. p. 175.

Remigius, Germanus, Abbas *Mediolacensis* (non *Mediolanensis*, ut in Bibl. med. & inf. Lat. l. 17. p. 189. erroneè legitur, & Cl. Schoetgenius se non intelligere fatetur) Sec. X. exeunte, vir undecunque doctissimus Commentarium in quinque libros Moysis edidit. Trithem. Chron. Hirsaug.

S. BRUNO è Solerio in Astensi Diœcesi oriundus, unde ipsi *Astensis* nomen, non autem, ut per errorem scribit Fabricius Bibl. med. Lat. l. 2. pag. 787. quòd Monachus fuerit *Astensis*; undecimo seculo ætatem agebat, & vitâ an. 1120. seu 1125. concessit. *Bruno* etiam *Signiensis* nominatur, quòd ad Signiensem in agro Romano Episcopatum fuerit assumptus. Posteà monasticen in monte Casino professus, in ejus Monasterii Abbatem electus est. Ejus *Commentaria in Pentateuchum* vulgata sunt à Mauro Marchesio, Monacho è Congr. Casin. cum cæteris illius Operibus junctim excusis anno 1651. Venetiis in fol. Habentur etiam Tomo XX. Bibl. PP. pag. 1295. Moralis verò & allegoricus sensus est, cui præcipuè inhæret.

ERHART DE ROSCHELIZA Monachus Corbeiæ Novæ in Saxonia scripsit inter alia eximium Commentatium super Pentateuchum libris V. distinctum; sacrum Codicem multis voluminibus explicuit. Trithem. in Catal. Ill. Vir.

Ill. Vir. Germ. Paullini in Theatro Vir. Illustr. Corb. Nov. pag. 113.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis è regione Coloniæ Agrippinæ Monasterii, an. 1135. defuncti Commentaria in Pentateuchum cum cæteris ejus operibus in lucem dederunt præla Coloniensia 3. vol. in fol. an. 1528. 1566. 1577. 1598. 1602. & Parisiensia 2. vol. in fol. 1638. In exponenda Scriptura methodo utitur singulari, non tamen ingenio penitus & eruditione destituta. Quamquàm accurationem in illis desiderat Maldonatus, adhuc tamen eorum lectionem commendat. *Calmet* in Supplem. ad B. S. part. 1. pag. 307.

ODO Abbas S. Martini de Bello in Anglia, primùm Monachus ac Prior Cantuariensis Ecclesiæ, vir à doctrina & animi constantia laudatissimus scripsit *super quinque Libros Mosis Commentarium* MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti. Hujus Odonis, qui anno 1175. Abbas inauguratus est, mentionem facit Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. num. 131. pag. 172. ubi inquit: *De Odone Priore Cœnobii S. Salvatoris Cantuariæ, deinde Abbate de Bello, Stochelayus Episcopus Londinensis nuper excutiens omnes Bibliothecæ Coggeshalensis forulos, ita laudavit Odonis in Pentateuchum Commentarios, ut illos cum veterum Theologorum monumentis ferè pares fecerit.* Vide plura apud Pitseum æt. 12. pag. 226.

Joannes de Tinmouth, Monachus ad S. Albanum in Anglia, quà virtutis quà eruditionis studio in paucis præstans scripsit Sec. XIV. *in totum Pentateuchum.* Baleus & Gesner. in Epit. Bibl.

Petrus Vincentius Marzilla, Hispanus, Cæsaraugustanus, parente Senatore natus, nescio, quo in monasterio Professus, in Compostellano Gymnasio Theologiam docuit ex prima cathedra, rerúmque ad fidei tutelam attinentium censuram apud Judices, quorum ea cura est, obtinuit; vir doctus, & doctorum amans, prætereáque observantiæ regularis merito inter suos in pretio habitus, scripsit *Paraphrasin intextam editioni vulgatæ in Pentateuchum*, Salmanticæ an. 1600. & 1610. in fol. Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. Nov.

Raymundus Gibbonius Monachus S. Germani à Pratis scripsit Commentarios in quasdam Scripturæ partes, sive Græcas sive Latinas. Extant inter Mss. *P. Ziegelbauer Hist. P. IV.* Codd. Bibliothecæ hujus Monasterii. Vid. Montfauc. Bibl. Mss. Codd. pag. 1125.

COMMENTATORES IN GENESIN.

Duo V. BEDÆ Opera in Genesim vulgò habentur, unum inscriptum *Commentarii in Hexaëmeron*, sive *de sex dierum creatione* ad Accam Abbatem Tom. IV. pag. 1. adde Tom. VIII. pag. 52. 79. seq. Alterum *Expositio Venerab. Bedæ Presbyteri in primum librum Moysis* &c. Utrùm Venerab. Bedæ postremum Opus genuinum sit, inquit Cl. Calmet, valdè ambigitur; primum exigua tantùm pars est illius, quod in Genesim elucubrâsse, ipsemet in suorum Operum Catalogo refert. Henricus Wharton Supplementum ad Bedæ Commentarium, quod ad Isaaci nativitatem ac reditum Agaris & Ismaëlis desinit, evulgavit in 4. anno 1693. Londini. Paucis ante annis Edmundus Martene *V. Bedæ Presbyteri & Monachi Benedictini* libros IV. in principium Genesis usque ad nativitatem Isaac & ejectionem Ismaëlis luci publicæ asseruit *Thes. Noviss. Anecd. Tom. V.* ubi ejus admonitio prævia legenda est.

ALCUINUS, seu *Albinus Flaccus*, Abbas S. Martini Turonensis ac Caroli M. Imp. magister, octavo claruit seculo, & an. 804. decessit: breve quidem, sed non inutile in Genesim Opus, in *Quæstiones* ac *Responsiones* digestum, simplici & historica narratione concinnavit ad Sigwolfum seu Sigulfum Monachum, ac Presbyterum. Prodiit Hagenoæ 1529. in 8. Parisiis 1579. in Append. Bibl. PP. Bign. Exhibetur etiam primo loco Partis I. Operum Alcuini Parisiis 1617. in fol.

ANGELOMI, Monachi Luxoviensis in Burgundia Sec. IX. sub Lothario Imp. *Commentarius in Genesim* à Bernardo Pezio in lucem ex ms.to Codice Monasterii ad S. Petrum Salisburgi erutus, ac anno 1722. typis mandatus fuit *Thes. Anecdot. Noviss.* Tom. 1. p. 44. Exponendi genere quidem succincto, ac minime prolixo, sed nervoso tamen utitur, exceptis pro more ejus ævi passim recepto S. Augustini, Hieronymi, & aliorum Patrum sententiis.

WEREMBERTUS Monachus San-Gallensis, qui floruit circa annum 862. in Genesim Commentarios & doctos & prolixos exaravit. Jodoc. Mezler de Vir. ill. San-Gall. lib. 1. c. XVI.

REMIGII AUTISSIODORENSIS Commentarius in Genesim à Pezio editus Thes. Noviss. Anecdot. Tom. IV. part. I. succinctus est autem & elegans Scriptor iste, non satis habens excerpsisse veteres, plura de suo adjecit, ut Author habeatur, non excerptor, *Calmet.*

MARINI, Germani, Monachi Cœnobii S. Maximini Trevirensis anno 919. defuncti, Commentaria in Genesim libri octo. Trithem. tom. I. Annal. Hirsaug.

ARNOLDI Abbatis Bonævallis in Francia Carnotensis sec. XII. Opus de Operibus sex dierum vulgavit Dionysius Peronettus in 8. *Autissiodori an.* 1604. extat etiam in Bibl. Patrum.

S. BRUNO *Bonifacius*, Saxo, ex illustri Baronum de Querfurt prosapia, Monachus Cœnobii Magdeburgensis: inde *Ruthenorum* Archiepiscopus, Prussorúmque Apostolus, & Martyr Christi anno 1008. scripsit *libros duos Comentariorum in Genesim.* Trithem. cap. 336. & lib. 2. de Vir. ill. O. S. B. Sixtus Senensis Bibl. San. lib. 4. pag. 348. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 795. De S. Brunone plura vide in Actis Sanctorum Tom. VI. Junii pag. 217. & Tom. IV. Julii pag. 418. Arnold Wion Tomo I. Ligni vitæ pag. 260. seq. Mabillon. Annal. Ben.

GUIBERTI Abbatis Novigentensis *Comentarii in Genesim morales.* Constant decem libris ad mores formandos ideò compositi, quòd beatus Augustinus literam satis explicâsset: editi fuerunt jam ante annum MCXVI. typis verò vulgati cum cæteris Guiberti Operibus à Luca Acherio Parisiis an. 1651. Mabill. Annal. tom. V. pag. 585.

— EJUSDEM *Comentarius in Hexaëmeron*, quem is adhuc juvenis, & privatus monachus, sacras Literas à D. Anselmo, Priore Beccensi tum temporis, posteà Archiepiscopo Cantuariensi edoctus, furtim composuit, videns, quòd *non nisi spinas scripta sua oculis* Garnerii Abbatis sui, literarum parùm amantis ingerebant. Quo è vivis sublato prædictum Opus absolvit, atque anno 1124. decessit. Mabill. l. c. pag. 104.

B. PETRI DAMIANI S. R. E. Cardinalis *Expositio Mystica Libri Geneseos de 40. Hebræorum mansionibus; de decem plagis Ægypti*, extat Opp. ejus Tomo III. numero Opusculorum LX.

ARNULPHUS, Bellovacensis Monachus S. Symphoriani, inde Prior Cantuariensis, hinc Petroburgensis Abbas in Anglia, ac denique ab anno 1114. ad 1124. Roffensis Episcopus de *Operibus sex dierum* scripsisse dicitur, nisi hoc Opus ad Arnoldum Bonævallensem referendum sit. V. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 373.

PETRI ABÆLARDI Galli, Britanni, ex oppido Palatii, monachi S. Dionysii, *Expositio in Hexaëmeron* ex ms.to codice Monasterii S. Michaëlis in periculo maris edita fuit ab Edmundo Martene Thes. Nov. Anecd. Tom. V. p. 1361 - 1412. Extat etiam ms.tum in Bibliotheca Colbertina. Author, qui obiit an. 1142. prosequitur sensum literalem, allegoricum, & moralem, nec obscura profert argumenta ingenii & eruditionis suæ. Calmet in Supplem. ad B. S. part. I. pag. 313.

ADREVALDUS, Monachus Floriacensis, Ludovici Pii temporibus, uti Ruinartus in apologia missionis S. Mauri probat, scripsit libellum DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM, qui extat Parisiis in Bibliotheca S. Victoris cod. 14. Idem absque nomine authoris editus fuit. Vid. Labbeum Bibl. Mss. pag. 22.

CAROLI STENGELII, Germani, ex doctissimo Cœnobita celebris Monasterii SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. Abbatis Anhusani in Suevia *Thesaurus Biblicus* ex sanctis Patribus & celebrioribus quibusque S. Scripturæ Interpretibus in novem priora capita Geneseos variis Dissertationibus adornatus 1.) De Cosmopœia. 2.) De lapsu primi hominis. 3.) De Propagatione generis humani. 4.) De Diluvio, 2. vol. in 4. Ingolstadii 1651-1652. In cap. 10. & 11. Geneseos dissertatio quinta nondum typis edita. *Bibl. hujus Monasterii.* Ita le Long l. c. pag. 92. Priores tres partes hujus Operis mihi equidem visi, sed præ temporis angustia lecti non fuerunt.

EMMANUELIS VILLAROEL, Hispani è Congr. Vallisoletana *Commentaria* in S. Scripturæ Tautologia, Tomus primus complectens sex Dissertationes in varios textus Geneseos, 1. 2. *Terra erat inanis & vacua.* 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* 2. 2. *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* 2. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* 2. 17. *Morte morieris.* 3. 16. *Sub viri potestate eris.* Sensum literalem paraphrasi elucidat; deinde varia loca ex sacris & prophanis auctoribus excerpta congerit,

gerit, in fol. Madriti 1705. le Long pag. 1004.

Augustini Calmet Commentarius in Genesin Criticum habuit D. *Fourmont*, qui Parisiis apud Franc. Delaune an. 1709. duas criticas edidit Epistolas, cui D. *Calmet* tres opposuit an. 1710. Parisiis apud Petrum Emery in 12.

COMMENTATORES IN EXODUM.

Bedam Venerabilem, *Rabanum Maurum*, *Haymonem* aliósque, qui in totum Pentateuchum scripsêre, non repetam. Præter hos librum Exodi Commentariis illustrârunt

FERREUS, Italus, Monachus Cassinensis, claruit an. 1070. ac jussu Theodini Mon. & Card. scripsit *Glossarium in librum Exodi*, quod asservatur inter mss. Codd. Bibliothecæ Cassinensis. Possevinus apud le Long. l. c. pag. 723.

NICOLAUS, *Abbas Pratellensis*, Gallus, vir eximiæ pietatis, & seculo XII. clarissimus, non mediocris pro tempore doctrinæ, varias in plerosque divinæ Scripturæ libros commentationes morales, necdum editas, composuit. Huc spectat ejus Commentarius in Exodum. Parisiis Bibl. S. Germani à Pratis cod. 607. asservatur etiam inter mss. Codd. Universitatis Cantabrig. cod. 297.

OSBERNUS, Anglus, Monachus Glocestriensis circa an. 1140. de quo Lelandus cap. 151. Baleus lib. 2. c. 78. & Pitseus æt. 12. p. 207. scripsit per *Dialogos in Exodum*.

AUGUSTINI CALMET duæ in Exodum Dissertationes, quarum prima agit de *Trajectione Maris*, altera *de veris ac falsis miraculis*, *occasione prodigiorum Moysis*, ac de *Magorum præstigiis*.

COMMENTATORES IN LEVITICUM.

VEN. BEDÆ libri duo de Tabernaculo & vasis ejus, ac vestibus Sacerdotum extant Opp. Tom. IV.

S. AMBROSIUS AUTPERTUS, S. Vincentii ad Vulturnum fluvium in Benevento Abbas comentatus fuisse in *Leviticum* ab ejusdem monasterii Chronographo fertur.

HERVEI, Galli, Lemovicensis, monachi Dolensis, seu Burgodolensis in Diœcesi Bituricensi, virtute ac doctrina eximii sub annum 1130. Commentarii super Leviticum asservantur Mf.ti in Bibliotheca celeberrima Claræ Vallis.

MARINI in *Leviticum* Liber I. Trithem. l. c.

RADULPHUS, vel *Raculphus*, monachus Cœnobii Flaviacensis, alio nomine S. Germeri in Bellovacensi Diœcesi, obiit circa an. 1157. Eum vetus codex msc. in Bibliotheca S. Germani à Pratis *Doctorem præcipuum*, & *eximiæ conversationis virum* prædicat: nec immeritò; scripsit enim in *Leviticum* libros viginti, in quibus sensum historicum & spiritualem Scripturæ ita disertè, piè, ac doctè exponit, ut teste Sixto Senensi *in comparatione ejus ceteri ejusdem libri Expositores minimè exposuisse videantur*. Ejus in Leviticum Commentarius prodiit Coloniæ in fol. an. 1536. & Marpurgi eodem anno. Extat etiam in Bibl. PP. Coloniensi & Lugdunensi. De Radolpho etiam videri potest Blondellus in Tract. de Joan. Papiss. Calmet in Supplem. ad B. S. pag. 314. col. 1.

ADAMI ESTON, Angli, S. R. E. Card. *Expositio Levitici* Hebr. Liber I. Baleus, Pitseus, & alii.

VEDASTINI apud Atrebates Cœnobitæ *Anonymi* Moralis Expositio Libri Levitici. Ferreol. Locr. de Script. Atreb. pag. 696.

COMMENTATORES IN NUMEROS.

OSBERNI in *Numeros* liber I. Lelandus cap. 151.

RICHARDI PRATELLENSIS Commentarius in librum *Numerorum*. Bibl. Monasterii Pratellensis cod. 75. Bibl. Collegii SS. Trinit. Cantabrig. cod 297.

Nigellus Wireckerus, Monachus Cantuariensis, edidit *Comentarios Numerorum* lib. 1. Pitseus p. 270.

COMMENTATORES IN DEUTERONOMIUM.

OSBERNI in Deuteronomium lib. II. Baleus.

HERVEUS, de quo vide Bern. Pezinm Thes. Anecd. Tom. III. extant etiam ejus Commentarii Mss. in celeberrima Bibliotheca Claræ Vallis. Ejusdem Expositio in Canticum Moysis *Cantemus Domino* &c. in Bibliotheca Vallis Lucensis Ord. etiam Cisterc. Postillæ breves in *Deuteronomium* Mss. in Bibl. S. Germani Paris. quæ tamen à Commentariis haud diversum esse opus videntur.

COMMENTATORES IN LIBRUM JOSUE.

S. GREGORII M. Commentarii ab æmulis ab ejus obitu exusti exciderunt.

VEN. BEDA Quæstiones in hunc librum instituit. Opp. Tom. VIII. pag. 248.

CLAUDIUS CLEMENS Scotus in Josue librum unum. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. pag. 350.

RABANI MAURI in librum Josue Libros III. ex Msc. Cod. Cisterciensis Monasterii eruit Jacobus Launois ejusdem sacri loci monachus, misitque olim Lucæ Acherio, qui eosdem etiam libros accepit à R. P. Francisco Petro Chiffletio S. J. Presbytero, cujusque est illa observatio, quæ extat apud P. Martene, qui demùm hos libros luce publica donavit Collect. Ampl. Tom. IX.

Haymonis Commentarius in librum Josue.

JOANNES DIACONUS Monachus Cassinensis, & S.R.E. Cardinalis Commentarium composuit in Josue magna ex parte ex verbis Augustini, Hieronymi, & aliorum, quos leges apud Oudin. de S. E. Tom. II. pag. 308.

JOANNES DE TINMOUT, Anglus S. Albani Monachus. Vid. Baleus & Gesnerus suprà citati.

RAYNALDI, Galli, Prioris S. Eligii Parisiensis *Expositio in Josue*. Bibl. Colbertina cod. 3268.

RICHARDI PRATELLENSIS Expositio in librum Josue. Bibl. Collegii SS. Trinit. Cantabrig. cod. 79.

RUPERTI ABBATIS TUITIENSIS Commentarius in librum Josue.

IRIMBERTI Abbatis Admontensis Commentarius in Josue nondum typis vulgatus.

Florianus Monachus Corbeiæ Novæ scripsit circa an. 1214. *in librum Josue* Commentarium, qui Msc. in Bibliotheca Monasterii asservatur. Vid. Annal. Corb. ad an. 1214.

COMMENTATORES IN LIBRUM JUDICUM.

V. Bedæ Quæstiones in hujus libri historiam Operum Tom. VIII. p. 255.

Rabanus Maurus, Haymo, Claudius Clemens Scotus, Rupertus Tuitiensis, Raynaldus, Richardus Pratellensis, Osbernus, Joannes de Tinmouth, Carolus Stengelius.

JOANNIS DIACONI Commentarius in librum Judicum extat Msc.^tus in Bibliotheca S. Germani Parisiensis. Vid. Oudin. l. c.

BRUNO ASTENSIS, seu *Signiensis* Episcopus, & Abbas Casinensis, teste Petro Diac. de Vir. Ill. Casin. c. 34. in libros Judicum Commentarium confecit, qui tamen nondum typis vulgatus est, sed habetur Msc.^tus *in Bibl. Carthusianorum Monasterii S. Bartholomæi ad Agnaniam.*

HERVEUS DOLENSIS, cujus Expositio in librum Judicum MS.^ta extat in Bibliotheca Pontigniacensi Ord. Cisterc.

IRIMBERTI Abbatis Admontensis in Stiria Commentariorum in librum Judicum Lib. II. typis vulgati à Bern. Pezio Thes. Anecdot. Noviss. Tom. I.

JOANNIS EVANGELISTÆ, Neapolitani, Monachi Casinatis anno 1609. *De voto Jephte Galaaditæ Quæstio ex Cap. XI. libri Judicum desumpta.* Opusculum Msc. extat in S. Pauli de Urbe Bibliotheca. Ejus analysin vide apud Armell. part. 2. pag. 36.

COMMENTATORES IN LIBELLUM RUTH.

Ven. Beda, Rabanus Maurus, Haymo, Herveus, Claudius Scotus, Rainaldus. Mss. in Colbertina Bibl. cod. 3268.

RICHARDUS Abbas *Pratellensis*, cujus Commentarius in librum Ruth extat inter Mss. Codd. Universitatis & Collegii S. Trinitatis Cantabrig. Vide Catalogus Mss. Codicum, qui Oxonii è Theatro Scheldoniano an. 1698. in fol. editi sunt.

PETRUS CELLENSIS. Ejus Commentarium in Ruth manuscriptum asservari in Bibl. Claravallensi testatur Joan. Liron è Congr. S. Mauri in Bibl. pag. 78. *Carolus Stengelius.* Le Long in Bibl. Sac. pag. 972. col. 2.

IRIMBERTI Abbatis Admontensis *Expositionem in Ruth* dedit Bern. Pezius Tom. II. Thes. Anecdot. p. 443.

COMMENTATORES IN LIBROS REGUM, AC PARALIPOMENON.

S. GREGORII M. *Commentarii in Libros Regum.* Omnium primus, ut ipse asserit, Latinorum in libros Regum commentatus est, de quibus tamen sedecim duntaxat priora capita libri 1. exposuit, quasi periculum facturus, ut Oldoinus loquitur, si ultrà commentando progredi posset. Hos verò Commentarios esse genuinum illius

foetum

fœtum probat Mabillonius in Dissertatione de monastico S. Doctoris instituto, quæ extat in Append. I. Annal. Bened. Tom. I. Vide etiam præfationem ad hosce Commentarios in nova Operum S. Gregorii editione San-Mauriana. R.mus *Calmet* opinionis est, quòd S. Gregorius M. hos Commentarios Claudio Classensi Abbati dictaverit, qui de suo aliquid adjecerit. *Supplem. ad B. S. part.* 1. *pag.* 339. Cæterùm opus sunt Morale longè præstantissimum, & à viris Religiosis non obiter legendum.

V. BEDÆ in *Samuelem* Prophetam, sive in priorem ejus librum allegorica expositio libris IV. Opp. Tom. IV. pag. 167. 203. 246. 293. EJUSDEM in *Libros Regum*, hoc est, libros Samuelis & Regum, quæstiones triginta, liber I. pag. 353.

Rabanus Maurus, Haymo, Rupertus Tuitiensis, Joannes de Tinmouth.

ANGELOMUS, Monachus Luxoviensis, sub annum Christi 813. scripsit *Stromata*, seu Commentarios in IV. libros Regum, jussu Drogonis, Episcopi Metensis, & Abbatis Luxoviensis, Ludovici Augusti fratris. SS. Patrum sententiis, mysticis ac figuratis interpretationibus juxtà Rabani Mauri ejus Magistri methodum constant. Hebraicas in Regum libros traditiones crebrò allegat. Auctor hic pietate, ac pro suo seculo eruditione etiam florebat. Trithemius excellentissimum opus vocat, quo nec pulchrius, nec utilius legimus unquam. Chron. Hirsaug. pag. 15. Sixtus Sen. pium & eruditum opus vocat. Edita fuerunt hæc Commentaria Coloniæ an. 1530. fol. Romæ an. 1565. fol. illic per Euchar. Cervicornum, hîc per Paulum Manutium.

ODO Prior Cantuariensis, & Monasterii de Bello Abbas edidit in libros quatuor Regum libros quatuor. *Lelandus* apud le Long. p. 883. col. 1.

IRIMBERTI Admontensis in Stiria Abbatis Commentarii in IV. libros Regum, qui à Fratribus Mezgeris in Historia Archiepiscopatûs Salisburgensis *doctissimi* vocantur, in Bibliotheca ejusdem inclyti monasterii hodiedum monstrantur.

LEONIS Abbatis *Matina*, Neapolitani, Monachi Cavensis è Congregatione Casin. sacræ Paginæ Professoris, in Libros Regum Dissertationes, habitæ in Patavino Gymnasio, Orationibus, Concionatoribus, & urbanioris literaturæ studiosis fortassis non pœnitendæ. Serenissimo Principi Joanni Friderico, Brunswicensi & Luneburgensi nuncupatæ Tomus I.mus Patavii typis Jo. Baptistæ Pasquati an. 1675. in 4. Opus valde eruditum, nec minùs utile.

COMMENTATORES IN LIBROS II. ESDRÆ ET NEHEMIÆ.

Haymo. Venerab. Bedæ Expositio allegorica in *Esdram* & *Nehemiam* (qui & Esdræ secundus) Prophetas. Lib. III. Opp. Tom. IV. p. 348. 375. 405. Tertius & quartus liber Esdræ habentur pro apogryphis, in quos legendæ sunt Augustini Calmet binæ Dissertationes. Item alia ejusdem Dissertatio duplex. Prima, an Esdras Sacros libros restauraverit? Altera, an characteres Hebræos abrogaverit, ut novos Chaldæos substitueret?

COMMENTATORES IN LIBROS TOBIÆ, JUDITH, ET ESTHER.

VEN. BEDÆ expositio allegorica in Tobiam. Opp. Tom. IV. pag. 347.

Haymo, Herveus Dolensis, Rudolphus Hirsaugiensis monachus seculo IX. clarus. Trithem. tom. I. Chron. Hirsaug. *Mathæus Vindocinensis*, & *Julianus Gratianus Morillon*, de quibus infrà.

Rabanus Maurus in libros Judith & Esther commentatus fuit. Ejus Commentaria habentur Opp. Tom. III. quæ ambo Juditha Augustæ, Lud. Pii conjugi circa an. 836. nuncupavit. Præfatio in editione Pameliana desideratur, sed defectum supplevit Mabillonius separatim illas excudendas curans in Actis Sanctorum Ord. S. B. Sec. IV. Part. II. pag. 11.

BRUNO ASTENSIS, seu *Signiensis*, in Judith Librum I. elucubravit, teste Petro Diac. Casin. in catalogo Operum, sed ejus opus adhoc ineditum.

JOSEPHUS DE LA CERDA, Hispanus, Madritensis, ad S. Martinum eâ in urbe Professus, Theologiæ Doctor, ac ejus in Universitate Salmanticensi Professor primarius, ac deinde Episcopus primùm Almeriensis, tum Pacensis, è vivis an. 1645. sublatus, Commentarium literalem & moralem edidit in sacram Judith historiam duobus tomis in folio Almeriæ 1641. móxque *Lugduni* apud Laurentium Anisson 1653. in fol. Hæc Commentaria, inquit *Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. Nov.* in magno pretio ab omnibus habita, sed quæ ab ingeniosis tantùm pro dignitate, & cum eo fructu, quem non

in cute, sed in recessu latentem industria exerit attenti lectoris, inter promptuaria formandarum concionum optima plenissimáque frequentantur.

Commentatores in Libros II. Machabæorum.

Rabanus Maurus, dum nullus alius memoriæ occurrit, numerum pensare debet. Commentarium verò suum Ludovico Pio Imperatori nuncupavit, in quo, ut ipse de se, historicum & allegoricum horum Librorum sensum prosecutus est. Extat Opp. Tom. IV. p. 380. - 429.

Commentatores in Librum Job.

S. Gregorius M. cùm crebriùs ægrotaret, ad leniendos dolores expositionem *in Job*, conveniens adversæ valetudini argumentum, aggressus est. Libros igitur 35. Moralium conscripsit, quos S. Leandro Hispalensi, quicum sanctæ amicitiæ fœdus in legatione Constantinopolitana inierat, nuncupavit. Quanti autem hi Commentarii verè aurei à doctissimis quibusque Ecclesiæ Præsulibus fierent, indicio est, quòd Gregorio adhuc in vivis agente, eorum jussu publicè per diversas Ecclesias legi cœperint; cujus cùm ipse certior redditus fuisset, datis ad eos literis fieri prohibuit. Sed cùm pars eorum non modica in Hispania non haberetur, Taius, seu Taio Cæsaraugustanus Episcopus ad eam comparandam Romam iter instituere à Chindasvindo Visigothorum Rege jussus est. Martino Papa moras nectente, quòd quo in loco Gregorii libri residerent, non constaret, Taius post preces ad sepulchrum beati Petri fusas à cœlo, ubi reconditi jacerent, edoctus est. Quibus potitus ad suos reversus est. Varias istorum librorum editiones recenset *le Long* pag. 752. Latinè prodierunt in fol. Romæ 1475. Parisiis 1495. Gallicè, interprete de Laval (Lud. Carolo d' Albert Duce de Lugne) 3. vol. in 4. Parisiis 1665. - 1669. Hispanicè ex versione Alfonsi Alvari, 2. vol. in fol. Hispali 1513. - 1534. Italicè horum libri 19. priores ex versione Zenobi in fol. Florentiæ 1486. In editione Basileensi cavendus est gravis error, qui in Lib. 22. n. 351. irrepsit; sic enim legitur: --- *A cunctis quippe externis motibus eandem intentionem suam, quasi quendam secretissimum secessum petit, ibique incommutabiliter inhærens, & mutabilia cuncta transcendens, ipsa jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est.* Quæ Quietistis & Calvino, ùt R. P. du Mesnil Tom. III. Doct. & Discipl. Eccles. lib. 29. pag. 293. rectè advertit, circa gratiæ inamissibilitatem favent. Sed legendum est, *ibique incommutabili inhærens*, ut habent mss. Codices.

Ex his Commentariis librum sententiarum composuit *Hedericus* Italus Benedictinus, sicut & *Joannes* Italus Abbas etiam Benedictinus, qui asservatur Msc. in Bibliotheca Casinensi: *Ignatium* Monachum Casinensem item collegisse ex his libris S. Gregorii flores compertum se habere testatur Oldoinus in addit. ad Ciaccon. Tom. I. pag. 413. S. Zacharias Papa Commentaria hæc è Latino in Græcum transtulit, & Stephanus Moreau Abbas S. Jodoci Gallicè vertit.

Bedæ Venerabilis sub nomine Commentarius in Job Operum ejus Tomo IV. circumfertur, qui ab aliis rectiùs tamen Philippo Sacerdoti ac S. Hieronymi discipulo attribuitur; cujus fidem facit ipse Beda libro de ratione unciarum.

Haymo, *Werenbertus San-Gallensis*, *Bruno Astensis*, *Ranulphus Higdenus*, *Reinhardus Reinhusanus*, *Guibertus de Novigento*, *Simon Affligemensis*, *Rupertus Tuitiensis*, *Albertus Spaldingensis* commentati in librum Job fuerunt, de quibus vid. le Long in B. S. Illud solùm addo de Ruperto Tuitiensi, quòd, quem Commentariolum Librorum decem in Job scripsit, abbreviatum ex abundantia sensuum atque verborum S. Gregorii, haud alius sit ab eo, qui in editis habetur per duo & quadraginta capita distributus, juxta numerum capitum libri Job absque librorum distinctione.

S. Odonis Abbatis Cluniacensis Moralium in Job. Libri xxxv. ex S. Gregorii Moralibus plerumque excerpti prodierunt curâ Martini Marrier Parisiis 1617. in 8. Bibl. PP. Lugdun. Tom. xvii. Colon. x.

Reinhardus Abbes in Reinhausen Sec. xi. exposuit librum Job. Ita testatur Trithemius, & cum eo Eisengrenius, Possevinus &c.

Ruperti Abbatis Tuitiensis *Comment.* in Job extat Operum tomo 1. pag. 1106.

Gil-

GILBERTI GENEBRARDI egregium Commentarium in Job, ùt cætera ejusdem Scripta in Vetus Testamentum, inter deperdita numeramus; nisi alii, frustrà de publica editione interpellati, suos in usus converterunt. Le Long in Bibl. Sac.

PAULI RABUSSON, Galli, Congregationis Cluniacensis strictioris observantiæ Præpositi Generalis, an. 1717. demortui *Explicatio libri Job*, Gallicè, cujus meminit Jacobus le Long l. c. pag. 917. ex Memoriis Trevoltianis, Febr. 1718. art. 21.

COMMENTATORES IN LIBRUM PSALMORUM.

ADRIANUS AMALTHEA, Neapolitanus, ex Monacho S. Severini Congreg. Casin. Abbas Brixiæ apud SS. Faustinum & Jovitam scripsit *Expositionem*, seu Paraphrasticam translationem in Psalmos, quæ simul cum duabus ejus epistolis extabat apud D. Angelum de Carinpedulo Monachum Cæsenatensem anno 1595. Obiit Adrianus 1592. Vid. Armell. pag. 1. & Wion. Lig. vit. par. 1. l. 2. c. 62. pag. 397. Possevin. in Apparatû.

Alcuini Commentationes piæ, eæque plures in Psalmos extant, viz. *Enchiridion*, sive expositio in VII. Psalmos Pœnitentiales: in Psalmum CXVIII. & in Psalmos XV. Graduales, in 8. Parisiis, separatim ab aliis ejus Operibus, an. 1547. & conjunctim cum iisdem in fol. an. 1617. ubi præterea col. 123. extat liber de Psalmorum usu, cum variis precandi formulis, ad res quotidianas accommodatis: & col. 177. Officia per Ferias, seu Psalmi secundùm dies Hebdomadæ singulos, quibus in Ecclesia cantantur, dispositi. Cum Orationibus, Hymnis, Confessionibus, & Letaniis. Sixtus Senensis Alcuini expositionem in Psalmos Pœnitentiales breviter his verbis commendat: „ Scripsit in septē „ Psalmos pœnitentiæ juxtà sensum „ moralem succinctas, argutas, ac mi„ rè significantes annotationes.

S. AMBROSIUS AUTPERTUS, Gallus, Abbas S. Vincentii ad Fontes Vulturni propè Capuam (obiit 778.) à Sigeberto, Trithemio, & Sixto Senensi in Psalterium commentarios lucubrâsse dicitur, quæ Coloniæ atque alibi edita scribit Labbeus, de quibus tamen alii eruditi dubitant, nihilque sibi constare fatentur. Fabric. l. c. pag. 216.

ANGELI DE FAGGIIS, vulgò *Sangrini*, Abbatis Casinensis, *In Psalterium Davidis Regis & Prophetæ clarissimi Paraphrasis vario metri genere exculta*, ita ut neque sanctæ fidem linguæ, neque Interpretum sententiam, neque Poëtæ diligentiam desiderare quisquam possit. Davidis Encomium præfationis loco ab Auctore præfixum. *Venetiis* anno 1540. & *Basileæ per Nicolaum Episcopium Juniorem* anno 1561. & iterum *Venetiis* anno 1575. apud Franciscum Franciscium. Armell. Bibl. Caf. part. 1. p. 24.

S. ANSELMUS BADAGIUS, Mantuanus, Episcopus Lucensis, deinde Monachus Benedictinus, anno 1086. fato functus in Psalmos commentatus est, ùt author vitæ, Sigebertus cap. 161. & Trithemius cap. 344. perhibent, sed primus notat eum desiisse in Psalmi CXXIX. verbis ultimis: *Benediximus vobis in nomine Domini*. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 306.

ANTONIUS JOSEPHUS MEGE, Gallus, Arvernus, Claromontanus è Congr. S. Mauri, non tantùm ceu Speculum antiquæ probitatis, omniúmque virtutum exemplar inter suos claruit, sed complures etiam lucubrationes ad emendandos Christianorum mores quàm accommodatissimas typis vulgavit. Huc spectat *Explicatio Psalmorum excerpta ex SS. Patribus & Interpretibus*, Gallicè, in 8. Parisiis 1675. in 4.to ibidem 1676. Hoc opus Mabillonius Religiosis commendat, Tract. de Stud. Monast. part. 2. cap. 2. §. 2.

ARNOLDI Abbatis Bonævallis Commentarium, seu Homilias quinque in Psalmum 132. edidit cum cæteris ejus opusculis sacris Casimirus Oudinus in 8. Leidæ an. 1692. In Psalmum XLIV. etiam habere se testatus est Mabillonius. Fabric. l. c. lib. 1. p. 367.

AUGUSTINUS CÆSARIUS Sodalis Cœnobii S. Severini Neapolis, floruit prope finem decimisexti seculi Latinis ac Hebraicis literis. Scripsit anno 1592. *Recentem expositionem in Psalmum 132. ad Hebraicam incudem redditum & expurgatum*, dicatam P. D. Laurentio de Genua Abbati S. Severini de Neapoli, extat MS. in Bibliotheca ejusdem Monasterii in 4. Vid. Armell. Bibl. Casin. par. 1. p. 61.

V. BEDÆ *De Psalmorum libro Exegesis* extat Opp. Tom. VIII. pag. 307. ad 896. ubi etiam mentio Psalmi CLI. atque enumerantur diapsalmata LXXIX.

LXXIX. Non Latinos verò tantùm secutus est, sed & Græcorum hypotheses & explicationes in hac sua super Psalterium comentatione adoptavit.

BENEDICTUS à S. GERMANO, Abbas Casinensis, trium linguarum peritus, sub annum 1570. Commentaria in Psalterium Hebraicum perfecit. Plac. Diac. Casin.

BERNONIS Abbatis Augiensis Libet de Psalmodia ad Meginfridum & Bennonem. Extat MS.tus in Bibliotheca Augiensi, nec non Salemitanâ.

Bonifacii Gallner, Mellicensis, omnes Psalmi Davidici pulcherrimè descripti, picturis & brevibus notis illustrati. MS. in fol. Author piissimæ vitæ obiit an. 1727. die 8. Aprilis.

BRUNO ASTENSIS, sive *Signiensis*, de quo suprà, Author proditur à Dupinio Commentarii nomine S. Brunonis Carthusianæ Familiæ Fundatoris inscripti. Attamen in Bibliotheca PP. Tom. 20. p. 1443. Commentarium legitur Brunonis Signiensis, alterum ab eo, quod intet Opera S. Brunonis Coloniæ 1611. vulgatum est. Qua de re legi merentur, quæ Renatus Massuet Annal. Ord. S. B. tom. v. p. 445. scribit, ubi evidenter demonstrat, Brunonis Astensis Comentarium esse à Brunonis Carthusiani distinctum.

CASSIODORUS (M. Aurelius) cùm Comentarios in Psalmos edidit, nihil aliud ferè egit, quàm ut D. Augustini Commentarios in eosdem libros contraheret, ut id statim initio suæ Præfationis testatur: unde Mabillonius Cassiodori Comentarios vocat excellens quoddam Comentariorum S. Augustini quasi compendium, & in quo adeò elegantem status monastici notionem exhibet, ut planè ostendat, se ex absolutissima rei peritia loqui, non quasi aulicum, qui mundi opiniones & mores nondum deposuerat. Tract. de Stud. Monast. vol. 11. art. 14. p. 68. Editiones hujus Comentarii antiquæ sunt, Basileensis, & Parisiensis cum characteribus Gothicis, & frequentiori, sed parùm commoda literarum abbreviatione. Hinc J. Garetius è Congr. S. Mauri novam accuravit. De ejus præstantia, vide quæ præfatur ad novam Operum omnium Cassiodori editionem.

S. COLUMBANUS Abbas Luxoviensis cùm adhuc junior esset, magnum studium tam prophanis quàm sacris Literis impendit, & eleganti stylo plura scripsit, præsertim verò in totum Psalterium commentariorum librum unum. Sixtus Sen. Bibl. San. lib. 4. p. 351. & Trithem. cap. 223. Ante utrumque Sigebertus Gemblac. cap. 60. Hujus expositionis S. Columbani super omnes Psalmos meminit etiam apud Goldastum in paræneticis p. 72. Hartmotus, qui Abbas S. Galli fuit circa an. 880. inter libros in Bibliotheca S. Galli suo tempore asservatos. Si verò Expositio isthæc non omninò excidit, desideratur certè inter Opera S. Columbani junctim edita à *Patritio Flemingo* Ord. Min. Lovanii an. 1667.

DANIELIS, Monachi Lirinensis Sec. XI. Commentarius in omnes Psalmos Davidicos asservatur MS.tus in Bibliotheca ejusdem Monasterii. Le Long pag. 694.

ENGELBERTI, Germani, Abbatis Admontensis in Stiria, Expositio continua super Psalmum CXVII. incipit: *Vadam in agrum.* Extat in Codice membran. fol. exarato anno 1384. in Bibliotheca Claustroneoburgensi Canonicorum Regularium S. Aug. in Austria Infer. & in Bibliothecæ Lambacensis O. S. B. in Austria superiori codice chart. fol. Sec. xv. manu perscripto. Cl. Bernardus Pezius putabat, eam etiam in Bibliotheca Admontensi haberi. Opus etiam vastum vocavit, quod proferre tamen in Thesauro suo Anecdotorum Novissimo animo destinârat.

FELIX ROMA, Italus, Romanus, Professus Monasterii S. Pauli de Urbe scripsit *Explicationes*, seu *Commentaria* satis diffusa in Psalmos, quæ tamen tantùm perveniunt ad Psalmum 47. Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 170.

FLORIANUS Corbeiæ Novæ monachus circa an. 1214. Comentarium in Psalmos edidit, qui cum cæteris ejus lucubrationibus sacris in Bibliotheca nobilissimi illius Asceterii inter MSS. Codd. custoditur. Vid. Annal. Corb. ad an. 1214.

Gabrielis à Brebia, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. 1450. ætatem agentis, Breve Commentariolum, seu potiùs Epitome annotationum, quas juxta literam ex Hieronymo & Lyrano collegit, in Psalmos, & in fine cujusque Psalmi piæ aliquot Orationes, anno Domini 1490. lib. in 4. qui typis, ut vulgò dicitur, Gothicis consignatus, asservatur in Bibl. S. Justinæ Patavinæ. V. Armell. part. 1. p. 178. Sixtus Sen. Possevinus, & alii.

GALFREDUS WATERTONUS, aliis *Bedericius*, vel *Buriensis* dictus, quòd Monachus esset in Cœnobio Buriensi,

i. e.

i. e. ad S. Edmundum in Suffolcia. Vir in omni tum sacra tum profana Philosophia versatissimus, assiduæ lectionis, nisi eum avocaret regularis obedientia, vel psalmodia in choro, vel contemplatio & meditatio. Claruit anno 1350. & scripsit

Moralitates in Psalterium, Lib. un. V. Pitseus æt. 14. p. 473.

GILBERTUS GENEBRARDUS, inter primores in Psalmos Scriptores meritò habendus, doctissimum in Psalmos commentarium emisit in lucem, ex quo, teste Amat de Graveson, Cardinalis Bellarminus plurima hausit, & in suos Psalterii Commentarios derivavit. Titulus Commentarii est sequens: *Psalmi Davidis Calendario Hebræo, Syro, Græco, Latino, Argumentis & Commentariis genuinum eorum sensum, Hebraismósque locupletiùs, quàm antea aperientibus à G. Genebrardo Theologo Parisiensi, divinarum Literarum Professore Regio ultimò instructi in duas divisi partes; & indicibus locorum SS. Scripturæ & Hebraismorum, & quibusdam aliis aucti.* Lugduni apud Horatium Cardon anno Jubilæi MDC. in 8. Altera hæc Lugdunensis editio ab anthore secundis curis recensita præferenda est primæ, quæ an. 1592. Lugduni prodiit. Sequutæ fuerunt duæ alteræ, an. 1607. & 1615. in 4. Lugdunenses editiones præcesserunt illæ *Parisienses*, prima 1577. altera 1582. tertia auctior in fol. 1587. in 8. quarta 1588. Præterea Commentarius hic ob suam præstantiam editus fuit Venetiis 1606. Lovanii 1608. in 4. ibidem 1613. Colon. Agrippinæ 1615. Ex his editionibus pro optima habetur Parisiensis de año 1588. in fol. Calmet in Supplem. ad B. S. part. 1. p. 140.

S. GREGORIUS M. sive juxtà Petrum de Gussanvilla & alios, *Gregorius VII.* etiam Benedictinus, in septem Psalmos Pœnitentiales calamum exercuit. Si hujus Operis summus ille Pontifex non est author, Opus certè dignum est, ut eidem vindicetur. Vid. præfat. Dionysii Sanmarthani, qui illud edidit in nova Opp. S. Greg. editione Tom. III. part. 2. p. 467.

GUALTERUS BEDERICHWORTUS Monachus Anglus Monasterii S. Edmundi apud Suffolcienses, quod Buriense vocatum fuit, Sacræ Theologiæ Doctor, Vir & pietatis & omnis melioris literaturæ titulis insignis. Testes abundè locupletes sunt ejus eruditæ lucubrationes. Nam ad Ecclesiæ Catholicæ bonum & ad conservandam apud posteros nominis immortalitatem scripsit, ut ex Sixto Senensi, Joanne Trithemio, Conrado Gesnero, ejúsque Abbreviatore colligit Pitseus æt. 14. p. 469.

Moralitates super Psalterium, Lib. un. Mihi suspicio forsan non ex vano suboritur, *Gualterum* hunc cum *Galfredo*, de quo paulò antè, confundi. Uterque enim Monachus Buriensis, & Sac. Theologiæ Doctor fuisse, claruisse item medio seculo XIV. ac Moralitatum super Psalterium librum unum scripsisse dicitur.

GERMANI CARTIER, *Professi in Monasterio D. Ettonis propè S. Landelinum, vulgò Ettenheimmünster in Brisgoia, SS. Theologiæ Professoris* Dilucidatio Psalmodiæ Ecclesiasticæ, quâ loca obscura in Psalmis & Canticis secundùm ordinem Breviarii Monastici dispositis occurrentia, ad mentem SS. Patrum, ac probatissimorum S. Scripturæ Interpretum methodo cùm psallentibus, tum privatim recitantibus apprimè commoda, breviter explicantur, Notisque illustrantur. Friburgi Brisgoiæ, typis Franc. Xav. Schall. an. 1734. Hoc Opus à Celsissimo Principe, Archiepiscopo Strigoniensi & Hungariæ Primate, *Emerico ex Comitibus de Esterhazi* majorem in modum commendari audivi, qui Cl. Authorem cùm sibi, tum universo Clero seculari, cæterisque, qui Romano utuntur Breviario, rem gratam facturum fore edixit, si eadem methodo, vel totum Davidis Psalterium, vel certè quidem Psalmos cum Canticis in Romano Breviario contentos explanaret.

HAYMONIS Explanatio in Psalmos ex omnium veterum Patrum scriptis, velut hortis ac pratis florentissimis excerpta, quamvis, ut neotericus Criticus arguit, de critica ac de studio linguarum ne hilum quidem habeat, lectores tamen suos invenisse probant complures editiones, nempe in 8.vo Parisiis an. 1531. in fol. Parisiis, & Friburgi Brisgoiæ 1533. in 8.vo Coloniæ 1561.

HERMANNUS, Abbas Corbeiæ Novæ, edidit Meditationes in Psalmos. Ab Annalista Corbeiensi ad an. 1250. *sacro Spiritu pleni* vocantur.

HILDEBRANDUS, Tuscus, Cluniacensis Monachus, ac posteà Pontifex Maximus, dictus Gregorius VII (obiit 1085.) author à nonnullis dicitur Expositionis in VII. Psalmos Pœnitentiales, quæ Gregorio M. vulgò adscribitur.

HUGONIS Floriacensis Monachi sub an. 1120. Commentarius super Psalterium asservari dicitur à *le Long* in nescio qua Angliæ bibliotheca cod. 299.

JOANNIS FECKNAMI, Angli, Monachi Evishamiæ, & ultimi Westmonasteriensis Abbatis præclarissimi Commentarius in Psalmos Davidis à Pitseo commemoratur. Quod opus Londini in manibus auctoris se vidisse, ipsi sanctè affirmavit Richardus Stanihurstus, uti in vita Fecknami diximus.

JOANNES A PASTURA monasterii Gemblacensis Prior edidit in Psalterium Paraphrasin ex Doctoribus Ecclesiæ collectam anno Domini 1510. Sixt. Sen. l. 4. p. 422. Foppens Bibl. Belg. pag. 710.

JOANNES BAPTISTA FOLENGI, Italus, Mantuanus, Abbas S. Mariæ de Pyro in Marchia Tarvisina è Congr. Casin. Commentaria in Psalmos edidit stylo exculto, erudito, & modesto. Ex prælo prodierunt typographico Patavii 1542. Basileæ 1549. 1557. Romæ 1585. Coloniæ 1594. Author pietate erat insigni, ejusque Commentarium non aridum quidem, & gramaticale, neque Græcis & Hebræis vocibus barbarum est; sed unctione plurima morali, & ecclesiastica refertum. Mabillonius existimatione sua singulari opus dignatur. *Dupinus* in sua Bibliotheca tom. IV. pag. 139. sec. XVI. meminit tabulæ ab eo adornatæ, quâ Psalmos in varios usus partitus est; Est verò hæc Possevino & Calmeto etiam laudata.

In Psalmorum libro aut *laudatur* Deus, aut ad eum *laudandum* fiunt adhortationes, in quibus ejus tum erga alios, tum potissimùm erga Israëlitas *beneficia* commemorantur. Psal. 8. 29. 33. 47. 65. 66. 67. 81. 92. 93. 95. 97. 98. 100. 103. 105. 106. 107. 111. 113. 114. 115. 117. 119. 134. 135. 136. 138. 145. 146. 147. 148. 149. 150. Aut *oratur*, ut in Psalm. 16. 26. 43. 67. 84. 90. 127. *In morbo*. 6. 38. 39. 88. *Pro peccatorum autem venia & expiatione*. 19. 25. 57. 130. *Auxilium petitur contra adversarios, & improbos potissimùm, in quo insunt querelæ & imprecationes*. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 17. 25. 27. 28. 31. 35. 36. 40. 42. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 64. 69. 70. 71. 74. 79. 80. 83. 85. 86. 89. 94. 102. 108. 109. 123. 140. 141. 142. 143. 144. *Aut aguntur Deo gratiæ, in quo inest & laudatio* 18. 21. 30. 31. 34. 40. 66. 77. 116. 118. 124. *Aut est fausta precatio, vel omen*. 20. 72. 122. *Aut sunt in improbos invectiones cum precibus conjunctæ*. 5. 7. 10. 12. 35. 36. 40. 52. 53. 58. 109. 120. 135. *Aut docetur aliquid, & ad rectè vivendum traduntur præcepta*. 1. 2. 4. 11. 15. 19. 23. 24. 32. 37. 41. 45. 46. 49. 50. 62. 63. 78. 82. 91. 95. 97. 99. 101. 112. 119. 121. 125. 127. 128. 129. 131. 132. 133. 137. 139. 141. *Insunt & de Christo oracula*. 2. 14. 16. 17. 22. 24. 50. 53. 68. 75. 82. 86. 94. 97. 98. 110. *Et de Ecclesia*. 51. 87. Atque hæc plerumque inter se mixta sunt.

In expositione verò Psalmi LXVI. vers. 4. *Quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis*: „ O normam certè, *exclamat*, ab æterni Patris corde in terram hanc ærumnosam delapsam, datámq; mortalibus, qua alterius alter sufferre perdiscant miseriam, condocefiántque mutuas æquo expendere judicio operationes. Hinc, opinor, Dei spiritu permoti mei Ordinis Patres, decreverunt, sanxerúntque olim lege, ut illis potissimùm diebus, quibus generalia Congregationis haberentur comitia, & diffinitiones, quod Capitulum vocant, hic psalmus à choris summissè decantaretur, quò scilicet Dei lumen hac invitatum precatione præstò esset judicaturis: quo fanè præsente cuncta ajebant æquissimè censeri, pacémque omnibus conciliari, præstari clementiam, virtutes, dignitatem, magnitudinem, existimationem congregationi augeri: absente verò atque à nobis averso, omnia turbulenter fieri diffinirique, lites exsuscitari, sævitiam inferri, mala ocia, opprobria, irrisiones, contemptum religioni acciri. Sanctè id quidem nostris à progenitoribus ordinatum, faxit Deus, ut eo quo decretum est instituto ac spiritu servetur, revocetúrque, si quid ob quorundam ambitiosorum tumorem elanguit. „

Plura de Jo. Bapt. Folengio, ejúsque in Psalmos Commentario leges apud Armell. in Bibl. Script. Congr. Casin. part. 2. pag. 24. & part. 1. pag. 83.

JOANNIS DE WEILHEIM Prioris Mellicensis 1.) *Claviger Psalterii*, in quo exponuntur omnes tituli Psalmorum. 2.) *Summula materialis* Psalmorum. 3.) *Glossa literalis totius Psalterii*. Vid. Histor. Bibl. Mellic. pag. 393.

JACOBUS DE MARQUAIS, Belga, Atrebas, S. Martini Tornacensis Abbas, an. 1604. vitam cum morte commutans

mutans reliquit *Explicationum in Psalmos libros quinque.* Bibl. ejusdem Monasterii. Sanderus part. 1. p. 144. Bibl. mss. Belgicæ. le[Long] l. c. pag. 848. col. 2.

JOSEPHI PORTA, Liguris, Astensis, è Congr. Casin. Sac. Theologiæ Professoris in Collegio Anselmo-Benedictino

Novissimo Psalmorum expositio, extat msc. Astæ in Bibliotheca Monasterii ad S. Bartholomæum, Armell. part. 2. pag. 48.

B. LANFRANCUS, Italus, Ticinensis, seu Papiensis, Abbas Beccensis, Archiepiscopus Cantuariensis, anno 1088. extinctus eruditos in totum Psalterium Commentarios concinnâsse fertur à Sixto Senensi Bibl. San. lib. 4. deinde à le Long, qui authoritate nititur *Willerami Benedictini in Prologo Cantici Canticorum.* Excidisse hos Commentarios credibile est, cùm in editione Operum B. Lanfranci, quam Lucas Acherius è Congr. S. Mauri an. 1648. adornavit, planè desiderentur. Quid? quòd ne verbo quidem ab Editore mentio fiat, quòd Lanfrancus unquam in Psalmos comentâtus fuerit. Eorum tamen meminit Henschenius in præv. Comment. ad vit. B. L. Tom. 6. Maij pag. 832.

S. LEANDRI, Archiepiscopi Hispalensis duplex ordo orationum ac meditationum in totum Psalterium à Sixto Senensi B. S. l. 4. commemoratur. Et ante Sixtum pridem Isidorus lib. de Vir. Ill. *S. Leander ex Monacho Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Bæticæ constitutus Episcopus. . . . In toto Psalterio duplici editione Orationes conscripsit.* Has Orationes Card. Thomasius in Commentario suo in Psalmos edidit, & ad calcem cujuslibet Psalmi subjecit.

MARIANI SCOTI, à patria sic cognominati, *Fuldensis* Monachi, Moguntiæ Reclusi an. 1080. defuncti Commentarius in Psalmos. *Königius apud le Long pag.* 847.

B. MARIANUS SCOTUS *Ratisbonensis* dictus ad distinctionem alterius Mariani Scoti dicti *Fuldensis* vel *Historiographi* Comentarios scripsit in omnes CL. Psalmos, qui codex in Bibliotheca Electoris Bavariæ prostat, & forsan Mariano Scoto Fuldensi perperàm attribuitur. Hæc ex literis R.mi Bernardi Baillie Scoti, Abbatis ad S. Jacobum Ratisbonæ.

MATHÆI LAURETI, ni fallor, Abbatis S. Salvatoris de Castellis *Paraphrasis Lyrica in Psalterium.* Italicè. Maceratæ typis Caroli Zenobi anno 1571. in 4.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

MAURI, Abbatis Beinwilensis, excellentis Poëtæ, Interpretatio Psalmorum poëtica, quantum fieri potuit ad literam. Constantiæ typis Conradi Waibel 1729. in 8.

NONNOSI, Abbatis Attilensis in Bavaria, *Psalterium Davidis* in tres partes distributum explanatione literali & mystica affectuosè, ac in modum meditationum dilucidatum, utilissimum omnibus tum vitam contemplativam, tum activam ducentibus, præsertim Polemicis, & universim Breviarium recitantibus. Per singulos etiam Psalmos moderni hæretici, præsertim sic dicti Missionarii Regis Danici, manifesti erroris convincuntur. Pediponti propè Ratisbonam an. 1742. in 4. sumptibus Jo. Gastelii.

S. ODILO Abbas Cluniacensis Commentarium in Psalmos à se lucubratum Henrico II. Imp. dono obtulit. Quod insigne Opus in Msc.to in Cathedralis Ecclesiæ Bambergensis Bibliotheca hodie asservatur.

ODO, seu *Oddo* Astensis claruit an. 1106. Expositio in Psalmos per contemplationem exarata, cujus pars habetur ad calcem Operum S. Brunonis Signiensis in fol. Venet. an. 1651. Bibl. PP. Lugd. tom. xx.

ODONIS Abbatis S. Martini de Bello in Anglia *Moralis super Psalmos* Mss. Oxonii in Bibliotheca Balliolensi cod. 36.

ODONIS Aurelianensis, Abbatis S. Martini Tornacensis, Episcopi Cameracensis an. 1113. defuncti, Commentarius in Psalmos.

OTFRIDUS, Monachus Weissenburgensis Cœnobii, in Diœcesi Spirensi, Rabani Mauri auditor, scripsit in Psalterium tria magna volumina sermone Theotisco. Trith. de S. E. & in Catal. Vir. Ill. Germ. Per tria illa volumina magna, inquit Lambecius Comment. de Bibl. Cæs. l. 2. c. 8. pag. 761. intelliguntur ibi *tres primoriæ Psalterii partes*, quarum *prima* incipit à Psalmo primo, *Beatus Vir* &c. Secunda à Psalmo quinquagesimo primo, *Quid gloriaris in malitia* &c. tertia incipit à Psalmo centesimo primo *Domine exaudi orationem meam.* Notandum verò ex eodem Lambecio l. c. p. 459. *per tria Otfridi volumina*, sive totidem *libros in Psolterium* nihil aliud intelligendum esse, quàm *Theotiscam Paraphrasin prosaicam*, singulis cujus-

que Psalmi versiculis subjunctam, v. g. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Der man ist salig, der in dero argon rat ne gieng; so Adam teta, do er dero Chenun* (hoc est, mulieris) *rates volgeta wider Gote.* Codex MS.tus asservatur in Bibliotheca Cæsarea, de quo vide plura apud Lambecium II. cc. *Nesselius* in Syntagmate fidem dedit vulgandi illum typis, sed non liberavit. *Joannes Schilterus* hanc Paraphrasin Notkero San-Gallensi vindicat hoc titulo: *Psalmi Davidis à Notkero Labeone Abbate S. Galli ante septingentos annos translatione & Paraphrasi Teutonica expositi. Nunc primùm ex Museo Generosi Domini de Laudere in publicum editi, Latina interpretatione, Notisque illustravit Jo. Schilter Tomo I. Thesauri sui.*

OTHOMARUS LUSCINIUS, Germanus, Argentoratensis, Monachus Cœnobii SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. floruit circa annum 1520, & obiit 1535. Scripsit *Allegorias Psalmorum*, seu, ut Sixtus Sen. Bibl. San. pag. 448. loquitur, librum Isagogicum ad mysticam Psalterii intelligentiam, in quo omnes reconditas & magis abstrusas Psalmorum dictiones secundùm ordinem literarum digessit, earúmque spirituales & allegoricos sensus purè, aptè & germanè explicavit. De *Othmaro* videri etiam potest Possev. in Appar. Sac. pag. 545. & Nat. Alex. Histor. Eccl. Sec. XVI. Tom. VIII. pag. 85. Non fuit Ordinem S. B. professus, sed in Monasterio San-Udalricano docuit literas.

S. PASCHASII RADBERTI Expositio in Psalmum XLIV. *Eructavit cor meum* &c. Libri III. quos Suessionensis Parthenonis Sanctimonialibus dedicavit. Excusa est inter cætera ejus Opera Parisiis an. 1618. fol. pag. 1226. & in Bibl. PP. Colon. & Lugdun.

PAULUS GENUENSIS, Monachus Casinensis, claruit an. 1100. commentatus est in Psalmos. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin.

PETRI ABÆLARDI Explanatio in Psalterium extat inter manuscriptos Codices Bibliothecæ Colbertinæ cod. 4334. le Loog l. c. p. 591. col. 1.

PETRI BERCHORII Commentarius in Psalmos sub nomine *Michaëlis Ayguani* perperàm vulgatus.

REINHARDI, Germani, Abbatis primi Monasterii Rheinhausani in Ducatu Brunswicensi, à Conrado, Henrico, & Hermanno fratribus, & Comitibus à Rheinhausen & Gleichen in honorem S. Christophori fundati, *Commentarius in Psalmos.* Trithemius in Chron. Hirsang. tom. 1. p. 311. qui tamen, cùm annum *Rheinbardi Abbatis* emortualem millesimum nonagesimum sextum statuit, ex ejusdem epitaphio corrigendus est, quod sic habet: *Anno Domini MCL VI. Non. Maji obiit venerabilis Reinhardus primus Abbas hujus Cœnobii, qui quiescit hic, & claruit miraculis in vita & post mortem.* V. Leibnizii Introductio in Script. Rer. Brunsv. Tom. I. n. 43. Leuckfeld Antiquit. Bursfeld. cap. 3. p. 129.

REMIGIUS Autissiodorensis, Monachus S. Germani, Sec. IX. Comentarium Morale, longa præfatione instructum elucubravit, in quo, quæcunque SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, sicut & Cassiodorus in Psalmos scripserunt, ille brevissimè, ut inquit Sixtus Senensis, complexus est, intermistis tamen de suo non contemnendis omnino cogitationibus. Prodiit opus in fol. Coloniæ 1536. subinde locum etiam accepit in Bibliotheca Patrum Tom. XVI. pag. 3.

ROBERTI MOREL è Congreg. S. Mauri *Effusio cordis, seu Colloquium spirituale & affectuosum animæ cum Deo super singulos Davidis Psalmos,* in 12. Parisiis apud Jacob. Vincent. Meretur hic libellus, ut ob suam præstantiam à nostro quopiam è Gallico in Latioum vertatur.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis Commentarius in Psalmos conjunctim cum cæteris ejus Operibus vulgatus fuit Tom. I. pag. 393. 414.

SMARAGDI, Germani, Abbatis S. Michaëlis ad Mosam in Diœcesi Virdunensi *Comentarius in Psalterium.* Trith. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 68. Sixt. Sen. l. c. pag. 470. Præfationem Commentarii ediderunt Martene & Durand Collect. ampliss. tom. 1. pag. 53.

S. THEOGERI, Germani, Monachi Hirsaugiensis, sub B. Wilhelmo Abbate, cujus jussu Biblia recognovit, ac demum ex Abbate S. Georgii in Sylva Hercynia Episcopi Metensis *Breves Commentarii in Psalmos.* Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 282.

WALAFRIDI STRABONIS, Abbatis Divitis Augiæ, *Expositio in septuaginta sex primos Psalmos manusc.* asservatur in Bibliotheca Augiensi; in reliquos verò amissa videtur. Ex priore

ore viginti primos Psalmos velut in reliqui Operis specimen edidit Bern. Pez. Thes. Anecdot. Noviss. tom. IV. col. 473.

S. WOLFGANGI, Germani, Suevi, ex Comitibus de Achalm Monachi Einsidlensis, ac postea Episcopi Ratisbonensis *Paraphrasis Psalmi L.* typis vulgata est à Bernhardo Pezio Thes. Anecd. Tom. II.

COMMENTATORES IN LIBRUM PROVERBIORUM.

V. BEDÆ super Parabolas Libri III. Opp. Tom. V. pag. 634. 658. 698. inter Hieronymi Opera perperam editi, sed in nova editione Joannis Martianay è Congr. S. Mauri prætermissi.

EJUSDEM *De Muliere forti libellus* in cap. Proverb. XXXI. Tom. VII. pag. 459.

ALCUINI Commentarius in Proverbia. Opus deperditum.

RABANI MAURI in Proverbia Commentarius lucem publicam nondum aspexit, vel, quod propiùs fidem, omnino excidit.

WEREMBERTI SAN-GALLENSIS in Proverbia Salomonis Liber I. Trithem. in Annal. Hirs. pag. 28.

FLORIBERTUS, Germanus, Monasterii S. Mathiæ propè Treviros Monachus atque Scholasticus, obiit 985. Scripsit Commentaria in Proverbia Salomonis. Trithem. l. c. p. 37.

LUTGERUS, Germanus, Monasterii S. Michaëlis Luneburgi Scholasticus, vita functus an. 1028. scripsit in Proverbia Salomonis. Trithem. l. c. pag. 167.

RICHARDUS PRATELLENSIS in Proverbia Salomonis commentatus est: ejus Commentarius in fol. extat in Bibliotheca Pratellensi cod. 78. le Long l. c. p. 928. col. 2.

RADULPHI FLAVIACENSIS Commentaria super Parabolas Salomonis asservantur in aula Pembrociana apud Cantabrigiam cod. 2011. n. 83.

RUEGERI (an *Rutgeri?*) Monachi Corbeiæ Novæ in Saxonia *Novæ Prælectiones in Proverbia Salomonis.* Leibniz Introd. ad Script. Rer. Brunsv. Tom. 2. n. 25. pag. 27.

ROBERTUS DODEFORDUS, natione Anglus, Monachus Ramesiensis, vir studiis bonarum literarum impensè deditus, & qui ad summa properans, à tergo quodammodò nunquam respexit, sed absoluto omnium studiorum cursu, in supremis sibi tantùm confistendum judicavit. Divini namque verbi meditationi se totum consecravit. In cujus cœlestibus mysteriis, ut penitiorem consequi cognitionem posset, linguam Hebræam didicit, idque apud suum Abbatem & Monasterii primarios egit, ut suæ custodiæ committeretur thesaurus librorum Hebraicorom, quem ad illius cœnobii bibliothecam instruendam Gregorium Huntingtonum coacervâsse alibi à me dictum est. Qua obtenta petitione, fertur multum & quidem perutiliter laborâsse, & plurima erudita scripta edidisse: Sed nescio quo infortunio, qua invidia, quóve alio casu evenerit, ut perpauca ejus opera ad nos pervenerint. Ferunt tamen adhuc extare.

Postillarum in Parabolas Salomonis, Lib. 1. Ipse mittet quasi imbres eloq.

Vixisse putatur circa an. Chr. 1270. Pits. æt. 13. p. 350.

HONORII THOTI, Itali, à Cava, Campaniæ oppido, ex Medicinæ Doctore Monachi Cavensis an. 1606. facti.

Expositiones in librum Proverbiorum Salomonis Gregorio XV. Pontif. Max. dicatæ, quæ msc. asservantur in Archiv. Cavensi. Armell. Bibl. Casin. part. I. pag. 235.

MARIA ELEONORA DE ROHAN, *filia Ducis de Montbazon Parisina, Benedictina, Abbatissa Malnoviensis, obiit an.* 1681. Ejus opus præclarum est.

Ethica Salomonis, complectens paraphrasin Proverbiorum, & libri Sapientiæ, cui adjecta est Paraphrasis Psalmorum septem Pœnitentialium, Gallicè in 12. Parisiis 1667. 1675. 1681. 1691. le Long. pag. 932.

COMMENTATORES IN LIBRUM ECCLESIASTÆ.

ALCUINI Commentaria in Ecclesiasten ad *Oniam*, *Candidum*, & *Nathanaelem*, discipulos suos, prodierunt in 8. Basileæ 1531. & Parisiis 1589.

HERVEI DOLENSIS circa annum 1130. doctrina & pietate percelebris *Expositio in Ecclesiasten Ms.* habetur in Bibliotheca Pontigniacensi Ord. Cisterc.

WOLBERO, Germanus, Abbas S. Pantaleonis Coloniæ, obiit an. 1167. Ejus Commentarius in Ecclesiasten & in Cantica Canticorum cum notis marginalibus H. Grævii excusus est Coloniæ in 4. an. 1630.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS in Ecclesiasten libros quinque scripsit ad Gregorium. Opp. tom. 1. p. 1197.

JACOBI DE MARQUAIS Abbatis S. Martini Tornacensis Commentarius in Ecclesiasten asservatur inter MS.tos Codd. ejusdem Monasterii. le Long. l.c. pag. 848. col. 2.

HONORII THOTI Expositiones in Ecclesiasten, quæ cum ejus *Commentario in Proverbia* in Archivo Cavensi asservantur. Armell. l. c.

FRANCISCI SANCHEZ, Lusitani, Olyssiponensis *Commentarius in Ecclesiasten*, typis exscriptus est in 4. Barcinone an. 1619. Vid. le Long pag. 944. col. 2.

ANONYMI MONACHI, qui sub annum millesimum octogesimum nonum vixit, *Commentarius in Ecclesiasten* octo in libros divisus extat in codice manuscripto ejus ætatis in bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis. Mabill. Annal. O. S. B. tom. v. pag. 261.

VICTORINI MANSO è Congr. Casin. Abbatis, tum Episcopi Arianensis *Paraphrastica Expositio in Ecclesiasten*, cui titulum fecit: *De vanitate Mundi, déque solida Hominis felicitate*. Florentiæ anno 1580. in 4. & iterum Coloniæ Agrippinæ eodem anno apud Cholinum in 12. Opus doctum, & suasione Cardinalis Stanislai Osii in publicam lucem edendum. Vid. Armell. part. 2. lit. V. pag. 10. le Long. pag. 845. col. 1.

COMMENTATORES IN CANTICUM CANTICORUM.

ALCUINI Commentarius in Cant. Canticorum. V. Gilberti Foliot in idem, in 4. Londini 1638. Ita le Long Bibl. Sac. pag. 601. Inter Opera Alcuini à Duschesnio edita desideratur, solùm part. 1. col. 270. habetur *Alcuini* Epistola de illo Cantici Canticorum loco *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ*.

ANGELOMUS, monachus Luxoviensis, in Canticum Canticorum jussu Lotharii, filii Ludovici Pii, commentatus est. Vid. Mabillonius Tom. II. Annal. O. S. B. Lib. XXXI. p. 561. ubi corrigitur Bellarminus. Opus in fol. excusum est Coloniæ in 8. per Jo. Praël 1531. sub epigraphe: *Enarrationes Angelomi*, sive *Stromata in Canticū Canticorum*. Vid. Labb. de S. E. Tom. I. pag. 77. Extat etiam in Bibl. PP. Colon. Tom. IX. pag. 780. & Lugdun. Tom. XV. pag. 307. - 415. Cæterùm Angelomi opus mysticum prorsus est, & allegoricum.

AMBROSII AUTPERTI Commentarium non adhuc paruisse facilè reputaremus, nisi Sixtus Senensis & Labbeus contraria docerent. Coloniensem editionem an. 1536. recenset *Guil. Crowæus in Elencho Scriptorum ad Scripturam*. Notior est Autpertus Commentario suo in Apocalypsin, ubi nos de illo, inquit Calmet in Suppl. ad B. S. part. 1. p. 344.

BEDÆ VENERABILIS Libri VII. in Cantica Canticorum, quorum primus est contra *Julianum* Celanensem Episcopum, Pelagii discipulum, qui commentariis suis errores ejusdem sui Magistri contra gratiam Dei intexuerat. Liber VII. ferè totus debetur S. Gregorio M. ex cujus dictis contextus est. Novissimè Edmundus Martene è Congr. S. Mauri Tom. V. Thes. Nov. Anecdot. Venerabilis Bedæ Commentarium in Cantica Canticorum publicam in lucem protraxit, præmissa observatione critica, quæ legenda est.

BRUNONIS ASTENSIS, seu Signiensis Commentarius in *Cantica Canticorum* extat Operum ejus volumine I.

CASSIODORUS an in Cantica scripserit, uti Sixtus Senensis & alii perhibent, pro explorato non habetur, sed eruditi ferè plerique non addubitant, quin Commentarius ejus nomine inscriptus alterius sit authoris. Legi possunt, quæ hac de re disserit Joannes Garetius in præfatione ad novam suam Operum Cassiodori editionem, in qua tamen tom. 2. per eam causam, ne fortè periret, retinendum existimavit. Opus, cujus demum cunque sit, typis primis excusum est in fol. Friburgi in Brisgoia an. 1538. quæ editio, quòd unica sit, rarissimis accensetur.

GERBERTI Papæ (hoc enim nomine ante Summum Pontificatum vocatus fuit *Sylvester II.*) *Expositio in Cantica Canticorum* nondum prælo subjecta est, sed extat adhuc inter MS.tos Codices Bibliothecæ Bodleianæ in Anglia.

GILBERTUS GENEBRARDUS præter Commentarium suum opus in 8. (de quo infrà, cùm de Libris Poëticis in Scripturam acturi sumus) dedit Observationes fusiores, Parisiis a. 1570. in 4. Calmet l. c.

GILBERTUS, seu GISLEBERTUS, Abbas Westmonasteriensis, claruit an.

an. 1084. ac fermone fatis polito librum Canticorum pluribus homiliis expofuit. Trithem. Chron. Hirfaug. tom. 1. pag. 262. Sixt. Sen. B. S. lib. 4. p. 371.

S. GREGORIUS M. in hunc librum commentatus eft; quod enim ejus nomine vulgatum eft Commentarium, eidem S. Doctori in ultima Operum ipfius editione San - Mauriana afferitur; ficut etiam invictè demonftratur, opus illud alterum planè effe à Commentario, quod S. Paterius & Ven. Beda ferè ex fententiis ejusdem S. Doctoris contexuerunt. *Cafimirus Oudinus* Comment. de Script. Eccl. Tom. II. pag. 769. feq. legitimum hujus Commentarii parentem contendit effe *Robertum* Monachum S. Michaëlis de periculo maris in Normannia, tum poftea Abbatem S. Victoris Baiocenfis O.S.B. Elias Dupinius in Bibliotheca fua Abbati Claudio tribuendum cenfet, quod ejus dictum accipi poffe, eo fenfu, quo fuprà de Commentario in Reges nobis fermo fuit, concedit Abbas Calmet Supplem. ad B. S. part. 1. pag. 342. Jacobus Hommey, ut paulò poft audiemus, Radulpho Flaviacenfi adfcribit. Omnes hi verò funt Benedictini.

GUILIELMUS PARVUS, Gallus, Abbas Beccenfis, claruit 1170. Ejus opus eft

Commentarius in Canticum Canticorum. Ita teftatur Cornelius à Lapide in Indice Commentatorum in Canticum &c.

GUILHELMUS PETROBURGENSIS, Monachus Ramefienfis in Anglia edidit Commentarium in Cant. Lib. un. *Dilectus meus candidus.* Pitfeus æt. 12. p. 252.

HENRICUS GRAVIUS, Belga, Lovanienfis, Theologiæ Doctor in Univerfitate Lovanienfi, obiit. 1591.

Notæ marginales ad Wolberonis Commentarium in Cantica Canticorum, in 4. Colon. Agrippinæ an. 1630. le Long. p. 750. col. 2.

HAYMONIS *Commentarius in Cantica Canticorum.* Levi autem conjectura ex mente Jo. Alb. Fabricii Bibl. med. Lat. l. 8. p. 545. nituntur, qui eundem vel Caffiodoro, vel Remigio, vel Thomæ Aquinati tribuunt. Certè inter Haymonis Scripta Commentarium in Cantica Canticorum omnes referunt, etiam Anonymus Mellicenfis cap. 76.

JOANNES RESTA, Italus, Mediolanenfis, Abbas apud S. Petrum de Glaffiate Mediolani fcripfit *Lectiones in Cantica Canticorum.* Obiit 1653. Armell. part. 2. pag. 16.

IRIMBERTI Venerab. Abbatis Admontenfis in felecta quædam loca Cantici Canticorum Commentarius extat in Bern. Pezii Thef. Novifs. Anecd. Tom. II. Opus perelegans, & optimis moralis doctrinæ capitibus, ac piiffimis fenfibus refertum.

ISIDORI CLARII è Congr. Cafin. Epifcopi Fulginatis, pari vel doctrina & eruditione vel morum fanctimonia præditi *Scholia in Cantica Canticorum ex arcanis Hebræorum eruta.* Venetiis apud Ziletum, five Jolitos anno 1544.

LUCAS Abbas montis S. Cornelii in exponendis divinis Scripturis nobilè fortitus ingenium, fcripfit opufculum ex Aponii monumentis collectum in Cantica Canticorum, anno Dom. 1130. Sixt. Sen. B. San. lib. 4. qui Ordinis Benedictini eum fuiffe perperàm fcribit, cùm Præmonftratenfis fuerit.

VEN. LUTHBERTI, Monachi Fuldenfis, & primi Abbatis Hirfaugienfis (obiit 853.) Tractatus in Cantica Canticorum. Trithem. in Chron. Hirfaug. Tom. 1. pag. 11.

LUTGERI Scholaftici Monafterii S. Michaelis Luneburgenfis Commentarius in Cant. Canticorum. Trith. l. c. p. 167.

MARINI S. Maximini Trevirenfis monachi In Cantica Canticorum lib. I. Trithem. l. c. tom. 1.

NIGER RADULPHUS, aliàs *Flaviacenfis.* Huic Commentaria in Cantica Canticorum (quæ S. Gregorio M. vulgò attribuuntur) poftliminiò reftituit, & fub ejus nomine edidit Jacobus Homey in Supplemento Patrum, in 8. Parifiis an. 1684. le Long l. c. p. 880. col. 2.

NONNOSI Abbatis Attilenfis *Cantica Canticorum* explanatione literali & myftica affectuosè ac in modū meditationum dilucidata ad calcem *Pfalterii Davidis* (de quo fuprà) Pedeponti 1742. in 4. fumptibus Jo. Gaftel Bibliopolæ.

REINHARDUS, Germanus, Monachus ad S. Burchardum Herbipoli claruit an. 934.

In Cantica Canticorum liber I. Trith. l. c. tom. 1. p. 72.

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS, facrarum literarum Profeffor in Schola Remenfi, obiit an. 900.

Tractatus in Cantica Canticorum. Trithem. l. c. p. 35.

RICHARDI Abbatis de Pratellis in Normannia Commentarius in Canticum Salomonis ad Mauritium Rotoma-

magensem Archiepiscopum habetur MS.tus in Bibliotheca non solùm Pratellensi, sed in variis etiam Angliæ bibliotbecis, quas vide apud Oudin. de S. E. Tom. III. p. 158.

RANULPHUS HIGDENUS, vulgò Cestriensis, Anglus, obiit an. 1363.

Expositio in Cantica Canticorum. Baleus apud le Long. p. 776. col. 2.

ROBERTUS DE TUMBALENIA, Gallus, Monasterii S. Victoris juxtà muros urbis Bajocensis Abbas, claruit an. 1087.

Brevis Expositio in Cantica Canticorum. Hommey Supplem. Bibl. PP. in 8vo. Paris. 1584. Prologus ejusdem expositionis. Mabill. tom. I. Analect. p. 115. (Radulpho Flaviacensi falsò adscribitur) le Long. p. 995.

RUPERTUS Abbas Limburgensis, natione Germanus, vir sanctitate & divinis revelationibus illustratus, Philosophus quondam in Academia Parisiorum celebris, & post religionis ingressum sanctarum Scripturarum assidua meditatione peritissimus, edidit aperto, simplici, & non ineleganti stilo Commentariorum in Cantica Libros IV. quorum initium est, *Quicunque sui ipsius rerum.* Flor. sub Henr. V. Imp. an. 1124. Sixt. Sen. l. 4.

RUPERTI TUITIENSIS Tractatus in Cantica Canticorum Libris VII. absolvitur, & extat Operum Tomo I. pag. 984. - 1034. separatim prodiit Coloniæ an. 1540. fol. & iterum 1551.

SIMON Belga, Monachus Affligeniensis, claruit 1290.

Sermones in Cantica Canticorum. Trith. Chron. Hirs. Tom. I. p. 570.

THEODERICUS, Germanus, Monachus ad S. Albanum Moguntiæ, claruit 985. *Commentarius in Cantica Canticorum.* Trith. Chron. Hirsaug. Tom. I. p. 127.

THOMÆ DU FOUR, Galli, Fiscanensis, in Diœcesi Rotomagensi, è Congr. S. Mauri

Paraphrasis in Canticum Canticorum. Mss. Pez in Bibl. San-Maur. lib. I. c. 2. le Cerf. in Bibl. Hist. Crit. p. 132.

WILLERAMUS, Fuldensis Monachus, Scholasticus Babenbergensis, ac demum *Eberspergensis* in Bavaria, non *Merseburgensis*, ut Trithemius (quem sequitur le Long) errore nominum confinium inductus scripserat, Monasterii inter primos Abbas, anno 1085, ut creditur, defunctus est. Ejus Opus celebre est

In Canticum Canticorum Paraphrasis gemina, Henrico IV. Imperatori olim oblata, Latina altera poëtica, nec inelegans, altera Theotisca in prosa. Hæc posterior à *Paulo Merula*, addita explicatione lingua Belgica, anno 1598. *Leidæ* typis Rapbelengii in 8. publicata fuit. Eadem *Wormatiæ* apud Voegelinum 1631. è codice Bibliothecæ Palatinæ, operâ Marquardi Freheri, sed absque Paraphrasi Latina prodiit. Eadem cum Pancratii Castricomii, & Francisci Junii observationibus, in 8vo. Amstelodami 1655. Eadem ex ipso Ebersperensi codice msc. cum Paraphrasi & Latina versione *Joannis Schilteri*, accurante *Joanne Georgio Scherzio* ex codice Vratislaviensi. Eadem, Latinè versibus rithmicis cum textu Latino vulgato, & Paraphrasi Latina ex lingua Francica in 8. per Menradum Moltherum Hagenoæ 1528. Inter Codices manuscriptos præcellunt tres vetustissimi, primus in Vindobonensi, alter Ratisbonæ in San-Emmeramensi, tertius in Rhedigeriana Vratislaviæ Bibliothecis, quo ultimo Cl. Scherzius in sua usus est editione, quæ Tomo I. Thesauri Schilteriani Antiquitatum Teutonicarum prodiit Ulmæ anno 1727. sumptibus Danielis Bartholomæi in fol. Pro specimine ex Capite I.mo Versum 4. afferemus: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus, & lætabimur in te. Memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.*

Zuich mih nah dir so losen
uuir in demo stancke
dinero salbon. Ih bekennon
min unkrafft, uone dannan
hilf mir mit denen gnadon
so scunt ih andera ze
dinemo uuega.
Der Kuning leitota mih in sine
gegademe. Ih uueiz nu in
side & spe die gnada di er
nob gibet m re.

Attrahe me post te, me solam nil scio posse,
Sic unguentorum currens in odore tuorum
Advoco quos possum comitatum pergere nostrum,

In sua quæ struxit, me rex cellaria duxit.
Significans per spem, quæ tradet post mihi per rem.

Uuir

Uuir sprungezen, unte freuuen unsih an dir. nals an uns selbon, uuir gebubtige dinero spunne, uber uuin.	In nobis minimè, tantum lætabimur in te.
Uuir ne uuollen nietb uergezzan daz diu gnada dines euangelii fuozer ist, danne diu austeritas dero euuo.	Non velut immemores sed amore tuo recolentes Sævitiam legis quia mollit gratia lenis.
Lex diu quit. Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur.	Non nostris meritis sed solo munere dantis.
Du quides abo in dinemo euangelio: Non veni vocare justos, sed peccatores &c.	Hæc quia das gratis à rectis rectus amaris &c.

WOLBERONIS Abbatis S. Pantaleonis Coloniæ Cōmentarius in Cantica Canticorum cum Notis marginalibus Henrici Grævii Benedictini in 4.to Coloniæ 1630.

COMMENTATORES IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

Rabanus Maurus in sua ad Othgarium Archiepiscopum Moguntinum epistola, cogitâsse se prodit in librum *Sapientiæ* lucubrationes dare; quod scilicet nemo, ait, ex veteribus Patribus in idem argumentum laboravit. Ab ipso igitur habemus

In Proverbia Sapientiæ libros tres, qui extant Opp. Tomo III. pag. 362.-393.

VEN. BEDÆ *Fragmenta allegoricæ interpretationis* in quædam loca libri Sapientiæ extant Operum Tom. VII. pag. 481.-485.

RICHARDUS PRATELLENSIS in librum Sapientiæ commentatus fertur à Baleo.

GUIBERTUS Abbas de Novigento in Sap. VII. 30. *Sapientia vincit malum.* Extat Opp. S. Bern. edit. Mabill. Vol. 2. tom. 5. p. 714.

COMMENTATORES IN ECCLESIASTICUM.

RHABANI MAURI Opus esse omnium vetustissimum, quæ in hunc librum habeamus, scripserat Abbas Calmet in Bibliotheca Sacra, sed in ejus Supplemento part. 1. pag. 346. dicta revocavit, eo quòd Beda sit Auctor antiquior, cujus fragmenta in *Ecclesiasticum* servantur legenda Operum Tom. VI. pag. 483. Cæterùm Rhabani Commentarius decem in libros distributus, & Othgario Archiepiscopo Moguntino nuncupatus extat Opp. Tom. III.

COMMENTATORES IN IV. PROPHETAS MAJORES ATQUE IN ISAIAM POTISSIMUM.

HAIMONIS Commentarius in Prophetas Majores excusus est Coloniæ in fol. an. 1533.

— EJUSDEM *in Isaiam libri tres* in 8. Parisiis, & Coloniæ curâ Nicolai Herbon Ord. Min. an. 1531.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS in omnes Prophetas Majores commentatus est. Vide ejus Opera.

PAULUS E LIGURIA, Monachus Casinensis, etsi ab ipsa infantia oculorum lumine esset orbatus, tanto tamen ingenii acumine fuit excultus, tantáque perspicuitate cæterorum sensuum extit decoratus, ut ab omnibus venerari promeruerit, déque illo verè poterat dici: *Dominus illuminat cæcos.* Scripsit enim super Isaiam, super Hieremiam, & super reliquos Prophetas &c. Hæc Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. & ex eo Jo. Bapt. Marus in Annot. Jacobus le Long in Bibl. Sac. pag. 895.

ARNOLDI, sive *Ernaldi* Benedictini in Diœcesi Carnotensi, Abbatis Bonævallis Commentarius in Isaiam. Biblioth. Clarevallensis. *Le Long. l. c. pag.* 616. *col.* 1. Mihi non leve dubium oboritur, quin Arnoldus unquam quidquam in Isaiam commentatus fuerit: neque enim hujus rei vel apud Casimirum Oudinum, qui aliqua ejus Opuscula typis mandavit, neque apud alios Bibliographos, qui ejusdem Opera studiosè recensent, ullum vestigium occurrit.

GILBERTI, sive GISLEBERTI, Abbatis Westmonasteriensis Commentarius super Isaiam. Trith. Chron. Hirs. tom. 1. p. 262. Sixtus Sen. Bibl. San. lib. 4. pag. 371.

HERVEI Monachi Dolensis, præter summam eruditionem etiam religiosissimi, *Commentariorum in Isaiam* Pro-

Prophetam amplissimi ad Joannem Abbatem Dolensem Lib. VIII. extant, sed sine præfatione ad Joannem Abbatem in Peziani Thes. Anecdot. Tom. III. part. 1. ex codice Monasterii S. Crucis Ord. Cisterc. & Garstensis propè Ayram: msti verò habentur in Bibl. Cisterciensi, Cluniacensi, Claræval-lensi, Collegii Parisiensis, & Claro-montani S. J.

BRUNO *Astensis*, seu *Signiensis* Commentarium in Isaiam dedit, qui tamen adhuc ineditus est, & asservatur in Bibliotheca Carthusianorum Monasterii S. Bartholomæi ad Agnaniam. Le Long. pag. 654.

LUTGERUS Monasterii ad S. Michaëlem Luneburgi Scholasticus edidit Commentarium in Isaiam Prophetam. Trithem. Chron. Hirs. pag. 167.

RAINALDI, Prioris S. Eligii Parisiensis Expositio in Isaiam, in fol. extat in Bibliotheca Colbertina Cod. 3269. le Long pag. 918.

STEPHANI SPANBERG Abbatis Mellicensis Lectura super Ecclesiasticum Vid. Hist. Bibl. Mellic. p. 252.

REINHARDUS, primus Abbas monasterii in Rainhausen in divinis Scripturis versatissimus fuisse dicitur à Trithemio in Chron. Hirs. tom. 1. p. 311. qui quosdam ejus commentarios in Isaiam, in Ezechielem, in Job, & in omnes Pauli Epistolas se vidisse testatur. Quibus addit, eum non solùm in omni scientiarum genere eruditum fuisse, sed etiam sanctitate coruscâsse, & miraculis, quæ usque ad Trithemii tempus in illius monasterii ecclesia fiebant, maximè in eos, qui caduco morbo laborabant.

THEODORI, Monasterii S. Mathiæ propè Treviros Scholastici Commentarius in Isaiam. Trithem. Chron. Hirs. tom. 1. pag. 154.

IRIMBERTI Abbatis Admontensis, Liber de Decem Oneribus in quædam Isaiæ Capita, extat Peziani Thes. Anecd. Tom. II. pag. 427.

ODONIS, Abbatis S. Martini de Bello in Anglia *Homiliæ in aliquot onera Isaiæ*. Vid. Possevin. in Odone Abbate Anglo.

COMMENTATORES IN JEREMIAM ET BARUC.

Rhabanus Maurus, Haimo Halberstadiensis, Rupertus Abbas, Gilbertus Westmonasteriensis, Odo Cluniacensis, suas in Jeremiam lucubrationes dederunt; quas in eorundem Operibus invisas. *Odonis* verò Commentarii extant in Bibl. Cluniac. & Vindobonensi in fol. le Long. p. 883.

PASCHASIUS RADBERTUS in *Threnos*, sive *Lamentationes Hieremiæ* Explanationum libros V. eleganti eloquio dedit, quos Seni *Odilmanno Severo* inscripsit. Editi sunt in 8. Basileæ 1502. & Coloniæ 1532. sub falso nomine Roberti. Le Long. p. 918. Sixt. Sen. l. 4. p. 449.

WERNBERTI San-Gallensis in Threnos Hieremiæ liber I. Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. p. 28.

ANSELMI LUCENSIS Expositiones in Jeremiæ Threnos, quæ hactenus tamen latuerunt, quasque Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta *Anselmo Mantuano*, qui nunquam in rerum extitit natura, adscribit. Ita *Alex. Nat.* H. E. xi. c. 5. ar. 6. Tom. VII. pag. 507. qui Sixtum tamen Senensem immeritò notat; nam sicut Anselmus ab Episcopatu in Urbe *Luca* gesto dictus est *Lucensis*, ita à *Mantua*, urbe patria, vocatus est *Mantuanus*.

GUIBERTI *S. Mariæ de Novigento Abbatis* in Lamentationes Jeremiæ lib. I. Vide ejus Opera à Luca Acherio edita pag. 243.

HERVEI DOLENSIS Expositio Lamentationum Jeremiæ Msta habetur in Bibliotheca Pontigniacensi Ord. Cisterc.

GUILIELMUS à *Maidulphi Curia*, Anglus, Bibliothecarius dictus, Meildunensis Ecclesiæ Præcentor claruit 1130. vulgò audit *Guilielmus Malmesburiensis*,

Explicatio Lamentationum Jeremiæ, Londini in Bibliotheca Cottoniana sub effigiè *Tiberius* Lit. A. Cod. XII. Vid. le Long p. 758. & 967. qui tamen corrigendus est, quòd Guilielmum à *Maidulphi Curia* à *Malmesburiensi* distinguat, & ex uno duos faciat. Ratio verò, cur *Meildunensis* nomen ferat, in fine Commentarii redditur. V. Smith. in Catal. Bibl. Cotton. pag. 21. col. 2.

FRANCISCUS DE LEMOS, Hispanus, Abbas S. Zoili Commentarium in Threnos Jeremiæ edidit in fol. Madriti 1649.

COMMENTATORES IN PROPHETAS EZECHIELEM ET DANIELEM.

S. GREGORIUS M. duos libros Homiliarum in Ezechielem dedit, in quorum priore tria prima Prophetæ capi-

capita Homiliis duodecim exponit; in posteriore Homiliis decem visionem ejusdem de Templo in Hierusalem construendo elucidat: has ad populum dixit maximo fluctuans curarum æstu propter calamitates, quæ Româ ab Agilulpho Longobardorum Rege obsessâ populo imminebant, ac denique eò excreverant, ut ab expositione Ezechielis remittere coactus fuerit, mundi finem imminere ratus. In his verò Homiliis ut plurimùm in sensum moralem inquirit, & declarat. Dum coram populo verba faceret, illa à Notariis in literas relata fuerunt. Octo post annis rogatu fratrum ad limam revocavit, & emendatas ad Marinianum Ravennatis Ecclesiæ Antistitem misit.

HERVEUS DOLENSIS exposuit extremam partem Ezechielis, ubi sanctus Gregorius Papa dimiserat, & finem usque perducens. Asservantur in Bibliotheca Claraevallensi.

Rabanus Maurus, *Haymo Halberstadiensis*, *Reinhardus Abbas Reinhausanus* in Ezechielem.

REINHARDUS Abbas in Reinhausen, exposuit Prophetas Ezechielem & Danielem. *Possevin.*

PETRUS ABÆLARDUS Commentarium in Ezechielem composuisse, intelligi datur ex prima ejus epistola, in qua illius fecit mentionem. Le Long pag. 591. col. 1.

RABANI MAURI Commentarium in Danielem è Bibliotheca Augiensi erutum, ac transcriptum, penes me habeo, quem cum aliis ejusdem operibus, tum non ita pridem in lucem emissis, tum ad hoc usque ævi ineditis, in unum corpus congestis in publicum dare, vitâ comite, ac Deo annuente, propositum est.

REMIGII AUTISSIODORENSIS *Epistola ad Dadonem Episcopum Virdunensem*, in qua exponit, quid per Gog & Magog apud Ezechielem intelligendum veniat. Extat in Collect. ampliss. Martene tom. 1. p. 230.

ADASTO Corbeiæ Novæ doctus monachus Commentarium in Danielem circa annum Domini 901. scripsisse fertur in Annalibus Corbeiensibus, eúmque Warino ex ejusdem inclyti loci Cœnobita Episcopo Hildesheimensi dicâsse. Vid. Annal. Corbei. ad an. 901. & Leibnizium Script. Rer. Brunsv. Introduct. ad Tom. II. n. xxv. pag. 27.

S. GERARDI ex Monacho San-Georgiani Monasterii Venetiis Episcopi Canadiensis ac Martyris in Pannonia Libri VIII. *Expositionum Hymni trium Puerorum* à Bernhardo Pezio in Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Bibliotheca repertus, nondum, quod sciam, typis mandatus fuit. Vide Pezii Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. Nov. pag. xxvi.

COMMENTATORES IN XII. PROPHETAS MINORES.

VEN. BEDÆ *Expositio in Canticum Habacuc*, cujus meminit Beda in Indiculo, quæ msc. in codice Bibliothecæ S. Germani de Pratis Parisiensis, & in Colbertinæ Mss. Codd. habetur. Edmundus Martene ex msc. codice Floriacensi, Corbeiensi, & S. Michaëlis in Periculo maris Tomo V. Thes. Anecdot. inseruit pag. 295. quamvis jam anteà Londini operâ Henr. Whartonis an. 1693. excusum fuerit.

HAYMONIS in Prophetas Minores (excepto Osee) Comentarius prodiit in fol. Coloniæ 1519. in 8. *ibidem* an. 1529. Guil. Crovæus Elenchi Scriptorum in Scripturam pag. 165. & Jacobus Longus l. c. p. 766. Miratur verò V. Cl. Fabricius Oseam ab ipsis excipi; cùm primus tamen in hoc volumine se offerat Commentarius in Oseam: in quo, sicut in aliis quoque, Hieronymum libenter Haymo sequitur. Bibl. med. Lat. lib. 8. p. 545.

REMIGII AUTISSIODORENSIS Commentaria in Oseam asservantur Autissiodori in Bibliotheca S. Meriani, in posteriores verò XI. Minores Prophetas unà cum Oecumenii in Paulum Apostolum, & Arethæ in Apocalypsin Comentariis vulgata fuerunt Antverpiæ an. 1545.

RUPERTUS TUITIENSIS Abbas libros triginta quatuor in Minores Prophetas conscripsit. Unde Sixtus Senensis deficit triginta tantùm numerans. Sex priores edidit primùm Jo. Petræus Norimbergæ an. 1524. in 8. qui deinde Comm. in Jonam & Michæam eodem anno addidit, cùm quatuor priorum copiam nancisci non posset. Prodiit verò Comm. in omnes Prophetas Lovanii an. 1551.

GUIBERTUS Abbas Novigentensis edidit Tropologiarum in Osee libros tres. In Amos Librum I. Commentarios in Abdiam, Joëlem, Michæam, Zachariam, Jonam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggæum, Malachiam, atque adeò in universos XII. Prophetas, quos in variis Bibliothe-

cis se vidisse testatur Oudinus Tom. II. de S. E. pag. 1021. typis verò exscripti à Luca Acherio solùm fuerunt libri in Osee & Amos.

HERVEI DOLENSIS Commentaria in Minores Prophetas reperisse se scribit Edmundus Martene in monasterio S. Meriani Præmonst. Ord. Extant etiam mss.ti in Bibliotheca Vallis Lucensis pulpito 3. F. Oudin, de S. E.

RADULPHUS Abbas Fontanelles in Nahum. *Bibl. Cisterc.* Ita le Long p. 918. quem errore lapsum esse, & pro *Radulpho Flaviacensi* posuisse *Fontanellensem* existimo. Consulendus est Catalogus Abbatum Fontanellensium, in quo hoc nomine nullus inter eos reperitur. Vid. Dion. Sanmarth. Gall. Chr. tom. 2. col. 1432.

THOMAS MANNARINUS, Siculus, Panormitanus, ex J. U. Doctore Monachus in Cœnobio S. Martini de Scalis primus in Universitate Salisburgensi sacrorum Canonum Professor, anno 1636. vitâ religiosè functus inter alia Opera Mss.ta reliquit

Commentaria in duodecim Prophetas Minores. Vid. Armell. in Biblioth. Scriptorum è Congregatione Casinensi parte 2. pag. 199.

COMMENTATORES IN QUATUOR EVANGELIA.

S. GREGORII M. HOMILIÆ IN EVANGELIA; de quibus ipse sic nos instruit: „ Inter sacra Missarum solemnia, ex his, quæ diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, sancti Evangelii lectiones quadraginta exposui. Et quarundam quidem dictata expositio assistente plebe est per Notarium recitata: quarundam verò explicationem coram populo ipse locutus sum: atque ita, ut loquebar, excepta est, non servato Evangeliorum ordine, sed pro- ut diversis dictæ sunt temporibus.„ Hæc Gregorius in epistola ad Secundinum Tauromenitanum Episcopum, cui Homilias posteà emendatas transmiserat. Earum Catalogus juxtà novissimam editionem San-Maurianam hic est.

LIBER PRIMUS.

In Lucæ caput 21. *de Signis in Sole & Luna*, Homilia una habita ad populum in basilica S. Petri Apostoli, Dominica II. Adventûs Domini.

In Lucæ 18. *de Cæco*, Homilia una, habita in basilica S. Petri Apostoli, Dominica in Quinquagesima.

In Mathæi 12. super illud: *Ecce Mater tua* &c. Homilia una, habita in basilica sanctæ Felicitatis Martyris, in die natalis ejus.

In Mathæi 10. *de Missione 12. Apostolorum*, habita in basilica sancti Stephani Martyris.

In Mathæi 4. *de Vocatione quatuor Apostolorum*, Homilia una, habita in basilica beati Andreæ Apostoli, in die natalis ejus.

In Mathæi 11. *de Joanne in Vinculis*, Homilia una, habita in basilica SS. Marcellini & Petri, Dominica tertia Adventûs.

In Joannis 1. *de Legatione Sacerdotum ad Joannem*, Homilia una habita in basilica S. Petri Apostoli, Dominica quarta in Adventu Domini.

In Lucæ 2. *de Edicto Cæsaris Augusti*, Homilia una, habita in basilica beatæ Mariæ Virginis in die Natalis Domini.

In Mathæi 25. *de Quinque talentis*, Homilia una, habita in basilica S. Silvestri, in die natalis ejus.

In Mathæi 2. *de Adventu Magorum*, Homilia uoa, habita in basilica S. Petri Apostoli, in die Epiphaniæ.

In Mathæi 13. *de Thesauro abscondito in agro*, Homilia una, habita in basilica S. Agnetis, in die natalis ejus.

In Mathæi 25. *de decem Virginibus*, Homilia una, habita in basilica S. Agnetis in die natalis ejus.

In Lucæ 12. *de Exspectatione adventûs Domini*, Homilia una, habita in basilica beati Felicis Confessoris in die natalis ejus.

In Joannis 10. *de Bono Pastore*, Homilia una, habita in basilica beati Petri Apostoli, Dominica secunda post Pascha.

In Lucæ 8. *de Parabola seminis*, Homilia una, habita in basilica S. Pauli Apostoli, Dominica in Sexagesima.

In Mathæi 4. *de Tentatione Christi*, Homilia una, habita in basilica S. Joannis, quæ dicitur Constantiniana, Dominica prima in Quadragesima.

In Lucæ 10. *de Missione 72. Discipulorum*, Homilia una, habita ad Episcopos in fontes Lateranensium.

In Joannis 8. super illud: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, Homilia una, habita in basilica S. Petri Apostoli, Dominica in Passione.

In Mathæi 20. *de Vinea*, Homilia una, habita

habita in basilica beati Laurentii Martyris, Dominica in Septuagesima.

In Lucæ 3. *de Prædicatione Joannis*, Homilia una, habita in basilica S. Joannis Bapt. Sabbato Quatuor Temporum ante Natalem Domini.

LIBER SECUNDUS.

In Marci 16. *de Mulieribus ad monumentum euntibus*, Homilia una, habita in basilica beatæ Mariæ Virginis, die sancto Paschæ.

In Joannis 20. *de Maria Magdalena veniente ad monumentum*, Homilia una, habita in basilica beati Joannis Sabbato post Pascha.

In Lucæ 24. *de Discipulis in Emaus euntibus*, Homilia una, habita in basilica beati Laurentii Martyris, foris muros Urbis, Feria IV. Paschæ.

In Joannis 20. *de Maria Magdalena veniente ad monumentum*, Homilia una, habita in basilica S. Joannis, Feria V. Paschæ.

In idem cap. 20. *de Christo ad Discipulos januis clausis ingrediente*, Homilia una, habita in basilica S. Joannis in octavis Paschæ.

In Joannis 15. *de Mutua dilectione*, Homilia una, habita in basilica S. Pancratii Martyris, die natalis ejus.

In Joannis 4. *de Filio Reguli*, Homilia una, habita in basilica SS. Nerei & & Achillei, die Natalis eorum.

In Marci 16. *de undecim Discipulis recumbentibus, & ad prædicandum missis*, Homilia una, habita in basilica S. Petri, in Ascensione Domini.

In Joannis 14. super illud: *Si quis sermonem meum servaverit*, Homilia una, habita in basilica S. Petri Apostoli, die sancto Pentecostes.

In Lucæ 13. *de Arbore Fici*, Homilia habita in basilica S. Laurentii Martyris, Sabbato Quatuor Temporum Septembris.

In Lucæ 9. *de Abnegatione sui ipsius*, Homilia una, habita in basilica SS. Processi, & Martiniani, die natalis eorum.

In Lucæ 7. *de Mariæ pœnitentia*, Homilia una, habita in basilica S. Clementis, feria sexta Quatuor Temporum Septembris.

In Lucæ 15. *de centum ovibus*, Homilia una, habita in basilica SS. Joannis & Pauli, Dominica tertia post Pentecosten.

In Lucæ 21. *de Præliis & seditionibus futuris*, Homilia una, habita in basilica S. Mennæ Martyris, die natalis ejus.

In Lucæ 14. *de Cœna magna*, Homilia una, habita in basilica beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi, Dom. II. post Pentecosten.

In idem super illud: *Qui venit ad me, & non odit Patrem*, Homilia una, habita in basilica B. Sebastiani Martyris, die natalis ejus.

In Mathæi 22. *de Rege faciente nuptias filio suo*, Homilia una, habita in basilica B. Clementis Martyris.

In Lucæ 19. *de Fletu Christi super Hierusalem*, Homilia una habita in basilica S. Joannis, quæ Constantiniana dicitur.

In Lucæ 16. *de Divite & Lazaro*, Homilia una, habita in basilica S. Laurentii Martyris, Dom. II. post Pentecosten.

Ad has Homilias tabulas adjecit Thomas Colbius ex Ordine Carmelitano insignis Concionator, & Episcopus in Hibernia. Quod alius etiam Carmelita, Joannes Stanberius, similiter Episcopus in Anglia præstitit. His Richardum Conyngtonum etiam Anglum, sed Franciscanum Joannes Pitseus accenset æt. 14. ad an. 1330. pag. 424. Ex nostris *Alulphus* Tornacensis collegit ex hoc Opere librum excerptionum in Novum Testamentum, quod Gregorianum inscribitur, & à nobis alio loco recensendum venit.

VEN. BEDÆ Expositio in IV. Evangelia. le Long pag. 631.

SMARAGDUS Abbas S. Michaëlis in agro Virdunensi cl. anno 819. Vir divinarum Scripturarum eruditione clarus, scripsit in Epistolas & Evangelia, quæ per annum leguntur, Expositiones breves ac perspicuas, quarum initium est: *Epistola Græcum vocabulum est.* Sixtus Senensis Bibl. S. lib. 4. pag. 470.

HAYMONIS Homiliæ in IV. Evangelia, *Frisius.*

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS lucubravit in quatuor sancta Christi Evangelia libros totidem. Trithem. Chron. Hirsaug. pag. 75.

HERRICUS AUTISSIODORENSIS scripsit in varios locos Evangeliorum homilias plurimas, de quibus XXXVII. insertæ sunt in Homiliario Alcuini, Sixt. Sen. lib. 4. pag. 379.

NOTTINGUS, Germanus, Monachus S. Galli in Suevia, Episcopus Constantiensis, obiit 935. posteritati relicto insigni volumine super quatuor

Evangelia. Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1.

WERNBERTUS *Sangallensis* in quatuor Evangelia comentatus est. Gesnerus in partit. Theol. tit. 2. pag. 29. le Long pag. 1017.

PEREGRINUS, vero nomine *Conradus*, Germanus, S. Wilhelmi Monasterii Hirsaugiensis in Suevia Abbatis discipulus, claruit an. 1075.

Commentaria in Evangelia. Arnoldus Wion Lign. vit. l. 2. c. 75. p. 447. le Long pag. 898.

REMIGIUS *Mediolacensis* Abbas Trithemio teste l. c. pag. 122. in quatuor Evangelia comentarios scripsit.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis in volumen quatuor Evangelistarum Lib. I. extat Opp. Tom. I. pag. 534. -- 548.

S. BRUNONIS Episcopi Signiensis, & S. R. E. Cardinalis Commentaria in 4. Evangelia, quæ Mss. in Bibliotheca Ducis Sabudiæ asservantur, teste Aug. Oldoino in Athenæo Ligustico.

ODONIS Abbatis S. Martini de Bello Commentarii in IV. Evangelia Mss. V. Possevin. in *Odone* Abbate Anglo.

ADAMUS BARCHINGENSIS, Schirbornensis, seu Clarofontanus in Anglia monachus edidit sub annum 1217. Commentarios in IV. Evangelia ad Joan. Sarisbur. libros IV. Pitf. æt. 13. pag. 289.

ROBERTUS GRYMÆUS, monachus ac Theologus Berdenigæ, Cœnobii Benedictini in agro Lincolniensi scripsit in *Evangelia Commentarios* stylo scholastico. Leland. cap. 297. p. 305.

CHRISTIANUS, Germanus, Abbas S. Pantaleonis Coloniensis, claruit anno 951.

Homiliæ in IV. Evangelia. Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 104.

JOANNIS Monachi Castellensis Sermonum libri tres in Evangelia & Epistolas totius anni. Sixt. Sen. B. S. lib. 4. pag. 421.

HILARION Etruscus, Genuensis, Congr. Casin. edidit Comentaria, seu Animadversiones in Sacrosancta quatuor Evangelia ad verum Christianismum continendum non inutilia Tom. II. apud Damian. Turlinum in 4. Brixiæ an. 1567. & 1578. apud Thomam Bozzolam. V. Armell. part. 1. p. 226.

PAULUS GENUENSIS, Monachus Casinas. In IV. Evangelia. Bibl. Casin. Petr. Diac. le Long pag. 895.

S. HILDEGARDIS Abbatissa scripsit Latino sermone in Evangelia totius anni, de quibus Trithemius recenset Homilias LVIII. Sixt. Sen. l. 4. pag. 393.

AUGUSTINI CALMET Dissertatio in Evangelia Apocrypha. Extat ante ejus Commentarium in IV. Evangelia.

CASPARIS ERHARD, San-Emeramensis, Dulcis Memoria in Evangelia. Augustæ Vindel. 1715. in 8.

GODEFRIDI KRÖLL San-Petrensis Salisburgi Monotessaron Evangelicum, sive Historia Evangelica ex 4. Evangelistis in unum collecta volumen, mysteria Evangelica literaliter & mysticè explanans. Salisburgi an. 1725. in 4. Tract. I. & II.

SCRIPTORES CONCORDIÆ EVANGELICÆ.

MARIANI SCOTI de Concordia Evangelistarum Lib. I. Trithem. le Long g. 847. asservantur manuscr. in Bibliotheca Cottoniana.

ODONIS Episcopi Cameracensis *De Concordia Evangelistarum libri duo.* Tornaci Bibl. S. Martini. Sanderus part. 1. pag. 107. le Long pag. 883.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimensis exaravit *Quæstiones Græcas de Evangeliorum dissonantia ad Rogerium Sicambrum.* Oliver. Legipont in vita Trithem.

OTHOMARI LUSCINII Monachi SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. *Harmonia Evangelica* in 4. Augustæ Vindelicorum an. 1523. le Long p. 837. Jam suprà dixi, *Othmarum* non fuisse Monachum, sed Præceptorem & Magistrum in hoc Monasterio.

MARTINI ANASTASI, Siculi, Panormitani, è Congr. Casin. *Concordia Quatuor Evangelistarum*. Armell. part. 2. pag. 95.

ANTONII PEREZII, Hispani, ex oppido S. Dominici de Silos, Congregationis Vallisoletanæ Præfecti Generalis, Archiepiscopi Tarraconensis, an. 1637. defuncti.

Authentica fides quatuor Evangelistarum, controversiis Catholicis agitata, paritérque discussa, in 4. Lugduni an. 1626.

JOACHIMI PERIONII, Galli, Cormeriacensis *Harmonia Evangelica* prodiit in fol. Parisiis an. 1553.

PETRI DE ROSENHEIM Prioris Mellicensis *Concordantiæ quatuor Evangeliorum*. Vid. Historia Bibl. Mellic. pag. 213.

AUGUSTINI CALMET, Abbatis, *Harmonia Quatuor Evangeliorum* præfixa habetur ejus Comentario in Evangelium Mathæi.

COM-

COMMENTATORES IN EVANGELIUM S. MATHÆI.

VEN. BEDÆ *in Mathæum Libri IV.* extant Opp. Tom. V. pag. 1. 23. 45. 66. Quamvis Mabillonius Ven. Bedæ expositiones in Evangelium Mathæi in dubiorum ejus Operum classem rejiciat. Sec. III. Act. Sanct. O. S. B. in elogio Bedæ.

RHABANUS MAURUS Commentariorum in Mathæi Evangelium Libros VIII. Haistulpho Archiepiscopo Moguntino nuncupavit. Extant Opp. Tom. V. pag. 1.-168.

CLAUDIUS CLEMENS SCOTUS in Mathæum Lib. I. Sixt. Sen. Bibl. San. lib. 4. pag. 350. Usserius in Sylloge Veter. Epist. Hibernic. Prologum edidit pag. 37. Confer tamen Fabricium Bibl. med. Lat. vol. 1. pag. 1082. & 1086.

JOANNES SCOTUS, de quo Sixt. Sen. l. c. pag. 423. „Joannes Scotus „Monachus S. Benedicti, Bedæ auditor, Albini Levitæ & Abbatis collega, Carolo M. in primis charus, & „continua divinarum literarum exercitatione eruditus, edidit nitido & aperto sermone Commentariorum in „Evangelium Mathæi libros tres. Claruit an. Domini 800. „ Hæc ille, quibus non ægrè assentior, nisi quòd Joannem Scotum Ven. Bedæ jam anno 735. è vivis erepto operam dedisse negem.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS Corbeiæ Veteris Monachus scripsit Sec. IX. Commentarium in Mathæum, ex quo excerpta quædam lectu dignissima Mabillonius affert Annalium Tom. II. Lib. XXXIII. pag. 660. Jacobus autem Wimphelingius Druthmari Commentarium cum ejusdem Epitome in Lucam ac Joannem edidit in fol. Argentorati operâ & impensis Jo. Grunninger. An. Incarnat. Dom. MDXIV. Editio longè rarissima; quo factum, ut Gesnero, Simlero, Maiterre ignorata, ab aliis v. g. Labbeo, R. Simonio, planè negata, vel dubia reddita. Consulendi de summa raritate Tenzelius in menstruis colloquiis an. 1693. pag. 293. *Cave* Histor. Lit. part. 1. pag. 371. *Windler* de causs. rar. libr. *Schelhorn* Amœn. Liter. Tom. II. pag. 429. *Druthmari* Commentaria etiam typis mandata fuerunt à *Johanne Secerio*, & *Menardo Moltbero* anno 1530. non absque tamen suspicione fraudis & interpolationis in iis, quæ Eucharistiam spectant, ut contendunt Sixtus Senensis Annot. CXII. lib. VI. Bibl. Sanctæ, & Cardinalis Perronius lib. 2. de Eucharistia, Auctoritate CXXV. Vid. Alex. Nat. Hist. Eccl. Sec. IX. Cap. III. p. 62. Unde miror, quòd R.mus Calmet in Supplem. ad Bibl. Sen. p. 362. dicat, editionem Hagenoæ curatam ab *Henrico Motbero* (veriùs *Menardo Moltbero*) Lutheri asseclа, magis æstimari, quàm Argentoratensem an. 1514. à *Joanne* (*Jacobo*) *Wimphelingio* ejusdem acatholicæ doctrinæ recensitam. Quòd verò *Secerius* Lutheranus Druthmarum, quod ad Transubstantiationis dogma attinet, corrupisse à Scriptoribus Pontificiis, Sixto Senensi, Peronio, Bigneo, aliisque dicatur, Joannes Vogtius, Vir doctus, ac Lutheranus Pastor Eccl. Cathedr. Bremensis in Cathalogo librorum rariorum pag. 227. effrænem calumniandi libidinem appellat. Ego litem hanc nolo facere meam, quæ inter Catholicos & Protestantes nunquam finienda est, quoad Mſ.tus Codex producatur, ad cujus incorruptam fidem vulgatæ typis editiones exigantur.

REMIGII AUTISSIODORENSIS Commentarius in Mathæum hoc exordio: *Admonendi sumus, ut spirituale opus spirituali intentione adgrediamur*; extat Monachii in Bibliotheca Electorali. Pez. Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. pag. XXIII.

S. GREGORIUS VII. ante summum Pontificatum, sub nomine Hildebrandi, Expositionem super Mathæum scripsisse testatur Cave Hist. Lit. pag. 433. quæ lucem tamen publicam nondum vidit.

FRUTOLPHUS in monasterio S. Michaëlis Bambergæ Professus, claruit an. 1144.

Expositio Evangelii S. Mathæi. Eisengrenius Catal. Test. verit. p. 36.

LUTGERUS in Evangelium Mathæi. Trithem. Chron. Hirs. pag. 167.

MARQUARDUS in monasterio S. Burckardi Herbipoli cœnobita claruit 1048.

Commentarii in Evangelium S. Mathæi Libri IV. Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 186.

ISIDORUS CLARIUS, Episcopus Fulginas, scripsit in sermonem Domini in monte habitum, ex quinto, sexto, & septimo Mathæi capite Orationes ad populum 69. quarum initium est: *Pulchrum quidem omnino.* Sixt. Sen. B. S. l. 4. p. 425. qui easdem

dem vocat *verborum elegantia, & sententiarum gravitate refertas.*

JACOBUS BOIVIN, Blesensis, Abbas S. Launomari.

Commentarius in Mathæum. Blesis Bibl. Ordinis nostri. le Long. pag. 644.

PAULUS RABUSSON, Evangelium S. Mathæi in linguam Gallicam à se translatum meditationibus illustravit, Gallicè. le Long. p. 917.

COMMENTATORES IN EVANGEL. SS. MARCI ET LUCÆ.

S. JOANNES BEVERLACIUS ex Monacho Episcopus primùm Hagustaldensis, tum Archiepiscopus Eboracensis scripsit *Expositionem Lucæ*, quam ei Baleus Cent. 1. cap. 94. & Pitseus pag. 122. tribuunt.

VEN. BEDÆ in Marcum Libri IV. Operum Tom. V. pag. 92. 122. 152. 183.

— In Lucam ad Accam Presbyterum pag. 215. cujus epistola, quâ Bedam ad illustrandas sacras literas adhortatur, pag. 213. præmittitur, libri VI. pag. 217. 262. 301. 338. 375. 415.

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS in Evangelium S. Marci Comentarium elaboravit. Bernardus de Montfaucon in Opere Diarii Italici Cap. III. ubi monasterii S. Benedicti Padolironensis propè Mutinam Bibliothecam, & Mss. Codices Latinos recenset, pag. 36. Codicem Seculi XI. membraneum affert, ubi post opuscula aliquot nomine S. Ambrosii sequitur *Tractatus Domini Remigii Venerabilis Monachi in Marcum, & eruditissimi Commentatoris. In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Hic Operis titulus, qui Remigium Antissiodorensem procul dubio Monachum designat. Oudin de S. E. Tom. II. pag. 352.

HILDEMARI Tractatus in Lucam; cujus mentio fit in Bibliotheca Mellicensi pag. 32.

CHRISTIANI DRUTHMARI brevis Commentarius in Lucam. In Bibliotheca San - Emmerami Ratisponæ habetur *Christiani Druthmari Monachi Commentarius in Mathæum*, cui mox subjungitur *Commentum super Lucam*, hoc initio: *Lucas ipse consurgens causa scribendi Evangelium, ne Pseudoevangelistis esset facultas prædicandi falsa sub nomine Apostolorum &c.* Cod. membr. Sec. XII. in fol. optimæ notæ. Quis posterioris Commentarii auctor sit, ex codice constare non potest, inquit Bernardus Pezius, cui ob diversum Evangelia tractandi modum à Druthmaro distinctus esse visus est. Vid. Dissert. Isag. ad Tom I. Thes. Anecd. n. 63. pag. xxxix. Certius forsan argumentum peti ex ipsa Commentarii brevitate potuisset, quæ si occurrebat, author illius Druthmarus procul dubio fuit, ut qui brevem Commentarium in Lucam & Joannem edidisse fertur; nec nova commentandi methodus obstat, quâ, ut brevitati consuleret, forsan dedita opera usus est.

ISIDORI CLARII *in Evangelium Lucæ Orationes quinquaginta quatuor*, in quibus præter verborum elegantiam, & sententiarum gravitatem, innumeros ferè, tum Novi tum Veteris Testamenti obstrusiores locos illustratos (quod maximum & præcipuum est) Christiana pietas inprimis elucescit; in publicum prodiere Venetiis apud Dominicum Nicolinum operâ Benedicti Guidii è Cungr. Casin. & item apud Franciscum Franciscium an. 1565. in 4. Armell. Bibl. Cas. part. 2. pag. 54.

COMMENTATORES IN EVANGELIUM S. JOANNIS.

V. BEDA in Joannem præmisso breviario, distincto capitibus XIV. Operum Tomo V. pag. 451. D. Thomas ab Aquino in Catena sua allegat quandoque è Beda, quæ in editis desiderantur, & cum iis consentiunt, quæ Ericus Autissiodorensis in suo Commentario habet. Abbas Calmet Bedam in eorum numerum refert, qui generaliter in IV. Evangelia scripserunt; neque enim illum seorsim quidquam in Joannem dedisse existimat. *Supplem. ad B. S. pag.* 374.

ALCUINI *Commentariolus in S. Joannis Evangelium*, Lib. VII. Argentorati 1525. vel ut le Long & alii, Augustæ Vindel. eodem anno. *Magnæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ* (quæ non Coloniæ, sed Genevæ prælo subjecta fuit) auctores pereruditi, sed Calvino addicti, multa ex istis *Alcuini* commentariis, præcipuè contra Transubstantiationem, *Albertinum*, *Dalæum*, Claudium &c. deprompsisse gloriantur, quod nos Catholici in sensum suum heterodoxum detorsisse dicimus. Vid. M. B. E. V. *Alcuinus* pag. 240.

RABA-

RHABANI MAURI Commentarius in Joannem nondum typis exscriptus est, sed inter mss.tos Codd. Bibliothecæ Augiensis asservatur, quem transcriptum ac notis à me illustratum cum erudito orbe communicabo. Typis vel ideo dignissimus est, quòd ex eo Sectarii, qui Rhabanum *Transubstantiationem* negâsse calumniantur, validè revinci possint.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis in Evangelium Joannis Libri XIV. Opp. tom. 2. pag. 217. Prodierunt etiam separatim Norimberg. 1526. in 8. Colon. 1541. Paris. 1545.

GORDONI Monachi S. Germani à Pratis *Commentarius in Evangelium S. Joañis.* Bibl. hujus Monasterii cod. 90. le Long p. 748. Montfaucon. Bibl. Mss. Codd. pag. 1125.

MARINI in Evangelium secundùm Joannem Lib. I. Trith. Chron. Hirsaug. tom. 1.

THEODERICI, Monachi ad S. Albanum Moguntiæ, *Commentarius in Evangelium S. Joannis.* Trith. Chron. Hirs. tom. 1. p. 127.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheim. scripsit ad instantiam Udalrici Kreitwys de Eslingen, Canonici majoris Ædis Coloniensis librum unum *de certis Quæstionibus Græcis* in Evangelio Joannis vitio scriptorum depravatis: quod opus incipit: *Crebris amicorum precibus.* Sixt. Sen. l. 4. pag. 424. Oliver. Legipont in vit. Trithem.

GREGORIUS BAPTISTA, Lusitanus, ex oppido Funchel Insulæ Maderæ, Theologiæ Magister claruit 1621.

— *Annotationum in caput XIII. Evangelii secundùm Joannem*, Pars I. in fol. Conimbricæ an. 1621. le Long pag. 624.

ECKEBERTUS, secundus Abbas Monasterii S. Florini, natione Germanus, frater B. Elisabeth Virginis & Abbatissæ Schönaugiensis, scripsit non aspernendæ lectionis opuscula; de quibus in principium Evangelii S. Joannis librum unum, qui incipit, *Mysteria divini sermonis*, se vidisse testatur Sixt. Sen. B. S. lib. 4. p. 359.

COMMENTATORES IN ACTA APOSTOLORUM.

MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS in præfatione libri de Orthographia testatur se scripsisse *Complexiones*, sive explicationes breves *in Epistolas Apostolorum*, *in Acta*, & *Apocalypsin.* Conjunctim eas ex MS. Canonicorum Veronensium primùm in lucem dedit Illustriss. Marchio Scipio Maffeius Florent. 1721. in 8. ex qua editione cum erudita Sam. Chandleri Episc. præfatione recusæ sunt Londini 1722. in 8. atque inde Roterodami 1723. in 8. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. III. p. 996.

VEN. BEDÆ *in Acta Apostolorum* expositio erudita ad Accam Presbyterum. Opp. Tom. V. pag. 625.

— *Expositio de nominibus locorum, quorum mentio in libro Actuum Apostol.* ibid. p. 665. ordine alphabetico, sed ex mente Oudini Coment. de Script. Eccles. Tom. I. pag. 1696. ad Remigium nostrum Autissiodorensem spectat.

— *Liber retractationis in Actus Apostolorum.* Tom. VI. pag. 1. quo in libro plurimum eruditionis & judicii Bedam monstrare, notavit R. Simonius Tom. III. Histor. Crit. N. T. pag. 340. adde ejus Dissertationem de MS.tis Novi Testamenti pag. 59. & *Joannis Millii* Prolegomena ad Novum Testamentum §. 1022. seqq. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 511.

— EJUSDEM In eundem Actuum librum *Quæstiones* quinque pag. 29.

RHABANI MAURI Commentaria in Acta Apostolorum asservantur Oxonii in Bibliotheca Joannis Mori Episcopi Norvic. 9231. 4o.

HAYMONIS Commentarius in Acta Apostolorum. Coloniæ in fol. an. 1573.

FULBERTI Commentarius ad Act. Cap. XII. quam ex codice manuscripto Abbatiæ Longi Pontis inter veterum aliquot Scriptorum Opuscula Sacra edidit Casimirus Oudinus anno 1692.

ANTONII PEREZ Authentica fides Actuum Apostolorum controversiis Catholicis agitata, paritèrque discussa, in 4. Lugduni 1626.

LUDOVICI RIELON è Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi Analysis Actûum Apostolorum, Gallicè in 12. Metis 1727.

COMMENTATORES IN OMNES S. PAULI EPISTOLAS.

ALCUINI Commentarius in IV. Epistolas S. Pauli, nempe *ad Ephesios*, *ad Titum*, *ad Philemonem*, & *ad Hebræos.* Ita Caveus in Hist. Lit. At Sixtus Senensis scripsisse tradit, ut & Trithemius, in omnes hujus Apostoli Epi-

Epistolas libros quatuordecim. Quidquid sit, opus deperditum est, M. B. E. pag. 242.

ANDREAS CROQUETIUS, Artesius, Duacenus, Prior Monasterii Hasnoniensis, Theologiæ Doctor, obiit 1580.

1. Commentarius in Epistolam Pauli ad Romanos in 8. Duaci 1577. 2.) Enarratio Epistolæ ad Hebræos à Syro sermone in Latinum conversæ, in 8. Duaci 1578.

ANTONII PEREZII Authentica Fides Pauli super primam & secundam Corinthiorum, controversiis Catholicis agitata, paritérque discussa. in fol. Barcinone. 1632. Nic. Ant. in Bibl. Hisp. pag. 117.

BEDA VEN. ex verbis & sententiis S. Augustini Commentaria sua contexuit, quæ asservantur adhuc inedita in Bibliotheca S. Germani Pratensis. Nam Commentarius ille, qui continetur inter Bedæ Opera, non est Bedæ, sed Flori magistri, Monachi S. Trudonis. Vid. Dissert. Mabill. Tom. I. Analect. pag. 51. & nov. edit. fol. 788. Confer etiam Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 511.

BENEDICTUS A S. GERMANO Abbas Casinensis edidit Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos. Placidus Diac. Casin. in Supplem.

BENEDICTUS Monachus in Tegernsee, antiquissimo & celeberrimo Bavariæ Monasterio claruit 848.

Expositio in Epistolas Pauli. Codex 700. annorum extat Augustæ Vindelic. in Bibl. SS. Udalrici & Afræ. Mabill. tom. 4. Analect. pag. 633.

CASTERTONUS, Anglus, Nordvicensis Monachus, claruit 1382. In aliquot Epistolas Pauli libri plures. Baleus, Pitseus, le Long. pag. 670.

CORNELIUS DE FRANCESCHIS, Venetus, Græcè & Latinè doctus, claruit 1578.

— *Commentaria in Epistolam D. Pauli ad Hebræos.* Armell. part 1. pag. 140. ex Francisco Sansovino.

DIONYSIUS FAUCHERIUS, Gallus, Arelatensis, Cœnobii Lirinensis Monachus piissimus, idémque doctissimus, obiit 1562.

— *Prælectiones in omnes Epistolas S. Pauli* Bibl. Cœnobii Lirinensis. Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 150.

EUTYTIUS CORDES, Belga, Antuerpiensis, Theologus è Congr. Casin. interfuit Concilio Tridentino.

— *Commentaria in omnes Epistolas D. Pauli Apost.* Tomi III. in 4. quorum tertius non est completus. Armell. Bibl. Cas. p. 160.

GILBERTI, sive *Gisleberti*, Decani S. Andreæ Elnonensis, pòst ibidem Monachi Benedictini, *Expositio in omnes Epistolas S. Pauli* memoratur à Foppenio in Bibl. Belg. pag. 365.

HAYMONIS Enarrationes in omnes Epistolas Pauli, in 8. Hagenoæ 1529. Coloniæ 1531. 1534. in fol. Parisiis 1533. 1538. in 8. ibidem 1550. 1556. Eædem (editæ sub nomine falsò Remigii Remensis) à Joanne Baptista Villalpando in fol. Romæ 1598. Moguntiæ 1614. in fol. Alii Remigio Lugdunensi, alii verisimiliùs Remigio Autissiodorensi, ut Guill. Cave, tribuunt. Eos tamen esse Haymonis, inquit Placcius de Script. Pseudon. pag. 534. n. 2300. Rivet. Crit. Sacr. l. 4. cap. 27. toto, quod egregiè dissimulavit Jesuita, Theophilus Raynaudus de mal. & bon. lib. pag. 153. 154. ipsius vitula strenuè arans. Nam quæ de alio Remigio adfert, sunt *apinæ tricæque, aut si quid vilius istis*. Eosdem Commentarios Haymoni vindicat Dupinius Nouvelle Bibliotheque Tom. VII. pag. 176. Vide etiam Richard. Simonem lib. 3. Hist. Crit. Novi Testam. cap. 26.

HERVEI DOLENSIS Commentaria in Epistolas S. Pauli, quæ sub S. Anselmi nomine Coloniæ 1533. cum præfatione Gotthidi Hittorpii, & iterum anno 1612. in fol. à Joanne Picardo edita fuerunt, cujus tamen minimè sunt, uti nec Hervei Natalis. le Long pag. 773.

JOANNES, Germanus, Monachus & Scholasticus Cœnobii S. Mathiæ apud Treviros claruit 1047.

— *Commentarii in omnes Epistolas Pauli.* Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 184.

JOANNIS Abbatis Sublacensis circa An. 1046. *Moralia super Epistolas Pauli.* Vide Chron. Sublacense apud Muratorium Script. Rer. Italic. Tom. XXIV. fol. 931.

LANFRANCUS, Abbas Beccensis, & deinde Archiepiscopus Cantuariensis in omnes S. Pauli Epistolas scripsit. Ast ille Commentarius, quem Lucas Acherius inter Opera B. Lanfranci primo loco collocavit, non illius est, sed cujusdam Anonymi; genuinus verò Lanfranci Commentarius penes Patres Congreg. S. Mauri ineditus habetur, ab Acherio postea repertus.

LU-

LUDOVICI RIELON è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Paraphrasis & Analysis Epistolarum S. Pauli 3. vol. in 12. Paris. an. 1727. Gallicè.

MARIANI SCOTI, Monachi Fuldensis, *Scholia interlinearia & marginalia in Epistolas D. Pauli.* Autographum Msc. asservatur in Bibl. Cæsarea, teste Lambecio, Tom. II. p. 749.

PAULI GENUENSIS, Monachi Casinatis, *Paraphrasis in Epistolas Pauli.* Bibl. Casin. n. 349. Petr. Diac. de Vir. Ill. Cas. le Long p. 895.

PAULI RABUSSON Commentarius, seu Explicatio in Epistolas D. Pauli, Gallicè. le Long p. 917.

PETRUS ABÆLARDUS in Epistolam ad Romanos comentatus est, teste Fabricio in Bibl. Græca.

PETRUS DE VECCHIA, Venetus, S. Justinæ Patavinæ alumnus & Abbas, ab Alexandro VIII. ad Andriensem, ab Innocentio XII. ad Melphictensem Infulam evectus, scripsit Iralico sermone *Sacras Expositiones Epistolæ ad Romanos,* Venetiis apud Nicol. Pezzana an. 1664. Armell. part. 2. pag. 139.

RABANUS MAURUS in omnes D. Pauli Epistolas libris xxx. commentatus est. In eo Opere Author omnes ante se Patres laudat, Origenem, S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Hieronymum, Hilarium Sardiniensem, Ecclesiæ Romanæ Diaconum, qui claruit an. 354. atque Comentarios in omnes D. Pauli Epistolas edidit. Rabani expositio Samueli Wormatiensi Episcopo nuncupata extat Opp. Tom. V. p. 169. - 579.

RADULPHI FLAVIACENSIS Commentaria in Epistolas S. Pauli, libri XIV. asservantur in Bibl. Regia cod. 4072. Bibl. S. Germani à Pratis cod. 58. le Long pag. 880.

REINHARDI Abbatis in Reinhausen Ducatûs Brunsvicensis Monasterio Commentarius in Epistolas D. Pauli. Trith. Chron. Hirs. tom. I. p. 311.

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS, an author sit habendus Commentarii in omnes XIV. S. Pauli Epistolas, qui in Bibliotheca Veterum Patrum editionis Coloniensis 1618. ipsi attribuitur, perspicuum fit ex iis, quæ suprà in *Haymone* diximus. Vide præterea Schœtgenium in Continuatione Bibl. med. & inf. Latin. l. 17. pag. 185.

REMIGIUS Abbas Mediolacensis scripsit in omnes S. Pauli Epistolas. Trithem. Annal. Hirsaug. ad an. 980. pag. 122.

ROBERTUS DE TORINEIO, seu *de Monte*, Normannus, Abbas S. Michaëlis de Monte, obiit 1186.

Commentarius, seu abbreviatio expositionum in Epistolas Pauli excerptarum ex Operibus S. Augustini (sed ex aliis locis quàm ii, qui sub nomine Flori aut Bedæ, aut Petri Abbatis Tripolitani prodierunt. (*Mabill. n.*) in 8. *Bibl. hujus Cœnobii.* (Extat prologus ad calcem Operum Guiberti de Novigento an. 716. in fol. Paris. an. 1651.) le Long pag. 951.

RUDIGERUS in Epternacensi monasterio Diœcesis Trevirensis Monachus & Scholasticus scripsit seculo X. in Epistolas Pauli libros XIV. Mabill. Annal. Tom. IV. p. 67. ex Trithemio.

THIETLANDUS Abbas Monasterii Eremitarum (vulgò Einsidlen in Helvetia, à Monachis simul eruditis, simul piis loci illustris) anno 845. *fecit glossam super Epistolas S. Pauli.* Ita Hermannus Contractus in Chronico ad annum 847. & Christoph. Hartman in Annal. Erem. p. 67.

STEPHANI SPANBERG Abbatis Mellicensis sec. xv. *Lectura super Epistolam I. ad Timotheum.* Vid. Hist. Bibl. Mellic. pag. 252.

COMMENTATORES IN EPISTOLAS CANONICAS.

CASSIODORUS in omnes Catholicas Epistolas scripsit annotationes. Sixt. Sen. Bibl. San. lib. 4.

VEN. BEDÆ *Expositio super Epistolas Catholicas*, D. Jacobi Hierosolymitani Episcopi, pag. 673. Petri I. p. 694. & II. pag. 713. *Johannis* I. ex Augustino maximè pag. 727. II. pag. 752. & III. pag. 754. *Judæ* pag. 755. Prologum edidit Guil. Cave in Historia Literaria Scriptor. Eccles. ad annum 700. *Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag.* 510. Cæterùm Beda primus fuit, qui integram in septem Epistolas Catholicas nobis reliquit expositionem, ex quo facilè intelligitur, quàm fuerit in Patrum lectione versatus.

HAYMONIS Comentarius in Epistolas Canonicas prodiit in fol. Coloniæ an. 1573.

WALAFRIDI STRABONIS Glossa in Epistolas Jacobi & Petri: incipit Jacobus &c. Servus Dei & Domini, id est Patris & Filii &c. in Epistolas Petri, sic: Petrus &c. Advenæ Latinè, Græcè Proselyti &c. Msc. in Bibl. Div. Aug. Class. I. n. 140.

RUDIGERUS Epternacensis libros VII.

VII. in Epiſtolas Canonicas lucubravit. Trithem.

HERRANDI Abbatis Ilſenburgenſis, tandémque Epiſcopi Halberſtadenſis *Sermones in Epiſtolam S. Jacobi*, tunc compoſiti, cùm eſſet Monachus in Reinhardesbrunn Thuringiæ. Leibniz in Introd. ad Script. Rer. Brunſv. Tom. 2. n. xxv. pag. 27.

JOANNIS BAPTISTÆ FOLENGII *Commentaria in omnes Canonicas Epiſtolas Apoſtolorum, & in primam Joannis*, Antuerpiæ in 8. & Venetiis apud Aldum anno 1546. & tertiò Lugduni apud Sebaſtianum Gryphum in 4. anno 1555. Ex his autem Commentariis tria, in Epiſtolas nempe Canonicas S. Petri, & S. Jacobi, & in primam Joannis, in Indicem Librorum prohibitorum, *donec tamen expurgarentur*, fuerunt olim relata, ut in Indice Madriti anno 1667. videre licet. At in Indice Romano juſſu Ven. Servi Dei Innocentii XI. edito, ſine illa clauſula (*donec expurgarentur*) prohibita ſunt. Armell. Bibl. Caſ. part. 2. p. 24. cui jungeſis Poſſevinum Appar. Sac. tom. 2. pag. 118. Edit. Venetæ anno 1606. qui Folengii, Viri æquè literati atque incorrupti, Commentaria ab hæreticis corrupta exiſtimat.

LUDOVICI RIELON è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Analyſis Epiſtolarum Canonicarum in 12. Metis anno 1707. Gallicè.

COMMENTATORES IN APOCALYPSIM.

ALCUINI in Apocalypſin Liber unus. Sixt. Sen. Bibl. San. lib. 4.

AIMOINI Monachi ab anno Chr. 970. Floriacenſis, *ſupra Apocalypſim Expoſitio*, authoris tempore deſcripta, & forſan propriâ ipſius manu, aſſervatur inter mſ.tos Codices Bibliothecæ Floriacenſis. *Claud. Stephanot.* in Epiſt. hiſtor. de Bibl. Flor. quæ extat Opp. poſthum. Mabill. & Ruinart. tom. 1. l. 5. pag. 461.

S. AMBROSIUS AUTPERTUS, Abbas S. Vincentii ad fontes Vulturni in Italia ſec. VIII. an. 770. elaboravit multis vigiliis *Expoſitionem in Apocalypſim*, quam Stephano IV. Pontifici dedicavit, & in qua omnia ad morum ædificationem accomodat. *Authberti Opus*, inquit Mabillonius Annal. Bened. tom. 2. p. 247. *in decem libros diſtributum eſt: quod pietatis & doctrinæ plurimum continet.* Nec aliter de illo cenſet *Bailletus* in vita Viri ſancti ad diem 19. Julii. Edita eſt primùm Coloniæ an. 1536. in fol. per Euchar. Cervinum; deinde Tom. IX. Bibl. PP. Colonienſi, & Lugdunenſi XIII.

AUGUSTINUS CALMET in ſuo Commentario, hiſtoriæ ſerie contexta hoc agit, ut oſtendat librum Apocalypſis nonniſi perſecutiones, bella, victoriam & triumphum Eccleſiæ, quemadmodùm & Idololatriæ, atque Romæ idololatræ everſionem portendere.

S. BEATUS, Levanenſis, Aſtur, Abbas, *Commentarium in Apocalypſim*, ut Anonymus ejus vitæ auctor teſtatur, ſcripſit, quem laudant Lud. Alcaſar S. J. in inveſtigatione arcani ſenſûs in Apocalypſi pag. 83. Mabillonius in Obſervatione prævia ad vitam Sec. III. Benedictini Parte II. Nicolaus Antonius Bibl. Vet. Hiſp. l. 6. c. 2. p. 325. ſeq. Nemo hunc Commentarium hactenus in lucem protuliſſe ſcribit Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag. 491. Illum tamen ſe vidiſſe ait Morales in Eccleſia Vallecavenſi, Hiſpanis Valcabado, haud procul à Saldano oppido diœceſis Legionenſis, qui locus *S. Beati* memoria & cultu celebratur. Vid. Nat. Alex. in Hiſt. Eccl. Sec. 8. c. 3. art. 8. p. 686. col. 1.

VEN. BEDÆ *Explanatio in Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli* cum Prologo ad Fratrem Euſebium de ſeptem ejus Periochis & ſeptem ad eam intelligendam regulis Tychonii pag. 761-816. In hoc verò ſuo Commentario Beda non ſeptem tantummodò Aſiæ Eccleſias in eo libro deſignatas agnoſcit, ſed totius etiam Eccleſiæ vices uſque ad exitum Mundi in Apocalypſi deſignatas ſibi perſuadet. Primaſium verò ſe ſecutum eſſe non diffitetur. Tacitus Nicolaus Zegerus, doctus Minorita, notis in Nov. Teſtam. & Richardus Simon Tom. III. Hiſt. Crit. N. T. p. 345. Bedæ Commentarium plurimi faciunt. Zegeri verba ſunt: *Inter cætera autem Commentaria, quorum adjuti ſumus adminiculo, principem apud me obtinuit locum, & auctoritatem ipſius Bedæ gloſſema, quo ſanè nullum vidimus ſincerius, quod minus haberet affectatæ curioſitatis, quod magis argutum, doctum, ſolidum, & erudito homine dignum; denique quod magis meo certè judicio ad mentem accederet Apoſtolicam.* Hæc ille præfat. in Apocal.

BERENGAUDI *Expoſitio in Apocalypſin*, S. Ambroſio perperàm tributa. Extat in Append. ad Opera S. Ambroſii edit. nov. Monachorum è Congr.

S.Mau-

S. Mauri, qui Authorem monasticam Benedictinæ Familiæ institutionem sequutum esse hinc conjiciunt, quòd cap. 9. & 21. de vitiis, quæ sibi aditum in monasteria tum temporis fecerant, tanquam ocularis testis subinde disserat, & c. 18. & 21. locos plures passim inserat è Regula B. Benedicti ad verbum expressos. Vid. cit. Append. p. 498. Confer tamen Fabricium, qui Bibl. med. & inf. Lat. pag. 574. hanc Expositionem *Berengario* Turonensi attribuit.

S. BRUNO Astensis, seu Signiensis, Abbas Casinensis, in Apocalypsin dedit Tractatum, qui Operum ejus Tomo I. habetur.

BARTHOLOMÆUS, cognomine Taberna, ex oppido Paternione prope Catanam in Sicilia, Monachus S. Nicolai de Arenis è Congr. Casin. obiit 1593.

— *Comentaria in Apocalypsin*, Opus egregium, quod reperitur Catanæ in Monasterio S. Nicolai, & Venetiis in Bibliotheca S. Georgii Majoris MS. sign. 318. ubi illud anno 1718. tom. 1. in fol. se vidisse testatur Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 71.

CASSIODORI *Comentaria in Apocalypsim cum Epistolis & Actis Apostolorum* (quorum ipse meminit in præfatione de Orthographia) illustriss. Marchio Maffei in lucem publicam asseruit Florentiæ in 8. an. 1721. Titulum præferunt: *Complexiones in Epistolis & Apocalypsi.* Vide le Cerf Bibl. Hist. & Crit. pag. 143.

CASTERTONUS ab oppido natalitio in patria Norfolcensi sic nuncupatus, Monachus Norwicensis, absoluto studiorum curriculo se totum ad sacrarum Scripturarum meditationem contulit, tanto ardore sublimia mysteria contemplatus, ut multorum arcanorum particeps fieri videretur. Unde scripsit *in Apocalypsin S. Joannis librum unum.* Vid. Pits. æt. 14. ad an. 1382.

HAYMONIS Comentarius in Apocalypsim libri VII. in 8. Coloniæ an. 1529. 1531. 1534. Parisiis 1540.

JOANNES DE TINMOUTH, Monachus Anglus, super Apocalypsim Lib. I. Baleus.

MARINI in Apocalypsim Libri III. Trith. in Chron. Hirs. Tom. I.

RADULPHUS FONTANELLENSIS (an veriùs *Flaviacensis?*) super Apocalypsim. Bibl. Cisterc. le Long pag. 918.

RATHERIUS, Monachus Lobiensis, Episcopus Veronensis, obiit anno 973.

— *Expositio in Apocalypsim. Ordinarium Reibacense.* le Long pag. 919.

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS. In Bibliotheca Regia Parisiis extat Cod. 4107. *Commentarius in Apocalypsim* sub Remigii nomine, cujus prologus incipit, *Legimus in Ecclesiastica Historia* &c. qui olim sub nomine *Haymonis* nostri, Halberstadiensis Episcopi anno 1521. impressus Parisiis, apud Johannem Parvum, Coloniæ anno 1521. apud Euchovium, atque iterùm Parisiis anno 1540. Imò in iisdem Mss. Codicibus Regiis num. 3815. & 3816. sub nomine Haymonis legitur. Hinc vides, inquit Oudinus de S. E. Tom. III. p. 331. quàm frequenter in Mannscriptis fiat, ut quæ sunt Haymonis Episcopi Halberstadiensis, Remigio Autissiodorensi attribuantur. Fatetur tamen idem Oudinus, quòd P. Montfaucon in Opere *Diarii Italici* MS.tos Codices Ambrosianæ Bibliothecæ à se inspectos enarrans cap. 2. pag. 12. *antiquum Remigii Commentarium in Apocalypsim habeat.* Oudin. l. c. Schöttgenius in Continuatione Bibl. med. Lat. lib. 17. p. 185. ubi *Commentarius* Remigio vindicatur.

GUILIELMUS DE HIERACI, Siculus, Panormitanus, Monasterii ad S. Martinum de Scalis Abbas an. 1505. floruit egregia doctrina, ut testantur ab eo conscripti libri duo *de Apocalypsi*, qui asservantur in Bibliotheca Monasterii Sublacensis. Armell. part. 2. pag. 195.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis in Apocalypsim S. Joannis Libros XII. edidit, quos Friderico Archiepiscopo Coloniensi inscripsit. Extant Opp. tom. 2. p. 468. Excusi sunt etiam seorsim Norimb. an. 1523. Coloniæ an. 1540. Lovanii apud Servatium Sassenum an. 1551.

THEODORUS Monachus & Scholasticus Monasterii S. Mathiæ propè Treviros obiit an. 1012.

Commentarius in Apocalypsim. Eysengren Catal. Test. verit. pag. 78.

WERNBERTI, seu *Weremberti* San-Gallensis Commentarius in Apocalypsim. Possevin. in Appar. Sac.

ANONYMUS Monachus in Cœnobio Cantuariensi scripsit *in Apocalypsim S. Joannis Lib. I.* Legimus Genesis cap. 23. Ubi Jacob. Pits. de Ill. Script. Angl. in Append. p. 824.

ANONYMUS alter Monachus Anglus. *Lib. un. in Apocalypsin.* Spiritu magno vidit ultima, Pitf. l. c.

§. IV.

Commentatores, seu Poëtæ Biblici, qui Sacræ Scripturæ libros, loca, argumenta, laudes ac commendationem ligatâ oratione expresserunt.

CEDMONIUS simplex Monachus, Poëta haudquaquam aspernandus, circa annum Domini sexcentesimum septuagesimum per omnes ferè Bibliorum Historias poëmata edidit. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. p. 350. De hoc Poëta Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad an. Chr. 680. Tom. I. p. 555. agens, „ erat, inquit, in eo monasterio „ (*Streaneshalensi*) frater quidam, „ Cædmon nomine, peculiari gratia „ insignis, qui, cùm poëticen nunquam didicisset, carmina religioni „ ac pietati apta ex tempore Anglica „ lingua pangebat, ac peritè canebat, „ nihil unquam frivoli aut profani „ componere solitus, sed ea tantùm, „ quæ ad religionem pertinebant. „ Hanc gratiam cùm in illo probâsset „ Hilda Abbatissa, ex famulitio edu„ ctum in monasterio fratrum nume„ ro consociavit, eúmque sacræ Hi„ storiæ seriem edoceri jussit. „ Venerabilis Beda, cujus authoritate Mabillonii narratio nititur, Cædmonem his verbis commendat: *Divina gratia specialiter insignis, carmina religioni & pietati apta facere solebat, ita ut quidquid ex Divinis Literis per interpretes disceret, hoc ipse, post pusillum, verbis poëticis maxima suavitate & compunctione in sua, id est, Anglorum lingua proferret: cujus carminibus multorum sæpè animi ad contemptum seculi, & ad appetitum sunt vitæ cœlestis accensi. Et quidem alii post illum in gente Anglorum religiosa poëmata facere tentabant, sed nullus ei æquiparari potuit ----- At ipse cuncta, quæ audiendo discere poterat, rememorando secum, & quasi mundum animal, ruminando, in carmen dulcissimum convertebat, suaviúsque resonando, doctores suos vicissim auditores faciebat suos. Canebat autem de creatione mundi, & origine humani generis, & tota Genesis historia; de egressu Israël ex Ægypto, & ingressu in terram repromissionis; de aliis plurimis Sacræ Scripturæ, de incarnatione Domini, ac passione, & resurrectione, & ascensione in cœlum; de adventu Spiritûs sancti, & Apostolorum doctrina: item de terrore futuri judicii, & horrore pœnæ gehennalis, ac dulcedine regni cœlestis multa carmina faciebat. Sed & alia perplura de beneficiis ac judiciis divinis, in quibus cunctis homines ab amore scelerum abstrahere, ad dilectionem verò & solertiam bonæ actionis excitare curabat.* Hæc Ven. Beda. Joannes verò Tinmuthensis in Historia aurea Mf. lib. xx. cap. 7. apud Henricum Whartonum ad Usser. de Scripturis, sacrísque vernaculis pag. 350. *Cædmon fuit mira poëmata, quasi per omnes Sacræ Scripturæ historias. ----- Divinitùs edoctus in lingua patria facere carmina compunctiva, cui nullus alius in hujusmodi potuit æquiparari.* Veri Cædmoni genuina pauca supersunt, de quibus Georgius Hickesius in Grammatica Anglo-Saxonica, & Mœso-Gothica cap. xxii. p. 187. 189. Quam ex Usseriano Codice an. 1655. in 4. Franciscus Junius Amstelodami edidit paraphrasin Geneseos, & aliarum historiarum Veteris Testamenti, eámque Cædmoni adscribit in Notis ad Willeramum, pag. 248. eam ad longè juniorem ætatem esse referendam idem Hickesius non dubitat. Vide Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. p. 860.

ALCUINUS Epigrammata sex de correctione Bibliorum à se facta panxit, quæ extant in ejus Operibus pag. 685. Alia duo Poëmata, hexametrum alterum, alterum elegiacum Bibliis à se correctis præmisit, quæ edidit Lambecius Tom. 2. Bibl. Vindobon. pag. 403. seq.

OTFRIDI Monachi Wizanburgensis, sive Wissenburgensis in Alsatia, *Volumen Evangeliorum*, antiquis rythmis *Theotiscis* compositum, & in *quinque libros* divisum, quorum quisque porrò in capita divisus est, nempe *primus* in viginti octo, *secundus* in viginti quatuor, *tertius* in viginti sex, *quartus* in triginta septem, *quintus* in viginti quinque. Quâ occasione, quibúsque causis impulsus fuerit Otfridus, ut hoc Opus componendum susceperit, ipse in sua præfatione declarat, aitque, id factum studio & rogatu quorundam integerrimorum virorum, præcipuéque cujusdam à virtutibus ornatissimæ fœminæ, nomine Judith, à quibus, cùm impuras secularium cantilenas ferre non possent, interpellatus fuit, ut præcipua Evangeliorum loca Theotiscis versibus vinciret, quæ seculares illi memoriæ

man-

mandarent, sicque Evangeliorum in patria lingua capti suavitate, obscœnas illas Odas oblivioni traderent. Præstitit ille, quod flagitabatur, *non quasi peritus*, inquit, *sed fraternâ petitione coactus*, opúsque universum in libros quinque dispescuit, non tantùm in quatuor, ut Trithemius scripsit. In MS.to Codice Bibliothecæ Cæsareæ, in quo hoc opus integrum habetur, non mancum verò & mutilum, quemadmodum Flaccius Illyricus an. 1541. typis Basileensibus exscripsit, liber primus hac epigraphe insignitur: *Incipit liber Evangeliorum primus, Domini gratia theotiscè compositus.* Qui titulus à Trithemio perperàm redditus in hæc verba fuit: *Ad Luitbertum Moguntiacensem Archiepiscopum octavum in Evangelium, opus grande & insigne, quod prænotavit Otfridus, Gratiam Theotistæ, Libri IV.* Quæ cùm Illyricus legisset, plausum ingeminavit, existimans, se, non quod pueri in faba, invenisse. Unde in præfatione sua asseruit, ab Otfrido huic Evangeliorum Codici *nomen Gratiæ* loco tituli inditum fuisse, quò significaret *bona opera non esse necessaria ad salutem, sed justificationem nostram esse gratuitam, & per solam fidem contingere sine ullis nostris meritis.* Plurium aliarum falsitatum Lambecius Illyricum revincit, qualis est illa, quòd dicat, *Otfridum* hoc volumen Evangeliorum *suo tantùm Archiepiscopo*, nempe Moguntino examinandum & probandum comendâsse, non autem illud *Pontificis* Romani *pedibus* & Romanæ *Ecclesiæ censuræ* subjecisse, quòd tanta tunc fuerit adhuc libertas Ecclesiarum, ut nemo illius rei faciendæ necessitati fuerit obnoxius. Ac si verò Otfridus ita desipuisset, ut Theotiscos versus Romam ad Pontificem hujus linguæ penitus ignarum, quò judicium de illis ferret, mittendos unquam existimârit. Opus suum Otfridus Ludovico, Imperatoris Ludovici Pii Filio, Franciæ Orientalis Regi, ut & Luitberto Archiepiscopo Moguntino, atque Salomoni primo ejus nominis Episcopo Constantiensi dedicavit. Prima dedicatio fuit Poëma Theotiscum sanè quàm artificiosum. Altera erat Latinè scripta; tertia iterum Theotiscum Carmen; de quibus scitu digna, si lubet, legere potes apud Lambecium in Coment. de Bibl. Cæs. lib. 2. p. 415. seq. Novissima, & ad vetustissimos codices castigata editio est, quæ habetur in *Joan. Schilteri Thesauro Antiquitatum Teutonicarum* Tom. I. Cujus recensionem vid. in Act. Erud. Lips. an. 1727. *Emendationes in Otfridi Paraphrasin Evangeliorum*, quas ex codice Vaticano exscripsit *Fridericus Rostgaard*, edidit *Jo. Georg. Eccard* inter varias Additiones ad *Legem Salicam* an. 1720. typis ab ipso mandatam.

WILLERAMI ex Monacho Fuldensi Abbatis Eberspergensis in Bavaria Paraphrasis gemina in Cantica Canticorum, prior Rythmis Latinis &c. vide suprà *Comment. in Cant. Canticorum.*

ARNOLDUS, Saxo, Novæ Corbeiæ Monachus, & Scholasticus in Monasterio S. Mathiæ Treviris, versibus hexametris reddidit *Proverbia Salomonis.* Trithem. Chron. Hirs. ad an. 982. pag. 209. Aliis claruisse circa an. 1030. dicitur.

ARNULFUS, aliis *Arnolfus*, seu Arnoldus ex Comite Vochburgensi Monachus, & Decanus Monasterii Emmeramensis Ratisbonæ *excipiens de Proverbiis Salomonis convenientiores sententias & literam & allegoriam metrico lepore scripsit & digessit.* Sigebert. Gembl. de S. E. cap. 157.

REINHARDI Abbatis in Rheinhausen Opus metricum in Job. Trith. Annal. Hirs. tom. 1. p. 311.

HILDEBERTUS Gallus, è Lavardinensi vico natus, monachus Cluniacensis, Episcopus Cenomanensis, deinde Archiepiscopus Turonensis, obiit 1156.

1.) Libri IV. in quatuor libros Regum, versibus. 2.) Diversorum S. Scripturæ locorum moralis applicatio, versibus. 3.) Poëma de Opere sex dierum. 4.) In caput I. Ecclesiastes. Hæc omnia extant in ejus Operibus, quæ Ant. Beaugendre è Congreg. S. Mauri an. 1708. vulgavit Parisiis in fol.

MARBODI ex Episcopo Redonensi in Britannia Armorica Galliæ Monachi Andegavis ad S. Abinum, Liber *Ruth* redditus carmine. Extat inter ejus Opera ab Ant. Beaugendre edita pag. 1582.

— *De raptu Dinæ.* Genes. xxxiv. pag. 1585.

— *Metaphrasis Cantici Canticorum.* De hac Sigebertus cap. 158. *Marbodus Redonensis Episcopus Cantica Canticorum ad integrum exposuit, metrico labore & allegoria exornans.* Laudat & Trithem. cap. 339.

THEO-

THEODERICI Abbatis S. Trudonis prope Leodium anno 1107. defuncti Historiæ Veteris & Novi Testamenti versu heroico. Ger. Jo. Voss. de Hist. Lat. lib. 2. c. 48. ex Sixto Sen. l. 4. pag. 475. ubi: *Theodorus*, seu *Theodericus* Abbas D. Trudonis Leodiensis, natione Germanus, eruditionis & sanctitatis magnæ, cui par fuit prosæ & carminis excellentia, librum composuit, historias Veteris ac Novi Testamenti heroico versu complectentem.

GISLEBERTUS Monachus S. Laurentii Leodiensis Sec. XII. versu heroico scripsit *Historiam de Joseph*, unúmque in volumen extendit. Deinde *Gesta David* eodem metro partiens opus per libellos duodecim. Planus & facilis est, verumtamen dignè laudabilis, quia facilè usus difficili est opera secundùm hos suimet versiculos:

Carmina composui, gratèque labore peregi
Sanè difficilem proponendo mihi legem.
Lex fuit, ut verbum curarem reddere verbo,
Ardua res certè multa dignissima laude,
Et labor egregius est ex sermone pedestri,
Ex humili prosa salienti currere versu
Atque sequi cyclum patulum, sic ut sibi quivis
Speret idem, sudet multùm, frustràque laboret.

Neque illius opuscula gratæ sunt utilitatis aliena, quando historicæ narrationis campum mysticis amœnet floribus allegoriarum. *Reinerus* lib. 1. de Scriptor. Monast. Leod. apud Pez. Thes. Anecd. tom. 4. col. 31.

JOANNES Gisleberti frater & conmonachus in eodem S. Laurentii monasterio *Historiam Tobiæ* heroico pede percurrit. Reinerus l. c. col. 32.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS, Poëta sui temporis celebratissimus, & in divinis Scripturis à juventute detritus, scripsit in librum Ecclesiastis hexametro carmine librum unum. Ob. an. 1112. Opus Gemblaci Mf.tum asservatur, teste Foppenio Bibl. Belg. pag. 1096.

ROBERTI DE DUNSTABLE, Monachi Angli ad S. Albanum an. Christ. 1150. versus de creatione mundi, de paradiso, aliisque sacris & historicis argumentis. Bibl. Cotton. sub effigie Julii Lit. D. Cod. III. n. 3. & 6.

GUILIELMUS MALMESBURIENSIS de serie Evangelistarum Lib. XV. vario genere carminis. Leland cap. 160.

LAURENTIUS Dunelmensis, Monachus Anglus, Abbas Westmonasteriensis claruit 1160.

— *Hypognosticon Vet. & Novi Testamenti* versibus. Bibl. Bodleiana cod. 1294. Bibl. Lambeth. Wharton. Bibl. Belg. Sanderus part. 1. pag. 310. le Long p. 822.

PETRUS DE ROSENHEIM, Monachus Mellicensis in Austria, vir in divinis Scripturis studiosus, & secularibus literis sufficienter instructus, metro valens & prosa scripsit magistro Nicolao Dunckelspuel rogante, ad Brandam Cardinalem S. Clementis, Apostolicum Legatum, Opus metricum in totam Bibliam, quod *roseum memoriale divinorum eloquiorum* appellavit, duobus versibus semper exprimens, quod in quolibet capitulo continetur. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. B. l. 2. c. 137. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. p. 452. Habemus hujus Operis plures editiones. *Phorcæ* 1510. in 8. *Viennæ* 1524. Idem inscriptum *Mnemosynon* sub nomine *Conradi Bavari* in 8. Argentorati 1544. Stetini 1570. le Long pag. 933. Bibl. Mellic. pag. 212. & pag. 213. dicitur, aliud *Petri* Opus metricum in totam S. Scripturam excidisse.

CONRADUS *Boius*, sive *Bavarus*, Monachus in Mellicensi Austriæ inferioris Monasterio 1529.

Mnemosynon, id est, Bibliorum memoriale Carmen in 8. Viennæ Austriæ 1524. (verus Author dicitur Petrus de Rosenheim, Mellicensis Prior juxtà Frisium) le Long pag. 684.

ANGELUS DE FAGGIS, Italus, Neapolitanus, ex oppido *Sangri*, unde *Sangrinus* dictus, Abbas Casinensis. Ob. 1593.

— *Paraphrasis Metrica* vario carminum genere in *Psalmos Davidis* in 4. Venetiis 1540. & 1575. Basileæ 1561. Romæ 1587. Neque sanctæ fidem linguæ, neque Interpretum sententiam, neque Poëtæ diligentiam in hoc Opere desideran à quoquam posse, affirmat Armellinus Bibl. Cas. part. 1. pag. 24. id quod editiones toties iteratæ facilè persuadent.

GILBERTUS GENEBRARDUS Canticum Canticorum versibus Jambicis & Commentariis explicatum edidit adversus trochaicam Theodori Bezæ Paraphrasin, in 8. Parisiis 1585. Nempe ad explodendam Theodori Bezæ impietatem, qui Anacreonticis versibus profanis & obscœnis librum sacrosanctum Cantici Canticorum contaminaverat, Genebrardus Jambico dimetro illud idem Opus paraphrasticè & eleganter delineavit; cui etiam

è regione suorum versuum, Latinam nostram editionem adjunxit, & Commentariis postea eadem doctissimis, quemadmodum & Psalmos antea illustravit. Quæ omnia Parisiis prodierunt in lucem.

MATHÆI VINDOCINENSIS (claruit 1280.) *Metaphrasis Libri Tobiæ*, versibus elegiacis scripta, quam Joannes Heringius JCtus & Syndicus Bremensis ex duobus MSS.tis edidit Bremæ an. 1642. in 8. Neque prima ista fuit Vindocinensis Poëtæ editio, uti persuasum sibi habuit Heringius, sed illam antecessit Lugdunensis anno 1505. in 4. maj. cum Comment. in Auctores octo morales, & ex eadem editione Argentoratensis an. 1510. utraque Heringianâ longè, præsertim circa finem, auctior. Tertiam accuravit Basileæ anno 1563. Joannes Heroldus. Notandum verò, quòd multi perperàm hunc Mathæum nostrum cum Mathæo Abbate S. Dionysii in Francia confundant.

FELIX PASSERINUS, Italus, Neapolitanus, Monachus ac Prior Casinensis, denique Abbas Titularis, edidit inter alia *L' Essaemerone*, ovvero *L' Opera dei sei Giorni* Poëma, id est, *Hexaëmeron*, seu *Opera sex Dierum*, carmine heroico Neapoli in Typographia Jo. Bapt. Subtilis, per Scipionem Boninum an. 1608. in 16. & Venetiis apud Jo.Evangelist. Denchinum, & Joan. Bapt. Pulcianum eodem anno 1608. in 12. Opus annis septem completum, quod juxtà dierum numerum in sex partes distinguitur. Prima verò pars in octo subdividitur libros; Secunda libros habet novem; Tertia duodecim; Quarta undecim; sanè profundâ eruditione secretioris Theologiæ, nec minùs solidæ Philosophiæ, ac sacræ Paginæ intelligentiâ refertum. Si Julio Cæsari Capaccio, Viro sanè docto, fides habenda sit, Author in hoc Opere cunctis non solùm Italicis, sed etiam Græcis, & Latinis ob Poëseos splendorem & nobilitatem palmam eripuit. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 168.

JULIANUS-GATIANUS MORILLON, Gallus, Turonas, è Congr. S. Mauri obiit 1694. Ad mansuetiores Musas factus, ea elegantia Franciçè plura cecinit, ut præstantissimis eo in genere quibusque meritò exæquetur.

1.) *Paraphrasis in librum Job, versu Francico in 8. Parisiis.* 1668. In *Jobi* persona Principem calamitatibus oppressum, falsisque ab amicis, qui adversæ ejus insultant fortunæ, deceptum adeò graphicè ac nativè describit, ut *Job* in versibus ac metris Patris Morillon in vitam revocatus existimari possit.

2.) *Paraphrasis in Ecclesiasten* versu Francico in 12. Parisiis an. 1670.

3.) *Paraphrasis in librum Tobiæ*, versu Francico in 12. Aureliis 1675.

4.) *Joseph*, seu *Captivus fidelis*, versu Francico Turonibus 1679. Rei poëticæ intelligentes non minimi hoc carmen sacrum faciunt. Vid. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 396. Pez. Bibl. San-Maur. lib. 1. cap. xv. p. 71.

ANSELMI SCHRAMB, Cœnobitæ Mellicensis, *Pia Desideria Davidica*, sive *Psalterium Davidicum metro exceptum elegiaco.* Viennæ Austriæ typis Jo. Georgii Schleyr Univers. Typogr. anno 1707. Peculiare habet hæc metaphrasis, quòd in ea tota ne una quidem occurrat elisio.

THOMÆ MEZLERI, Zwifaltensis, *Periphrasis Poëtica in Lib. Psalmorum*, in 8. 1651.

§. V.

Scriptores Concordiæ Veteris & Novi Testamenti.

S. GREGORII M. *Concordia quorundam testimoniorum Scripturæ* à Joanne Gillotio primùm typis vulgata anno 1571. Extat etiam Tom. III. editionis San-Maurianæ, ubi Editoris præfatio legenda est.

S. BERTHARIUS ex Regia Francorum prosapia Abbas Casinensis, odio Christianæ religionis à Saracenis anno 883. interfectus scripsit ex veteris codicis fide, & Leonis Ostiensis testimonio lib. 1. c. 32. & Petro Diacono c. 12. duos libros *contrariorum in speciem locorum utriusque Testamenti*, typis impressos sine nomine auctoris in 8. Basileæ 1530. in fol. Parisiis 1556. 12. cum libris *Sixti Aulii Africani*: & in Bibliothecis Patrum, in quibus ex Felicis Toletani fide *Juliano Toletano* tribuuntur: cujus non magis sunt, quàm *Salviani* Massil. cum quibus eos anno 1530. edidit Joannes Alexander Brassicanus: vel *Richardi* Cluniacensis, ad quem referuntur à Sixto Senensi lib. IV. Bibl. Sanct. pag. 371. *Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib.* 2. *pag.* 652. Vir. in Operibus suo cuique Auctori vindicandis sanè acutum cernens: unde lectis Crowæi, Mabillonii,

lonii, & Colomesii argumentis, qui librum *Contrariorum* S. Berthario abjudicatum Juliano adjudicârunt, nihil sua à sententia se dimoveri est passus, præcipuè cùm Crowæus haud satis sibi constare videatur, sed modò cum dubitatione, modò sine illa Julianum Operis auctorem perhibeat. Vid. Jo. Bapt. Marus in Annot. ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Cas. cap. 12. pag. 22. Guil. Cave Hist.Lit. le Long Bibl. Sac. Placc. de Scriptor. Anonym. pag. 75. & 630.

HILDEBERTI ex Monacho Cluniacensi Archiepiscopi Turonensis Liber I. *De Concordia Veteris & Novi Testamenti*, metricus, Jo. Mabillonius vulgavit Analect. Tom. I. in 8. Parisiis 1682.

GUIBERTI Abbatis B. M. de Novigento *Capitularis Libellus de diversis Evangeliorum & Propheticorum voluminum sententiis*, quem ipsemet lib. 1. de vita sua cap. 16. notat. Existimat tamen *Lucas Acherius*, quòd is libellus ab Auctore ultimam manum non acceperit.

WAZELINUS II. hujus nominis Abbas Leodii ad S. Laurentium scripsit librum *de Concordia Evangeliorum, & expositione eorum.* Opus multùm utile, sed mansit imperfectum. Visitur etiam nunc iste liber in Bibliotheca S. Laurentii. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 277. & historiam Monasterii S. Laurentii in P. Martene Collect. ampl. tom. 4. p. 277.

JOANNES EVERISDEN, Anglus, Monasterii Buriensis Cellarius claroit 1336. Edidit *Concordantiæ divinæ historiæ* lib. un. Pits. ætate 14. p. 435.

JOANNES Nivicellensis Monasterii Abbas & Doctor Decretorum scripsit *Concordantias Authoritatum S. Scripturæ* juxtà ordinem librorum in Bibliis, in quibus locis Juris Canonici reperiantur. Arnold. Wion. l. 5. c. 83. Ligni vitæ pag. 797. & ex eo Possev. Appar. Sac. tom. 2. p. 233. Eysengren in Catal. Test. Verit. p. 175.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Quæstiones Græcæ ad Rogerium Sicambrum de Evangeliorum dissonantia.*

JOANNES ALPHONSUS CURIEL, Hispanus, trium linguarum peritus, Theologiæ Professor, obiit 1569.

— *Controversiarum libri duo*, quorum prior est in aliquot Proverbiorum, & Sapientiæ, posterior in quædam Pauli & Petri Apostolorum loca, in fol. Salmanticæ an. 1611. le Long p. 692.

HIERONYMI CATHANEI, Itali, Patavienfis, è Congr. Casin. eximii Verbi Divini Præconis anno 1555. extincti

— *Harmonia Evangelica* Tomi II. in 4. quorum primus incipit: *Os meum potet* &c. secundus verò *Tunc oblatus est ei* &c. Opus quidem adeò egregium, ut doctissimo ejusdem Congregationis Theologo *Eutychio Cordes* (de quo alibi) dignum sit visum, quòd à se Commentariis exornaretur, ac tale prorsus de eodem opere judicium ferret in præfatione ad Lectorem: „Ingeniosum, pulcherrimum, utilissimumque Evangelicæ Harmoniæ opus, quod nobis R. D. *Hieronymus* reliquit, cùm post illius obitum in manus meas venisset, ipsum, ut dignum erat, charius amplexus, diligenter conservavi eo animo, ut meis aliquando Commentariis illustratum studiosorum utilitati fideliter ederem.„ Sed adhuc extat Mss. cum ejusdem Commentariis in Bibliotheca S. Justinæ. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 210.

RAPHAEL CASTRUCCIUS ex oppido S. Cassiani, Abbas Titularis S. Juliani de Alepria è Congr. Casin. obiit 1574. die 11. Aprilis.

— *Harmonia Veteris & Novi Testamenti*, in 4. Venetiis Italicè per Cyprianum de Martyrio, ut Possevinus, & le Long p. 671. at ut Armellinus part. 2. pag. 164. per Bologninum & Altierum anno 1570.

MAURUS PANDOLPHINUS, Florentinus, ibidem in Monasterio S. Mariæ Professus claruit 1572.

— *Harmonia, & convenientia quatuor sensuum sacræ Scripturæ* libris IV. distincta, quos Arnoldus Wion lib. 20. Ligni vitæ cap. 72. pag. 437. in prælaudato Monasterio nondum typis excusos asservari testatur.

LEANDRI A S. MARTINO Præsidis Generalis Congregationis Anglicanæ

— *Conciliatio locorum specietenus pugnantium totius S. Scripturæ*, in 8. Duaci typis Balthasari Belleri anno 1623. Verus auctor est *Seraphinus Cumianus*, Leander verò per epitomen explicator & illustrator.

§. VI.

Scriptores in quædam loca utriusque Testamenti.

VEN. BEDÆ *Tractatus de mansionibus filiorum Israël*: cujus ipse Beda me-

meminit in suorum Operum elencho, apud Mabillonium Seculi III. Benedictini part. I. pag. 536.

— EJUSDEM *Liber de Templo Salomonis.* Opp. Tom. VIII. p. I. Hujus Operis sui de constructione Templi Salomonis, atque allegoricae ejus interpretationis mentionem facit Beda in Epistola ad Albinum, Abbatem Cantuariensem.

RABANI MAURI *Expositio de Pascbate, & Agno Paschali.* Extat MS. in Collegio S. Benedicti Contabrig. cod. 122.

— EJUSDEM *Allegoriae in Sacram Scripturam.* Opp. tom. v. pag. 749.-823.

OTFRIDI WEISSENBURGENSIS, discipuli B. Rabani Mauri, Paraphrases Theotiscae in varia S. Scripturae Cantica.

1.) *In Canticum Esaiae Prophetae* (c. 12.) Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.

2.) *In Canticum Ezechiae Regis Juda* (Isa. c. 38.) Ego dixi in dimidio dierum meorum.

3.) *In Canticum Annae* (libr. I. Reg. c. 2.) Exultavit cor meum in Deum.

4.) *In Canticum Moysis* (Exodi c. 15.) Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.

5.) *In Canticum Habacuc Prophetae* (Habac. c. 3.) Audite coeli quae loquor.

6.) *In Canticum Zachariae* (Lucae c. 1.) Benedictus Dominus Deus Israel.

7.) *In Canticum Virginis Deiparae* (Lucae 1.) Magnificat anima mea Dominum.

Paraphrases verò *Otfridi* asservantur in mf.to Codice Bibliothecae Augustae, de quo Lambecius Commentarii lib. 2. c. 5. pag. 460. cum cura agit.

HINCMARI Remensis Archiepiscopi *Explanatio in Ferculum Salomonis.* Scripserat Hincmarus, teste Flodoardo, metricum Opus egregium ad Carolum Regem, quod appellavit *Ferculum Salomonis*, versibus constans CCCCXLVI. cui & solutae orationis partem alteram adjecerat, quae illius explanationem continebat. Hanc ex antiquo exemplari in lucem protulit Sirmondus Operum Hincmari Tom. I. pag. 756. Prioris enim partis nihil dum viderat, praeter versus duodecim, quos Tomo II. inter auctoris fragmenta protulit.

BRUNONIS Episcopi Signiensis *Tractatus in Canticum Zachariae* extat Operum Tomo II.

SIGWOLFUS Monachus Anglus inter legendum in quaedam Geneseos difficilia loca inciderat, quae explicare non praesumpsit, contentus, quòd faciliora saltem Commentariis illustrare posset. Unde Alcuinus ejus rogatu scripsit suam in Genesim interpolatam quaestionum expositionem, illa videlicet loca explicans, quae Sigulfus victus rerum difficultate explicare non est ausus, & ab Alcuino sibi explicari petiit.

— *De exponendis quibusdam difficilibus super Genesim quaestionibus, Lib. un.* Cl. an. Dom. 790. Pits. aet. 8. p. 164.

FULBERTI, Galli, Abbatis Ferrariensis, Carnotensis Episcopi anno 1028. defuncti

— TRACTATUS in illud Actorum: *Misit Herodes Rex manus, ut quosdam affligeret de Ecclesia.* Vid. veterum aliquot Scriptorum Opuscula à Casimiro Oudino edita in 8. Leidae ao. 1692.

PETRI DIACONI, Romani, Cassinensis Monachi ac Bibliothecarii Sec. XII. clari

— *Scholia in Vetus Testamentum, de Rebecca & Isaac, de Rege Ozia, & Sacerdotibus, de Mose, & via trium dierum, de visione Isaiae, de tentatione Christi in deserto.* Ipse in IV. Libro Chronici Monasterii Casin. cap. 66. in fol. Parisiis an. 1668.

PROSPERI PHANELLI è Congr. Casin. *Dialogi XIX. de Locis Propheticis in Evangelio citatis*, Partes II. de quibus vid. Armell. part. 2. p. 161.

AMATI Monachi Cassinensis, & incertae Sedis Episcopi circa an. 1080. Opusc. *De duodecim lapidibus* Jo. Bapt. Mar. in Not. ad Petr. Diac. de Vir. Ill. Casin. cap. 20.

FRIDEGODI Monachi Cantuatiensis circa an. 959. *De peccatrice in Evangelio, liber unus.* Dum pietate multimoda Deus. Pits. aet. 10. p. 174.

HUGO READINGENSIS Abbas in Anglia scripsit in varios Sacrae Scripturae textus *Quaestionum Theologicarum libros sex.* Deus summè verus, & verè summus. MS. inquit Arnoldus Wion in Ligno vitae part. I. lib. 2. in Bibl. S. Benedicti Mantuae clar. 1181. Pits. aet. 12. pag. 247.

GUILLELMUS Gallus, Coenobii S. Dionysii Monachus in Francia claruit anno 1200.

— *Commentarius in quosdam libros, seu textus ac loca Bibliorum.* Arnoldus

Wion Ligni vitæ lib. 2. cap. 68. pag. 422.

IRIMBERTI Abbatis Admontensis Homiliæ in selecta S. Scripturæ loca, nondum typis vulgata, asservantur in ejusdem Asceterii Bibliotheca.

ISIDORI CLARII Orationes VI. 2. vol. in 4. Venetiis an. 1567. in quibus plures difficiles textus utriusque Testamenti exponit; id autem *Croveus* appellat *Orationes extraordinariæ*. Calmet in Supplem. ad B. S. part. 1. pag. 301.

BENEDICTUS BONSIGNORIUS, Abbas S. Mariæ de Florentia, sanctitatis æquè ac doctrinæ laude celebris in quàm plurimos Isaiæ & Pauli insignes locos commentatus est, cujus commentationes cum cæteris ejus Operibus impressæ fuerunt Florentiæ apud Georgium Mattescottum an. 1568.

RAYMUNDUS GIBBONIUS, Monachus S. Germani à Pratis Commentarios in quasdam Scripturæ partes edidit sive Græcas sive Latinas, qui in ejusdem monasterii Bibliotheca mſ.ti asservantur. Vid. Montfaucon Bibl. Mss. Codd. tom. 2. p. 1125.

FABIANUS PINUS, Appulus, Matherensis, è Congr. Cas. scripsit *Notas in Isaiam, Jeremiam, Parabolas, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, in libros Sapientiæ, super Ecclesiasticum*. Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 164.

ROBERTI GUERARD, Galli, Rothomagensis è Congr. S. Mauri anno 1715. defuncti

— *Compendium Biblicum quæstionibus & responsionibus constans ex variis Authoribus*. Opus pro juventute ac rudioris intellectûs hominibus non inutile censet *le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag.* 179. cui non probatur, quòd ex *variis Authoribus collectum* dicatur, cùm Compendii fundamentum sit ipse liber, qui in synopsin redigitur. Ob utilitatem tamen suam sæpiùs typis iteratum fuit. Parisiis in 12. an. 1707. alteram editionem *le Cerf* non prodit, sed tantùm dicit, tertiam editionem factam esse an. 1711. le Long p. 756. quartæ meminit Cadomi an. 1718.

IGNATIUS GEORGIUS è Congr. Melitensi Ragusina edidit sequens scriptum: D. PAULUS APOSTOLUS *in mari, quod nunc Venetus Sinus dicitur, naufragus, & Melitæ, Dalmatensis Insulæ post naufragium hospes, sive de genuino significatu duorum locorum in Actibus Apostolicis Cap. XXVII. 27. XXVIII. I. Inspectiones Anticriticæ*. Venetiis apud Christoph. Zane an. 1730. in 4. Extat Recensio in Novis Actis Eruditor. Lipſ. Supplem. Tom. II. Sect. 11. quam his verbis concludunt. „ Gratulamur Autori de exantlato „ tam difficili ac intricato labore, ve„ nerantes notitiam ejus Theologi„ cam, Philosophicam, Geographi„ cam, & Græcarum literarum peni„ tiorem peritiam, ac cùm maximè „ ingenuam sentiendi confidentiam, „ Nunc post carecta latebimus, inau„ dituri, quo vultu & assensu senten„ tia hæc, plerisque inaudita, ab aliis „ quoque videatur suscipienda.

MARTINUS JACOBUS è Congreg. S. Mauri studium non mediocre contulit ad Sacræ Scripturæ locos, qui non ita sunt omnibus pervii ac perspicui, exponendos, unde ab ipso habemus duo insignia volumina, plena eruditionis, ac profundæ doctrinæ in 4.to, quorum titulus: *Explication des plusieurs textes difficiles de l'Ecriture, qui jusqu' à present n'ont été ni bien entendus, ni bien expliquez par les Commentateurs*. i. e. *Explicatio complurium difficilium Scripturæ textuum, quorum sensum Commentatores usque huc nec bene assequuti fuerunt, nec bene expofuerunt*. Paris. 1730. 2. vol. in 4.

§. VII.
Scriptores, qui in Sacram Scripturam Tractatus Isagogicos ediderunt.

CASSIODORI Liber *de Institutione divinarum Literarum*, quem Monachi omnes accuratè legere debent, inquit Mabillonius. In eo autem agitur de Libris Veteris & Novi Testamenti, non immutato, quem inter se habent, ordine; tum variæ Scripturarum divisiones exponuntur, demùm Scriptores Ecclesiastici, & scientiæ ad Scripturarum cognitionem necessariæ recensentur. Præcipui Authores Cassiodori sunt Divus Hieronymus, & Divus Augustinus, è quibus potissimas regulas deprompsit, quas ad sacri Codicis interpretationem necessarias esse judicat. Quisquis nostrûm ad sacra studia accessurus est, priùs Cassiodori Tractatum haud segniter evolvat; maximas enim ex eo hauriet utilitates.

AUGUSTINUS, Anglus, aut Hibernus, Benedictinus, vixit post annum 600.

— *De mirabilibus S. Scripturæ libri tres*. Vid. Operum S. Aug. Hipponensis Tom. III. in Appendice, & in aliis

aliis editionibus: le Long pag. 619. col. 1.

VEN. BEDÆ PRESBYTERI *De Schematibus Sacræ Scripturæ* Opp. Tom. I. p. 42. & Tropis pag. 487. Prodiit etiam separatim Venetiis 1522. & cum figuratis locutionibus ex Augustino & Chrysostomo collectis per Bartholomæum Westheimerum Basil. 1536. & inter Rhetores Francisci Pithoei pag. 342. 355. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 496.

NOTINGUS, seu *Nottingerus, Germanus, Monachus S. Galli in Suevia, Episcopus Constantiensis, obiit 935. De Expositoribus S. Scripturæ volumen.* Ita Jacobus le Long in Bibl. Sac. ex Eisengrenii Catal. Test. Verit. pag. 73. Verùm uterque deceptus est, qui enim ipsis *Notingerus* audit, est *Notkerus*, cognomento *Balbulus*, sanctitate atque eruditione clarus circa an. 990. Is Salomonem discipulum suum, posteà Ecclesiæ Constantiensis Episcopum, sacras Literas edocuit, eique in peculiari à se lucubrato libello optimos quosque Authores in omni literaturæ genere, præcipuè, in quibus divinæ Scripturæ accuratiùs explicantur, indicavit, & commonstravit. Notitia enim meliorum authorum dimidium est doctrinæ. *Notkeri librum de Interpretibus divinarum Scripturarum* edidit Bernardus Pezius Thes. Noviss. Anecdot. Tom. I. part. 1. col. 1. & ex eo Joannes Albertus Fabricius ad calcem Tomi V. laudatissimæ Bibliothecæ med. & inf. Lat. p. 904 - 936.

S. ABBONIS, Galli, Aurelianensis, Abbatis Floriacensis an. 1004. occisi Epistola ad *Odilonem Abbatem Cluniacensem de Canonibus Evangeliorum*. Vid. Can. vet. Eccles. Rom. p. 406. in fol. Paris. an. 1687. le Long pag. 591. col. 1. Mabill. Annal. tom. 4. p. 153.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis Liber de Scientia, qui est liber VII. de Operibus Spiritûs S. tom. 1. p. 622.

ERHARDI Monachi & Scholastici Cœnobii S. Michaëlis in Luneburg Sec. X.

— *De interpretatione S. Scripturæ* Lib. 1. Trithem. Chron. Hirsaug. tom. 1. pag. 125.

HERMANNUS CONTRACTUS inter multa præclara scripta sua reliquit opusculum insigne *Chronicon de sex mundi ætatibus* inscriptum, in quo ad imitationem Bedæ omnes ætates, generationes, annos, & tempora in sacris Literis contenta optimo ordine digessit. Sixt. Sen. l. 4. pag. 380.

GUILLELMUS, Abbas Hirsaugiensis Monasterii in Diœcesi Spirensi, natione Germanus, ad quem B. Anselmus Cantuar. Archiepiscopus nonnullas conscripsit epistolas, Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nulli suo tempore secundus, vita & conversatione sanctissimus, scripsit *de correctione Psalterii* librum unum: cujus initium: *Si quis in hac necessaria.* Claruit sub Henrico Imp. III. anno Dom. 1090. Sixt. Sen. l. 4. pag. 377.

GUILHELMUS PETROBURGENSIS, Monachus Ramesiensis in Anglia scripsit *interpretationes vocabulorum Sac. Scripturæ* lib. un. Abraham dicitur ab Abba. Claruit circa an. 1188. Pits. æt. 12. pag. 252.

ROGERUS COMPUTISTA, Monachus primùm, tum Prior Cœnobii S. Edmundi, quod Buriense dicitur in Comitatu Suffolciensi, omne tempus, quod à cura monasterii vacuum invenire poterat, in Sacræ Scripturæ meditatione posuit. Et ut non solùm sibi ad vitam, sed etiam post mortem consuleret ad gloriam, & posteris ad utilitatem, scripsit, & *Reginaldo Walsinghamo*, ejusdem cœnobii Monacho consecravit Opus, cui nomen indidit:

— *Expositiones vocabulorum totius Bibliæ, lib. un.* Cùm animadverterem, Reginalde frater, MS. Oxonii in pub. & in Colleg. Novo, & Magdal Claruit anno post salutem per Dei filium humano generi factam 1360. Pits. æt. 14. pag. 488.

GILBERTUS Abbas Westmonast. scripsit in *Prologos D. Hieronymi super Biblia.*

ADAMI ESTONIS, S. R. E. Cardinalis Sec. XIV. exeunte, Hebraicè ac Græcè peritissimi

— *Liber de diversitate translationum sacri Codicis.* Baleus & Pitseus.

JOANNES BUCHLER, Benedictinus, Rector Scholarum in Morbach claruit anno 1466.

— *Tractatus de scrutinio Scripturarum* Mss. Bibl. Murbac. le Long. p. 655.

JACOBUS DE OPPENHEIM, Monachus Hirsaugiensis an. 1493. demortuus, vir in Scripturis divinis admodùm eruditus:

— *Synthemata de titulis Psalmorum.* Item de *utilitate Psalmorum* Opusculum. Trith. Chron. Hirsaug. tom. 2. pag. 553.

HIERONYMI LAURETI Index & Genealogia virorum ac mulierum S. Scripturæ simul cum Homonymis eorundem ad ejus historiam intelligendam maximè conducens, *Barcinone* apud Michaëlem Ortiz an. 1568. in 4.

— EJUSDEM *Opus de Numeris*, quod ad calcem Sylvæ Allegoriarum subjecit.

PETRI BERCHORII Commentatio de figuris Scripturarum est liber XV. *Reductorii* nondum typis exscriptus.

GILBERTI GENEBRARDI Epistola ad Benedictum Ariam Montanum de puritate fontis Hebræi, scripta anno 1574.

— EJUSDEM Annotationes & Hebraismorum explicationes in sacros omnes Veteris Testamenti libros.

— Adversariorum sacrorum libri &c. le Long pag. 740.

— Isagoge ad legenda & intelligenda Rabbinorum Comentaria. Paris. an. 1563. & 1587. in 4.

FRANCISCUS RUIZ, aliàs de Valladolid, Pincianus, atque in Cœnobiis Salmantino, & Zamorensi, & sancti Facundi (*Sahagun* vocant) Abbas claruit seculo XVI. sacrarum Literarum, Bibliceque imprimis totius rei cognitione, cui exoticarum linguarum promovendis Theologiæ studiis valdè utilium, multæque eruditionis ornamentum adjunxit. Quapropter non mediocribus & ipsum ornant laudibus Sixtus Senensis Bibl. lib. IV. Ant. Possevin. in Apparatu sacro, Arnoldus Wion lib. II. Ligni vitæ cap. 72. è Hispanis Ant. Yepes, Ægidius Gonzalez Davila, aliique præsertim ejus Operis nomine, quod indigitavit:

— *Regulæ CCCXXXIII. intelligendi sacras Scripturas ex mente SS. Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, quas brevibus explanationibus illustravit. Lugduni* 1546. in 8. *Parisiis* 1547. in 16. *Coloniæ* 1577. 1588. in 16. *Constantiæ* 1598. in 8.vo *Francofurti* 1611. Nicolaus Antonius in Bibl. Hispan. Nov. pag. 359.

BENEDICTI HÆFTENI Præpositi Affligeniensis *Bibliomnena*, sive *Memoriale Sacræ Scripturæ*. Opus Ms. quod in Bibliotheca Affligeniensi asservatur.

MAURITIUS PONCETRA, Gallus, Melodunensis, Theologiæ Doctor & Professor, obiit an. 1586.

— De admonitione ad Episcopum Parisiensem circa Gallicam Bibliorum translationem à Renato Benoit confectam, Gallicè in 8. Parisiis 1578. le Long pag. 910.

LEANDRI A S. MARTINO Sacra Ars Memoriæ ad Scripturas divinas in promptu habendas, memoritérque addiscendas accomodata, in 8. Duaci anno 1623.

JOANNES D' ESPIERES, Gallus, Theologiæ Doctor, Monasterii Aquicinctini Magnus Prior

— Auctoritas S. Scripturæ, textûs Hebræi, Versionis LXX. Interpretum, & Versionis Vulgatæ (sive Tractatus, 1.) De Textu Hebraico. 2.) De Versione 70. Interpretum. 3.) De Versione Vulgata, in 4. Duaci an. 1651.

CÆSARIUS FUNETTI, Italus, nobilis Cæsenas, Abbas Casinensis S. Vitalis Ravennæ scripsit de mandato E.mi Cardinalis Cœlii Piccolominei, Legati à Latere Provinciæ Romandiolæ SS. D. N. Alexadri Papæ VII.

— *Introductionem proœmialem ad intelligendum, & interpretandum non solùm Psalterium David, sed totam etiam Scripturam Sacram.* MS. in fol. apud D. Petrum Paulum Ginnani Ravennatem Monachum, & Lectorem Scholasticarum Facultatum in laudato Cœnobio S. Vitalis, qui eandem Isagogem eruditam, pulchram, & efficacem esse per epistolam Mariano Armellino testatus est: addens Cæsario propositum fuisse totum Psalterium multifariàm pro sensuum Literalis, Allegorici, Tropologici, & Anagogici diversitate explicare, ut ipsemet indicat hujusce *Introductionis* pag. 3. quod an perfecerit, hactenus est incompertum. Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 148.

CYRINI DE SANCTIS, Itali, Senensis, è Congr. Casin. sacrarum Literarum suprà XL. annos in Pisana Universitate publici Professoris doctissimi *Prælectionum in Sacra Biblia Tomi VI.* quos in decem annos compositos decimo quoque anno rursùs ab initio recitabat.

— *Repertorium Biblicum*, Opus pulcherrimum aureas divin. Bibl. explicationes Alphabeti ordine docens. Utrumque Opus prælo dignum asservatur Ms.tum Senis in Bibliotheca Monasterii S. Eugenii. Vivere desiit author 1679. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 146.

FRANCISCI MEZGER è Domo S. Petri Salisburgi SS. Theologiæ & J.U. Doctoris in Universitate Salisburg. Procancellarii ac S. Scripturæ Professoris Ordinarii anno 1701. demortui.

— *Institutiones Sacræ Scripturæ* sive Principia, Regulæ, & Instructiones de modo ritè intelligendi, & inter-

terpretandi S. Scripturam, *Salisburgi* apud Jo. Bapt. Mayr an. 1680. in 12. Opus SS. Literarum studiosis summopere commendandum.

CLAUDIUS LANCELOT, Gallus, Parisinus, Cœnobii San-Cyrani Subdiaconus, obiit an. 1695.

1.) Nova Dispositio S. Scripturæ, quâ illa per annum integrum legi potest, Gallicè in 8. Parisiis an. 1695.
2.) Tabula Chronologica S. Scripturæ (ex Jac. Usserio inprimis exscripta) Item de ponderibus & nummis antiquorum, maximè Hebræorum, de mensuris antiquis. le Long Bibl. Sac. pag. 819.

NICOLAI LE NOURRY, Galli, Normanni, Diepensis, è Congr. S. Mauri *Dissertatio de Aristea* Historia de 72. sacris Interpretibus. Apparatûs ejus ad Bibl. max. Patrum lib. 1. dissert. in 12. fol. Parisiis an. 1701.

JOANNES MARTIANAY, Gallus, Occitanus, ex oppido S. Severi è Congreg. S. Mauri, obiit an. 1717.

1.) *Tractatus de veritate & inspiratione Librorum S. Scripturæ*, Gallicè in 12. Parisiis an. 1697.

Ejusdem Tractatûs continuatio, in qua respondetur objectionibus, & defenditur Bibliotheca divina S. Hieronymi adversùs Rich. Simon, olim Gallicanæ Oratorii Congregationis Presbyterum in 12. ibid. 1699. Est pars altera Operis præcedentis.

2.) *Vindiciæ Textûs Hebraici, ac sacræ Chronologiæ, secundùm Vulgatam adversùs librum*, cui titulus: *Antiquitas temporum restituta, authore D. Paulo Pezronio Ord. Cisterc. in 12. Parif.* 1689. qui vir doctissimus contenderat, LXX. Interpretum Chronologiam, in supputandis annis, qui ab orbe condito ad diem Natalem usque Christi interfluxêre, longè antehabendam esse sacri Textûs Hebraici & editionis vulgatæ Chronologiæ.

Continuatio Vindiciarum Textûs Hebraici & Vulgatæ adversùs Isaacum Vossium, Protestantem, & Patris Pezronii libros in 12. Parisiis 1693.

3.) *Tractatus Historicus* de Canone librorum Sacræ Scripturæ, à prima eorundem editione usque ad Concilium Tridentinum in 12. Parisiis 1703.

4.) *Specimen*, seu *Tentamen versionis*, id est, Observationes ad versiones Gallicas Novi Testamenti in 12. maj. vol. 2. Prius prodiit Parisiis apud Petrum Witte an. 1709. posterius apud viduam Antonii Lambini an. 1710.

5.) Tractatus de methodo, seu modo explicandi Sacram Scripturam, adminiculo triplicis syntaxeos, sc. propriæ, figuratæ, & harmonicæ, Gallicè in 12. Parisiis 1704.

6.) De Titulis, & Capitulis, Versibus, & Metris sacrorum Bibliorum. Ejus *Prolegomenon quartum in divinam Bibliothecam S. Hieronymi in fol. Parif. anno* 1697.

7.) Notæ prolixiores in librum Hebraicarum quæstionum S. Hieronymi in Genesim, & in Commentarium libri Ecclesiastæ ejusdem S. Doctoris. Ibidem tom. 2. pag. 550-789.

8.) *Congeries Thesium* in Sacra Biblia. Exercitatio in Sacra Biblia. Exercitatio in Psalterium Davidicum. Exercitatio analytica & theologica in Psalmos, & in Canticum Canticorum. Exercitatio Chronologica in omnes Prophetas. Exercitationes in sex priores Psalmos. Hæc omnia ejusdem S. Hieronymi Opp. tom. 5. in fol. Parisiis an. 1706. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. le Long Bibl. Sac. p. 849.

MATHÆI PETITDIDIER, Lotharingi, è S. Nicolai oppido, Abbatis Senoniensis, Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Præsidis Generalis, Episcopi Macranensis *Dissertationes Latinæ Historico-Chronologicæ in omnes libros Veteris Testamenti an.* 1699. *in* 4. quas jure optimo ceu doctissimas commendat Amat de Graveson Hist. Eccl. Tom. VIII. Similes quoque in Novum Testamentum adornaverat, quæ hactenus ineditæ Eruditorum vota fatigant.

AUGUSTINI CALMET, Abbatis Senoniensis, *Prolegomena & Dissertationes in omnes & singulos S. Scripturæ libros.* Opus Gallicè ab Anthore scriptum, & Avenione primùm, inscio Authore, an. 1715. non satis scitè quinque tomis in 4.to impressum, tum Parisiis ab ipso Authore tribus tomis in 4. 1720. & tertiò operâ Godefridi Clairmont, Reformati, ut vocant, Gallici Concionatoris, Amstelodami, mutato ordine, & titulo, qui iste fuerat: *Tresor d' Antiquités sacrées & profanes tirées des Commentaires du R. P. Augustin Calmet sur l' Ecriture sainte*, tomis compluribus. Batavi patrio idiomate Dissertationes in Vetus Testamentum anno 1728. & in Novum an. 1733. ediderunt. In Italia Latinis literis traditum, & in duos tomos distributum à Joanne Dominico Mansi, Lucensi, Congregationis Matris Dei, Lucæ an. 1729. denique inpræsentiarum has

eas-

easdem Differtationes D. Mosheim, celebris eruditionis ac doctrinæ Lutheranus Abbas in Germanicum idioma operâ Joannis Danielis Overbecki converti curat. Quæ multæ verfiones & editiones Operis præftantiam fatis loquuntur.

— *Tabula Chronologica Generalis Hiftoriæ Biblicæ.*

— *Calendarium Judæorum.*

— *Supputatio Monetarum Hebraicarum, & Judaicarum ad pondus Marchi.*

— *Verfio Literalis Nominum Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, & Græcorum in S. Scriptura occurrentium.*

Hæc omnia, quàm fcitu neceffaria, tam utilia, S.Scripturæ ftudiofis doctiffimus Præful Dictionario fuo Appendicis loco fubjecit.

THOMÆ AQUINATIS ERHARD, Weffofontani, *Ifagoge*, quam Commentario fuo in univerfa Biblia Sacra præmifit.

— EJUSDEM *Manuale Biblicum*, feu Appendix Sacræ Scripturæ Latino-Germanicæ, cum variis Lexicis ad faciliorem facrarum Literarum ufum concinnata. Aug. Vind. an. 1724. in 4. typis Maximiliani Heifs.

HIPPOLYTI PUGNETI, Itali, Placentini, è Congr. Cafin. Hebraicæ, Græcæque linguæ, ac nobiliorum fcientiarum ftudiis Viri exculti ffimi, Sacræ Scripturæ Profefforis

1.) *Biblicæ Theologiæ Inftitutiones.* 2. *Exercitationes in linguas Hebraicam & Græcam* cum Hebraicæ linguæ elementis, & Græcæ additamentis, ad Divini Verbi intelligentiam contra Hæreticos, Tomi II. 3.) *Bibliæ Harmoniacæ Idea defcripta.* Quæ Opera lucem publicam, qua funt digniffima, exfpectant. Armell. part. 1. 230.

GALLI CARTIER è Congregatione Argentinenfi Monafterii D. Ettonis propè S. Landelinum, vulgò Ettenheimünfter dicti, Prioris & SS. Theologiæ Profefforis

— *Tractatus Theologicus de S. Scriptura* fuccinctam & perfpicuâ illius hiftoriam, nec non præcipua, quæ circa eam tradunt Theologi, complectens, Anno 1736. typis F. X. Schaal, locus editionis expreffus non eft. Dividitur in duas Partes. Prima agit de Sacra Scriptura generatim. Altera de fingulis Scripturæ locis. Abbas Calmet data ad Autorem epiftola Opus commendans, velut quædam Sacrorum Bibliorum prolegomena vocat.

MARTINI JACOB è Congr. S. Mauri *Regulæ certæ pro intelligendo fenfu literali Veteris & Novi Teftamenti.* Has Regulas Cl. Author adjecit *Explicationi locorum difficilium S. Scripturæ*, de qua §. præced.

REMIGIUS CELLIER è Congr. Lothar. *Hiftoriæ Generalis Autorum Sacrorum* Tomo I. exactam & copiofam notitiam tradit de Libris Sac. Scripturæ, eorúmque Scriptoribus. Et quidem lib. I. de Veteris Teftamenti Scriptoribus. *Libro II.* ad Scriptores Novi Teftamenti progreditur. *Libro III.* de libris apocryphis Veteris & Novi Teftamenti exponit.

CHRYSOSTOMI, Abbatis Schyrenfis, Liber contra abufum divinæ Scripturæ anno 1557.

§. VIII.

Grammatici, Lexicographi & Concordantiæ ad ufum Sacræ Scripturæ.

VEN. BEDÆ Interpretatio nominum Hebraicorum, ordine alphabetico Opp. Tom. III. pag. 371. Hanc *Oudinus* perhibet in codicibus optimæ Notæ tribui Remigio Autiffiodorenfi.

RABANI MAURI Gloffarium Latino-Theotifcum in tota Biblia Sacra Veteris & Novi Teftamenti, quod ex arce Ambrafiana in Cæfaream Bibliothecam Vindobonenfem eruditiffimus Lambecius intulit, ex cujus codice V. C. *Jo. Georgius ab Eckard* typis vulgavit Comment. de Reb. Franc. Tom. II. Extare etiam Oxonii in nefcio qua Bibliotheca dicuntur ab Abbate Calmet in Supplem. ad B. S. part. 1. pag. 299. col. 1. Hoc tamen Gloffarium Rabano fœtum effe indignum *Diecmannus* contendit. Vid. lib. fuper. in vita B. Rabani. Sed hanc cenfuram non penitus approbat laudatus Eckhardus.

REMIGII AUTISSIODORENSIS S. GERMANI *Vocabularium facrum*, feu Interpretatio Vocabulorum Biblicorum, quæ in duobus optimæ Notæ Codicibus Mff. Bibliothecæ S. Victoris Parifienfis, Litera QQ. 19. & QQ. 21. habetur. Incipit *Aaz apprehendens* vel *apprehenfio*, éftque hoc Opus in Mff. Codd. frequentiffimum, fed anonymum, tefte Oudino de S. E. Tom. II. pag. 331.

ADAMI ESTON *In Alphabetum Judæorum Poftilla Hebraica &c.* Baleus, Pitfeus, Imbonatus, le Long p. 1168.

GILBERTI GENEBRARDI Alphabetum

betum Hebraicum in 8. Parisiis 1564. 1567. in 4. 1572. 1584.

— EJUSDEM *Isagoge Rabbinica* ad legenda & intelligenda Hebræorum & Orientalium sine punctis Scripta, in 4. Parisiis 1563. 1587. Eadem, V. Adr. Relandi Analecta Rabbinica, in 8. Ultrajecti 1702. le Long p. 1173. col. 1.

THOMÆ DU FOUR è Congregatione S. Mauri, Viri sacræ linguæ peritissimi, *Grammatica Hebræa*, quæ ob perfacilem methodum omnium teritur manibus. Impressa fuit Parisiis in 8. an. 1642. dedicata verò D. *Lescot* Doctori Sorbonæ ac postea Episcopo Carnotensi. Le Cerf, l. c. p. 132.

ANTONII POUGET, Galli, Bellargensis, è Congregatione S. Mauri, *Institutiones Linguæ Hebraicæ*, opus adhuc ineditum, sed ob summam utilitatem ab ejusdem Congregationis alumnis passim transcriptum. le Cerf. pag. 416.

EUTYTII CORDES, Belgæ, Antuerpiensis, è Congr. Casin. *Dictionarium Biblicum*, sive *Lexicon S. Scripturæ* in 4. ab F. ad O. Armell, part. 1. pag. 160.

CÆLESTINUS PFEIFFER ex SS. Theologiæ Professore, & Priore Imperialis Monasterii Petershusani in Suevia propè Constantiam, Parocbus Clingenzellensis in Turgovia lustris abhinc duobus Dictionarium Hebraicum in usum Sacræ Scripturæ jam fermè ad dimidium produxerat, cui, nisi viri docti adversa valetudo intercessit, fastigium vel jam impositum, vel brevi imponendum esse, credibile fit.

PETRUS GUARIN è vico de Tronquay in sylva Lecbuneni Diœceseos Rothomagensis, Monachus è Congr. S. Mauri, trium linguarū apprimè peritus, Hebraicam Græcámque apud suos in Monasterio Boni-nuntii Rothomagi, & in Monasterio Sanct. Nicasii Remis per multos annos professus aliquot abhinc lustris novam Grammaticam Hebraicam parare incœpit, in tres libros distribuendam, multísque aliis luculentiorem; plerumque enim Grammaticæ Hebraicæ à perfectione plurimùm deficiunt. *Jacobus le Long* Bibl. Sac. pag. 1173. & 1186. Grammaticam Guarini jam anno 1723. Parisiis apud Colombat, ejus verò Dictionarium Hebraicum (quod est Liber III. Grammaticæ) ibidem apud eundem anno 1724. prodiisse scribit. *Philippus* verò *le Cerf* in Bibliotheca Historico-Critica de Scriptoribus Congregationis S. Mauri anno 1726. quo illam in lucem edidit, testatur *Petrum Guarinum* in Grammatica sua Hebraica, quæ an. 1724. juris publici facienda erat, perficienda & perpolienda actu occupari. Quin interea temporis numeris omnibus absoluta in lucem emissa fuerit, nullus dubito.

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri Lexica duo, quorum prius *Hebraicum* voces Hebraicas exhibet, cum interpretationibus veterum, quæ in Fragmentis Hexaplorum occurrunt, additis simul illis, quas Lexicographi recentiores illis vocibus tribuerunt. Posterius *Græcum* verba præcipua repræsentat, quibus Aquila, Symmachus, Theodotio, aliíque in editionibus suis usi sunt. Addita verò illis sunt verba Hebraica, quæ iis respondent. Utrumque Lexicon optimo & utilissimo consilio concinnatum est, cùm hoc modo intelligatur, quas veteres illi significationes, quámque diversas eidem voci Hebr. subjecerint, ne de aliis dicamus. *Acta Erudit. Lips. in Jan. an.* 1714. Prodierunt verò duo ista Lexica ad Hexapla Origenis ad calcem Tom. II. in fol. Parisiis anno 1713. Græcum verò auctum & editum ad calcem Tomi II. Concordantiarum Græcarum Tommii in fol. Amstelodami an. 1718.

AUGUSTINI CALMET *Dictionarium Historicum, Criticum, Chronologicum, Geographicum, & Literale sacræ Scripturæ.* „ Propositum in hoc Opere adornando, inquit R mus Author, in eo versatur, ut Dictionarium Biblicum eodem consilio, quô Commentaria in S. Scripturam, ederemus, literæ nempe potissimùm, historiæ, & criticæ inhærentes; adjecta difficilium vocum explicatione, collatis inter se Hebraico simul & Vulgatæ Textibus. Nec minor nobis cura designandi certos locorum, regionum, montium, amnium S. Scripturæ situs. Celebrioribus rerum gestarum eventibus exactissimæ Chronologiæ notas adscripsimus; plantarum, gemmarum, animantium, fructuum nomina discussimus: de moribus, Festis, & cæremoniis Hebræorum, quæ feruntur, singula in medium adduximus. Nec prætermissæ monetarum, atque cujuscunque generis mensurarum rationes. Quare opus habendum est non tanquam Commentariorum nostrorum Epitome tantùm, sed velut illis omnibus adjectum supplementum. Id etiam unum Prolego-

menon & Introductionis ad Scripturam loco haberi potest; quemadmodum & Chronologiæ, Historiæ, Geographiæ Sacræ, & Librorum de Politia, ac moribus Hebræorum agentium. Paucis: Bibliothecam pauperum exhibet, atque utilissimum in lectione S. Scripturæ proficere volentibus Repertorium. Hinc quæcunque apud varios Authores legerunt Eruditi, hoc uno in Opere breviùs collecta tenebunt; libris verò destituti singularum rerum summam addiscent. „ Hæc Cl. Author de suo Dictionario Sacræ Scripturæ, cui subinde supplementum adjecit. Prima editio Parisiis anno 1722. duobus tomis in folio accurata fuit, quos post sex annos viz. 1728. duo alii *Supplementorum* exceperunt. Altera editio prodiit an. 1729. & 1730. Genevæ. De lite inter Parisienses & Genevenses Impressores orta nolim hîc quidquam dicere. Utrumque opus ob singularem suam utilitatem & præstantiam ex Gallico in Latinum à Joanne Dominico Mansi Congregationis Matris Dei translatum, ac Lucæ 1725. & 1731. typis Sebastiani Dominici Cappari excusum fuit. Item Augustæ Vindel. an. 1729. & 1738. fol. Etiam Hollandi, Angli, Germani in suam convertere idioma cœperunt.

— EJUSDEM *Supplementum ad Dictionarium* modò laudatum Gallicè scriptum, ab eodem autem Interprete Jo. Dom. Mansi Latinis literis traditum Lucæ anno 1731. apud Leonard. Ventur. „Offert Supplementum (sunt verba ipsius iterum Authoris) Animadversiones planè singulares in loca perplurima Operis nostri, Articulos etiam ex integro novos, observationes item criticas & literales, historica tandem multa è libris Orientalibus excerpta, quæ Historiæ & Antiquitatibus sacris Veteris Testamenti lucem affundunt. Nec desunt traditiones quædam veterum Arabum, posterorum Ismaëlis & Abrahami, qui Historiæ sacræ memoriam quidem, sed corruptam, & pluribus obvolutam fabellis conservârunt. „ Ita ille in *Præfat.*

Post Grammaticos & Lexicographos adjicere liceat unum alterúmve Scriptorem, qui indefesso studio *Concordantias* in sacram Scripturam adornârunt.

HUBERTI PHALESII, Cœnobii Affligemensis Supprioris Concordantiæ Bibliorum in 4. Antuerp. Moreti 1642. Lugduni in 4. Juilleron 1649. 1652. Parisiis apud Societatem 1656. in 4. Lugduni 1667. in 4. Item an. 1685.

— *Eædem* denuo recognitæ in 8. minori. Coloniæ Agripp. Balthas. Egmond 1684. Lugduni 1687. Nunquam verò Phalesius Concordantias suas in folio edidit (uti le Long primam Antuerpiensem in folio Bibl. Sac. pag. 458. editam falsò scribit) quia Concordantiæ in 4. & in 8. reliquis usu & facilitate præferuntur.

— *Concordantiæ* authoritatū S. Scripturæ juxtà ordinem librorum Bibliæ, in quibus locis Juris Canonici reperiantur, per JOANNEM Decretorum Doctorem, Nivicellensem Abbatem Ord. S. Benedicti. Basileæ in fol.

CONCORDANTIÆ *Bibliorum Wessofontanæ*, seu REPERTORIUM BIBLICUM *utriusque Testamenti juxta exemplar vulgatæ editionis Sixti V, Pont. Max. jussu editum, & Clementis VIII. authoritate recognitum, novâ methodo, ordine commodiùs, sensu pleniùs, usu expeditiùs adornatum*, operâ & studio Religiosorum Patrum Ord. S. Benedicti antiqui & exempti Monasterii Wessofontani Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub tit. SS. Angelorum Custodum... *Augustæ Vindelicorum Sumptibus Philippi Jacobi Veith & Wolff an. 1751. Tom. II. in fol.* Insigne hoc Opus omnibúsque Sacrarum Literarum studiosis & Divini verbi præconibus perutile, primus adornare cœpit doctissimus ejusdem Monasterii alumnus *Thomas Erhard*, vulgatis Bibliis Latino-Germanicis nominatissimus; cùm verò illud, fato interceptus, ad calcem perducere nequivisset, in laborem successit *Maurus Luzius*, ejusdem loci cœnobita perdiligens, quo etiam vivis sublato, supremam denique manum laborioso operi imposuêre Clarissimi Duumviri R. R. P. P. VEREMUNDUS EISVOGEL, & CÆLESTINUS LEUTNER, ambo editis pluribus aliis præclaris ingenii monumentis inclyti. Id verò novi præ antiquis commodi habent hæ Concordantiæ, ut quælibet sententia expeditè quæri, opportunè inveniri, & inventa facilè usui possit coaptari. Adhæc pleræque veteres Concordantiæ adeò exili caractere textus Scripturæ offerunt, ut hebetiores oculos aut effugiant, aut adhuc magis debilitent. Huic defectui cautum est in novis hisce Concordantiis, atque ita quidem, ut non solùm caracter major, sed & major inter lineas di-

distantia adhibita sit. In antiquioribus textus mutili sæpè & sine sensu integro proferuntur, ut frequenter ad ipsum fontem, ad sacros Codices recurrendum sit; Hæ nostræ semper sensum reddunt integrum, & sæpè talem textibus affundunt lucem, ut loca etiam in sese obscura facilè intelligantur. Antiquæ ad multos titulos vocum ingentem accumulant farraginem, multósque textus repertu faciunt difficiles; Novæ ipsas voces in varios casus, quasi totidem titulos discriminant: e. g. quando in veteribus textus, in quo vox *Mortem* continetur, quæri oportet ad titulum *Mors*, in novis breviore viâ idem textus invenietur ad titulum *Mortem*... Plura alia commoda in præfatione Operi præmissâ uberiùs & abundantiùs legenda offeruntur. Quàm gratum verò & acceptum id Operis Summo Pontifici BENEDICTO XIV. acciderit, ultrò prodit *Breve Pontificium*, quod post sibi inscriptas, & die 19. Septembris anno 1751. oblatas novas has Concordantias, R.mo D.no BEDÆ Abbati Wessofontano Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præsidi, Româ sub annulo Piscatoris rescripsit in hæc verba:

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili salutem & Apostolicam Benedictionem. Magnam sane ex epistola tua de Concordantiis SS. Bibliorum nova & hactenus non visa methodo, commodiori ordine, sensuque pleniori concinnatis in lucem edendis anno proxime elapso ad Nos data spem conceperamus, fore nimirum opus hujusmodi, etsi cæteris præstantius, non tanti tamen faciendum, quanti re ipsa experti sumus. Nam non sine ingenti lætitia pæne hæsimus hesterna die, cum dilectus Filius MARCUS CARCANUS Palatii Nostri Apostolici in munere Adjutoris Bussolæ constitutus, Nobis in primis acceptus, qui inclytæ Congregationis tuæ negotia jam diu accurateque in hac alma Urbe Nostra gerit, volumina illa typis impressa, Nobisque inscripta, tuo & ejusdem Congregationis nomine obtulit. Quoad autem per tempus Nobis licuit eadem volumina revolvere, mirati profecto sumus immensos labores cum diuturnis assiduisque plurimorum Congregationis tuæ virorum sapientia, prudentia, & omnigena eruditione insignium studiis conjunctos, quorum opus fuit, ut pro votis editio hujusmodi omnibus numeris absoluta prodiret, & communi applausu ubique exciperetur, & maxime omnibus Orthodoxæ Fidei cultoribus Divinarũ Scripturarum studiosis utilitati futura esset, quemadmodum Nobis omni procul dubio augaramur. Eapropter tibi, dilecte fili, tuisque alumnis ex corde gratulantes, meritas quoque Apostolicæ prædicationis laudes rependimus, & gratum obstrictumque Pontificium animum Nostrum tam pro eximio munere, quam pro ejusdem operis dedicatione profitemur. Etsi autem pro certo habemus, ab Omnipotenti DEO, pro cujus Divini honoris incremento tot suscepistis labores, uberrimam cœlestium charismatum mercedem Tibi ipsisque Religiosis Alumnis retribuendam esse; Nos tamen, vobis persuasum esse cupimus, opportunas præstolari occasiones, per quas Nostræ etiam remunerationis argumenta vobis præbeamus. Cæterum te, dilecte fili, & ejusdem Congregationis Alumnos, quamvis sponte sua tuoque auspicio ac ductu propensos rogamus & hortamur; agite, & ad DEI eloquia dulciora super mel & favum semper meditanda, novisque Christianæ pietatis & Catholicæ eruditionis vestræ documentis adaugenda operam omnem studiumque traducite, ut per consolationem scripturarum spem habeatis, firmiori prophetico sermoni attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, & lucifer tam in vestris, quam in omnibus Christi fidelium cordibus oriatur. Interim tibi, dilecte fili, & universis Congregationis Religiosis viris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX. Septemb. MDCCLI. Pontificatûs nostri anno duodecimo.

CAJETANUS AMATUS.

SECTIO II.

DE PATRIBUS, ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS ORDINIS S. BENEDICTI.

§. I.

Sancti Patres Benedictini, qui de Rebus Divinis ante natam Scholam, maximè de SS.mo Evchariſtiæ Sacramento ſcripſerunt.

ANte Theologiæ Scholaſticæ incunabula, quæ vulgò ad *Petrum Lombardum*, Pariſienſem Epiſcopum referuntur; quamquàm Lombardum aliquot annis *Robertus Pullus*, hunc *Hildebertus* anteceſſerit, Hildeberto autem D. *Anſelmus* & B. *Lanfrancus* ſynchroni, vel, ut rectiùs loquar, ſeniores extiterint, atque in Academia Beccenſi de rebus divinis ſcholaſticâ methodo primi diſputaverint; ante Theologiæ, inquam, prima incunabula, qui doctrinam divinam tradiderunt, *Patres* propter ætatem, in dignitatis & reverentiæ indicium, vocari conſueverunt, relicto conſequentibus recentioris ævi Doctoribus *Theologorum* nomine: quamvis & hi & illi eadem Theologica dogmata pertractarent.

Cùm verò Sciagraphiam duntaxat Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ ſcribendam mihi ſumpſerim, animus necquidquam eſt, eos omnes, qui ante natam Scholam de argumentis theologicis libros conſcripſerunt, hîc enumerare, quòd Sciagraphiæ limites excederet, ſed eos tantùm recenſere Patres Benedictinos conſtitutum habeo, qui theologicum dogma de SS.mo Eucharistiæ Sacramento vel expoſuerunt, vel defenderunt, aut fidelium animos ad ejus venerationem habitis Homiliis accenderunt. Eſt enim hæc peculiaris Benedictinæ Familiæ gloria & prærogativa, quòd ejus alumni contra hæreticos ſacratiſſimi hujus Myſterii aſſertores & propugnatores præcipui in Eccleſia Catholica extiterint. *Ordinis Benedictini*, inquit Natalis Alexander (a), *ſumma hæc eſt inmortaliſque gloria, quòd Lanfrancum, Hugonem, Durandum, Guitmundum, quatuor Viros præſtantiſſimos, quatuor Catholicæ Fidei Defenſores eximios ad propugnandam Corporis & Sanguinis Chriſti in Eccleſia veritatem, & panis ac vini in idem ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Tranſubſtantiationem, & ad Berengarium adhuc viventem, ejúſque ſectatores debellandos Eccleſiæ ſuppeditaverit.* Illuſtre hoc eſt encomium, quis enim diffiteatur? quo doctiſſimus ille Theologus Familiam Benedictinam exornat; atqui multùm adhuc fulgoris illi accedet, ſi oſtendero, non quatuor tantùm, ſed quadragenos, iiſque plures extitiſſe Benedictinos, qui pro muro ſanctiſſimi hujus Sacramenti contra ejus atque Eccleſiæ hoſtes ſtrenuè ſe oppoſuerunt.

SEC. IX. S. PASCHASII RADBERTI, Corbeiæ veteris in Gallia Abbatis anno 851. defuncti, *Liber de Corpore & Sanguine Domini.* Tanta perſpicuitate primus inter veteres ejusmodi argumentum pertractat Paſchaſius, ut eum veluti Apoſtolicæ Traditionis eximium hac in cauſa interpretem agnoſcat Catholica Eccleſia. De aureo hoc libro, ejúſque cùm genuinis tum adulteratis editionibus legenda eſt *Edmundi Martbene* & *Urſini Durand* Obſervatio prævia Tomo IX. Collect. ampl. pag. 367. ante utrumque de eodem etiam egit fusè, doctè, ſolidè Mabillonius Præfat. II in Sec. IV. O. S. B. §. I. Vid. etiam Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Tom. VI. p. 338. Lud. du Meſnil Doctr. & Diſcipl. Eccl. Tom. III. lib. 37. n. 18. p. 690.

— EJUSDEM *Verſus de Corpore & Sanguine Domini ad Placidum Diſcipulum.* Ex his quindecim duntaxat editi leguntur in Bibliothecis Patrum, hoc eſt, uſque ad *Diſponit cauſam* &c. ſubſequentes 67. Verſus ex Codice Bibliothecæ Ambroſianæ publicæ luci reddidit Cl. Muratorius Anecd. tom. 3. pag. 251.

SEC. IX. RATRAMNUS, ſeu *Ratrannus*, Lupo Ferrarienſi *Rotramnus*, ab undecimo ſeculo (quo Francica vocabula corrumpi cœpta) *Bertramus*, *Bertramnúſve*, Monachus fuit Corbeiæ veteris, ut temporibus illis doctus, & in Patrum lectione non mediocriter verſatus. Is non pauca argumenta theologica inſigni eruditione ac doctrina tentavit; an etiam condiderit *Librum de*

(a) Hiſt. Eccl. Tom. VI. Sec. XI. Differt. I. pag. 664. edit. Pariſ. in fol.

de Corpore & Sanguine Domini, nunc celebris quæstio (b) est inter eruditos. *Petrus de Marca* (c) negat, & librum sub ejus nomine vulgatum Joanni Scoto Erigenæ attribuit. Contrà verò *Jacobus de Sainte Beufve* (d) Doctor Sorbonæ, ac Regius Professor, Tractatum de Eucharistia in Sorbonæ scholis ipse prælegens, Ratramnum Catholicum Opus de Corpore & Sanguine lucubrâsse docet, fretus non tantùm Sigeberti, Trithemii, Espencæi, & Sanctesii, aliorúmque testimoniis, sed validis etiam adductus rationibus, quas vide apud Acherium Spicilegii Tom. I. novæ edit. in Monito prævio ad librum Ratramni contra Græcos pag. 63. Qui Acherius etiam alibi contra *Usserium Armachanum* insurgit; qui fuæ Ratramnum labe hæreseos ut aspergeret, insibilat, ipsum panis substantiam in Eucharistiæ Sacramento, in corpus Filii Dei transmutari, duobus, quos de eo Sacramento conscripsit, libris nequaquam ad nittere. Ratramnum doctè, luculentérque ab omni nævo asseruere *Sixtus Senensis* in Bibliotheca sancta, *Cardinalis Perronius* lib. 2. Euch. cap. 1. & 2. *Præses Mugainus* Historicæ & Chronicæ Dissertationis cap. 37. Cum quibus tamen sine fine litigabunt heterodoxi Scriptores. Prodiit verò liber Ratramni non *Latinè* modò, sed *Germanicè*, *Gallicè*, *Belgicè*, & *Anglicè*; de quibus versionibus & editionibus, quas plerasque Acatholici accurârunt, videri possunt Vincent. Placcius de Pseudon. p. 122. seq. *Jo. Albert. Fabricius* Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 662. & seq. In Novis Literariis Gallicis an. 1686. mens. Jan. pag. 682. duplex Ratramni editio memoratur; altera Catholicorum, altera Protestantium. Quorum illa Domino Boileau, hæc Mr. Alix adscribitur. Editio Domini Boileau prodiit Parisiis an. 1685 & 1712. typis Latinis & Gallicis Joannis Musier & Boudot in 12. Potest in tres partes distribui, quarum prima est præfatio, in qua non solùm plura peculiaria historica ad Tractatum Ratramni spectantia continentur, sed responsio etiam ad objectionem cujusdam Protestantis, qui Ratramnum Latio & Gallico sermone à *Quevilly* an. 1672. publicavit, exhibetur cum Obervatione admodùm doctâ. Angliæ Protestantes ex Bertramni libro Ælfricum Cantuariensem Archiepiscopum, anteà Abbatem Malmesburiensem profecisse, & complura loca in suas Homilias transtulisse affirmant, in quibus Christi corpus in Eucharistia spiritualem existendi modum habere dicitur: sed omissis tricis ipsum loquentem audiamus: *Ille panis*, inquit, *qui per sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, & aliud interius fidelium mentibus clamat; exteriùs quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur: at interiùs Christi corpus ostenditur.* „His adde, inquit Ludovicus „du Mesnil. Doctr. & Discipl. Eccl. „tom. IV. lib. 41. p. 43. quòd in ejus„modi Homiliarum translatione, quæ „Anglicè vulgata est, quædam sup„pressa, & quædam addita, quædam „mutata sunt, ut quæ dicuntur de „speciebus, quæ sunt figura Corporis „Christi, vero ejus corpori, quod sub „iis latet, tribuantur, vel quæ Ca„tholicè dicta sunt, ad sensum tra„hantur erroneum. Eadem infideli„tate translati sunt ejusdem Cano„nes, & utrumque in suis Annalibus „Ecclesiæ Anglicanæ ad annum mil„lesimum sextum demonstravit Al„fordus. „

SEC. IX. RABANUS MAURUS etsi contra S. Paschasii Radberti librum de Corpore & Sanguine Domini calamum strinxerit, minimè tamen præsentiam realem inficias ivit, sed in hoc ab illo dissidebat, quòd Paschasius assereret, *Corpus Christi in Eucharistia esse illud idem corpus, quod natum est ex Maria Virgine*, ipse verò cum aliis acriter impugnaret. *Vid. Acher. in Spicil. Tom. III. p.* 852. Quod Rabanus Maurus de SS. Sacramento Eucharistiæ cum orthodoxa senserit Ecclesia, docebit te Nat. Alex. *Hist. Eccl. Sec. IX. & X. Dissert. XI. §. II.* atque ejus Epitomator *Hyacinthus Gravefon H. E. Sec. IX. Colloq. V. p.* 180. ubi uterq; doctrinam Rabani circa Eucharistiæ Sacramentum egregiè ab hæreticorum vindicat calumniis. Mabillonius in B. Rabani Elogio Sec. IV. Bened. part. 2. omittendus non est. Mihi ex Rabani Comentario in Evangelium S. Johannis, quem ms.tum penes me habeo, afferre hic liceat ejus verba, quibus ipse sequentia Christi verba explanat: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; si quis manducaverit ex* hoc

I 3

(b) Mabill. Præfat. II. in Sec. IV. Act. O. S. B. §. VI. pag. 331. vid. etiam Gravefon in Hist. Eccl. Sec. IX. Colloq. V. p. 182.
(c) vid. ejus epist. ad Dacherium ante Tom. II. Spicilegii, & nov. edit. Tom. III. p. 852.
(d) apud cit. Acher.

hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ideò vivus, quia de cœlo descendit; manna etiam de cœlo descendit; sed illud umbra; iste veritas fuit. Vel ideò vivus, quòd cunctis se dignè comedentibus vitæ æternæ pabulum præstat. Qui autem indignè corpus & sanguinem Domini sumpserit, judicium sibi manducat & bibit. Sed cùm hunc panem carnem suam esse asseruit, carnaliter sapientes scandalizati sunt, ut claribit in sequentibus; sola autem turba fidelium credit mysterium, quod de altari participatur, verè corpus & sanguinem illius esse. Hæc ille. Eant nunc verò Sectarii, ac Rabanum Maurum realem Christi præsentiam in Evcharistia inficias ivisse, ulteriùs calumnientur.

SEC. IX. HAYMONIS Episcopi Halberstadiensis præclarus Tractatus de Corpore & Sanguine Domini, editus in Spicilegii Tom. XII. vet. edit. pag. 27. in quo asserit, substantiam panis & vini *substantialiter converti in aliam substantiam*, id est, *in carnem & sanguinem Christi*, eáque de re dubitare *nefandissimæ esse dementiæ. In quo quidem Christi corpore*, inquit, *& sanguine, propter sumentium horrorem sapor panis & vini remanet, & figura, substantiarum natura in corpus Christi & sanguinem omninò conversa*; quo nihil expressius, aut disertius afferri potest ad fidem Catholicam asserendam. *Mabill. Annal. Tom. III. p. 34.* Cæterùm *Tractatus Aimonis de Corpore & Sanguine Domini* editus fuit ab Acherio Spicilegii tom. 1. p. 42. edit. postr. Sed Lud. Franc. Josephus de la Barre notat ad titulum TRACTATUS AIMONIS à vero esse alienum, *Titulus falsus:* „ nam fragmentum esse com„ mentarii brevioris, sive paraphrasin „ in primam epistolam B. Pauli ad Co„ rinthios, vel è prima lectione con„ stare inquit. Quod cùm non vidis„ set Acherius, de eo sic scripsit: Tra„ ctatus Aimonis, sive Haimonis Epi„ scopi Halberstatensis de Corpore & „ Sanguine Domini; cujus sermoni„ bus subjiciebatur in codice msc. „ Sancti Germani Parisiensis, ubi no„ men Aimonis erat inscriptum. Qua„ re fides non dubia est, illud ipsi tri„ buendum esse, cùm titulus id asse„ rat. „ At enim in Comentario Haymonis ad I. Corinth. XI. nihil tale se invenire dicit V. C. Jo. Albertus Fabricius Bibl. med. Lat. lib. 8. p. 547. Qua tamen hic Auctor Acatholicus est modestia, subjungit: Quod si scriptum ab Aymone est, nullum facilè antiquiorem, aut apertiorem μετουσιώσεως suffragatorem dabitur citare, cujus tam expressa sit confessio: *Credimus & fideliter confitemur & tenemus, quod substantia panis & vini per operationem divinæ virtutis substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est, in carnem & sanguinem Christi.*

SEC. IX. ADREVALDUS Monachus Floriacensis (an. Chr. 858.) scripsit de Corpore & Sanguine Domini contra ineptias *Joannis Scoti*, quem malè aliqui confundunt cum Johanne nostro Æthelingiæ Abbate. Docebat verò Scotus, quòd *Sacramentum Altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini, sed tantùm memoria veri corporis, & sanguinis ejus.* Contra hunc errorem Adrevaldus authoritates Patrum colligens calamum acuit. Ejus scriptum vulgavit Acherius Spicileg. vet. edit. Tom. XII. pag. 30. novæ seu postremæ Tom. I. p. 150. Hoc verò opusculum Acherius monet à se repertum esse in membranis Floriacensibus, quod quidem constat ex Patrum sententiis ab Adrevaldo consarcinatis, uti notat *de la Barre.*

SEC. IX. REMIGII AUTISSIODORENSIS Homiliæ ad Sacramentum Evcharistiæ spectant, quarum meminit *Ruinartus* in Itinere Literario in Alsatiam & Lotharingiam pag. 441. quásque ipso teste, *Hiacynthus Alliot* ex codice msc^to, in quo Remigii triginta Homiliæ in Bibliotheca Monasterii Medianensis asservantur, descripsit.

SEC. IX. HELFRIDUS, Monachus Hirsaugiensis, in omni genere doctrinarum ad plenum institutus scripsit ad quendam Marquardum presbyterum *de Sacramento Altaris Lib. 1.* Trithem. in Annal. Hirsaug. pag. 33.

SEC. X. S. REGINBALDUS seu *Reinoldus* ex Comite à Dilingen & Monacho Hirsaugiensi Nemetum urbis Spiræ Antistes *de Altaris Sacramento* doctissimum volumen conscripsit. Ad Superos migravit an. 958. Vid. Eysengrein in Catal. Test. Verit. p. 74.

SEC. X. GERBERTUS, posteà Sylvester II. Pontifex Max. edidit *Libellum de Corpore & Sanguine Domini*, quem è Bibliotheca Monasterii Gotwicensis typis vulgavit Bernardus Pezius Thes. Noviss. Anecdot. Tom. I. part. 2. col. 133.

SEC. X.

SEC. X. GEZO, Abbas Derthonensis (sub an. 950.) *Librum de Corpore & Sanguine Domini* ex sanctorum Patrum scriptis, maximè ex libro S. Paschasii Radberti ad informandos de tanto mysterio discipulos composuit. Mabill. Annal. tom. 3. lib. 45. p. 403. & in Musei Italici tom. 1. p. 89. seq. ubi præfationem duntaxat atque indicem Capitulorum edidisse contentus fuit, Integrum Opus in lucem protulit V. C. Muratorius Anecdotorum Tom. 3. p. 339. ex msc. Codice Ambrosianæ Bibliothecæ. Claruit *Gezo* circa an. 981. Vide Muratorium in procemio.

SEC. X. S. DUNSTANUS, Archiepiscopus Cantuariensis scripsit solutiones dubiorum circa Eucharistiam, teste Baleo Cent. 2. Gerberon annot. in epist. S. Anselmi pag. 556. col. 2.

SEC. X. ALGERUS Corbeiæ novæ Monachus, & scholæ Magister scripsit *de Sacramento Altaris* volumen satis elegans, quod in tres libros divisit. Ita Trithemius in Annal. Hirsaug. ad an. 982. p. 125. quæ rectiùs tamen *Algero Cluniacensi* (de quo paulò pòst) conveniunt.

SEC. X. S. ODONIS Abbatis Cluniacensis Versus & Hymni de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, quos in lucem edidit Andreas Duchesnius in Bibliotheca Cluniacensi Parisiis an. 1614. pag. 65. Item ejus *Collationes*, in quibus loca quædam ad Eucharisticum Sacramentum spectantia ponderantur.

SEC. X. RATHERII Episcopi Veronensis Epistola ad Patricium de Corpore & Sanguine Domini. Extat in Spicileg. Acher. Tom. XII. p. 37. primæ edit. Tom. I. poster. edit. p. 375. Descripta est è codice msc. Monasterii Lobiensis. Hæc epistola, inquit *de la Barre*, ab Acherio edita etat Tom. XII. Spicilegii; nos eam suo loco restituimus. Cùm verò seculo sequenti Authorem è nostris adducturi simus, qui contra Ratherii dogmata de SS. Eucharistiæ Sacramento calamum corripuisse dicitur, placet ipsius Ratherii verba quædam apponere, quibus verissimam de Eucharistia tradit doctrinam, quæ posteà à Patribus Concilii Tridentini ut Catholica agnita & declarata fuit: „ Sed fortè transitoriè „ accipis, aut etiam figuratè te dice„ re ipse putas, dum accipienti lo„ queris: Corpus Domini nostri Jesu „ Christi propitietur tibi in vitam æ„ ternam. Quòd si ita est, cœcitas „ tui intellectûs magis est dolenda & „ instruenda, quàm irridenda. . . . . „ Crede frater, quia sicut in Cana „ Galilææ vinum Dei imperio verum „ & non figurativum fuit ex aqua fa„ ctum, ita istud Dei benedictione „ vinum verus & non figurativus ef„ ficitur sanguis, & caro panis. . . Hîc „ manente colore, atque sapore, ea„ dem divina sapientia operante, ve„ ram carnem & sanguinem, quod „ percipis, esse crede. „ Hæc Rathetius, ex quibus luce meridiana clarius est, quòd Christi Corpus in Eucharistiæ Sacramento verè percipi agnoscat Ratherius: verùm cujus corporis sint sapor & color, qui remanent; an panis ablatus omninò sit; an in carnem mutatus, inquiri non oportere existimat pag. 376. *Mysterium fidei* 1. Cor. 11. v. 24. *Si mysterium est, non valet comprehendi*: *si fidei, debet credi, non discuti*. His verbis concludit Ratherius epistolam suam de Corpore & Sanguine Domini pag. 376. Deferendus tamen est, aut certè quidem explicandus, cùm negat, idem Christi Corpus ac Sanguinem sumi ab eo, qui sit superbiæ, hypocrisis, aut luxuriæ vitiis obnoxius. pag. 352.

Qui labente *Seculo XI.* contra Berengarium calamum exercuerunt, secundùm Nat. Alexandrum Hist. Eccl. Sec. XI. Tom. VI. Dissert. I. Art. V. pag. 665. sic ordinantur: *Hugo*, Lingonensis Episcopus, *Durandus*, Troarnensis Abbas, *Lanfrancus* Archiepiscopus Cantuariensis, & *Guitmundus* Aversanus Archipræsul, quorum numerum non paucis aliis Scriptoribus nos aucturi sumus.

SEC. XI. HUGO, Lingonensis Episcopus, ante exauthorationem suam, & Monasticen Benedictinam, primus fuisse dicitur, qui contra *Berengarium* scripsit, cui necdum ab Ecclesia damnato librum suum his verbis nuncupavit: *Hugo Lingonensium Episcoporum minimus, Berengario, in quibusdam, reverentissimo Sacerdoti, Deum sapere.* Ex hoc solo, ni fallor, inquit Mabillonius, auctore patet, Berengarium fuisse sacerdotem, quem *in cunctis aliis*, præter errorem, *reverentissimum virum* vocat. Hugonis Opus edidit Acherius in appendice Operum B. Lanfranci.

DURANDUS ex Monacho Fiscanensi primus Abbas Monasterii Troarnensis in Diœcesi Bajocensi ad Divam fluvium (cujus Baronius meminit ad an. 1087. ubi Viros illustres recenset, qui à Guillelmo Conquæstore Ecclesiis Angliæ

Angliæ & Normanniæ præfecti fuerunt) scripsit librum sacra eruditione refertum contra hæresin Berengarii, quem Lucas Acherius primus publicæ luci exhibuit in appendice Operum B. Lanfranci, ex qua in Bibliothecam Patrum illatus fuit. Laudatur, quòd in ipso hæresis Berengariana perdocta refutatione contrita fuerit. De Auctore verò Ordericus Vitalis Libro VII. hæc habet: „ Durandus Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantûs & divini dogmatis doctor peritissimus, sibi durus carnifex, alisque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens & fidelis servus ire ad curiam Domini sui paratus III. Idus Februarii (an. 1088.) de seculo migravit. „

LANFRANCUS animum etiam ad refellendam Berengarii hæresin adjecit, id temporis Abbas Monasterii S. Stephani Cadomensis, cui regendo præpositus fuerat. Scriptum suum Lanfrancus in literis ad Alexandrum II. quondam suum discipulum, Epistolam vocat, quam Berengario nondum Archiepiscopus Cantuariensis scripserat. Ejus inscriptio hæc est: *Lanfrancus misericordia Dei Catholicus, Berengario Catholicæ fidei adversario.* Ex his intelligitur, ea, quæ de Concilio Romano ab eodem Lanfranco sub Gregorio VII. in cap. 2. editionis Acherianæ dicta sunt, ab eodem Lanfranco, cùm jam Archiepiscopus esset, adjecta & inserta fuisse. Certè in veteri editione, quæ Lovanii anno 1561. excusa est, & in quibusdam aliis, capitis secundi tres illæ de Concilio Romano sectiones desunt. Lucas Acherius *Lanfranci librum contra Berengarium de Corpore & Sanguine Domini* cum aliis ejusdem Operibus edidit an. 1648. Vid. Mabill. Præfat. II. in Sæc. VI. n. 57. item veteres tabulas Archiepiscoporum Cantuariensium apud Gerberonium in Opp. S. Anselmi p. 550. Guiliel. Malmesbur. lib. 3. de Reg. Angl. edit. Lond. p. 63.

GUITMUNDUS, seu *Witmundus*, Lanfranci discipulus, atque ex monacho S. Leutfredi Archiepiscopus Aversanus & S. R. E. Cardinalis Berengarii hæresin editis tribus libris fortiter impugnavit, in quibus tamen Baronius id carpit, quòd libro secundo timuerit concedere, species sacramentales corruptioni obnoxias esse, ac posse putrefieri, quod tamen sine ulla Corporis Dominici injuria admittere potuisset. Easdem tamen species vocat disertis verbis *realia accidentia*, quæ pane & vino in substantiam corporis & sanguinis Christi conversis in hoc sanctissimo remaneant Sacramento, & absque ullo subjecto per omnipotentiam divinam in eo subsistant. Scripsit hos libros, qui Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum habentur, dum adhuc in Neustriâ versaretur, Gregorio VII. Pontifice, ante Synodum Romanam anni MLXXVIII. At post Concilium Romanum sub Nicolao II. de quo mentionem facit, nemo illo accuratiùs Berengarii, ejúsque asseclarum varias opiniones indagavit. Vid. Mabill. l. c. n. 58. item Annal. tom. 5. pag. 103. Pagium ad an. 1105. n. IX. tom. IV. pag. 358. col. 2.

SEC. XI. ROGERIUS Monachus ejusdem cœnobii S. Leutfredi in Neustria, ad quem prædictus *Guitmundus* adhuc in Monasterio constitutus, suum in opere memorato exercitavit ingenium; vir certè & ipse doctissimus, simili scripsit intentione contra Berengarium de Sacramento Altaris Lib. I. Trith. in Annal. Hirs. p. 1042.

SEC. XI. ASCELINI Beccensis Monachi, & unius inter primos B. Herluini Abbatis discipulos, viri eruditi, Epistola Responsoria ad literas Berengarii, in qua contra ejus hæresin Catholicam de Eucharistia fidem tuetur. Concil. tom. 6. edit. Hard. Excerpta dabit Nat. Alex. H. E. Tom. VI. pag. 668. vid. etiam Mabill. Præfat. II. in Sec. VI. O. S. B. §. II. n. 17. Lud. du Mesnil tom. IV. l. 44. n. 48. p. 87.

SEC. XI. ANSELMI Epistolæ duæ *de Sacramento Altaris*; habentur inter eas, quæ hactenus ineditæ fuerunt. Prior est CV.ta posterior CVI.ta vide editionem Gerberonii pag. 452. 453. & 454.

SEC. XI. ALBERICUS, Diaconus Casinas, & S. R. E. Cardinalis scripsit adversùs Berengarium librum, insistens, ut formulæ professionis fidei Berengario tum propositæ vox *substantialiter* adderetur, quod versipellis hæresiarcha in synodo Romana dissimulavit, sed subinde acriter & petulanter Alberico exprobravit. Vid. Pet. Diac. l. 3. Chron. Casin. c. 35. Erasmus Gattola in Hist. Casin. Sec. VI. c. XI. pag. 185. Mabill. Præfat. II. in Sec. VI. O. S. B. n. 62.

SEC. XI. ANASTASII Monachi, incertum cujus monasterii, *Epistola de veri-*

veritate Corporis & Sanguinis Christi, in quâ Berengarium revincit, & Catholicam de Eucharistia veritatem adstruit. Mabillonio Anastasius idem fuisse videtur, cujus rogatu *Robertus de Tumbâlenia* Commentarium edidit in Cantica Canticorum, quem Ansfrido Pratellensi Abbati nuncupavit. Et fortè is est *Anastasius* ex monacho S. Michaëlis factus Cluniacensis, cujus vitam Parte II. Sec. vi. O. S. B. exhibet Mabillonius. Anastasii verò epistola elegantissima & lectu dignissima, quam Lucas Acherius Not. in vit. B. Lanfranci pag. 21. juris publici facit, *domno Geraldo, olim filio, nunc venerabili patri* inscripta est. Vid. Mabill. l. c. n. xvii.

SEC. XI. RUTHARDUS ex Monacho & Scholastico Corbeiæ Novæ Abbas Hirsfeldensis scripsit de Sacramento Altaris contra Berengarii hæresin Libros II. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 1059. quamquàm Mabillonius hoc Trithemii assertum valde suspectum habet Annal. Ord. S. B. Tom. 5. pag. 617.

SEC. XI. JOTSALDUS Cluniacensis Monachus librum adversùs Berengarii hæresim edidisse fertur in veteri catalogo Bibliothecæ Cluniacensis, Præfat. in Sec. vi. O. S. B. n. 54.

SEC. XI. BERNONIS Abbatis Augiæ Divitis *Sermo de Cœna Domini* asservatur Mſ.tus in ejusdem Monasterii Bibliotheca.

SEC. XI. S. WOLPHELMUS Abbas Brunwillarensis Monasterii, quod Coloniâ duabus leucis abest, an. 1063. cùm hanc præfecturam gereret, Berengarii Turonensis errorem impugnavit, scripta ad Meginradum Abbatem Gladbacensem Epistola, quam Conradus Monachus in ejusdem S. Wolphelmi vitâ retulit. Dionys. Sanmarth. Gall. Chr. Tom. III. p. 759.

SEC. XI. ROGERIUS Corbeiæ Novæ Monachus & Scholasticus ad Wintikindum Comitem de Corpore & Sanguine Domini Libros II. scripsisse fertur apud Trith. in Annal. Hirs. ad an. MXIV. pag. 157.

SEC. XI. GUIDO ARETINUS Pomposiani Cœnobii doctus Monachus, scripsit, teste Trithemio de Vir. Ill. O. S. B. lib. 2. c. 34. de Corpore & Sanguine Domini librum unum. Idem tamen Trithem. in Chronico Hirsaug. ad annum MXX. *Guidonem* vocat Monachum Cœnobii Crucis S. Leutfredi. Videtur Trithemius ex *Guntmundo* fecisse *Guidonem*.

SEC. XI. HERIGERI Abbatis Laubiensis libellus de Corpore & Sanguine Domini contra Paschasium Radbertum, ut cum Mabillonio plures volunt, vel adversùs Ratherium, ut nonnulli, incertum bene, an malè, contendunt ex codice manu exarato Bibliothecæ S. Martini Lovaniensis. Sed contra quemcunque scripserit, congestis multis SS. Patrum testimoniis, veram circa Eucharistiam traditdit doctrinam. A Paschasio autem in modo tantùm loquendi diffidet, in eo scilicet, quòd etsi Herigerus veram ac realem Christi Domini Corporis præsentiam cum Paschasio admittat; non tamen idem omnino corpus, quod è Virgine natum est, dicendum contendebat, ob exteriorem speciem diversam. Mabill. Annal. tom. iv. pag. 192. & Tom. I. Analect. p. 211. Herigeri librum in lucem primus produxit, suppresso Authoris nomine, P. Cellotius Soc. Jesu Theologus, unde sub titulo *Anonymi Cellotiani* laudari passim consuevit. Vid. etiam Nat. Alex. H. E. Tom. vi pag. 75. Lud. du Mesnil D. & D. E. tom 4. pag. 42.

SEC. XI. LEO IX. Pontifex Max. antea *Bruno* dictus, Leucorum in Gallia Episcopus, scripsit luculentissimum libellum, ut *Wibertus* vitæ author ait l. 2. c. 5. quæ est Epistola in XLI. Capitula distincta contra *Fermentariorum* hæresim medium seculi xi. exortam. Vid. Nat. Alex. l. c. pag. 407.

SEC. XI. HUMBERTUS S. R. E. Cardinalis à Leone IX. Constantinopolim legatus ad compescendum Græcorum schisma, adversùs eos disputationem habuit, quam jussu Imperatoris Constantini Monomachi in scriptis redactam ex Mſ.to Vaticano publici juris fecit *Cæsar Baronius Annal. Eccl. Tom. XI.* cum responsione ejusdem ad objecta Nicetæ Pectorati.

SEC. XI. FRIDERICUS Abbas Casinensis, postea Stephanus X. aliqui nonum legunt, contra hæresin *Fermentariorum* scripsit. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. & Gattolam in Hist. Cas. Sec. vi. pag. 183. Cùm S. R. E. Cardinalis esset, scripsit apud Constantinopolim adversùs Michaëlem ejusdem urbis abusivum Patriarcham unà cum *Uberto* (Humberto, de quo antea) *librum de Corpore Domini*, in quo omnia, quæ Græci adversùs Latinorum sacrificium deblaterabant, destruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adversùs quendam Mo-

nachum Constantinopolitanum. Pet. Diac. de Vir. Ill. Cas. cap. XVII.

SEC. XII. ALGERUS Canonicus primùm & Scholasticus Leodiensis in majori Ecclesia Sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti, deinde, cùm adhuc firmo corpore valeret, Monachus Cluniacensis sub Petro Venerabili, *libros tres de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini contra Berengarium* scripsit, quos vulgavit Erasmus Antuerpiæ 1536. Recusi sunt deinde ex Joannis Ullmmerii recensione Lovanii 1561. cum Paschasii, Lanfranci, & Guitmundi scriptis de eodem argumento. Et in Bibliothecis Patrum Paris. 1575. Tomo IV. an. 1589. 1644. 1654. Tomo VI. Colon. 1618. Tomo XII. & Lugd. 1677. Tomo XXI. Cæterùm, ut Cl. Fabricius in Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. p. 181. notat, Lanfranci & Guitmundi scriptis Algerum præfert Petrus Cluniacensis. Ego verò Petrum Venerabilem Algeri Scripta laudâsse lego, in comparatione verò cum Lanfranci & Guitmundi scriptis conjunxisse, multò minùs iisdem prætulisse non lego: En verba Petri: „ Cujus, inquit, vix memoriam sine lacrymis facio, humilitate, „ puritate, vitæ totius sinceritate, secundùm meum judicium, longè præ„ cedentes (Hezelonem & Tezelinum „ ex Canonicis, fu[...] temporis ma„ gnis magistris Mon[...]os Cluniacen„ ses) exsuperans, ita meo tempore a„ pud nos vixit, in tantum benignè, „ & sanctè conversatus est, ut licèt è „ nobis carne recesserit, spiritu ta„ men & memoria singulari nobiscum „ semper, dum vivimus, non esse non „ possit. Qui librum de Sacramento „ Altaris auctoritatibus sanctorum Pa„ trum invincibiliter communitum „ nobis & fidei suæ insigne testimo„ nium, & contra quorundam mo„ dernorum vel imperitiam vel erro„ rem singulare præsidium dereli„ quit. „ Hæc ille. Antonio autem Pagio judice ad annum 1152. num. 15. nemo meliùs, clariùs, eloquentius materiam de S. Eucharistia tractavit. Alterius sententiæ est Dupinius Nov. Bibl. Auth. Eccl. Tom. VIII. pag. 22. ampliorem quidem librum Algeri & allegatis Patrum locis locupletiorem non negans, at energia ac dictione Lanfranco multò inferiorem judicans. Algerus post decem annos sanctæ in monasterio conversationis quievit in pace. *Algeri* Opus Germanicè versum typis excusum est an. 1551. Moguntiæ.

SEC. XII. Ven. GUITBERTI Abbatis de Novigento *Epistola de Buccellâ Judæ data, & de veritate Dominici Corporis* ad Priorem Sigefridum & Monachos S. Nicolai in sylva Diœcesis Laudunensis. Inter cætera, *si umbra est*, inquit, *& non corpus, in umbram de umbra decidimus, immò in deteriora valde devenimus*; quod in consequentibus rectè probat. Idem argumentum denuo retractat in lib. 2. *de Pignoribus Sanctorum.* Extat verò citata Epistola inter Guiberti Opera à Luca Acherio vulgata pag. 282.

SEC. XII. S. ANSELMI Archiepiscopi Cantuariensis ab an. 1093. ad 1109. *Liber de Sacramento Altaris.* Pater Gerberon in Censura ante Opera S. Anselmi, & præsertim in Ruperti Apologia eidem hunc librum abjudicat. Contrariam tenet sententiam Eminent. Card. Aguirre.

Ejusdem S. Anselmi Epistolæ II. de Sacramento Altaris. Prior in editione Gerberonii est CV. posterior CVI. pag. 452. 453. & 454.

SEC. XII. GOFFRIDI ex Abbate Vindocinensi S. R. E. Cardinalis *Tractatus de Corpore & Sanguine Domini, omnibus Christianis* inscriptus, in quo quid de hoc divino Sacramento credendum sit, paucis rectè explicat. Mabill. Præfat. II. in Sec. VI. O. S. B. n. 62. Inter ejus Opera à Sirmondo edita primo habetur loco pag. 879. Tom. III.

SEC. XII. ABBAUDUS Abbas circa A. C. 1130. *de fractione Corporis Christi* contra Petrum Abælardum brevis Tractatus, editus à Mabillonio Tom. III. Analect. pag. 442. & edit. novæ in fol. pag. 52.

SEC. XII. STEPHANI I. Æduensis Episcopi, ac subinde Monachi Cluniacensis *Tractatus de Sacramento Altaris*, qui ab aliis Humberto Archidiacono Æduensi, Stephani Nepoti tribuitur. Vid. Nat. Alex. H. E. Sec. XII. cap. 6. art. 6. Tom. 6. pag. 518. Autor usus est verbo *Transubstantiationis.*

SEC. XII. ARNULFI, seu *Ernulfi* ex Petroburgensi in Anglia Abbate Episcopi Roffensis, amici S. Anselmi *Responsiones ad varias Lamberti quæstiones de Sacramento Eucharistiæ.* Extant in epistola Authoris, quam exhibet Acherius in Spicil. vet. edit. Tom. II. novæ in fol. Tom. III. pag. 470.

SEC.

SEC. XII. HILDEBERTI ex Monacho Cluniacensi Episcopi primùm Cenomanensis, tum Archiepiscopi Turonensis *Tractatus de Sacramento Altaris*, *Expositio Missæ*, *Carmen de Mysterio Missæ*, quod inter varia, eáque egregia illius poëmata præcipuum habetur. Extant Eucharisticæ hæ lucubrationes inter ejus Opera ab *Ant. Beaugendre* edita, & in Bibl. PP. Fuit *Hildebertus* Berengarii in juventute discipulus, sed ejus errorem necquicquam hausit, ut in vita illius ostendimus. Primus inter Theologos usus fuit voce *Transubstantiationis*.

SEC. XII. ALBERICUS ex Abbate Viceliacensi S. R. E. Cardinalis legatione functus in Gallia an. 1145, mandante Eugenio III. Henricum Petrobrusianum verum corpus Christi in Eucharistia existere negantem cum asseclis suis pontificio nomine damnavit, & execratus est. Ad hæc scripsit primò *de Realitate Corporis Christi in Eucharistia*. 2.do *contra Petrobrusianos*. Eggs Purp. Doct. Lib. I. pag. 66. & M. B. E. *v. Albericus*, p. 194. col. 1.

SEC. XII. PETRI CELLENSIS Sermones VII. *de Cœna Domini*. Usus est verbo *Transsubstantiationis*.

SEC. XII. S. HILDEGARDIS Abbatissæ de *Sacramento Altaris contra quosdam hæreticos lib*. 1. Illustre Benedictinæ Familiæ decus, quòd non viri tantùm, sed fœminæ etiam SS. Eucharistiæ mysterium scriptis propugnent.

SEC. XII. ARNALDI, sive *Ernaldi*, seu rectiùs *Arnoldi* Bonæ-vallis in Diœcesi Carnotensi Abbatis *Liber de Corpore & Sanguine Domini*. Hunc *Arnoldo* tribuit Titelmannus in Prologo editionis Tractatûs ejusdem Arnoldi *de septem verbis Domini*; sed fortasse, inquiunt Auctores M. B. E. ad *Guillelmum S. Theoderici* spectat, qui ejusdem Ordinis ac ætatis fuit; nam librum de hoc argumento scripsit, quem in Mss. Codd. conjunctum sæpiùs & collectum cum Opusculis Arnaldi Abbatis se vidisse testatur *Oudinus*: eámque ob causam fortè nonnulli ad *Ernaldum* spectare opinati sunt. Vel etiam, inquit idem Oudinus, non aliud Opus est à Tractatu de *Cardinalibus Christi Operibus*, in quo de Eucharistia etiam eximiè tractat. Vid. M. B. E. *v. Arnaldus*. p. 576.

SEC. XII. GUILLELMI S. THEODERICI Remensis Abbatis, seu propè Remos O. S. B. *Tractatus de Sacramento Altaris* extat Tom. IV. Bibl. Patrum Ord. Cisterc. impressæ an. 1662. apud Bonumfontem ejusdem Instituti cœnobium in fol. Idem *Guillelmus* alterum libellum ejusdem argumenti scripsit occasione operis *Ruperti Abbatis de divinis Officiis*. In fine hujus libelli protestatur, se haud dubitare *de integritate fidei Ruperti Abbatis*, nec censoriam in eum tulisse sententiam, sed *fraterna caritate*, *& sollicitudine amica optare*, *ut ejus opus exquisitum & circumspectum reddatur*, *priusquàm exiret in manus eorum*, *qui foris sunt*, *ut qui rodere illud vellet*, *non inveniret*, *ubi dentem posset infigere*. Et verò fuerunt viri non indocti, qui Rupertum gravis erroris insimulârint, nempe quòd unionem hypostaticam panis & vini Eucharistici cum Verbo adstruxerit: cui opinioni fors ipsemet ansam præbuit subobscuro & duriore scribendi genere. Nihilominus tamen Rupertus ipse fidei suæ integritatem quoad Eucharistiæ doctrinam abunde satis vindicavit, præcipuè in Epistola ad Cunonem, ipsius Commentariis in Joannem præfixa, ubi quosdam Berengarii asseclas revincit, qui S. Augustinum erroneæ suæ doctrinæ patronum jactabant, quod *omnino falsum* esse asserit. *Ego autem*, inquit, *verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est*, *& verum esse decerto sanguinem*, *qui pro nobis fusus est*, *sicut Ecclesia Catholica tenet*. Et infrà: *Tribus essentiæ modis corpus & sanguis Christi est*, *quarto autem differt. Est enim nomine*, *re*, *& effectu*; *differt verò specie*. Denique ita concludit: *Credamus fideli Salvatori Deo*, *in eo*, *quod non videmus*: *scilicet panem & vinum in veram Corporis & Sanguinis transiisse substantiam*; *& comedentes atque bibentes vivamus in æternum*. In Epistola etiam Nuncupatoria Libris XII. *De Divinis Officiis* præmissa, Berengariana hæresis ab ipso verbis minimè obscuris impugnatur, ut alia loca, in quibus sententiam suam orthodoxæ fidei penitus consentaneam declarat, silentio prætermittam: sic enim libro sexto in Joannem loquitur: *Crede & hoc*, *quòd panis iste visibilis*, *& vinum*, *quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit*, *in alium transierint cibum*, *qui Angelorum victus est*: *Panis cœlestis*, *ipse qui dicit*: *Ego sum panis*, *qui de cœlo descendi*, *Verbum scilicet Patris*, *panem terrenum nobis dat*, *quem in carnem suam transmutat*, *& sic Verbum*...

jam dudum caro factum, panis visibilis fit: & nihilominus de pane isto visibili verè & catholicè confitemur, quod corpus Christi est. An non verò hæc est doctrina, quam Ecclesia Catholica docet, tenet, profitetur? Sed præstat legere Apologiam, qnam Gabriel Gerberonius pro Ruperto composuit, & Parisiis an. 1669. edidit, ad cujus finem Critica *Claudii Salmasii* sub nomine *Verini* delitescentis de mente ac sententia Ruperti Abbatis circa Evcharistiæ Sacramentum validè revincitur. Immeritò igitur Rupertus ob negatam transsubstantiationem vapulat Baronio, Bellarmino, & aliis. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. p. 159. Mabill. loc. sæpiùs cit. n. 61. Pagius Tom. IV. ad an. MIIII. p. 374. col. 2. Lud. du Mesnil Doctr. & Discipl. Eccl. tom. IV. pag. 272.

Atque hæc potissimùm sunt Opera, ut ita dicam, Evcharistica, quæ Patres nostri de Venerabili Sacramento à seculo IX. ad duodecimum inclusivè, quo tempore Theologia Scholastica invalescere cœpit, magno Ecclesiæ bono ac præsidio conscripserunt. Subiit aliquando animum cogitatio, me operam non malè collocaturum, si vel omnia, vel maximam eorum partem conjunctim typis exscriberem; jámque titulum Collectionis hujus Evcharisticæ mente conceperam, qui erat ejusmodi: *Fides Benedictina de Sanctissimo Evcharistiæ Mysterio*: Hoc est: *Patres, Authores & Scriptores Ord. S. B. de SS. Altaris Sacramento, à seculo IX. usque ad XII. inclusivè: Quorum Scripta & Opera in unum corpus seu Bibliothecam collecta, ac Notis & Observationibus illustrata exhibentur.* At enim Bibliothecam subinde R. P. Philippi le Cerf de Scriptoribus Congregationis S. Mauri evolventi sub oculos venit *Petrus Sabbatier* ex eadem Congregatione doctissimus Cœnobita, ut qui Patres de Evcharistia ex professo tractantes (quorum præcipui sunt Benedictini) ad fidem manuscriptorum codicum recognitos in lucem edere non tantùm meditatus fuerit, sed aliquorum libros cum manuscriptis actu jam contulerit: & licèt is ad alia studia sacra postmodùm se contulerit, nullum tamen dubium relinquitur, quin alii ejusdem celeberrimæ Congregationis Sodales, cùm tempus & occasio tulerit, opus incœptum sint prosequuturi, ut, quod assiduò faciunt, gloriam sacri Ordinis illustrare pergant: hæc enim peculiaris Benedictinorum laus, qnòd scriptis ac disputationibus suis SS. Evcharistiæ Sacramentum contra fidei & Ecclesiæ hostes imperterritè iverint assertum.

Scriptoribus verò hoc §. recensitis, alios Benedictinos recentioris ævi bene multos, qui de SS.^mo Evcharistiæ Sacramento lncubrationes in publicam dederunt lucem, adjicere possem; sed iis omissis unum commemorare pro coronide liceat.

BENEDICTUS VERNIER in Bibliotheca Simlero - Gesneriana scripsisse memoratur Librum de SS. Sacramento Evcharistiæ, cui titulum fecit: *Magnum & Universale Concilium Ecclesiæ Militantis super Evcharistiæ Sacramentum, quod instar Sacrosancti Concilii Nicæni trecentis decem & octo Patribus constat*: ex tot enim Scriptoribus author testimonia coacervavit. Liber impressus est Parisiis apud Nivellium anno Domini 1554. in 4. Vid. Philipp. Labb. Soc. Jesu in Bibl. Mss. Tom. 2. pag. 3.

§. II.

Patres alii Benedictini, atque Scriptores Ecclesiastici, quorum Scripta & Opera habentur in Bibliothecis Veterum Patrum.

QUemadmodùm SS.^mus noster Legislator BENEDICTUS, Ordinis sui alumnis *doctrinam sanctorum Patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis*, postremo Regulæ suæ capite impensè commendavit, ita iidem rectè omninò facturi sunt, si Bibliothecas, in quibus Veterum Ecclesiæ Patrum, & antiquorum Ecclesiasticorum Scriptorum Opera habentur, haud segniter evolvant. Cùm verò, quæ à Monachis Benedictinis fuerunt elucubrata, haud exiguo numero inter illa existant, eorum Authores ignorare non decet. Quare operæ pretium facturus mihi videor, si Lugdunensis Bibliothecæ, præ Parisiensi & Coloniensi magis perfectæ atque locupletis, singulos percurrens tomos, paucis eos Benedictinos recenseam, quorum Opera in iisdem continentur. Monitos tamen Lectores velim, me hoc plerumque facere, quin Opera Nostrorum ad criticas Regulas prolixè expendam, cùm hæc res sit tum magnæ eruditionis, tum multi temporis: ego verò uti prioris copia me minimè abundare non diffiteor, ita posterioris me premi sentio inopia. Bellum hoc, uti sperare fas est,

est, aliquando militabunt doctissimi Sodales nostri è Congregatione S. Mauri, qui Eruditorum impulsu de adornanda nova Patrum Bibliotheca seriò cogitàrunt, apparatu ad eandem jam præmitti cœpto. In Patribus verò recensendis non Chronologicum, sed Alphabeticum ordinem sequar, ut qui præ priori facilior habeatur. Opera etiam Patrum subinde annotabo, quæ in Bibliotheca prætermissa, ab aliis editoribus vulgata fuerunt.

S. ADO Viennensis ad Rhodanum Archiepiscopus, de quo Martyrologium Romanum ad diem 16. Decembris, obiisse perhibetur anno 874. scripsit Breviarium Chronologicum de sex mundi ætatibus, quod extat Tom. 16. fol. 768. scripsit etiam Martyrologium cum libello de Festivitatibus SS. Apostolorum & Discipulorum Christi, quod extat ibidem. f. 823.

ALGERUS Scholasticus primùm Leodiensis, tum Monachus Cluniacensis scripsit diversa Opuscula, ex quibus extant Tom. XXI. f. 251. de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini libri tres, quorum §. præcedente mentio facta est. Prætermissus verò in Bibliotheca est Liber tripartitus *de misericordia, justitia, & de illis, qui extra Ecclesiam* (excomunicatis, damnatis, schismaticis, hæreticis) ab Edmundo Marthene ex Ursino Durand vulgatus Tomo V. Anecdotorum. Item *Libellus de gratia & libero arbitrio* à Bernardo Pezio publicatus Tomo IV. Anecdotorum Parte II. pag. 113.

S. ALTHELMUS, vel, ut alii legunt, *Adelhelmus*, Schireburnensis apud Occidentales Saxones in Anglia Episcopus scripsit diversa Opuscula, quæ enumerant Trithemius, Possevinus, & alii, ex quibus extant Tomo 13. f. 1. *De Laude Virginitatis* liber unus; sed emendatior editus est ab Henrico Warthono ex Mss. Lambethano & Sarisburiensi, Londini 1693. in 4. *De octo principalibus vitiis* eodem carminis genere liber unus per Henricum Canisium ex Bibliotheca Monasterii S. Galli editus. *Poëtica* nonnulla per Martinum Delrio S. J. edita extant ibid. f. 22. *Ænigmatum* liber unus, quæ *Monostichis* à Delrio adjunctis ab aliis ad Alcuinum vel Columbanum referuntur. *De Laude Virginitatis* soluta oratione liber unus, ibidem fol. 30. Prætermissa est *Epistola ad Eahfridum* in Usserii Epistolis Hibernicis pag. 37. adde pag. 129. De aliis videri possunt Baleus Lib. I. c. 83. Pitseus ad an. 709.

S. AMBROSIUS AUTPERTUS, aliis, minùs tamen rectè, *Ansbertus* Abbas Monasterii S. Vincentii ad fontes Vulturni fluvii in Samnio siti, anno 778. ad Superos translatus, scripsit diversa opuscula, ut observant Trithemius, & Sigebertus, ex quibus extant Commentaria in Apocalypsim distincta in libros decem Tom. 13. f. 403. quod Opus propter facilitatem ipsum intelligendi, *Speculum Parvulorum* vocavit. Si Commentaria in *Psalmos & in Cantica Canticorum* scripsisset, certè ex editione Coloniensi, quam Labbeus memorat, alii verò ignorant, Bibliothecæ inserta fuissent.

ANASTASIUS Romanus Abbas, & Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, multa de Græco Latinè reddidit, multa etiam de suo edidit, videlicet de Vitis Romanorum Pontificum & Historiam Ecclesiasticam, quæ reperiuntur partim in Conciliis, partim in Tomo separato ex editione Regia Luparea. Tomo XII. f. 831. solùm habes Collectanea de iis, quæ spectant ad Historiam Monothelitarum hæreticorum, & martyrium S. Martini Papæ, S. Maximi Abbatis, & aliorum, quæ in gratiam Joannis Diaconi è Græcis versa concinnavit.

ANGELOMUS Luxoviensis in Burgundia Cœnobii Monachus floruit seculo IX. sub Lothario Imperatore, ut docuit ipsemet in Commentariis, seu Stromatibus suis in quatuor libros Regum, & in Cantica Canticorum, quæ extant Tomo 15. f. 307. quibusque accedere meruissent Commentaria in Genesim à Bernardo Pezio Tomo I. Anecdotorum pag. 43. in lucem publicam asserta.

S. ANSELMUS, Episcopus Lucensis, qui floruit seculo XI. scripsit contra Guibertum Antipapam pro defensione Gregorii VII. legitimi Pontificis Romani libros duos, qui extant ex editione Henrici Canisii Tomo 18. Alia ejusdem S. Anselmi Opuscula habes etiam in Tomo 27. hujus Bibliothecæ, nempe *Meditationes in Orationem Dominicam, in Salutationem Angelicam, super Salve Regina & de Gestis Domini nostri Jesu Christi* fol. 435. ex editione P. Lucæ Wadingi O. M. Quæ tamen quatuor Opuscula Anselmo indigna judicat Casimirus Oudinus Tom. II. pag. 722. Prætermissa sunt in Bibliotheca *S. Anselmi* Comentaria *in Psalmos* & in *Threnos Jeremiæ*, quia fors exciderunt.

ARNOLDUS Carnotensis Abbas Bonæ-

næ- vallis, fuit familiaris S. Bernardo, cujus & vitam composuit, & post obitum ejus floruit, scripsit *de septem Verbis Domini* in cruce prolatis, qui cum scholiis Francisci Titelmanni, & tecognitione Andreæ Schotti S. J. extant Tomo 22. fol. 1260. scripsit prætereà *Sermones de laudibus B. Virginis*, qui extant ibidem f. 1281. Item *Tractatum de Operibus sex dierum* ex recognitione Dionysii Peronetti Melodunensis, Ecclesiæ Autissiodorensis, qui extat ibidem f. 1284. Prætermissæ sunt *Arnoldi* Homiliæ V. in Psalmum CXXXII. cum libello *de Donis Spiritûs S.* à Casimiro Oudino in Opusculis sacris Galliæ & Belgii Scriptorum vulgatæ Lugduni Batavorum 1692. in 8. Cætera hujus Arnoldi Johannes Fellus edidit ad calcem S. Cypriani, cui liber *de Cardinalibus Christi Operibus* præter rem tributus ab aliis fuit, cùm Arnoldus eum scripserit ad Hadrianum IV. Papam ab an. 1154. ad 1159. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 367.

S. BENEDICTUS natione Italus, patria Nursinus, Monachorum in Occidente Antesignanus ac Princeps, Cœnobii Casinensis conditor, cujus res gestas fusè prosequitur S. Gregorius Papa libro 2. Dialog. & Baronius tom. VII. Annalium, vir fuit sanctitate, miraculis, doctrina & genere illustris, quippe qui Justinianum avum, non quidem Imperatorem, ut aliqui similitudine nominis decepti opinati sunt, sed Consulem habuit, scripsit Regulam Monachorum distinctam in LXXIII. capita. Epistolam ad Remigium Remensem, quam tamen Baronius Tomo VI. Annalium anno Christi 507. num. 3. contendit, non esse S. Benedicti, sed alterius cujusdam Benedicti viri prædivitis, cujus filiam Remigius à dœmone liberaverat. Et verò Baronium S. Benedicto hanc epistolam meritò abjudicâsse, hujus Historiæ Literariæ Libro II. Cap. I. Sect. II. ostendimus. Sermonem in morte S. Placidi, Epistolam ad S. Maurum, Ordinem, qualiter in Monasterio conversari oportet. Quod tamen Opusculum non esse S. Benedicti genuinum fœtum, loco citato probavimus. Extant hæc omnia Tomo IX. f. 640. unà cum ordine profitendi sub regula S. B.

BERENGOSUS Abbas S. Maximini Trevirensis sub initium seculi XII. scripsit de inventione S. Crucis libros tres, de mysterio ligni Dominici, & de Luce visibili ac invisibili lib. un. & Sermones V. de Martyribus, Confessoribus, Dedicatione Ecclesiæ, & Veneratione Reliquiarum. Extant hæc omnia Tom. 12. f. 349. separatim prodierunt Coloniæ apud Maternum Cholinum an. 1555. in 8. curâ & studio Christophori Trevirensis Prioris.

BERNO Abbas Augiæ Divitis prope Constantiam ad Rhenum an. 1008. creatus vixit usque ad an. 1048. cùm nobile illud monasterium 40. annis administrâsset, alius omninò à Bernone primo Cluniacensi Abbate scripsit librum de Officio Missæ, sive de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, qui extat Tom. 18. f. 56. Vita S. Udalrici Augustani Episcopi ab eodem scripta habetur apud Surium in mense Julio. Falsi sunt autem, qui librum Micrologum, qui inferiùs extat hoc eodem Tomo f. 469. Bernoni tribuerunt, qua de re vide, quæ ibidem prænotantur ex Theophilo Raynaudo S. J. Plura alia scripsit Berno in hac Bibliotheca prætermissa, quæ vel in Mss.tis adhuc latent, vel omninò exciderunt; Dialogum Bernonis cum Gerungo Monacho *de Quatuor Temporũ jejunio per sua Sabbatha observandis* vulgavit Pezius Anecdotorum Tomo IV. Parte II. pag. 55. Duo Sermones, unus de Epiphania, alter de Cœna Domini asservantur ms.ti in Bibliotheca Augiensi.

S. BONIFACIUS, natione Anglus, Archiepiscopus Moguntinus, & Martyr, de quo multa Baronius Tom. IX. Annalium, scripsit Epistolas multas, quæ unà cum aliorum ad ipsum extant Tom. XIII. f. 70. per Nicolaum Serrarium editæ, & Notis illustratæ. Desunt tamen *Epistola ad Zachariam* de causa Adelberti Galli & Clementis Scoti, cum *Zachariæ* Epistolis ad Bonifacium. Item *Epistola ad Erchebaldum* Angliæ Regem. Ejus quoque *Statuta* quædam edita sunt tom. IX. Spicilegii D. Lucæ Acherii. Sermones XV. lucem viderunt in Edmundi & Durand Collect. ampliss. Tom. IX. *Sermo de Abrenuntiatione in Baptismate* in Thesauro Peziano Anecdotorum Tom. IV. part. 2.

S. BRUNO Astensis, Signiensium Episcopus, plurima scripsit, quorum elenchus initio Operũ præfixus est, eáque nunc primùm prodeunt studio ac labore Domini Mauri Marchesii Casin. Decani, qui & prolegomena & scholia ad pleniorem eorum notitiam addidit, quæ Lector consulet. Habentur

bentur hæc omnia Tom. xx. fol. 1294. ad f. 1816.

S. CÆLESTINUS Papa Quintus, antea Petrus de Murhone Ordinis S. B. Monachus, tum Ordinis Cœlestinorum Patriarcha sanctissimus an. 1294. creatus Papa multa Opuscula, dum in sacra eremo vitam transigeret, elaboravit, quæ extant tomo xxv. f. 754. primùm edita per Patrem Cœlestinum Teletam Sipontinum, cum ejusdem Sancti vita & vindiciis ad singula Opuscula, quas consule. Prætermissus est *liber de perfectione Religiosorum*, quem se vidisse testatur Petrus Crespetius Cœlestinus in sermone de Cœlestino V. apud Lud. Jacobum in Bibl. Pontif. pag. 41.

B. CALLIXTUS II. Papa fuit ante summum Pontificatum Monachus Falleritanus, ut rectè ait Guido Cisterciensis: non Cluniacensis, ut nonnulli arbitrantur, sed malè: scripsit Sermones IV. in laudem S. Jacobi Apostoli, quem vocat *Apostolum & Patronum Galæciæ*. Hos Sermones primus edidit Joannes Mariana. Inserti sunt Bibliothecæ Tomo XX. f. 1278. ubi desideratur ejusdem Callixti *liber de Translatione corporis S. Jacobi Apostoli*, quem à Lud. Jac. in Bibl. Pontif. p. 37. scripsisse fertur. Item deest *libellus de miraculis S. Jacobi*, quem Trithemius cap. 359. laudat: excerpta videsis apud Vincent. Bellovac. lib. 26. Speculi Histor. cap. 30. seq.

CASSIODORUS Senator consulatum solus gessit año 514. atque Theoderico Ostrogothorum Regi & Athalarico à secretis atque epistolis fuit: Plurima scripsit, quæ extant Tomo xii. f. 1094. usque ad finem hujus Tomi, quorum Elenchus habetur initio Operum. Omissa est ejus Historia Tripartita, quæ invenitur in calce Historiæ Ecclesiasticæ Nicephori Callisti. Desiderantur quoque hîc ejus Commentaria in Psalmos & in Cantica. Vivebat adhuc anno 592. nonagenario major, obiitque circa hoc tempus in suo Vivariensi monasterio prope urbem Scyllitanam in Calabria, quod monasterium extruxerat, acreserta optimis libris Bibliotheca ditaverat. Vide plura de eo apud Sixtum Senensem in Bibliotheca sancta libro 4. apud P. Labbe Tomo I. in Bellarminum *v. Cassiodorus*, & Miræum in Bibliotheca Ecclesiastica, nec non Joannem Garetium, qui novam Operum Cassiodori editionem accuravit, cui dissertationem de ejusdem Monachatu Benedictino contra Baronium præmisit.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS, vulgò dictus *Grammaticus*, Corbeiensis Monachus, qui vixit circa an. 840. scripsit Commentarium, sive Expositionem in Evangelium Mathæi; item Epitomen in Lucam, & in Joannem, extat Tomo xv. f. 86. Hic *Christianus* C. V. Jo. Alberto Fabricio (e) omninò videtur reducendus ad seculum labens undecimum, & ad Gregorii VII. tempora, siquidem non alius est, quàm Christianus noster, qui Anonymo Mellicensi *Guidmundus* capite 102. de Scriptoribus Ecclesiasticis: GUIDMUNDUS, *qui &* CHRISTIANUS, *primò in Monasterio Stabulensi Monachus fuit, ubi dum Abbas constitui, atque ad alterum locum regendum mitti debuisset, aufugit, ignotámque provinciam appetens, ne posset agnosci, nomen mutavit in melius, assumens videlicet* CHRISTIANITATIS *vocabulum, cunctis commune fidelibus. Tandem verò requisitus & repertus sub Gregorio VII. Aversæ est factus Episcopus.* Hæc Anonymus Mellicensis, cujus auctoritate minimè nitendum puto: *Christianus* enim non fuit Monachus Stabulensis, sed ex Corbeiæ veteri ad Stabulenses missus, ut eos sacras Literas doceret: domum reversus Comentarium in Mathæum elucubravit, quem iisdem nuncupavit. Guitmundus verò fuit Monachus Cœnobii Crucis S. Leutfredi in Normannia, qui ex eadem in Angliam trajiciens, & oblatum sibi à Guilielmo Conquæstore Episcopatum recusans, in eandem se reverti velle Regi dixit. Deinde in Italiam veniens à Gregorio VII. Aversanus in Apulia Episcopus creatus est.

S. COLUMBANUS Scotus, seu Hibernus, primùm Luxoviensis in Burgundia, deinde Bobiensis in Italia Abbas, de quo plura Baronius tom. viii. ad annum 612. & Jonas vitæ ejus author, quæ habetur apud Surium 21. Novembris, multa scripsit, quorum Elenchus initio Operum ejus reperitur, quæ hac primùm editione collecta exhibentur per Patritium Flemingum Hibernum O. M. Tom. xii. f. 1. Notandum verò, quòd quæ *Instructio* de Fide & Officiis Christiani hominis hujus Bibliothecæ Tomo xviii. f. 545. post libros duos de libero arbitrio sub Fausti Regiensis nomine legitur, esse S. Columbani, ejúsque xvi. *Instructionibus*

(e) Bibl. med. & inf. Lat. l. 3. pag. 1045.

nibus Tomo XII. fol. 9. vulgatis addendam fuisse.

CUMEANUS Scoto-Hibernus, Hiensis, ut putabatur, Abbas, qui vixit circa annum 630. scripsit librum de Pœnitentium mensura, qui editus est Tom. XII. fol. 41. ex codice Bibliothecæ San-Gallensis per Flemingum O. M. cujus notas initio operis consule.

DROGO primùm Abbas Laudunensis, postea *Hostiensis* Episcopus floruit tempore S. Bernardi. Scripsit Sermonem de Passione Domini. Extat Tomo XXI. fol. 32. alia etiam tria ejusdem Opuscula habentur f. 341.

DUNGALUS Reclusus, seu Monachus, & Diaconus, qui floruit sub Ludovico Pio, ejúsque filio Lothario Imp. scripsit librum Responsionum pro cultu sacrarum imaginum adversùs insanas Claudii Taurinensis nænias, qui extat Tomo XIV. pag. 196. Sed vide, quæ initio annotavit Papyrius Massonus. Ipsi autem Dungali Operi præfigitur Apologeticum ejusdem Claudii, quod confutat.

DURANDUS Troarnensis Abbas, ab infantia monachus, religione & sapientia præcipuus, post multos in Dei cultu labores in lectulum decubuit, & tertio idus Februarii de seculo migravit, inquit de eo Ordericus Vitalis. Scripsit Librum de Corpore & Sanguine contra Berengarium, & ejus Sectatores, extat Tomo XVIII. fol. 419.

ECKBERTUS primùm Presbyter & Canonicus Ecclesiæ Bononiensis in Diœcesi Coloniensi, postea Abbas Schönaugiensis floruit anno Christi 1160. Scripsit plura, quæ refert Trithemius. Bibliothecæ Tomo XXIII. tantùm extant ejusdem Sermones contra Catharos fol. 600. & ad calcem eorum Exceptum ex Augustino de Manichæis fol. 631.

ENGELBERTUS Abbas Admontensis, qui sub Rudolpho Habsburgico floruit, scripsit Librum de ortu, progressu, & fine Romani Imperii, extat Tom. 25. fol. 362. ex recognitione Andreæ Schotti. Aliorum ejus quàm plurium Operum catalogum texit Ben. Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Part. II. n. IX. p. LXI. ex quibus nonnulla typis vulgavit.

ETHERIUS ex Monacho Uxamensis in Hispania Episcopus, & *Beatus* Abbas in Asturiis, scripserunt adversùs Elipandum Archiepiscopum Toletanum libros duos, qui à Petro Steuartio Professore Ingolstadiensi editi extant Tomo XIII. fol. 353.

FLORUS *Magister*, ortu Lugdunensis, & ejusdem urbis Ecclesiæ Diaconus, & sub vitæ finem in Monasterio S. Trudonis Monachus multa scripsit, quæ recensentur, & quæ observare poterit Lector ante librum, qui Tomo XV. extat fol. 62. De actione Missarum, & qui in hac editione integer prodit ex msc. Codice Balernensi cura Francisci Chiffletii S. J. Habetur etiam fol. 84. ejusdem Sermo seu Epistola de prædestinatione, & fol. 87. liber seu excerptum ex prolixiori opere de electionibus Episcoporum. Huic etiam Floro à multis tribuuntur libri sub nomine Lugdunensis Ecclesiæ adversùs Joannem Erigenam Scotum: extant eodem Tomo fol. 611. Devixit autem Florus circa an. 850. Casimirus Oudinus multis disputat, ut hunc Florum à Trithemio esse confictum commonstret, sed quæ argumenta in medium adducit, judice Fabricio Bibl. med. & inf. Lat. lib. VI. pag. 521. fictionem non evincunt.

FLODOARDUS Presbyter & Canonicus Ecclesiæ Remensis, postea Abbas non S. Remigii, ut contra Colvenerium probat *Marlottus* in Historia Ecclesiæ Remensis Tom. I. pag. 350. & 609. sed alterius cujusdam Cœnobii in eadem Diœcesi, vixit tempore Lotharii Imperatoris, & usque ad annum 966. scripsit Historiam Remensis Ecclesiæ libris IV. distinctam, quam ex recognitione Georgii Colvenerii Doctoris & Præpositi Duacæni unà cum ejusdem notis, aliísque quibusdam Tomo XVII. pag. 500. habes. Multa adhuc ejusdem Authoris Opera MS. latitant in Bibliothecis, quæ utinam quis in lucem aliquando proferat, inquit Miræus in sua Bibliotheca Ecclesiastica. Superiore seculo in msc. codice quædam Lauduni reperta fuisse à Religioso Ord. Carmelit. Discalc. fama vulgavit, *quæ utinam* (sunt verba Marlotti tunc temporis Historiam scribentis) *publico Ecclesiæ bono in lucem emittat.* Sed cùm ab eâ usque ad hanc diem, nihil, quod sciam, in publico comparuerit, quis famam eruditis bullas vendidisse non dicat?

FRANCO secundus Abbas Cœnobii Affligiensis vixit circa annum Domini 1110. scripsit diversa Opuscula, quæ enumerat Trithemius. Ex quibus

bus Tomo XXI. fol. 293. *De gratia Dei* liber distributus in Cap. 12. & Epistolæ duæ.

FRECULPHUS, ex Monacho Fuldensi Lexoviensis Episcopus, floruit tempore Ludovici Pii Imp. Scripsit Historiarum Tomos duos, primum ad Elisarchum præceptorem suum in libros septem distinctum, cujus meminit Trithemius; continet res gestas ab orbe condito usque ad Nativitatem Christi. Alterum ad Judith Augustam, distributum in libros quinque, qui continet res gestas à Nativitate Christi usque ad regnum Longobardorum. Tom. XIV. f. 1051. *Freculphum* fuisse Monachum negat Mabillonius Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 22. §. III. pag. mihi 142.

FULBERTUS Carnotensis Episcopus, ab anno circiter 1007. usque ad an. 1028. quo obiit, scripsit Epistolas multas, Sermones etiam ad Populum, & Hymnos aliquot. Extant hæc omnia ex Mss. Codd. Bibliothecæ Collegii Regiæ Navarræ, ac Petri Petavii, & Nicolai Fabri, studio Caroli de Villiers Doctoris Theologi edita, & notis illustrata. Tom. XVIII. f. 1.

S. GALLUS Abbas Sermonem habuit in consecratione Johannis Episcopi Constantiensis, qui extat Tom. XI. fol. 1046.

S. GALLI Monasterii illustrium Virorum & antiquorum Patrum, Epigrammata, seu Hymni extant Tom. 27. fol. 507. ex editione Henrici Canisii.

GERBERTUS primùm Remorum, deinde Ravennatum Archiepiscopus, postea Romanus Pontifex, Sylvester Secundus dictus, vixit sub finem seculi decimi, de quo multa Baronius in Annalibus, & Severinus Binius in Conciliis. Scripsit ante Pontificatum Epistolas breviores plures, quas ex Bibliotheca Papyrii Massoni habes Tomo XVII f. 669. Ejusdem & aliæ Epistolæ habentur Tom. 2. Scriptor. coætaneorum Franciæ Andreæ Duchesne. Nonnulla Opuscula in lucem edidit Bern. Pez. in Thes. Anecd. Tom. I. Part. II.

GOFRIDUS Vindocinensis Abbas, & Cardinalis tituli S. Priscæ vixit usque ad tempora Innocentii II. Pontificis. Scripsit Epistolarum Libros IV. Opuscula 17. Sermones XII. quæ omnia ex recognitione, & cum notis Sirmondi S. J. extant Tom. XXI. f. 1.

GUILLELMUS Abbas S. Theoderici Cluniac. Ord. floruit 12. seculo secundùm Judocum Coccium. Scripsit meditationes devotissimas, & libellum de amore Dei, quæ duo Opuscula extant Tomo 22. fol. 1142. Plura alia ejusdem prætermissa sunt, quæ Tomo IV. novæ Bibliothecæ Patrum Cistercienfium & etiam inter Opera SS. Bernardi & Anselmi reperiuntur.

GUITMUNDUS, ex Monacho Cœnobii Crucis S. Leufredi Diœcesis Ebroicensis in Normannia, Episcopus Aversanus in Italia, obiit circa a. 1080. Scripsit de veritate Corporis Domini in Eucharistia libros III. extant Tom. XVIII. fol. 440. Confessionem de Trinitate, Christi Humanitate, Corporis & Sanguinis Domini veritate fol. 465. Orationem ad Guillelmum primum Anglorum Regem fol. 468. Vide de eo Italiam Sacram Tom. I. in Episcopis Aversanis, ubi multa de ejus Cardinalatu. Hunc *Guitmundum* cum *Christiano Druthmaro* ab Anonymo Mellicensi perperàm confundi suprà ostendimus. Errorem suum mutuâsse videtur ex vitâ S. Gregorii VII. authore Paulo Bernriedensi scriptâ. Is enim cap. IX. *Guitmundum* perperàm vocavit *Christianum*.

GISLEBERTUS, sive GILBERTUS, Abbas Westmonasteriensis edidit *Disputationem Judæi cum Christiano*, quæ sub nomine *Guillelmi de Campellis* Tomo XX. p. 1884. extat.

HERMANNUS ab infantia omnibus membris *Contractus* Monachus Cœnobii Augiensis scripsit Chronicon, quod ex editione Henrici Canisii extat Tomo XVIII. fol. 348. Vide de aliis ejus Scriptis, quæ ante Chronicon prænotata sunt ab eodem Canisio.

HILDEBERTUS, ex Monacho Cluniacensi Episcopus primùm Cenomanensis, tum Archiepiscopus Turonensis vixit tempore Honorii II. Pontificis, ad quem etiam Epistolam misit. Scripsit Epistolas multas ad diversos, quæ extant Tom. XXI. f. 119. Carmen de mysterio Missæ fol. 163. Poëma in Berengarium fol. 168. Sermones diversos, ex quibus duo extant f. 169. *Hildeberti* alia Opera in unum corpus congesta edidit Antonius Beaugendre è Congr. S. Mauri in fol. Parisiis. 1708.

S. HILDEGARDIS Abbatissa in Monte S. Roberti propè *Bingam* Diœcesis Moguntinæ Sanctissima Virgo & Prophetissa Epistolarum librum, & diversa alia opuscula scripsit, quæ Tomo XXIII. extant, fol. 535.

S. HILDEPHONSUS ex Agaliensi Abbate Archiepiscopus Toletanus, de quo multa Baronius Tomo VIII. Annalium, scripsit multa carmine, & soluta oratione. An verò omnia, quæ sub ejus nomine in Bibliotheca Patrum prodierunt, ab ipsius calamo profecta fuerint, vide Jo. Bapt. Poza Elucidarium Virg. Deip. Mar. l. 4. tr. 4. cap. 6. & Nicol. Ant. in Bibl. Vet. Hisp. Lib. V. cap. 6. pag. 286. seqq.

HUGO ex Clerico Carnotensi, & Alumno Cluniacensi ad Lingonensem Episcopatum anno 1031. assumptus, scripsit Tractatum de Corp. & Sang. Christi contra Berengarium, qui extat Tomo XVIII. fol. 417. Vide plura de eo in Gallia Christiana tomo 2. in Episcopis Lingonensibus.

HUGO ex Abbate Radingensi Archiepiscopus Rothomagensis, ad quem sunt plures S. Bernardi & Petri Venerab. Epistolæ, scripsit libros tres de Ecclesia, & de ejus Ministris cum aliquot Epistolis, qui libri extant Tomo 22. fol. 1340. Alia ejusdem Opera Theologica ediderunt Marthene & Durand Thes. Anecd. Tom. V. & Collect. Tomo IX. Obiit autem Hugo juxta Necrologium Rothomagense an. 1164. quarto idus Novembris.

HUMBERTUS ex Tullensi Cœnobio S. Mansueti, propter scientiam literarum traductus, & à S. Leone IX. Papa Romam evocatus *Episcopus Sylvæ Candidæ*, & S. R. E. Cardinalis missus est Constantinopolim ab eodem Papa anno 1051. ubi sæpe disputavit. Scripsit autem adversùs calumnias Michaëlis Patriarchæ Constantinopolitani, & Leonis Archiepiscopi Bulgariæ (quorum hîc habetur Epistola) librum unum, extat Tomo 18. fol. 389. adversùs Nicætam Pectoratum (cujus quoque hîc extat libellus) librum un. ibid. fol. 405. Commemorationem item eorum, quæ contra Michaëlem Patriarcham gesserunt Apostolicæ Sedis Apocrisiarii, ibid. fol. 415. Omnia ex recognitione Henr. Canisii ex Bibliotheca Serenissimi Maximiliani Bavariæ Ducis.

S. JULIANUS Toletanus Episcopus: cujus Opera non recensenda mihi videntur, cùm desiderio tantùm, non professione fuerit Benedictinus, utì alio loco contra Arnoldum Wionium & Hugonem Menardum ostendam.

B. LANFRANCUS natione Italus, patriâ Papiensis, ex Abbate S. Stephani Cadomensis, Archiepiscopus Cantuariensis, & Angliæ Primas ab anno 1070. usque ad annum 1089. acerrimus Berengarii impugnator, multa scripsit, quæ extant Tomo XVIII. ex recognitione Domini Lucæ Acherii; nempe Commentarii in omnes S. Pauli Epistolas fol. 621. qui tamen Lanfranci non sunt, sed incertum cujus Anonymi; genuini verò Commentarii Lanfranci postea ab Acherio reperti in Bibliotheca S. Germani à Pratis asservantur. Liber de Corpore & Sanguine Domini, ibid. fol. 763. Decreta pro Ordine S. B. ibid. fol. 773. Epistolarum liber & libellus de celanda confessione, ibid. fol. 807. & alia quædam breviora Opuscula.

LEIDRADUS patriâ Noricus, Lugdunensis Archiepiscopus, qui & subscripsit Testamento Caroli M. anno 811. & abdicato deinde Pontificatu secessit in Monasterium S. Medardi Suessionensis, scripsit duas Epistolas, quæ extant Tomo XIV. fol. 232. Vide de eo Gall. Christ. tom. 1. in Archiep. Lugdun.

S. LEANDER Hispalensis Episcopus S. Gregorio Papæ amicitiâ conjunctissimus, scripsit Regulam, sive librum de Institutione Virginum, & contemptû mundi ad Florentiam sororem suam, qui extat Tom. 12. fol. 999. Scripsit etiam Sermonem de Conversione Gothorum, qui, quia extat apud Baronium Tom. VII. Annal. an. 589. n. 12. in Bibliothecâ prætermissus est.

MARBODUS Episcopus Rhedonensis scripsit Epistolam querelarum plenam sed justarum ad Raynaldum Andegavensium Episcopum, quæ inserta est Hildeberti Epistolis. Extat Tomo 21. fol. 157. Quam cum aliis quibusdam ejus Epistolis & Opusculis edidit Antonius Beaugendre è Congregatione S. Mauri ad calcem Operum Ven. Hildeberti Paris. fol. 1708. Obiit autem Marbodus anno 1123.

MARCULPHUS Monachus Benedictinus, incertum cujus in Gallia Monasterii, vixit circa annum Domini 660. scripsit formularum libros duos, qui unà cum aliis quibusdam illis admixtis extant ex editione Parisiensi Domini Hieronymi Bignonii Tom. XII. fol. 767. libri porrò isti sunt longè utilissimi ad Francicas & Germanicas antiquitates illustrandas.

MARTINUS Dumiensis Abbas, postea Bracarensis Episcopus, scripsit de IV. Virtutibus Cardinalibus libr. quem vocavit *Formulam honestæ vitæ*; *De Moribus* item librum, & quædam carmina.

mina. Extant Tomo 10. fol. 382. Scripsit etiam Collectiones Canonum, quæ habentur in Tomis Conciliorum Tomo v. novissimæ editionis post Concilium tertium Bracarense, anno 572. celebratum, & alia quædam, quæ partim exciderunt, partim penes Cardinalem de Aguirre fuerunt, quæ conjunctim, nisi mors intercessisset, editurus fuisset, uti ipse fidem facit apud Nicol. Ant. in Bibliotheca Hisp. Vet. ubi plura de Martini nostri Operibus legere licet.

S. ODILO, patriâ Arvernus, ex Clerico Brivarensi Monachus, S. Majolo Cluniacensi Abbati an. 994. defuncto suffectus Abbas Congregationem illam annis 56. rexit usque ad diem primam Januarii, qua obiit anno 1048. Multa scripsit Opuscula, ex quibus habentur ejus Sermones ex Bibliotheca Cluniacensi editi Tomo xvii. fol. 653. Vitæ porrò S. Majoli & S. Adelheidis Imperatricis ab eodem compositæ inveniuntur apud Surium.

S. ODO ex Canonico & Archicantore S. Martini Turonensi Monachus, ac deinde Cluniacensis secundus Abbas Bernonis successor ab anno 927. usque ad annum 942. quo obiit apud Turones. Scripsit libros iv. de vita S. Geraldi, qui extant apud Surium in mense Octobri. Tractatus autem & Sermones diversi, & alia ejusdem Opuscula ex Bibliotheca Cluniacensi studio Martini Marrier, & Josephi Quercetani edita Tomo xvii. f. 252. Ejusdem *Odonis* Moralium in Job libri xxxv. ab eodem Domno Marrier O. B. editi sunt fol. 315. Vide, quæ de iis Operibus initio annotantur.

ODO Tornacensis Abbas, posteà Cameracensis Episcopus, varia scripsit Opuscula, studio Andreæ Schotti S.J. maxima ex parte in lucem edita, extant Tomo xxii. fol. 221.

ODO Astensis Monachus Benedictinus Expositionem scripsit in partem Psalterii ad Brunonem Episcopum Signinum, extat Tomo xx. fol. 1816. indicat tamen author se totum Psalterium exposuisse, & præmissa expositio titulorum omnium Psalmorum hoc testatur.

OTFRIDUS Monachus Weissenburgensis in Alsatia, Rhabani Mauri auditor, de quo vide Sixtum Sen. l. 4. Bibl. San. composuit insigne Opus in 4. Evangelia, libris 5. digestum, theotiscè scriptum, cujus præfatio sola Tom. 16. fol. 764. ad Luitbertum Archiepiscopum Moguntinum exhibetur. Vivebat hic author circiter an. 870. Vid. etiam Lambecium in Comment. de Bibl. Cæs. lib. 2. pag. 415. seq.

S. PASCHASIUS RADBERTUS sub S. Adalardo Abbate Monachus Corbeiæ veteris, postea ejusdem Cœnobii Abbas, cujus vitam consule initio operum, floruit usque ad annum 851. multa scripsit, quæ primùm luce donata sunt à Jacobo Sirmondo, & Andrea Schotto S. J., nempe in Mathæi Evangelium Commentariorum libros xii. habentur Tomo xiv. fol. 356. de Corpore & Sanguine Christi librum adjunctis SS. Patrum testimoniis de Eucharistia fol. 729. Epistolam ad Frudegardum, cui subjunctum est expositum in illud Evangelii *Cœnantibus autem illis* &c. quod excerptum est ex suo Commentario in Mathæum fol. 754. in Psalmum 44. expositionem fol. 705. in Lamentationes Jeremiæ fol. 760. *Passionem SS. Martyrum Rufini & Valerii* comptiore stylo perpolivit, quæ, quia reperitur apud Surium (non autem in Actis Bollandianis) in Bibliotheca omissa fuit. *Epitaphium Arsenii*, seu *vitam S. Walæ* Abbatis Corbeiensis edidit Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte I. pag. 453. *De Partu Virginis Libros II. Paschasio* vindicavit Acherius Tom. xii. Spicilegii, quos à Fevardentio S. Ildephonso perperàm adscriptos reperies inter ejusdem Opera Tomo xii. hujus Bibliothecæ fol. 565. & 571. *De Fide, Spe, & Charitate Libr. III.* quos primùm Bern. Pezius, tum Edmundus Marthene ediderunt.

PAULUS DIACONUS scripsit diversa Opuscula, quæ recenset Trithemius. Ex iis extant Tomo xiii. fol. 160. *De Gestis Longobardorum* libri sex. Historia Miscella, de qua vide, quæ ante illam prænotata sunt ex Canisio fol. 210. Libellus de Episcopis Metensibus fol. 329. de aliis Operibus ejusdem Pauli vide Labbeum tom. 2. in Bellarm. v. *Paul. Diac.* & præcipuè in appendice ad eundem tomum. Vide etiam in Tom. xxvii. hujus Bibliothecæ fol. 484. v. *Paul. Diac.* scripsit. *Paulus* etiam *Diaconus* scripsit Homiliam in illud Evangelii: Simile est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem &c. Tom. xxvii. fol. 484. Licèt autem hic author ponatur tanquam incertæ ætatis, tamen Jo. Bapt. Marus in Notis ad Pet. Diac.

Casin. asserit hanc homiliam pertinere ad Paulum Aquileiensem Diaconum, qui scripsit HistoriamLongobardorum, & quæ edita est tom. xiii. hujus Bibliothecæ.

PETRUS CELLENSIS primùm, deinde *S. Remigii Remensis* Abbas, & tandem Episcopus Carnotensis floruit seculo xii. Multa scripsit, quæ in unum collecta prodeunt Tom. xxiii. f. 636. curâ & studio Ambrosii Janvier è Congr. S. Mauri Monachi Benedictini, cujus præfationem de singulis opusculis consule. Additæ sunt Notæ Jacobi Sirmondi S. J. ad Epistolas; sed sublatæ sunt ab ultima editione Bibliothecæ Lugdun. quæ in prioribus reperiebantur Epistolæ Alexandri III. ad eundem Petrum, & alios; editæ sunt enim cum aliis Pontificum Epistolis in novissima Collectione Conciliorum anno 1672. tom. 10. f. 1247.

PETRUS DIACONUS, *Monachus Casinensis* scripsit Opusculum de Vir. Ill. Casin. quod erutum ex Bibliotheca Barberina studio & cum Notis Jo. Bapt. Mari extat Tom. xxi. pag. 347. Huic Opusculo accedit appendix Domni Placidi Diaconi Casinensis f. 370. Vide Catalogum aliorum hujus Petri Diaconi Operum nondum editorum fol. 369.

PETRUS MAURITIUS, dictus *Venerabilis*, Abbas Cluniacensis IX. floruit an. Dom. 1140. scripsit plura, ex quibus, quæ extant, recognita sunt, & edita omnia ex Mss. codicibus, & industria Domni Martini Marrier Monasterii S. Martini de Campis Parisiensis Monachi, & Andreæ Quercetani Turonensis. Habentur Tom. 22. f. 813.

PETRUS PICTAVIENSIS Monachus scripsit Panegyricum dictum in primo adventu Petri Venerabilis, cujus fuit discipulus, ad Aquitaniam secundam. Extat tom. xxii. f. 820. cum aliis quibusdam ejus Opusculis.

POTHO Prumiæ celebris in Diœcesi Trevirensi Cœnobii Monachus & Presbyter floruit circa annum Christi 1152. scripsit *de Statu Domûs Dei* libros quinque. Item *de magna domo Sapientiæ* librum unum. Extant Tom. 21. f. 489. Editi fuerunt jam priùs separatim Hagenoæ an. 1532.

RADULPHUS *Flaviacensis*, seu *Flaiensis* Monachus Ord. S. B. floruit secundùm plurimos authores circa annum 910. veriùs autem juxtà Chronicon Alberici anno tantùm 1157. qua de re vide, quæ initio Operum prænotantur; scripsit diversa Opera, ex quibus tantùm Tomo xvii. f. 47. extant libri xx. in Leviticum.

RATRAMNUS, sive *Bertramus* Corbeiensis Cœnobii O. S. B. Monachus, & in omni literatura doctissimus scripsit libros duos de Prædestinatione Dei, qui extant tom. xv. fol. 442. Libros etiam 4. edidit contra opposita Græcorum, qui reperiuntur tom. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii, & Tractatum de eo, quod Christus de Virgine natus est Tom. I. ejusdem Spicilegii. Liber autem de Corpore & Sanguine Domini ejusdem Ratramni reperitur in Orthographis Basileæ editis, sed quia multis admixtis suppositiitis, ab hæreticis depravatus est, in hac Bibliotheca locum non meruit. Vide porrò, quæ scitu dignissima de Ratramno observavit idem Dacherius præfatione ad II. Tom. Spicilegii, cui etiam doctissimam illustrissimi Domini de Marca, Archiepiscopi Tholosani, pro vindicando hoc eodem authore epistolam inseruit.

REMIGIUS Autissiodorensis Monachus videtur floruisse circa annum Christi 890. Scripsit expositionem Missæ, quæ extat Tomo xvi. f. 952. In undecim Prophetas minores enarrationem, quæ extat f. 961. Commentaria in Psalmos, extant fol. 1041. Enarrationes verò in omnes Epistolas D. Pauli, quas eidem Guillelmus Cave & alii vindicant, non sunt ipsius, sed Haymonis Halberstadiensis.

SALOMON hujus nominis III. Episcopus Constantiensis ad Rhenum, qui è vita discessit anno DCCCCXIX. scripsit carmina ad Dadonem Episcopum, & alios, quæ ex editione Henrici Canisii extant Tomo xvi. f. 11300.

SERVATUS LUPUS (alius omninò à Lupo Moguntino Presbytero) Abbas Ferrariensis Cœnobii in Diœcesi Senonensi, vixit sub Ludovico Pio, ejúsque filio Carolo Calvo usque ad annum circiter 853. scripsit epistolas ad diversos, quæ Tomo xv. f. 1. extant ex recognitione Stephani Baluzii. Scripsit insuper librum de tribus Quæstionibus cum collectaneo de iisdem, qui extat fol. 43. & duas Homilias cum Hymnis de S. Vigberto f. 58. Vita ejusdem S. Vigberti, ut & S. Maximi Episcopi ab eodem scriptæ reperiuntur apud Surium & Bollandum.

SMARAGDUS, Abbas Monasterii S. Michaëlis in Diœcesi Virdunensi (qui distinguendus est ab alio *Smaragdo*, qui *Ardo* dictus est, & vitam scripsit S. Benedicti Anianensis) edi-

dit

dit librum inscriptum *Diadema Monachorum*, qui extat Tom. XVI. f. 1305. Scripsit etiam Tractatum, qui *Via Regia* dicitur, quem Tomo V. Invenies Spicilegii Lucæ Dacherii, & Comentarios breves in Evangelia & Epistolas, vulgò *Postillæ* titulo celebratos, qui in folio Argentinæ editi sunt. Hi omnes libri Smaragdo Abbati ab Honorio Augustodonensi, à Sigeberto, & à Trithemio tribuuntur. Vixit autem Smaragdus circa an. 840. tempore Ludovici Pii Imperatoris.

THEODULPHUS, Episcopus Aurelianensis, quòd Abbas fuerit Floriacensis, pro Benedictino à multis venditatur, sed juxtà Mabillonium Tract. de Stud. Mon. vol. 2. p. 142. nunquam monachus fuit; quæ causa est, quòd ejus Opera non recensenda ducam.

VICTOR Papa tertius, in Monachatu *Desiderius* vocatus, per annos 29. Abbas Cassinensis, demùm invitus, mortuo Gregorio VII., ad summum Pontificatum anno 1086. evectus est. Multa dum vixit, inquit Possevinus, scripsisse fertur, ex quibus tantummodò Tom. XVIII. extant lib. IV. seu potiùs III. (nam quartus in MS.to desideratur) de miraculis à S. Benedicto, & aliis Monachis in Casinensi Monasterio, & alibi factis. Hos primus edidit ex Vaticana Bibliotheca & Notis illustravit J. B. Marus, Romanus S. Angeli in foro piscium Canonicus.

WALAFRIDUS Strabus, natione Germanus, à vitio oculorum dictus *Strabo*, ab anno 844. Abbas Augiæ Divitis in Dioec. Constantiensi usque ad an. 849. quo obiisse perhibetur, scripsit librum unum de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum, & Poëmata diversa ab Henrico Canisio edita, extant Tom. XV. f. 181. Utrùm autem sit ipse Author Glossæ Ordinariæ in Sacram Scripturam, an non potiùs Strabo Fuldensis, vide P. Labbe tom. 2. in Bellarm. *v. Walafridus Strabo*. Ego opinionis sum, Trithemium Labbeo, aliisque errandi viam præivisse, ac malè Strabonem in duos, viz. Augiensem & Fuldensem distraxisse, cùm unus solùm fuerit, nimirùm Augiensis. Nec ea propter tamen gloriæ Fuldensis Scholæ quidquam adimitur, cùm Strabo Augiensis, quantus demumcunque fuerit, ex Schola Fuldensi, & Rbabani Mauri institutione totus profluxerit.

§. III.

Alii iterùm Patres, & Scriptores Ecclesiastici, quorum Opera in Bibliothecis Veterum PP. partim prætermissa, partim in unum corpus digesta separatim edita fuerunt.

S. GREGORII M. Opera prodierunt Romæ a. vol. 1588. 1593. Basileæ 1564. 2. vol. Antuerpiæ 1572. 1615. Parisiis 1605. 1640. & 1705. per Dionysium Sanmarthanum è Congreg. S. Mauri. 4. vol. in fol. Longum foret Operum, quæ separatim prodierunt, Catalogum texere.

VEN. BEDÆ Opera Paris. an. 1544. 1554. Basileæ 1563. Coloniæ 1612. 1688. Desiderantur in his editionibus *Epistola ad Albinum. Epistola Apologetica* pro libro de sex ætatibus ad Plegwinum Monachum, adversùs alterius Monachi objectiones. Epistola ad *Egbertum* Eboracensem Archiepiscopum *de Christiani Præsulis Officio. Vitæ quinque Abbatum priorum Weremuthensium & Girvicensium libris duobus. Expositio in Genefeos capita priora XXII. Commentarius in Canticum Habacuc.* Eliminanda verò sunt plura Opera, quæ V. Bedæ supposita fuerunt, de quibus vid. Casim. Oudin. qui novæ editionis ideam delineavit, & Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. l. 2. p. 519. Inserenda sunt, quæ Opuscula Henricus Wharton Londini an. 1593. in 4. & Jacobus Waræus Dublinii an. 1664. in lucem protulerunt.

M. AURELII CASSIODORI Opera impressa sunt duobus Tomis in fol. Rotomagi anno 1679. impensis *Antonii Dezallier* Bibliopolæ Parisiensis, & collara fuerunt cum MSs. Codd. curis *Johannis Garetii* è Congr. S. Mauri, præmissâ dicti Cassiodori vita, cum dissertatione de ejus Monachismo.

S. COLUMBANI in Gallia Luxoviensis, & in Italia Bobiensis Abbatis Opera junctim edita fueront à *Patritio Flemingo* Ordinis Minorum Lovanii anno 1667.

B. RHABANI MAURI Abbatis primùm Fuldensis, tum Archiepiscopi Moguntini Opera, quotquot reperiri potuerunt, collecta olim à Jacobo Pamelio, ac deinde opera studióque *Georgii Colvenerii* in lucem typis Coloniensibus emissa an. 1627. fol. Tomis VI. Desiderantur verò in editione non pauca Authoris Opera; unde

L 3 Abbas

Abbas Calmet novam accurandam suadet.

S. PASCHASII RADBERTI Opera edidit Jacobus Sirmondus S. J. Paris. 1618. fol. cui editioni accessio fieri potest tribus Operibus, quæ intereà in lucem eruta fuerunt, de quibus §. præcedenti, & explicatiùs Lib. II. in vita S. Paschasii Radberti.

HINCMARI ex Monacho S. Dionysii Archiepiscopi Remensis Opera junctim edidit Joannes Cordesius, Canonicus Lemovicensis, Parisiis 1615. in 4. apud Sebastianum Nivellium. Post Cordesium collegit, atque accurato, ut solebat, studio edidit Jacobus Sirmondus S. J. Parisiis 1645. fol. duobus voluminibus, præmissa utili synopsi chronica ad ordinem rerum meliùs intelligendum. Anno 1658. Paris. in 4. edidit *Ludovicus Cellotius* quatuor *Hincmari* Opuscula *de Ecclesiastica libertate* adversùs *Hincmarum Laudun.* unà cum Concilio Duziacensi, suísque Notis eruditis, quæ ad innocentiam Hincmari Remensis vindicandam plurimùm conferunt; habentur etiam Concil. Tom. VIII. pag. 1732. ibíque etiam pag. 1789. extant VIII. ejus ad *Hincmarum Laudun.* Epistolæ, ex Codice Vatic. descriptæ, & tunc primùm editæ, quæ proinde in Operibus *Hincmari* desiderantur. V. Thom. Pope Blount Cens. celebr. Author. pag. 346.

B. SERVATI LUPI Abbatis Ferrariensis Opera conjunctim edidit Stephanus Baluzius Paris. in 8. an. 1664. apud F. Muguet.

BEATI LANFRANCI Cantuariæ Archiepiscopi, & Angliæ Primatis Opera omnia, quibus adduntur Chronicon Beccense, vita beati Herluini Fundatoris, primi Abbatis Becci, & quatuor priorum Abbatum ejusdem monasterii: Vita S. Augustini Anglorum Apostoli: Tractatus duo de Evcharistiæ Sacramento contra Berengarium, Hugonis Lingonensis Episcopi, & Durandi Abbatis Troarnensis. Operâ & studio D. Lucæ d'Acheri. fol. Lutetiæ Parisiorum, sumptibus Joannis Billaine an. 1648.

S. ANSELMI Cantuariensis Archiepiscopi Opera prodierunt post editiones Petri Danhuser & Joannis Picardi, omnia in 4. tomos distributa, studio Theophili Raynaudi Cespitellensis è Soc. Jesu Theologi Lugduni fol. 1630. apud Durantium. Multò autem accuratiùs impressa sunt in fol. Parisiis apud Ludovicum Billaine anno 1675. & 1721. cura & studio Gabrielis Gerberon è Congr. S. Mauri. Cui editioni *Eadmeri* Monachi Cantuariensis, ac discipuli S. Anselmi *Historia Novorum*, & *alia Opuscula* accesserunt.

B. PETRI DAMIANI Opera. *Constantinus Cajetanus*, Syracusanus, Monachus S. Nicolai de Arena, Congr. Casin. multis curis & sudoribus omnia *S. Petri Damiani* Opera in unum collegit, ad quem laborem acriùs promovendum à Summo Pontifice Clemente VIII. Romam appellatus est, ut testatur suis ad eum epistolis Paulus Papa V. datis Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris anno 1606. die 17. Augusti. Hoc autem Opus, quod diversis annis, & per partes *Romæ* editum est, illud integrè primò in Galliis impressum *Lugduni* in fol. tribus tomis anno 1623. de qua tantùm impressione Labbeus. Primus tomus continet Epistolarum libros VIII. Secundus varios Sermones & Sanctorum Historias. Tertius, illustria de variis argumentis Opuscula LX. At omnia S. Petri Damiani Opera quatuor tomis distincta, impressa etiam in fol. *Parisiis* apud Carolum Chostelain via Jacobæa anno 1642. sub signo Constantiæ, & iterùm 1663. in fol. De vitiis & virtutibus Editionis Cajetanæ videri potest Casimirus Oudinus de Script. Eccl. Tom. II. ubi peculiarem Dissertationem pag. 687. & seq. habet de Scriptis Damiani S. R. E. Cardinalis & Ostiensis Episcopi. Adde Armellinum Bibl. Casin. part. 1. p. 125.

VENERABILIS GUIBERTI Abbatis B. Mariæ de Novigento Opera omnia, unà cum appendice ad librum tertium de vita ipsius, nimirùm Hermanni Monachi libri tres de Miraculis S. Mariæ, sive de Reparatione Laudunensis Ecclesiæ; de Gestis Bartholomæi Episcopi, ac de origine & incremento Præmonstratensis Ordinis. His accedunt additamenta, in quibus vitæ S. Geremari, B. Simonis Crespeiensis & S. Salabergæ Abbatissæ: nec non Hugonis Rothomagensis Archiepiscopi Libri tres Dogmatum Christianæ fidei contra hæreticos sui temporis: & Roberti de Monte accessiones, atque appendix germana ad Sigibertum. Opera & studio D. Lucæ d'Acheri, fol. Lutetiæ Parisiorum, sumptibus Joannis Billaine an. 1651.

VEN. HILDEBERTI primò Cenomanensis Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi, Opera tam edita quàm inedita.

inedita. Accesserunt *Marbodi* Redonensis Episcopi, ipsius Hildeberti suppparis Opuscula. Quæ hactenus edita, hæc autem auctiora & plura nondum edita prodeunt, omniáque ad Manuscriptos Codices recensita, Notis passim illustrantur labore & studio D. Antonii Beaugendre Presbyteri, & Monachi è Congr. S. Mauri Parisiis apud Laurentium le Conte ad Ripam Sequanæ Augustinianam ad Insigne Urbis Montis Pessulani. MDCCVIII.

S. BRUNONIS Astensis, ex Abbate Casinensi Episcopi Signini, Opera omnia evulgavit Maurus Marchesius, Siculus, Panormitanus è Congr. Casin. Tomis II. in fol. Venetiis apud Bertanos 1651. fuerunt etiam impressa Romæ an. 1655.

GOFFRIDI Abbatis Vindocinensis & S. R. E. Cardinalis Opera per Sirmondum Paris. 1610. & in editione Regia.

PETRI VENERABILIS, Abbatis Cluniacensis Opera in lucem edita fuerunt Paris. an. 1522. in fol. min. cura & labore Petri de monte Martyrum. Sunt verò 1.) Epistolarum libri VI. 2.) Rythmi & Versus non contemnendi. 3.) Miraculorum libri duo. Quæ editio est incompleta.

PETRI ABÆLARDI Opera quàm plurima in unum volumen congesta labore & studio Francisci Ambœsii, Equitis, Regis in sanctiori Consistorio Consiliarii, Baronis Chartæ &c. prodierunt Parisiis an. 1616. in 4.

PETRI ABBATIS Cellensis primùm, deinde S. Remigii apud Remos, ac demùm Episcopi Carnotensis Opera omnia collecta in unum ex libris tum editis tum mss., operâ & studio D. Renati Ambrosii Janvier in 4. Parisiis apud Ludovicum Billaine 1671.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis Opera conjunctim prodierunt Parisiis Tomis II. in folio sumptibus Caroli Chastellain anno 1638. Qui primus omnium Ruperti Opera ex tenebris eruit, & multo labore per vetustas monasteriorum Westphaliæ, Bavariæ, & Hercyniæ sylvæ Bibliothecas conquisivit, fuit Joannes Cochlæus B. M. V. Francofordiensis Decanus, & Theologus variis contra Lutherum & asseclas ejus tractatibus celebris. Nova editio in præsentiarum Venetiis accurata prodiit an. 1748. & seq. in fol.

RATHERII Veronensis Episcopi ex Monacho Laubiensi Opuscula, quæ, ut Alexander, Canonicus Leodiensis loquitur, *multo sale condita habentur, quo hodieque auditorum conscientias acerbè solet confricare.* Eorum maximam partem edidit Acherius Spicilegii tom. 2. acceptam à C. V. Carolo Bohesman Leodiensi U. J. Doctore, qui propriis expensis ex Msc. Laubiensi ea describi curaverat. Præloquiorum verò Ratherii sex libros cùm Acherius ab eodem Jurisperito seriùs accepisset, ut eis locum cum aliis ejus opusculis tradere posset, eos PP. Martene & Durand in Tomum IX. amplissimæ suæ Collectionis constipârunt.

VEN. OTHLONI Monachi Sanct-Emmeramensis Ratisbonæ *Dialogus de tribus Quæstionibus*, id est, de divina pietate, agnitione, judiciotúmque divinorum diversitate, & de varia bene agendi facultate, extat in Peziano Thesauro Anecdotorum Tomo III. apud quem ejusdem auctoris plura reperies. Prius verò leges his Mabill. tom. IV. p. 62. ad an. 1062.

ADSONIS, Monasterii Dervensis Abbatis, *Dissertatio de Antichristo*, quæ sub nomine Alcuini & Rabani vulgata est in Append. Tomi VI. Opp. S. Augustini nov. edit. pag. 243. sed in calce Tom. XI. Oper. ubi Tabulæ Operum S. Doctoris & Additiones & Correctiones continentur, suo authori restituitur. Vid. M. B. E. pag. 120.

HUGONIS DE FOLIETO ex Monacho Corbeiæ Veteris in Gallia S. R. E. Cardinalis circa an. 1134. *Libri IV. aurei de claustro animæ*, qui, teste Oudino de Script. Eccles. Sec. XII. pag. 107. perperàm Hugoni S. Victoris attribuuntur, atque inter ejus Opera magno legitimi Auctoris damno recensentur. Cum Oudino plures alii viri docti sentiunt. Antonius verò Pagius Tom. 4. p. 496. col. 2. n. 41. ad annum 1134. advertit, editores ultimos Operum Hugonis Victorini omisisse censuram illorum Operum, quam præcedentes prudenter appellant.

— EJUSDEM Libellus *de medicina animæ*: Libelli quinque de *Arca mystica vel moraliter.* Cæterùm etsi Oudinus, Eggsius & alii Hugonem de Folieto pro Benedictino habeant, verè tamen fuit Canonicus Regularis Ord. S. Augstini.

JOANNIS MABILLONII *Dissertationes prævia ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti de variis rerum Ecclesiasticarum argumentis.* „ Observare „ debes, inquit doctiss. Amat de Gra- „ veson,

„ veson, Actorum O. S. B. quæ quin- „ que Tomis in folio collegit, & in „ Benedictina Sæcula digessit Joannes „ Mabillonius, non solùm ad infor- „ mandos Sanctorum exemplis mores, „ sed etiam ad illustrandam Historiā & „ Disciplinā cùm Ecclesiasticam, tum „ Monasticam, immò ad firmanda Ca- „ tholicæ Religionis dogmata. Sed le- „ gendæ sunt præsertim eruditissimæ „ singulis Tomis præmissæ Præfatio- „ nes, in quibus selecta eáque diffi- „ cillima cujusque Sæculi Historiæ „ Capita, ac præcipua quæque, quæ „ ad Disciplinam tum Ecclesiasticam, „ tum Monasticam pertinent, ipsá- „ que Fidei dogmata sic pertractan- „ tur, ut miretur, quisquis legerit, „ summam authoris eruditionem, & „ facilitatem in enodandis difficultati- „ bus, quæ anteà Viris alioqui peri- „ tissimis negotium facessebant. „ Hæc Graveson Hist. Eccl. Tom. vii. pag. mihi 181. Prodierunt verò doctissimæ illæ Dissertationes conjunctim Tridenti in maj. 4. an. 1724. apud Jo. Bapt. Paronum.

§. IV.

Qui Sanctorum Patrum Scripta deflorando ex iisdem nova Opera condiderunt.

S. BENEDICTUS Anianæ & Indæ Abbas in Britannia minore, sive Septimania Galliæ Provincia an. Christi 821. mundo denatus author est *Libri de diversis voluminibus Patrum excerpti*, quem magnus hic Sanctus congessit, & ad nutriendam suorum Monachorum pietatem vespertino in conventu ab iisdem legi voluit. Extat ad calcem *Concordiæ Regularum*, quæ ipsum etiam habet Authorem. Patres verò, quos S. Abbas defloruit, sunt S. Ambrosius super Hexaëmeron, S. Hieronymus contra Jovinianum, S. Gregorius homilia de concupiscentia gulæ, S. Isidorus variis in locis, V. Beda in Lucam, S. Cæsarius, S. Prosper, S. Nilus, Evagrius in Proverbiis pro monachis, Cassianus in Collationibus, S. Augustinus de circumcisione, & libro Confessionum, & de moribus Clericorum, & plures alii, quos jam Part. prælim. pag. 234. col. a. retulimus.

DEFENSOR *Grammaticus* & Monachus Locociagensis apud Pictones vetus auctor, ut qui nullum è Patribus Isidoro posteriorem adducit, librum conscripsit *Scintillarum*, seu sententiarum, quas ex Catholicis Patribus excerpsit. Quod Opus Mabillonius in Musæo Italico asservari testatur inter veteres Codices Bibliothecæ Casinensis; præter rem tamen pro inedito habuit, cùm ejus plures habeantur editiones, Coloniensis an. 1556. Antuerpiensis eodem anno, & Venet. 1552. Sixtus Senensis *Excerptorem* nostrum his verbis commendat. *Defensor*, doctus, pius, & vetustus Theologus in gratiam Nutritoris sui Ursini decerpsit ex omni sacra Scriptura locos quosdam communes diversorum moralium argumentorum, adjectis etiam Patrum antiquissimorum sententiis, quas prædictis Scripturarum locis conformes esse invenit. Inscripsit autem Opus suum *Scintillæ Scripturæ Sanctæ*. Ita ille Bibl. San. lib. 4. p. 356.

FLORUS ex Lugdunensis Ecclesiæ Diacono Monachus S. Trudonis Diœcesis Leodiensis, vir in divinis Scripturis studiosissimus, & satis eruditus, librorum S. Augustini amator præcipuus, de quibus sententias suo congruentes proposito collegit. Ita Trithemius de Vir. Ill. O. S. Ben. c. 44.

ALULFUS S. Martini Tornacensis Monachus circa an. 1096. scripsit hortatû Odonis Abbatis sui, ad imitationem S. Paterii, cujus Opus Gregorianū ad nos imperfectum & mutilum pervenit, ac forsan, ut huic vulneri medelam afferret, Opus grande Tomis iv. expositionem Novi & Veteris Testamenti, *ex propriis S. Gregorii Papæ primis verbis* collegit, quod *Gregoriale* appellans, hoc metro conclusit:

Hæc de Gregorii qui traxit Opuscula libris
Gregorii precibus in pace quiescat Alulphus.

Tomi duo priores loca Veteris Testamenti, tertius Novi continet; quartus est de variis argumentis, & attestante Oudino de S. E. Tom. 2. p. 656. qui ms.tum Opus in variis Bibliothecis Galliæ evolvit, libris xvi. distinguitur. *Prologum* edidit Mabillonius Tom. I. Analect. pag. 312. (editionis novæ in fol. pag. 131.) *Liber tertius in Novum Testamentum*, lucem vidit Argentorati per Joannem Knoblauchium: & sub Paterii nomine inter Opera Gregorii M. anno 1553. Romæ in folio. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. p. 204. Cæterùm *Alulfus* locum etiam inter Commentatores S. Scripturæ commeretur.

WILLERMUS, seu *Wilhelmus*, aut *Guilielmus*, ejusdem Abbatiæ Monachus

chus, *Alulfi* vestigiis insistens, selectas S. Bernardi Abbatis Claraevallensis sententias in communes locos scitè distribuit, opúsque suum *Bernardinum* appellavit, tametsi in editis titulus est *Florès Sanctorum*, absque nomine Auctoris, quod Mabillonius ex codice mf.to Cisterciensis Bibliothecae detexit; in eo siquidem Guilielmi collectaneum hoc titulo praenotatur: *Incipit Prologus Domini Willermi Monachi S. Martini Tornacensis in Bernardino, quem idem excepit & compilavit de libris & dictis S. Bernardi Claraevallis.* Tum incipit Prologus: *Cùm non essem alicui exercitio magnoperè occupatus* &c. Willermus aetatem egisse seculo XIII. videtur. Vid. Mabill. Annal. Tom. I. pag. 318. & 319. Vincent. Placc. de Script. Anon. c. 2. p. 82. n. 645. Oudin. Tom. 3. pag. 203. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. I. pag. 602. *Bernardinum* typis excusum est Parif. 1499. & Lugd. 1556. in 8.

B. MARIANUS SCOTUS *Ratisbonensis* dictus ad distinctionem alterius MARIANI SCOTI, dicti *Fuldensis*, vel Historiographi, in Bavariam venit cum sex sociis circa an. Dom. 1074. author fuit pluribus suis conterraneis, qui relictâ patriâ Ratisbonam confluxerunt, primas sedes obtinuerunt à Religiosâ Abbatissa superioris Monasterii ad S. Petrum extra portam australem civitatis: dein aucto eorundem numero, alias & ampliores paulò post aedificârunt ad S. Jacobum intra muros civitatis hodiernos, & ecclesia suis numeris perfecta atque consecrata est ab Hartwico Episcopo anno 1111. quae hodiedum persistit. Marianus vir erat mortalium mitissimus, Deum timens, & in scriptis Sanctorum Patrum eruditus; è quibus Tractatum Asceticum congessit, qui autographus in fol. membranaceus Ratisbonae in Bibliotheca Monasterii ad S. Jacobum asservatur; uti ex literis Bernardi Baillie Abbatis Consistorialis, ejusdem Monasterii Scotorum Ratisbonae Praesulis quà doctrinâ, quà humanitate inter paucos memorabilis intellexi.

WERNERI S. Blasii in Nigra Sylva Abbatis sub annum 1210. vel circiter, *Libri deflorationum*, sive excerptionum ex melliflua diversorum Patrum, signanter: Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Hilarii, Chrysostomi, Maximi, Origenis, Remigii, Cassiodori, Bedae, Alcuini, aliorúmque Doctorum Orthodoxorum doctrina: super Evangelio de tempore, per anni circulum: in sermones postillares. Basileae anno Domini 1494. fol.

WARNERUS, *Warmerum* vocat Wion in suo Ligno vitae, cognominatus *Homeliarius*, natione Anglus, Monachus Westmonasteriensis, & ibidem, ut opinatur Pitseus, tandem Abbas, Vir, qui meritò dici potuit, *integer vitae scelerisque purus*, solidè etiam doctus, & in concionibus, quas habere consuevit bene frequentes, non inelegans. Utilitati posterorum consulens suámque famam immortalitati consecrare satagens, teste Bostono Buriensi, scripsit *Deflorationes Patrum lib. un.* Opus extat Basileae an. Dom. 1494. Claruit anno Verbi Incarnati 1092. Ita Pitseus de Scriptor. Britan. aet. 11. pag. 191. Mihi vehemens oboritur suspicio, hujus *Warneri* Deflorationes haud alias esse ab illis, quae sub nomine *Werneri* mox laudati S. Blasii in Nigra Sylva Abbatis, in conciones redactae Basileae an. 1494. typis exscriptae fuerunt.

S. ODO ex Canonico S. Martini Turonensis Monachus, & Abbas Cluniacensis, postea factus libros XXXV. ex Moralibus S. Gregorii. confecit, quos edidit Parisiis D. Martinus Marrier S. Martini à Campis Monachus an. 1617. Extant Bibl. PP Lugdun. Tom. XVII. Huic scriptioni operam dedit Odo, cùm adhuc junior in S. Martini sodalitio militaret. Odonis exemplum secutus

JOHANNES ejus discipulus, qui *Opusculum ex Gregorii Moralibus* defloratum concinnavit, quod in Bibliotheca Casinensi à se inventum testatur Mabillonius in Mus. Italic. Oldoinus in Addit. ad Ciaccon. Tom. I. c. 413.

HAEDERICUS, seu *Hedericus*, Monachus Romanus S. Gregorii Papae, vir in divinis Scripturis studiosissimus fuit. Extat volumen insigne, quod ex Commentario ejusdem sacrati Pontificis libri Job in unum multo labore defloravit, in quo sententias optimas congessit. Vid. Trith. de Vir. Ill. O.S.B. cap. 12. Wion in Lig. vit. Bucel. in Bened. Rediv. Oldoin. in Addit. ad Ciaccon. tom. 1. p. 414.

ADALBERTUS, Spaldingensis in Anglia Coenobii Monachus non infimae doctrinae circa an. Christi 1160. post attentam Sacrarum Scriptu-

rarum lectionem, veterum Patrum Scripta avidè pellegebat: & inter posteriores Ecclesiæ Doctores supra modum illi placuit S. Gregorius M. ex cujus *Moralibus flores* collegit, eósq; in magnum volumen congessit, quod, ut in Catagolo testatur Bostonus Buriensis, Capita centum quinquaginta quinque complectitur. Opus suum Herimanno Presbytero nuncupavit. Prologus ad eundem Herimannum in lucem protractus fuit ex codice annorum 600. ab Edmundo Marthene Nov. Thes. Anecdot. Tom. I. pag. 84. Ex quibus perspicuum fit, Adalbertum Spaldingensem non esse discernendum ab Adalberto Diacono, qui ex Moralibus S. Gregorii *Speculum status hominis* composuit.

IGNATIUS Monachus Casinas ex libris Moralium S. Gregorii flores collegit, eosdémque in unum volumen redegit. Oldoin. in Addit. ad Ciaccon. Tom. I. pag. 413.

ROBERTUS DE TORNEIO, seu de Monte, Normannus Abbas S. Michaëlis de Monte, obiit 1186.

— *Commentarius*, seu abbreviatio expositionum in Epistolas D. Pauli excerptarum ex Operibus S. Augustini (sed ex aliis locis, quàm ii, qui sub nomine *Flori*, aut *Bedæ*, aut *Petri* Abbatis Tripolitani prodierunt. *Mabill.*) in 8. Bibl. hujus Cœnobii. Extat prologus ad calcem Operum Guiberti de Novigento 716. in fol. Paris. 1651. Vide le Long Bibl. Sac. pag. 931. col. 1. Referri etiam potest, & fors potiori jure debet *Robertus* ad eorum classem, qui Epistolas D. Pauli commentariis illustrârunt.

BARTHOLOMÆUS Cluniacensis Abbas sub annum 1220. clarus *Speculum Claustralium*, ex dictis SS. Patrum Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis, & aliorum composuit, quod Opus sæpissimè ac fermè semper anonymum in Bibliothecis plurimis se vidisse, scribit Oudinus Tom. III. pag. 45.

SIMON, Monachus Cœnobii Affligeniensis in Brabantia, vir in divinis Scripturis exercitatum habens ingenium, qui veterum lectione non parum dives effectus abbreviavit Moralia Beati Gregorii Papæ in Job, morales tantùm ex eo sententias apponens textui, totùm volumen verbis exposuit alienis. Addit Trithemius l. c. cap. 125. eum collegisse etiam *excerpta quædam de sermonibus B. Gregorii Papæ in Ezechielem, de collationibus quoque SS. Patrum ex Richardo de S. Victore, de XII. Patriarchis, & contemplatione, & ex aliis alia non spernenda.* Vixit & floruit circa an. Dom. MCCXC. Vid. etiam Ant. Sander. in Chronol. Sac. Brabant. p. 47.

HUGO DE FOLIETO ex Monacho Corbeiensi S. R. E. Cardinalis Operum B. Petri Damiani assiduus lector erat, prout etiam ex Opusculo LII. ejusdem Petri Dam. Tom. III. Operum ipsius constat; ubi, quæ Petrus *de feris & avibus* moraliter tractat, magno studio excerpsit, ac in tres libros partitus est, unum attribuens avibus, alios feris. Oudin. Tom. II. Sec. XII. pag. 1107. qui tamen fallitur, Hogonem venditando pro Benedictinæ Familiæ alumno, cùm ex Ordine Can. Reg. O. S. A. fuerit.

JOANNES DE TYNMOUTH, Anglus, Monachus Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis claruit anno 1366.

— Expositiones Allegoricæ & Morales Literales, & Tropologicæ ex SS. Patrum & veterum Scriptis collectæ in Pentateuchum, Josue, Judices, libros Regum, & Apocalypsin. Baleus, Pitseus, le Long Bibl. Sac. pag. 996.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Summa de Vitiis & Virtutibus* ex dictis SS. Patrum concinnata, cujus ipse in Nepiacho mentionem facit, sed quæ hodie, ut ejus alia plura Opera, desideratur.

JOANNES A PASTURA Belga, Sanctensis, Prior Gemblacensis vixit 1510.

— Brevis & Pia Psalterii Davidici, Canticorum Ecclesiast. & Canonis Missæ explanatio ex Patribus collecta, in 8. Lovanii 1560. le Long. p. 895.

JACOBI DE ASTI Pedemontani, è Congr. Casin. Prioris Claustralis Monasterii S. Benedicti de Padolirone *Authoritatum SS. Patrum lib. I.* in quo ex SS. Patribus verba diligenter refert, varios tractatus de virtutibus & vitiis collegit: asservatur inter mſ.tos Codd. ejusdem Monasterii. Arnold. Wion Lig. vit. l. 2. c. 70. pag. 428. Possevinus, Armellinus, & alii.

JACOBI BILLII *Collectio consolationum & instructionum salutarium animæ fidelis*, deprompta ex libro S. Augustini soper Psalmos. Gallicè Parisiis an. 1570. in 8. apud Claudium Fremy.

APOLLINARIS A BOVILLIS, Itali, ex Pontificiæ ditionis Oppido in La-

tio

tio (*Bauco olim in Hernicis*) Monachi Casinatis,

— *Aureæ divinæque sententiæ, tum ex Veteri ac Novo Testamento, cùm ex Orthodoxis Patribus decerptæ, mirâque arte, & concordia dispositæ*. Opus, ni fallor, adhuc ineditum. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 53.

GASPAR FRASIUS Weichenstephanensis in Bavaria Abbas *Alphabetum Catholicum ex auctoritatibus Patrum & Sacræ Scripturæ* reliquit an. 1565. Eisengren. apud Possevin. in Apparatu Sacro.

LUDOVICI BLOSII, Abbatis Lætiensis, *Psychagogia*, sive *Animæ recreatio* Libris IV. distincta, collecta ex variis Tractatibus D. Aurelii Augustini, & Gtegorii Magni Papæ. Lovanii anno 1549. in 8. typis Bartholomæi Gravii, & an. 1560. in 12. apud viduam Martini Nutii. Extat intet Opera Blosii conjunctim edita an. 1726. Ingolstadii apud de la Haye à pag. 83. -- 172.

— *Dicta Quorundam Patrum verè aurea: ex quorum diligenti lectione Anima humilis ineffabilem utilitatem consequitur*. l. c. pag. 207. - 226. videsis etiam Authoris *Sacellum Animæ Fidelis*, cujus pars tettia sunt isthæc Patrum pronuntiata.

— *Consolatio Pusillanimum ex Scriptis Sanctorum, & Paraclesis divina ex Sacris Literis deprompta*. l. c. pag. 297. - pag. 336. Prodiit etiam separatim Lovanii anno 1555. in 12. apud Martinnm Nutium; item apud ejusdem viduam an. 1559. eâdem formâ. Hæc *Consolatio* est vera panacea curandis omnibus animorum afflictorum & desolatorum ægritudinibus.

Cæterùm operâ *Phil. Jacobi Steyrer* San-Petrensis in Sylva Hercynia prodiit *Favus mellis composita verba*, Prov. 16. v. 24. sive sententiæ mellifluæ ex omnibus Operibus V. *Blosii* collectæ & in 4. libros seu totidem alvearia ac certa capita veluti quasdam cellulas, in singulos anni dies bipartito ordine distributæ. Ulmæ, sumptibus Jo. Conradi Wohler 1742. in 8.

JOSEPHUS MEGE, Gallus, Arvernus, Claromontanus, è Congr. S. Mauri, obiit 1691. Explicatio Psalmorum excerpta ex SS. Patribus, & Interpretibus, Gallicè in 8. Parisiis 1675. in 4. ibidem 1676.

SIMONIS BONNET è Congr. S. Mauri Theologiæ Professoris, ac plurium successivè Monasteriorum Prio-

ris *Biblia Maxima Patrum*, i. e. summa eorum, quæcunque majoris elegantiæ atque energiæ à SS. Patribus in sacras paginas elucubrata fuerunt. Opus Author omnium primus concepit, strenuè incœpit, sed, Prioris licèt munere se abdicâsset, quò supremam eidem manum addere posset, non tamen perfecit. Anno enim 1705. morte interceptus Maxima sua Biblia *Stephano Hideux*, & alii Congregationis San-Maurianæ Sodali Anonymo ad fastigium perducenda reliquit. Vid. le Cerf pag. 41.

§. V.

Collectiones variæ, seu Bibliothecæ Patrum veterúmque Ecclesiasticorum Sctiptorum.

PAULI DIACONI, Monachi Casinensis, *Homiliarium pro totius anni circulo Ecclesiasticum, ex Sanctis & antiquis Patribus*, id est, Collectio Homiliarum venerabilium ac egregiorum Doctorum, Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Bedæ, Herrici, Leonis Maximi, Joannis Episcopi, atque Origenis, jussu & voluntate Caroli Magni: quod quidem adstruunt Pauli Versus Homiliario ab auctore præmissi; tum ipsius Caroli Magni epistola inscripta religiosis lectoribus suæ ditioni subjectis, quâ eis utendum hoc Homiliarium proponit. Opus præclarum edidit Petrus Drach Spiræ 1482. Cui Homiliario præfixam Caroli M. epistolam visum est Mabillonio recusam dare tomo 1. Analectorum, ut quæ lectu digna sit, multáque contineat, quæ complutium, ut putat, notitiam fugiunt.

S. BENEDICTI JUNIORIS, Anianæ, sive Aniani in Britannia minore Abbatis anno Christi 821. defuncti liber *ex Sanctorum Homiliis contextus*, cujus Ardo Smaragdus in ejus vita meminit. De hoc libro alia est *Hugonis Menardi*, alia *Lucæ Holstenii* sententia. Menardus enim, cùm in fine Codicis, ex quo *Concordiam Regularum* à S. Benedicto Anianæ Abbate concinnatam Parisiis an. 1538. edidit, reperisset congesta quædam Patrum fragmenta, ad virtutes & vitia, quæ in Monachis desidetantur, aut caventur, pertinentia, opinatus est, esse illum ipsum librum contextum ex sanctorum Doctotum Homiliis, quem fuisse à S. Benedicto compositum Ardo Smaragdus auctor ejus

vitæ refert: sed falsus hìc fuit vir eruditus; neque enim Homiliæ, aut opuscula integra Patrum, sed sententiæ quædam duntaxat, & testimonia, ipso fatente Menardo, congesta fuerunt in illam farraginem Codici Concordiæ Regularũ assutam: contrà autem collectio, quam Lucas Holstenius *ad Codicem Regularum* Romæ 1661. Parisiis 1663. & Aug. Vind. 1754. typis mandatum subjunxit, integras exhibet adhortationes, aut conciones Patrum aptissimè congruentes ad argumentum Regularum. Quare fatendum est, Librum à S. Benedicto Anianensi *ex Sanctorum homiliis contextum* non ab Hugone Menardo, sed à Luca Holstenio fuisse publicam in lucem productum.

BIBLIOTHECA CLUNIACENSIS, in qua Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis Opuscula cum S. Odonis Abbatis & aliorum Operibus continentur. Collegit primus Dom. *Martinus Marrier* Congregationis Cluniacensis Asceta, *Andreas* autem *Quercetanus* Turonensis in ordinem disposuit, notisque illustravit, in folio editam Parisiis an. 1614.

CLAUDII CHANTELOU è Congr. S. Mauri *Bibliotheca Patrum Ascetica*, id est, compendium eorum, quæ solidiora atque ad animos vitæ christianæ & religiosæ perfectionis documentis instruendos aptiora fuisse à Patribus conscripta judicavit. Habemus hujus Collectionis quinque volumina in 4.to Primum continet id genus ascetica Opera S. Justini, Tertulliani, S. Cypriani, S. Pachomii, & S. Oriesii. Alterum nihil complectitur, atque aliquot S. Ephremi Tractatus. Tertium præter alios hujus S. Patris Tractatus habet etiam quàm plurimas veterum Patrum, eremi cultorum, sententias; deinde etiam religiosè dicta Abbatis Ammonis, quibus libro finis imponitur. Quarto volumine exhibentur libri Officiorum S. Ambrosii, ejúsque Tractatus *de Bono Mortis*: insertæ sunt etiam literæ spirituales S. Hieronymi, cum vita S. Hilarionis Abbatis, & Malchi eremitæ. Quinto volumine complures Tractatus spirituales S. Augustini continentur. Volumen quartum hoc notatu dignum habet, quòd ad calcem notæ admodùm luculentæ subjiciantur, quibus loci magis difficiles in S. Hieronymi epistolis elucidantur. Universa hæc collectio Indicibus, Summariis, & perpetuis citationibus Sacræ Scripturæ magna fide adductis locupletatur. Priores tres tomi Asceticæ hujus Bibliothecæ Patrum impressi fuerunt anno 1661. & quintus anno sequenti Parisiis apud Fridericum Leonard. Ista compilatio, inquit Mabillonius Tractatu de Stud. Monast. part. 2. c. 3. §. 2. p. mihi 116. summæ est utilitatis, potiorique amodò esse debet commendatione digna, quàm hucusque fuerit ex eo solùm, quia tertium volomen negotium legentibus alicubi facessere videatur. Operæ insuper pretium erit S. Augustini Tractatibus, qui Tomo V. hujusce compilationis leguntur, reliquos adjicere de Opere Monachorum, de Mendacio ad Consentium, de Agone Christiano, de Fide & Operibus, unà cum libris Confessionum; item Epistolas parænetícas S. Nili, & Epistolas S. Isidori Damiatensis, in quibus luculenta & egregia ad Ascetas monita leguntur.

LUCÆ ACHERII *Spicilegium*, hoc est, veterum Manuscriptorum Collectio, quæ indefesso studio ac labore ex celeberrimis Bibliothecis, præcipuè Benedictinorum eruit. Occurrunt in hac celeberrima Collectione quam frequenter Patrum ac veterum Auctorum Opera v. g. S. Isidori Hispalensis Episcopi liber de Ordine Creaturarum ad Braulium Episcopum Cæsaraugustæ. Sermo S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo Apostolo. S. Anselmi Archiepiscopi Cantuar. Tractatus Asceticus. Petri Cellensis Tractatus prolixus de Disciplina Claustrali. Jonæ Aurelianensis Episcopi Opusculum de institutione Regia. S. Faustini Episcopi fragmentum Sermonis in Dominica ante Quadragesimam. S. Petri Chrysologi, Archiepiscopi Ravennatis Sermones V. de Oratione Dominica, & plura alia.

JOANNIS MABILLONII *Vetera Analecta*, in quibus itidem nonnulla Patrum, veterúmque Auctorum Opera exhibentur, e. g. S. Laurentii Episcopi Homilia de muliere Chananæa. S. Gregorii Episcopi ad fratrem suum Petrum Presbyterum de imagine, id est, de hominis conditione, quæ à fratre eorum S. Basilio Episcopo in Hexaëmeron sunt omissa. S. Gregorii Episcopi Turonensis fragmenta duo in Psalmos.

— EJUSDEM *Museum Italicum*, seu Collectio veterum Scriptorum ex Bibliothecis Italicis eruta. Tomi I. in duas partes distincti altera pars varia Patrum Opuscula complectitur; cujusmodi sunt S. Maximi Episcopi Tau-

tinen-

rinensis Homiliæ. I.) De Barbaris non timendis. II.) Ejusdem argumenti. III.) Item ejusdem. IV.) De Ninivitis. V.) De Kalendis Januariis. VI.) De defectu Lunæ. VII.) Dictum ante Natalem Domini. VIII.) De Natali Domini. IX.) Post Natalem Domini. X.) De hæreticis peccata vendentibus. XI.) Quod non debent Clerici negotiari. XII.) De Corpore Domini.

COLLECTIO NOVA Patrum & Scriptorum Græcorum Eusebii Cæsariensis, Athanasii, & Cosmæ Ægyptii in duos tomos distributa & adornata à *D. Bernardo de Montfaucon* Presbytero & Monacho Ord.S.B. è Congr.S.Mauri. Parisiis apud Claudium Rigaud 1707. in fol. Collectionem hanc Auctor ex Græco Latinè reddidit, adjectis Notis & Observationibus. Tomo I. continetur Comentarius Eusebii Cæsariensis super Psalmos. Tomus II. quædam S. Athanasii Opuscula catenus inedita, Commentarios Eusebii in Prophetam Isaiam, & Topographiam Christianam complectitur: cuilibet tomo præmissa est Dissertatio quemadmodùm prolixa, ita docta & erudita, quam Montfauconius *Præliminarem* vocavit: in hac verò profunda eruditione ea omnia discutit, quæ Lectorem in ejuscemodi argumentis versatum afficere possunt. Primùm igitur in tempus inquirit, quo auctores, de quibus sermonem instituit, ætatem egerunt: tum eorum ingenium, scribendi genus, doctrinam, ac errores expendit; deinde investigat, quæ genuina, quæve adulterina sint illorum Opera, ac quo tempore composita; quinam Scriptores de iisdem mentionem fecerint; quas sectas & hæreses impugnaverint, quibus Synodis ac Conciliis præsentes adfuerint. Denique omnia in eorum Scriptis ac Operibus difficilia, obscura, & salebrosa loca illustrat, enucleat & explanat.

In Præfatione ad Tomum I. Capite I. Cl. Editor nos certos esse jubet, se hujus Commentarii editionem ex ex tribus Mſ.tis Codicibus adornâsse; primus est Cardinalis Perronii, quem is in Italia degens ex antiquioribus Codicibus exscribi curaverat: asservatur modò in Bibliotheca Monasterii S. Taurini Ebroicensis. Alterum Codicem ex Bibliotheca Segneriana ab Eminent. Cardinali Coislinio impetravit. Tertium Bibliotheca Colbertina subministravit. Neque tamen id consequi potuit, ut totum Commentarium ad ultimum usque Psalmum in lucem proferre liceret: in nullo enim ex memoratis Codicibus ultra centesimum decimum-octavum Psalmum, quidpiam offertur.

Capite II. animadvertit, nusquam Eusebium in iis, quæ jam supersunt, Operibus hujus Comentarii meminisse, puta, quia illum postremis vitæ annis adornârit, vel nulla, vel pauca secundùm hæc edidit. Ejus tamen non sine laude Hieronymus, Theodoretus, & Gelasius meminerunt; Eusebius verò Vercellensis, teste Hieronymo, Latinè transtulit.

Capite III. Notas affert manifestissimas, è quibus hunc Comentarium esse Eusebii evincitur. Potissima est styli affinitas: nulli tamen ex Eusebii Operibus ita adfinis hujus Commentarii stylus est, ut Evangelicæ Demonstrationi; non modò enim dictiones, & tractandi ratio consonant, sed etiam Scripturarum interpretationes sententiâ semper, verbis non infrequenter similes sunt. In Demonstratione item Evangelica perinde, atque in hoc Commentario passim offendas in illud, *intelliges, si animum adhibueris.* Paucis: Eusebius in suo Comentario utitur eodem styli genere, quale Photius describit in Bibliotheca n. 13. *Dictione autem nusquam suavis est, neque elegantia ornatus. Eruditissimus tamen vir est.* Quo autem tempore Eusebius hoc Opus ediderit, haud satis liquet. P. Montfauconio simile vero videtur, post annum 327 editum fuisse.

Capite IV. Editor ostendit interpretandi genus, quod in explananda Scriptura Sacra Eusebius adhibuit, in in cujus non minùs, quàm veterum interpretum lectione versatus erat. Observationes illius Criticæ, egregiæ notæ sunt, in quibus de ordine & de auctore cujusque Psalmi ea in medium affert, quæ judicium peritiámque Scriptoris arguant.

Capite V. Editor agit de rebus doctrinam spectantibus in hoc Commentario. Primùm verò advertit, Eusebium in Scriptoribus sacris ne minimum admittere vitium. Æstimat Eusebius, inquit, non sine audacia & temeritate credi posse Scriptores illos, qui afflante Numine divinas nobis literas transmiserunt, vel in minimis errâsse; ita ut etiam nomen pro alio vel ex imprudentia vel ex incogitantia substituerint. Parem in modum credebat Eusebius, Sanctorum, sive Martyrum,

tyrum, sive aliorum Deo acceptorum hominum merita subsidia apud Deum nobis esse. Veram deinde Christi in Eucharistia præsentiam, in homine autem liberum arbitrium ad bonum malúmque deligendum docet; ita tamen, ut Deo dominium, quod in hominem ipsi competit, afferat, húncq; gratiâ, quò bonum adire possit, fulciri oporteat. Quæ omnia ita perspicuè enuntiantur, ut Oedipo non egeant.

Capite VI. Editor Eusebii de Verbo & Filio Dei sententiam exponit. Fuerunt Catholici, qui Eusebium catholicè sensisse defenderunt; alii verò incunctanter inter Arianorum primipilares connumerandum censuerunt. Montfauconius post attentam Operum Eusebii lectionem ad posteriorum sententiam accedit, maximè convictus ex hoc ipso Commentario, ubi Eusebius Arianismum apertè profitetur. Unitatem námque Dei in uno Patre servari, neque Filium, multóque minus Spiritum S. in ejusdem unitatis consortium venire clarè & multis in locis adfirmat. Patrem solum vocat *Deum universorum*, *Deum super omnia*, *Deum ultra omnia*, Filium contrà nuncupat, *secundum Deum*, *secundum Dominum*. Qui verò purgatum Eusebium volunt cùm veteres tum recentiores, ejus dicta adducunt, quæ catholicum hominem arguere videntur; horum argumenta validè revincit Montfauconius, nec illos moratur qui Eusebium ante Nicænam quidem Synodum Arianicè sensisse ac scripsisse fatentur, posteà verò secus: nam cùm fine controversia hos Commentarios, & libros contra Marcellum, unde perspicuæ & frequentes Arianismi notæ eruuntur, longè post illam Synodum ediderit, inutilis prorsùs illa distinctio est: nam ut verè de Eusebio dicatur, nec pœnituit coepisse, nec libuit desistere.

Capite VII. Editor tractat de reliquis, in quibus vel à fide aberrare videtur Eusebius in his Commentariis, vel explicatione opus habet. Peccatum originale negare prorsùs videtur. Duas in Christo personas non admittit. Non rectè arguitur, quòd B. Virginem alios præter Christum filios habuisse tradiderit; hanc enim sententiam quasi alienam, non verò suam proposuit. Neque in jus vocandus est, quòd peccatorum confessionem negaverit.

Capite VIII. sermo fit de Conventibus Christianorum matutinis, quorum Eusebius in variis sui Commentarii locis non obiter meminit; cujus tempore infinita & maximi pretii dona Ecclesiis à fidelibus, maximè Constantino Imperatore collata fuerunt.

Capite IX. Editor sententiam exponit Eusebii de Evangelio Mathæi & Joannis, quos Hebraicè scripsisse contendit. Apostolos omnes martyrio coronatos esse existimat. Prophetarum successionem ad S. Joannem Baptistam parùm probabiliter extendit. Lapsus etiam est, dum Monachos à Symmacho memorari putat.

Capite X. Idiotismi Eusebii in his Commentariis, & singularis quarumdam vocum significatus exponuntur.

In Præfatione ad Tomum II. Cl. Montfauconius complures elucidat difficultates, quæ ad S. Athanasium spectant. Primò igitur contra Tillemontium ostendit, S. Athanasium à Martyribus, qui in Maximini carnificina cervices pro Christo dederunt, institutum fuisse, tum aliquamdiu cum S. Antonio in solitudine vixisse. Hanc suam assertionem Ægyptiorum centum Præsulum testimonio confirmat, qui in Synodo Alexandrina anno 340. Athanasium asceticam egisse vitam perhibuerunt, & in electione sua à fidelibus Ascetam ac verum Episcopum vocatum fuisse dixerunt. Librum verò contra Gentes & de Incarnatione Athanasius in lucem emisit ante annum 319. cùm ætatis ex Montfauconii computo vigesimum quartum, Hermantii autem calculo vigesimum nonum ageret: cui rei suscipiendæ par & maturus erat, cùm maximè annis hinc septem elapsis ad supremum rerum apicem evectus sit, in Alexandrinum Archiepiscopum cooptatus. P. Montfauconius iter Thebaicum S. Athanasii, quod ingressus est, ut Thebaidis Ecclesias Meletianorum dissidio, Arianorum motibus deflagrantes perlustraret, in annum 327. consignat. D. Tillemontius in annum 333. conferendum putat, ea adductus ratione, quòd in vita S. Athanasii dicatur, eum jam pro fide Christi varia perpessum esse, quando hoc iter suscepit. Quæ ratio haud magni momenti videtur, si animo nobiscum perpendamus, quòd S. Athanasius ipse dicat, Arianorum, postquàm primò damnati fuerant, scilicet anno 321. impetum in se proruppisse, hincque eosdem conspecta sua in Nicæna Synodo pro fide tuenda firmitate in majus sui odium exarsisse.

His

His expositis P. Montfauconius in statuendo anno laborat, quò S. Antonius Alexandriam properavit, ut Arianorum, qui eum doctrinæ favere suæ effutiebant, impudentiam præsens confunderet. Hunc igitur S. Antonii profectum Editor in annum circiter 334. conjicit, eam per causam, quòd Athanasius, qui in vita Magni hujus Monachorum Patris temporis ordinem adprimè sectatur, ante missas à Constantino Imperatore ad Antonium literas, hanc rem consignet. Illud extra controversiam est, quòd iter Antonii post anum 335. haud reponi possit, vetante Athanasio, qui ait, se, cùm Antonius accessit, Alexandriæ fuisse. At ab anno 335. dum viveret Constantinus, Alexandriam non vidit ille, qui toto deinceps tempore Treviris exulabat.

Historiam mulierculæ, quæ Athanasium in Synodo Tyria illati sibi stupri insimulavit, pro vera neutiquam habet. Memoriæ illam prodidit Ruffinus, & ex eo Theodoretus & Sozomenus. Socrates Ruffini pedissequus suspectam rem habuit, ideóque prætermisit. Magis adhuc hujus narratiunculæ nutat fides, imò planè corruit, si animadvertatur, Athanasium, qui ut se se purgaret, & ut Arianorum nequitiam sycophantiámque proderet, res Tyrias bis térve recensuit, ea de re siluisse; cùm tamen ipsius maximè interesset, hujus criminis falsam insimulationem silentio minimè prætereire, quò calumniæ sycophantas magis convinceret.

Literis Hemerii Catholici, & Eusebii Cæsariensis Cap. XI. & XII. majori in luce positis, Cl. Editor disquirit, quo anno Synodus Alexandrina celebrata fuerit? Palàm verò facit, id haud fieri potuisse ante annum 339. quandoquidem literæ Constantini junioris, quibus Athanasio remigrandi Alexandriam potestas facta est, datæ ad eam rem fuerunt 17. Junii anno 338. sub finem verò ejusdem mensis Athanasium Treviris digressum, atque mense Septembri eodem anno Cæsaream in Cappadociam delatum Constantius in Orientem contra Persas concedens & vidit & allocutus est. Nec iste Imperator ante medium anni 339. Constantinopolim reversus est, ubi synodum Alexandrinam, instigante Eusebio, anno 340. cœpit.

Capite XX. *Montfauconius* cum P. *Coustantio* Liberii Pontificis epistolam ad Athanasium suppositam esse demonstrat; qui enim illam pro germana venditant, statim à morte Julii Papæ, & ineunte Liberii episcopatu affirmant: init autem Liberius anno 352. At exploratum est, utriusque Præsulis, Liberii & Athanasii testimoniis, non nisi anno 357. Liberium, tædio exsilii fractum ab Athanasii communione recessisse. Proinde haud potuit contra illum literas exarare per id temporis, quo ejusdem cum eo erat sententiæ.

Capite XXI. P. Montfauconius argumenta proponit, quibus contra Tillemontium epistolam *Catholicam* dictam Athanasio abjudicat, cùm nec ejus stylum sapiat, nec in antiquis illius operum collectionibus compareat. Denique Cap. XXII. de aliis dubiis Athanasii Operibus criticum examen instituit.

Hanc Præfationem excipit Diatriba de causa Marcelli Ancyrani, quem alii temeratæ fidei reum agunt, alii ut rectè fidei vindicem defendunt, alii quæstionis difficultate deterriti, non audent in utramvis partem ferre judicium. Hujus Diatribæ, quemadmodùm & Præfationis in *Cosmæ Topographiam Christianam* etsi memoratu dignæ recensionem brevitatis studio omitto.

Præfatio in Commentarios Eusebii in Hesaiam quatuor §. absolvitur; quorum Imo. Editor commemorat, ex quibus Codicibus hæc Commentaria prodeant. II. Quo genere interpretandi, eodem nempe, quo in Psalmis, utatur Eusebius. III. Singularem Eusebii de Martyribus narrationem affert; de iis nempe, qui ex gentibus ad fidem conversi ad martyrium accedebant; quod viz. propriis positis nominibus priscorum Patriarcharum & Prophetarum vocabula, ad necem pro Christo subeundam accedentes, usurparent. IV. Post explosas Deuteroses, sive secundas Judæorum traditiones, Patriarcharum dignitatem apud Judæos nonnisi post urbis excidium exstitisse Cl. Editor existimat.

EDMUNDI MARTHENE & URSINI DURAND *è Congreg. S. Mauri Thesauri Anecdotorum Tomus V.* Opusculis Theologicis Patrum Ecclesiæ, aliorúmque Auctorum, qui à seculo Christi IV. usque ad XIV. vixerunt, refertus est, v. g. *S. Orientii Commonitorium* pag. 17. *Hrabani Mauri* Archiepiscopi Moguntini *Liber de variis quæstionibus adversùs Judæos*, seu cæteros infideles vel plerosque hæreticos judaizantes

tes ex utroque Testamento collectis, pag. 401. *Humberti* Cardinalis libri tres adversùs Simoniacos pag. 629. *Odonis* Episcopi Cameracensis liber seu homilia de villico iniquitatis pag. 853. *Guillelmi de Campellis* Episcopi Catalaunensis Tractatus brevis de origine animæ pag. 877. *Hugonis à S. Victore* libellus de modo dicendi & meditandi pag. 883. *Algeri* Scholastici liber de misericordia & judicio pag. 1020. *Petri Venerabilis* Cluniacensis Abbatis IX. Sermones tres, primus in laudem sepulchri Domini. p. 1419. Secundus de S. Marcello Papa & Martyre pag. 1440. Tertius in veneratione quarumlibet reliquiarum p. 1445. Excerpta ex *Hamelini* de Verulamio Monasterii S. Albani in Anglia Prioris Libro de Monachatu pag. 1454.

— EORUNDEM MARTHENE & DURAND Collectionis amplissimæ Veterum Scriptorum Tomus IX. in quo varia Sanctorum Patrum, aliorúmque Scriptorum Ecclesiasticorum congesta sunt Opuscula, e. g. *S. Cypriani* Carmen ad Felicem de resurrectione mortuorum. pag. 1. *S. Hilarii* Pictavorum Episcopi aliquot Psalmorum interpretatio hactenus inedita p. 55. *S. Nili* Monachi tractatus de Christiana Philosophia pag. 54. *S. Maximi* Episcopi Taurinensis homiliæ sex pag. 133. *S. Bonifacii* Archiepiscopi Moguntini Germanorum Apostoli & Martyris Sermones p. 266. *S. Ambrosii Autberti* liber de cupiditate pag. 219. Sermo *ejusdem* de lectione Evangelica in Purificatione B. M. *Ejusdem* Homilia in Transfiguratione Domini p. 249. *Pauli Diaconi* Sermo in Assumptione B. Mariæ pag. 256. Ejusdem *Pauli* homilia in Evangelium *Intravit Jesus in quoddam Castellum.* pag. 270. *Flori* Magistri Opusculum de expositione Missæ longè auctius ab edito in Bibliotheca Patrum, pag. 577. *Ratherii* Veronensis Episcopi Præloquiorum libri tres. p. 785. De Vita verè Apostolica libri v. authore, ut videtur, *Ruperto* Abbate Tuitiensi. pag. 970. Rithmus Magistri *Petri Abaillart* de S. Trinitate pag. 1092.

HUGO Rothomag. Archiepiscopus super Fide Catholica & Oratione Dominica.

BERNARDI PEZII, Bibliothecarii Mellicensis, *Thesaurus Anecdotorum Novissimus*, cujus quilibet ex prioribus tribus tomis in tres iterum distributur partes, quarum altera semper exhibet veterum Theologorum, Patrum, & Ascetarum Opera, quæ inter oppidò præclara quædam, lectúque apprimè digna reperias. Sic Tomum I. ut nihil de Sancti Paschasii Rathberti, Gerhohi Reicherspergensis, Alani Insulani, Henrici de Hassia, aliorúmque non infimi nominis Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus dicam, sic Tomum I. vel solus *Tractatus*, seu *Liber Joannis Abbatis de Professione Monachorum* commendat, ac pretium eidem conciliat. Opus eximium, ac diurna, nocturnáque manû omnium Religiosorum maximè Benedictinorum versandum.

— EJUSDEM PEZII *Bibliotheca Ascetica Antiquo- Nova Tomi XI. in* 8. *Ratisbonæ typis Joannis Conradi Pezii & Felicis Bader* ab anno 1723. ad 1735. Tomulus XII. & hujus Bibliothecæ Pezianæ ultimus licèt promissus fuerit, nondum tamen, quod sciam, publicam lucem aspexit. Majorem verò in modum hæc Bibliotheca Ascetica non viris tantùm doctis ac piis, sed summo etiam Pontifici placuit, quam eum ultrò expetiisse ferunt. In eadem verò non tantùm veterum à pluribus retrò seculis clarorum, sed etiam recentiorum nonnihil, siquidem egregii sint, *Ascetarum Opuscula*, hactenus inedita, aut saltem paucissimis cognita in lucem evulgantur, cùm, ut alibi Cl. Editor jam monuit, literaria monumenta, præcipuè Ascetica, non ex ætate, sed ex robore atque soliditate doctrinæ petenda sint. Ipsa verò Opuscula nullo hîc necessario, aut certo se ordine, ac nexu consequuntur, sed ut quodque citiùs aut tardiùs vel à Pezio, vel ab amicis suo, quo inter pulveres hucusque sorduêre, squalore liberari ac prælo aptari potuerunt. Initio cujusque Tomuli de vitâ, ætate, rebus gestis Auctorum, quorum labores publici juris facit Editor, paucis agit, nec dissimulat, ex quibus quæque Opuscula Bibliothecis, & cujus benevolentia, vel operâ è tenebris in lucem emergant. Quæ omnia non solùm ad conciliandam Auctoribus à Pezio in publicum elatis auctoritatem, sed etiam ad illustrandam & locupletandam Historiam Literariam non nihil factura existimavit. Nunc quæ per multa egregia vetera juxtà ac recentiora omnium generum, & argumentorum Opuscula singulis Tomis contineantur, recensere liceat.

Con-

Contenta Primi Tomi.

Anonymi, ut videtur, Cisterciensis, qui seculo duodecimo floruerit, elegans *Dialogus de conflictu Amoris Dei, & linguæ dolosæ*. p. 1.

Ven. Stephani de Lantzkrona seculo xv. Præpositi Monasterii S. Dorotheæ Wiennensis Ord. Can. Reg. S. Augustini *Tractatus de Quatuor Novissimis*. p. 27.

Venerab. Joannis Rhode, qui an. MCCCCXXXIX. Abbas S. Mathiæ Treviris Ord. S. Ben. obiit, *Liber de bono Regimine Abbatis*. p. 157.

Ven. Hilarionis Danichii MDCX. Prioris Carthusiæ Gemnicensis *Saul & David*, seu *Tractatus de Malis & Bonis Pastoribus*. pag. 205.

Ejusdem *Insignes Sermones Capitulares*. p. 345.

Contenta secundi Tomi.

Anonymi Benedictini, qui seculo xII. sub Friderico Barbarossa scripsit, insignis liber *de Pœnitentia & Tentationibus Religiosis*. pag. 1.

Ven. Petri de Rosenheim, anno MCCCCXIX. Prioris Mellicensis O. S. B. *Sermo de Statu vitæ Monasticæ sui temporis*. p. 81.

Ven. Michaëlis, Prioris Carthusiæ Pragensis, Gynacensis, & Agsbacensis, qui an. MCCCCI. decessit, *Dialogus de custodia Virginitatis*, in duos libros divisus. p. 95.

Ejusdem memorabilis liber, cui titulus: *Remedium abjecti Prioris*, & cujuscunque loco moti Officialis Religiosi. p. 227.

Ven. Hieron. de Werdea A. MCCCCLXIII. Prioris Lunælacensis seu Monseensis Ord. S. B. *Tractatus de Profectu Religiosorum*. p. 171.

Contenta tertii Tomi.

Ven. Engelberti Abbatis Admontensis, qui sub Rudolpho I. & Alberto I. Rom. Imperatoribus floruit, *Speculum Virtutum Moralium*, ad Gloriosissimos juvenes Austriæ Duces Albertum & Ottonem, Tractatibus xII. comprehensum.

Contenta quarti Tomi.

Anonymi perantiqui Ord. S. Ben. elegantissimus *Libellus de Stabilitate animæ*. p. 1.

Fr. Wernheri Lectoris Minorum Ratisbonensium, qui circa seculum xIII. floruit, *Liber Soliloquiorum*. pag. 41.

Ven. Stephani Prioris Carthusiæ Dolanensis, nunc Olomucensis, seculo xIV. clari *Apologia pro sacris Religionibus Monasticis adversus Hæreticos*. pag. 87.

Ven. Joannis de Spira, an. MCCCCXXX. Prioris Mellicensis *Libellus de Lectione spirituali* &c. p. 113.

Ven. Nicolai de Argentina, anno MCCCCLI. Prioris Carthusiæ Gemnicensis *Dialogus de recto Studiorum fine ac ordine &c.* p. 259.

Contenta quinti Tomi.

Ven. Antonii Volmari circa annum MDC. Prioris Carthusiæ Astheimensis *de Spirituali Perfectione*. pag. 1.

Ven. Mathiæ Mittneri an. MDCXVII. Carthusiani Prüelensis propè Ratisbonam *Enchiridion Carthusianum* &c. pag. 401.

Ejusdem *Paraphrasis Formulæ Professionis Carthusianæ*. p. 455.

Contenta Tomi Sexti.

I. Reverendissimi, Illustrissimi, & Excellentissimi Domini *Dominici Passionei*, Archiepiscopi Ephesini &c. *Sermones II. de Abbatis electione ritè ac sanctè instituenda*. pag. 1.

II. *Anonymi* Benedictini, qui videtur seculo xII. scripsisse, *Libellus de Conscientia*. pag. 29.

III. *Ven. Engelberti* Abbatis Admontensis, qui sub Rudolpho I. Imp. floruit, *Tractatus bipartitus de Providentia Dei* pag. 49.

IV. *Venerab. Henrici Arnoldi*, an. MCCCCLXXXV. Prioris Carthusiæ Basileensis *Dialogus de modo perveniendi ad perfectam Dei & proximi dilectionem*. pag. 1.

V. *Ven. Laurentii Wartenbergeri*, anno MDCXLVIII. Prioris Carthusiæ Waldicensis, postea Erfordiensis & Prüelensis *Contemplationes in vitam Christi, & præcipua fidei mysteria*. pag. 215.

Contenta Tomi septimi.

I. Reverendissimi, Illustrissimi, & Excellentissimi Domini *Dominici Passionei*, Archiepiscopi Ephesini &c. *Serm. III. de Regularis Præsidis electione, secundùm Regulam S. Benedicti instituenda*. pag. 1.

II. *Eckeberti* Abbatis Schönaugiensis Ord. S. Bened. qui anno MCLX. claruit.

claruit, *Opusculum de laude S. Crucis.* pag. 13.

III. Ejusdem *Soliloquium*, seu *Meditationes*. pag. 21.

IV. Ejusdem *Stimulus Amoris*. pag. 37.

V. *S. Bernardus* super Hymnum: *Jesu nostra redemptio*. pag. 63.

VI. *Ven. Engelberti* Abbatis Admontensis Ord. S. B. *Tractatus de Passione Domini secundùm Mathæum*. pag. 65.

VII. *Ven. Joannis Justitoris* seculo xv. Carthusiani Buxheimensis propè Memmingam, *Breviloquium*, *animi cujuslibet Religiosi reformativum*.

VIII. Ejusdem *Tractatus de evitandâ malâ Irâ*. pag. 351.

IX. *Ven. Jacobi de Paradiso*, Carthusiani Erfordiensis, qui an. MCCCCLXV. obiit, *Tractatus de causis multarum Passionum, præcipuè Iracundiæ, & remediis earundem*. p. 389.

X. *Ven. Bernardi de Waging*, Prioris Tegernseensis Ord. S. B. qui anno MCCCCLXXII. è vita excessit, *Remediarius contra pusillanimes & scrupulosos*. pag. 445.

Contenta octavi Tomi.

I. *Ven. Catharinæ de Geweswiler*, Priorissæ Subtiliensis, seu Unterlindensis Ord. S. P. Dominici Colmariæ in Alsatia *de Vitis primarum Sororum Monasterii sui Liber*. pag. 3.

II. *Mathiæ Thanneri* Carthusiani Friburgensis *Appendix de Vitis aliquot aliarum pietate præstantium ejusdem Ordinis Virginum è diversis MSS. Codd. collecta*. pag. 400.

III. *Ven. Irimberti*, seculi XII. Abbatis Admontensis, *de Incendio Monasterii sui, ac de vita & moribus Virginum Sanctimonialium Parthenonis Admontensis Ord. S. Bened. Narratio*. pag. 453.

IV. *Ven. Joannis de Ellenbogen* Abbatis Waldsassensis Ord. Cist. *de vita venerabilium Monachorum Monasterii sui Liber*. pag. 465.

V. *Anonymi* Benedictini a. MCCCC. *Epistola de consuetudine & modo vivendi Cœnobitarum Monasterii Sublacensis*. pag. 491.

VI. *Ven. Martini de Senging*, seculo xv. Prioris Mellicensis *Tuitiones pro observantia Regulæ S. P. Benedicti in Concilio Basileensi*. p. 503.

VII. Ejusdem *Epistola de Statû Monasterii Bursfeldensis Ord. S. B.* p. 550.

VIII. G. A. Archiepiscopi Thebarum *Epistola de recentiori statû Monasteriorum Congregationis Bursfeldensis & Benedictino - Bavaricæ sub titulo SS. Angelorum Custodum*. p. 556.

IX. *S. Joannis Capistrani* Ord. FF. Min. *Epistolæ duæ*: Prima *de Catholicæ fidei progressu in Moravia*, altera *de publicis & promiscuis balneis Religiosorum* cum *animadversione Thomæ de Paden*, *Prioris Mellicensis in eandem*. pag. 562.

X. *Udalrici de Weilhaim*, qui an. MCCCCLVIII. in Monasterio Diessensi Canonicus Regularis O. S. Aug. vixit, *Epistola de tribulationibus & procellis Monasterii sui*. p. 574.

XI. Cœnobitarum Mellicensium *Epistola Encyclica de obitû Ven. Nicolai de Mazen Abbatis & Reformatoris sui*, vita functi anno MCCCCXXVI. pag. 578.

XII. *Ven. Joannis de Welming*, an. MCCCCLIX. Abbatis Mellicensis *Epistolæ de restituenda universim in Ordine S. Benedicti Monastica disciplina, & procuranda rituum ac observantiarum conformitate*. p. 581.

XIII. *Ven. Caspari Aindorffer*, anno MCCCCLX. Abbatis Tegernseensis *Epistola ejusdem argumenti*. p. 588.

XIV. Cœnobitarum Tegernseensium *Epistola Encyclica de obitû prædicti Abbatis sui Caspari*. p. 589.

XV. *Bernardi de Waging*, anno MCCCCLXI. Prioris Tegernseensis *Epistola de ejusdem Abbatis obitû & electione Conradi V. ejusdem loci Abbatis*.

XVI. Ejusdem *Conradi* Abbatis Tegernf. *Johannis* Abbatis Mellicensis, *Melchioris* Abb. S. Udalriciani Aug. Vind. &c. *Epistolæ de unione Monasteriorum O. S. Ben. in Germania*. p. 601.

XVII. *Ven. Johannis de Weilhaim* Prioris Mellicensis, qui an. MCCCCLXXII. mortuus est, *Vita & Scripta cum Appendice*. pag. 629.

XVIII. *Johannis III.* Episcopi Eystettensis *Historia Reformationis Monasterii S. Walburgæ Ord. S. Bened.* pag. 650.

XIX. *Anonymi Carmen Rhythmicum vetus de miseriis Ordinis Monastici*. pag. 671.

Contenta Tomi IX.

I. *Rufini* Episcopi incertæ Sedis, qui anno MLVII. floruit, *de Bono Pacis Libri II.* pag. 3.

II. *Engelberti* Abbatis Admontensis Sec. XIII. *Tractatus de Statû defunctorum*. pag. 113.

III. *Ven.*

III. *Ven. Francisci* Reformatoris Monasterii Castellensis, Ord. S. B. anno MCCCCV. clari, *Opusculum de Monacho ad exemplum Christi crucifixo.* pag. 195.

IV. Ejusdem *Libellus Epistolaris Quæstionum Regularium de vita sanctimonialium Virginum.* p. 217.

V. *Gregorii* de Sclavonia anno MCCCCXI. Canonici Turonensis *Liber de tuenda Virginis Deo consecratæ sanctimonia.* pag. 255.

VI. *Ven. Nicolai* de Argentina Prioris Carthusiæ Gemnicensis Sec. xv. *Tractatus de Discretione.* p. 379.

VII. *Anonymi* Carthusiani, qui seculo xv. vixit, *Dialogus de Institutione & exercitiis cellæ.* pag. 533.

VIII. *Ven. Matthiæ Mittneri*, Carthusiani Prüelensis propè Ratisbonam *Tractatus de indivisibili, & unicè uno puncto instituti Carthusiani.* pag. 591.

IX. *Joannis Mabillonii* Presbyteri & Monachi è Congreg. S. Mauri *Breve Scriptum de Monasticorum studiorum ratione ad juvenes studiosósque Congregationis suæ.*

Contenta Tomi X.

I. *S. Hugonis* Episcopi Lincolniensis in Anglia Ord. Carthusiani Vita ab Adamo, ut videtur, Monacho Monasterii S. Augustini Cantuariensis ejusdem Capellano Ord. S. B. *Libris V. conscripta, & ab Anonymo Carthusiensi seculo minimùm XIV fideliter ac retenta primigenia phrasi in compendium relata* cum notis & observationibus. pag. 3.

II. *Placidi* Abbatis Augiæ Majoris Brigantinæ O. S. B. *de vita & Martyrio B. Fidelis à Sigmaringen* Ord. FF. Minor. Capucinorum Relatio historica. pag. 403.

Contenta Tomi XI.

Ven. Nicolai de Argentina Prioris Carthusiæ Gemnicensis, *Expositiones Mysticæ, in Cantica Canticorum* Libri VIII. ex mss. Codd. Carthus. Gemnicensis & Scitzensis.

Contenta Tomi XII.

Est hic Tomus posthumus & ultimus continuatio prioris, complectitúrque posteriores libros IV. *Expositionis Mysticæ in Cantica Canticorum* Nicolai de Argentina.

CONSTANTINI CAJETANI Collectiones, quarum pleræque adhuc in Mſ.tis asservantur. Venetiis in Bibl. D. Georgii Martyris, viz.

1.) *Opuscula diversa veterum Patrum*, Tom. III.

2.) *Bibliotheca Benedictina Aniciana* veterum Patrum Doctorúmque Benedictinorum libris nondum evulgatis exornata tom. 3. ingentibus sumptibus & laboribus collectis, in quos rariores antiquitatis & eruditionis thesauros congessit.

3.) *Opuscula quædam S. Ambrosii Autperti* Abbatis S. Vincentii de Vulturno propè Capuam.

4.) *Opera S. Brunonis Signiensis Episcopi* tomis 4. comprehensa, notis illustrata, quæ posteà Venetiis typis tradidit D. Maurus Marchesius è Congr. Casin.

5.) *Opuscula & Epistolæ* S. Columbani, Abbatis Bobiensis cum notis & argumentis. Vid. Armell. de hac Collectione Bibl. Casin. part. 1. pag. 131.

§. VI.

Editiones & Versiones Sanctorum Patrum, veterúmque Auctorum qui adornârint.

JACOBUS BILLIUS PRUNÆUS, Abbas S. Michaëlis in Eremo (*S. Michaël en l'Erm*) vir Græcè ac Latinè doctissimus, Theologus, Jurista, Mathematicus, ac Poëta insignis ad sacra studia totus incubuit. Præter Gregorii Nazianzeni, Isidori Pelusiotæ libros, & aliquot Joannis Chrysostomi & Basilii Tractatus ex Græco scitissimè, fidelissiméque Latinè reddidit S. Jo. Damasceni Opera, atque Parisiis an. MDLXXVII. in fol. prælo subjecit. Cui editioni præter ea, quæ in editione Græco-Latina Basileæ an. 1575. obvia sunt, primùm accesserunt Latinè tantùm Paralella Sacra Physica, Vita S. Stephani junioris, & Octoechus; Græcè verò & Latinè Oratio de Christi transfiguratione, & de Nativitate B. Mariæ Orationes tres. Hæc editio, de qua in Apparatu Sacro Possevinus, non sine auctario recusa est Parisiis an. 1603. & 1619. curante Frontone Ducæo. Vid. Fabric. Bibl. Græc. vol. 3. pag. 777. Eo verò potissimùm nomine hasce Patrum versiones ac editiones aggressus est, ut effrænem hæreticorum, in contemnendis Sanctorum Patrum & veterum Theologorum Operibus audaciam retunderet, quemadmodùm ipse testatur in Epistola nun-

nuncupatoria ad Cardinalem Carolum Borbonium, Rhotomagensem Archiepiscopum his elegantissimis verbis, quæ doctissimus Amat de Graveson Historiæ suæ Ecclesiasticæ ad excitandos Juvenes ad lectionem Operum sanctorum Patrum & veterum Theologorum inserere operæ pretium duxit: *Inter plurimas Notas*, inquit ille doctissimus Abbas, *quæ orthodoxos ab hæreticis dirimunt, hanc vel inprimis numerandam haud immeritò quispiam censuerit, quòd illi veteres Theologos tanquam parentes colunt, ac suspiciunt, eorum vestigiis hærent, in eorum lucubrationibus ingeniique monumentis libenter versantur, ab eorum placitis vel transversum unguem sibi minimè discedendum putant. Hi contrà celeberrimos etiam quosque Patres, atque tum doctrina, tum admirabili vitæ sanctitate ac pietate præditos, inaudito supercilio aspernantur, ac velut de ponte dejiciunt, eos nunc probris & maledictis incessunt, nunc sannis ac dicteriis impetunt; id denique modis omnibus agunt, ut eos, quos errorum suorum laqueis implicitos tenent, à præstantissimorum Authorum lectione dehortentur. Quos enim errores hac miserrima tempestate ab orco revocârunt, hos à veteribus Theologis confossos & jugulatos esse minimè ignorant, ut jam non tam hæresium inventores, quàm sepultarum effossores dici possint. Cùm igitur in sanctissimorum Virorum scriptis nobis certissimum præsidium constitutum, sibi crucem defixam, paratámque ruinam esse perspiciant, idcircò eos tanquam firmissimos Catholicæ fidei propugnatores infensissimo animo aversantur, ac de omnibus manibus sublatos cupiunt &c.* Utinam omnes Theologi, exclamat laudatus *Gravesonius*, semper præ oculis haberent hæc, & alia id genus præclara documenta, quæ in hac Epistola Nuncupatoria Operum S. Joannis Damasceni suppeditat clarissimus ille Scriptor Jacobus Billius Prunæus, qui ob singularem linguæ Græcæ peritiam, & omnigenam eruditionem doctorum Virorum seculi XVI. maximam sibi venerationem comparavit. Obiit Parisiis anno 1581. ætatis 48. & ad S. Severini sepultus est.

PETRUS PESSELIRÆUS, Monachus Autissiodorensis S. Germani, ex monasterii sui Bibliotheca Comentarium Claudii Taurinensis in epistolam ad Galatas eruit, & Ludovico Lotharingo, Abbati suo an. 1542. nuncupatum typis vulgavit. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. p. 147. Edidit etiam Pesselíræus *Rabani Mauri* Commentaria in Ecclesiasticum. Parisiis anno 1544. in fol.

AMBROSIUS FERRARIUS, Italus, Mediolanensis, è Congr. Casin. Abbas Monasterii S. Benigni Genuæ *Origenis Commentaria in Joannem* ex Græco in Latinum sermonem à se translata, & tribus voluminibus comprehensa typis excudi curavit Venetiis anno 1552. operâ Andreæ Spinelli. Quæ iterùm Rothomagi anno 1668. in secunda parte Operum Origenis, quæ Græco-Latina edenda curavit V. C. *Petrus Daniel Huetius*, qui in prima parte Origenianorum l. 3. pag. 453. sic habet:

„AMBROSIUS FERRARIUS, Monachus Casinas, interpretatus est Origenem in Joannem secundùm exemplar Venetum Bibliothecæ S. Marci, quod in tomos 32. aliquot tamen lacunis abruptos divisum erat, sed hæc divisio confecta erat, ut ex Sixto Senensi, à quodam Græculo, ut librum majori pretio venderet tali adjuncto; nam constat ex 32. illis tomis ab Origene in Joannem exaratis, plures periisse, & tantùm novem disjunctos, & disruptos extare, ut palàm fit ex codice Bibliothecæ Regiæ Parisiensis; Itaque triginta illi, & duo tomi, vel libri à Ferrario translati non sunt aliquid amplius, quàm illi novem ab impostore in 32. immensis lacunis vacuos, & divisos; quam tamen fraudem ipse etiam Ambrosius, utpote vir eruditus, odoratus fuit. „ Hæc Huetius apud Armell. Bibl. Scriptor. Congr. Casin. part. 1. p. 14.

HILARION A VERONA, SS. Nazarii & Celsi ibidem alumnus an. 1464. ex Græco Latinè reddidit *S. Dorothei* Abbatis *Doctrinas de vita rectè instituenda*, quæ ab ejus obitu in lucem emissæ fuerunt à Laurentio Vicentino Monacho è Congr. Casin. Extant in Bibl. Patrum edit. Lugdun. tom. 5. pag. 992.

LUCAS BERNARDUS, Italus, Brixiensis, S. Justinæ Patavinæ Monachus an. 1495. Græcæ Latinæque linguæ studio insignis in Latinum è Græco sermone transtulit *Homilias octoginta D. Joannis Chrysostomi*, quæ impressæ sunt Basileæ Rauracorum, anno 1508. tomis duobus in fol. Hæc translatio laudata fuit Petro Baroccio, Episcopo Patavino, ad calcem Tomi IV. Operum S. Jo. Chrysostomi editionis

tionis Frobenianæ an. 1590. Armell. l. c. part. 2. pag. 77.

GILBERTUS GENEBRARDUS, Parisiensis Theologus, neque vulgare Gallicanæ Ecclesiæ ornamentum, præter innumera, quæ seculo præcedente scripsit volumina, quorum vel recensere titulos prolixum esset, collectanea de vita & scriptis Origenis dedit, novâque & ampliori editione, quàm quæ Merlini fuit, omnia illius Opera Caroli IX. Francorum Regi dicata edidit in fol. duobus magnæ molis voluminibus Merlinianæ editioni adjectis, atque correctis anno 1574. ex officina Lhuillieri. Obtinuit ubique Genebrardina Origenis impressio, quæ iterata tum Basileæ anno 1581. & 1620. tum Parisiis semel & iterùm annis 1604. & 1619. Vid. Oudin. Coment. de S. E. Tom. I. p. 231. Conferri etiam potest Labbeus, qui hanc Editionem diligenter recenset.

— EJUSDEM studio è Bibliotheca Lerinensi editæ fuerunt D. Hilarii Arelatensis Episcopi Oratio funebris de S. Honorato, & D. Eucherii Lugdunensis Oratio de Laudibus Eremi; & Fausti Episcopi Reginensis instructio ad Monachos. Parisiis typis Ægidii Gortini anno 1578. in 8.

CHRYSOSTOMUS CALVINI à S. Gemiliano, Calaber, Monachus Casinas, præter plures Tractatus de Græca in Latinam linguam transtulit *Sermones XXI. S. Dorothei* Venetus impressos an. 1574. apud Bologninum Zalterium.

JACOBUS DU BREUL, Monachus S. Germani à Pratis post Margarinum Bignæum, & Joannem Grialum *Opera S. Isidori*, Archiepiscopi Hispalensis, anno 1601. Parisiis edidit, in qua præfationes Madritensis editionis omissas ægrè ferunt Colomesius & alii. Hæc tamen editio recusa est Coloniæ 1617. cujus ordinem Cl. Fabricius in Scriptis Isidori recensendis sequutus est. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 9. p. 541.

MAURUS MARCHESIUS, Siculus, Panormitanus, Monachus in Cœnobio Montis Regalis è Congr. Casin. per typos juris publici fecit *Sancti Brunonis* Astensis, ex Abbate Casinensi Episcopi Signini Opera omnia tom. 2. in fol. Venetiis apud Bertanos 1651. Fuerunt etiam impressa Romæ anno 1655. & Lugduni anno 1678. apud Anissonios in Bibl. Max. PP. tom. 20. p. 294. ex recensione nimirùm Mauri Marchesii. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 101.

MAXIMUS MASI, nobilis Florentinus, in S. Mariæ Cœnobio Florentiæ Professus, Literarum & linguarum, præsertim Græcæ & Hebraicæ peritia conspicuus *Aretæ Cæsariensis Episcopi Commentaria in Apocalypsin* de Græco in Latinum sermonem transtulit, quæ Basileæ anno 1553. in 8. impressa fuerunt. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 107.

LEANDER A S. MARTINO, Præses Generalis Congregationis Anglicanæ, edidit *Arnobii libros VII. Disputationum adversùs Gentes* cum Godescalchi Steuvecchii Notis electis, quibus Editor adjecit paratitla, seu breves Summulas. Duaci Balthas. Beller an. 1634. in 8.

JOACHIMUS PERIONIUS, Gallus, Cormeriacensis, *Opera S. Justini* Latine interpretatus in lucem publicam dedit Parisiis apud Jacobum Puteanum in fol. anno 1554. addidit etiam Notas & Observationes.

GEORGIUS GALOPIN, Belga, Monachus S. Gisleni *Commentarios in Pentateuchum* sub nomine S. Brunonis, Herbipolensis in Francia Orientali Episcopi primùm edidit, Notisque illustravit, anno 1648. Duaci in 4. Plura alia Opera in lucem asseruit, quæ vide apud Foppenium in Bibl. Belg. pag. 338.

ALARDUS GAZÆUS, Cœnobita Vedastinus, & ad S. Michaëlem juxtà Atrebatum Præpositus, omnia *Cassiani Opera*, quæ S. P. Benedictus sua in Regula *Collationes Patrum* indigitavit, suisque Discipulis semel atque iterùm impensè commendavit, cum Notis & Censuris edidit in 8. Tom. II. Duaci an. 1617. & ex iterata recognitione, Notisque auctioribus Atrebati 1623. in fol. Parisiis an. 1647. in fol. & novissimè Lipsiæ an. 1722. in fol. apud Thomam Fritsch. Opera Cassiani ex Gazæi recensione, sed sine Notis obvia etiam in Bibliotheca Patrum edit. Lugdun. Tom. VII. Cæterùm Cassiani lectio, inquit Mabillonius, perquàm utilis erit ad dignoscendum priscum Monachicæ conditionis fervorem, & quia facili procedit methodo, gestis námque, ac exemplis passim, jucundéq; intermiscetur, tyronum ideò captui erit accomodatior; præterquàm quòd Collationes hujusce Auctoris Dialogorum adinstar sunt distinctæ. Porrò Gazæi Commentaria ad obscuriora ejusdem loca declaranda inservient; unde ea etiam omnia facilè poterunt animad-

vertere, aliquibus subjectis censuris. Hæc sibi Magistri Novitiorum notent, & velim, & rogem.

VIRGINII VULSECHII è Congreg. Casin. *Excerpta S. Hippolytum* spectantia, cum hujus S. Patris Operibus vulgavit Jo. Alb. Fabricius Hamburgi an. 1716. & 1718.

HUGO MENARDUS, Gallus, Blesensis, è Congr. S. Mauri edidit

-- Anno 1638. ex Bibliotheca Floriacensis Monasterii *Concordiam Regularum, auctore S. Benedicta Anianæ Abbate*, Notis & Observationibus illustratam in 4. Parisiis an. 1638.

-- Anno 1642. imprimi curavit *S. Gregorii Papæ I. Librum Sacramentorum* cum Notis & Observationibus in 4. Parisiis apud Dionysium Bechet. Hæ Notæ & Observationes eruditissimæ recusæ sunt in nova Operum S. Gregorii editione à Benedictinis è Congr. S. Mauri anno 1705. publicata Tomo III.

-- An. 1645. post mortem Menardi lucem publicam vidit Opus ejus posthumum, *Epistola S. Barnabæ Apostoli* Græcè & Latinè, cum Notis sacræ eruditionis refertissimis, Lutetiæ Parisiorum apud Simeonem Piget anno 1645. in 4. quæ denuò publicatæ fuerunt in Operibus SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, volumine primo Antverpiæ an. 1700. fol. Vid. Jour. de Sçav. du 9. Mars 1665. & Jugemens des Sçavans Tom. 2. pag. 461. le Cerf Bibl. Hist. Crit. p. 357.

LUCAS ACHERIUS è Congr. S. Mauri præter Opera B. *Lanfranci* & V. *Guiberti* in lucem dedit *Regulam Solitariorum*, sive *Exercitia, quibus ad pietatem, & ad ecclesiastica munia instruebat Candidatos seculo circiter nona Grimlaicus Sacerdos*, in 12. Parisiis anno 1553.

CLAUDII CHANTELOU è Congr. S. Mauri operâ & studio in lucem prodierunt *S. Bernardi Abbatis Claravallensis Parænet. con Pars I.ma; Sermones de Tempore, ac de Sanctis complectens, quibus præmittitur Vita Sancti ejusdem per Alanum Episcopum Autissiodorensem composita; postponitur verò vita S. Malachiæ Episcopi Couverth à S. Bernardo conscripta in 4. Parisiis an.* 1662.

Item S. Basilii Cæsareæ Cappadociæ Archi-Episcopi Regularum fusiùs disputatarum Liber in 8. 1664.

JOANNES MABILLONIUS è Congr. S. Mauri Operum S. Bernardi quatuor editiones præ aliis magis emendatas, magísque locupletes accuravit, Notis etiam ac Observationibus illustratas; primam in fol. II. Volum. Parisiis 1660. apud Fridericum Leonard in fol. 2. vol. & ibidem alteram eodem anno in 8. novem volum. Item ibidem secundis curis an. 1690. in fol. II. volum. quam Alexandro VIII. nuncupavit; jámque quartam publico exhibiturus erat, cùm pio conatui mors intercessit; à cujus obitu manum eidem addiderunt *Renatus Massuet*, & *Franciscus Tixier*, sed cùm prior anno 1716. è humanis excessisset, anno primùm 1719. Parisiis prodiit 2. volum. in fol. Juxtà quam editionem novissima in fol. tribus voluminibus comparuit Veronæ an. 1726. & 1727. ita ut sincera & genuina Bernardi Scripta primum & secundum expleant, loco appendicis iis adjectis, quæ *Edmundo Marthene* non ità pridem in lucem asserta fuerunt. Cardinalis Bona ubi vel primam editionem an. 1666. viderat, hæc ad Mabillonium scripsit: *Ex Præfatione, quam primo tomo præfixisti, & ex Notis, quas sparsim addidisti, evidenter agnoscitur multiplex eruditio tua, acerrimum judicium, styli puritas & perspicuitas.* Procul dubio Mabillonius omnium accuratissimam editionem de novo elaboràsset, nisi mors consilia disturbàsset. Intereà ipsius monitum alta mente reponant velim omnes Ordinis nostri Sodales: *Ex omnibus*, inquit, *libris, quos possunt aut debent Monachi evolvere, nullus post sacra volumina superest, qui majori queat ipsis esse emolumento, quémque præ manibus magis habere teneantur, quàm Opera Divi Bernardi; hoc enim pabulo proprias oportebit ut nutriant animas omni vitæ tempore, nec ipsis unquam licebit eximii hujus Monachorum Magistri lectionem interponere, nisi ut eandem quamprimùm jucundiùs & avidiùs resumant; in hunc quippe mixta fluunt, quæcunque alibi dispersa occurrunt, nimirùm soliditas, venustas, varietas, proprietas, brevitas, fervor, & energia sermonis; Quin imò asserere ausim vix alterum inventum iri, quem Deus ad Ascetarum mores reformandos peculiariùs adlegerit, quíque feliciùs muneris hujus partes absolverit viro isto præstantissimo.* Tract. de Stud. Mon. part. 2. c. 3. §. 2. p. mihi 117.

S. Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi Opera omnia, post Lovaniensem Theologorum recensionem castigata denuò ad manuscriptos Codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos

cos

cos &c. nec non ad editiones antiquiores & castigatiores, fol. Parisiis typis Francisci Muguet Tom. XI. quorum chronologicam editionē & ordinem sic signat Philipp. le Cerf. I. & II. 1679. III. 1680. IV. 1683. V. 1684. VI. & VII. 1685. VIII. & IX. 1688. X. 1690. XI. *in quo sancti Augustini Vita ex ejus potissimum scriptis concinnata, nec non Indices generales tum in Opera sancti Doctoris, tum in alia, quæ in appendices rejecta sunt; Index quoque Alphabeticus Operum S. Augustini; distributio nova eorundem Operum comparata cum editione Lovaniensi; Nonnulla denique addenda & corrigenda.* Ibidem 1700. Editioni huic adornandæ viginti annis post *Franciscum Delfau* aquis submersum D. *Thomas Blampin*, D. *Petrus Coutant*, D. *Claudius Guesnie*, quorum duo posteriores Indicem Generalem confecerunt. *Joannes Mabillonius* author est Præfationis Generalis, quâ nullam tamen, aut certè quidem non summam gratiam à Sodalibus suis inivit, attestante citato *Cerfio*, apud quem etiam leges historiam controversiæ, seu potiùs criminationis à personato Abbate Germano (Patre *Daniele Jesuita*) motæ adversùs hanc à Benedictinis adornatam editionem. Contra verò, judice Casimiro Oudino, tametsi Apostata, & Calvini asseclа Tom. I. de Scriptor. Eccles. pag. 958. *Thomæ Blampino*, & *Petro Coutantio* ob castigatissimam & elegantissimam hanc editionem & Ecclesia & Respublica Literaria plurimum debet, æternúmque debebit.

Cæterùm editio iterata fuit Parisiensibus typis; novissimè etiam recusa Venetiis formis æneis Jo. Bapt. Albritii an. 1733. in qua nonnulla S. Augustini Opera collata exhibentur cum MS.to antiquissimo Bibliothecæ Capituli Veronensis. Nec silentio prætereunda est Antwerpiensis veriùs Amstelodamensis editio Tomis XII. comprehensa, anno 1703. In ultimo tomo præter alia habentur *Joannis Clerici*, sub *Phereponi* nomine delitescentis, *Animadversiones* in omnia S. Augustini Opera. In his Criticus, exuto omni pudore, S. Doctori diem dicit, atque in illum non censoria modò virga, sed contumeliis & flagris insolentissimè debacchatur. Vindicias pro Augustino edidit *Lamindus Pritanius*, i. e. *Ludovicus Antonius Muratorius* in præcedenti, & verè aureo Opere, tertiùm recuso, *De ingeniorum Moderatione in Religionis negotio.*

S. AUGUSTINI *Episcopi Hipponensis, ad Optatum Episcopum Milevitanum, de Natura & Origine animæ Epistola secunda. Accessit ejusdem S. Augustini Epistola de Pœnis Parvulorum, qui sine Baptismo decedunt, scripta ad Petrum & Abraham.* Edidit Godefridus Beselius, Abbas Gottwicensis ex Monasterii sui Bibliotheca Viennæ Austriæ apud Jo. Adam Schmidium 1733. fol. Tres *Augustini* de hoc argumento (*origine animæ*) extitisse ad Optatum Epistolas, patet ex *Fulgentii Lib. III. de Veritate Prædestinat. & Gratiæ Cap.* 18. Secundam Epistolam Abbas *Beselius*, & evocatus in suppetias perquirendarum membranarum veterum R. P. Pezius de Republica literaria immortalem in modum meritus, anno 1732. adulta æstate invenerunt in Codice Bibliothecæ Gottwicensis membranaceo, cujus scriptio ad seculum XII. referenda. In codice eodem post secundam Augustini ad *Optatum* Epistolam supererat alia, æque inedita ad *Petrum & Abraham*, quos Præsul Hipponensis *Dominos dilectissimos & sanctos filios vocat*, quosque prædicat eo, quod sic instituerant vitam, quâ Deo serviebant, ut legendis scriptis, adversùs Pelagianos, Ethnicósque concinnatis vacarent. Pluscula quæsierat uterque ex *Augustino*, inprimis, an Parvuli, qui nihil malè vivendo addiderint ad originale peccatum, ante susceptum Baptismum defuncti à Deo condemnentur? Hoc ipsum & in responsoria hac & alibi *Augustinus* promptè constantérque affirmat, eo quòd non credentes condemnentur. Vid. Acta Erudit. Lips. m. April. anno 1734. p. 157. Cæterùm binæ hæ Epistolæ Parisiis, accurante D. *Jacobo Martin* è Congr. S. Mauri recusæ fuerunt in officina Raymundi Maziers an. 1734. in fol.

S. AMBROSII *Mediolanensis Episcopi Opera omnia ad Mss. Codd. Vaticanos, Gallicanos, Belgicos &c. nec non ad veteres editiones emendata fol. Tom. II.* quorum prior 1686. prodiit Parisiis apud Jo. Bapt. Coignard, alter apud eundem an. 1690. operâ & studio *Jacobi du Frische*, & *Nicolai Nourry* è Congr. S. Mauri. Sed cùm hæc editio numeris omnibus non esset absoluta & perfecta, ad novam publico exhibendam se accinxit D. Ludovicus *l'Emeraubt* ex eadem Congr. quam tribus comprehensam tomis prælo vel jam subjecit, vel proximè subjiciet, ut fidem facit *le Cerf.*

PETRUS

PETRUS COUTANTIUS è Congr. S. Mauri est, cui in acceptis referre debemus *S. Hilarii Pictavorum Episcopi Opera* ad manuscriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones castigata; aliquot aucta Opusculis, præviis in locos difficiles Disputationibus, Præfationibus, Admonitionibus, Notis, nova S. Confessoris vita & copiosissimis Scripturarum, Rerum, Glossarum Indicibus locupletata, & illustrata, fol. Parisiis typis Francisci Muguet 1693.

JOANNES MARTIANAY è Congr. S. Mauri novam *Operum S. Eusebii Hieronymi Stridonensis Presbyteri* editionem publico exhibuit 5. volum. in fol. Tomus I. prodiit Parisiis 1693. cui Canones Evangeliorum inserti sunt, quos P. Antonius Pouget mirâ dexteritate restituit. II. ibidem 1699. III. ibid. 1704. In hujus Tomi editione D. *Nicostratus Bara* Martianæum adjuvit. IV. & V. ibid. 1706.

BERNARDUS MONTFAUCONIUS è Congr. S. Mauri *Opera omnia S. Athanasii, Archiepiscopi Alexandrini*, quæ extant, vel quæ ejus nomine circumferuntur, ad mss. codices Gallicanos, Vaticanos &c. nec non ad Commelianas lectiones castigavit, multis auxit, nova interpretatione, præfationibus, notis, variis lectionibus illustravit: nova S. Doctoris vita, Onomastico, & copiosissimis Indicibus locupletavit, fol. Tom. III. Parisiis, sumptibus Joannis Anisson 1698. Versio magnam partem debetur Domno Jacobo Loping, Montfauconis Socio. Synopsin utilissimæ præfationis exhibet le Cerf. Vid. recensionem Fabricii Bibl. Græc. l. 5. p. 300.

THEODERICUS RUINART Opera omnia *S. Georgii Florentii Gregorii Episcopi Turonensis* prælo subjecit f. Paris. apud Franc. Muguet 1699. Fecit etiam publici juris Victoris Vitensis Episcopi libros v. Paris. apud Muguet 1694. in 8.

JOANNES MABILLONIUS S. Bernardi de Consideratione libros v. ad Eugenium III. Pontif. jussu Clementis XI. Pontif. Max. edidit Parisiis 1701. in 8.

RENATUS MASSUET è Congreg. S. Mauri fuit, cujus insigni labore & studio typis excusi fuerunt *Sancti Irenæi Episcopi Lugdunensis & Martyris; Detectionis & Eversionis falsò cognominatæ Agnitionis, seu contra Hæreses Libri quinque, post Francisci Fevardentii, & Joannis Ernesti Grabæ recensionem castigati denuo ad MSS. Codices Romanos, Gallicanos, & Anglicanos, nec non ad antiquiores editiones, & à multis, quibus adhuc scatebant, mendis expurgati: aucti novis Fragmentis Græcis, observationibus ac notis, copiosissimisque Glossariis, & Indicibus illustrati, & locupletati; quibus omnibus præmittuntur tres Dissertationes, in quibus hæ res ab Irenæo memoratæ, & loci difficiles explicantur, ejúsque vitæ ac gestorum historia discutitur.* Parisiis 1710. typis & sumptibus Jo. Bapt. Coignard Regis Architypographi ac Bibliopolæ Ordinarii via S. Jacobi ad insigne Bibliorum aureorum.

NICOLAUS NOURRIUS è Congr. S. Mauri *Lucii Cæcilii librum ad Donatum Confessorem de mortibus persecutorum*, hactenus Lactantio adscriptum ad Colbertinum codicem denuo emendavit. Accessit Dissertatio, in qua de hujus libri Autore disputatur, & omnia illius loca dubia illustrantur, 8. maj. Parisiis apud Jo. Bapt. Delespine 1710. Non persuasit verò Nourrius suam senrentiam Mathurino Veyssiere de la Croze, olim è Congr. S. Mauri, tunc verò Regis Prussiæ Bibliothecario, qui edita Dissertatione Nourrium acriter impugnavit. Extat illa Parte I. Tom. VII. du *Journal Literaire de la Haye*. Vid. Histoire de la Vie & des Ouvrages de Mr. la Croze pag. 137.

Sancti Patris Nostri Chrysostomi, Archiepiscopi Constantinopolitani Opera omnia, quæ extant, vel quæ ejus nomine circumferuntur. PRÆFATIO. Parisiis 1717. in 8. pag. 40. Hæc est generalis Præfatio ad Opera S. Chrysostomi, quam Bernardus Montfauconius primò vulgavit, tum ipsius Operibus postmodùm præfixit. Opera verò ipsa S. Chrysostomi XIII. volum. in fol. comprehensa non uno anno, sed I. & II. anno 1718. III. IV. 1721. Tomi cæteri novem, quorum postremus est decimus tertius, anno 1738. ineunte completi & absoluti fuerunt. Anno 1734. Venetiis recusa fuerunt. In Tomo I. continentur Scripta minora, in sequentibus expositiones S. Scripturæ, in decimo reliquiæ Photianæ, & aliorum, in undecimo præter testimonia Veterum de Chrysostomo, quinque *Considerationes*; quarum prima tractat de Scriptis Chrysostomi manuscriptis, & eorum editionibus, Altera de illius libris deperditis. Tertia de doctrina Sancti hujus Patris. Quarta de disciplina Ecclesiastica, quæ illius tempore viguit. In quinta denique res varii argumenti per-

pertractantur. Quibus accedunt Vitæ aliquot S. Chrysostomi à diversis scriptæ. Quàm accurata sit hæc editio, quantóque labore ac studio constiterit, ex eo existimare licet, quòd non ipse tantùm Montfauconius illius causa iter Italicum susceperit, quò manuscriptos codices pervidere posset, sed Sodales nonnulli Superiorum jussu plus quàm trecentos manu exaratos codices tum in Regia tum Coisliniana Bibliotheca pervolutârint; ut de suppetiis, quas amici in Anglia, & Germania tulerunt, nihil dicatur.

ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTEE è Congregatione S. Mauri *S. Cyrilli, Archiepiscopi Jerosolymitani Opera omnia Græco-Latina*, quæ extant, & ejus nomine circumferuntur, ad manuscriptorum fidem exegit, & typis exprimenda reliquit, quæ ab ejus obitu D. Prudentius Maran ejusdem Congr. Sodalis Parisiis an. 1720. sumptibus D. Jacobi Vincent uno volumine in fol. publicavit. Cùm verò hæc editio à Patribus Jesuitis in Memoriis Trivoltiensibus an. 1721. acriter fuisset oppugnata, Domnus Maran permissum sibi esse credidit, ut eâdem acrimoniâ iisdem respondens *Touttei* editionem defenderet; id quod fecit emissa in lucem Dissertatione an. 1722. cui titulus: *Dissertatio de Semi-Arianis, in qua defenditur nova editio S. Cyrilli Jerosolymitani contra Authores Memoriarum Trivoltiensium.* Vid. le Cerf pag. 294. & 477.

S. Thascii Cæcilii Cypriani Martyris & Episcopi Carthaginensis Operum editio, quam V. C. *Stephanus Baluzius*, collatis editionibus, & codicibus mss. plusquàm triginta adornaverat, morte autem interceptus prælo subjicere haud poterat, opera & studio *Prudentii Maran* è Congreg. S. Mauri in lucem prodiit, præmissis de vitâ & doctrina S. Cypriani prolegomenis, Parisiis 1727. fol. Eadem editio repetita fuit 1728. fol. Venetiis.

JULIANUS GARNIER è Congreg. S. Mauri *S. Basilii Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi Opera omnia*, quæ extant, vel quæ ejus nomine circumferuntur, ad Mss. Codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, & Florentinos, nec non ad antiquiores editiones castigata, multis aucta, nova interpretatione, præfationibus, notis, variis lectionibus illustrata, critices ope Basilio aut asserta, aut dempta; nova S. Doctoris vita, & copiosissimis indicibus locupletata, in tres tomos in folio divisa evulgavit Parisiis, & quidem Tomum I. an. 1721. II. 1723. III. 1730.

CAROLUS DE LA RUE è Congreg. S. Mauri *Origenis Opera omnia*, quæ Græcè vel Latinè tantùm extant, & ejus nomine circumferuntur, Tomis IV. comprehensa prælo paravit, è quo Tomi duo priores in fol. Paris. 1733. tertius 1740. exiverunt; quartus & ultimus sequetur. Præter vitam Origenis multæ eruditæ Dissertationes accesserunt.

PRUDENTIUS MARAN è Congr. S. Mauri *S. Justini Philosophi & Martyris, Tatiani, Athenagoræ, S. Theophili Antiocheni Opera*, quæ extant omnia cum Hermiæ adversùs Gentiles libello ad Mss. Codd. recognita, novâ interpretatione, præfatione, ac indicibus copiosis illustrata publicæ luci dedit in fol. Paris. 1739. Idem V. C. perfecit novam editionem Operum S. Cypriani inceptam à Domino Balluze, & vitam ejusdem Sancti composuit in fol. Paris. 1730.

JOANNES BAPTISTA MALINGHEN, & EDMUNDUS DURET è Congr. S. Mauri sunt, à quibus novam Operum Tertulliani editionem exspectare nos jubet le Cerf in Catalogo Operum Ecclesiæ Patrum, quæ à Monachis Benedictinis Congregationis San-Maurianæ in lucem data fuerunt. Celeberrimus verò Montfauconius in Catalogo Mscto Scriptorum ejusdem celeberrimæ Congreg. mecum communicato Domnum *Petrum Carpentier* in eadem adornanda occupari scribit.

DD. TOUSTAIN & TASSIN è Congreg. S. Mauri S. Theodori Studitæ Operum multorum, quæ nondum lucem viderant, editionem parant Rotomagi in Normannia, sed nihil dum sub prælo sudat. Cl. *Montfauconius in literis 1738. die 6. Junii ad me datis.*

JOANNES GELE è Congr. S. Mauri *Joannis Carnotensis Episcopi Opera* uno volum. in fol. congessit. L'Ouvrage est dans sa perfection, inquit le Cerf. pag. 156. & l'Auteur n'attend plus, qu'un moment favorable pour le publier.

PRUDENTIUS MARAN è Congr. S. Mauri *Opera S. Cypriani* à Baluzio cœpta ad fastigium perduxit. Venetiis 1728. fol.

JACOBUS MARTIN è Congreg. S. Mauri, post alios variæ & summæ eru-

eruditionis libros, magna nominis sui celebritate, in lucem emissos, Operibus *Theodoreti Episcopi Cyrensis* emendandis & recognoscendis operam impendit, quæ anno 1740. tribus tomis in fol. Parisiensibus typis excusa fuêre. Hæc eadem Opera Tomis IV. in fol. *Jacobus Sirmondus* vir doctissimus, déque antiquitate Ecclesiastica & SS. Patribus meritissimus jam an. 1642. ediderat. Novam igitur *Cl. Martini* recognitionem atque editionem summè accuratam esse debere, nemo non intelligit. Quis enim secundùm *Sirmondum* novam editionem meditari, ne dicam suscipere sustineat, nisi in certam spem venire queat, se illius diligentiam non modò æquaturum, sed etiam superaturum? Credibile igitur mihi fit, *Domni Martini* editionem complecti quædam anecdota, varias lectiones, ex libris, quos *Sirmondus* non vidit, excerptas, pluráque alia, quæ in ejusdem editione desiderantur. Hæc ego per conjecturam dico, cùm *Martinianam* editionem, dum hæc scribo, nondum videre licuerit. Bella, horrida bella in causâ sunt, quòd ex Gallia in Germaniam superiore æstate an. 1741. jam delata, avidéque exspectata, nondum Viennam Austriæ appellere potuerit.

Erunt hìc verò Lectores, qui post enumerationem novarum Operum Ecclesiæ Patrum editionum, quas doctissimi San-Maurianæ Congregationis Sodales accurârunt, Notas in easdem editiones Criticas & Observationes à nobis exposcant; quorum justo desiderio uti brevitatis constitutæ ratio, & quâ laboramus, temporis inopia non permittunt, ita eosdem vulumus rogatos, ut aliorum Eruditorum Acta, Diaria, & Ephemerides percurrere non graventur, ubi criticæ rei amantes suum quodammodò possunt studium explere etiam cum aliqua voluptate. Ne verò nihil nos dicamus, eximii Scriptoris è celebri PP. Prædicatorum Familia, verbis uti placet; quo teste Religiosissimi juxtà ac doctissimi Patres è Congr. S. Mauri universæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Litterariæ novum splendorem addiderunt castigatissimis, & calculis omnium Virorum eruditorum probatis *Editionibus*, quas summa diligentia, incredibili studio, criterio, & labore adornârunt, Operum SS. Patrum, *Irenæi*, *Basilii*, *Athanasii*, *Ambrosii*, *Hilarii*, *Augustini*, *Chrysostomi*, *Gregorii M.* Pontif. Max. *Cassiodori*, *Gregorii Turonensis*, S. *Bernardi*, & aliorum Scriptorum, cùm Græcorum, tum Latinorum, quorum Opera assiduis curis, & doctissimis Præfationibus, Notis, & Observationibus illustrârunt, & quidem eo successû, quem non modò Eruditi quique & Ecclesiæ Principes sæpe gratulati sunt, sed etiam Clemens XI. Pontifex Maximus, Decessorum suorum exemplo approbare voluit Brevi Apostolico ad Præfectum Generalem Congt. S. Mauri die XIX. mensis Aprilis an. MDCCVI. directo, ubi hæc habet.

Dilecto Filio Salutem.

„ Diutiùs præterire silentio non „ possumus, quantopere nobis acce- „ ptum, probatúmque sit studium, „ quod Congregatio tua SS. Ecclesiæ „ Patrum Operibus recensendis, iis- „ que nitidiori, quàm antea cultû, „ publicam in lucem proferendis im- „ pendit. Quod quidem studium & „ professione virtutéque maximè di- „ gnum duximus, & non vobis dun- „ taxat gloriosum, verùm etiam rei „ Christianæ ac Orthodoxæ inprimis „ Religionis fauberrimum fore con- „ fidimus. Quamobrem te, mona- „ chósque tuos in Domino hortamur, „ ut in egregio hoc instituto strenuè „ diligentérque pergatis, pro certo „ habentes, quidquid in honorem „ commodúmque vestrum à Pontifi- „ cia benignitate poterit proficisci, id „ nullo vobis unquam tempore de- „ futurum. Interea verò mitti ad te „ jussimus sacra quædam munuscula, „ iis potissimùm eruditis viris, arbi- „ tratu tuo, distribuenda, qui in „ ejusmodi adornandis incumbunt, „ ut ipsis argumento sint paternæ, quâ „ eos complectimur, charitatis. Tibi „ autem dilecte Fili, præcipuum no- „ stræ benevolentiæ pignus, Apostoli- „ cam Benedictionem peramanter im- „ pertimur. Datum Romæ XIX. Apr. „ A. MDCCVI. „ Hæc Summus Pontifex, nec immeritò. Si enim illi, qui Plautum, qui Varronem, quique alios priscæ Latinitatis auctores, sua diligentia, doctrinâ, operâ nitidiores & emendatiores in lucem proferunt, laude digni habentur, quibus illos encomiis mactabimus, qui incredibili studio ac labore tot egregias Patrum cùm Græcorum tum Latinorum editiones ad totius Ecclesiæ

com-

commodum adornant? Commodùm verò ad calcem hujus §. duo trésve Scriptores subnecti possunt, qui, ut viam ad SS. Patrum Opera minori cum difficultate evolvenda Lectoribus complanarent, tractatus criticos eam in rem conscripserunt.

PROSPER MARTINENGUS, Italus, Brixianus, in Monasterio S. Euphemiæ ibidem anno 1542. Professus, cùm Græcæ linguæ esset longè peritissimus, elucubravit *Castigationes in Theophilacti versionem Latinam.* In hoc Opere Prosper corrigit Latinam Theophilacti versionem, indicans loca, in quibus interpres vel Græcæ linguæ ignoratione, vel suapte sponte à Græco textû recedit. Incipit ab Evangelio S. Mathæi, & prosequitur usque ad Evangelium S. Joannis docens, quâ ratione Latina versio ad fidem Græci textûs restitui debeat, addens etiam causas & momenta (idque reconditâ semper, profundáque doctrina) cur ita potiùs legi debeat, quàm quod ab illo interprete editum fuit. Vid. Armell. part. 2. pag. 159.

JACOBI BILLII PRUNÆI, S. Michaëlis in Eremo Abbatis, *Sacrarum Observationum* libri duo. Parisiis apud Guillelm. Chaudiere an. 1585. Hoc opus Author adornavit, ut facilem Christiano Lectori pararet & complanaret viam ad percurrenda Orthodoxorum illotum Sanctorum Patrum monumenta: in quibus multæ erant salebræ, multi scrupuli, multæ horridotum tesquotum (ut cum Lyrico *Chadardus* in præfatione loquitur) asperitates atque errata quàm plurima, quæ irrepserunt vel typographorum incuria, vel amanuensium inscitia, vel etiam ipsorum quandóque interpretum oscitantia. Exemplo esse possunt *Erasmus Rotterodamus*, & *Joachimus Perionius* noster, quorum errores non minimo numero notat. Sic *Lib. 1. cap. 3.* Erasmi errorem observat, quo S. Basilium Cæsariensem eadem ætate, quâ D. Joannem Chrysostomum, Episcopum esse factum scribit; cùm ille plurimis annis ante hunc ad hujusmodi dignitatem provectus sit, h. e. imperante Valente. *Cap. IX.* SS. Basilii & Chrysostomi lucubrationes quasdam ab Erasmi censura vindicat, quem tanta temeritate, tantáque arrogantia & petulantiâ fuisse scribit, ut in quadam ad Tonstallum epistola Chrysostomi in Acta enarrationes sugillans, meliora se etiam ebrium & stertentem scribere potuisse jactârit. *Cap. X. & XI.* notat aliqua loca ex D. Basilii libro de Spiritu sancto, in quibus Erasmi versio sententiam corrumpit, aut certè obscurat. *Cap. XIX.* ex quàm plurimis Erasmi in Chrysostomo lapsus in medium perpaucos profert, de quo hoc seriò affirmare se posse dicit, quòd in solis octo prioribus in posteriorem ad Corinthios Epistolam Homiliis plusquàm 150. errores admiserit. *Cap. XXIV.* ea tantùm loca annotat, quæ ipsi in quatuor primis Homiliis, quas Erasmus Latinas fecit, castigationis indigere visæ sunt; ex quibus verò locis castigatis animadvertere licet, Erasmum eruditissimum ac summa facundia præditum virum tam sæpe, non sine ingenti Lectorum fraude, falli, dum doctrina sua fretus, minùs quàm par sit, industriæ ac judicii adhibet.

Libro II. Cap. I. Origenis in Job Commentarium à Joachimo Perionio nostro Latinè ex Græco redditum multis locis repurgat. Id autem facit quàm brevissimè, ac sine ulla optimi viri, qui pridem è vita discesserat, insectatione. Neque enim, inquit modestus Criticus, meum est, ejus Manes incessere, qui Scriptis suis Galliam nostram illustravit, Theologorúmque ordini summo semper ornamento fuit. *Cap. II.* labes à concionibus Chrysostomi in Job abstergit; quas tamen non tam Interpreti Perionio tribuendum censet, quàm Græco Bibliothecæ regiæ libro, quo illum valde interdum corrupto usum esse se comperisse testatur.

Optandum esset, ut Jacobus Billius plures id genus *Observationum Sacrarum* libros confecisset; sed cùm vito modestissimo hoc scribendi genus nonnihil fastûs & supercilii subolere, ipseq; adeò sibi correctorem, Aristarchum, & severum Censorem agere videretur, manum de tabula sustulit, ac opus, quod alioqui ferè in immensum protrahere poterat, intermisit.

NICOLAI LE NOURRY è Congreg. S. Mauri *Apparatus ad Bibliothecam Maximam Patrum veterum & Scriptorum Ecclesiasticorum Lugduni editam; in quo quidquid ad eorum scripta, & doctrinam variósque scribendi modos & docendi pertinet, dissertationibus criticis examinatur & illustratur.* Tomi II. in folio, quorum primus Parisiis apud Joan. Anisson an. 1703. alter 1715. excusus fuit. Priores duo

libri voluminis primi jam prodierant in 2. vol. in 8. primum an. 1694. alterum 1697. apud memoratum typographum. Secundùm hanc universi operis delineationem P. Nourrius omnes & singulos veteres Ecclesiæ Patres, & antiquos Ecclesiasticos Scriptores, quorum Opera in Maxima Lugdunensi Bibliotheca habentur, ob oculos constituit. Tomi I. libro 1. novæ hujus editionis duodecim Criticæ Dissertationes continentur. Prima docet, paucissima esse Patrum primi seculi genuina Opera, licèt sub eorum nomine in Bibliotheca Lugdunensi quàm plurima edita fuerint; quòd verò tam pauca ad nos pervenerint primæ Christianorum ætatis Opera, fundatas Nourrius affert causas: qui subinde, quod fuerit Scriptorum primi seculi ingenium, quæ studia, occupationes, & occasiones ad scribendum exponit. Occasionem nempe scribendi variæ hæreses, ab ipso Orientis Ecclesiæ initio ex orco procusæ dederunt. Adversùm has non calamo tantùm Scriptores nostri, sed viva etiam voce in scholis Christianis decertârunt, quarum origo ad Apostolos reduci debet, qui cùm in Synagogis Judæorum, tum aliis in publicis locis docuerunt: prima verò Christianarum scholarum propriè dictarum fundamenta Alexandriæ jacta fuerunt, nec ab alio forsan, quàm à Marco Evangelista, primo Alexandriæ Episcopo.

In Dissertatione secunda Liturgiæ Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, & Petri Apostolorum Principis ad examen vocantur, quas in Bibliothecis Patrum Parisiensi, Coloniensi, ac Lugdunensi denique sub illorum nomine publici juris factas, iisdem haud infirmis argumentis contra plures viros eruditos Nourrius abjudicat.

Dissertatio tertia ad Epistolam S. Barnabæ Apostoli attinet, quam ab eodem verè profectam esse, Nourrius propugnat.

Dissertatione IV. tres libri *Pastoris*, seu *Hermæ* discutiuntur, quem Nourrius nullus dubitat esse illum Hermam, cujus nomen in Sanctorum Martyrologia relatum in Romano sic notatum legitur: *Romæ S. Hermæ, cujus Apostolus Paulus in epistola ad Romanos meminit: Hic dignè semetipsum sacrificans acceptabilísque Deo hostia factus, virtutibus clarus cœlestia regna petivit.* Alius ergo est iste Hermas ab illo, qui fuit frater Pii Papæ.

Dissertatio quinta brevis est, quâ Prochori historiam de vita, miraculis, & adsumptione beati Joannis Apostoli suppositítiam, & quæ legatur, indignam esse ostenditur.

Dissertatione sexta duo libri sub nomine B. Lini Romanorum Pontificis vulgati de Passione Petri & Pauli ad Ecclesias Orientales eâdem aspernatione, quâ superior Prochori historia, jure merito repudiantur.

Dissertatio septima tribus constat partibus. In prima Epistolæ septem S. Ignatii Episcopi Antiocheni & Martyris ab Isaaco Vossio & Usserio Archiepiscopo Armachano ipsi assertæ, eidem etiam à Nourrio variis argumentis asseruntur, & ab exceptionibus Dallæi Charentonensis Ministri, aliorúmque adversariorum vindicantur. Parte secunda de interpolationibus agitur genuinarum Ignatii Epistolarum, ac de aliis epistolis ipsi falsò adscriptis, earúmque auctoribus. Parte tertia differitur de editionibus & versionibus omnium Ignatii epistolarum tam genuinarum quàm adulterinarum, ac variis in eas notis & observationibus.

Dissertatione octava refellitur Dallæus, qui epistolam S. Polycarpi Episcopi Smyrnæ & Martyris in dubium revocat, cùm verè ab eodem scripta fuerit.

Dissertatione nona criticum instituitur examen de duabus epistolis, quas S. Martialis Apostolus & Episcopus Lemovicensis tum ad Burdigalenses tum Tholosanos scripsisse fertur, variis autem argumentis evincitur, has epistolas illius non esse, cujus nomine inscribuntur.

Dissertatione decima disquiritur, num S. Dionysius sit auctor lucubrationum, quæ vulgò ei attribuuntur? illas Nourrius eidem abjudicare videtur.

Dissertatione undecima examinantur libri recognitionum S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini à Rufino Presbytero Aquileiensi in Latinum versi, quos eo modo, quo nunc, & à tot seculis repræsentantur, à Clemente Romano profectos non esse Nourrius indicat, gravibus adductus rationibus.

Duodecima Dissertatione ad regulas criticas examinantur Opera Patrum in Appendicem Tomi I. Bibliothecæ Lugdunensis rejecta, cujusmodi sunt 1.) Aristeæ Historia de LXXII. Sacræ Scripturæ Interpretibus. 2.) Liber, qui de duodecim Patriarcharum testa-

testamentis inscribitur. 3.) Octo libri Sibyllinorum Oraculorum.

Libri II. Dissertatio I. agit de omnibus generatim secundi Ecclesiæ seculi Scriptoribus, quibus uti divina non defuerunt auxilia, ita perfectam ethnicæ cùm theologiæ tum moralis ac philosophicæ doctrinæ cognitionem indefesso studio sibi comparare studnerunt, non alio autem fine, quàm ut adversùs Christianæ religionis hostes Gentiles & Judæos veritatem ejusdem demonstrarent: nec minor eorum de hæreticis fuit triumphus, immo verò eò gloriosior victoria, quò & major fuit eorundem hæreticorum numerus, & gravius in ipsamet Ecclesia intestinum & civile ab iis accensum est bellum.

Dissertatio secunda, tribus partibus comprehensa, in omnia S. Justini Philosophi & Martyris Opera adornata est.

Dissertatio tertia tractat de Operibus Athenagoræ Atheniensis Philosophi Christiani.

Dissertatio IV. de libris S. Theophili Patriarchæ Antiocheni.

Dissertatio V. in Tatiani Afyrii & Melitonis Sardicensis Opera.

Dissertatio VI. in quinque Libros S. Irenæi, Episcopi Lugdunensis & Martyris adversùs Valentini, similiúmque hæreses.

Liber III. prolixis, iísque longè eruditissimis dissertationibus in omnia S. Clementis Alexandrini Opera absolvitur. Priùs verò, quàm Authoris Opera Nourrius examinet, in ejusdem nomen & cognomen inquirit. Illud *Titus Flavius Clemens* erat, hoc verò, si Eusebio credatur, *Alexandrinus*. Quo quidem cognomine ideo insignitus dicitur, vel quòd Alexandriâ oriundus, vel potiùs, quòd & in hac urbe diu commoratus, & presbyter creatus fuerit. Cùm ethnicæ superstitioni aliquamdin fuisset addictus, nuntium tamen ei citò remisit, & Christianam religionem amplexus est. Ut verò illius præceptis & doctrinis pleniùs imbueretur, doctissimos præceptores adiit, & varias peragravit orbis partes, ubi Christianæ fidei documentis institutus est. Demum Alexandriæ constitit, & scholæ ac catechumenorum institutioni præfectus est. Post hanc de Clemente notitiam cum lectore communicatam Nourrius ostendit Dissertatione I. illum verè fuisse auctorem *Admonitionis ad Gentes*, & trium Pædagogi librorum. Dissertatione secunda Stromatum libros eidem vindicat, & quid nomine Stromatum intelligendum veniat, exponit. Dissertatione tertia tractanda sumuntur alia Clementis Opera, sive vera, sive falsa, sive edita, sive non edita; nec ea prætermittuntur, quæ ille scriptnrum se esse promiserat. Tantam verò támque stupendam Nourrius ubique ostendit eruditionem, quantam, qui non legerint, animo ægrè concipere possunt.

In præfatione Tomi II. idea exhibetur disputationum, quas veteres Latinæ Ecclesiæ Patres Sec. III. & IV. cum Gentilibus habuerunt, in quibúsque religionis Christianæ veritatem demonstrare, & illius sanctitatem contra impudentissimas ethnicorum calumnias vindicare totis viribus conati sunt. Proinde duo in Christiana religione distinguenda esse monet Nourrius. Primum est illius veritas, alterum sunt divina ejus mysteria & documenta. Et veritatem quidem Christianæ Religionis Scriptores nostri variis rationum momentis demonstrârunt; cujusmodi fuerunt sacræ Prophetarum prædictiones; Scripturarum divina prorsus auctoritas; infinita propemodum miracula à Christo ejúsque discipulis per varias mundi partes facta; potestas Christianis divinitus concessa, dœmones ab obsessis hominum etiam gentilium corporibus ejiciendi; sanctitas & præstantia legum Christianarum; invicta denique innumerabilium utriusque sexûs & omnis ætatis ac conditionis Martyrum fortitudo. Quod verò ad sacra Christianæ religionis mysteria & dogmata attinet, Nourrius existimat, à Scriptoribus nostris rectè illorum essentiam & existentiam, veluti unitatem Dei, trinitatem personarum, incarnationem Verbi &c. asseri, quandoque tamen non satis validis rationibus aut paribns omnino exemplis probari.

Tomus itaque secundus sex prolixissimis absolvitur disputationibus. Prima est *in Marci Minucii Felicis librum, qui Octavius inscribitur*. Liber hic nihil aliud complectitur, quàm Dialogum, quo Cœcilius superstitiosis ethnicorum hominum vanitatibus addictus, patrium & avitum deorum cultum, à nemine deserendum, omnibúsque in eo perseverandum esse variis rationibus ostendere conatur. Contrà verò Octavius, qui, impio illo cultu rejecto, Christianæ profes-

sioni nomen cum Minucio Felice dederat, omnia Cœcilii argumenta sic funditus evertit, tantisque rationum momentis Christianæ religionis demonstrat veritatem, ut Cœcilius illis planè convictus, hanc læto gratantique animo amplexatus fuerit.

DISSERTATIO SECUNDA *in septem Arnobii Disputationum adversus Gentes libros.* Non aliud verò horum librorum argumentum, nec alius in iis conscribendis Arnobii scopus, finisque fuit, nisi ut & falsam Gentilium, & Christianorum veram esse religionem demonstraret. S. Hieronymus *luculentissimo* ejus *libros* appellat; quia non minùs luculenter veritatem Christianæ religionis adstruit, quàm ethnicæ falsitatem destruit.

DISSERTATIONIS TERTIÆ argumentum sunt *omnia Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii Opera.* Capite autem V. art III. Nourrius advertit, duos tantùm Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Scriptores Thomasium & Isæum in eadem Lactantii Opera Notas & Observationes edidisse, sed longè plures alias Protestantium sectis addictos, qui commentariis suis hæresi respersis Lactantii libros non tam illustrârint, quàm haud parùm sæpè fœdum in modum conspurcârint. Quæ forsan causa est, quòd V. C. *Corbinianus Thomas* Sacræ Theologiæ Professor in Universitate Salisburgensi animum ad novas in Lactantium observationes conficiendas contulerit; quas tamen, quod sciam, nondum in publicam lucem emisit.

DISSERTATIO QUARTA est in *Quinti Septimii Florentis Tertulliani Apologeticum, duos ad Nationes libros, & unum ad Scapulam.* In suis verò libris Tertullianus gravissimæ disputationis æstu, ultra, quàm par erat, abreptus fuit.


DISSERTATIO QUINTA est *de Cypriani libris ad Demetrianum, & de idolorum cultu.* Legi merentur Nourrii observationes Criticæ, quæ oppidò sunt doctæ, eruditæ, acrisque plenæ judicii.

DISSERTATIO SEXTA est *in Lucii Cæcilii librum de mortibus persecutorum ad Donatum Confessorem.* Nourrius iis argumentis, quibus hunc librum *Lactantio* suppositum fuisse demonstrâsse viris eruditis visus est, nova accumulat, & quæ à docto quopiam scriptore ipsi objecta fuerant, excutit ac confutat.

APPARATUS iste ad *Bibliothecam Maximam Patrum,* ubi primùm publica in luce comparuit, virisque literatis lectus fuit, ingentem illi omnes de Nicolai Nourrii singulari prorsus doctrina ac eruditione opinionem conceperunt. Ego solùm doctissimi (b) *Gravesonii* verba in medium affero. „ Opus sanè immensum, inquit, cujus duo tomi in folio jam publicam „ lucem aspexerunt, in quibus doctissimus Author varias & eruditas „ instituit Dissertationes ad secernenda genuina Sanctorum Patrum Opera à spuriis, & ad difficiliora, quæ „ in iis occurrunt, loca explananda. „ In quo argumento, mea quidem „ sententia, majori cura, meliori fide, „ acriori judicio, nitidiori stylo, nemo hactenus versatus fuerat. Utinam clarissimum illum scriptorem „ Deus Opt. Max. diu sospitem, & „ incolumem servet, quò vastum illud „ & planè stupendum Opus ad umbilicum perducere possit. „ At *Nicolaus Nourrius* anno 1715. quo alterum *Apparatus* sui volumen publico exhibuit, jam annum ætatis 68. expleverat; unde Operi, quod non nisi improbo triginta adhuc annorum labore ad fastigium perduci poterat, immortuus est. Continuationem tamen hujus præstantissimi, totíque Ecclesiæ utilissimi Operis ab eruditis San-Maurianæ Congregationis Sodalibus literatus Orbis universus exspectat.

REMIGII CEILLIER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi *Apologia Patrum Ecclesiæ contra injustas accusationes D. Joannis Barbeyracii.* Parisiis an. 17 . 8. in 8.

(b) Hist. Eccl. Tom. viii. pag. 183. Edit. in 4.



SECTIO

SECTIO III.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ SCRIPTORES.

INter Theologos Scholasticos Divus Anselmus, velut totius gentis Dux & Antesignanus, primo loco collocandus est, ut qui omnium primus res Theologicas nova ratione ac methodo vel scholastica, vel scholasticæ proxima tractare cœpit. Ejus verò Opera Theologica sunt

1.) *Monologium*, quod non scriptionis ordine duntaxat, sed & argumenti dignitate primum est. In eo enim pluribus & quidem necessariis rationibus sine Scripturarum authoritate S. Anselmus in persona alicujus secum ratiocinantis probat, quicquid fide de Dei existentia & essentia credimus. Unico autem potissimùm utitur argumento; nimirum ex eo, quòd Deus sit ens à se, sive per essentiam (quod initio demonstrat à posteriori) colligit à priori reliquas Dei perfectiones, proprietatésque, ut patet ex toto contextu.

2.) *Proslogion*, id est, *Alloquium*: alloquitur enim in eo Opere aut se ipsum, aut Deum. Argumentum sunt Divina Natura, & ejus personæ, tum plenum beatitudinis gaudium.

3.) *Liber Apologeticus contra Gaunilonem pro Insipiente respondentem.* Est responsio ad argumenta Gaunilonis, qui lecto *Proslogio* contra illud scriptum edidit, cui titulum, tacito proprio nomine præfixit *Liber pro Insipiente.*

4.) *Liber de fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi contra blasphemias Roscelini.* Hunc librum S. Anselmus scripsit contra quendam Clericum (*Roscelinum*) qui asserebat in Deo tres personas esse tres res, sicut tres Angeli aut tres animæ.

5.) *Liber de processione Spiritûs Sancti.* Est summa gravissimæ illius disputationis, quam habuit in Barensi Concilio contra Græcos: in hoc autem libro ferè toto argumentum illud & uberrimè & eruditissimè prosequitur.

6.) *Dialogus, seu Opusculum de casu Diaboli.* Argumentum hujus libri ipse Anselmus in *Prologo ad Dialogum de Veritate* his verbis exponit: „ Tertius autem (*Dialogus*) est de „ quæstione; qua quæritur qnid peccavit diabolus, quia non stetit in „ veritate: cùm Deus non dederit „ ei perseverantiam, quam nisi eo „ dante habere non potuit; quoniam si Deus dedisset, ille habuisset, sicut boni Angeli habuerunt „ illam, quia illis dedit Deus. Quem „ tractatum, quamvis ibi de confirmatione bonorum Angelorum dixerim, de casu diaboli titulavi: quoniam illud contingens fuit, quod „ dixi de bonis Angelis; quod autem „ scripsi de malis, ex proposito fuit „ quæstionis. „

7.) LIBRI duo, CUR DEUS HOMO. „ Quorum prior (sunt verba ipsius „ S. Anselmi in præfatione) quidem „ infidelium respuentium christianam „ fidem, quia rationi putant illam repugnare, continet objectiones, & „ fidelium responsiones: ac tandem „ remoto Christo (quasi nunquam „ aliquid fuerit de illo) probat rationibus necessariis esse impossibile ullum hominem salvari sine illo. In „ secundo autem libro similiter, quasi „ nihil sciatur de Christo, monstratur non minùs aperta ratione & „ veritate, naturam humanam ad hoc „ institutam esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est, „ in corpore & in anima frueretur: „ ac necesse esse, ut hoc fiat de homine, propter quod factus est, sed „ non nisi per hominem Deum, atque „ ex necessitate omnia, quæ de Christo credimus, fieri oportere. „ Fors acumen humani intellectûs nihil unquam præ istis duobus libris sublimius produxit, in quo sanctus Doctor modo sanè demirando planum facit, quidquid in mysterio Incarnationis incomprehensibile videri potest. Unde inter ejus Opera nullum est, quod majorem ipsi conciliârit gloriam, atque admirabiles hi duo libri. Nec Ecclesia Latina solùm his libris magnum statuit pretium, sed & Græci ipsi, alioquin Latinorum Scriptorum haud magni æstimatores, illos ex Latino Græcè reddiderunt.

8.) *Liber de Conceptu Virginali, & Originali Peccato.* Argumentum libri est non quidem passivus conceptus, sed

sed activus, quo Deipara Virgo Christum concepit. Propositum autem Anselmo est, palàm facere, qualiter Christus de massa peccatrice nasci potuerit, quin ullis peccati sordibus inquinaretur; cui dissertationi multa de peccato originali admiscentur.

9.) *Dialogus de Veritate*; in quo disquiritur, quid scilicet sit Veritas, & in quibus rebus soleat dici; & quid sit justitia.

10.) *Dialogus de libero arbitrio*, in quo, quid sit libertas arbitrii, & utrùm eam semper habeat homo, & quot sint ejus diversitates in habendo, vel non habendo rectitudinem voluntatis, ad quam servandam est data creaturæ rationali: in quo naturalem tantùm fortitudinem voluntatis ad servandam acceptam rectitudinem; non quomodo necessarium ad hoc ipsum illi sit, ut gratia subsequatur, S. Doctor ostendit.

11.) *Tractatus de Concordia præscientiæ & prædestinationis, nec non gratiæ Dei cum libero arbitrio.* Tribus partibus, seu Quæstionibus absolvitur: prima est de Concordia præscientiæ Dei cum libero arbitrio: altera est de Concordia prædestinationis cum libero arbitrio: tertia est de Concordia gratiæ & liberi arbitrii.

12. *Tractatus de voluntate Dei*, in quo agitur potissimùm de multiplici divisione voluntatis divinæ.

Omitto plura hujus S. Doctoris recensere Opuscula, quæ quanto doctrinæ Theologicæ succo plena sint, vir inter alios perdoctus *Antonius Demochares*, Theologus Sorbonicus, Epistola præfixa Anselmi Opusculis, quæ data anno 1544. edita est 1550. Parisiis, scripto est testatus, *in Anselmi istius brevibus Opusculis pene omnia firmis rationibus demonstrari, quæ Petrus Lombardus Magister Sententiarum, in quatuor plenis voluminibus multis Sanctorum Doctorum auctoritatibus postea confirmavit.* Vid. Ant. Possev. in Appar. Sac. & multò magis Cardinalem de Aguirre in Prolegom. ad S. Anselmi Theologiam, & quas defloravit, Gabrielis Gerberonis censuras omnium & singulorum ejusdem S. Doctoris Opusculorum: ubi leges, quo tempore, quáque occasione & causa à S. Doctore composita fuerint; tum quibus in locis & annis excusa typis publicam in lucem prodierint.

V. HILDEBERTI ex Monacho Cluniacensi Cenomanensis primùm Episcopi, tum Archiepiscopi Turonensis *Tractatus Theologicus*, quem inter cætera ejus Opera juris publici fecit Antonius Beaugendre è Congreg. S. Mauri Parisiis in fol. anno 1708. ex quo non omnino temerè conjici posse censet Editor, Scholasticos Theologos, ipsósque Robertum Pullum, & Petrum Lombardum tam argumentum, quàm methodum doctrinæ suæ inde depromsisse. Sed de hoc jam aliàs uberiùs.

FULGENTII Abbatis Montis Angelorum in Helvetia Commentarius in universam Theologiam. Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 1. cap. VI. pag. mihi 139. In Catalogo tamen Abbatum hujus Monasterii, quem Dionysius Sammarthanus Gall. Chr. tom. V. col. 1065. exhibet, nullus attentè legenti occurrit *Fulgentius*, bene verò *Frowinus*, qui eodem Mabillonio teste Itin. Germ. pag. 4. col. 2. vivebat ante annos ferè sexcentos, & *libros de laude liberi arbitrii adversùs quorundam errores & novitates* reliquit: quibus in libris, quæcunque ad gratiam pertinent, solidè pertractat. Mabill. Analect. tom. IV. pag. 625. Indicem Capitum, quibus septem hi libri absolvuntur, juris publici fecit Edmundus Martene tomo VI. Annalium O. S. B. exoptans, ut nostri Einsidlenses, quorum maximè interest, & qui postremum hoc opus jam descriptum ac prælo paratum habent, suis typis illud emittant in lucem. Eosdem libros pro prælo descriptos Engelbergenses nostri cum Bernardo Pezio communicarunt, qui pridem, nisi morte interceptus fuisset, juris publici fecisset.

HUGO Cluniacensis primùm Monachus, tum Prior S. Pancratii de Leuvis in Anglia, deinde Abbas Radinghensis, ac denique Archiepiscopus Rothomagensis rerum divinarum scientia Seculo XII. apprimè floruit, ac anno 1164. naturæ debitum solvit. Ejus sunt *Dialogorum*, seu *Quæstionum Theologicarum libri VII.* quos PP. Marthene & Durand Tomo V. Thesauri sui Anecdotorum inseruerunt. *Tractatus de Memoria*, qui totus Theologicus est, constátque libris omnino tribus, quem iidem doctissimi Editores Tomo IX. Collectionis suæ amplissimæ inseruerunt.

PETRI ABÆLARDI *Theologia Christiana*, quam cùm viri eruditi hactenus desideràssent ad elucidandas non-

nullas

nullas difficultates, & componendas, quæ de ejusdem doctrina quæstiones agitantur in scholis, Cl. P. *Edmundus Marthene* ex msc. codice Majoris Monasterii Turonensis eruit, suisque Anecdotorum Thesauri Tomo V. inseruit pag. 1140.

-- EJUSDEM *Introductionis ad Theologiam libri tres*, quorum postremus est imperfectus. Graveson Hist. Eccl. Sec. XII. pag. 245. Confirmat Cl. Marthene: *Abælardi Introductio ad Theologiam mutila est in editis, nec perfectam invenimus in manuscriptis.* in Præfat. admonit. ad Abælardi Theolog. Christ. Hoc opus frequenti manu tractare solebat, & in condendis suarum *Sententiarum* libris, pene semper ante oculos habuit *Petrus Lombardus*, fatente Joanne Cornubiensi ipsius Lombardi discipulo in suo Eulogio ad Alexandrum III. Papam, & apud Quercetanum not. ad Abæl. p. 1159. Quid? quòd à quibusdam credatur *Abælardus* author *Libri Sententiarum*, quem ad *Petrum Lombardum* pertinere communis opinio est. Vide Morhofium in Polyhist. Tom. III, lib. I, cap. 14. n. 1.

-- EJUSDEM Liber, in quo genio suo indulgens omnia Christianæ religionis mysteria in utramque partem versat, negans, quod asseruerat, & asserens, quod negaverat: quod opus aliquando publici juris facere cogitaverat *Lucas Acherius* è Congr. S. Mauri; verùm seriò examinatum æternis tenebris potiùs, quàm luce dignum de virorum eruditorum consilio existimavit. Illum tamen penes se habere scribit Cl. Edmundus Marthene in Præfat. Tom. V. Thes. Anecd. Extat etiam MS. in Bibl. S. Benedicti Cantabrig. num. 390. & in Bibliotheca publ. Cod. 168.

S. BRUNONIS Astensis, Episcopi *Signiensis*, Commentarius in IV. Libros Sententiarum extat in Bibl. Casin. msc. in membranis. Possevin. in Appar. tom. 1. pag. 254. qui tamen fallitur; Neque enim *S. Bruno* in Magistrum Sententiarum commentatus est, licèt *Sententiarum libros sex* ab ipso habeamus.

GUILIELMUS à *Petriburgo*, loco natali in Anglia, decurtato nomine *Burgensis* dictus est. Fuit Monachus Ramesegànus, atque inter Academicos versatus feliciter Theologos, lauream ejus nominis facilè sibi comparavit: ac partam edito non contemnendo volumine, cui titulus *Distinctiones Theologicæ*, tam egregiè illustravit, ut tandem vel inter Theologorum lumina connumeratus fit. Extinctus verò est circa annum 1180. Vid. Leland. c. 241.

PETRUS ROGERIUS ante summum Pontificatum, in quo *Clementis VI.* nomen assumpsit, fuit Doctor in Theologia, ejúsque in Academia Parisiensi publicus Professor Librum IV. Sententiarum interpretatus est; an verò illum etiam Commentario scriptis mandato illustrârit, nondum satis compertum habemus.

GUALTERUS BEDERICHWORTUS Theologus Anglus in Monasterio Buriensi circa an. 1360. scripsit *Commentaria in IV. Sententiarum libros & lectiones Scholasticas.* Claruit circa an. 1360. Vid. Pits. æt. 14. p. 469.

RANULPHI HIGDENI, Angli, Monachi Cestrensis circa an. 1377. in Cœnobio ad D. Werburgam nominato, Viri sacra & prophana eruditione clari

Distinctiones Theologicæ Lib. un. Abjicere secundùm Philosophos. Pits. æt. 14. pag. 517.

JOANNES BOCKINGHAMUS Sac. Theologiæ Doctor Anglus in Oxoniensi Academia, Vir ingenio subtilis, & in scholasticis disciplinis, tum iis, quæ ad philosophicas & prophanas, tum quæ ad theologicas & divinas scientias spectant, versatissimus. Videtur publicè Magistrum Sententiarum in Scholis Oxoniensibus exposuisse, & illic in cathedra suprema Professorem primum egisse. Postea fuit Episcopus Lincolniensis, quâ sede propter varias controversias maximè cum Bonifacio Papa Nono anno Domini 1397. privatus fuit, & ad Lichfeldensem detrusus, noluit acceptare: sed factus Monachus Cantuariensis literariis monumentis suam famam posteris commendavit: Nam ad publicam utilitatem edidit quædam, quæ diu in quadam Bibliotheca Londinensi servabantur:

Quæstiones in Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.

Ordinarias disceptationes, Lib. un. Et id genus Theologica alia. Pits. æt. 14. pag. 564.

ADAMI ESTONI, Monachi Norwicensis, in Academia Oxoniensi SS. Theologiæ Professoris, ac postea S. R. E. Cardinalis, *De communicatione idiomatum* lib. un. Incipit: *Reor primùm cum Doctoribus sanctis.* Vide Ope-

Operum Catalogum, quem in ejus vita Libro II. texuimus.

JOANNES TALANGERUS Monachus Anglus in Wigorniensi Cœnobio, Vir in sacris & ptophanis disciplinis operosè versatus. Omnem enim tum Philosophiam, tum etiam Theologiam in Oxoniensi Academia ptimùm didicit, *deinde docuit sacræ Theologiæ Doctot factus & Professor. Ad posteritatis antem utilitatem, quæ docuerat in scholis, denuo sub incudem vocavit, examinavit, perpolivit, & in publicum emisit, testem habeo Lelandum, *Commentarios in Magistrum Sententiarum. Libros IV.* Claruit an. 1448. Pitſ. æt. 15. p. 640.

JOANNES STONUS, vel STONÆUS Monachus Cantuar. Cœnobii; ubi in summa vitæ sanctimonia, regulari observantia, & ingenti studiorum labote vixit ad annos multos. Nam in libris ejus Mſ.tis inveniri ferunt, eum anno tandem monachatûs sui quinquagesimo cœpisse suos literarios labores luce donare. Scripsitautem

Quæstiones super libros primum & secundum Sententiarum. Extant in cod. mſc. Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Cod. 39. Vossius vocat *Sententias Patrum speculativas de fide, spe, & charitate*, quod Oudino verissimum videtur; nam inter mſs. Codices Universitatis Cantabrigiensis Cod. 1636. in Mſs. Codd. Collegii S. Benedicti Codice 369. comparent, *Decreta Joannis Stoni de claustro Ecclesiæ Cantuariensis, cujus pars secunda continet speculativas sanctorum Patrum sententias de Fide, Spe, & Charitate.* Vid. Pitſ. æt. 15. pag. 657. ubi Stoni sententias in prædicta Bibliotheca frustra se quæsiisse testatur: sed quas ipse non invenit, alii invenerunt. Oudin. de S. E. Tom. III. pag. 2670.

JOANNES STUCHEIUS Monachus Anglus in Cœnobio Norwicensi, quod vocabatur ad S. Trinitatem, sacræ Theologiæ Doctot Oxoniensis, Vir omnium virtutum, & variæ doctrinæ laudibus insignis. Plura egregiè sctipsit opera, quæ pleraque Norwici patrum adhuc memoria, cum Doctore Pitseo loquor, visebantur in Ecclesiæ Cathedralis Bibliotheca. Nomen saltem unius Operis Theologici hìc ponamus:

In Magistrum Sententiarum Libros IV.

Sed temporis, quo vixit, mentionem non reperi.... Pitſ.

GUILHELMUS HERVIUS, natione Anglus, patriâ Suffolciensis, Monachus in Cœnobio Buriensi, quod ad S. Edmundum dicitur, sacræ Theologiæ Doctor & Professot Oxoniensis. Vir pietatis & omnis literatntæ melioris studiosissimus, ad summam pervenit scientiam, scripsitque doctissima Opera non pauca; quæ tanquam inæstimabilis Thesaurus in sui Cœnobii Bibliotheca custodiebantur, usque ad monasteriorum exterminium. Interea tamen operibus pereuntibus tituli saltem aliqui, vel hominum memoriis inhæserunt, vel in aliorum libris manserunt, & usque ad nos pervenerunt. Nam apud probatos Auctores invenimus illius esse

Quæstiones ordinarias, Lib. un.
Lecturas Scholasticas, Lib. un.
Problemata disputata, Lib. un.

Et ejusmodi alia non pauca. Sed quâ tempestate floruerit hic auctor, hactenus nullibi reperire potui. Ita Pitſ. pag. 556.

CONRADUS Monachus Hirsaugiensis ponitur ab Antonio Possevino in Elencho Scholasticorum Theologorum, qui scripserunt in Magistrum Sententiarum. Bibl. Sel. Tom. I. l. 3. c. 131. Claruit Conradus circa annum. 1190.

ENGELBERTI Abbatis Admontensis in Styria an. 1331. defuncti 1.) *Tractatus de Gratia Salvatoris, & justitia damnationis humanæ.* 2. *Tractatus de libero arbitrio.* 3.) *Tractatus de Quæstione illa: Utrùm Deus adhuc incarnatus fuisset, si primus homo non fuisset lapsus.* Hoc doctissimum opus, inquit Bern. Pezius, ex coævo Admontensi codice membraneo in 4. nostrâ manu exscripsimus, & prælo paravimus. Et quidem Tractatum *de libero arbitrio* jam Tom. IV. Thes. Anecd. Nov. part. 2. col. 119. publici juris fecerat.

GUILLELMI DE MONTE LAUDUNO, Abbatis Monasterii novi Pictaviensis *Liber*, seu *Tractatus de Sacramentis*, qui teste Oudino, Mſ.tus habetur in variis Galliæ Bibliothecis. Oudin. de S. E. Tom. III. pag. 967. Obiit Guillelmus citca annum 1340.

PETRUS DE ROSENHEIM, Mellicensis sub añum 1427. claruit, ac scripsit *Summam Theologiæ*, quæ Romæ in Basilica Lateranensi extat. Oud. de S. E. Tom. III. pag. 2305.

GREGORIUS CORTESIUS, patriâ Mutinensis, Abbas Monasterii S. Benedicti in agto, à Paulo III. Pontifice Max.

Max. in Collegium Cardinalium adscriptus, Theologiæ & utriusque Juris peritissimus non quidem Commentarios in IV. Sententiarum libros exaravit, ut Oldoinus, Nat. Alexander, Gravesonius, & alii plures existimant; bene verò *Tractatus de Theologica Institutione: De peccato originali: De potestate Ecclesiastica &c.* Vid. Armell. part. I. pag. 185.

BENEDICTI CHELIDONII Abbatis ad Scotos Viennæ, Theologi doctissimi, opera & studio quàm diligentissimè castigati, & in lucem dati fuerunt *Bandini*, antiqui Authoris, Sententiarum Theologicarum Libri IV. antea nunquam typis excusi. Viennæ in Austria ex ædibus Singrenii, expensis Lucæ Alantsee, omnium literatorum parentis. an. 1519. in fol.

GREGORII SAYRI, Angli, Monachi Casinatis *De Sacramentis in communi* Opus Theologicum tripartitum, ac planè aureum, in quo omnia, quæ vel ad difficillimas quasque quæstiones Theologicas definiendas, vel ad casus omnes conscientiæ dissolvendos, vel ad singulos hæreticorum errores refellendos attinent; tum ex SS. Ecclesiæ Patribus & Doctoribus Scholasticis; tum ex Canonistis, Sumistis & aliis omnibus antiquioribus & recentioribus Orthodoxis Scriptoribus ita abundè & accuratè explicantur, ut nihil ampliùs in hac materia studiosus Lector desiderare possit. Venetiis 1599. & Duaci 1621. fol.

JACOBUS LE BOSSU, Monachus Monasterii S. Dionysii propè Lutetiam Ord. S. B. Doctor Theologus Parisiensis, unus ex Consultoribus à Clemente VIII. & Paulo V. deputatis in controversia de Auxiliis Divinæ Gratiæ inter Doctores Ord. S. Dominici & Societatis Jesu, qui obiit Romæ die 7. Mensis Junii 1626. & morte præventus opus imperfectum reliquit, cujus titulus:

Animadversiones in viginti-quinque propositiones P. Ludovici Molinæ Societatis Jesu de Concordia liberi arbitrii cum Gratiæ donis.

Indicem Capitum, qui est Conspectus Operis, intexuit Appendici *Historiæ de Auxiliis divinæ Gratiæ* Jacobus Hyacinthus Serry p. 298. edit. Antwerp. Hunc excipit BREVE COMPENDIUM *Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum Gratiæ donis, viginti quinque punctis explicatum, quæ suis Notis designantur, secundùm quas ordinantur animadversiones.* Deinde sequitur *Examen Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum Gratiæ donis, cujus compendium superiùs proponitur, distinctum in tot Animadversiones, quot sunt Notæ Capitulorum dicti Compendii.* Capite primo agitur de *Molinæ discessione à Patrum sententiâ.* Capite secundo *De pauca reverentia, quam exhibet Molina S. Augustino in hac doctrina.* Plura Bossutii Capita Hyacinthus Serry typis exscribenda non dedit; vocavit verò

Excerptum, seu Priora Capita prolixi contra Molinam Operis.

VICTORINI MANSO è Congreg. Casinensi doctissimi primùm Theologiæ Professoris, tum in pluribus Monasteriis Abbatis, ac demum Episcopi Arianensis *Harmonia Theologica Patrum & Scholasticorum*, in qua singula quæque Theologiæ Sacræ capita tum eruditè, tum eleganter tractantur, Doctoresque ad consensionem aptissimè revocantur. Tomus primus Scholastico institutus methodo, & exactissimè dispositus, in 25. libros distinctus. Neapoli ex officina Horatii Salviani anno 1594. in 4. & rursus ibidem eodem anno apud Jacobum Carlinum, & Antonium Pacem, Excellentissimo Comiti de Miranda Neapolitano Proregi, ab Authore dicatus; erat enim tunc Victorinus Abbas S. Severini; an autem alios tomos publici juris fecerit, sibi incompertum esse dicit Abbas Armellinus part. 2. lit. V. p. 10. Arnoldus enim Wion & ex ipso Possevinus, affirmant, Victorinum *de Harmonia Theologica* aliquot tomos scripsisse, at impressionem tantùm primi uterque enuntiat.

DAVIDIS GREGORII CORNERI Abbatis Gottwicensis in Austria inferiori *Universæ Theologiæ in vita D. N. Jesu Christi Divino-Humana exposita* Libri XXXIII. Viennæ an. 1642. in 8.

DIDACUS DE SYLVA PACHECO, claris natalibus ortus, Benedictinam Familiam, cui Burgis se aggregavit, suo tempore non tantùm honoribus gestis, sed & existimatione doctrinæ Theologicæ, perspicacis ingenii, & religiosarum virtutum egregiè ornavit. Salmanticæ in S. Vincentii Martyris collegio studia moderatus est; & postquàm Sodalium plures domos rexisset, ad generalem totius Hispanæ Congregationis præfecturam ascendit, & ad Concionatoris Regii munus, Quibus omnibus intra & extra religiosa clau-

claustra rectè ac prudenter administratis, dignum se se ostendit majoribus. Quare eum in Accitanam Ecclesiam, Josepho Lainez Antistite orbatam, ad Serenissimæ Reginæ Caroli II. Regis Tutricis nutum Clemens IX. P. M. die xxvii. Februarii MDCLXVIII. Episcopum ire jussit. Edita hucusque ab eo habemus *In primam partem S. Thomæ volumina. In Librum Genesis* aliud Madriti ad exemplum ejusdem Angelici Præceptoris, qui de Operibus sex dierum, sive de mundi creatione in fine primæ partis commentarium dedit. *In primam secundæ volumen primum* Madriti apud Mathæum Fernandez in fol. Quod cætera num sequuta fuerint, donec absolverit in Summam magnam Theologiæ lucubrationes, ex Nicolao Antonio rescire non licuit, qui illorum tantùm in Bibliothecæ suæ Novæ tom. 2. pag. 321. spem fecit.

CLAUDII HUGONIS MATHOUD, Burgundi, Matiscone oriundi, è Congreg. S. Mauri, an. 1705. demortui operâ & studio in lucem nunc primùm editi ac Notis atque Observationibus illustrati fuerunt. *Roberti Pulli S. R. E. Cardinalis & Cancellarii, Theologorum, ut vocant, Scholasticorum Antiquissimi Sententiarum Libri VIII. item Petri Pictaviensis, Academiæ Parisiensis olim Cancellarii Sententiarum Libri V. fol. Parisiis, sumptibus Simeonis Piget an.* 1655. Et ejusdem quidem Cardinalis opiniones, quæ nunc in Scholis Theologorum antiquatæ, atque tantùm non damnatæ videntur, ab erroris Nota, & inofficiosa Censura vindicavit, judice Gravesonio Hist. Eccl. Tom. VIII. pag. mihi 182. Ejus certè Notas & Animadversiones in Historia ac Theologia doctissimas à pag. 291. ad 438. eruditi minimè spernendas censent.

CURSUS THEOLOGICUS in gratiam & utilitatem Fratrum Religiosorum S. Galli ab ejusdem Monasterii Theologiæ Professoribus compositus, typisque San-Gallensibus impressus Tomis X. in 12. an. 1670.

COELESTINI SFONDRATI Abbatis & Principis San-Gallensis S. R. E. Presbyteri Cardinalis *Nodus Prædestinationis* ex sacris Literis, doctrináque SS. Augustini & Thomæ, quantùm homini licet, dissolutus. Romæ typis Jo. Jacobi Komareck Boemi propè SS. Vincentium & Anastasium in Trivio an. 1697.

Opus duabus Partibus absolvitur, Pars prima verò sex, altera tribus Paragraphis.

Partis I. §. I. Esse in Deo seriam, impensámque, & quantùm ex se est, efficacissimam voluntatem salvandi omnes. *§. II.* Dari omnibus hominibus ad æternam vitam consequendam non tantùm necessarias, & qualescunque, sed copiosissimas, & abundantes gratias, quibus, si velint, facilè commodéque obtinere illam possint. *§. III.* Dei gratiam etiam obstinatissimis peccatoribus non deesse, longa serie historica, multísque exemplis ostenditur. *§. IV.* Orationem etiam peccatoris, cùm illa petit, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, semper exaudiri, sícque in peccatoris potestate esse, gratiam illam efficacissimam, & triumphatricem, orando impetrare. *§. V.* Aphorismi, seu Regulæ Asceticæ de mysterio Prædestinationis.

Pars altera; in qua ostenditur, nihil opponi posse divinæ providentiæ ex eo, quòd in negotio Prædestinationis quædam sint inscrutabilia. *§. I.* Probatur ex sacris Literis, sanctísque Patribus, noluisse Deum Mysterium Prædestinationis ab hominibus explicari. *§. II.* multa esse in rerum natura, quæ licèt vera, occultas tamen, & inpenetrabiles habent causas, nec ideò falsi accusari possunt. Ergò multò magis idem dicendum de alea Prædestinationis. *§. III.* Causam Divinorum Judiciorum quærentibus optima datur, omnique demonstratione potentior.

BENEDICTI BACCHINI Abbatis è Congr. Casin. summæ eruditionis ac doctrinæ, *Ad Nodum Prædestinationis Cardinalis Sfondrati Dissertatio* sub nomine Barachiæ *Scutensis*, id est, *Benedicti Parmensis*, in qua ostenditur, quæ minùs Theologica in eo opere videntur, tentamina potiùs imperfecta, & adversaria ejus eruditissimi viri esse, eáque temerè nimis ab aliis edita, multis adjectis, multis deletis, & immutatis, ipso præ ægritudine, quâ extinctus est, ante finitam editionem, vix de ea re cogitante. Plura idcircò eo in opere esse, quæ contradictiones efficiunt, alia imperfecta relicta, nonnulla repetita, quæ quidem non admisisset vir tantus, si præ valetudine licuisset, ideóque ritè non posse Opus illud Eminentissimo Sfondrato tribui. Hæc Dissertatio, quod sciam, nondum typis mandata est. Vid. Armell. in Bibl. Casin. Congr. part. 1. p. 81.

Mihi

Mihi de Eminent. Cardinalis *Dissertatione* illud Plinii ep. 8. lib. 5. verè dici posse videtur: *Pro non inceptis haberi, quæ non absolveris.*

BENEDICTI PETTSCHACHER, è S. Lamberto in Styria, in Universitate Salisburgensi Theologiæ Professoris ac Rectoris Magnifici doctissima *Scripta Theologica*, e. g. 1.) *Tractatus de Sacramentis in genere, & de Baptismo, Confirmatione & Eucharistia in specie* in 8. *Salisburgi* an. 1675. 2.) *Tractatus speculativo - practicus de restitutione* in 8. an. 1676. 3.) *Opusculum de jure in communi, & in specie* in 8. 4.) *De Incarnatione* in 8. an. 1673. & plura alia. Decessit vir doctrinâ juxta ac virtute eximius ipso Parasceves die, an. 1701. de quo plura vid. in Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. c. 7. n. 243. pag. 304.

AUGUSTINI REDING, nobilis Helveti, Suitiensis, Ss. Theologiæ Professoris in Universitate Salisburgensi Abbatis ac Principis Einsidlensis anno 1692. defuncti *Theologia Scholastica* Tomis XIII. in fol. comprehensa. Typis Monasterii Einsidlensis an. 1687. Opus hoc prægrande, in quo nemo soliditatem doctrinæ, sed claritatem aliquando plures desiderârunt, mihi in memoriam revocat verba (c) Eminent. Cardinalis de Aguirre. „ Sat laboris est, Theologiam Scholasticam, „ quæ præcedentibus seculis unico „ volumine comprehendebatur à plerisq; Auctoribus, hoc tempore in tot „ singulorum ferè Scriptorum libros „ dilatatam fuisse. Sat etiam oneris „ quotidie additur, dùm ea, quæ parentum nostrorum memoriâ à nullo „ ex Scholasticis tractabantur, aut „ solùm libata fuerant, jam in unam „ & plures controversias difficiles abierunt, magna partium contentione „ exagitari solitas. Si autem iis ipsis, „ & aliis controversiis addatur interminata ferè latitudo, & objectiuncularum instantiarúmque multiplicatio, nullus erit locus percurrendi Theologiam integram; ne quidem iis, qui ab adolescentia ad „ effœtam usque ætatem in ea addiscenda, ac docenda consenescunt: „ quantò autem minùs iis, quorum „ vitæ periodus brevior est? „ Hæc sapientissimus ille Cardinalis; quæ ego tamen de *Augustini Redingii* Theologia, omnium doctorum Virorum laudibus celebrata, dicta esse nequicquam velim.

JOSEPHUS SAENZ de Aguirre Congregationis Hispaniarum & Angliæ Generalis, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor in Academia Salmanticensi, S. R. E. Cardinalis *Divi Anselmi Theologiam* Commentariis illustratam Tomis III. in fol. *Salmanticæ* vulgavit anno 1679. 1681. & 1685. Romæ 1688. Vocavit Comentarios suos in *Menologium* sancti hujus Doctoris *Theologiam S. Anselmi*, qui doctrinam ejus ubique sequitur. Licèt enim S. Augustinum, & S. Thomam etiam sectandos sibi proposuerit, directò tamen solùm *S. Anselmum* sequutus est. Quare nullam rationem habet, an quælibet opiniones à Thomistis tradantur, an à discipulis subtilis Doctoris, an denique à Scriptoribus Societatis, vel ab alio quopiam. Ex iis enim solas probat, quæ ipsi visæ sunt Anselmi conformiores, à quocunque tradantur, vel respuantur. Nec hæc S. Anselmi Theologia solùm scholastica, sed etiam dogmatica est. Unde ad eam stabiliendam frequenter utitur testimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Quamvis enim S. Anselmus solis rationibus utatur ad veritates divinitus probandas, contestatur tamen, se in *Menologio* (quod Cardinalis Commentariis illustrat) nihil dicere, *quod non Catholicorum Patrum, & maximè B. Augustini scriptis cohæreat.* Quare Aguirreus summum laborem adhibuit, ut non tantùm S. Anselmi assertiones, sed etiam rationes prædictis testimoniis confirmet. Præter quæstiones tamen illas, quibus Anselmum occasionem directò præstat, excitat alias affines, quæ post tempus S Doctoris à Scholasticis inductæ fuerunt, quoniam sine illis laborem suum non satis responsurum existimavit, qui scholas frequentant. Omnino autem studuit, illud scribendi genus evitare, quo Recentiores nonnulli Theologi extra operæ pretium inutilibus quæstionibus, rationibus, argumentis, & objectionibus in immensum coacervatis, sæpè tamen levibus, & potiùs logicalibus, quàm Theologicis Lectorem morantur. Unde meritò Mabillonius hanc Theologiam legendam suadet, cujus consilio utinam plures è nostris, præsertim qui Theologiam è suggestu docent, obsequerentur.

NICOLAUS MARIA DE TEDESCHIS, Siculus, Catanensis, Monasterii S. Nicolai de Arenis Asceta, Episcopus primùm Liparitanus, tum Archiepisco-

P 3 pus

(c) Prolegom. xi. in Theolog. S. Anselmi tom. 1. p. 53. n. 139.

pus Apamiensis, cùm adhuc Lector esset Romæ in Collegio D. Anselmi, sequentes Theologicos libros, his titulis prænotatos in lucem emisit.

1.) *Scholæ D. Anselmi doctrina* ad Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam, Theologiam Scholasticam, & Dogmaticam accomodata, mille & octoginta Thesibus ad mentem Divi Anselmi Ord. S. B. Abbatis Beccensis, & Archiepiscopi Cantuariensis, Romæ apud Josephum de Martiis, typis Joannis Francisci Chracas anno 1705. in 4.

2.) *Sacræ Doctrinæ Synopsis*, in qua universa Theologia tum Scholastica, tum Dogmatica ad Sacræ Scripturæ auctoritatem, Pontificum sanctiones, Decreta Conciliorum, præcipuè verò D. Anselmi Ord. S. B. Abbatis Beccensis & Archiepiscopi Cantuariensis collimata proponitur Romæ an. 1708. in 4. typis Nicolai de Martiis.

PAULI MEZGER, ad S. Petrum Salisburgi Cœnobitæ doctissimi, in Universitate Salisburgensi per plures annos magna cum laude ac celebritate Sacræ Theologiæ Professoris, ac Procancellarii, Varii Tractatus, & Disputationes Theologicæ, ex quibus in unum collectis, auctis, & dispositis prodiit Opus celebre, *Theologia Scholastica Salisburgensis* Tom. II. in fol. Aug. Vindel. typis Casparis Bencard an. 1695. & an. 1719. 4. Vol. in fol.

LUDOVICI BABENSTUBER, Etalensis in Bavaria Monachi, & in Academia Salisburg. Theologiæ Professoris, Viri summæ doctrinæ, *Universa Theologia*, Part. VIII. in 4. Salisburgi.

— EJUSDEM Dissertatio Theologica; in qua ostenditur differentia inter Scholam D. Thomæ & Quesnelli ac Jansenii. Augustæ Vindel. an. 1720. in 4.

ALPHONSI WENZEL, Mallerstorphensis in Bavaria Asceta, Controversiæ selectæ ex universa Theologia Scholastica ad mentem Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis, & accuratam Scholæ Angelicæ methodum concinnatæ Tomi IV. Ratisbonæ an. 1723. & 1733. apud Conradum Pezinm. Laudatur ab omnibus Auctor, quòd præcipuas in Theologia Quæstiones solidæ doctrinæ luminibus illustrârit.

THOMÆ SCHMITZ in Brauweileriano propè Coloniam Monasterio Professi *Theologia Scholastica* ad mentem S. Thomæ Aquinatis. 3. vol. in 8. Col. an. 1734. apud hæredes Thomæ von Cöllen & Josephum Huisch. Author est S. Theologiæ Doctor, & Seminarii Benedictini intra Coloniam Regens.

ANSELMI SCHNELL in Imperiali Monasterio Weingartensi Professi, ac Theologiæ Professoris *Cursus Theologiæ Scholasticæ abbreviatus*, id est, Tractatuum Theologicorum omnium Summa, seu Compendium, quod in usum SS. Theologiæ studiosorum, pro Gradu, Ordinibus, Cura &c. examinandorum, imò & ipsorum Examinantium, aliorúmque Theologorum commodum à suis prælectionibus Cl. Auctor collegit, in partes VIII. distribuit, atque in 8. Altorffii ad Vineas vulgavit an. 1737. typis Joannis Benedicti Herckneri. Est verò

Pars I. Complectens Tractatum de Deo Uno, & Tractatum de Deo Trino.

Pars II. Complectens Tractatum de Angelis & Tractatum de Homine, sive Actibus humanis.

Pars III. Complectens Tractatum de Vitiis & Peccatis, ac Tractatum de Legibus.

Pars IV. Complectens Tractatum de Gratia Divina, & Tractatum de Virtutibus Theologicis.

Pars V. Complectens Tractatum de Jure & Justitia, ac Tractatum de Restitutione.

Pars VI. Complectens Tractatum de Incarnatione Verbi Divini.

Pars VII. Complectens Tractatum de Sacramentis in genere, & tribus primis in specie.

Pars VIII. Complectens Tractatum de Sacramentis quatuor ultimis in specie.

Cæterùm quod alibi dispersum magno labore quæritur, hic in compendio facili Marte invenire licet. Et quoniam per omnia Ductoris & Doctoris Angelici vestigia presso pede Author sequitur, viam planè regiam omnibus Theologis Viatoribus non tantùm demonstrat, sed & ita applanat, ut in hoc uno Compendio, tanquam comprehensores claram Theologiæ quà speculativæ quà practicæ veritatem Romanæ Catholicæ fidei conformem facie ad faciem intueri possint.

BENEDICTI SCHMIER, Ottoburani in Suevia Cœnobitæ, SS. Theologiæ Doctoris & Professoris Emeriti in Universitate Salisburgensi *Sacra Theologia Scholastico - Polemico - Practica Tractatus viginti novem complectens*: tribus Tomis *in fol. comprehensa Augustæ Vindel. typis Ant. Maximil. Heiss sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger Bibliope-*

bliopolarum an. 1737. Instituti sui rationem Cl. Author in præfatione ad Lectorem his verbis reddit: „Nec mi„ retur, vel mihi succenseat prudens „ Lector, quòd non simplicem, & pu„ rè speculativam, sed triplicatam & „ mixtam, id est, Theologiam Scho„ lastico-Polemico-Practicam invul„ gem. Id enim moderni seculi ge„ nius, mores, motus, ac status expe„ tere videbantur. Imò apud pluri„ mos eò deventum est, ut spretis „ principiis fundamentalibus, & quæ„ stionibus sublimioribus non nisi „ casibus fictis aut factis delectentur; „ quasi verò casus non tanquam pro„ positiones particulares sub princi„ piis, & propositionibus universali„ bus continerentur, indéque facilè „ formari possint.„ Universo Operi præmittitur utilis admodùm Apparatus, in quo variæ res novello Theologiæ studioso scitu priùs necessariæ, quàm ad ejusdem studium accedat, viginti octo paragraphis explicantur; cujusmodi sunt, v. g. 1.) De loco Theologico à Verbo Dei scripto, & non scripto. 2.) De loco ab authoritate Conciliorum Generalium, seu Summorum Pontificum, & Ecclesiæ. 3.) De propositionibus damnatis Baii, Jansenii, Quesnelli &c. 4.) De hæresibus damnatis & hæreticis. 5.) De Scriptoribus & libris prohibitis. 6.) De loco ab authoritate SS. Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum. 7.) De loco ab auctoritate Theologorum Scholasticorum. 8.) De loco ab auctoritate Juris Pontificii Doctorum; & quid de Jure Civili? 9.) De loco ab auctoritate Historiarum. 10.) De loco à ratione. 11.) De doctrina & auctoritate Doctoris Angelici. Atque hic Apparatus *Tractatum I.* absolvit. Tractatus II. agit *de Deo Glorioso, Uno, Optimo, Maximo.* Demonstratur inter alia, quòd non possit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei. Evertitur Atheismus, ubi Auctor de magno Atheorum numero in Gallia, Anglia, Polonia, Italia, nescio quàm verè, conqueritur. Nam quod ad Gallos attinet, ejusmodi querimoniam Adrianus Baillet *Jugemens des Sçavans* tom. 1. pag. 349. explodit. Rejicitur Scientia Media; argumentis subjicitur notabile dilemma, quo Clemens VIII. aliquem Molinistam vicit. Quærebat Pontifex: quid Deus præsciat per scientiam mediam? Respondit Molinista: bonum usum liberi arbitrii. Instat Clemens: bonum usum liberi arbitrii, aut quem gratia, aut quem natura factura erat? si primum: est contra Molinam. Si secundum; est juxta Semipelagianos. Tractatus III. *de Deo Trino, Glorioso, Optimo, Maximo.* In proloquio laudatur Em. Card. de Aguirre, qui in Opere suo, quod de profundissimo Summæ & Individuæ Trinitatis mysterio elucubravit, planè admirabili & incomparabili, novum verúmque Catholicæ fidei Herculem se ostendit; quia tot Hydras debellavit, quot hæreses contra Trinitatem Divinam capita attollentes decollavit, & prostravit. Tract. IV. *De Beatitudine & Cultu Sanctorum, in Deo Glorioso clarè viso triumphantium*: ubi agitur etiam de cultu SS. Imaginum & Reliquiarum; item de sacra Cruce, ejúsque adoratione. Cui accedit disquisitio de visione Dei intuitiva Divo Patriarchæ Benedicto Viatori transeunter communicata: concludit Auctor S. Patriarcham Divinam Essentiam in raptu à sensibus abstractum vidisse. *Tractatus V. de Angelis*, quæstionibus XXXI. comprehensus, quarum ultima de Angelis malis, sive dæmonibus tractat. *Tractatus VI. de Deo-Homine*, sive admirabili Dei incarnati cum assumpta humanitate comercio. Accedunt Corollaria finalia de Resurrectione, Ascensione, Sessione, & Judiciaria potestate Christi. Elogia LX. in Christi Jesu Dei-Hominis Patientis, Morientis, Reviviscentis, Ascendentis, & futuri Judicis memoriam & gloriam stylo lapidari opportunè coronidis loco adjuncta. Item Epistola Pilati ad Cæsarem continens successum vitæ & passionis Christi: De Abagari Edessæ Regis ad Christum Epistolis, Christique ad Abagarum datis. Atque sic his sex Tractatibus Tomus I. absolvitur.

Tomus II. incipit à *Tractatu VII.* in cujus prima Dissertatione agitur *de Ecclesia Christi in terris militante*, sive *de Fide*. Pro præcipuis veræ Ecclesiæ Christi Notis meritò adstruuntur illæ quatuor in Symbolo Nicæno expressæ, nempe quòd sit *Una: Sancta: Catholica: & Apostolica.* Pagina 36. habetur Collatio Ecclesiæ Catholicæ veteris cum hodierna, Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi à S. R. E. Cardinale Perronio olim proposita. Sequuntur nonnulla de Martino Luthero, 1. An Lutherus reformationem attentârit zelo bono & legitima vocatione? 2. An & quibus erroribus Lutherus Ecclesiam deformârit? 3. Erronea dogmata

mata Lutheri. Altera Dissertatio tractat de Sacris Scripturis, & controversiarum Judice; ubi sub finem ostenditur intolerabilis hæreticorum calumnia Vicarium Christi Antichristum nominantium. Tertia Dissertatio de Fide Divina, seu Theologica. Quæstione trigesima tertia ventilatur, sintne Apostatæ, seu Desertores veræ Fidei tolerandi? Assertio est negativa, præscindendo tamen à transactionibus & publicis pactionibus in Romano Imperio, post Martini Lutheri multiplicatam gentem, auctámque in suis adhærentibus potentiam, inter dissidentes partes initis, Catholicos premente necessitate, & terrente majoris mali imminentis tetrâ imagine. Pro conclusione Tractatûs subjiciuntur Quinquaginta Rationes & Motiva, cur in tanta varietate Religionum & Confessionum Fidei in Christiano orbe moderno tempore vigentium, sola Religio Romano-Catholica sit eligenda, & omnibus aliis præferenda. Expendit ea Sapientissimus non minùs ac Serenissimus Dux Brunswicensis, & Luneburgicus Antonius Ulricus ad Religionem Orthodoxam conversus. Sequitur schema Eorum, qui ex Illustriss. ac Serenissimis Prosapiis oriundi per unius seculi decursum ab Heterodoxa ad Romanam & Orthodoxam Fidem, vocante Numine, rediêre. Denique accedit appendix, seu animadversio in Anonymum sub larva *Sinceri Pistophili* latitantem. Cl. Author cùm an. 1732. 4. Aug. amplam disputationem, sive librum de *Militante Ecclesia* edidisset, Primatum atque infallibilitatem Pontificum asseruit. Inter cætera argumenta etiam ad Epistolas *Anacleti*, *Evaristi* &c. provocaverat, quas *Sincerus Pistophilus* fictitias esse contendit, cui verò Eximius P. Schmier respondet. Optandum tamen fuisset, ut Cl. Author priùs legisset partem III. doctissimæ præfationis Petri Coutantii è Congr. S. Mauri ad Decretales Summorum Pontificum.

Tractatus VIII. de Spe & Charitate: Gratia habituali, Justificatione & merito Justorum. Quæstione decima examinatur, quid censendum sit de illa Sectariorum sententia, quòd sola fides justificet. Arguitur Lutherus, quòd particulam *Sola* Scripturæ in versione Germanica intrudendo, Scripturæ Sacræ vim intulerit. *Tractatus IX. de Gratia Actuali*, in quo contra Jansenistas adstruitur *auxilium sine quo non*, sive actualis gratia verè sufficiens separata à gratia, seu auxilio efficaci. Contra Molinam verò concluditur, quòd gratia ex se & ab intrinseco sit efficax. *Tractatus X. de Libero arbitrio & Actibus humanis*, ubi multa de prædeterminatione physica. *Tractatus XI. de Malo pessimo*, id est, *peccato* in genere & in specie. Legi merentur pag. 29. Notabilia practica cum ordine ad Confessionale. Exterminatur peccatum purè philosophicum, quod seculis retroactis nunquam auditum, anno 1686. Divione defensum fuit. Deipara Virgo MARIA eximitur à *Debito proximo* contrahendi peccatum originale. Quam sententiam antehac in Universitate Salisburgensi nullus Theologiæ Professor docere sustinuit [*vide Cl. P. Mezgerum in Theologia Salisburgensi*] nullus, qui SS. Patrum traditionem, ac Divi Thomæ Aquinatis doctrinam in Legibus Universitatis Theologiæ Professoribus præscriptam deserere nolit, docere sustinebit. Esto enim, quòd Doctor Angelicus [ut vult Eminent. Cardinalis noster Sfondratus *in Innocentia Vindicata*; neque tamen omnibus persuasit] B. Virginem à macula originalis peccati exemptam crediderit, nequaquam tamen à *Debito* ipsius peccati immunem credidit. Nova est hæc sententia, & anno primùm 1615. à RR. PP. Franciscanis excogitata; quam & ego doctus fui, & docui, sed nunc, tametsi illam præterea in *Tractatu de Cultu Immaculatæ Conceptionis* laudibus exornârim, ceu concordi *sanctorum Patrum Traditioni* & doctrinæ *Communi* Theologorum usque ad annum 1615. adversantem desero & expungo. *Tractatus XII. de Conscientia.* Hic examinatur non famosa minùs, quàm ardua controversia, an liceat sequi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliori, simúlque tutiori. Discussis utriusque sententiæ fundamentis Author mediam, ceu tutissimam viam ingreditur. *Tractatus XIII. de Legibus.* Author contra plures Theologos defendit, quòd Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum probabiliùs vim legis universalis obtineant, etsi non fuerint solenniter promulgatæ. *Tractatus XIV. De Justitia & Jure.* In hoc Tractatu celebres discutiuntur quæstiones, v. g. sintne Clerici Beneficiati domini redituûm etiam superfluorum? An Beneficiati jure naturali, seu titulo justitiæ superfluos reditus in pauperes, aliósque

que pios usus erogare teneantur, & contra facientes ad restitutionem obligentur? An distributiones quotidianae subsint liberae dispositioni Clericorum & Canonicorum? Utrùm & vectigalia & tributa solvenda sint, tametsi per Officiales non exigantur? & quid si ipsa putentur injusta? *Tractatus XV. de Justitiae ac Juris laesi reparatione, sive de Restitutione.* Inquirit Author in Literas Moratorias, an & quibus debitoribus licitè concedantur? An usurae merè lucratoriae vi mutui perceptae sint restitutioni obnoxiae? *Tractatus XVI. De Piis Causis.* Author à rigore ad favores, à Justitia & Jure ad *Pias Causas* transgreditur in gratiam juniorum Theologorum, quibus illarum cognitio non solùm utilis, sed etiam scitu necessaria est. In proloquio singularem suam modestiam his verbis prodit: „ Nec „ me à scribendi proposito absterreri „ passus fui, quòd alicubi quidam egregii viri hac in re non exigua stipendia apud literatos promeruerint: „ memineram siquidem, *D. Augustinum* dixisse: *Utile est, plures libros à pluribus diverso stylo etiam de eisdem quaestionibus fieri*, neque „ erubesco, in pluribus bonorum Interpretum cumulatorem agere, qui „ hebetudini ingenii proprii in rebus „ tam ambiguis fidere & inniti nolo „ &c. Atque his Tractatibus Tomus „ II. comprehenditur.

Tomus III. primò exhibet *Tractatum XVII. de SS. Sacramentis in Genere*, ubi Author à communi doctrina non recedit. *Tractatus XVIII. De Sacramento Baptismi.* Ad quaestionem: *An Baptismus in nomine Christi collatus hodie valeat, aut saltem in primitiva Ecclesia valuerit?* Author respondet & resolvit: Baptismum dicto modo hodie invalidum esse, probabile tamen esse, quòd in primitiva Ecclesia notabili tempore valuerit Baptismus collatus in nomine Jesu Christi. *Tractatus XIX. De Sacramento Confirmationis*, cujus suscipiendae per se loqnendo hodie nullam extare obligationem docet. *Tractatus XX. & XXI. de Sacramento & Sacrificio Missae Eucharistico.* Movet Auctor praeter plurimas Theologicas etiam Quaestionem Historicam magis, quàm Scholasticam, an Latini à primis statim Ecclesiae temporibus in Sacrificio Eucharistico pane azymo usi fuerint? Ostendi verò, inquit, ex Mabillonio contra Sirmondum, Latinis à primis Ecclesiae seculis panem azymum pro Eucharistia usui fuisse. Quamquàm ad calcem discussae quaestionis subjiciat: *Atque ista sufficiant pro hac famosa controversia, in qua non tam partes disputantis aut decidentis, quàm referentis obivi.* Rectè hanc cautelam adhibuit; quia Mabillonii ratio non ubique hodie obtinet, sed multi Eruditi ab eo nunc dissentiunt. *Tractatus XXII. De Sacramento extremae Unctionis.* Ubi Quaestio XII. proponitur, an Deipara extremam susceperit Unctionem? Authori ex multis rationibus verosimile videtur, Deiparam Virginem Sacramentum extremae Unctionis nec suscepisse, nec suscipere potuisse. Quam verò instructionem de visitatione & cura infirmorum tradit, à Parochis omnino, legi meretur. Nec ab iisdem praetermittenda, quae tradit de causis pestis, seu contagionis, & cautelis in Sacramentorum administratione ejus intuitu adhibendis. *Tractatus XXIII. De Sacramento Ordinis.* Quam materiam, cùm sit & in Theologia Morali, & in Jure Canonico vulgatissima, strictim explicat. *Tractatus XXIV. De Sacramento Matrimonii.* Etiam hîc Auctor brevitati intentus est, quia uberiùs in Libro IV. Decretalium jam scripsit: nihilominus multas scitu non indignas proponit & resolvit quaestiones. *Tractatus XXV. De potestate Clavium Fori interni, seu de Virtute & Sacramento Poenitentiae.* Complectitur XI. Dissertationes, in quibus IX. est de Confessariis Regularibus & Regularium, XI. De Absolutione à Casibus reservatis quoad personas Regulares in specie: item de Absolutione ab Episcopalibus & Papalibus indiscriminatim. Quae Religiosis scitu valde necessaria sunt. Nec obvia sunt, quae de origine, officio, & potestate Tribunalis Sacrae Poenitentiariae & Cardinale Poenitentiario majori Urbis proponuntur. *Tractatus XXVI. De potestate Clavium in distribuendis ex Thesauro Ecclesiae indulgentiis.* Nihil Author, quidquid ad elucidationem hujus argumenti attinet, praetermisisse videtur; praecipuè diversas, & non cuivis obvias de Altaribus Privilegiatis, eorúmque indulgentiis, in suffragium defunctorum quaestiones accurata disquisitione pertractat. *Tractatus XXVII. De potestate Clavium in concedendis Jubilaeis universalibus tam ordinariis Anni Sancti, quàm extraordinariis, necnon de facultatibus eorum accessoriis.* Qui fa-

sacras cæremonias, quæ in indictione & inchoatione Jubilæi Anni Sancti interveniunt, cognoscere cupit, eas ex Benzonio stylo eleganti delineatas habet pag. 14. Nec in solutione cæterarum Theologicarum quæstionum quidquam desiderabit. *Tractatus XXVIII. De potestate Clavium fori externi circa censuras ecclesiasticas in genere, & in specie.* Antequam Cl. Auctor Dissertatione X. Censuras in Bulla Cœnæ contentas recenseat & exponat, animadvertit, nomen hoc *Bulla* fortitas esse Literas Apostolicas, quia eis appenditur sigillum, non quidem aureum, vel argenteum, sed plumbeum, ne propter excellentiam & valorem metalli hominibus rapacibus detur occasio subtrahendi Bullam, id est, sigillum à literis sic bullatis, per notata à Glossa *in Clem. unic. in fin. verb. Bulla aurea de Jurejur.* Atque hæ literæ sic bullatæ, decoratæ, seu plumbeo sigillo munitæ primum locum inter literas Pontificias tenent. Meminit tamen Eminent. Vincentius Petra Comment. Constit. Apostol. tom. 1. pag. 4. quòd Bulla aurea usus fuerit Clemens VII. in Diplomate, quo titulum *Defensoris Fidei* contulit Henrico VIII. Angliæ Regi; itémque alii summi Pontifices in Diplomatibus, quibus electiones Imperatorum confirmârunt. *Tractatus XXIX. De potestate ecclesiastica circa irregularitates in genere & in specie.* In hac materia Auctor ad aliud suum Opus, quo in Jus Canonicum, dum ejusdem erat in Universitate Salisburgensi Professor, commentatus est, sæpiùs recurrit, cùm ex sacris Canonibus ceu primævis fontibus potissimarum de Irregularitate quæstionum solutio clariùs promanare soleat. Atque sic Cl. Auctor Theologiæ Scholastico-Polemico-Practicæ finem imponit.

AUGUSTINI CALMET *Dissertatio de Baptismo*, quæ extat inter alias Biblicas, & ante Commentarium in Evangelium S. Marci.

— EJUSDEM alia *de Baptismo Jesu Christi nomine collato.* Extat l. c. & ante Commentarium in Acta Apostolorum.

— EJUSDEM Dissertatio *De Peccato in Spiritum Sanctum.* loc. cit.

COELESTINI HERRMAN Theologia selecta Scholastica. Augustæ Vindel. anno 1720. in. 4.

HYACINTHI PERI è S. Lamberto Tractatus Theologicus de Deo. fol. annum & locum editionis non recordor. Auctor fato interceptus reliquos Tractatus prælis subjicere haud potuit.

PLACIDI RENZ, Weingartensis, *Theologia* ad mentem Angelici Doctoris D. Thomæ. Opus posthumum. Aug. Vind. fol. an. 1741. Sumptibus Franc. Ant. Ilger.

GALLI CARTIER, Ettenheimensis in Brisgoia Monasterii Subprioris, antehac SS. Theologiæ Professoris

Theologia in quatuor fat magnæ molis distincta Tomos hósque in varios Tractatus.

Primus Tomus est de locis Theologicis, continétque Tractatus de S. Scriptura, Traditione Ecclesiastica, SS. Patribus &c.

Secundus complectitur Tractatus de Deo uno & Trino, de Angelis & homine, de Incarnatione, de Gratia Christi.

Tertius comprehendit Tractatus de Actibus humanis, Conscientia, Legibus, Virtutibus Theologicis, Religione, Virtutibus moralibus, quas Cardinales vocant, & Peccatis.

Quartus denique numerat octo Tractatus de Sacramentis in genere & specie.

In hoc præclaro Opere Eximius Auctor neglectis inutilibus & ineptis vulgarium Theologorum quæstionibus, quibus sacratissimam & sublimem hanc Disciplinam deturpârunt potiùs, quàm illustrârint, quanta potuit perspicuitate, Dogmatica, nec non Nos inter & Acatholicos controversa enodavit, Catholicorúmque circa ea sententiam solidis atque ex omni probationum genere petitis argumentis firmavit; earum verò quæstionum, quæ salva fide inter Catholicos Theologos cum majori, quàm fortè oporteat, animorum fervore hinc inde agitantur, atque Scholarum Disputationibus ab Ecclesia sunt relictæ; fundamenta retulisse satis habuit, suspensa semper animi sui sententia, ut sic neminis in se concitaret invidiam, magísque Opus suum omnibus probaretur.

SECTIO IV.

THEOLOGIÆ POLEMICÆ SCRIPTORES.

S. GREGORII MAGNI concertatio de Resurrectione cum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, qui eam minimè tractabilem fore asserebat

bat. Extat Moralium Lib. XIV. à num. 72. ad 75. unde transcripta apud Joannem Diaconum in Vita Gregorii lib. 1. cap. 29.

EJUSDEM *Epistola ad Anatolium* contra hæresin Agnoitarum *de ignorantia Christi*. Quæ tamen inter ejus epistolas non invenitur. Multa alia Polemica ad revincendos errores Manichæorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, & Quietistarum suis scriptis inseruit Gregorius, ut jam diximus hujus Operis Parte II. Cap. I. Sect. III. Vide Dionys. Sammarth. præfationem in Opera Gregorii.

S. LEANDER ex Monacho Archiepiscopus Hispalensis, cùm adhuc Orthodoxæ fidei causâ in exilio versaretur, scripsit, ut Isidorus de Script. E. cap. 28. ait, *adversùs hæreticorum dogmata duos libros, eruditione sanctarum Scripturarum ditissimos: in quibus vehementi stilo Arianæ impietatis confodit, atque detegit pravitatem: ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantum distet ab eis religione, vel fidei sacramentis. Item* (Isidorus idem subjicit) *aliud laudabile opusculum adversùs instituta Arianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit.* Quæ duo Opera edax absumpsit ætas, Nic. Ant. Bibl. Vet. Hisp. lib. IV. c. 4. pag. 224.

S. ILDEPHONSI ex Monacho & Abbate Monasterii Agaliensis in Hispania Archiep. Toletani *Libellus de perpetua Virginitate B. Mariæ*; qui quidem omnino distingui debet ab eo libro, quem S. Paschasius Radbertus edidit *de Partu* Virginis. Licèt enim, ut præclarè ostendit Mabillonius in præfatione Seculi III. Benedictini Part. II. utriusque Scriptoris idem sit scopus, & ferè idem argumentum, nihilo seciùs diversus est fœtus, diversa inscriptio, alii atque alii adversarii. Scripsit S. Ildephonsus, Archiepiscopus Toletanus, *contra tres Infideles, Jovinianum, Helvidium, & Judæos*, qui Virginitatem B. Mariæ sacrilego ore negabant, ut constat ex epistolis *Quirici Barcinonensis* ejus æqualis, quæ extant in Tomo I. Spicilegii. Paschasius verò Radbertus scripsit contra *Fratres* (sic in præfatione adversarios suos appellat) qui de Virginitate Matris Dei rectè quidem sentiebant, sed modum Partûs *Dominici* non rectè explicabant. Malè igitur Guilielmus Cave in Hist. Script. Eccl. Sæc. VII. ad an. 657. Librum de Illibata Virginitate Beatæ Virginis contra Infideles Ildephonso abjudicat, contrà verò Paschasio attribuit. Vid. Graveson Hist. Eccl. Sæc. VII. colloq. v. p. 178.

S. BONITUS ex Episcopo Arvernensi Benedictinus Magnilocensis Epistolam, cùm Magniloci circa annum 699. vitam monasticam ageret, scripsit contra renascentes apud Arvernos Arianismi & Jovinianismi surculos, quæ Epistola in illo monasterio Scriptoris ejus vitæ (qui S. Boniti coætaneus fuit) adhuc extabat. Mabill. Annal. tom. I. pag. 620.

CUMMIANI, sive *Cummenei* Abbatis, atque, ut Mabillonio videtur, scriptoris vitæ S. Columbæ Abbatis *Epistola de controversia Paschali* ad Segienum Huensis Monasterii Abbatem edita est ab Usserio in Hibernicis p. 25. 35. qua in epistola validè refellit Scotos, populares suos, consensu Ecclesiæ universalis. *Quid autem pravius*, inquit, *sentiri potest de Ecclesia matre, quam si dicamus, Roma errat, Hierosolyma errat, Alexandria errat, Antiochia errat, totus mundus errat: soli tantùm Scoti & Britones rectum sapiunt*. Vid. Mabill. Præfat. ad Acta O. S. Ben. Sec. III. part. 1. §. 1. n. 8.

S. ALDHELMI ex Malmesburiensi Abbate Schireburnensis Episcopi *Liber contra errores Britonum*, qui vel Pascha suo tempore non celebrabant, vel alia Ecclesiasticæ paci contraria gerebant, jubente synodo suæ gentis ab eo adhuc Abbate scriptus, qui tamen intercidit. Vid. Pagius ad an. Chr. 692. n. 24. & ad an. 699. n. 2. Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. VIII. cap. 3. art. 1. pag. 680.

CEOLFRIDI Abbatis Wiremuthensis & Girovicensis in Anglia *Epistola de legitima observatione Paschæ, & tonsura Clericorum* circa an. 709. scripta ad Naitonem, Regem Pictorum, qui ea perlecta gentem suam ad concordiam Ecclesiæ reduxit. Hanc epistolam Ven. Beda lib. V. Hist. Eccl. cap. 22. intexuit, unde Spelmannus acceptam Tomo I. Conciliorum Britanniæ p. 220. inseruit; quod alii etiam Conciliorum editores fecerunt.

VEN. BEDÆ Liber primus ex VII. in Cantica contra *Julianum Celanensem* (*Eclanensem*) *Episcopum*, qui commentariis suis errores Pelagianos contra gratiam Dei insperserat, extat Opp. Tom. IV. pag. 714. Rationem suæ confutationis S. Doctor his vet-

verbis exposuit: „Scripturus, juvante „ gratia superna, in Cantica Canticorum, primò admonendum putavi „ lectorem, ut Opuscula Juliani Celanensis Episcopi à Campania, quæ „ in eundem librum confecit, cautissimè legat: ne per copiam eloquentiæ blandientis, in cœnum incidat „ doctrinæ nocentis. Sed ut dici solet, ita carpat botrum, ut & spinam caveat: id est, in dictis ejus „ sanos sensus scrutetur, & eligat, ut „ non minùs vitet insanos. - - Est „ enim homo, ut Rhetor peritissimus, „ ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus &c.

S. BEATUS Levanensis Astur, Hispanus Presbyter ac Monachus Benedictinus, de quo auctor vitæ apud Mabillonium Sec. III. Benedictin. Part. II. & Mabillonius in Observatione prævia pag. 734. Nic. Ant. Bibl. veteris Hispanæ lib. VI. cap. 2. pag. 325. seqq. scripsit ærâ 832. hoc est, anno Christi 785. unà cum *Etherio*, Episcopo Uxamensi, Benedictini olim instituti consorte, adversùs *Elipandum* Toletanæ Sedis Episcopum, discipulum, & sectatorem *Felicis* Urgelitani Episcopi, qui docuit, Christum secundùm naturam assumptam filium esse non naturalem, sed adoptivum, *de Adoptione Christi, Filii Dei*, libros duos, quos primus edidit Petrus Stephartius in Collectione veterum Scriptorum Ingolstadii 1616. in 4. recusos inde in Biblioth. Patrum Paris. 1644. 1654. Tom. IV. Parte II. Colon. 1618. Tom. VIII. & Lugdun. 1677. Tomo XIII. & cum antiquis lectionibus Canisii edition. Basnag. Tom. II. Quàm præclarè de his libris Gabriel Vasquez senserit, jam aliàs commemoravimus. Quòd verò *Antiphrasium* S. Beatum dixêre Elipandus & Felix, non contradictorem interpretatur V. C. Jo. Albert. Fabricius, sed per antiphrasin ita dictum, sive minimè *beatum* frigido scommate, quod in Felicem retorqueri poterat. Vid. Fabric. Biblioth. med. & infimæ Latinit. lib. 2. pag. 491.

ALCUINI *Opera Polemica.* 1. *Contra Felicem Orgelitanum Episcopum Libri VII.* an. 798. scripti. In Bibliothecis Patrum Paulino Aquileiensi perperàm attribuuntur; extant verò in Alcuini Opp. Part. II. pag. 782.-899. 2.) *Epistola ad Elipandum Toletanum Archiepiscopum*, qua eum ad retinendam fidem orthodoxam cohortatus fuit. Is verò jure fanè immerito ira ac furore ea causa commotus, aliam epistolam stylo admodùm barbaro, Alcuino rescripsit, injuriis, convitiis & calumniis constipatam. 3.) *Contra Elipandi Epistolam Libri II.* quibus perversa illius asserta enervat, anno 800. exarati. 4.) *De Incarnatione Christi, & de duabus in eo naturis, ac de unitate unius personæ*, contra eundem libri II. eodem anno conscripti. Quatuor hi libri in Alcuini Opp. part. 2. pag. 910. habentur. 5.) *Epistola ad* Abbates & Monachos Gothiæ *de Filio Dei non adoptivo*, quam edidit Baluzius Tom. II. Miscell. pag. 377. 6.) *Breviarium fidei adversùs Arianos*, quod inter Opuscula dogmatica anonymum edidit Sirmondus Parisiis 1630. ex fide autem Mss. Codicum Alcuino debetur, teste Chiffletio.

S. BENEDICTI ANIANENSIS ABBATIS Disputatio adversùs Felicianam impietatem, quam Stephanus Baluzius Miscell. Tom. V. pag. 30. vulgavit.

B. RABANI MAURI Opusculum seu *Liber de variis quæstionibus adversùs Judæos, seu cæteros infideles, vel plerosque hæreticos judaizantes ex utroque Testamento collectis.* Hunc librum non ita pridem ex codice manu exarato Monasterii S. Sergii Andegavensis juris publici fecerunt Marthene & Durand Thes. Nov. Anecdot. Tom. V. pag. 402.

EJUSDEM *Epistolæ tres de Prædestinatione adversùs Gothescalcum*; prima est ad *Hincmarum* Remensem Episcopum, altera ad *Heberardum* Comitem, tertia ad *Notingum* Veronensem Episcopum. Typis vulgavit Jac. Sirmondus an. 1647. ex quibus secunda & tertia recusæ fuerunt in tomo III. Italiæ sacræ cura & studio Ferdinandi Ughelli, quem editio Sirmondi fors fugiebat.

HINCMARI ex Monacho S. Dionysii Remensis Archiepiscopi *De prædestinatione Dei & libero arbitrio* volumen ingens tribus libris comprehensũ contra reprehensores suos, maximéque contra duos Monachos, Gothescalcum Orbacensem, & Ratramnum Corbeiensem, geminæ prædestinationis assertores ad Carolum Regem an. 856. scriptum. Cujus operis sola restat apud Flodoardum Epistola, seu Præfatio ad Carolum Galliæ Regem & Imperatorem, quam Sirmondus Tomo I. Operum Hincmari exhibet.

EJUSDEM

-- EJUSDEM *Hincmari* alterum Opus de prædestinatione, quod extat integrum Operum ejus Tomo I. pag. 1. - 410. Constat hic liber capitulis octo & triginta, eóque potissimùm spectat, ut probet, Gothescalcum renovâsse hæresim, siqua unquam fuit, veterum Prædestinatianorum; & ut quatuor Carisiacensia capitula, ab ipso edita, confirmet, vindicétque à censura Patrum Concilii Valentini, qui ea reprobaverunt. Vide plura apud Mabill. Annal. tom. 3. p. 81. Nat. Alex. H. E. Tom. VI. p. 297.

SERVATI LUPI, Abbatis Ferrariensis *Libellus de tribus Quæstionibus, de Libero arbitrio, de Prædestinatione bonorum & malorum*, ac *de Sanguinis Domini Taxatione.* Hunc libellum Præses Maguinus in Vindiciis Gratiæ & Prædestinationis vulgavit sub nomine *Lupi Servati* Moguntinensis Presbyteri, illum distinguens à Lupo Ferrariensi Abbate. Verùm unum & eundem esse, styli ac temporis, non tantùm nominis convenientia suadet, probátque Sirmondus ex ipsius Lupi ad Nicolaum Papam epistola, Wenilonis, ut apparet, Senonensis Episcopi scripta de Herimanno Nivernensi, cujus epistolæ hic titulus & initium in Floriacensi codice sic habet: *Scriptum Servati Lupi ad Papam Nicolaum. Suggerimus mansuetissimæ paternitati vestræ.* Ex quo intelligitur, *Servato* huic prænomen fuisse, nec *Lupum Servatum*, ut cum Sigeberto & Trithemio nonnulli recentiores vocant, sed *Servatum Lupum*, quod veteres libri, auctorésque docent, dici oportere. Cur verò *Servati* prænomen *Lupo* tributum sit, rationem te docebit Mabillonius Annal. tom. 2. p. 581. Causam verò, qua *Servatus Lupus* ad scribendum hunc libellum impulsus fuit, ipse in præfatione aperit his verbis: *Cùm post devictas persecutiones, & falsas opiniones jam inde ab Incarnatione Domini exortas DCCCXLIX. ab eadem Incarnatione agente annum Ecclesia in pace, quam & reliquit Servator eum ea futurus usque ad consummationem seculi, comperissem primùm in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certè quorundam intentionem, quod de libero arbitrio, & de prædestinatione bonorum & malorum, ac de sanguinis Domini taxatione vulgò quædam inaudita jactarentur, harum rerum, qui per se non possent, optavi, ut per me fierent certiores.* Libelli summam vide apud Nat. Alex. Hist. Eccles. Tom. VI. sec. IX. Disp. V. p. 283.

-- EJUSDEM SERVATI LUPI Epistola ad Carolum Calvum Regem Christianissimum, quæ est veluti Epitome quædam de iisdem *tribus Quæstionibus*. Censuram vide apud eundem Nat. Alex. l. c. p. 284. Hic solùm adverto, quòd Lupus ad astruendam geminam prædestinationem utatur authoritate S. Gregorii M. & Ven. Bedæ, quorum uterque ex Ordine fuit Benedictino.

RATRAMNI Corbeiensis Monachi libri duo de *Prædestinatione*, quos Caroli Calvi, Christianissimi Regis, mandato composuit. In secundo prædestinationem impiorum ad pœnam disertè adstruit auctoritate S. Augustini, Fulgentii, Isidori Hispalensis, & Cassiodori. Prædestinationi tamen & Gothescalci erroti non favet Ratramnus, quia negat, prædestinationem reprobos constringere necessitate pereundi, aut eos ad peccatum à Deo prædestinari. Vid. Nat. Alex. l. c. p. 285. Ratramni libros edidit Mauguin. in Vindic. Gratiæ tom. 2. pag. 27 - 102.

ADREVALDUS Monachus Floriacensis, Ludovici Pii temporibus claruit, & anno Christi 858. adhuc superstes, scripsit contra ineptias *Joannis Scoti*, quem malè aliqui confundunt cum *Joanne* nostro Æthelmgiæ Abbate. Docebat verò Scotus in libris de naturis, quòd *trina sit Deitas: quòd Sacramentum Altaris non verum corpus, & verus sanguis sit Domini; sed tantùm memoria veri corporis, & sanguinis ejus; quòd Angeli sint corporales: quòd anima hominis non sit in corpore; quòd non aliæ pœnæ sint infernales nisi tormentalis memoria conscientiæ peccatorum.* Contra hos errores Adrevaldus authoritates Patrum colligens Scoti ineptias detrivit. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 67. Ejus verò *Liber de Corpore & Sanguine Domini contra Joannem Scotum* vulgatus est à Dacherio Spicil. vet. edit. Tom. XII. novæ Tom. I. pag. 151. Sed de hoc jam superiùs.

THEODEMIRUS Abbas Gallus incerti monasterii, in quo centum quadraginta Monachi sub regula S. Benedicti militabant, primus omnium contra *Claudium Taurinensem* Iconoclastam scripsit, edita ad eum epistola, quâ retinendas sacras Imagines, non tamen adorandas verè asseruit. Theodemirum subinde ad Episcopatum Caligurritanum fuisse evectum scribit

rolus le Cointe ad an. 828. Tom. VIII. Annal. pag. 33.

DUNGALI RECLUSI in Monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis pro defensione cultûs Imaginum contra Claudium Taurinensem Episcopum hæreticum Iconoclastam à Papyrio Massono primùm editus est. Cùm enim Claudius ad epistolam Theodemiri apologetico superbè ac protervè respondisset, Dungalus ejus defensionem suscepit. In suo verò libro doctissimus hic *Reclusus* Crucem Domini & ejus Sanctorúmque Imagines, ac sacras Reliquias *congruo, fideli, & religioso cultu laudare, diligere, ac venerari* debere Christianos probat, & hæreticum illum Antistitem luculentissimis SS. Patrum testimoniis oppugnat. Qua in re valde mirari subit, quâ fronte *Dallæus*, Calvinianæ sectæ minister, aliíque Heterodoxi authoritate Dungali contra Imaginum cultum abuti audeant, cùm potiùs illorum errorem apertè confodiat, sicut data opera evincit Natalis Alexander Differt. VI. in Hist. Eccl. sec. IX. §. XIV. apud Gravefon H. E. sec. IX. Colloq. V. pag. 156.

RATHERIUS ex Monacho Laubiensi Episcopus Veronensis scripsit contra hæreticos, qui nominantur Antropomorphitæ, & Deum membris asserunt constare humanis, librum unum. Trithem. Annal. Hirsaug. ad an. 920. pag. 63.

FULBERTI ex Monacho S. Petri in Valle Carnotensi Episcopi Carnotensis *Tractatus adversùs Judæos* negantes hanc Jacob morientis prophetiam: *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* in Christo Domino fuisse impletam. Vid. Nat. Alex. l. c. Tom. VI. pag. 501.

LEO IX. scripsit epistolam in XLI. capita distinctam, seu libellum ad Cerularium Constantinopolitanum Patriarcham, & Constantinum Monomachum, ne fineret invalescere in Imperio suo tot hæreses: Græci enim, teste Leone, *ut* SIMONIACI *donum Dei vendebant*, *ut* VALESII *hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant: ut* DONATISTÆ *jactabant esse in sola Græcia orthodoxam Ecclesiam: ut* SEVERIANI *dicebant maledictam esse legem Moysi: ut* PNEUMATOMACHI *professionem Spiritûs sancti abscindebant à symbolo: ut* NAZARENI *Judaismum observabant; parvulos morientes prohibebant baptizari ante octavum nativitatis diem: Latinos in nomine S. Trinitatis baptizatos rebaptizabant, & ipsi sacrificantes de fermento, Latinos vocabant Azymitas, & claudentes eorum ecclesias, eos persequebantur.* Videtur etiam Sigebertus diversum Opus notare, cùm post Epistolarum illarum mentionem subjungit. *Scripsit super his etiam ad Græcos librum luculento sermone, Evangelicis & Canonicis testimoniis destruens eorum errores, & Catholicæ Ecclesiæ fidem adstruens.* Teste verò Trithemio scripsit *Leo de hæresibus extirpandis Lib. I. Ad Constantinum Monomachum Imperatorem contra errores Græcorum Lib. I. Ad Patriarcham Constantinopolit. Lib. II. Contra Græcorum errores multa scripsit, & epistolas plures ad diversos.* Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 920. p. 63.

HUMBERTUS è Tullensis Cœnobii Monacho propter singularem eruditionem Sylvæ Candidæ Episcopus creatus, & inter S. R. E. Cardinales conscriptus est: à Leone IX. Constantinopolim legatus Ecclesiæ causam strenuè propugnavit adversùs *Michaëlem Cerullarium*, *Leonem Acridanum*, & *Nicetam Pectoratum*, quorum calumnias in Latinos editis libris egregiè propugnavit. Extant in appendice Tom. XI. Annal. Eccl. Cardinalis Baronii: apud Henric. Canis. Tom. VI. Lect. Antiq. & in Bibl. PP.

GILBERTUS, sive *Gislebertus*, cognomento Crispinus, patriâ Normannus, in Beccensi Monasterio tunc temporis celeberrimo, Monachus, & S. Anselmi in Theologia discipulus, celebrem disputationem, quam inter peregrinandum Moguntiæ cum Judæo quodam viva voce habuerat, literis mandavit, ac in Dialogi formâ compositam Magistro suo nuncupavit sub hac epigraphe: *de Fide Ecclesiæ contra Judæos.* Fecit hoc cùm jam Abbas esset Westmonasteriensis in Anglia. Hoc *Gilberti* Opus, quod Gabriel Gerberonius inter Opera S. Anselmi anno 1675. Parisiis edita integrum vulgavit, perperàm Georgius Calixtus de numero librorum Veteris Testamenti §. 72. pag. 136. confundit cum alio libro, qui S. Augustino adscriptus sub titulo: *Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ*, Coloniæ prodiit anno 1540. Philippus Desponte verò idem hoc *Gisleberti* Opus sub nomine Guillelmi de Campanellis, Catalaunensis olim Episcopi, in Maxima SS. PP. Bibliotheca editionis ultimæ Lugduni an. 1677. vulgavit; quem tamen

strenuè

strenuè refellit Casim. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 229.

S. ANSELMI Archiepiscopi Cantuariensis *Liber de processione Spiritûs sancti*, in quo Catholicam sententiam de processione Spiritûs sancti ex Patre, Filióque contra Græcos propugnat. *Pater*, inquit, *& Filius unicum sunt S. Spiritus principium, quippe qui ab eis procedit, non quatenus sunt duæ personæ realiter distinctæ, sed ut sunt unus Deus.* Quam ipsam doctrinam tradiderat S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. & posteà definivit tum Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. cap. 1. tum pleniùs ac distinctè Gregorius X. Papa in Concilio Generali Lugdunensi, cui ipse præfuit. Quanta autem eruditio Sacræ Scripturæ, rationum pondus, ac subtilitas in S. Anselmi libro contineatur, haud facile dictu est. Petavius lib. 7. de Trinit. cap. 7. num. 3. ubi disserit de processione Spiritûs S. ait: *Tractat hoc argumentum & uberrimè & eruditissimè S. Anselmus toto ferè libro, quem de processione Spiritûs S. contra Græcos edidit.*

B. PETRI DAMIANI *Antilogus contra Judæos.*

– EJUSDEM S.R.E. Cardinalis *Dialogus inter Judæum & Christianum.* Opp. Tom. III. editionis Cajetanæ in fol.

ADELPHUS Abbas circa A. C. 1180. scripsit librum *contra Saracenos.* Vid. Trithem. de S. E. cap. 383. & Illust. Benedict. II. 16.

PETRI ABÆLARDI *Liber adversùs hæreses* extat inter ejus Opera à Francisco Amboise, Parisiis anno 1624. vulgata.

PETRI VENERABILIS Abbatis Cluniac. *Tractatus adversùs Judæorum inveteratam duritiem*; extat inter ejus Opera junctim edita, & in Bibliothecis Patrum.

– EJUSDEM *Epistola*, sive *Diatriba*, aut *Tractatus adversùs Petrobrusianos hæreticos*; in quo præter magnam eruditionem acre judicium ostendit; sed parem laudem ab accurata Critica non ubivis meretur. Prodiit Ingolstadii an. 1545. in 4. studio & cura Johannis Hoffmaisteri.

– EJUSDEM *Libri V. adversùs nefandam Sectam Saracenorum.* Totam Authoris egregiam lucubrationem libris quinque distinctam fuisse asserit ANDREAS QUERCETANUS, eósque plurimùm à se perquisitos nequaquam reperiri potuisse dolet. *Edmundus* verò *Marthene* & *Ursinus Durand* paulò feliciores adeò desiderati Operis duos priores libros offenderunt in pervetusto Codice Aquicinctensi Auctoris ævo eleganter exarato, ubi extant ad calcem Epistolarum ejus: quos interim, dum reliqui possint reperiri, eruditis Lectoribus Tomo IX. Collectionis amplissimæ veterum Scriptorum exhibuerunt, præmissis argumentis capitulorum libri non modò primi & secundi, sed tertii quoque & quarti. Fallitur ergò *Natalis Alexander*, dum Histor. Eccles. Sec. VIII. c. 2. art. 2. pag. 548. col. 2. scribit: *Sunt, qui Petrum Cluniacensem V. libros contra Sectam Mahumetanam edidisse asserunt, sed nullibi inveniuntur.* De veterum Autborum literariis Operibus quandoque dicendum est: *Quærite, & invenietis.*

HUGO Rothomagensis Archiepiscopus ex Abbate Rhadingensi in Anglia, scripsit libros tres contra *hæreticos sui temporis*, sive de *Ecclesia & ejus Ministris* ad Albericum Ostiensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum, qui à Luca Acherio editi sunt in Appendice ad Guiberti Novigent. Opera.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis *Dialogorum inter Christianum & Judæum libri III*, quibus *Annuli* nomen dedit, extant ad calcem novæ editionis Operum S. Anselmi Paris. an. 1675. pag. 524.

EKBERTI Abbatis S. Elisabethæ Schönaugiensis fratris sub finem seculi XII. Sermones XIII. contra Catharos, qui extant in Bibliothecis Patrum. Erant verò Cathari Waldensium Infelix propago, qui damnatos Manichæorum errores hæreticus innovârunt.

NICOLAUS RADELIFUS (vitiosè *Radelif*) Lelando cap. 453. *Radoclivus*, Anglus, Monachus atque Archidiaconus ad S. Albanum circa an. 1390. adde Baleum VI. in 8. & Pitseum p. 544 seq. Scripsit Dialogos de SS. Eucharistia libris duobus sub epigraphe *Viaticum animæ salubre* contra Joannem Wicleffum, qui in dialogis suis *Nicolaum* sub canis nigri, *Petrum* Carmelitam sub albi canis nomine perstringit, Tum librum *pro imaginum cultu*, aliúmque *quæstionum diversarum.* Traditúrque apud Bzovium ad an. 1415. n. 58. p. 489. Wicleffum in privatis colloquiis, in domesticis exhortationibus, in scholasticis disputationibus, & in publicis insectatus cou-

concionibus, donec tandem scriptis quoque libris eum oppugnavit. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. l. 13. p. 383. Ejus libellus de SS.ma Evcharistia, inquit Possevinus Appar. Sac. tom. 2. per modum Dialogi scriptus vehementer pupugit Wicleffum hæreticum.

JOANNES WELLIS, Monachus Anglus in Cœnobio Ramesiensi Congr. Clun. post imbibitas tum humaniores tum philosophicas disciplinas feliciter emensus est theologicorum studiorum cursum. Quo finito doctoralem dignitatem Oxoniæ suscepit. Fuit hæreticorum omnium & præsertim Wicleffi, suorúmque sectatorum juratus hostis, & unus ex illis duodecim, qui primùm omnium illum & illius errores damnaverunt. Quædam denique non modica scripsit, quibus apud posteritatem honestam famam consecutus est, edidit enim, ut testatur abbreviator Gesneri, & alii;

1.) *De Evcharistia Lib. I.* 2.) *De Cleri prærogativa Lib. I.* 3.) *Pro religione privata Lib. I.* 4.) *Contra Nicolaum Herfordium Lib. I.* 5.) *De socii sui ingratitudine Lib. I.* 6.) *Epistolarum ad diversos Lib. I.* & alia multa ferè omnia contra hæreses & hæreticos. Claruit an. 1382. Vid. Pits. æt. 14. p. 540. Ant. à Wood in Hist. Univers. Oxon. Lib. I. p. 189. col. 2.

ANDREÆ DE ESCOBAR, Hispani Benedictini, Episcopi Megarensis, deinde Civitatensis, hinc Ajacensis, atque ut nonnullis placet, Cardinalis, *Tractatus contra quinquaginta errores Græcorum* compositus Bononiæ anno 1437. & mf.tus in Bibliotheca Vaticana. Nic. Ant. Bibl. Hisp. vet. p. 155.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, Liber 8. Quæstionum *de Polemicis* ad Maximilianum Imperat. Oppenheymii an. 1515. Item Germanicè Ingolstadii an. 1556. in 4.

SIMON BLICH, Abbas Pegaviensis in Saxonia, an. 1524. contra Lutherum librum patrio sermone scripsit *de pernicie & damnis*, quæ in bonis fortunæ, corporis, & animæ ex Lutheri, ejúsque asseclarum doctrina in homines, regiones, & provincias redundant. Lipsiæ apud Wolfgangum Stöckeln an. 1524. in 4.

ALPHONSUS DE VIRUES, Hispanus, Ulmetanus, Sac. Theolog. Magister, concionatoriíque operis laude dignus, qui Carolo Imperatori Ecclesiastes esset, atque adeò gratus, ut vel inter Germanos peregrinantem illum sequi, doctrináque Evangelicâ impertiri juberetur. Obtinuit inde Canariensis Episcopatûs infulas, clarus ad posteros edito olim opere adversùs *Philippum Melanchtonem*, quod ita inscriptum prodiit: *Philippicæ Disputationes XX. adversùs Lutherana dogmata per Philippum Melanchtonem defensa. Antverpiæ* 1541. *Coloniæ item* 1542. & 1561. quibus accedunt *septem Collationes*, quibus Erasmum Roterodamum admonebat rectæ doctrinæ. Nam quod usus familiariter eo fuisset, sibi has partes ex officio debitas imposuit. Nic. Ant. B. H. N. tom. 1. pag. 43.

LUDOVICI BLOSII, Abbatis Lætiensis *Colyrium hæreticorum* Libris II. distinctum, Lovanii typis Grævii an. 1549. in 8.

EJUSDEM Facula illuminandis & ab errore avocandis *hæreticis accommoda.* Lovanii in 12. typis Petri Zangnii an. 1562.

-- *Epistola ad nobilem Matronam ab hæreticis seductam.* Gallicè scripta, Latinè reddita extat ad calcem Operum Authoris.

JOACHIMI PERIONII, Benedictini Cormæriceni, Theologi Parisiensis, *Topicorum Theologorum libri duo*, quorum in posteriore de iis omnibus agitur, quæ hodie ab hæreticis defenduntur. Parisiis apud Thomam Richardum. 1549. in 8. & Coloniæ 1559. in 8.

GILBERTI GENEBRARDI *adversùs Centuriatores Magdeburgenses succincta & constans Doctrinæ Catholicæ per singula secula Collectio.* Edidit etiam Ant. Possev. Bibl. Select. Tom. I. lib. 7. pag. 324.-319. *Hanc Collectionem*, inquit Editor pag. 294. *omnino tam docti, quàm non ita docti perlegant obsecro.*

-- *De Trinitate libri tres contra hujus ævi Trinitarios & Autotheanos.* Paris. 1569. & 1585. in 8.

-- *Ad Lambertum Danæum, Sabellianismo doctrinam de S. Trinitate inficientem*, cum libello Francisci Jordani Theologi Parisiensis adversùs eundem. Parisiis apud Ægidium Gorbinum an. 1581.

GEORGII FLACHII, Benedictini Lorchensis, & Michaëlis Wagneri duæ Quæstiones de Sacrificio Missæ, & de Sacra Communione, Ingolstadii an. 1543.

LEONARDI RUBENI, Germani Essendiensis, ex Jesuita Monachi primùm Benedictini in Monasterio S. Martini Maj. Coloniæ, tum Abbatis

Cœnobii SS. Apostolorum Petri & Pauli in Civitate Paderbornensi *De Idololatria libri tres*, Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylii an. 1595. in 12. De hoc suo Opere ita Author in ejus loquitur Nuncupatione: Ego, cùm „nonnullas orbis terræ partes, reli„gionis & catholicæ fidei propagan„dæ gratia peragravi, non fine sum„ma animi molestia, quotquot inve„ni Catholicæ religionis hostes, hi „omnes Catholicos pro ambone, & „cathedris pestilentiæ suæ, idolola„tras esse plenis buccis concrepant, „ídque tanto voluntatum animorúm„que consensu, ut nulli ex hæreti„corum colluvie, hoc crimen aliis „hæreticis imponant. At defecisse „scrutantes scrutinio, mentitam esse „iniquitatem sibi, hic libellus, Deo „duce, ostendet. Enitar enim, quan„tum potero, ut traditâ priùs crimi„nis idololatriæ gravitate, Ecclesiam „quoque Cathulicam ab hoc scelere „esse quàm alienissimam common„strem, ac demum, si quod adhuc „hujus piaculi in orbe terrarum sit vestigium, id vel maximè in cathe„dris & synagogis esse hæreticorum „convincam.„

EJUSDEM *Liber de falsis Prophetis & Lupis rapacibus*, Paderbornæ ex typis & officina Mathæi Pontani an. 1604. in 12. In hoc Opere habet Lector quasi in speculo falsorum Prophetarum & temporum rapacium, id est, hæreticorum, ex sacris Literis, Doctorum Ecclesiæ, veterum Historicorum authoritate deductum ingenium.

NINIANI WINZETI RENFROO SS. Theologiæ Doctoris, & ad S. Jacobi apud Scotos Ratisbonæ Abbatis

Flagellum Sectariorum, qui Religionis prætextû seditiones jam in Cæsarem, aut in alios orthodoxos Principes excitare student, quærentes ineptissimè quidem, Deóne magis, an Principibus sit obediendum? Accessit velitatio in Georgium Buchananum circa Dialogum, quem scripsit de jure Regni apud Scotos. Ingolstadii ex officina typographica Davidis Sartorii an. 1582. in 4.

Summa utriusque libelli hæc est: „Nulla ratione adhibendam aurem „esse iis, qui *Ministri* vulgò vocan„tur, ídque duplici potissimùm ra„tione: primùm quòd doctrinam im„portent infinitis ferè erroribus, at„que olim damnatis hæresibus cor„ruptissimam: deinde quòd voca„tione legitima ordinaria vel extra„ordinaria, potestatem regendi ec„clesias habeant nullam. Cæsari „verò, vel dum impedit, ne Nova„torum ecclesiæ extruantur, vel ex„structas statim destruit, aut quid „aliud in defensionem sanctæ & Ca„tholicæ Ecclesiæ, maximè autem „quod faciendum ipsi præscribit in„temerata legum authoritas, perfi„cit, protinus esse obediendum: eò „quòd, dum hæc facit, ut is, de „cujus authoritate nemo dubitat, „omnium verè Christianorum Cæsa„rum vestigiis insistat, ac propterea „rectissimè ita facere jure sit censen„dus. Quæ omnia plurimis testimoniis, & omni exceptione majoribus non modò ex sacris Literis, primis quatuor celeberrimis post Apostolos Oecumenicis Conciliis, manifesta Patrum consensione, perpetuáque Ecclesiæ fide, sed ex Decretis quoque & Rescriptis summorum & pientissimorum Principum Constantini M, Arcadii & Honorii, Theodosii & Valentiniani, Martiani & Anastasii, ac postremò & Caroli M. tam clarè hic patent, quàm quod clarissimè.

JOANNIS JACOBI ALBI, Abbatis Scotorum Ratisbonæ *Disputatio* cum Andrea Schmidelio, Lutheranæ Sectæ Theologo, Ratisbonæ habita an. 1588. edita primùm Latinè, dein Germanicè in solatium plebeiorum in 4. Ingolstadii 1588.

ALEXANDER BAILLIE ex illustri familia in Scotia ortum duxit e parentibus heterodoxis in Carnbuzy dynastia: à quibus post triviales in patria classes ad altiora studia Heidelbergam, deinde Helmstadium missus est, per Galliam & Italiam peregrinari jussus, patriam religionem cum Catholico-Romana commutavit Herbipoli monachus factus 1615. in Abbatem Ratisbonæ à Scotis postulatus 1642. Obiit 1655. Scripsit controversias fidei contra Sectarios in Scotia, patria lingua, quas an. 1624. edi curavit in 8.

CORNELIUS COLUMBANUS URANCX ad D. Petrum in Blandinio Abbas, collegit de verâ atque reali Christi in Evcharistia præsentia contra Calvinianos SS. Patrum Joannis Chrysostomi, Ambrosii, & Cypriani testimonia, inscripsitque *Malleum Calvinistarum*, Antverp. 1607.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Signaculum S. Crucis* contra

tra Sectarios assertum. Ingolstadii 1612. in 4. Germanicè.

HUBERTI AB ASSONLEVILLE, Prioris Monasterii Altimontensis in Belgio *Parænesis*, sive Commonitorium ad errantes in fide omnes, ut ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem se omnes recipiant. Duaci 1632. & Montibus 1633.

LAURENTII A DRIPT, Gladbacensis, Anti-Decalogus cum refutatione Theodori Reinking de Regimine Ecclesiastico. Colon. 1672. in 12.

AUGUSTINI REDING, SS. Theologiæ Doctoris, ejusdémque in Universitate Salisburgensi olim Professoris, & Exempti Monasterii Einsidlensis Decani, postea Abbatis, ac S. R. I. Principis *Dissertationes Controversisticæ, in quibus plerique fidei articuli ab hodierno prætensæ Reformationis Ministerio in controversiam deducti, ad verum Romanæ Ecclesiæ sensum exponuntur, occasione Libellorum à Joanne Jacobo Vedrosio, Ministro Curiensi, & Joanne Henrico Heideggero Tigurino Professore editorum.* Typis Monasterii Einsidl. per Josephum Raymann an. 1670. in 4. quæ fuit prima editio, altera anno 1684. etiam in 4. accurata fuit.

-- *Synodus Hierosolymitana adversùs Calvinistas Hæreticos, Orientalem Ecclesiam de Deo, rebúsque divinis hæreticè, ut sentiunt ipsi, sentire mentientes, pro Reali potissimùm præsentia anno MDCLXXII. sub Patriarcha Jerosolymorum Dositheo celebrata.* Interprete Domno Michaële Fouqueré è Congr. S. Mauri. Editio secunda ab interprete emendata in 8. Parisiis apud Gabrielem Martin an. 1678. Quo eodem anno recensita fuit in Journali des Savans pag. 120.

JOSEPHI MEZGER, San-Petrensis, in Academia Salisburgensi Controversiarum Fidei Professoris Tractatus Polemicus, Scripturistico-Controversisticus *De Antichristo, ejúsque adventu & Regno.* Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayr. 1682. in 12.

DIONYSII DE SAINT MARTHE è Congr. S. Mauri *Traité de la Confession contre les erreurs des Calvinistes.* id est, *Tractatus de Confessione contra errores Calvinistarum. 8. Parisiis apud Rambertum Rulandum anno 1685.* Dispescuit Author librum suum in duas partes; in quarum prima fidem Catholicæ Ecclesiæ exponit; cui confirmandæ plura affert argumenta, ex sacris literis, & Autoribus Ecclesiasticis, qui primis duodecim seculis floruerunt, deprompta. In altera parte refellit librum *De Confessione auriculari*, Genevæ anno 1661. typis exscriptum, atque sola authoris audacia insignem, qui omni asseveratione affirmare non perhorruit, quòd haud majoris sit laboris, Alcoranum ex Evangelio, atque Confessionem adstruere, cujus usus in Ecclesia haud unquam viguerit. Ad hæc Samarthanus in altera hac parte Cardinalem Bellarminum vindicat, in quem Calvinianæ Sectæ Minister omnem suam bilem evomuerat. Nova deinde rationum momenta in medium producit, quibus quatuor ea confirmantur argumenta, quæ à celebri hoc Cardinale ex antiquitate, utilitate, tum ipsa præcepto Confessionis obtemperandi difficultate, ac denique prodigiis in hujus doctrinæ confirmationem à Deo factis potissimùm desumpta fuerunt. Vide le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 459.

BASILII FINCKENEIS, *Theologia Polemico-Mystica Atheo-Controversistica*, tribus Controversiis præcipuos Atheorum errores comprehendens, & refellens per oppositas veritates; quibus demonstratis sublatus sit Atheismus, sive Certamina Atheo-Theologica, & Theologico-Mystica de Existentia Dei, existentia Angelorum, & animæ immortalitate. Cum triplici Parænesi ad Atheos in fine cujuslibet Controversiæ. Viennæ typis Andreæ Heyngeri, anno 1693.

-- EJUSDEM *Theologia Controversistica* tribus controversiis universas fidei controversias comprehendens, quibus decisis decisæ sunt omnes. Sive Certamina Hæretico-Controversistica pro fide, & veritate fidei intellectum sic convincentia, ut quilibet veritatem veræ Ecclesiæ & fidei evidenter videre possit, & facili negotio compendióque venire ad agnitionem veritatis. Viennæ Austriæ apud Susannam Christinam, Mathæi Cosmerovii viduam an. 1693. Auctor in percelebri monasterio ad S. Lambertum in Styria Professus in rebus Theologicis excelluit, eásque non suo tantùm in Cœnobio, sed aliis etiam monasteriis magna cum laude docuit.

FRANCISCI LAMII è Congregatione S. Mauri *La Verité evidente de la Religion Chrétienne*, id est. *Veritas evidens Christianæ Religionis.* Parisiis anno 1694. typis Edmundi Couterot.

EJUSDEM *Le nouvel Atheisme renversé, ou Refutation du Systeme de Spinosa.* i. e. *Novus Atheismus subversus,* seu *Refutatio Systematis Spinoziani,* in 12. Parisiis apud Edm. Conterot. Utriusque opellæ brevem recensionem vide apud le Cerf pag. 186.

GODEFRIDI BESELII, Abbatis Gottwicensis in Infer. Austria *Quinquaginta Romano - Catholicam fidem omnibus aliis præferendi Motiva.* Latinè primùm, deinde etiam Germanicè typis excusa fuerunt an. 1708. Moguntiæ, ubi Author Electoralis, & Archiepiscopalis Officialis & Consiliarius fuit. Liber hic non uni Sereniss. Brunsv. Duci Antonio Udalrico, qui in eo loquitur, sed sine dubio plurimis aliis cum luce salutem attulit. Pez Apolog. Epist. in not. pag. 66.

CAROLI MEICHELBECK in Congregatione Benedictino - Bavarica Controversiarum Fidei Professoris Ordinarii *Responsio* ad Josephi Dominici Sensen ab orthodoxa fide Apostatæ Monachi, Pastoris in Darmsheim, Labyrinthum Romanum Pontificium. Monachii in 8. Germanicè, sumptibus Jo. Jac. Remy, typis Mathiæ Riedel anno 1709.

ANONYMI BENEDICTINI *Lettre au Reverend Pere le Courayer sur son Traité des Ordinations des Anglois.* id est: *Epistola ad Reverendum Patrem Courayer super ipsius Tractatum de Anglorum Ordinationibus.* Parisiis apud Lamessium an. 1726. in 12. Pater *Courayer* Anglorum Ordinationes pro validis habet, quod Benedictinus inficiatur. Vid. Recensio in Journali des Savans m. Jul. an. 1726. pag. 436.

REGINBALDI PERCKMAYR, Augustæ Vindel. ad SS. Udalricum & Afram Professi, & quondam Parochi *Opus controversisticum de SS. Sacramentis.* Augustæ 1726. in 4. Germanicè.

CASPARI ERHARDT, Benedictini Theologi in Principali Monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonæ, *Soliloquium Comitis de Meternich* Commentario Polemico, facili, & plano illustratum. Ratisbonæ anno 1728. in 8.

JOANNIS BAPTISTÆ KRAUS, hodie Abbatis ad S. Emmeramum & S. R. I. Principis *Expositio Christiano-Catholicæ Doctrinæ in libello Jacobi Bossuet comprehensæ*, super quosdam controversos articulos, unà cum observationibus nonnullis contra Antonii Fickleri, ita dicti, conficta gravia momenta, quibus causam emigrantium Rusticorum Salisburgensium tuetur. Germanicè. Ratisbonæ anno 1733. in 8.

VIRGILII SEDLMAYR, Wessofontani, Catalogus Hæresum cum Methodo disputandi cum Acatholicis. Ratisbonæ anno 1733. in 8.

ÆMILIANI NAISL, Weichenstephanensis in Bavaria Benedictini, multis aliis in lucem datis Operibus minimè incelebris, *Theologica Refutatio* Viti Ludovici à Seckendorff acerrimi Lutherani dogmatis Parastatæ. Pedeponte, seu *Stadt am Hoff* anno 1734. in 4. Germanicè.

GREGORII HORNER, in Academia Salisburgensi Theologiæ Professoris, *Prima fidei Catholicæ Principia contra Lutheri Sectatores.* Salisburgi anno 1735. in 8. Author Ordinem Monasticum secundùm Regulam S. Benedicti in Monasterio Glunicensi vovit, *cujus ad gubernacula hodie sedet, magna virtutis & prudentiæ laude.*

BENEDICTI BACCHINI, Abbatis è Congreg. Casinensi *Lettere Polemiche contro il Sig. Giacomo Picenino, Ministro in Sogiio &c.* h. e. *Epistolæ Polemicæ adversùs Jacobum Piceninum Ecclesiasten Soglensem. Opus posthumum unà cum Censuris Romanorum Revisorum in idem, ac Observationibus Authoris in easdem Censuras.* Altorfii (in pago Urensi) Sumptibus novæ Societatis, an. 1738. in 4.

Adversùs celeb. *Piceninum* Epistolæ hæ fuerunt scriptæ, *Prima* exponit methodum & œconomiam, quâ Ven. *Bacchinus* putavit hæreticos tractare fidei catholicæ religionisque Christianæ momenta. In *secunda* ac *tertia* differitur de vero judice in controversiis fidei. Fidem inædificat Autor sacris literis ac doctrinis per manus traditis, Ecclesiam verò Christi, id est, Pontificem Romanum, prò supremo disceptationum de religione exortarum judice habet. Cùm hasce tres Epistolas composuisset, diem suum obiit *Jacobus Piceninus.* Eam ob causam *Epistolam quartam* opposuit hujus in ministerio Calviniano successori, quâ doctrinam de primatu Petri expendit, ac juris divini eum esse, ostendit. *Fontanini*, Archiepiscopi Ancyrani, & Anonymi Dominicani, Censura paulò pòst successit, quæ hîc fuit adjecta. Constat verò, *Fontaninum* ac *Bacchinum* asseruisse Pontifici Romano dominium temporale Comachii, *Muratorium* verò

verò contrarium tenuisse utrique. Censura tamen *Fontanini*, qui in eruditissimos quosque ultra modum invehi solebat, non obstitit, quo minùs Epistolæ *Bacchini* cum publica approbatione edi potuerint. Anonymi autem Censura modestiam quamcunque spirat, Christiano dignam. Animadversionibus *Bacchini* in utramque scriptis, inest multum eruditæ moderationis.

Ut Literas hasce ad *Piceninum* scriberet *Bacchinus*, adductus fuit illius libris, Italicè scriptis, ac per Italiam diffusis, nominatim *Apologia* & *Trionfo della vera religione*, quibus homines de plebe à fide catholica & orthodoxa poterant dimoveri. Inprimis objicit Protestantibus veluti erroris sui signum dissensiones mutuas, inconstantiam, cohærentiæ defectum, cupiditatem novarum opinionum, earúmque singulariom ac perniciosarum modos judicandi fallaces, quibus dogmata videantur tractare. Modestiam rationibus conjunctam à vera religione separari non posse, præcipuè monet. Confutationem singulorum Capitum exegerat *Piceninus* à Patre *Semery*, suo antagonista. Noster verò syntheticè disserere constituit, ut argumenta adversarii eò magis vi sua exuantur, siquidem *Picenmus* in Apologia non sigillatim ad singula capita responderit *Panigarolæ* & P. *Segneri*, nec in *Triumpho veræ religionis* Patri *Semery* sic satisfecerit. Inprimis urget à Protestantibus autoritatem articuli fundamentalis æstimari cujusque examine proprio & ratiocinatione, Catholicos verò è contrario judicium suum submittere autoritati matris Ecclesiæ. Quare colligit, Protestantibus tot doctrinæ esse systemata, quot sint rationis in usum traductæ compages. Neque tamen Protestantes inficiantur, literas Bacchini eleganter, nervosè, doctéque esse scriptas.

Sequuntur *Censuræ ad quinque literas contra Piceninum cum observationibus.* Ex eis, quæ an. 1705. & 1706. ob *Agnelli Ravennatis* librum, primò Romæ suppressum, inde postmodùm edi permissum, à Revisoribus ejusdem passus fuerat, satis didicerat, quæ ipsum manerent incommoda, si rursus de scripto edendo cogitâsset. Illustrissimo itaque ac Reverendissimo Novocomensi Episcopo, jubenti, ut contra *Picenini*, Calvinistæ, libros aliquid scriberet, morem se gesturum promisit, eâ tamen lege adjecta, ne id typis ederetur, sed ut MS^tæ lucubrationes suæ illius Diœcesis Parochorum manibus transcriberentur, usui deinde ita futuræ. Cùm tamen priores ex quinque, quas intra annum exaraverat ad *Piceninum* literas misisset, pro ejus in ipsum humanitate idem Episcopus scriptas adeò probaverat, ut Romam transmissas voluerit Censoribus exponendas; ægrè id Autor tulit, prævidítque, quod inde evenit. At quid ageret? Reliquæ Epistolæ ejus Romam erant missæ, duobus Romanis Censoribus examinandæ. Exspectabatur ea censura per biennium & ultra. Advenerunt tandem Româ an. 1717. mense Aprili illæ censuræ. Perlegit eas confestim Autor, eísque Observationes suas adjunxit, ne quis putaret ipsum in literis illis peccâsse, vel à norma fidei pietatísque discessisse. Primus Censor adscripserat: *Ego NN. censeo hunc librum non esse approbandum - - in quibus mihi nonnulla occurrunt advertenda.* 1.) *Circa rationem scribendi lingua vernacula.* 2.) *Circa dogma.* 3.) *Circa textus allegatos.* Revisoribus pro SS. Inquisitionis *Officio librorum edendorum*, quod munus Autor non semel exercuit, eadem ferè est cura injuncta, ac Correctoribus editorum. Demandatum verò eis modò, ut ea corrigant, quæ ad fidem & dogma, & quæ ad mores, ac sacram disciplinam pertinent. Præscriptum præterea, ut *in libris Catholicorum recentiorum, qui post annum 1515. conscripti sunt, si id, quod corrigendū occurrit, paucis demptis aut additis, emendari posse videatur, id Correctores faciendum curent; sin minus, omninò auferant.* Revisor libri edendi nihil debet dare gratiæ, nihil odio, sed, omnino humano affectu postbabito, Dei duntaxat gloriam spectare, & fidelis populi utilitatem. Credit itaque Autor, Censorem fines officii sui excessisse. Censor ægrè tulit in Autore 1.) linguæ vernaculæ usum. 2.) Doctrinam, quâ Autor contenderit, non esse Articulum fidei in quibusdam natura sua adiaphoris, ut sunt Communio sub utraque specie laicorum, cultus imaginum, usus reliquiarum, cultus Sanctorum, vita monastica cum votis, præsentes Indulgentias concedendi ritus, & Articulum fidei ultimò resolvi in bis in Articulum, quo Ecclesiam credimus, & ejus supremam autoritatem, concedendi, prohibendi, præcipiendi prædicta, cui omnes obedire tenentur.

3.) Quòd

3.) Quòd Autor scripserit, notionem Ecclesiæ restringi ad illam Ecclesiam, quæ cœperit immediatè post Pentecosten; 4.) Quòd Autor scripserit, in notionem Ecclesiæ non venire Ecclesiam triumphantem; 5.) Nec in eam venire Prædestinatorum collectionem, quia collectionis ejus primordia sint ab æternitate repetenda, non à Pentecoste. 6.) Nec collectioni prædestinatorum competere nomen Ecclesiæ, nisi per quandam analogiam, quia improprio significatu proprietatem Catholicæ habeat. Sed quantum attinet ad momentum primum, Abbas *Bacchinus* putat, Inquisitoris permissionem sufficere, ostenditque, *Ponigarolam* lingua Italica olim scripsisse, nullo adversario ea lingua præeunte, nec non *Paulum Segneri*, ac *P. Semery*, *Picenini* antagonistam, ac *P. Tonti*, Augustinianum, publicúmque Patavii Professorem, qui *Picenini* scriptum, usus linguâ Italicâ refutaverit. Addit, sibi suffecisse Episcopi jussum gregi suo remedia allaturi. Et cur imperiti linguæ Latinæ uterentur præceptore Latino in evellendo miasmate hæretico? Nónne libri catechetici in linguis vernaculis eduntur? Monet Autor porrò, aliud in Theologicis esse id, quod vocatur *indifferens* in genere morum, aliud esse adiaphoron in linea religionis. Prius ex sua natura est nec bonum nec malum; posterius est id, quod ex sui natura ad religionis substantiam non pertinet, atque absolutè (præscindendo ab Ecclesiæ tacito vel expresso consensu, vel præcepto) sine salutis dispendio omitti potest, vel observari. Hoc putat, licèt non possit esse malum morale, posse tamen esse bonum item morale. Largitur tamen, praxes quasdam non esse ex Dei verbo malas moraliter, sed potiùs bonas, & Ecclesiam, dum ita definit, articulum fidei definire. Censor confuderat scilicet indifferentia in linea morum cum *adiaphoris* in linea religionis. De cultu & usu imaginum, de invocatione, cultúque Sanctorum, & de Reliquiarum veneratione, Autor verba Fratrum Walenburchiorum ex *Tr. IV. de Unitate Ecclesiæ* Cap. 40. n. 4. facit sua. En illa: *Catholicus salvari potest, qui nunquam Sanctos invocat, qui nunquam Reliquias aut Sanctorum imagines veneratur, imò qui in animum inducit, nunquam ad Sanctos, sed ad solum Christum & Deum confugere.* Articulum tamen de auctoritate Ecclesiæ circa adiaphora, censet esse de fide. Walenburchii n. 9. eadem docent, quæ Autor de rebus *natura sua indifferentibus* docuerat. Laudat præterea consentientem Suarezium *de Defensione fidei catholicæ Lib. II. cap. 9. de Invoc. Sanct.* Petavium *in Theol. Dogm. Tract. de Incarn. Lib. XIV. Cap.* 13. Thomasinum *Theolog. Dogm. de Incarnatione Verbi Cap.* 12. Bellarminum *de Imaginibus Sanctorum Lib. II. Cap.* 9. ac Nicolaum Sanderum *de Cultu Imaginum Lib. II. Cap.* 4. nec non Natalem Alexandrum *in Hist. Eccl. Sec. VIII. Diss. VI. §.* 3. Comunionem sub una specie, laicis dari solitam, non esse ex se articulum fidei, comprobat testimonio Petavii ex Lib. II. *Dissert. Eccles. Cap.* 2. In Sacramenti ceremoniis distinguit essentialia ab accidentalibus, ac, posteriora naturâ sua esse adiaphora, confirmat testimonio Bellarmini *de Cultu Sanctorum Lib. III. Cap.* 10. Ipse inter adiaphora posuerat vitam monasticam, qualis est Monachorum & Ordinum ab Ecclesia probatorum, à Censore minùs accuratè erui ex Scriptura, & præsertim ex Evangelio. Potestatem & exercitium concedendi Indulgentias esse de fide largitur, id verò de modo esse verum pernegat. Ecclesiam ab Hierusalem cœpisse die Pentecostes evincit authoritate Augustini ex Epistola *de Unit. Eccl. n.* 25. & *de Doctrina Christiana Lib. III. Cap.* 1. *n.* 10. nec non *Cani de Loc. Theolog. Lib. IV. Cap.* 4. Prædestinatos non esse intra Ecclesiam, exinde probat, quòd convertendi omnes, nondum conversi, atque ad finem firmi à Deo prævisi, sint quidem prædestinati, nec tamen adhuc Ecclesiæ membra, tutus sese sententia *Cani cap.* 3. Censor affirmaverat, prædestinatos ingredi notionem Ecclesiæ, deinde verò ostendit, sese intellexisse unionem prædestinatorum. Hanc Autor dixerat nonnisi per quandam analogiam dici posse Ecclesiam, & quod in proprio significatu eidem prærogativa Catholicæ non aptetur. Ipse enim duo momenta putat esse Ecclesiæ propria, *catholicitatem* & *unitatem dogmatis*, distinguens inter *catholicitatem* singulorum & *unitatem dogmatis*, distinguens inter catholicitatem singulorum, ac inter Ecclesiæ catholicitatem. Collationem prædestinatorum nec apertam omnibus & singulis esse, nec habuisse vel habere unitatem Dogmatis, ipse addit. Unde probat, eam carere Notis catholicitatis Ecclesiæ. Plura alia, quæ Censor notavit, & ad quæ respondit *Bacchi-*

nus, recensent Eruditi Lipsienses Supplem. Tom. III. Sect. xi. quæ nos brevitatis causa prætermittimus; tantùm postrema *Recensionis* verba adscribimus: „ Juvat legere Observationes „ *Bacchini*, doctrinâ, judicio, scientiâ tractandi controversias, ac quod „ ante omnia haud dissimulandum, „ eleganti dictione, ita conditas, ut „ doleamus, nobis hîc finem imponi, „ nec licitum esse, ad patientiam Lectoris retinendam, ex observationibus Autoris, ad alterius Censoris „ objectiones expromptis, quidquam „ communicare. „

ANSELMI SCHNELL, Theologi Weingartensis, *Cursus Theologiæ Polemicæ abbreviatus*. Augustæ Vindel. an. 1744. in 8. Part. II.

D. SINSART, Abbas Regularis Monasterii in Valle S. Gregorii Congr. SS. Vitoni & Hidulphi anno 1746. in lucem dedit *La Verité de la Religion Catholique demontrée contre les Protestans, & mise à la portée de tout le monde*, i. e. *Veritas Religionis Catholicæ contra Protestantes demonstrata, & ad omnium accommodata captum*. Biennio post vulgavit

Defense du Dogme Catholique sur l'Eternité des Peines, i. e. *Defensio Dogmatis Catholici de pœnarum æternitate. Argentorati typis Jo. Franc. le Roux MDCC.XLVIII. in 8.* Hoc & præcedens Opus excellenter scriptum est. Libro autem *de pœnarum æternitate* perdoctam præmisit Dissertationem, in qua disquiritur, an ratio sit judex competens ad judicium ferendum de rebus revelatis, & an objectiones, quas illa contra mysteria movet, attentione sint dignæ.

ANONYMI è Congr. S. Mauri *Divinitas Domini nostri Jesu Christi manifesta in Scripturis & Traditione*. Opus in quatuor Partes distributum. Parisiis, typis Jacobi Francisci Colombat in folio, an. 1749. Ariani, Sociniani, Deistæ, aliique hæretici sunt, quos Author refellit.

SECTIO V.

THEOLOGIÆ MORALIS SCRIPTORES.

S. GREGORII M. *Moralia in Job*, aliáque ejus Opera Christianæ pietatis ac moralis doctrinæ plenissima sunt. Præsertim Theologiæ Moralis studioso Gregorii *Liber Sacramentorum* cum doctissimis Notis P. Hugonis Menardi è Congr. S. Mauri legendus est.

VENERABILIS BEDÆ *Epistola de Christiani Præsulis officio ad Egbertum Archiepiscopum Eboracensem*, in qua præter alias de rebus moralibus præclaras doctrinas, etiam agit de frequenti communione. Desideratur hæc Epistola in Tomis Operum Ven. Bedæ. Excerpta habet Mabillonius in ejusdem S. Doctoris Historico Elogio, quod post illius vitam in Actis Sanctorum O. S. B. contexuit Sec. III, part. 1. pag. 513. Edita verò fuit integra Dublini an. 1664. in 8. quam recudi fecit Henricus Warthonus Londini anno 1693. in 4.

ALCUINI Epistola 71. ad Gothos de necessitate confessionis, in qua eorum errorem acriter reprehendit, qui peccata sua Sacerdotibus confiteri nolebant.

-- EJUSDEM Epistola ad Pueros sancti Martini de Confessione ritè peragenda, quæ plena est eximiæ moralis doctrinæ.

GILBERTI Abbatis Westmonast. Opusculum *contra peccata cogitat. locutionis, & operis*, cujus meminit Thomas James in Catalogo Librorum Theolog. pag. 32.

MARBODI ex Episcopo Redonensi Monachi Benedictini in cœnobio Andegavensi S. Albini Epistola ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum, qui illum consuluerat de viro, à quo uxor debitum thori postulabat, licèt ipse votum monasticæ vitæ consensu ejus emisisset, edita est Tom. XIII. Spicilegii.

WASSELINUS cognomento *Momalius* S. Laurentii apud Leodienses Abbas, claruit anno 1130. scripsit *Epistolam de continentia conjugatorum ante communionem*, quæ à Mabillonio evulgata est Analect. tom. 1. pag. 339. ubi de legibus continentiæ conjugalis, quam certis diebus præscribunt Canones, plura, ut solet, eruditè observat Mabillonius. *Cav. Hist. Lit. ad an. 1130. pag. 578.*

ERNULFI, seu *Arnulfi*, Galli, Belluacensis Monachi ac post alias dignitates Roffensis in Anglia Episcopi *Epistola*

stola ad Walchelinum de incestis conjugiis in Dacherii Spicileg. Tom. II. pag. 410. editionis novæ Tom. III. pag. 464.

GUILIELMI DE MONTE LAUDUNO Summa de Casibus Lib. I. Possevin. Appar. tom. I. pag. 618.

BERNARDI DE BACHING, sive *Waching*, propè Saltzburgam ex Canonico Regulari Prioris Tegernseensis in Bavaria, an. 1472. defuncti *Confessionale* MS. memorat Bernardus Pezius Tomo III. Anecdotorum Parte 3. pag. 631.

ANDREÆ MEGARENSIS Episcopi Opusculum de forma & modo confitendi præfixum est Antidotario animæ Nicolai Abbatis de Bogardis. Jo. Trith. de Vir. Ill. O.S.B. lib. 2. c. 236. & l. 4. c. 43. Possevin. in Appar. In Bibliotheca S. Martini Majoris Coloniæ inter Mss. Codd. habetur Andreæ Hispani S. R. E. Cardinalis *Speculum confitentium.* Incipit: *Quoniam confitenti.* At *Andreas* nunquam fuit Cardinalis. Mihi *Andreæ* Opusculum typis in 12. impressum hoc initio lectum fuit. *Ego magister Andreas Hispanus Romanæ Curiæ Pœnitentiarius olim Civitatensis & Alacensis, nunc verò Megarensis vocatus Episcopus Ord. S. Benedicti.*

BENEDICTINI ANONYMI libellus de conscientia seculo XII. scriptus, & lectu non indignus, à *Bern. Pezio* vulgatus fuit Bibl. Ascet. Tom. VI. pag. 29 - 48.

JOHANNIS DE CAMPIDONA Monachi Mariæcellensis in Austria circa an. 1450. *Tractatus de Confessione Generali*, Incipit: *Utrùm confiteri generaliter* &c. asservatur in Bibliotheca Monasterii Rothensis in Bavaria.

THOMAS AB EBULO, Monachus Casinas, & Vicarius Generalis in tota Diœcesi Cassinensi scripsit *Librum Synodalium*, *Librum examinis Confessorum*, *& promovendorum ad sacros Ordines*, *& eorum*, *qui mittendi sunt ad Parochiales Ecclesias.* Placidus Diaconus in Supplem. Vir. Ill. Casin. cap. 27.

FULGENTII de Oviedo & Hevia Hispani in Pinciano Monasterio professi

Opus Morale & Praxis Reipublicæ Regularis. in fol. Partes II. Madriti an. 1639.

GREGORIUS SAYRUS, natione Anglus, Monachus Casinas non vitæ modò sanctimonia, sed excellenti, & insigni prorsùs rerum moralium doctrina claruit exeunte seculo decimo sexto. Ejus Opera à Theologis summo in pretio habita hæc sunt:

1.) *Casuum Conscientiæ, sive Theologiæ Moralis Thesaurus de Censuris Ecclesiasticis, alüsque pœnis, & canonicis impedimentis in septem libros distributus;* in quorum primo de excommunicationis natura, ejúsque conditionibus. II. De effectibus illius. III. De excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini, alüsque omnibus tam in Jure Canonico, quàm in Extravagantibus hactenus editis. IV. De Suspensione, ejúsque qualitatibus. V. De Interdicto, cessatione à divinis, depositione, & degradatione. VI. De irregularitatibus ex defectu contractis. VII. De irregularitatibus, quæ ex delicto incurruntur, eâ doctrinâ & diligentia tractatur, ut nihil ampliùs in hac materia prudens & studiosus Lector desiderare possit, cum triplici Indice Capitum, Authorum, rerúmque notatu dignissimarum locupletissimo. *Venetiis* an. 1606. apud Jo. Bapt. Colosinum in folio. Sæpiùs alibi impressum fuit. An. 1614. apud *Sessas*, & *Duaci* in officina typographica Balthasaris Belleri 1621. & denuò Venetiis apud Baretium an. 1627.

2.) *Clavis Regia Sacerdotum, Casuum Conscientiæ, sive Theologiæ Moralis thesauri locos omnes aperiens*, partes duæ, in quibus præcipuæ Canonistarum & Summistarum difficultates ad communem praxim pertinentes, doctissimè deciduntur, & copiosissimè explicantur, celeberrimorum omnium Scriptorum antiquorum æquè ac recentiorum authoritate fidelissimè citata, & acerrimo judicio pro causarum necessitate disposita ad usum omnium cùm Theologorum, tum Parochorum, & Confessariorum utilitatem singularem, Opus exquisitissimum, & majori, quàm hactenus diligentia accuratissimè elaboratum, sicut ex Authoris epistola ad Lectorem facilè constabit, in duodecim libros dispertitum, quorum octo in prima parte comprehenduntur, reliqui verò quatuor in altera continentur, cum quintuplici Indice Capitum, Authorum, locorum Concilii Tridentini, Sacræ Scripturæ, & rerum notatu dignissimarum. *Venetiis* an. 1607. apud Baretium, & denuò apud eundem 1615. In quarta editione accesserunt utilia additamenta, nec non catenula au-

rea

rea de comparatione peccatorum R. P. F. *Paulini Berti*, Lucensis, Ordinis Heremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ. Epitome hujus Operis edidit D. *Constantinus de Notariis* hoc titulo: *Compendii Clavis Regiæ* pars prima R. P. D. *Gregorio Sayro*, Anglo, Congregationis Casinensis, Authore, & P. D. *Constantino de Notariis* Nolano, , facri Cavensis Cœnobii Præposito Claustrali, compilatore &c. Venetiis 1613. apud Bernardum Juntam, Jo. Baptistam Ciottum, & focios. *Pars altera* eodem titulo edita, eodem anno apud eosdem typographos.

3.) *Flores Decisionum*, five *Casuum Conscientiæ* ex doctrina consiliorum Martini ab Azpilcueta Doctoris Navarri collecti, & juxta librorum Juris Canonici dispositionem in suos titulos distributi, cum adnotationibus, quibus ob recentiores quasdam Summorum Pontificum Bullas, quando Authoris opinio in multis vel confirmata, vel refutata est, summo studio & diligentia explicatur. Propter varias autem præstantissimi hujus Operis editiones ad majorem Lectoris utilitatem, qualiter editio prima, & propria Authoris cum altera recentiori, & consiliis penè trecentis Authoris conveniat, & ab ea dissentiat, in principio cujusque decisionis ostenditur. Accesserunt insuper sex Indices: Primus titulorum Juris Canonici cum numero decisionum; secundus locorum Sac. Concil. Trid. tertius Bullarum Summorum Pontificum; quartus concordantiarum primæ editionis cum secunda; quintus econtra concordantiarum editionis secundæ cum prima; sextus rerum & materiarum notatu dignissimarum, quorum tres priores in principio, tres verò posteriores in fine libri apponuntur. Venetiis 1607. & 1611. apud Baretium ad signum B. Mariæ Virginis in 4. & iterùm Venetiis an. 1627. apud eundem Baretium in fol. & *Duaci* ex Officina Typographica Balthasaris Belleri an. 1627. in fol.

4.) *Summa Sacramenti Pœnitentiæ* ex eruditissimis Commentariis Doctoris Navarrini *in septem Distinctiones de pœnitentia* collecta, in qua ea omnia, quæ ad Sacramenti pœnitentiæ doctrinam pertinent, ejúsque ad usum & quotidianam praxim necessaria esse possunt, breviter dilucidéque explicantur. *Venetiis* an. 1615. apud Baretium in fol.

Hæc *Sayri* Opera ingentis semper authoritatis apud omnes Theologos, & Canonum Professores fuisse, mirum non est, cùm doctrinam solidissimam, & firmissimis Conciliorum, ac SS. Patrum fundamentis innixam contineant: illud quidem majori admiratione dignum, *Sayrum* admodùm juvenem tot volumina, eáque gravissima, præstantissimáque absolvere potuisse. Obiit enim fato nimis immaturo Venetiis anno 1602. ætatis 32. nondum expleto: quamobrem eò utique magis ejus ingenium, atque doctrina suspicienda sunt, quo juvenili adeò ætate id abundè præstiterit, quod vix in maturiori perfectè præstari potest. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. Congr. Casin. part 1. pag. 191.

JACOBI GRAFFII, Itali, Capuani, in Monasterio S. Severi, quod est Neapoli, anno 1572. Professi, Juris utriusque Doctoris insignis, & Neapolitanæ urbis (quod in regulari Viro ibidem hactenus inusitatum) Majoris Pœnitentiarii Opera *Casuum Conscientiæ* præstantissima.

1.) *Decisionum aurearum Casuum Conscientiæ pars* 1. in 4. libros divisa; Venetiis apud Damianum Zenarium an. 1591. & iterum apud eundem jam *locupletata & aucta* an. 1593. & tertiò ibidem apud eundem an. Jubilæi 1600. & quartò pariter Venetiis apud hæredem ejusdem Zenarii an. 1609. & iterum ibidem apud eundem an. 1610. & Taurini apud hæredem Nicolai Bevilacqua an 1592. & Lugduni apud Juntas eodem anno 1592.

2.) *Decisionum aurearum pars secunda*, tribus libris distincta. Venetiis apud Damianum Zenarium anno 1595. in 4. & iterum anno Jubilæi 1600. & tertiò an. 1611. *aucta, purgata, & emendata*, & quartò anno 1626. apud hæredem ejusdem Zenarii in 4.

3.) *Appendix tam primi, quàm secundi tomi Decisionum aurearum*, in qua non solùm multa in prædictis tomis contenta exactiùs & diligentiùs explicantur; sed etiam alia plurima *de Pœnitentia, & Casuum reservatione, de Indulgentiis, de Excommunicatione, de Electione, & regimine animarum*, Confessariis, ac Pœnitentibus admodùm utilia & necessaria adducuntur; Bononiæ 1603. apud Gasparem Bindonum, & Venetiis an. 1610. apud hæredem Damiani Zenarii in 4.

4.)

4.) *Additamenta ad primam & secundam partem Decisionum aurearum;* Opus verè aureum, in quo præter ea, quæ aliàs ventilata & discussa fuêre graviter, nonnulla etiam nunc recenter prioribus auctarii vice apposita, & quædam pariter planè nova &c. pertractata accesserunt. Venetiis an. 1610. apud hæredem Zenarii, & iterum ibidem an. 1613. in 4.

5.) *Consiliorum*, sive *Responsorum Casuum Conscientiæ* tom. I. libris quinque juxtà Decretalium numerum & ordinem distributorum. Venetiis apud Jo. Guerilium an. 1604. in 4. & iterum apud eundem an. 1610.

6.) *Eorundem Consiliorum* &c. tom. 2. lib. 5. Venetiis apud eundem anno 1610. & anno 1612. in 4.

7.) *Practica quinque Casuum Summo Pontifici reservatorum juxta decretum Clementis VIII. & etiam reservatorum Episcopis & Archiepiscopis Italiæ, & etiam Interpretatio undecim Casuum Prælatis Regularibus reservatorum.* Neapoli ex Typographia Tarquinii Longi an. 1609. in 4. iterúmque ibidem apud Scorrigium an. 1613. & Mediolani apud Jo. Bapt. Bidellum an. 1610. & Venetiis apud Georgium Valentinum anno 1619.

8.) *De Arbitrariis Confessariorum, quæ attinent ad casum conscientiæ* libri duo. Neapoli ex Typographia Lazari Scorrigii anno 1613. & Venetiis apud Georgium Valentinum anno 1619.

Præter hæc Opera typis mandata Graffius in MS^tis reliquit

Summam Casuum Conscientiæ copiosissimam ac utilissimam in IV. partes divisam, in quarum prima agitur *de Sacramento Pœnitentiæ*, in secunda *de Præceptis Decalogi*, in tertia *de modo interrogandi Pœnitentem*, in 4. *de Censuris*: præmittuntur approbationes duorum Theologorum à Congregationis Casinensis R.^mo Patre Præside Deputatorum, & etiam Censorum Synodalium ab Archiepiscopo Neapolitano pro impressione facienda an. 1588. quæ tamen hactenus facta non fuit, sed opus hoc asservatur mſ. in Bibl. S. Severini. Extat etiam ibidem

Tractatus Sacerdotalis pro Confessionibus audiendis lectus, seu dictatus ab eodem ibidem scribente, & audiente Constantino Cajetano in eodem Monasterio Monacho.

JACOBUM GRAFFIUM Paulus V. Pont. Max. ob doctrinæ ac virtutis præstantiam, plurimi fecit, Abbatis que titulo, cùm regimen constanter recusaret, motu proprio honestavit. Graffius enim rerum omnium caducarum abjectis curis, nihil antiquius habuit, quàm sacræ doctrinæ studiis, veræque pietatis cultui, quamdiu vixit, vacare. Cùm itaque Christianam Rempublicam, tum libris aureis, tum præclaris virtutum exemplis locupletâsset, non sine sanctitatis opinione mortalis vitæ cursum Neapoli feliciter complevit anno Æræ vulgaris 1620. die 19. Octob. ætatis suæ 72. cujus venerandam memoriam, & Neapolitani, & Capuani Cives usque in præsens recolunt. Hæc ex Armellino part. 2. pag. 4. qui Operum recensioni brevem vitæ synopsin subjicit.

CAROLUS DE BACCIS, Italus, Aretinus, è Congr. Casin. Theologiæ Moralis Professor celeberrimus Florentiæ & Romæ, Opus luce publicâ donavit, quod hujusmodi gaudet titulo:

De Principiis universæ Theologiæ Moralis, seu *de Actibus humanis* tomus I. in tres tractatus distributus, in quorum primo de Conscientia, in secundo de Voluntario & Involuntario, ac ejus effectibus, & in tertio de Actione humana in genere, ejúsque circumstantiis; nec non de unâ specie ipsius, hoc est, de bonitate morali, breviter, ac dilucidè ferè omnia præcipuè controversa tractantur; in quo novis doctrinis quàm plurima, præsertim contra communes opiniones à priori demonstrantur ab Authore. Opus nedum omnibus studiosis, & Jurisperitis valde utile, verùm etiam cunctis Theol. Moralis Professoribus & Confessariis maximè necessariû. *Florentiæ typis Vincentii Vangelisti, & Petri Martini Typographorum Ser. M. Ducis año 1667. in fol.* Jo. Mabillonius in Bibliotheca Ecclesiastica, quæ ad calcem libri de Studiis Monasticis legitur, num. 12. inter selectiores Casuum Conscientiæ Tractatus Caroli de Baccis Theologiam Moralem recenset. Vid. Armell. part. I. pag. 112.

GREGORII KIMPFLER SS. Canonum in Universitate Salisburgensi Professoris, & Monasterii sui Schyrensis in Bavaria postea Abbatis doctissimi juxtà ac Religiosissimi *Tractatus Theologico-Moralis in decem Decalogi & quinque Ecclesiæ præcepta per sesqui centum casus elucubratus.* Partes II. in 8. Ratisbonæ an. 1734. Opus posthumum. Author obiit an. 1693.

CHRISTOPHORI RASSLER Abbatis Zwifaltensis *Tractatus Speculativo-Practicus de Sacramento & virtute Pœnitentiæ ad mentem D. Thomæ Aquinatis Doct. Angel. explicatus Salisburgi*, ubi Author in Universitate Theologiam ab an. 1652. ad annum 1658. docuit.

HENRICI HEINLIN Monachi Therensis in Francia Orientali, & Theologiæ Moralis in Universitate Salisburgensi Professoris ab anno 1677. usque ad an. 1680. *Medulla Theologiæ Moralis* &c. *cum duodecim Centuriis casuum circa Sacramenta singula* &c. Norimbergæ 1714.

DESIDERII SCHAPPERGER Seonensis in Bavaria Monachi, ac Theologiæ Moralis Professoris in Universitate Salisburgensi ab anno 1659. usque ad an. 1665.

-- *Disputatio de digna sumptione sacræ Communionis.* Salisburgi an. 1661. in 12.

-- *Speculum Theologicum circa varia præceptorum genera selectis & perutilibus quæstionibus illustratum.* Salisburgi an. 1663. in 12.

HONORII AIGNER, Austriaci, Efferdingensis, Abbatis Cremisanensis, antea verò Theologiæ cùm Moralis tum Speculativæ in Universitate Salisburgensi Professoris

Directorium compendiosum ad Confessarii & Pœnitentis munus ritè exequendum. in 8. Salisburgi. Pars I. an. 1692. Pars II. 1693. Obiit Author an. 1704.

BERNARDI BISSI, Liguris, Genuensis, è Coogr. Casin. *Decas ad moralem scientiam*, miscellaneos tractatus continens, sive selecta pro conscientiæ Casibus in sacro pœnitentiali foro passim occurrentibus, ubi quàm plurimæ novæ difficultates dilucidantur. Genuæ 1693. ex Typographia Antonii Georgii Franchelli in fol.

-- *Crisis de probabilitate* ex Academia Monachorum Casin. in Monast. S. Catharinæ Genuæ &c. Instante pro impressione Ill.mo D. Abbate Octavio Lomellino. Ibidem typis Jo. Baptistæ Scionici 1694. in 12. Qui libellus inscio Authore impressos est sub nomine D. Nicolai Mariæ Monsa unius ex Bissi discipulis, nunc Cœnobii S. Benigni in eadem urbe Genuensi Abbatis. Hoc tamen opusculum interdictum fuit à Romanis Censoribus. Composuit etiam alios

-- *Undecim tomos in fol. de rebus moralibus*, typis quidem paratos, sed qui ob difficultatem expensarum pro editione, remanent adhuc Mss. in prædicto S. Catharinæ Monasterio, ubi ipse diem suum obiit, an. 1716. die 25. Maji ætatis suæ 68. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 105.

GABRIEL GERBERON è Congreg. S. Mauri *Regula Morum contra falsa principia Moralis doctrinæ*, in 12. Parisiis apud Nicolaum Scheutten. Author in hoc libro *ad sententiam probabilem* funditùs evertendam toto nisu incumbit. Vide plura apud le Cerf. l. c. pag. 164.

FRANCISCI LAMY è Congreg. S. Mauri *Lettres Theologiques & morales sur quelques sujets importans.* i. e. *Epistolæ Theologicæ ac morales de quibusdam gravioris momenti rebus.* 12. Parisiis 1708. Earum numero sunt octo, ad amicum sub nomine solitarii scriptæ. In prima fit discussio, an contritio post admissum peccatum mortale, sit necessariò elicienda? statuitur sententia affirmativa. Tres sequentes eandem tractant materiam, cum solutione difficultatum, quæ circa primam facta fuerant: quinta agit de morali doctrina veterum Philosophorum. In sexta ostenditur, quòd cultus exterior & interior sint perinde necessarii ad religionem cujusvis hominis; Septima declarat, quî fieri potuerit, ut in Christo supremæ beatitudini vivacissimus dolor conjungeretur? In postrema denique contendit Author, quòd qui Religiosus habitum suas transgrediendi regulas contraxit, peccet mortaliter. Vide le Cerf. l. c. p. 191.

MATHÆI PETITDIDIER Abbatis S. Petri Senonensis è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi *Justificatio Moralis Doctrinæ & Disciplinæ Ecclesiæ Romanæ* in 4. Romæ.

LUDOVICI BABENSTUBER, Theologiæ Professoris in Universitate Salisburgensi *Cursus Theologiæ Moralis Salisburgensis.* fol. August. Vindel. 1718. Author & nimium rigorem, & nimiam laxitatem evitare conatus est. Hæc quippe gemina mala Theologiæ Moralis Doctori ex æquo sunt formidanda. Cùm enormis opinionum laxitas, solutis Christianæ doctrinæ repagulis, hominem velut effrenem equum agat in omne scelerum præcipitium, nimius autem rigor excutientem suave Christi jugum in desperationis barathrum non rarò adurgeat. Utrumque hoc conscientiarum naufragium in suo volumine declinare pro

pro virili sua Cl. Author conatus est. Lege ejus Præfat. Recusa est Augustæ anno 1735. in fol.

HEINRICI HEINLEIN, Therefensis, *Medulla Theologiæ Moralis*. Norimbergæ anno 1714. in 4. cùm jam an. 1674. Bambergæ excusa fuisset.

LUDOVICI BULTEAU è Congreg. S. Mauri, *Defense des Sentiments de Lactance sur l'usure*, id est, *Defensio doctrinæ Lactantii circa usuram*. Parisiis apud Stephanum Michallet an. 1670. Usuræ Patronus magnus erat Salmasius, & novi quidam ejus sectæ Calvinianæ auctores, qui Lactantio frontibus adversis pugnantia defendere ausi sunt. Ostendit *Bulteau* Lactantium in penetrando Scripturæ sensu non minùs acutum fuisse, quàm illos usuræ patronos, qui nihil ferè aliud, quàm cavillationes, quibus Lactantii tempore fœneratores utebantur, quasi frigefactam crambem recoxerunt. Docuit verò Lactantius Libro vi. Institutionum divinarum cap. xi. & xii. benefaciendum esse solis indigentibus, à quibus nulla vicissitudo aut compensatio speretur, imò eam, quæ fit non indigentibus, non esse veram & justam largitionem, nullámque esse beneficentiam, ubicunque necessitas nulla est. *Vid. Journal des Savans an. 1672. pag. 11.*

— EJUSDEM *le faux depôt, ou Refutation de quelques erreurs populaires touchant l'usure*, id est, *falsum depositum*, seu *Confutatio quorundam popularium errorum circa Usuram*. Lugduni anno 1674. in 4. Author non sententiam modò Lactantii de Usura confirmat, verùm etiam propriam suam opinionem, quæ lucris profecto usurariis haud patrocinatur. Abusum usuræ per authoritatem S. Scripturæ, SS. Patrum, & traditionem Ecclesiæ ostendit: nihilo tamen minus observat, quòd usura haud confundi debeat cum justo & legitimo lucro, quod pro pecuniis mutuò datis recipi potest: ad ultimum probat, quòd nec ipsos apud Gentiles usura fuerit permissa. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 55.

Cæterùm quæ fuerit Patrum & Theologorum veterum Ord. S. B. sententia de usuris licitis & illicitis, videri potest apud Nicolaum Brœdersen part. 1. cap. 20. ubi exponitur, quæ, quámque solida fuerit doctrina Cassiodori, Gregorii M. Ven. Bedæ, Walafridi Strabonis Augiæ Divitis Abbatis, Haymonis Episcopi Halberstadiensis, Paschasii Radberti Abbatis Corbeiæ veteris, Remigii Autissiodorensis Monachi, Notkeri Episcopi Leodiensis, Ingelardi & Angilranni, Abbatum S. Bicharii, B. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis, S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, S. Brunonis Signiensium Episcopi, Hildeberti Archiepiscopi Turonensis, Odonis Monachi Astensis, Hervæi Monachi Burgodolensis, Hugonis Folieti, Monachi Corbeiensis (veriùs *Canonici Regularis Ord. S. Augustini*) Radulphi Flaviniacensis.

REMIGII CEILLIER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, Prioris Titularis S. Firmini de Flaviniaco, *Apologia Moralis Doctrinæ SS. Patrum* in 4. vol. 1. Parisiis anno 1718 Gallicè scripta contra injustas accusationes JOANNIS BARBEYRACII Juris & Historiarum Professoris Lausanæ. Præmissa Dissertatione præliminari de Authoritate Patrum Ecclesiæ vindicatur Doctrina Moralis per xvii. Articulos Athenagoræ, S. Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, S. Cypriani, Lactantii, S. Athanasii, S. Cyrilli Jerosolymitani, S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Ambrosii, S. Chrysostomi, S. Hieronymi, S. Augustini, S. Gregorii M. S. Justini, S. Irenei. Quorum omnium maximæ, regulæ, & præcepta moralis doctrinæ contra Novatorum inquieta ingenia, injustas censuras, atque arrogans supercilium egregiè defenduntur.

VIRGINIUS VALSECHIUS, è Congreg. Casin. Italicè scripsit *De indulgentiis & Dispositionibus ad nobilem & piam civitatem Liburni*, cui Benedictus XIII. P. M. contulit indulgentias, eis, quibus gaudet Basilica Romæ Lateranensis, haud impares. Opusculum typis impressum fuit Florentiæ à Bernardo Paperino anno 734. in 8. Præter adhortationem, ad Lectores præmissam, *Capitibus XXII.* tota continetur Tractatio. *Capite I.* exponuntur duo ad Paradisum itinera, & pœna temporalis peccato irroganda post culpæ remissionem. *Capite II.* de veteri disciplina ecclesiastica agitur, qua imposita fuit pœnitentiæ severitas. *Capite III.* de hujus ætatis tractatur disciplina ecclesiastica. De effectu & beneficio indulgentiarum exponuntur nonnulla *Capite quarto*. *Quintum* enarrat indulgentias Stationum. *Sexto* agitur de Operibus requisitis, aptísque ad indulgentias, nominatim *contritione*. *Septimo* de Confessione pec-

peccatorum; *Octavo* de confessione peccatorum habitualium & relapsorum; *Nono* de sanctissima Communione sacræ Cœnæ ad obtinendas Indulgentias; *Decimo*, de visitatione templorum, precibus, eleemosynisque, eidem fini inservientibus. De dispositione ad indulgentias reportandas agitur porrò secundùm sententias Cardinalis *Cajetani*, *Bonaventuræ*, *S. Thomæ*. *Capite decimo quarto* agitur de obligatione faciendi opera pœnitentiæ, licèt indulgentiæ offerantur, ac satisfaciendi Deo in vita & purgatorio igne. *Capita decimum octavum, decimum nonum, & vigesimum*, inscribuntur de modis, Deo satisfaciendi per preces, eleemosynas, & alia pietatis officia. *Vigesimum primum* dicatum est suffragio pro defunctorum salute, ac *vigesimum secundum* proprium est indulgentiis pro defunctorum salute. Ad calcem libri subjectus est Index, qui insigni lectoribus potest usui esse & emolumento. Vid. Supplem. ad Nov. Act. Erud. Tom. 3. Sect. 3. pag. 125.

ADALRICI SCHWARZ, Einsidlensis, *Regulæ prudentis ad praxin fori pœnitentialis accommodatæ compendium* in 8. Coloniæ an. 1709. Dilingæ eodem año in 8. & iterum Coloniæ 1735. in 8.

ANSELMI ERB, J. U. Doctoris, in Lycæo Frisingensi Regentis, & SS. Canonum Professoris, hodie Abbatis Ottoburani

Forum Sacrum Casuum reservatorum in 8. an. 1726.

FRANCISCI PAPPUS, Baronis à Trazberg &c. Abbatis Augiæ Majoris Brigantinæ

Scholasticum Personæ Ecclesiasticæ pro Foro Poli, & Soli Breviarium, exhibens universam Theologiam Moralem, Controversiis fidei, & Juris Canonici permixtam. Opus ad tria hæc studia quasi in unum congesta, facili labore & brevi tempore percurrenda destinatum. Aug. Vindel. typis Ant. Maximil. Heiss an. 1733.

ANSELMI SCHNELL, Weingartensis, Cursus Theologiæ Moralis abbreviatus Aug. Vind. 1744. in 8. 4. part. Item Ratisbonæ an. 1740. in 8.

— EJUSDEM *Instructio Confessarii* ibid. an. 1744. 3. part. in 8.

SECTIO VI.

ASCETÆ, SEU THEOLOGIÆ MYSTICÆ SCRIPTORES.

Theologiæ Moralis Scriptoribus Asceticos, seu Mysticos, qui de Consiliis Evangelicis agunt, subjicio. Ut enim priores viam, quâ declinatur à malo, exponendo præcepta, ostendunt, ita posteriores viam, quâ pertingatur ad perfectionem, explanando consilia, demonstrant. Neque Monachis tantùm, ac personis Religiosis digitum in semitam hanc intendunt, sed omnis ætatis, sexûs, ac conditionis hominibus; quis enim à perfectionis Evangelicæ studio rejicitur? Ex innumeris verò Scriptoribus haud plures in medium adducam, quàm quot pro Historiæ Literariæ sciagraphia sufficiant.

S. MARTINI Abbatis Dumiensis, tum Archiepiscopi Braccarensis in Lusitania libellus ad *Mironem*, Suevorum Regem, quem inscripsit *Formula vitæ honestæ*, Pictavis Eliæ Veneti curâ editus anno 1544. Extat etiam in Bibliotheca Patrum Tom. VI. at præfatio in Spicilegii Tomo X. vet. edit. pag. 626. edit. nov. Tom. III. pag. 312, sine ulla legitur in Gilberti Cognati Nozareni Operibus, Basileæ an. 1562. fol. parte 5. p. 74. subjuncto libello *de paupertate* pag. 77. *de contemptu bonorum temporalium & voluptatum* pag. 79. & *de his qui volunt esse docti, sed non boni* pag. 83. Plura id genus Opuscula Ascetica à Tamaio Salazar in Martyrologio Hispanico ad 20. Martii pag. 313. edita recenset Cl. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XU. Vid. etiam Nic. Ant. Bibliothecam Hisp. Vet. art. de *S. Mart. Dum.* ubi Card. Aguirre in margine hanc adjecit Notam: „ Hoc Opus penes nos habemus ex Codice Toletano exscriptum ac collatum cum MS. Vaticano optimæ Notæ sub num. 634. annorum circiter DC. antiquitatis, quod simul cum aliis ejusdem Martini Operibus, aliquando forsan, multis erroribus expurgatum, puriorem lucem videbit. „ Hæc ille. Martini elogium historicum lege sis in Actis Sanctorum Ord. S. B.

S. ALDELMI, Abbatis primùm Maildunensis seu Malmesburiensis, postea verò Schireburnensis in Anglia Episcopi *Liber de Virginitate*, quem rogatu

gatu *Hildelithæ*, venerabilis Abbatissæ, scribendum suscepit; exemplo autem Sedulii & prosa oratione, & metro composuit: Ven. Beda eximium Opus vocat, de quo vide plura apud Mabill. in Analect. tom. I. p. 525. Editum fuit à Jac. Fabro Daventriæ an. 1512. in 4. Extat etiam prosa scriptus in Orthodoxographicis, & Patrum Bibliothecis, sed emendatior editus est ab Henrico Whartono ex Mss. Lambethano & Sarisburiensi, Londini 1663. in 4. unà cum Bedæ quibusdam Opusculis & Egberti Eboracensis Dialogo. Præter hunc librum non pauca alia Opera Ascetica à Baleo & Pitseo recensentur, e. g. *De vita monachorum lib. I. De octo vitiis principalibus, lib. I.* qui carmine descriptus habetur in antiq. Lect. Canis. novæ editionis Tom. I. pag. 708. seq. *De charitate mutua lib. I. De fraterna admonitione lib. I. De pugna vitiorum lib. I.* &c. Claruit Aldhelmus sec. VII. & VIII. fato functus an. 709.

S. AMBROSII AUTPERTI, Abbatis S. Vincentii ad Vulturnum *Liber de Conflictu vitiorum & virtutum*, qui inter Opera spuria SS. Augustini & Ambrosii legitur. Ambrosio autem Mediolanensi Archiepiscopo in pluribus Mss. exemplaribus tribuitur, errore forsitan nominis: nam Autpertum etiam Ambrosium vocatum esse constat, quod nomen præfert ejus *Expositio in Apocalypsin*. Certè cùm in Opusculo præfato de Regula S. Benedicti mentio injiciatur, Opus ad Ambrosium Mediolanensem attinere non posse, nemo est tam hebes, qui non intelligat; optimè verò & meritò *Ambrosio Autperto* Abbati S. Vincentii ad fontes Vulturni fluvii in Samnio, sub cujus nomine extat inter MS.tos Codd. Bibliothecæ San-Emmeramensis Ratisbonæ. Scripsit quoque Libellum, seu Sermonem de *Cupiditate*, quem habes pariter Mss. in mox laudata S. Emmerami Bibliotheca.

SMARAGDI, Abbatis ad S. Michaëlem ad Mosam in Diœcesi Virdunensi *Via Regia* Ludovico Pio Caroli M. filio inscripta. Quantum verò è *Smaragdi* monitionibus profecerit *Ludovicus*, qui cognomen *Pii* sortitus est, in regendo tum se ipso tum etiam imperio, patefaciunt ipsius egregii mores, & acta illustria. Opus præclarissimum edidit Lucas Acherius Spicileg. vet. edit. tom. 5. pag. 1. novæ tom. I. pag. 238.

HINCMARI Archiepiscopi Remensis, Liber *de cavendis vitiis, & virtutibus exercendis*, quem ad *Carolum Calvum*, Galliarum Regem transmisit, cum Epistola S. Gregorii ad Reccaredum, & alius liber *de diversa & multiplici animæ ratione*. Utrumque librum inter Hincmari Opera habes Tomo II. pag. 29 - 125.

HAYMONIS ex Monacho Fuldensi Episcopi Halberstattensis, lib. III. *De amore cœlestis patriæ*. Coloniæ Jo. Prael an. 1531. in 8.

S. ODONIS, Abbatis Cluniacensis seculo X. *Libri III. Collationum*, quos pro triplici argumento composuit, nempe ut divinorum judiciorum metu, ac tremore homines, maximè Sacerdotes à peccatis revocaret; ut eosdem animaret ad toleranda quæque adversa; denique ut à murmuratione illos compesceret. Excerpta lectu perquàm digna vide apud Mabill. Annal. tom. IV. Lib. XLI. pag. 345. Integros habes Patrum Bibl. Lugd. tom. 17. pag. 159.

JOHANNIS ABBATIS, fortè Fiscamnensis sec. XI. Libet asceticus ad Agnetem Augustam, Henrici IV. matrem, quæ dudum ab eo petiêrat, ut ex Scripturis & sententiis Patrum colligeret breves quosdam sermones, in quibus ipsa facilè disceret normam bene vivendi. Fecit ille, quod rogatus erat: atque insuper Sermonem addidit de vita & moribus Virginum, ad instruendas Sanctimoniales, *quæ in tuo*, inquit, *monasterio congregatæ sunt*. Et quia eam actibus misericordiæ deditam compererat, illam monet, *ut non ecclesiasticis, divitias multas possidentibus, sed viduis, orphanis, infirmis, peregrinis, illisque permaximè qui verè sunt pauperes Christi*, eleemosynas suas dispenset. Sub finem præfationis petit, admoneri eos, si qui ipsius libellum habere cupierint, ut eum diligenter transcribi curent, nec aliquid addi, vel subtrahi, aut immutari patiantur: & in fine: *Ego Johannes ultimus servorum Christi, & qui mecum sunt fratres, beatitudinem tuam salutamus in Christo, pia mater pauperum, & nobile decus viduarum*. Sequuntur libri duo varias preces continentes, ex quibus nonnullas apud S. Anselmum videre licet. Scripsit plura alia Ascetica Opera. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 4. p. 213.

S. ANSELMI, Archiepiscopi Cantuariensis, *Liber Meditationum*, quas numero viginti & unam ad excitandam mentem legentis ad Dei amorem, vel timorem, seu ad suimet discussionem

nem edidit. 1.ma est de humanæ con- ditionis dignitate & miseria. 2. De terrore judicii. 3. Deploratio malè amissæ Virginitatis. 4. Quomodo peccator excitet animam suam ad corrigenda vitia. 5. Unde vivat anima, & unde vivat caro: & de gloria bonæ animæ, & de infelicitate malæ animæ, quando exeunt de corpore. 6. Ad roborandum spiritum, ne desperemus; quia si veram pœnitentiam agimus, veram misericordiam sine dubio de omnibus peccatis nostris inveniemus. 7. De instabilitate mundi, multiplicitate beneficiorum Dei, & recognitione peccati. 8. De elevatione pœnitentis ad Patrem. 9. De humanitate Christi. 10. De Passione Christi. 11. De redemptione humana. 12. De humanitate Christi. 13. De Christo. 14. Aliàs Enchiridion, sive Manuale ad excitandum Dei amorem. 15. De præteritorum beneficiorum Christi memoria, de præsentium experientia, & de exspectatione futurorum. 16. De præsentibus Dei beneficiis. 17. De futuris beneficiis Dei. 18. Gratiarum actiones pro beneficiis divinæ misericordiæ & petitio divini adjutorii. 19. De dulcedine divinæ majestatis, & de aliis multis. 20. Querimonia de absentia Dei. 21. Excitans animam ad quærendum & inveniendum Deum. Atque hæ sunt S. Anselmi Meditationes, quibus qui mentem impleverit, veram sentiet cordis compunctionem: monet verò S. Doctor, eas non esse legendas in tumultu & cursim, sed intenta & morosa meditatione. Nec debet, inquit, intendere lector, ut quamlibet illarum totam perlegat, sed quantùm sentit, Deo adjuvante, sibi valere ad accendendum affectum orandi, vel quantùm illum delectat. Extant verò Operum novæ editionis part. 2. pag. 112. - 243.

Has Meditationes nostris in Germania Sodalibus jam ab ævo S. Anselmi usui fuisse, veteres mss. Codices in eorum Bibliothecis cum cura asservari soliti clarissimo sunt argumento. Ecquid enim causæ fuisset, ut easdem non sine labore, & impensis describi curarent, nisi ut attentæ deinde cogitationi subjicerent? Unde Pauli Laymanni Jesuitæ verba (d) absurdam sapiunt injuriam, cùm scribit: *Undenam spiritualium meditationum exercitia Monachi antiquorum Ordinum acceperint, eorúmque usum didicerint in Germania, nisi à Patribus Societatis, & eorum Fundatore S. P. N. Ignatio? Aut quonam ipsi se contulerint, & adhuc conferant, si sub perito Magistro, sepositis omnibus curis, spiritûs revocationi quietè vacare velint, nisi ad Collegia Patrum Societatis &c.* Ex quibus dictis sequitur 1. Spiritualium meditationum exercitia, eorúmque usum nullum in Germania fuisse ante tempora S. Ignatii, quod falsum est, cùm tota boni Monachi vita nihil aliud sit, quàm spiritualium meditationum exercitium, ideóque S. Ben. c. 58. suæ Regulæ jubet venientem ad conversionem, duci in cellam Novitiorum, ubi *meditetur*, manducet, & dormiat. Sequitur 2. antiquos Ordines nullum habere *peritum magistrum* spiritualium exercitiorum, sed tales in solis Patrum Societatis Collegiis reperiri. Unde sequitur 3. S. Ignatium in Monte Serrato pietatis exercitiis deditum sub *Imperito Magistro* spiritûs renovationi vacâsse: imò ne inter ipsos quidem Carthusianos, solitudini cumprimis addictos, peritum ejusmodi Magistrum reperiri. Quæ omnia quanto cum honore Ordinum antiquorum dicantur, vel ipsi Patres laudatissimæ Societatis judicabunt. Vid. Romanum Hay in Astro Inextincto quæst. 7. n. 10. Cæterùm vetus Meditationum S. Anselmi edit. o accurata fuit circa an. 1500. in 4. Germanicè vero versæ per Martinum Zetliz O. S. B. Neopragæ excusæ fuerunt an. 1695. in 12.

RUPERTI, Abbatis Tuitiensis, Libri II. *De meditatione mortis.* Opp. Tom. 2. pag. 862 - 875. Liber I. habet cap. 19. II.^dus^ habet 9.

OTHLONIS, Monachi San-Emeramensis, sec. XI. insignis vitæ spiritualis Magistri Opuscula Ascetica edidit Pezius Thes. Anecdot. Tom. III. Part. II.

I. *Liber de Cursu Spirituali.* à col. 257 - 400.

II. *Liber de admonitione Clericorum & Laicorum*, à col. 401 - 428.

III. *Liber Metricus de Doctrina spirituali.* à col. 430 - 482. Hæc Opuscula sunt verè gemmæ & margaritæ Asceticæ, quæ in Pezii Thesauro Anecdotorum continentur.

FRANCONIS, Abbatis Affligemiensis, *Tractatus de Cursu vitæ spiritualis*, per distinctiones, vel ut ipse dicit, Tractatus XII. asservatur apud Tungrenses Regulares. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 318.

PETRI

(d) vid. ejus Just. Defens. pag. 288.

PETRI Abbatis S. Remigii, Cellensis vulgò nuncupati, Tractatus *De Disciplina Claustrali*. Elegantissimum sanè Opus, atque insigni refertum eruditione, non iis tantùm, qui procul à seculi corruptela vitam agunt, sed omni viro Ecclesiastico, imò & cuilibet Christiano perutile, atque ad veram pietatem plurimùm conducens edidit Lucas Acherius Spicilegii postr. edit. Tom. I. p. 452.

ÆLMERI, seu *Elmeri*, Monachi Cantuariensis in Anglia sub annum 1130. *Epistolæ*, in quibus tractat de munditia cordis, de discretione judicii, de affabilitate in sermone, de amore liberalitatis, prosecutione justitiæ, vigore disciplinæ, doctrinæ studio, cura pauperum, & erga debiles vel mente vel corpore compassione, de bono vitæ claustralis cum meditationibus sacris, cujusmodi sunt excitatio mentis in inquisitione Dei, & querimonia, de absentia metûs Dei. Hunc librum Thomas Smithus, qui eum evolvit, tametsi acatholicus, asceticum, & verè pium vocat in Bibl. Cotton. pag. 67. col. 2. ubi asservatur sub effigie Othonis Lit. A. Cod. xu. n. 7.

VEN. HILDEBERTI, Liber *de Querimonia*, sive *de Conflictu Carnis & Spiritus*, partim prosa, partim metro conscriptus ad imitationem Boetianæ consolationis, ab Ant. Beaugendre unà cum aliis Hildeberti Operibus Parisiis in fol. an. 1708. prælo subjectus fuit.

BERNARDI, Abbatis Casinensis, & S. R. E. Cardinalis, *Speculum Monachorum*, Venetiis anno 1505. editum apud Lucam Antoniom Juntam, à piis verò doctisque viris plurimi æstimatum.

JOANNIS ABBATIS, incertum cujus monasterii, *Liber aureus de Professione Monachorum*. Bernardus Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Aoecdot. pag. LXXX. n. 12. suspicari sibi fas putavit, Auctorem *aurei libri de Imitatione Christi* ab auctore hujus Tractatûs distinctum non esse. Sed hac conjectura niti nolim, ut *Joannem* Ordini Benedictino asseram, quem *Quetifus* & *Eccardus* in Bibliotheca PP. Prædicatorum Scriptoribus Familiæ suæ perperàm accensent.

JOANNIS WESTPHAL, Abbas Bursfeldensis, Opusculum de triplici Religione Claustralium, unà cum exercitio spirituali Monachorum anno 1498. in 4. Autor laudatur Trithemio in Chron. Sponheim. p. 351.-415.

JOANNES WILTONUS, Monachus Anglus in Cœnobio Westmonasteriensi, Vir vitæ integerrimæ, & multiplicis doctrinæ. In omni humaniore literatura politus & tersus; in Philosophia subtilis & acutus, in Theologia maturus & solidus, rerum sublimium & cœlestium contemplationi mirificè deditus, in quo exercitii genere D. Bernardum imitari omni conatu contendebat. Nam legendis illius operibus ad hanc Angelicam vivendi rationem allectus est. Omnia ejus Scripta pietatem redolent, & animum à terrenarum rerum contagione penitus alienum demonstrant. Scripsit autem quædam oratione soluta, quædam versu maximè rythmico.

Horologium Sapientiæ, Libr. VII. Sentire de Domino in bonitate.

De beneficiis Dei. Lib. I. Jesu Christe celeri meditatione.

Stimulum compassionis, Lib. un. Jam nunc Matri Virgini anima.

Claruit circa annum post adventum Messiæ 1360. Vid. Pits. æt. 14. pag. 496.

ADAMUS VILLICUS, vulgò *Mayer*, Abbas S. Martini Coloniæ ad an. 1499. superstes, *vir summus meritis & doctrinà illustrior omni*, inter alia fœcundi ingenii monumenta posteris reliquit insignem Tractatum *de septem gradibus spiritualis ascensionis in Deum*, aliáque ejus commatis opuscula, quæ nuper extulit Cl. P. Oliverius Legipont Aug. Vind. apud Veithium. De eo plura in ejus vita.

JOANNIS RAULINI, Theologi & Ascetæ Cluniacensis celebri famâ, Opus de triplici genere mortis, scilicet corporis, culpæ, & gehennæ, qood vulgò dicitur *Doctrinale mortis*. Parisiis apud Marnesum an. 1523.

– EJUSDEM *Opus de Conjugio & viduitate*. Parisiis apnd Jo. Parvum anno 1524.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis primùm, deinde D. Jacobi in Suburbio Herbipolensi, Abbatis Eruditissimi, *Opera Pia & Spiritualia*, quotquot vel olim typis expressa, vel Mf.ta reperiri potuerunt à R. P. Joanne Busæo S. J. Theologo in omnium Religiosæ vitæ Cultorum gratiam diligenti studio conquisita, & in unum volumen, mendis expurgatis, redacta. Moguntiæ anno Domini 1605. apud Joan. Albin. Hæc Trithemii Opera sunt, judice Mabillonio, piissima, & utilissima, adeóque à Sodalibus nostris impensè legenda.

– EJUSDEM

EJUSDEM *Praxis exercitiorum spiritualium.* in 12. Coloniæ an. 1649.

--- *De vita Sacerdotum instituenda.* in 8. Dilingæ 1575.

LUDOVICI BLOSII, Abbatis Lœtiensis, *Opera Ascetica* seorsim suis temporibus edita, veluti membra dissecta in unum corpus collegit primus omnium *Blosii* Operum in uno volumine junctorum evulgator *Jacobus Troius*, Lœtiensis Asceta, Blosii discipulus, quique deinde Hasnoiensium Abbas fuit, Lovanii apud Jo. Bogardum an. 1568. in fol. Postea Coloniæ an. 1512. & 1589. apud hæredes Materni Cholini, iterum in folio eadem Blosii Opera prodierunt. Rursum in 4. ibidem apud Bernardum Gualterum an. 1606. 1618. & 1625. Iterum in 4. an. 1622. Parisiis apud Societatem minimam, & Campidonæ 1672. Denique Augustæ Vindel. an. 1626. tomulis quinque in 12. apud Andr. Apergium, edente & recensente Romano Hay, Ochenhusano in Suevia Monacho. Ad ultimum Ingolstadii in folio an. 1726. Sumptibus Joañis Andreæ de la Haye, Bibliopol. Academ. Habent & ista laudem hæc Opera, quòd variarum gentium linguis, Germanica, Belgica, Hispanica, Italica, Gallica, Anglica translata sint, Unde facilè patet, quanto omnium gentium applausu ac fructu sint excepta. Quid? quòd annis paucis sexies ac sæpiùs sermone Hispanico recusa sint. Neque intra Europam aut fervor hic ea legendi stetit aut fructus. In ipsas Indiarum Provincias navigavit. Illuc enim, ut viri cujusdam venerabilis ex nostri Ordinis Hispaniarum Congregatione gravissimo testimonio didicimus, frequentissima Blosianorum Operum exemplaria transmissa sunt; nunquam tot tamen, ut ardentissimam devotionem satiarent. Distribuuntur verò Ven. Blosii Opera in X. Sectiones hoc ordine:

Sectio I. *Paradisus Animæ fidelis* constat partibus quatuor. I. *Canone vitæ spiritualis.* II. *Cimeliarchio piarum precularum.* III. *Medulla Psalmodiæ sacræ.* IV. *Officio horarum de Jesu & Maria.*

Sectio II. *Psychagogia*, seu *Animæ recreatio.* Addita est *Comparatio Regis & Monachi*, ex Græco D. Joannis Chrysostomi Latinè reddita.

Sectio III. *Sacellum Animæ fidelis*: quo continentur. I. *Tabella Spiritualis.* II. *Preculæ admodùm piæ.* III. *Dicta quorundam Patrum verè aurea.*

Sectio IV. *Institutio Spiritualis*; cum appendicibus quatuor. I. *Ex libris Joannis Tauleri & aliorum.* II. *Corollarium Exercitiorum Institutionis spiritualis.* III. *Piæ precationes.* IV. *Apologia pro Joanne Taulero.*

Sectio V. *Brevis Regula*, *& Exercitia quotidiana Spiritualia.*

Sectio VI. *Consolatio Pusillanimium: cum Paraclesi divina ex sacris Literis.*

Sectio VII. *Margaritum spirituale*; cujus sex partes sunt. I. *De Incarnatione & vita Domini Jesu ex Taulero & Rusbrochio.* II. *Epitome vitæ Christi ex IV. Evangelistis.* III. *Dominicæ Passionis explicatio ferè ex Taulero.* IV. *Farrago utilissimarum Institutionum*, *potissimùm ex Rusbrochio.* V. *Articuli vitæ Christi.* VI. *Divini Amoris Igniariolum.*

Sectio VIII. *Conclave animæ fidelis in IV. partes distinctum.* I. *Speculum Spirituale.* II. *Monile Spirituale.* III. *Corona Spiritualis.* IV. *Scriniolum Spirituale.*

Sectio IX. *Instructio vitæ asceticæ.* Continet tres Partes. I. *Speculum Monachorum*, sub nomine *Dacriani* (quod Latinè Lacrymatorem sonat) Abbatis. II. *Enchyridii Parvulorum libros II. cum precatiunculis & Doxologiis.* III. *Septem Exercitia*, seu *Meditationes pro religiosis tyronibus.*

Sectio X. Polemica, seu *Defensio veræ fidei.* Continet item tres partes. I. *Collyrii hæreticorum libros II.* II. *Faculam illuminandis*, *& ab errore revocandis hæreticis.* III. *Epistolam ad nobilem Matronam per hæreticos à vera fide seductam.*

Atque ex his melle pietatis, savóque plenis lucubrationibus *Blosius* noster *Imitator Bernardi*, imò dulcissima nuncupatione *Alter Bernardus* dicitur meritò, scribitúrque, aut, si mavis, *Divini Amoris suavissimus Asceta.* Ita Felix Egger Ideæ O. S. Bened. Lib. 2. pag. 532.

JOACHIMI SAILER, Abbas Fischingensis, in Helvetia Opuscula Ascetica.

I. *Deliciæ sacræ*: seu *Meditationes de Familia* JESU, MARIA, JOSEPH.

II. *Deus absconditus*: seu *Meditationes super vitam D. N. Jesu Christi.*

III. *Fasciculus Myrrhæ*; sive *Meditationes de Passione D. N. Jesu Christi.*

IV. *Spiritus Christi*: *seu Meditationes de eodem spiritu.* Plura pientissimi hujus Ascetæ Opuscula patrio sermone conscripta, vide apud Felicem Egger l. c. lib. 2. pag. 447.

GAR-

GARSIAS DE CISNEROS domo, ex urbe, aut regno Toletano, quod ultimum Antonius Yepes, Ordinis nostri Chronographus expressit, nobili ortus genere, sed pietate ac religione nobilior, Benedictinæ Familiæ monachus, ex Pinciana domo, in qua viginti annorum adolescens, sacramento illius se addixerat, ad Montis Serrati cœnobium se contulit, Ferdinando Rege Catholico instante, ut Regulam ibi restauraret S. Benedicti secundùm normam, quæ in monasterio Pinciano jam diu observabatur; quò deveniens magno omnium consensu Abbas coaptatur. Hoc ille munus, dum vixit, totos decem & octo annos, collatum sibi denuo singulis bienniis, administravit, vir integerrimæ vitæ, & qualem oportet fuisse eum, cujus non displicuit perpetua, quæ aliàs temporaria futura fuisset gubernatio. Extant in manibus sodalium *Opuscula aurea dua illius*, unde, ut vir doctissimus, Nicolaus Antonius existimat, *quidquid asceticarum hodie librorum est, videtur utique diumanasse.*

Excitatorium Vitæ Spiritualis, &

Directorium Horarum Canonicarum. Quæ simul extant Latina apud Belletum 1615. in 8. Ferebantur olim sine Authoris nomine, indita duntaxat Monachi Benedictini appellatione, *Parisiis* atque *Venetiis* apud Michaëlem Tremezinum anno 1555. nec non *Ingolstadii* apud *Davidem Sartorium* unà cum libris *Humberti Generalis Magistri Prædicatorum de Eruditione Religiosorum* anno 1591. in 8. sed *Franciscus Ibannez*, Sodalis quoque Benedictinus germano parenti suam prolem vindicavit, adjungens brevem *Virorum Illustrium* Ordinis nostri Catalogum, quæ quidem Barcinone, ut credit Nic. Ant. edita sunt anno 1561. & 1570. in 8. aut *Salmanticæ*, ut scribit Arnoldus Wion in Catalogo Lig. Vit. Lib. II. Cap. LXVII. Translati etiam sunt in linguam Italicam à Julio Zanchini, & excusi Florentiæ 1595. in 12. & Romæ apud Franciscum Caballum 1635. in 12. Nec non & in Hispanicam conversi, & locupletati à Petro Burgensi ejusdem instituti monacho, ejusdémque cœnobii Abbate, excusíque unà cum vitâ & rebus gestis ac Regulâ S. Benedicti Barcinonæ 1633. in 8. Obiit Garzias XXVII. Novembris anno MDX. ætatis LV. Scriptorem virtute suæ, rerúmque piè gestarum sortitus Laurentium Ayalam Benedictinum Pincianæ domûs sodalem. Vid. Nicol. Antonium Bibliothecæ Novæ Hispanæ p. 392.

LUDOVICUS SOMBECKUS Abbas & Comes Gemblac. obiit 12. Sept. an. 1609. postquam scripsisset libellum asceticum, quem inscripsit *Funiculus triplex* contra præsentis seculi calamitates, in quo Passionis, Mortis, & Crucis Dominicæ mysteria, & documenta SS. Patrum verbis expressa. Bruxellæ typis R. Velpii 1607. in 8.

JOANNES DE CASTANIZA, Benedictinus Hispanus, ex Monasterio antiquissimo S. Salvatoris de Onna veteris Castellæ, insignis vir suos inter sodales pietate ac litteris; quarum commendatione cùm Ordinis sui, h. e. Hispanæ Congregationis Concionator, ut vocant, Generalis, dein léque & Regius Philippi II. Ecclesiastes, tum etiam Censor Theologus apud Apostolicos Fidei Judices, qui in supremo Senatu sedent, creari dignus apparuit. Extare ab eo inter cætera opera novimus

De la Perfection de la vida Christiana, i. e.

De vitæ Christianæ Perfectione.

Quod opus vernaculè apud Hispanos editum Latinè transtulit *Jodocus Lorechius*, Parisiisque edidit apud Petrum de Presche an. 1644. in 8. recusum postea Francofurti eum titulo *Pugnæ Spiritualis*, sive de *Perfectione* an. 1662. Alii in Italicam & Germanicam linguam verterunt. Nicolaus Antonius in Bibl. Nov. Hisp. advertit, Gerardum Zoes fuisse, qui Belgicè primus ediderit sub titulo *Pugnæ Spiritualis*, qui subinde in Francofurtensi editione retentus fuit. *Pugna Spiritualis*, & *liber de Perfectione* non sunt duo Opera, sed unum idémque. Novissima, quam scio, præclari hujus Operis editio est, quæ anno 1732. in 12. Viennæ Austriæ per J. E. N. accurata est sub epigraphe *Pugna Spiritualis* seu *Tractatus Asceticus de Christiana ac Religiosa Perfectione*; Vitâ excessit vir eximius Salmanticæ, in cujus urbis monasterio Vincentii Martyris nomine appellatio diu vixit, anno exacti seculi XVI. nonagesimo octavo. Meminit ejus non sine ingentis cujusdam laudis significatione Antonius de Yepes Ordinis Chronographus Tom. VI. Historiæ ad an. 98. pag. 337. & tom. VII. ad an. 1143. fol. 346. quo loco inscriptionem sepulturæ ejus adducit pag. 512. Nic. Ant. l. c. pag. 512. Vide etiam Mabillonium Annal. tom. 4. p. 388. ubi

ubi *verus auctor libelli aurei*, *qui* PUGNA SPIRITUALIS inscribitur, ab ipso vocatur.

ALPHONSI VILLAGUT Præsidis Congregationis Casinensis *Guida e Tesoro de' Tribulati*; hoc est, *Dux & Thesaurus Tribulatorum*. Venetiis an. 1587. & 1589. apud Joannem Baptistam Somascum. Opus Italicè scriptum tribus partibus absolvitur.

Parte prima, nella quale si adducono molte utili quesiti intorno alle cause, & varj effetti delle tribulationi temporali cavati dalla sacra Scrittura, & da santi Scrittori. Id est: Pars Prima, in qua proponuntur molta utilia Quæsita ad causas & veros effectus tribulationum temporalium, deprompta ex sacra Scriptura, sacrisque Scriptoribus.

Parte secunda, nella quale si adducono molte Istorie, si del Testamento Vecchio e Nuovo, come de' Gentili. Id est: Pars secunda, in qua multæ historiæ tam veteris & novi Testamenti, quàm civiles & profanæ adducuntur.

Parte tertia, nella quale si adduce un ragionamento fatto tra l' Uomo tribulato, & il Signore Giesu Christo. Id est, *Pars tertia*, in quâ discursus hominem tribulatum inter & Dominum Jesum Christum affertur. Opus piissimum æquè ac eruditissimum, sacra undique ac prophana doctrina repletum, linguæ Italicæ puritate ac venustate ornatum, inter præcipua Opera Ascetica numerandum, atque dignum omnino, quod propter singularem suam utilitatem in quibuscunque adversitatibus alia in idiomata transferatur. Vid. Armell. in Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 1. pag. 12.

BENEDICTI HÆFTENI Monasterii Affligeniensis in Brabantia Præpositi Opera Ascetica, multorum commendatione celebrata:

1.) *Schola Cordis*, sive aversi à Deo cordis ad eundem reductio & instructio. Antverpiæ apud Verdussium 1622. in 4. cum iconibus æneis.

2.) *Via Regia Crucis* Iconibus illustrata, Antverpiæ apud Plant. 1635. in 8. Absolvitur tribus libris, quorum primus pertractat *Præambula ad viam Crucis ineundam*. Alter agit *de optimâ Crucem ferendi methodo*. Tertius *De bajulatæ Crucis fructibus*. Vix fieri poterit, ut quis lecto hoc opere viam Regiam Crucis decurrere non anhelet.

3.) *Panis quotidianus*, sive Meditationes sacræ in singulos anni dies distributæ, Antverpiæ apud Verduss. an. 1634. in 12.

4.) *Venatio Sacra*, sive *ars quærendi Deum*. Antverpiæ 1650. in fol. typis Jacobi Meursii. Opus verè Asceticum & inter præstantia Hæfteni Opera præcipuum.

LAURENTIUS BENARD Doctor Sorbonæ & Prior Collegii Cluniacensis Lutetiæ Parisiorum præcipuus author extitit, ut in Galliæ Benedictina Monasteria, permissû Ludovici XIII. reformatio introduceretur: qui cùm vero Ordinis sui amore flagraret, nullos alios edidit libros, quàm qui ad Instituti nostri sanctitatem pertinerent: cujus generis sunt: *Parænæses Christianæ*, seu *Instructiones Monasticæ supra Regulam S. Benedicti*, Gallicè an. 1616. Parisiis apud Petrum Chevaliet. Item *Memoriale vitæ Religiosæ* an. 1618. continet etiam *Parænæses Christianas*, seu *Collationes*, quas ad suos habuit Religiosos de tribus votis Religiosis, de receptione Novitiorum, Monachorum, Peregrinorum, & præcipuis obligationibus Monasticæ vitæ. In priori opere sunt 28. Parænæses, in posteriore 29. continentur. Utrumque Gallico sermone scriptum est. Author decessit Parisiis in Collegio Cluniacensi die 21. Aprilis anno 1620. Vid. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 16.

GREGORII Abbatis Schyrensis, *Manuductio ad perfectionem*... Romæ 1690. & Monachii 1694. in 12. Opus magno in pretio inter Ascetas hactenus habitum.

HIERONYMI JOACHIMI LE CONTAT, Galli, Esclaronensis, è Congr. S. Mauri *Dioptra Politices*, id est, Exercitia Spiritualia decem dierum, in quibus è sactis Literis, Patribus, Virisque in prudentia Religiosa versatissimis, præcipuè Regula S. P. B. statuuntur Leges fundamentales, Maximæque tam utiles, quàm necessariæ pro Religiosæ Communitatis Republica gubernanda, nec non pace atque tranquillitate, inter ejusdem Rectores subditósque procuranda ac conservanda, Gallicè proposita, Latinitate verò donata à R. P. Francisco Mezger San - Petrensi Salisburgi apud Jo. Bapt. Mayr an. 1694. in 8. Opus illustre, pro Superioribus Religiosarum Familiarum deditâ operâ compositum, adeóque ab iisdem præ multis aliis libris haud perfunctoriè le-

legendum atque evolvendum: ex eo enim magnam existimationem de dignitate & obligationibus officiorum suorum; exactam cognitionem defectuum & imperfectionum, quos in suo regimine committunt; nec non generosa decreta, conjuncta mediis ad se deinceps emendandum concipere possunt.

JOANNIS MABILLONII è Congr. S. Mauri *La Mort Chretienne dediée à la Reine d' Angleterre*, id est, *Liber de Morte Christiana ad Reginam Angliæ*, in 12. Parisiis apud Carolum Robustel an. 1702. Is liber è veterum Autorum, qui de plurium Sanctorum morte virtutum exemplis conspicua scripserunt, laciniis quasi contextus est. Author opus suum auspicatur à morte D. N. J. C. Sancti Sanctorum, eique obitu B. Justiniani, qui 8. Januarii anno 1455. contigit, coronidem imponit. Post paragraphum de S. Bernardo, epistola ejusdem subjicitur, quâ *Sugerium* Abbatem S. Dionysii ad mortem piè obeundam disposuit. Finem operi faciunt quinquaginta S. Scripturæ textus, de ægrotantium resignatione in voluntatem Dei, opera & studio D. de Barillon, Episcopi Lucionensis collecti. Vid. le Cerf. pag. 284.

PII Abbatis & Principis San-Gallensis *Tricenarius Virtutum*. Cùm enim Vir tam verè pius re, quàm nomine, nec minùs eruditione præstans, secularibus negotiis dare operam cogeretur, ne inter ea sordesceret, aut sui oblivisceretur, sibi concinnavit, collegitque in commentariolum præcipuarum virtutum tricenarium, in quo velut in speculo ad leges sibi ultrò præfixas vitæ totius actus componere solebat. Typo deinde vulgatus est hic *Tricenarius*, quem nemo legit, qui non simul cum *Pio* pietatis quodam ardore succendatur. Obiit Pius anno 1654. regiminis 25. cùm suos ad observantiam Regulæ priùs adhortatus fuisset, id in extremis repetens, quòd in vitâ dicere sæpiùs assueverat: *Servate disciplinam, & ipsa servabit vos*. Vid. Dionys. Sammarth. Gall. Christ. Tom. V. pag. 968.

NICOLAUS SPECKLINUS hujus nominis II. Abbas Novienti seu Apri-Monasterii, vulgò Ebersmünster in Alsatia, vir eruditus, & religiosus, strenuus disciplinæ restaurator, nec solùm de suo, sed etiam de pluribus aliis monasteriis bene meritus *plurima pia & utilia* scripsit, teste Dionysio Sammarthano in Catalogo Abbatum hujus antiquissimi monasterii, quem Galliæ suæ Christianæ Tomo v. pag. 863. inseruit. Demum hanc vitam cum meliori commutavit die 22. Julii anno 1657. cùm vivens hanc sibi sepulchralem inscriptionem composuisset:

Ibam, qua poteram, qua non poteram, non ibam:
Tu quoque qua poteris, si cupis, ire velis.
Qua potui, feci, tibi nunc infecta relinquo
Posthume, fac possis, quæ tibi lecta manent.
Postulat ordo, locus, quæ jam cœpêre priores,
Posthume perficias, postulat ordo, locus.
Ast fortasse tibi mea facta hæc nulla videntur,
Ut dicas, nihil est; subsequere & satis est.
Restrue destructum, simul & collapsa reforma,
Sis, age, quod potis es, si facis hæc, satis est.

ANSELMI BISLING Einsidlensis in Helvetia Ascetæ *Mons Thabor*, sive *Exercitia Spiritualia X. dierum*. in 8. Herbipoli 1671. & Typis Einsidlens. 1682. in 8. Opus à viris doctis & Asceseos peritis mirificè laudatum, nec semel recusum. Novissima editio est, quod sciam, Viennensis, veriùs Norimbergensis in 8. an. 1726. per Georg. Lehmann.

PLACIDI SPIES Ascetæ Ochsenhusani in Suevia virtute ac pietate eximii *Alveare Sacrarum Meditationum* per totius anni decursum in 8. Campidonæ an. 1663. & Solisbaci 1708. Hoc opus tanto in pretio ubique habetur, ut vix ullus sit Religiosorum cœtus, qui eô careat. Vid. Egger Ideæ O.S.B. lib. 2. p. 551.

CONRADI WANNER Zwifaltensis *Melligo Apiculæ Solitudinis*, seu *Exercitia x. dierum*. in 12. Constantiæ 1695. Germanicè ex Latino reddidit Monachus Cisterciensis Salemitani in Suevia Monasterii; quâ versione magnam inivit gratiam ab Ordinis nostri Sanctimonialibus in Germania, quibus hæc sacra Exercitia præ multis aliis arrident.

BENEDICTI ABELZHAUSER Abbatis Seittenstadiensis in Austria Inferiore *Alveare*, sive *Meditationes XV. dierum juxtà tres vias: Purgativam, Incipientium &c.* in 8. Styræ an. 1697. Qui hoc Opere in sacro recessu utuntur, mirificè illud commendant.

-- EJUSDEM *Annona Animæ quotidiana, seu Meditationes in singulos anni dies &c.* Libri II. in 8. an. 1708.

ALPHONSI WENZEL Mallerstorphensis in Bavaria Monasterii Ascetæ *Viridarium sacrarum Meditationum, in quo ex floribus sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum decerptæ veritates Religiosis salutem animæ suæ seriò curantibus proponuntur, ad procurandum horrorem peccati, & implantandum amorem virtutis.* Aug. Vind. & Pedeponti, sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger. Pedeponti typis Viduæ Mariæ Apolloniæ Hanckin an. 1737.

IGNATII CLAVENAU in Admontensi Styriæ percelebri monasterio ad D. Blasium Cœnobitæ, vitæ spiritualis Magistri peritissimi, anno 1720. in magna opinione sanctitatis demortui *Ascesis Posthuma* in duas distincta partes, quarum prima continet sequentes Tractatus:

1.) *Vitam S. P. Benedicti moraliter expositam.* 2.) *Elucidarium in Regulam ejusdem, & in formulam Professionis Benedictinæ.* 3.) *Tractatum de obligatione Religiosorum tendendi ad perfectionem.*

Pars II. continet Tractatus

1.) *De Sacrificio Missæ.* 2.) *De doctrina Christiana.* 3.) *Instructionem de humilitate consequenda.* 4.) *Fasciculum documentorum spiritualium pro tyrone Religioso.* 5.) *De regendo homine exteriore.* 6.) *Exercitationem ad singularem & continuam devotionem erga Christum, & Beatissimam ejus Virginem Matrem.* 7.) *De triplici modo orandi, cum exercitio pro recollectione menstrua.* Salisburgi typis Jo. Josephi Mayr in 4. anno 1720.

ANSELMI FISCHER, Prioris Imperialis Monasterii Ochsenhusani in Suevia, Opera Ascetica:

1.) *Tractatus Asceticus de tribus Votis Religiosis.* Augustæ Vindel. typis Bencardinis in 8. an. 1706. Vix alium reperias Ascetam, qui meliùs de Voto paupertatis Religiosæ scripserit.

2.) *Vita interna cum Deo*, seu doctrina Ascetica, quomodo Religiosus debeat sibi & mundo mori. in 12. anno 1708.

3.) *Specus S. Benedicti*, seu Solitudo sacra, in quam religiosa Anima se recipit, ubi ibidem eò liberiùs sola cum solo Deo agat. in 12. Augustæ Vindel. anno 1709.

4.) *Vita externa*, seu Conversatio externa Religiosa, id est, Modus piè & religiosè vivendi in communitate & societate hominum. Constantiæ an. 1711. in 12.

Quantoperè verò Deo complacitum fuerit, *Anselmum* nostrum ad conscribenda hæc Opuscula Ascetica in calamum incubuisse, clarissimo indicio fuit, quòd cùm ab obitu ejus, interjectis aliquot annis, sepulchrum apertum fuisset, omne ejus corpus in cineres resolutum inventum sit, præterquàm dexteræ manûs tres digiti, quibus calamum scribendo complexus erat.

ÆMILIANI NAISL, exempti Monasterii Weichenstephanensis in Bavaria Cœnobitæ Religiosissimi, quem hac nostra ætate zelus domûs Domini comedisse videtur, Opera Ascetica, v. g.

1.) *Speculum Cleri utriusque*, tam Secularis, quàm Regularis, quô via perfectionis demonstratur. Coloniæ in 4. an. 1710. Censore Nicolao Gircken Augustiniano, SS. Theologiæ Doctore & Professore Ordinario Coloniæ Agrippinæ *Spiritum & animam Theologiæ Asceticæ* continet.

2.) *Lineæ Asceticæ*, sive Meditationes Quotidianæ secundùm tres vias, Purgativam, Illuminativam, & Unitivam, conformiter sacræ Regulæ, & Vitæ didacticæ gloriosi Patriarchæ Benedicti. *Dilingæ* apud Joan. Caspar. Bencard an. 1715. in 8.

3.) *Vox Clamantis in Deserto*, sive Annua Spiritualia Exercitia Octiduana, studiosam præparationem pro adventuro tremendo Judicio suadentia in usum omnium Religiosorum, præcipuè sub vexillis gloriosi Patriarchæ Benedicti militantium accomodata. Ratisbonæ apud Joh. Zachariam Seidelum in 8.

4.) *Evangelisches Post-Hörnlein, d. i. aufrichtige Anweisung auf die wahre Glaubens- und Himmels-Straffen in 4. Regensp. an. 1725.*

RUPERTI PRESINGER, Viri vitâ & doctrinâ Venerabilis ac Prioris ad S. Petrum Salisburgi *Opuscula Ascetica*:

1.) *Candidatus Benedictinus* in seculo adhuc existens ad vitam in eo statu bene ordinandam, & qualiter se ad Religionem disponere debeat, juxtà mentem S. Regulæ institutus, præmissâ brevi institutione pro deliberantibus de ingrediendo Ordine S. P. N. Benedicti. Opusculum non solis Benedictini Nominis, sed aliarum quoque Religionum Candidatis utilissimum, typis Monasterii Tegernseensis an. 1721. in 12.

2.) *Candidatus Benedictinus* per Exercitia Spiritualia octo dierum ad dignam

dignam susceptionem sacri habitûs excultus. Typis Monasterii Tegernsee an. 1720. in 12.

3.) *Novitius Benedictinus* juxtà verba & mentem S. P. N. Benedicti cap. 58. S. Regulæ institutus. Opusculum non solis Novitiis, sed aliis quoque jam Professis, præcipuè primævum fervorem innovare cupientibus proficuum. Salisburgi typis & sumptibus Joan. Joseph. Mayr p. m. hæredum an. 1720. in 12.

4.) *Magister Novitiorum Benedictinus* ad sacræ Regulæ normam & exempla ac doctrinas divini Magistri Jesu Christi idæatus. Typis Monasterii Tegernseensis an. 1720. in 12.

5.) *Sacerdos Benedictinus* ad sacræ Regulæ normam & præcipuè Exempla ac Doctrinas Summi Sacerdotis Christi Jesu efformatus. Typis Monast. Tegernse. an. 1720. in 12.

6.) *Benedictinus mortem quotidie ante oculos suspectam habens.* Salisburgi apud hæredes Juan. Joseph. Mayr. an. 1738.

7.) *Benedictinus ægrotans & moriens.* Salisburgi apud eosdem in 12. an. 1739.

Caroli Stengelii Abbatis Anhusani *Optica Prælatorum & Pastorum*, quâ inprimis Apostolica eorundem vita & mores, officium, ac regimen, pastoralis denique cura & potestas tam utiliter quàm solide proponitur: tum etiam quibus subditos alliciant exhortationibus, regnant populum orationibus, & oves pascant concionibus, ex S. Scripturæ sententiis morali SS. Patrum doctrina, aliorúmque Auctorum monumentis copiosè suppeditantur. Opus ad Electiones, Confirmationes, Reformationes, Inv. ituras, Professiones, Capitula &c. omnibus tam Prælatis & Pastoribus, quàm Confessariis ac Concionatoribus apprimè necessarium. Col. Agripp. sumpt. Jo. Schaletusen in platea S. Marcelli sub signo S. Petri, an. 1684. in 4.

Casparis Erhard Presbyteri Benedictini in Principali Monasterio ad S. Emmeramum Ratisbonæ *Instructio & Manuductio* ad Theologiam mysticam seu contemplationem & dilectionem Dei per vias planas, rectas, & tutas omni Christiano, qui vult piè & perfectè vivere, utilis & accomodata. Aug. Vindel. sumpt. Joan. Strötter Bibliopolæ an. 1727. in 8. Ejusdem *Amica Unio* Theologiæ Scholasticæ cum Ascetica, seu de septem perfectionibus divinis Dissertationes, Ratisbonæ anno 1719. in 8.

Bernardi Hamm Monasterii Schutterensis Sacerdotis Professi, & Parochi in Oberschopfen *Antidota Sacra contra venena antiqui serpentis*, h. e. Quotidianæ Meditationes super Evangelia Dominicalia, in singulos anni dies, in duas Partes divisæ. Lincii sumptibus Franc. Ant. Ilger Civis & Bibliop. an. 1746.

Veremundi Eisvogel Wessofontani In Bavaria Ascetæ:

1.) *Concordia Animæ Benedictinæ cum Deo*, seu reflexiones asceticæ in singulos anni dies. II. Tom. in 8. Aug. Vindel. an. 1723.

2.) *Recipe Medico - Christianum*, seu Exercitia spiritualia per octo dies in 8. ibid. an. 1724.

3.) *Mane nobiscum*, sive Exercitationes Asceticæ per totam diem. in 8. ibid. an. 1724.

4.) *Consolator fidelis & proficientis animæ*, seu Exhortatiunculæ spirituales & succinctæ in singulas Dominicas & Festa anni divisæ. in 12. Aug. Vindel. an. 1727.

Henrici Ledermann, San-Emmeramensis, Ectypon Starûs Religiosi theologicè delineatum. Ratisbonæ an. 1743. in 8.

Alberti Krez Prioris Ottoburani, eximiæ virtutis & asceseos Paradigma practica Recollectionis Asceticæ Triduanæ selecta & collecta. Altorffii ad Vineas an. 1696. in 8.

-- Ejusdem *Aphorismi Paralleli* pro cura sine cura sanitatis & longæ vitæ corporis, salutis item, ac æternitatis animæ. Constantiæ an. 1710. in 8.

Francisci Massu è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi *Meditationes in Evangelia totius anni* in 12. vol. 2. an. 1712. Luxemburgi.

Joannis Evangelistæ Rottner in Monte S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Mallerstorphii Professi, antehac Almæ & Exempræ Congregationis Benedictino - Bavaricæ Communis studii Directoris, SS. Theologiæ & S. Scripturæ Professoris *Margarita Cœlestis*, seu *Status Religiosus Ascetico-Theologicè expensus* ad mentem SS. Augustini, Anselmi, & Thomæ Aquinatis, aliorúmque Patrum luculenter efformatus: Doctorum gravissimorum, tum SS. Theologiæ, tum SS. Canonum placitis, in singulis pene difficultatibus, diligenter & solidè confirmatus: ideóque omnibus Regularibus, cujuscunque Ordinis, Superioribus, & Inferioribus: eorum Confessariis, ac

aliis curam gerentibus, etiam ad exhortationes, aut privatas lectiones non tantùm utilissimus, sed etiam perquàm necessarius, triplici indice locupletatus in 4. Aug. Vindel. apud Mathiam Wolff, anno 1719. Cl. Author in fronte & titulo multa promisit, quorum tamen fidem in contextu operis abundè solvit.

LUDOVICI BULTEAU è Congreg. S. Mauri *Cura Clericalis* Gallicè & Latinè sæpiùs excusa est. Præstantiam Operis à me nunquam lecti ex eo etiam conjicio, quòd Mabillonius Tract. de Stud. Monast. illud legendum consulat.

ANSELMI DESINGII in exempto Monasterio Ensdorff Congr. Bavaricæ Professi *Cogitationes de vita bene agenda*, quibus præcipua morum capita intimiùs considerantur, ad principia Ethico-Civilia, & maximè Christiana ad exercitationem omnis generis ac ordinis hominum publicæ luci commissæ. Ex Ducali Campidonensi Typographeo an. 1727. in 8. maj.

Ex antiquissimo Augiæ Majoris Brigantinæ Monasterio plures habemus sacræ Asceseos Scriptores; nec mirum, cùm vita Ascetica in eodem Asceterio religiosè vivendo studiosè excolatur. Omnium Opera recensere non vacat, cùm eadem ad manum mihi non sint; unde veniam à Lectoris æquitate spero, si annum, locum, & formam editionis vel omittam, vel minùs exactè referam.

JOSEPHUS LANGENAUER Monasterii Subprior, singularis S. P. N. Benedicti cultor obiit 1709. omnibus Sacramentis religiosissimè susceptis (cùm nihil lethalis mali in ipso notaretur) ad lectum stans, absentesque Confratres per datum signum ad supremum suum agonem advocans &c. Ejus Opera Ascetica:

1.) *Sicherer Weeg-Schildt wider die geistliche Seelen-Feind*, prodiit Brigantii. 2.) Societas Jesu &c. Francofurti. 3.) *Die fünff Gnaden-Meer* in Officina San-Gallensi & Brigantina lucem aspexerunt. 4.) Expositio Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ semel & iterùm Brigantii impressa. 5.) Dialogus inter Theophilum & Mariophilum, Campidonæ. 6.) *Der unwillige Barthle*, seu Tractatus de Resignatione voluntatis humanæ in Adversitatibus &c. quatuor vicibus prælum subiit variis in locis. 7.) *Dreyfache Ehren-Cron* Campidonæ &c. restant adhuc aliqua mss. de eodem Viro prælo dignissima &c. nominatim de Præstantia & Excellentia Virginitatis, & alia.

PLACIDUS HÖLBOCK per 30. annos Prior Augiæ Majoris Brigantinæ obiit an. 1710. Ejus Opuscula: 1.) *Vierfaches Herz-Flämmlein* semel & iterùm Brigantii excusum. 2.) *Bitter-süsses Seelen-Baad*, ibidem. 3.) Scala Cœli ex duodecim gradibus humilitatis &c. &c. moraliter instructa, ibidem. 4.) *Jacobs-Laitter* ibid. 5.) Zodiacus Cœlestis, Constantiæ &c. 6.) *Sicherer Weegweiser in das Himmlische Jerusalem* ibid. Restant insuper msc. 7. Codices, tum Conciones tum Exhortationes ad utriusque sexûs personas Regulares exhibentes.

DOMINICUS A CABALZAR Parochus obiit an. 1736. Tractatus de Augustissimo Altaris Sacramento, Einsidlæ. *Allgemeines Welt-Feur Göttlicher Liebe*, Augustæ Vindel. *Tägliche Haus-Ordnung und Schuldigkeit der Eltern gegen den Kindern und entgegen*, ibid. *Tractatus de SS. Corde Jesu* Constantiæ. Item restat msc. Codex pro instructione hominum cujuscunque statûs & ordinis &c.

Indiculus Asceticorum, quæ inter Patrum Opera reperiuntur, ab Asceta Benedictino digestus (sub quo nomine Lucas d'Achery è Congr. S. Mauri latet) Parisiis apud Ludovicum Billaine an. 1648. & 1671. in 4. quæ editio priore haud parùm auctior est. Hoc in Opere uniuscujusque libri pretium, valorem, atque utilitatem paucis ostendit variàque hominum genera ad marginem designat, quibus libri, quorum lectionem commendat, præ aliis congruunt. Quæ notitia uti difficilis est comparatu, ita Monasteriorum Superioribus, & Religiosæ vitæ Magistris insignem usum præstare potest. Vid. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 2.

R. P. BERNARDI PEZII Mellicensis *Bibliotheca Ascetica antiquo-nova*. Ratisbonæ ab anno 1723. Tomis XII. in 8. edita; Qua in collectione non tantùm veterum, sed etiam recentiorum quorumdam ascetarum opuscula continentur non spernenda. Faxit Deus! ut Sodales nostri ejus exemplum sedulò æmulentur.

SECTIO

SECTIO VII.

Qui de Doctrina Christiana scripserunt, vel Libros Catholicos ediderunt.

QUi Theologi in Ecclesia rudes instruunt fideles, iisque doctrinæ Christianæ dogmata exponunt, Catechistæ vocantur: ex quibus aliquot cùm veteres tum recentiores more nostro adducemus.

S. MARTINUS ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Braccarensis conversis in Gallæcia ab Ariana impietate ad Fidem Catholicam Suevorum populis *Regulam fidei & sanctæ Religionis* constituit, copiosáque præcepta *piæ Institutionis* composuit. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. v. p. 120.

S. BONIFACII, Archiepiscopi Moguntini, Germanorum Apostoli, *Sermo de Abrenuntiatione in Baptismate*, quem Apostolica doctrina plenum è tenebris eruit, & cum Orbe Catholico communicavit Bernardus Pezius in Thes. Noviss. Anecd. Tom. IV. part. 2.

VEN. BEDA *De septem donis Spiritus sancti* Opp. Tom. III. p. 492. *De septem Ordinibus* pag. 493. *De quindecim signis ante diem judicii* pag. 494. *De Cruce Domini, de quatuor Ordinibus* pag. 495. *De Eucharistia sumenda* pag. 469. *Expositio Orationis Dominicæ*. Tom. V. pag. 91. Examen Criticum, an omnia hæc sint genuina Bedæ Opera, in aliud tempus differo.

S. PIRMINIUS Abbas, vel etiam Episcopus sive Chorepiscopus, celebris Monasteriorum conditor circa an. 768. obiit; Ejus libellum *paræneticum de singulis libris Canonicis* SCARAPSUM, hoc est, ex universo sacro Codice collectum edidit ex Einsidlensi Bibliotheca Mabillonius Tom. IV. Analect. pag. 569. (edit. nov. pag. 65-73.) Instituit Author in eo lectorem ad vitam Christiano homine decentem transigendam, præcipuè usum ac necessitatem confessionis & pœnitentiæ ante sacram Communionem inculcat.

LEIDRADI ex Episcopo Lugdunensi Monachi ad S. Medardum Suessionibus *Liber de Sacramento Baptismi ad Karolum M. Imperatorem*. Carolus (bone Deus! quantus vir, quàm de re christiana sollicitus) scripta epistola, quam Mabillonius Tomo I. Analect. pag. 19. juris publici fecit, nosse de Sacramento Baptismi desideraverat, cur primò infans catechumenus efficitur, vel quid sit catechumenus: deinde per ordinem omnia, quæ aguntur: De scrutinio, quid sit scrutinium. De Symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundùm Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Dominum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam Catholicam, & cætera, quæ sequuntur in eodem symbolo. De abrenuntiatione Satanæ, & omnibus operibus ejus, & pompis. Quid sit abrenuntiatio, & quæ opera ejus diaboli, & pompæ. Cur insuffiatur, & cur exorcizatur: cur catechumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo; cur scapulæ signantur, & quare pectus & scapulæ lavantur. Cur albis induitur vestimentis; cur sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, & cur corpore & sanguine dominico confirmatur. Hæc omnia Carolus subtili indagine perscripta sibi nuntiari voluit.

Respondit Leidradus libro, qui duas in partes distribuitur. Partis primæ undecim sunt capita. Primò agitur de significationibus sacri Baptismatis. 2. De tactu narium & aurium, ob quam causam secundùm traditionem ecclesiasticam ab omnibus Catholicis Christi Sacerdotibus fiat. 3. De abrenuntiatione Satanæ: vel quæ sint opera ejus, & pompæ. 4. De Symbolo. 5. De Credulitate. 6. De Baptismo. 7. De sacra Unctione. 8. De vestimentis albis. 9. De Corpore Dominico ac sanguine. 10. De Infantibus, vel his, qui pro se respondere non possunt. 11. De Disciplina vivendi & docendi.

Pars ejusdem libri secunda, cui Leidradi altera ad Carolum M. epistola præfixa est, magis elaborata videtur, quàm prior. Agitur verò in ea potissimùm de abrenuntiationibus in Baptismo fieri solitis. Edidit Mabillonius Analect. tom. III. pag. 1.-45. ex triplici Mſto Colbertino, Eligiano, id est, Monasterii S. Eligii apud Novionum, & Andegavensi, seu

seu Cœnobii S. Andreæ prope Avenionem.

Incerti Monachi Weissenburgensis Catechesis Theotisca seculo IX. conscripta. Varia venerandæ antiquitatis monumenta in uno volumine collecta juris publici fecit celeb. *Jo. Georgius Eccardus*; inter quæ primum obtinet locum *Catechesis Theotisca* ex antiquo codice seculi IX, qui in Guelferbytana Bibliotheca reperitur, descripta. Continet illa *Orationem Dominicam cum explicatione*, *recensionem peccatorum criminalium*, *Symbolum Apostolicum*, *& Athanasianum*, *& Gloria in Excelsis*. quare V. C. Eccardus Catecheseos nomen huic Opusculo dedit, quia scilicet ea continet, quæ præcipuè ab homine Christiano sunt tenenda. Situm est autem Weissenburgense Monasterium, à Dagoberto Franciæ Rege A. C. 624. fundatum, juxtà Weissenburgum, urbem Imperialem, non procul à Rheno ad Lauteram fluvium; quare & Cl. Eccardus conjici posse putat, Auctorem Operis esse Rabanum Maurum Archi - Episcopum Moguntinum, quia sub ejus diœcesi situm erat illud monasterium. Vero tamen similius esse ait, auctorem esse *Otfridum* Weissenburgensem, qui Evangelia nobis dedit, & Grammaticam. Monumento huic Catechetico adjecit Eccardus alia similis argumenti, quorum hi sunt tituli: *Oratio Dominica & Confessio fidei Theotisca*, quam Eccardus Notkero monacho S. Galli adscribit, quia stylus à Psalterio ab ipso converso non multùm abludit, *Expositio in Orationem Dominicam & Confessio fidei* à Lambecio in Bibliotheca Vindobonensi sub nomine *Otfridi* edita, quam Eccardus Keroni vindicat, statuitque nomen ejus ex Notkero esse abbreviatum. Ut enim Germani *Hans* pro *Joanne*, *Sepp* pro *Josepho*, *Dix* pro *Benedicto* dicitur, ita *Ker* pro *Notker* abbreviatum nonnullis videtur. Vid. Acta Erudit. Lipsi. an. 1712. mense Nov. p. 523.

S. ADELBERTI, Episcopi Pragensis & Martyris *Catechesis*, quam in literas relatam Polonis, antequam in Prussiam iret, reliquit. In hac præcipua quadam Christianæ institutionis capita complexus fuerat. Ut verò Poloni eam non memoriæ modò mandarent, sed etiam decantarent, B. *Bogumilus*, Eremita Camaldulensis, eos hortari & incitare solitus erat, teste Stephano Damalevicio in vita Romæ impressa anno 1661. quæ etiam extat in Actis SS. tom. 2. Junii p. 346.

B. PETRI DAMIANI *Opus de Fide Catholica ad Ambrosiam* extat Operum ejus Tomo III.

– EJUSDEM 1.) Opusculum de bono suffragiorum & variis miraculis. 2.) De Picturis Principum Apostolorum. 3.) Contra sedentes tempore Divini Officii. 4.) De laude flagellorum & disciplinæ. 5.) De jejunio Sabbathi. 6.) De celebrandis Vigiliis, & alia plura. Vid. Opp. Tom. III.

B. FROWINI, Abbatis Engelbergensis in Helvetia, pietate & doctrina eximii liber in *Orationem Dominicam*, qui luce publica dignus, in eodem monasterio msf.tus asservatur. Vid. Hartmanni Annales Einsidlenses p. 215.

PETRI ABÆLARDI *Expositiones in Orationem Dominicam*, *in Symbolum Apostolorum*, *& in Symbolum S. Athanasii* ab illustri Viro Francisco Ambæsio cum aliis ejus Operibus publica luce donatæ, Parisiis in 4. an. 1626.

JOANNES DE MARRE ex Priore S. Luperci Episcopus Condomiensis in Gallia elucubravit *Enchiridium Sacerdotale*, verè aureum, in quo continentur:

Quæ sint de Deo, & de sancta Trinitate credenda.

Symboli Apostolici explanatio.

Quinque verborum, scilicet quæ sint credenda, agenda, vitanda, timenda, & speranda, explicatio.

Orationis Dominicæ declaratio: cum virtutum præcipuarum enucleatione.

De Pœnitentia XVIII. Capitum libellus. Decalogum Dominicum latè elucidans.

Regulæ Morales M. Joannis Gerson.

Symboli, seu Cantici Athanasiani explicatio.

Hoc Enchiridium Lutetiæ Parisiorum anno 1519. typis Ascensianis excusum, dignissimum est, ut iteratis typis publicetur, cùm rarum & infrequens in paucis Bibliothecis, maximè Germaniæ, habeatur.

NICOLAUS DE DORSTEN, Abbreviator Literarum Apostolicarum in Concilio Basileensi, tum Monachus ad Sanctum Jacobum Moguntiæ scripsit *Tractatum de Præceptis Decalogi.* Opus Msf.tum, quod in ejusdem Monasterii Bibliotheca asservatur.

EUTYCHII CORDES, Belgæ, Antverpiensis, è Congregatione Casinensi *Comentaria in Symbolum Apostolorum.* Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 160.

GRE-

GREGORII URBANI, Itali, Romani, è Congregatione Casinensi *Confessionale Generale* pro Pœnitentibus coutinens singulas materias ad perexactam Confessionem concernentes. Est Mf.tum à Mariano Armellino visum anno 1730. apud D. Hippolytum Pugnetum, Monachum & Decanum in S. Petro de Assisio. Armell. Bibl. Benedictino-Casinensi par. 1. p. 194.

MARCI VALLE, Decani in Monasterio S. Georgii Majoris Venetiis *Scientia Salut's pro parvulis atque devotis* agiographica Rapsodia ex sacris Scripturis, & Patribus excerpta, utroque sermone Latino & Italico scripta, Mediolani anno 1677. typis hæredum Philippi Ghisulphi in 4. Vid. Armell. l. c. part. 2. pag. 93.

GILBERTI GENEBRARDI, Archiepiscopi Aquensis in Gallia *Institutio Christiana*. Distribuitur in tria Capita: quorum primum est *de Fide*, quæ est habitus infusus, quo credimus revelatis. Alterum *de Spe*, tertium *de Charitate*. Hæc Institutio brevis est, sed doctrinæ tamen Christianæ capita sanè omnia complectitur. Unde & Catechistæ & Concionatores non inutiliter illam percurrent. Extat in fronte Commentarii in Psalmos. Lugduni in 8. anno 1600.

— EJUSDEM Commentarius in Symbolum S. Athanasii continetur in Libro III. de SS. Trinitate. Lugduni excudit Horatius Cordon anno 1607. in 8.

ANDREAS CROQUET, Artesius, Duacenus, SS. Theologiæ Doctor & Prior Monasterii Hasnoiensis in Hannonia scripsit *Catecheses Christianas*, quæ Duaci anno 1575. & Lugduni anno 1593. publicam lucem aspexerunt, de quibus videndus est Andreas Valerius in Bibliotheca Belgica. Auctor obiit anno 1580.

DAVIDIS GREGORII CORNERI, Abbatis Gottvicensis in inferiori Austria, Viri verè Apostolici, & hæreseos extirpandæ studiosissimi *Liber de ignorantia fidei & rerum spiritualium*. Opus verè Catholicum, & monitis undique refertum saluberrimis. Norimbergæ typis Georgii Enderi anno 1626. in 12.

BENEDICTI HÆFTENI, Præpositi in Monasterio Affligeniensi in Brabantia *Paradisus*, seu *Viridarium Catechisticum*, Odis, sive cantionibus Belgicis & Latinis ad Musicos Tonos reductis consitum. Antverpiæ apud Verdussium anno MDCXXII.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

PLACIDI SPIES, Prioris Imperialis Monasterii Ochsenhusani in Suevia *Praxis Catechistica*, plusquam duodecies patriis typis impressa, diversis annis & locis; innumera enim ejus exemplaria per totam Germaniam, maximo Catholicæ doctrinæ bono, dispersa fuerunt. Qui nihil rectum tamen putant, nisi quod ab ipsorum calamo profectum est, præ utilissima Praxi hac Catechistica etiam Benedictinis Parochis suos obtrudere Catechismos ausi fuerunt. Auctor ut à multis virtutibus ornatus, ita tanta in miseros charitate præditus erat, ut grassante pestifera lue infectos catervatim, & cum morte colluctantes inviseret, genibúsque flexis ab uno repens ad alterum sine ullo fœtoris contagionísque metu singulis omnia Sacramenta ministraret. Vid. Pezii Epist. Apolog.

MAURI REIMANNI, Prioris antiquissimi & Regii Monasterii Brevnoviensis in Regno Bohemiæ *Sermones Catechetici*. Author erat indefesso in libris legendis studio, copia, & gravitate styli, prudentia & rerum usu inter suos conspicuus. Obiit 1667. die 2. Decembris.

PETRI VECCHIA è Congreg. Casin. Abbatis & postea Episcopi Melphictensis *Le Sagre Fascie*, o sia la *Dottrina Christiana*. Vid. Armell. Bibl. Bened. Casin. part. 2. pag. 138.

JACOBI HORN, Abbatis Spanheimensis, perdocti Theologi *Catholica Catechesis adversùs Evangelicos*. Opus typis dignum.

GABRIEL GERBERON è Congreg. S. Mauri Gallico idiomate scripsit *Examen Generale* omnium statuum, & conditionis cujuscunque hominum, ac peccatorum, quæ in iis committi possunt. Vol. duo in 12. Paris. an. 1676.

Idem *Gerberonius* accutavit novam editionem *Catechismi Pœnitentiæ* typis vulgati à D. Roucour ptimario Parocho Bruxellis. Cui operi cùm secundas curas adhibuisset, illud Eliæ Tosset typis exscribendum dedit: adhæc duas meditationes S. Anselmi, quas in Gallicum convertit idioma, adjecit. Quæ duo postrema Opera ab an. 1675. usque ad 1682. è prælo in lucem prodierunt.

— EJUSDEM *Catechismus Jubilæi*. Item *Renovatio votorum in Baptismo*. Item *Occupatio Interior sub Missæ Sacrificio*, unà *cum Orationibus ante & post sacram Confessionem & Communionem.*

nem. Vide le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 164.

FRANCISCI LAMY è Congreg. S. Mauri *L'Incredule amené à la Religion par la raison à Paris* 1710. id est, *Incredulus ad Religionem ratione adductus.*

PETRI KEMMERICH, Cœnobitæ S. Martini Maj. Coloniæ SS. Theologiæ Licentiati, ac demum Parochi in Flitthard Opus Catecheticum in decem præcepta Decalogi, quod in Bibliotheca ejusdem Monasterii asservatur. Obiit Auctor an. 1695. 17. Julii.

IGNATII CLAVENAU, Admontensis in Styria Ascetæ, vitæ sanctimonia conspicui, *Tractatus de Doctrina Christiana*, complectens fidei nostræ principia & fundamenta, sive Elucidationem eorum, quæ pertinent ad Fidem, Spem, & Charitatem, in usum præcipuè Novitiorum. Extat in Authoris *Ascesis Posthumæ parte II.* an. 1720.

CASIMIRI MOLL, antiquissimi Monasterii Lunælacensis in superiori Austria Ecclesiastis & Bibliothecarii

Utilis & doctrinalis Tractatio de summè necessariis SS. Sacramentis, Pœnitentia & Eucharistia, ea omnia complectens, quæ de suis peccatis confitenti cùm proficua tum scitu necessaria sunt, & scholis altioribus explanantur. Præcipuè agitur de præparatione ad dignam utriusque hujus Sacramenti receptionem præmittenda, cui subjungitur instructio de expediendis animi anxietatibus, dubiis, & casibus, qui multoties in Sacramentis hisce recipiendis obvenire solent. Augustæ Vindel. apud Joseph Grueber an. 1730. Auctor Germanicè scripsit.

REGINBALDI PERCKMAR in celebertimo Monasterio SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum Suppriorìs & Parochi *Tractatus de Indulgentiis in genere, & de Jubilæo, idiomate Germanico & methodo Catechetica, & de Sacramentis Pænitentiæ atque Eucharistiæ eò requisitis* in 4. Augustæ Vindel. anno 1725. qui fuit Jubilæus.

EJUSDEM *Triplex Catechismus* in 8. quorum primus super 5. Capita Doctrinæ Christianæ; secundus in Controversiis fidei; tertius de modo & arte tendendi ad perfectionem Christianam pro secularibus, patrio sermone conscriptus, & Augustæ Vindelicorum typis excusus fuit.

NONNOSI HACKL, San-Emmeramensis Theologi, *Virtutum Theologicarum Regulæ Fundamentales,* Ratisbonæ in 4. an. 1624.

JO. BAPTISTÆ KRAUS (hodie Abbatis & Principis San-Emmeramensis) *Expositio Fidei ac Doctrinæ Catholicæ super quædam puncta controversa.* Ratisbonæ an. 1733. in 8.

CASPARI ERHARD, San-Emmeramensis Theologi, *Catechismus Morum.* Germanicè. Ratisbonæ 1738. in 12.

IGNATI IBRENTANI CIMAROLI Banthensis in Francia Orientali Ascetæ

Instructio. infantium tum de suis peccatis prima vice confitentium, tum ad sacram Synaxin accedentium. Bambergæ an. 1733. in 12. Opus Germanicè scriptum.

APRONIANI HUEBER, Prioris Augiæ Majoris Brigantinæ opera & studio ex Italico in linguam vernaculam translata & Campidonæ typis exscripta fuit: *Instructio ultimi Concilii Romani in Sacra Basilica Lateranensi habiti pro Parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem & Communionem admittendis.* anno....

ANTONII AUGUSTINI TOUTTEE è Congr. S. Mauri *Dissertatio de Catechetica S. Cyrilli Hierosolymitani doctrina.* Fuit S. Cyrillus, antequam ad Archiepiscopatum evectus esset, Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyter, & à S. Maximo Archiepiscopo habendis catechesibus & plebi erudiendæ præfectus. Non erat levis Catechistæ functio, inter alia præsertim presbyteratûs munia, in occupatissima civitate. Totum ejus rei laborem Cyrillo resignasse videtur Episcopus, cùm de illo Cyrillus nullibi loquatur. Admittendorum qui se offerebant, & inscribendorum eorundem nominum curam se solum habuisse significat Procatechesi n.4. cùm se ad permittendum unicuique ingressum janitoris vice fungi ait. Erant autem plures, qui erudiendi accedebant: non enim ex Hierosolymitana urbe solùm, sed ex pagis & urbibus etiam episcopalibus habuisse videtur auditores; qui deinde vel ab Episcopis, vel à Presbyteris, vel à Diaconis baptizandi erant; quos idcirco monet cat. 17. num. 35. eamdem semper esse baptismi vim & gratiam, quicunque tandem ex illis præfatis ritum sacrum administrent. Singulorum voluntates explorandæ erant, ne quis vel doloso animo, vel prava alia animi inductione accederet: tum profectus indagandi, quod

se

se follicitè examinaturum ait his verbis Procat. n. 15. *Videbo studium uniuscujusque viri, videbo uniuscujusque fæminæ pietatem.* Ad hæc accedentium confessiones audiendæ, quæ omnia prorsus anteactæ vitæ peccata summa fide exprimere debebant, cat. 1. n. 5. Præter ordinarias in synaxibus homilias, tres aut quatuor singulis hebdomadibus habebat catecheses; quarum multæ prolixæ & sermonem in noctem traxisse videntur.

Habuit igitur S. Cyrillus ibi catecheticas orationes, ubi religionis incunabula, ubi fons sacræ traditionis. Inde operis pretium. Huc accedit antiquitas: ante enim pronuntiatæ fuerunt, quàm Athanasius, Hilarius, Basilius, aliique præstantissimi Patres, quibus etiam superfuit Cyrillus, stylum adversùs Arianos acuissent. Has S. Cyrilli Catecheses notis & observationibus oppidò doctis & eruditis à se illustratas Pater Touttée (e) in lucem emisit. Illis verò præfixit doctissimam Dissertationem, tredecim prolixis capitibus comprehensam, qua varia Cyrillianæ doctrinæ capita theologicè expendit, viz. 1. Quæ sancti Cyrilli de sanctissima Trinitate sententia fuerit, ubi illum contra ejus accusatores defendit, & integerrimè de SS. hoc Mysterio ad suos auditores disseruisse probat. 2. S. Cyrillus non Catholicam solùm de Verbi divinitate doctrinam accuratè copioséque & proposuit, & explicavit, & probavit, verùm omnes Arianæ impietatis surculos diligentissimè persequutus stirpitos evulsit. 3. Ariana hæresis in Spiritum Sanctum etiam multò quàm in Filium contumeliosior, sufficientem Cyrillo ejus asserendæ divinitatis præbuit occasionem. 4. De Angelorum peccatis sententiam Cyrilli expendit, qui generali illo nixus effato, solum Deum ac Christum delicti expertem esse, docuit, Angelos bonos sine statûs sui periculo in levia quædam, quæ Deus facilis condonet, labi interdum peccata. Huic quodammodo, inquit Toutteius, tolerabili doctrinæ de levibus ac venialibus angelorum fidelium peccatis & malis, absurda multa Origenes, alíique ipsum incautiùs sequuti superstruxêre; quæ Cyrillus noster prudentissimè cavit, ut opinionem illam, quæ nunc generatim falsa existimatur, intra angustissimos limites continuerit, ab omnibus pene contra Scripturam, traditionem, & rectam rationem erroribus liberam. 5. Quod de peccato originali docet Ecclesia, id omne etiam Cyrillus docuit. 6. De divinæ gratiæ auxiliis, eorum necessitate, gratuita & prævenienti largitione, efficacitate ac distributione vel subtractione nullus ferè Patrum accuratiùs & sensit & dixit. 7. Baptismum & Confirmationem distincta esse Sacramenta Cyrillus agnovit. Etsi verò cum multis Johannis baptismo remissionem peccatorum attribuerit, Christiani tamen baptismi super ipsum excellentiam professus est. Ejus animo insederat opinio, solos martyres sine aquæ baptismo salutem consequi: nullum etiam & invalidum censuit hæreticorum baptisma. 8. Toutteius ita doctè contra Albertinum disputat, ut nullum jam de Cyrilli doctrina circa Transsubstantiationem dubium cujusquam animo hærere posse videatur. 9. Cyrilli sententia de sacrificio Eucharistico, & invocatione ad consecrationem non modò Romanæ Ecclesiæ placitis proxima est, ut Pfaffius Augustanæ confessionis Professor vult, sed gemina ac simillima est. 10. denique expenditur ejusdem doctrina de sacra Scriptura, Traditione, & Ecclesia.

SECTIO VIII.

Qui Homilias, Sermones, ac Conciones scripserunt.

VErba de loco superiore ad fideles adultos, qui Theologi in Ecclesia faciunt, Concionatores vulgò vocantur; quorum non paucos cùm Familia nostra protulerit, ex quolibet seculo unum duntaxat alterúmve speciminis loco afferemus.

S. Gregorii M. *Homiliæ in Evangelia*, quæ quanto in pretio nunquam non habitæ fuerint, vel hinc liquet, quòd

(e) Vel ab ejus obitu R. P. Prudentius Maran Parif. in fol. an. 1720.

quòd omnes, una forsitan excepta, aut altera, Divinis Officiis, præ cæteris Sanctorum Patrum Homiliis jam olim insertæ reperiantur; nec immeritò, cùm in iisdem, literali sensu priùs breviter exposito, sententiarum ad mores spectantium copia profluat uberrima; quin & fidei dogmata confirmentur, & adversùs subsecutos præmuniantur hæreticos. Gallicum in sermonem translatæ prodierunt Parisiis in 4. anno 1666. Recensionem vide in Journali des Savans an. cit. pag. 91.

EJUSDEM *Homiliæ XXII. in Ezechielem* ad Marinianum Ravennæ Episcopum distributæ in duos libros, ita ut prior XII. posterior X. complectatur. Prodierunt Parisiis 1491. in 4. Lugduni 1561. in 8. & Italicè Florent. 1502. Venet. 1543. Vide, quæ in laudem harum Homiliarum Casp. Barth. Lutheranus l. v. 14. Adversar. pag. 260. dicat.

S. GALLI Abbatis Sermo habitus in consecratione Joañis Episcopi Constantiensis. Vocatur à Barthio Advers. lib. XIX. p. 1057. *Divinus Sermo*, qui paucis paginis totum Christianismum complectitur: & lib. 33. col. 1518. Unicus ad nos pervenit B. Galli vetustissimi Christiani Antistitis Sermo Constantiæ habitus, sed luculentissimus. Quippe qui paucis paginis omnem & historiam & doctrinam Christianismi eleganter & divinitùs complectitur, nuper immortali Henrici Canisii Antiq. Lect. Tom. I. beneficio vitæ, lucique restitutus. Antiquior editio est ipsius Barthii Francof. typis Wechel. an. 1623. in 8.

S. ALDHELMI ex Abbate Malmesburiensis Monasterii Episcopi Schireburnensis in Anglia *Homiliæ ad Populum* Liber I. Balæus Cent. I. de Script. Illust. Britan. maj. *Wilhelmus Malmesburiensis* author est, quòd S. Aldhelmi Sermones etiam ab exteris expetiti fuerint; quorum uni, *Cellano* nomine, Vir sanctus rescripsit, mirari se, *quòd se tantillum homunculum de famoso & florigero Francorum rure interpellet.*

S. BONIFACII, Germanorum Apostoli, & Archiepiscopi Moguntini *Sermones XV.* quos Edmundus Marthene & Ursinus Durand Tomo IX. Vet. Script. Collectionis exhibent. Plura de his libro superiore diximus.

S. BURCHARDI, Monachi Nuiscellensis, & Episcopi Herbipolensis *Codex Homiliarum*, quem ex Bibliotheca Cathedralis Wirceburgensis Ecclesiæ excerptum Jo. Georg. Eccard. Tomo I. Commentarii de Rebus Franciæ Orientalis inseruit pag. 837.

VENERABILIS BEDÆ *Homiliæ* Operum ejus Tomo. VII. extant, nempe

Homiliæ XXXV. Æstivales de Tempore, pag. 1.

Homiliæ XXXIII. Æstivales de Sanctis, ac de Dedicatione Altarium, & templorum, nec non Communi Sanctorum pag. 91.

Homiliæ XV. Hyemales de tempore pag. 183.

Homiliæ XXII. Quadragesimales, pag. 218.

Homiliæ XVI. Hyemales de Sanctis, pag. 290.

Sermones varii XXI. quorum primores duo sunt in solẽnitatem S. Wigberti, tertius S. Scholasticæ, in cujus laudem etiam carmina quædam leguntur pag. 350. seq. Homiliæ sub Bedæ nomine ac Sermones, sive ut in S. Bonifacii Epistola IX. vocatur *Lectionarium anniversarium* seorsim excusum Paris. & Lovanii 2. volum. in 8. In his sunt quædam non integri sermones, sed laciniæ ex sermonibus Bedæ revulsæ, ut jam notavit Sixtus Senensis apud Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag. 513. Quo monente de singulis speciatim videnda sunt, quæ monet Mabillonius in V. Bedæ elogio, & in Annalium tom. 1. append. altera annot pag. 675. & tom. 2. pag. 329. Videri etiam potest *Oudinus* Comẽnt. de S. E. Tom. I. Differt. de Scriptis Ven. Bedæ cap. VI. pag. 165. ubi numerat Homilias XLIX. tantùm cum Homilia *de Festo omnium Sanctorum*, quæ ad ingenium S. Bedæ accedere videntur: projectis sermonibus eo modo, quo miserè interpolatæ sunt in omnibus impressis. De authore Sermonis, qui quotannis in festo Sanctorum legitur omnium, *non est constans veterum librorum inscriptio.* In vulgatis *Bedæ* tribuitur; in codice Fuliensium Parisiensium scripto ab annis quingentis *Rabano*; at in Sanct-Gallensi, qui annos sexcentos superat, ita inscribitur: SERMO WALFREDI *Abbatis*, nempe Augiensis, cognomento *Strabi*, seu *Strabonis*. Rabanus hujus Sermonis fragmenta quædam refert in libr. 3. de modo Pœnitentiæ ad Bonosum cap. 12. & 13. Vid. Mabill. Tom. IV. Analect. p. 630.

B. ALCUINI Homiliæ, de quibus videri potest Mag. Bibl. Eccles. Tom. I. pag. 241. col. 2. *v. Alcuinus.* Ejus *Sermonem* in *Hypapanti*, quem coram Caro-

Carolo Magno dixit, edidit Baluzius Tom. 1. Miscellan. pag. 382.

B. RABANI MAURI Archiepiscopi Moguntini *Homiliæ super Epistolas & Evangelia*, extant Operum ejus Tomo V. Et illas quidem, quas numero LXI. à Natali Domini usque ad Vigilias Paschæ habuit, Haistulpho Archiepiscopo nuncupavit; quas autem dixit à Vigilia Paschæ usque ad xv. Dominicam post Pentecosten tam de Tempore, quàm de Sanctis, numero XCI. Lothario Imperatori inscripsit. Tertiam verò partem, inquit in Epistola Dedicatoria, à termino suprà notato usque ad finem anni perducere, si Deus ita voluerit, cogito atque decerno, & vobis eam similiter, cum perfecta fuerit, transmittere dispono, ubi etiam prope terminum ipsius Operis de Sanctorum festivitatibus, nec non & de aliis celebritatibus, quæ de diversis causis observandæ à Patribus statutæ sunt, Sermones conscripti tenentur. „ Hæc Rabanus ad Lotharium. Verùm tertia hæc pars vel excidit, vel eidem, quod verisimilius, suprema manus à Rabano aliis negotiis distento addita non fuit. Utinam verò, quæ supersunt duæ primæ partes, frequentiùs ab illis Sodalibus nostris evolverentur, quorum munus est, è sacro suggestu ad populum verba facere. Ausim polliceri, quòd ex unius B. Rabani Homiliis longè majorem sylvam & apparatum pro faciendis concionibus collecturi sint, atque ex multorum neotericorum Concionatorum impressis Operibus, quæ tanto numero coacervant. Sed hodie ita comparati sumus, ut prætermissis fontibus ora rivulis admoveamus.

B. HAYMONIS Episcopi Halberstadiensis *Homiliarium*, sive *Concionum popularium* in Evangelia diebus Dominicis, feriarum, & de Sanctis, pars æstivalis & hyemalis. Coloniæ anno 1534. in 8. vol. 2. edente Godfrido Hittorpio, & emendatiùs 1540. in 8.& 1551. ibid. Codex Mf.tus sec. XI. vel XII. extat Ratisbonæ in Bibliotheca San-Emmeramensi.

ABBONIS Monachi ac Presbyteri S. Germani apud Parisios Homiliæ, quem seculo IX. Froterius Pictaviensis, & Fulradus Parisiacensis Episcopi compulerunt ad cudendas id genus homilias *ad utilitatem simplicium Clericorum*, qui eis ad prædicandum populo uterentur. Extant Spicilegii vet. edit. Tom. IX. novæ Tom. I. p. 336. Vid. Mabill. Tom. I. p. 83.

REMIGIUS AUTISSIODORENSIS S. Germani Monachus juxta Sigebertum *de singulis festivitatibus Sanctorum* scripsit. In Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 3817. habetur *Homiliarium* in folio, pro singulis totius anni Dominicis & Festis, quarum Homiliarum plurimæ sunt sanctorum veterum Ecclesiæ Patrum; aliæ autem multæ nomine Remigii inscriptæ: unde Oudino nullum est dubium, quin hoc Homiliarium Remigii Autissiodorensis esse possit. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 331.

S. ODONIS Abbatis Cluniacensis II. *Sermones IV.* I.mus *In Cathedra S. Petri.* II. *In veneratione S. Mariæ Magdalenæ.* III. *De S. Benedicto Abbate.* IV. *De combustione Basilicæ B. Martini.* Ex his IV. Sermonibus ille de S. Maria Magdalena eâ ratione concinnatus est, ut quidquid in Historia Evangelica ad S. Mariam Magdalenam spectat, satis accuratè prosequatur; haudquaquam dubitans, ut erat seculo X. totius Ecclesiæ receptissima opinio, quin & peccatrix & Maria Bethanica cum S. Maria Magdalena confundendæ essent; utinam, inquiunt Hagiographienses, tam clarè alicubi indicasset, æquè communem suo tempore fuisse totius Galliæ sententiam de Sancta eadem Massiliæ aut ad S. Maximini deposita; quam quæstionem per id tempus controversam non fuisse vel ex eo capite planè intelligis. Hæc illi, qui S. Odonis Sermonem loco vitæ d. 22. Julii exhibuerunt; quem etiam cum tribus aliis in Bibliotheca Cluniacensi invenies, & Tom. XVII. Bibl. PP. edit. Lugdun.

S. ODILONIS Abb. Clon. *Sermones* viz. de Incarnatione, Nativitate, Epiphania, Resurrectione, & Ascensione Domini; de Purificatione, & Assumptione B. Mariæ, de Nativitate S. Joannis Baptistæ, de Cruce Domini &c. reperies in Bibl. Clun. & Bibl. PP. edit. Lugdun. Tom. XVII. pag. 653. seqq.

ÆLFRICI seu *Alfrici* Abbatis primùm Malmesburiæ, tum Archiepiscopi Eboracensis anno 1051. è vivis sublati *Sermonum lingua Saxonica LXXX. Libri duo*, quos partim à se ipso, partim ab aliis, Latinè antea scriptos in plebis usum, Episcopis rogantibus, Saxonicè postea convertit. Ex his verò Ælfrici Sermonibus præ cæteris XXIV. selecti sunt, qui populo

publicè prælegerentur, eo ordine, ut XII. priores de rebus generalibus agentes, ut *De initio creaturæ*, *De auguriis*, *De Die judicii*, *De vaniloquio & negligentia*, *De avaritia*, *De falsis Diis* &c. quandocunque Sacerdoti visum esset, legerentur. Posteriores verò XII. propriis festis assignantur, viz. *De Annuntiatione B. Mariæ*, *De Nativitate Domini*, *De Circumcisione Domini*, *De Epiphania*, *De Purificatione B. Mariæ*, *Dominica prima in Quadragesima*, *Dominica Palmarum*, *Die Paschatis* &c. Guiliel. Cave in Hist. Lit. ad an. 980. pag. 590.

S. ANSELMI Archiep. Cantuar. *Homiliæ & Exhortationes*. Quandoquidem Pastoralis est muneris verbo Dei gregem pascere: Anselmum, qui facundia & zelo ad dicendum promptus semper ac paratus erat, sermonem ad populum frequenter habuisse non est, unde quis dubitet. Edmerus vitæ scriptor eum diversis in locis concionatum fuisse testatur. Ex omnibus autem sancti Anselmi sermonibus, sive homiliis paucissimæ restant. Gerberonius in nova Operum S. Anselmi editione parte 2. p. 155. - 190. Homilias sub ejus nomine XVI. vulgavit, de quibus vide ejus criticum judicium.

S. LEONIS IX. Rom. Pontificis *Homilias & Sermones* Lovanii anno 1565. & Coloniæ 1568. prodiisse scribit Miræus in Notis ad Sigebert. de S. E. quod idem notavit Card. Bellarminus.

S. PETRI DAMIANI Sermones numero LXXVII. juxtà mensium ordinem à Constantino Cajetano Tomo Operum ejus II. habentur; è quibus alii alios habere autores dicuntur, ut eruditi notant Critici. Sed de hoc plura suo tempore.

S. BRUNONIS Episcopi Signiensis Sermones CXLV. quos Combefisius etiam in Bibliotheca Concionatoria recensuit, & quorum alii sub Hieronymi vel Augustini nomine, alii sub Eucherii Lugdunensis, vel Eusebii Emiseni titulo legebantur. Extant Operum Tomo II.

VEN. HILDEBERTI ex Monacho Cluniacensi primùm Episcopi Cenomanensis, deinde Archiepiscopi Turonensis, Concionatoris suo tempore celeberrimi *Sermones* CXL. ab Antonio Beaugendre è Congr. S. Mauri editi, cùm antea tres solùm in variis editionibus Bibliothecæ Patrum reperirentur. Sunt verò Sermones hi Theologica & Orthodoxa doctrina referti, Sacræ Scripturæ verbis & sensibus sinceram pietatem spirantibus & inspirantibus, & antiquos Ecclesiæ ritus edocentibus insignes, ex quibus non modicum percipiunt oblectamentum, & fructum ævi hujus sacri præcones, qui conciones suas, quantum possunt, ex ipsis Sacræ Scripturæ verbis concinnare student, cùm industriæ suæ illius nunquam satis laudandæ, quasi prodromum exemplar cum S. Bernardo, amico & suppare suo animadvertent Vener. Hildebertum. Obtinent verò alterum locum inter Opera Hildeberti, tres in classes distributæ; quarum prima est de tempore, altera de Sanctis, tertia de diversis.

PETRI Cellensis primùm, tum Remensis Abbatis, posteà Episcopi Carnotensis *Sermones de tempore, & de Sanctorum festivitatibus*, rogatu Theobaldi Parisiensis Episcopi literis mandati; qui, ut ipse Petrus ait, in tanto pretio sunt habiti, ut per quatuor *ventos cœli spargerentur*. Et verò sunt illi quidem piis sensibus referti, respersi floribus Scripturarum, ac sanctiori vitæ componendæ accomodi: attamen exiles nonnunquam, & uni argumento non satis inhærentes, sed in varia subjectæ materiæ capita (qui mos ferè illorum temporum erat) volitantes, mutili & imperfecti aliquando. Digni tamen omnino sunt, qui legantur ab iis, qui avitam pietatem amant, digni, qui emittantur in lucem ob Auctoris optimam memoriam. Vid. præfationem ad *Petri Cellensis* Opera anno 1671. conjunctim edita, cujus author fuit Mabillonius.

GODEFRIDI Abbatis Admontensis *Homiliæ Dominicales & Festivales* Tomis II. in fol. vulgatæ à Bern. Pezio Augustæ Vindel. & Græcii an. 1725. sumptibus Fratrum Veithiorum.

SAMSON Cantuariensis Monachus assidua divinæ Scripturæ inprimis animum pascebat lectione. Senserat ex eo fructum quidem magnum labore; quò ne solus perfrueretur, latè felicia sparsit semina, frequenti ad populum concione habita. Extant quoque ejus in Claudiana Bibliotheca *Homiliæ*, Opus elegans, eruditum, pium, sed Latinè scriptum. Claruit circa an. 1170. Vid. Jo. Leland. de Script. Brit. cap. 219.

WARNERUS Anglus, Monachus, & ut Pitseus opinatur, Abbas etiam Westmonasteriensis. Vir qui meritò dici potuit *integer vitæ scelerisque purus*, solidè etiam doctus, & in concio-

nibus,

nibus, quas habere consuevit bene frequentes, non inelegans. Utilitati posterorum consulens teste Bostono scripsit *Homiliarum doctissimorum lib. un.* Claruit an. 1092. Vid. Pitf. æt. 11. pag. 191. Ejus etiam meminit Mabillonius Annal. Ben. tom. v. p. 435. ad an. 1101. his verbis: WARNERIUS *insignis Concionator, qui propter conciones ab ipso habitas dictus est Homiliarius.* Sed hæc Mabillonii verba jam suptà retulimus.

ADAMUS BARCHINGENSIS, in Anglia natus, Monachus Schirbornensis, se totum sacrarum Literarum studiis, & rerum divinarum contemplationi dedidit; ita tamen, ut à verbi divini prædicatione non abstinetet, populúmque libenter instruetet, & pietatem, fidem, charitatem, castimoniam, temperantiam, omnémque vitæ integritatem, & innocentiam, omnes denique virtutes (nam omnes impensè & ipse colebat) doceret. Scripsit præter alia

Sermonum ad populum lib. un. Claruit a. 1217. Pitf. æt. 13. p. 289. ex Lelando.

THOMAS BRINTONUS, vel *Bramptom*, Monachus Anglus in Cœnobio Norwicensi. Frequentatis optimis per Angliam scholis, tantos in virtutibus & bonis literis fecit progressus, ut nominis ejus celebritas Angliæ finibus contineri non potuerit. Romam enim honorificè vocatus à Summo Pontifice, frequentes coram eo Conciones habuit sermone Latino. Cognita tandem hominis tum eruditione tum pietate, primùm factus est Sedis Apostolicæ Pœnitentiarius, deinde Roffensis Episcopus. Qua accepta dignitate reversus in patriam suas lucubrationes ad limam revocavit, & in lucem emisit

Sermones coram Summo Pontifice. Lib. un. Gaudete in Domino.

Sermones Solennes, Lib. un. Claruit an. 1380. Pitseus in Append. Centur. 4. pag. 913.

BARTHOLOMÆUS Cluniacensis Abbas ob virtutem & doctrinam clarus scripsit circa annum 1220. *Sermones per totum annum de Tempore, ac de Sanctis, & de Communi Sanctorum.* Opus, quod sæpissimè ac fermè semper anonymum in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4295. se vidisse testatur Oudinus. Inscribitur in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4295. *Speculum Claustrolium ex dictis sanctorum Patrum Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis, & aliorum compositum.* Oudin. Tom. III. pag. 45. Vide etiam *Voyages Litteraires de deux Religieux Benedictins.* Tom. II. pag. 108.

ANTONIUS DE ROCCA Burgundus, Abbas Cluniacensis, S. R. E. Cardinalis, qui an. 1369. Viterbii diem obiit. Hujus Sermones plures in solennibus festis habitos laudat Eisengreinius Catal. Test. Verit. pag. 144.

JOANNES ALGRINUS (aliis Halgrinus) Monachus Cluniac. Abbas S. Petri de Abbatisvilla, Gallus, ex Archiepiscopo Bisuntino, Episcopus Cardinalis Sabinus scripsit *Sermones de Tempore lib. 2. Sermones de Sanctis totidem.* In his autem scribendis primò breves Lectiones Evangelicas, & Apostolicas breviter exponendo inserit, postea verò Sermones alios, tam Dominicales, quàm feriales, & quidem satis copiosos. Possevin. Appar. Sac. tom. 2. pag. 178.

JOANNES DOCÆUS Abbas primùm S. Dionysii in Francia, tùm Laudunensis Episcopus dedit *Homilias ad populum*, quæ Antverpiæ an. 1561. excusæ fuerunt.

VEN. GODEFRIDI Abbatis Admontensis *Homiliæ Dominicales & Festivales*, quas tomis II. comprehensas juris publici fecit Bernhardus Pezius Augustæ Vindel. & Græcii, fol. an. 1725.

JOANNES RAULINUS ex celeberrimo Parisiensis Universitatis Doctore Theologo Monachus Cluniacensis *Sermones plurimos*, eósque perinsignes ad populum habuit, qui postea Parisiis, Venetiis, & alibi sæpiùs prælo subjecti fuerunt, scilicet *Sermones de Adventu Domini, de Quadragesima, de Festivitatibus Sanctorum totius anni; de Pœnitentia, de Eucharistio &c.*

CHRISTOPHORUS HOFFMANNUS Monachus San-Emeramensis inclinante seculo xv. ad an. 1534. scripsit Volumen Sermonum insignium in Festivitates Sanctorum totius anni, hodiéque in Bibliotheca San-Emmeramensi superstes. Vid. Catal. Bibl. pag. 55.

ANDREAS CROQUETIUS, Belga, Duacensis, Prior Monasterii Hasnoiensis lucubravit *Paraphrases*, sive *Conciones in septem Psalmos Pœnitentiales*, habitas Vulencini ad Populum, excusas Duaci apud Joan. Bogardum an. 1579. Fuernnt autem istæ Conciones Gallicè typis mandatæ, numero xxxix. Foppens Bibl. Belg.

LSI-

ISIDORI CLARII è Congr. Casin. Episcopi Fulgineæ morum & vitæ sanctimonia clari *in sermonem Domini in Monte habitum secundùm Mathæum Orationes sexaginta novem ad Populum*, quibus cuncta Christianæ vitæ præcepta traduntur, Dominica Oratio uberrimè explicatur, Clerus accuratè admodùm instituitur, ac perversæ Prædestinantium opiniones redarguuntur. Eas, sicut & alia pleraque Isidori Opera Benedictus Guidius Monachus Casin. imprimendas curavit post Isidori obitum Venetiis apud Dominicum Nicolinum anno 1566. in 4. Quo eodem anno ibidem impressæ iterùm sunt per Franciscum Franciscium Senensem, & denuò ibidem. At verò Dupinius impressas eas antea etiam Venetiis fuisse tradit an. 1556. imò Possev. duas alias earundem editiones pariter Venetiis celebratas affert, nempe an. 1546. & 1565. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 54.

FLORIANI TREFFLERI Benedicto-Burani Declamationes Theologicæ an. 1543. in 8. absque loco.

ANTONII PEREZII, Archiepiscopi Tarraconensis Conciones trimestres in Fest. & Dom. ex Hispanico Italicè ab Augustiniano Eremita, viro docto, versæ, præfixa hac epigraphe: *Conciones admirabilibus Considerationibus refert e*; in Latinum verò idioma ex Hispanico translatæ à Romano Müller, Abbate Seonensi in Bavaria an. 1639. Vide interpretis præfationem, in qua laudes proferuntur, quas Stephanus Vitus è Soc. Jesu in Universitate Dilingana Theologiæ publicus Professor in Perezii Conciones contulit. Editæ fuerunt Salisburgi in 8.

QUIRINI REST, Abbatis Tegernseensis Conciones de B. V. laudibus habitæ, quas sub *Rosceti B. V.* nomine anno 1585. in vulgus exire jussit.

BENEDICTI BONSIGNORII, Itali, Florentini, Abbatis S. Mariæ de Florentia, ac Congregationis Casinensis quartùm Visitatoris, morum integritate ac doctrinæ præstantia ante alios insignis *Homiliæ* XXXIX. habitæ in Dominicis diebus, aliisque anni solennitatibus. Item *Orationes variæ ad Fratres in Capitulo*, sive Homiliæ & Explicationes num. 31. in Evangelia & Psalmos, & in quàm plurimos Isaiæ & Pauli insignes locos. Omnia unico volumine comprehensa in duos libros dispertito, impressa sunt Florentiæ apud Georgium Marescottum. 1568. in 8. pag. 624. Curâ Raphaëlis Castrucii, Monachi Florentini anno ab obitu Bonsignorii primo. Vid. Armell. part. 1. pag. 90.

JACOBI CORNELII LUMMENÆI A MARCA, in Monte Blandinio (Gandavi) Sacerdotis, viri elegantis ingenii, & utriusque stili præstantia eximii

Pleias Sacra Orationibus septem, ac Corona Virginea Orationibus constans duodecim, quæ de laudibus Virginis Matris potissimùm tractant. Evulgata est & *Lampas Virginea*, sive *Oratio de Encomio Virginis in festo Luminum dicta*.

Habet & præ manibus (utor verbis *Sanderi*) *Hecatomben*, sive *Homilias centum* de variis religionis christianæ mysteriis. Quas ex iis Homilias ego legi, hæ sunt: *Torcular*, sive *Christus patiens*. *Bonus Pastor*, dicta pro Encomio boni Pastoris in Comitiis Generalibus Congregationis Belgico - Benedictinæ exemptæ habitis, in monte Blandinio an. 1620. *Parthenii flores*, sive Homilia in festo *Missus* dicta. *Corollarium Apostolicum*, sive Panegyris Sacra Apostolorum Principibus adornata. *Lacrymæ*, Homilia Christo passo dicta. *Fasciæ*, sive *Crepundiæ* JEsu Christi in Bethleem nati. *Lingua ignea*, sive Homilia in vigilia Pentecostes. *Cineres*, Homilia feria quarta Cinerum dicta. *Triumphus Virg.* in festo Assumptæ Virginis dicta. *Suspirium amoris*, Homilia Christo nasciturо in vigilia Natalium ejus dicta. *Sancti*, Homilia Sacra pro Encomio Omnium Sanctorum dicta. *Caverna maceriæ*, Homilia Christo patienti dicta. *Tripudium Sanctorum*, id est, Homilia sacra dicta in vigilia omnium Sanctorum. *Rosarium*, id est, Homilia sacra dicta pro Encomio Annunciatæ Virginis. *Tuba Angelica*, sive Manes extremi judicii. *Margarita Evangelica*, sive Encomium paupertatis, Homilia dicta in laudem D. Benedicti. *Ludibrium vitæ humanæ*, sive Homilia dicta feria quarta Cinerum. Vid. Ant. Sander de Scriptor. Gandav. l. 2. pag. 60.

PAULI BOTTBACHII, Monasterii ad S. Maximinum Treviris Religiosi, *Conciones Sacræ*, ex vetustioribus orthodoxis approbatisque Authoribus in Dominicas totius anni collectæ, divini verbi præconibus perutiles, atque pulcherrimis & optimis exemplis, indicibusque S. Scripturæ & rerum ac verborum locupletissimis ad-

orna-

ornatæ. Coloniæ Agrippinæ apud Petrum Bracher an. 1637. in 4.

AMBROSIUS GOMEZ DE SALAZAR, è Burgensibus Montanis oriundus, Generalis, ut appellant, Ordinis nostri in Hispania Concionator scripsit *Orationes Panegyricas varias en la fiestas de Christo, de Maria Santissima, y de los Santos*, id est, *Orationes Panegyricæ varii argumenti pro festis diebus D. N. J. C. sanctissimæ ejus Matris, & aliorum Sanctorum.* Madriti apud Paulum del Val 1657. in 4. Abbas erat, cùm has edidit, Monasterii S. Æmiliani, vulgò San-Milan. Nic. Ant. in Bibl. Hisp. Nov.

JACOBI DE GRAFFIIS, è Congr. Casin. Abbatis vitæ sanctimonia conspicui, doctissimi Sermones in Evangelia de Dominicis & Festis solennioribus totius anni. Colon. 1627. in 8. Digni sanè, qui his diebus in Refectorio ad mensam præ aliis legantur.

IGNATII TRAUNER ad S. Emerammum Ratisbonæ Professi, & per multos annos zelosissimi Parochi Concionum libri complures, omnibus laudati, v. g. 1.) *Caput Inclinatum.* Ratisbonæ in 4. an. 1677. 2.) *Gallus Cantans.* ibid. 4. 1682. 3.) *Venatio Sacra*, id est, Conciones Dominicales & Festivales. in 4. ibid. an. 1690. 4.) *Fragmenta Sacra*, seu *Festivale* in 4. Dilingæ 1698. 5.) Alterum Festivale in 4. eodem anno ibidem.

EDMUNDUS MANINCOR, Styrus, Græcensis, in Admontensi Monasterio Professus, Ethices ac Controversiarum in Universitate Salisburgensi Professor, fuit suo tempore Concionator longè celeberrimus, ac magnorum Virorum precibus frequens è suggestu disseruit. Ejus Opus est *Filius Prodigus*, sive *Conciones super Evangelii Lucæ* cap. xv. in 4. Salisburgi an. 1676.

JOANNIS GUALBERTI, Abbatis Weissenohensis in Superiore Palatinatu *Concha Margaritifera.* in 4. Norimbergæ 1705.

— EJUSDEM *Miscellanei Discursus prædicabiles.* in 4. ibid. an. 1697.

SEBASTIANUS TEXTOR, Suevus, Mindelheimensis, Ottoburæ sacra vota Deo nuncupavit. Fuit Confessarius ac Pater Spiritualis Celsissimi Principis & Archiepiscopi Salisburgensis *Joannis Ernesti.* Quas in publicum Conciones dedit, magno plausu exceptæ fuerunt, ab iis præsertim, qui ex aliorum libris verba de superiore loco ad populum faciunt: Sunt verò

I. *Trias Panegyrico-Moralis.* Aug. Vindel. 1701. & 1711. quæ fuit tertia editio; secundæ enim annus & locus me præterit.

II. *Concionator Extraordinarius.* ibid. fol. an. 1713.

III. Conciones Dominicales. ibid. fol. an. 1725.

Author piè in Domino defunctus est anno 1722.

GREGORII FUX, Therensis, *Dominicale, Festivale, Mariale.* Norimbergæ an. 1701. & seqq.

PLACIDI URTLAUFF, Therensis, *Altare Thimiamatis singulis anni Dominicis fumigans.* fol. Norimbergæ 1701.

— *Rosa Mystica*, id est, *Quinquaginta Conciones de Virgine Immaculata.* ibid. 1701.

— *Tuba Evangelica*, fol. ibid. 1707. Vide plures alias Conciones, quas zelosus hic Ecclesiastes in lucem dedit apud Fel. Egger in Idea Ord. S. B. part. 2. pag. 583.

CANDIDI MADTER, Ebersheimensis, *Zodiacus Cœlestis.* fol. Argentorati 1712.

ANSELMI KRODT, Professi ad S. Pantaleonem Coloniæ, *Dominicale* an. 1697. *Festivale.* ibid.

VALENTINI LARSON, Prioris Mellicensis, *Murenulæ aureæ vermiculatæ argento.* Conciones Dominicales Augustæ Vindel. fol. an. 1716. *Festivales* ibidem.

PLACIDI FRANCK, Garstensis, *Sapientia clamans in Plateis*, i. e. Conciones Dominicales. fol. Augustæ Vind. 1727. *Festivales* ibid. 1726.

CAROLOMANNI VIERHOLZ, Admontensis, *Dominicale*, & *Festivale.* Ratisbonæ in 4. an. 1721. Norimbergæ an. 1724.

MELCHIORIS ALBERTI, Therensis *Dominicale.* Herbipoli an. 1722.

VITI SEIDELII, Professi ad S. Jacobum Moguntiæ, *Mariale*, Coloniæ 1719. in 4.

CAROLI LECHNER, Cœnobitæ Coloniensis in mox laudato ad S. Pantaleonem Monasterio

Turtur Sacer Coloniæ. 1720.

FRANCISCI BLÖCHINGER Abbatis in Seligenstad

Dominicale. Coloniæ 1690. & Sulzbachii 1694. in 4.

— *Festivale.* Coloniæ 1692. in 4.

— *Dominicale & Festivale.* Coloniæ 1696. in 4.

-- *Dominicale.* Editio nova. Sulzbachii 1708. in 4.

-- *Festivale.* Norimbergæ 1708.

-- *Conciones* de SS. Capistrano & Paschali. an. 1691.

-- *Appendix* de SS. Capistrano & Paschali. an. 1700. ibid.

PLACIDI TALLER, Rotensis, in Superiore Bavaria ad Oenum Cœnobitæ

-- *Dominicale.* Ratisbonæ an. 1716. & 1727.

-- *Conciones* xxx. pro festo Dedicationis Ecclesiæ. Ratisbonæ an. 1721.

-- *Festivale* an. 1715. ibid.

LEONARDI KLOZ, Wessofontani, Orationes in Congregatione B.V.Mariæ Salisburgi habitæ. Augustæ 1742. in 4.

FRANCISCI MEZGER Corolla xxx. Orationum Mariano-Paræneticarum. Augustæ 1699. in 8.

JOANNIS EVANGELISTÆ ROTTNER, Mallerstorphensis in Bavaria Cœnobitæ, Communis Studii suæ Congregationis antehac Directoris *Parœneses Marianæ*, id est, Allocutiones Exhortatoriæ ad Religiosos Sodales Cœtus Mariani in Congregatione Benedictino - Bavarica. in 4.

THOMÆ MANGEART è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Volumen Concionum in 12. an. 1739.

REGINBALDUS PERCKMAR, Parochus & Supprior Imperialis Monasterii SS. Udalrici & Afræ, Augustæ Vindelicorum anno 1737. typis vulgavit *Geschicht und Predig - Buch.* 3. tom. in fol. Nunc verò occupatur in adornanda *Polyanthea Amplissima*, de qua an. 1740. die 25. Aug. sequentia ad me perscripsit. „ Pro sequenti „anno primam fortassis Partem *Poly„anthea meæ Amplissimæ* in Festa Do„mini, in Passionem Domini, & Com„passionem Virg. in 3. tomis in fol. ty„po committam. Ubi pro quovis In„strumento particulari, ut de Cruce, „de Sanguine, de Lancea, de Clavis „tot singulares Tractatus Methodo Po„lyanthæorum pro Concionatoribus „continentur. Tum mox subseque„tur Pars 2. in Festa & Congregationes „Virginis. Et tertia in Festa SS. per „annum, & omnium totius Ecclesiæ „SS Ord. Fundatorum, quos ferè „paratos jam habeo. Et denique „quarta Pars de Tempore, seu in „Dominicas & Quadragesimam. Sic„que poterit hoc Opus amplissimum „in 10. vel. 12. tom. fol. intra decem „annos, cumprimis hic Augustæ, ubi „Typographorum numerus, vel per„me, jam septuagenarium, vel dein„de per alios haud difficulter com„pletum reddi, atque Orbi Christia„no vulgari. „

Commodùm hîc tres quatuor Scriptores subnecti posse videntur, qui concionandi præcepta tradiderunt.

VEN. GUIBERTI B. M. DE NOVIGENTO ABBATIS *Tractatus, quo ordine Sermo fieri debeat*, ad Bartholomæum Episcopum Laudunensem. Quem in gratiam nescio cujus cœnobii Prioris composuit, uti ipse sua in vita testatur. Est Prologus libris in Genesin præmissus, qui inter ejus Opera à Luca Acherio vulgata primum sortiuntur locum. Hujus Tractatus lectionem, inqnit vir doctissimus è sacra Prædicatorum Familia Natalis Alexander, *plurimùm suadeo omnibus sacri hujus ministerii candidatis, imò omnibus, qui Evangelica illo munere perfunguntur.* Hist. Eccl. Tom. VI. Sec. XII. c. 6. art. 6. pag. 518.

CHRISTOPHORI TACHON è Congreg. S. Mauri *Miroir des Predicateurs, ou devoirs du Predicateur Evangelique avec l'art de bien precher.* Id est: *Speculum Concionatorum*, seu *de sanctitate ac officiis Evangelici Prædicatoris. Accessit ars bene concionandi cum brevi methodo, catechismum rudibus tradendi.* 8. Tolosæ & Parisiis 1685. apud Coignard.

SIMPLICIANI GODY Strictæ Ordinis Cluniacensis Observantiæ *Le chemin de l'Eloquence Sacrée*, id est, *Via ad Eloquentiam Sacram.* Anno 1648. Vide recensionem libri apud Adrianum Baillet *Jugemens de Sçavans* Tom. 8. quæ mihi modò ad manum non sunt. Quas laudes verò in opus hoc Bailletus confert, haud frustra ab eo conferri facilè persuasum mihi habeo, quòd non nesciam, *Simplicianum Gody* eloquentia & dicendi exercitatione haud parùm valuisse.

IGNATII CLAVENAU, Ascetæ Admontensis, Præcepta *de Eloquentia Sacra pro Concionatoribus.* Accesserunt appendicis loco ad ejus Tractatum de Arte Rhetorica, qui extat Parte II. Ascesis Posthumæ.

RANULPHI, seu *Radulphi* HIGDENI, Monachi Cestrensis in Anglia an. 1363. demortui

Ars componendi Sermones, M.stum, quod in Bodleiana Bibliotheca asservatur.

JOANNIS TRITHEMII Epistola ad Jacobum Kymolaum Theologum, in qua

qua invehitur in Aristotelicos Concionatores, ac præclarè docet in ecclesia verbum Dei, non Philosophiam doceri debere. Epist, Famil, lib. 1. pag. 460.

B. RABANUS MAURUS De Institutione Clericorum libro III. postremis duodecim Capitibus bene prædicandi tradit præcepta. Capite igitur XXVIII. docet *Quid debeat Doctor Catholicus in dicendo agere.* Cap. XXIX. *Quod authores Canonicorum librorum & sapientes & eloquentes fuerunt.* Cap. XXX. *Quod facili locutione uti in vulgus debeat.* Cap. XXXI. *De optimo modo dicendi, & quid oporteat prædicatorem in dicendo observare.* Cap. XXXII. *De triplici genere locutionis, quod Romani Doctor eloquii ita distinxit.* Capite XXXIII. *Quomodo submisso genere, & quando temperato, quandóque grandi utendum sit.* Cap. XXXIV. *Exempla in Apostolo, de prædictis generibus tribus.* Cap. XXXV. *Quomodo debeant inter se hæc tria genera permisceri.* Cap. XXXVI. *Quid sit sapienter dicere; & quod alienum non dicat, qui ab alio prolata, bene vivendo prædicat.* Capite XXXVII. *De discretione dogmatum juxta qualitatem auditorum.* Cap. XXXVIII. *Quæ virtutum species contrariæ sint singulis speciebus vitiorum.* Cap. XXXIX. *Quod oporteat postulari à Domino possibilitas prædicandi.* Quisquis secundùm hæc præcepta concionari studebit, non sine magno fructu verba facturus est.

RUPERTI HAUSDORFFER Ascetæ Brevnoviensis hoc seculo vitâ functi *Sacra Eloquentia.* Opus mf.tum, ac posthumum. Authori res indigna, nec ferenda visa est, quòd in non paucis Familiæ nostræ per Germaniam monasteriis juniores monachi vix sacerdotio initiati sacrum conscendere suggestum non modò permittantur, sed antea etiam jubeantur, quàm præceptis sacræ facultatis oratoriæ fuissent instituti; ac si curta illa supellex, quam sibi in Rhetotica olim compararunt, abunde sufficiens foret ad verba pro dignitate ad populum Christianum facienda. Aliud est, cum Masenio in Rhetorica pulicem laudibus exornare, aliud cum Paulo in Cathedra Christum prædicare. Unde, ut monasterii sui Sodales meliora docerentur, pro eâ, quâ insigni præstabat concionatoria facultate, præcepta iisdem concionandi selectiora tradidit, quæ deinde literis consignata *Sacra Eloquentia* ab ipso inscripta fuerunt. Opus non inutile, nec lectu indignum.

SECTIO IX.

Qui de Deo, ac SS.ma Trinitate scripserunt.

S. ILDEPHONSI Archiepiscopi Toletani *Opusculum de proprietate personarum Patris, Filii, & Spiritûs sancti. De Sancta Trinitate* vocat Eisengreinius. In deperditis habetur.

ALBINI FLACCI ALCUINI *de Sanctissima Trinitate* Libellus ad Imperatorem Augustum Carolum M. editus fuit Constant. in 4. an. 1566. Paris. an. 1589.

-- EJUSDEM *Libri tres de Fide SS. Trinitatis*, extant inter ejus Opera (junctim edita ab *Andrea du Chesne*, sive Quercetano Turonensi, Parisiis an. 1617. in fol.) pag. 702. leguntur etiam in Homiliario Pauli Diaconi ad Festum SS. Trinitatis. Eosdem separatim cum Commentario edidit Lucas Lossius Francofurti in 8. an. 1554.

-- EJUSDEM *Confessio*, sive *Doctrina de Deo*, quæ inter Opera ejus legitur pag. 762.

HAYMONIS Episcopi Halberstadiensis *Liber de Trinitate*, cujus Pitseus, Baleus, aliíque meminerunt.

S. BENEDICTI junioris, seu Anianæ Abbatis Opusculum *de Sancta & individua Trinitate* vulgavit Steph. Baluzius lib. v. Miscell. Parisiis an. 1700.

HINCMARI Senioris ex Monacho S. Dionysii prope Parisios Archiepiscopi Rhemensis Liber *De non Trina Deitate.* Cùm seculo IX. Gotteschalcanæ controversiæ temporibus Hymnus, qui jam tunc, & multò antè in plurimorum solennitate Martyrum canebatur, varietatem in postrema strophe subiisset, aliíque canerent: *Te Trina Deitas, unáque poscimus*: Alii verò: *Te summa Deitas*: Prohibuit Hincmarus in sua provincia, ne *Trina Deitas* diceretur, hoc fundamento, quòd ejus sensu *Trina Deitas* absque hæresi dici non posset, quia pluralitate & numero, qui in personis est, caret Deus.

Deus. *Ratramnus* Corbeiensis monachus contra Hincmari prohibitionem scripsit volumen haud mediocre ad Hildegarium Meldensem Episcopum, in quo ex libris SS. Hilarii & Augustini luculenter probavit, sicut trinum & unum Deum, ita trinam & unam Deitatem catholicè dici posse. Cùm hujus controversiæ fama ad aures Gottescalci in Altivillarensi monasterio reclusi pervenisset, schedulam scripsit, quâ *Trinam Deitatem* dici posse contendebat, & qui id negarent, Sabellianos fore: quia etsi naturaliter Deitas una sit, personaliter tamen trina est, secundùm fidem. Catholicam. Hanc schedulam, aliásque ejusdem miserabilis monachi, confutandas sibi sumpsit Hincmarus libro *de non Trina Deitate*, Arianum esse contendens, qui id assereret. Meliorem tamen fuisse *Ratramni* & *Gottescbalci*, quàm Hincmari causam, ex Ecclesiæ judicio constat, quæ in Hymno *Sacris Solemniis* ab Angelico Doctore S. Thoma Aquinate edito, ubique canit:

Te Trina Deitas, unáque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas, duc nos, quò tendimus
Ad lucem, quam inhabitas.

Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. Tom. VI. Sec. IX. §. IV. pag. 299.

RATRAMNI Monachi Corbeiæ veteris Liber ad Hildegarium Episcopum *De Trina Deitate*, de quo paucis ante lineis.

ODONIS ex Abbate Cœnobii S. Martini in urbe Tornacensi Episcopi Cameracensis *Expositio Canonis in honorem SS. Trinitatis.*

GUITMUNDI ex Monacho Crucis S. Leufredi S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Aversani in Italia *Confessio de sancta Trinitate* & *Christi humanitate*. Extat in Bibl. PP.

-- EJUSDEM Epistola, quâ Erfasto de Deo uno & trino quæstiones proponenti respondet, extat Tomo III. Spicilegii Dacheriani pag. 401.

PETRI ABÆLARDI Opusculum *de Fide S. Trinitatis*, quod idem est ac Introductio ad Theologiam, de qua suprà.

-- EJUSDEM Rithmus de S. Trinitate. Extat Collect. amplis. tom. 9. pag. 1092.

FRANCO Abbas secundus Monasterii Affligeniensis in Brabantia *De Gratia*, seu *beneficentia Dei* Libri XII. quos, cùm adhuc in cœnobio prædicto simplex esset monachus, jubente Fulgentio Abbate suo, incepit, postmodùm Abbas perfecit. *Libro I.* agit de Deo, gratiæ auctore, cui gratiæ pro gratia debentur; ubi plangit ingratitudinem & lapsum Luciferi. *Libro II.* in hominis conditione admiratur gratiæ conditoris magnitudinem. *Lib. III.* Exempla Patrum veteris Testamenti inducit, ut in eorum gestis eò magis perspicua sit divina graria, quò in his humana virtus succubuisse, & humanum cernitur consilium defecisse. *Lib. IV.* Idem argumentum prosequitur. *Lib. V.* Gratiam à Prophetis in veteri Testamento annuntiatam exponit. *Lib. VI.* De gratia novi Testamenti. *Lib. VII.* Gratiam Virgini Deiparæ factam celebrat. *Lib. VIII.* Mira illa charitatis Christi præconia commemorat; quæ in hominis assumptione, pro hominum redemptione, vel ut Deus potenter egit, vel ut homo dignanter pertulit. *Lib. IX.* Gratiam Baptismi commendat. *Lib. X.* Altitudinem gratiæ in passione Christi, & institutione sacræ Evchavistiæ admiratur. *Lib. XI.* De gratia adoptionis in filios Dei disserit. *Lib. XII.* De effusione sancti Spiritûs commentatur. Opus insigne scientia & eloquentia ornatum extat in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XXI. pag. 293. Separatim excusum fuit Antverpiæ an. 1565. in 24. à Joanne Bellero. Friburgi Brisgoiæ an. 1620. in 12.

AILMERUS, vel *Elmerus* Monachus Anglus in Cœnobio Servatoris Cantuariæ, ubi etiam ad annos octodecim fuit Prior, quod in suis epistolis non semel innuit. Vir, cui valdè cordi fuit regularis disciplina, & cœlestium rerum contemplatio; nec inter hæc neglexit unquam sacrarum Literarum studium, & antiquorum Ecclesiæ Doctorum lectionem, quos tanquam normam intelligendæ Sacræ Scripturæ semper adhibuit. Et abundiùs testantur ejus scripta omni pietate & eruditione referta, quibus nomen suum posteritati, imò verò æternitati commendavit. Scripsit

De inquisitione Dei. Lib. un. Suo Domino atque charissimo Nicolao.

De absentia vultûs Dei. Lib. un. Non sufficit Domine, non sufficit.

Recordationes beneficiorum Dei. Lib. un. Evigila anima mea, Evigila. Cantuariæ in vivis esse desiit circa annum Christi nati an. 1130. Pits. æt. 12. p. 201.

VEN. POTHONIS, Prumiensis Monachi & Presbyteri *De Opere sanctæ Trini-*

Trinitatis Liber I. cujus meminit Joannes Lapillus, seu Steinel in libro de Script. Eccl. quem ipse tamen Prunveningensem facit Monachum.

RUPERTI *Abbatis Tuitiensis* Liber I. *De voluntate Dei.* Alter *de Omnipotentia Dei*, ad Guillelmum Catalaunensem Episcopum, & Anselmum Laudunensem, quos perperàm de Dei voluntate sentire audiverat. Item Libri quadraginta duo *de SS. Trinitate & Operibus ejus*, quos anno MCXVII. perfecit. Tres primi sunt de Patris opere à creatione usque ad ejectionem Adami è Paradiso. Triginta sequentes, de proprio Filii opere, quo à justitia, vel morte Abel per figuras pervenit usque ad susceptionem carnis & mortem crucis: Novem postremis, de proprio Spiritûs sancti opere, scilicet in carnatione Verbi ad finem usque seculi. Opus istud sic ipse distribuit in Epistola ad Cunonem Abbatem. Alios libros novem de Glorificatione Trinitatis, & de Processione Spiritûs sancti scripsit ad Cunonem Episcopum Ratisponensem.

V. ENGELBERTI Abbatis Admontensis Opus *de Sanctissima Trinitate* magnificum, quod Amandus Pachler Abbas Petrensis in Chronico Admont. Mss. Engelberto tribuit, sibi autem adhuc incognitum in aliqua Styriæ vel Carinthiæ Bibliotheca fortè cum tineis & blattis luctari existimat Bern. Pezius Differt. Isag. in Tom. I. Anecdot. Thes. Noviss. part. alt. p. LXVI.

-- EJUSDEM *Tractatus bipartitus de Providentia Dei*, à Bern. Pezio vulgatus Tomo VI. Bibliothecæ Asceticæ pag. XLIX - CL.

JOANNIS SCHLITTPACHER, Prioris Mellicensis, *Tractatus de S. Trinitate ex libris Richardi succinctè collectus.* Item *Compendium Librorum XV. S. Augustini de SS. Trinitate.* Vid. Bibl. Mellic. pag. 411.

PETRUS ALPHONSUS, sive proprio nomine, sive à patria *Burgensis* dictus, vir in seculo nobilis, Carolo V. Imperatori charus, monachus dein Monserratensis, in quo cœnobio, atque inde in cellulis montis ejusdem solitariis ingenti fama excelluit eximiæ sanctitatis contemplationi addictissimus, scripsit præter cætera *de immensis Dei beneficiis*, Barcinone 1552. in 8. Vid. Nicol. Ant. in Bibl. Nov. Hisp. Ant. Yepes tom. IV. Cent. V. pag. 425. Gab. Bucel. in Annal. Benedictin. ad an. 1552.

GREGORIUS DE ALFARO Cordubensis, Abbas Monasterii sanctæ Mariæ del Bueso, pietatis doctrinæque specimen dedit scribens *Sylva de la Providencia de Dios, sacada de los Santos*, id est, *Sylva Divinæ Providentiæ excerpta ex Actis Sanctorum*, Pinciæ an. 1609. in 8. apud Joan. Godinez.

ANGELI DE FAGGIIS, aliàs *Sangrini*, totius Congregationis Casinensis Præsidis Generalis *Dialogus unus de Nominibus Dei, quæ sparsim in Scriptura leguntur.* Hujus mentionem facit Ricordatus Hist. Mon. dieta 4. p. 461. ubi verò impressus sit, non indicat. Armell. Bibl. Casin. part. I. pag. 26.

FORTUNATUS, cujus ignoratur cognomen, Patavium patriam habuit, ibidémque in celeberrimo S. Justinæ Monasterio inter Monachos adnumeratus anno 1597. die 8. Decemb. Philosophicis & Theologicis, ac insuper Mathematicis studiis postmodùm floruit initio præteriti seculi XVII. quo tempore Academiæ S. Justinæ Fortunatus præerat. Quo autem ingenio, & quâ scientiâ præditus fuerit, liber ab eo editus, satis demonstrat. Ejus titulus est:

Decas Elementorum mysticæ Geometriæ, quibus præcipua Divinitatis arcana, nempe Divina attributa, Natura, Unitas, Relationes, Redemptio, proposito Theosophico Symbolo, Mathematicis rationibus explicantur & confirmantur. Patavii sumptibus Petri Pauli Tozzii anno 1617. in 4. Ex Armell. Bibl. Casin. part. I. p. 173.

DIDACI à CAN-VERO Abbatis in Emaus Neopragæ *Teda Regalis* SS.mæ ac Individuæ Trinitatis rutilans Divorum in æthere jubar, & in terra fax ad vitam illuminativam accensa, ad purgativam inextincta, atque ad unitivam flagrans, Beatorum lætitia fruitur & gloria in tanti Mysterii venerationem, perpetuúmque cultum & laudem. Vetero-Pragæ typis Archiepiscopalis Seminarii in Collegio S. Norberti per Joan. Matis an. 1693. in 8.

SECTIO X.

Qui de Christo, Generis Humani Redemptore scripserunt.

S. AMBROSII AUTPERTI, natione Galli, Abbatis Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento sub annum 770. *Homilia in Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi*, quam Bibliotheca S. Germani Parisiensis in duobus Mss. Codd. pervetustis asservat, post Commentarium in Apocalypsin *Ambrosii Autperti*. Sunt verò, qui hanc Homiliam *Autperto Juniori* Abbati Casinensi ab anno 834. ad 837. tribuunt. Vid. Oudin. de S. E. tom. 1. pag. 1809.

B. ALCUINUS scripsit *Genealogiam Humanitatis Christi*, quæ Mss. asservatur in Bibliotheca Menarsiana, teste Fabricio in Bibl. med. & inf. Lat. l. 1. pag. 136.

JOANNES MAILROSIUS, natione Scotus, Academiæ Ticinensi à Carolo M. præfectus circa an. 792. condidit carmen *De laudibus Jesu Christi* ad eundem Imperatorem, quod Mſ.tum apud Dresserum extitisse, author est Bullæus tom. 1. Histor. Academ. Parisſ. pag. 610.

AMALARIUS Abbas Metensis scripsit *Epistolas VI.* quarum priores *de Nomine Jesu* tractant. Eas vulgavit Dacherius Tom. vii. Spicilegii p. 164. & Tom. iii. editionis novæ pag. 330.

B. RHABANI MAURI, Archiepiscopi Moguntini, *Opusculum de Passione Domini*, erga quam erat devotissimus, edidit Bern. Pezius Thes. Noviss. Anecdot. Tom. iv.

WALAFRIDI STRABONIS, Augiensis Abbatis, *Homilia de Genealogia Christi*, quam Cl. Bern. Pezius edidit Thes. Noviss. Anecdot. Tom. ii. part. 1. pag. 41.

S. BENEDICTI JUNIORIS, sive *Anianæ* Abbatis Opusculum *de Incarnatione*, quod Stephanus Baluzius Parisiis an. 1700. Tom. v. Miscell. vulgavit.

ALPHANUS I. ex Monacho Casinensi Archiepiscopus Salernitanus ab an. 1058. ad 1085. scripsit, teste Trithemio de S. E. c. 323. & lib. 2. de Vir. Illust. O. S. B. cap. 87. *libros tres* (veriùs unum duntaxat) *de Unione Verbi Dei & hominis*. Vide de hoc Alphano plura apud Ughellum tom. vii. Italiæ sacræ pag. 380. seq.

S. ANSELMI, Archiepiscopi Cantuariensis *Liber de Incarnatione*. In ejus exordio regulam tradit notatu apprimè dignam: *Nullus Christianus*, inquit, *debet disputare quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodo non sit, sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando, & secundùm eam vivendo humiliter, quantum potest quærere quomodo sit.*

— EJUSDEM Volumen aliud, cui titulus: *Cur Deus homo*; Complectitur duos libros per modum Dialogi conscriptos; in quibus adversùs Gentiles de Christi humanitate disputat, ad quorum objecta respondet, variisque rationibus commonstrat, necessariam esse ad hominum salutem Verbi Divini incarnationem. Nihil autem subtilius hoc Opere humanum ingenium vix unquam protulit.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis scripsit *De Gloria & honore Filii hominis libros tredecim* ad Cunonem Episcopum Ratisponensem. Extant Opp. tom. 2. pag. 1.

ARNULPHUS, Gallus, Bellovacensis Monachus, B. Lanfranci discipulus, Episcopus Roffensis in Anglia, scripsit, Baleo perhibente de Script. Angl. lib. 2. cap. 70. *De septem verbis Domini.* At enim hoc scriptum alii ad sequentem referunt Scriptorem.

ARNOLDUS Abbas Bonæ-Vallis in Francia Diœcesis Carnotensis, vir pius & eruditus, S. Bernardo amicissimus scripsit ad Adrianum IV. Pontificem Maximum *Librum de Cardinalibus Christi Operibus*, *viz. de Nativitate Christi, de ratione Circumcisionis, de Stella & Magis, ac Innocentium nece, de Baptismo Christi, de ejus jejunio, & tentatione, de Cœna Domini, de ablutione pedum, de Passione Christi, de Resurrectione, de Ascensione*, qui liber olim S. Cypriano perperàm adscriptus fuit; Joannes Fellus illum edidit ad calcem Operum S. Cypriani.

— EJUSDEM *Tractatus de septem verbis Domini in Cruce*, quem post Francisci Titelmanni editionem cum scholiis Antverpiæ an. 1532. in 8. dederat etiam Combefisius in Bibl. Concionatoria, feria sexta Parasceves. Utrumque Opus extat in Bibliothecis Patrum Pari-

Parisiens. Coloniens. & Lugdunensi Tom. xxii. Vid. S. Cypriani Opera in fol. Oxonii an. 1682.

BERENGOSI, Abbatis S. Maximini Trevirensis sub initia duodecimi seculi scribentis *De laude & inventione Crucis Dominicæ Lib. III.* Item *Liber de mysterio Ligni Dominici, & de Luce visibili, & invisibili, per quam antiqui Patres meruerunt illustrari.* Hæc Opuscula Coloniæ edita an. 1555. recusa fuerunt in Bibliothecis Patrum,& novissimè Lugdun. Tom. xii. prius pag. 349. posterius pag. 367.

HERMANNI S. Martini Tornacensis Abbatis Opusculum *de Incarnatione Domini*, quod Casimirus Oudinus talium non indiligens scrutator ex codice Mſ. Vindocinensi eruit, atque inter Veterum Opuscula sacra edidit Lugd. Bat. an. 1692. Claruit Hermannus circa an. 1127. Vid. Cav. in Hist. Lit. ad an. cit.

S. BRUNONIS Episcopi Signiensis *Tractatus de Incarnatione Domini.* Extat Operum Tom. 2.

DROGONIS, sive *Dragonis* ex primo Abbate S. Joannis Laudunensis S. R. E. Cardinalis Ostiensis ab anno 1130. ad 1138. *Tractatus de Sacramento Dominicæ Passionis* obvius in Bibliothecis Patrum.

VEN. PETRI MAURITII Abbatis Cluniacensis Sermo *De Transfiguratione Domini. De Laude sepulchri. Epistola adversùs negantes Christum nunquam se in Evangeliis apertè Deum dixisse ad Petrum de S. Joanne.* Hanc epistolam Possevinus Apparatu Sac. tom. 3. vocat uberem atque perutilem.

OSBERNUS Clandianus, seu Claudiocestrensis in Anglia Monachus cùm politiores tum altiores disciplinas accuratè penetravit. Ad quas scientias incredibilem attulit ornatum summa vitæ innocentia & morum integritas. Alia autem scripsit oratione continua, alia per interlocutores quasi interpolata. In utroque genere mirificè elegans & eloquio facundus, nonnunquam etiam gratiosè lepidus. Stylo continuato scripsit ad Gilbertum Episcopum tunc Herfordensem, postea Londinensem optimum Patronum suum *De Incarnatione Christi Lib. un. De Nativitate ejus, Lib. un. De Passione Lib. 1. De Resurrectione lib. 1.* Vixit an. 1140. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 207.

ADAMI BARCHINGENSIS, Angli, Monachi Schirbornensis pietate ac doctrina eximii circa an. 1217.

– *De duplici Christi natura* Lib. un. Vid. Pitſ. æt. 13. pag. 289.

BERNARDUS MORLANENSIS, natione Anglus, Monachus è Congr. Cluniacensi, Vir in humanioribus disciplinis bene versatus, oratione tum ligata tum soluta non ineleganter multas elaboravit lucubrationes. Theologiam etiam supra vulgarem studiosorum morem tenuit. Sed quod omnium caput est, inter suos vitæ sanctimonia quasi lucidum quoddam sidus resplenduit. Et per cœlestem rerum continuam contemplationem, suam in supernis cum Deo, Angelis, & Sanctis conversationem habere visus est. Omnem suam eruditionem, omne studium, omnem conatum eò retulit, ut mundi rerúmque mundanarum contemptu, Dei divinarúmque rerum amorem suo inprimis pectori altè insereret, deinde aliorum mentibus, quantum posset, imprimeret. Quod ex ejus libris tribus de contemptu mundi satis manifestum evadit. Huc verò spectat liber unus, quem literis consignavit sub hac epigraphe:

De Verbi incarnatione colloquium inter Gabrielem & Mariam. Floruit anno reparatæ salutis 1140. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 205.

ENGELBERTI Abbatis Admontensis *Tractatus de Miraculis Christi*, quem Bernardus Pezius ex Codice Admontensi pro prælo descripsit.

– EJUSDEM *Tractatus de sensu doloris Christi in passione* &c. quem penes se esse de codice membranaceo Zwetlensi seculi XIV. descriptum testatur idem Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Anecd. part. 2. pag. LXIV.

HENRICUS DE GULSTEN Abbas S. Ægidii Norimbergæ, vir non minoris doctrinæ, quàm authoritatis in Concilio Basileensi librum edidit *de Passione Domini*, teste Trithemio in Chron. Hirsaug. tom. ii. pag. 417.

BENEDICTI CHELIDONII Monachi S. Ægidii Norimbergensis sub finem seculi XIV. & initia XV. Poëma *de Passione Domini nostri Jesu Christi*, quod Norimbergæ prodiit an. 1511. in fol. additis iconibus stilo scalptorio egregii viri *Alberti Dureri.* Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. pag. 1036.

JOANNES TRITHEMIUS Abbas Spanheimensis, Meditationum & Orationum Dominicæ Incarnationis, Nativitatis, Vitæ, Passionis, & Mortis Opusculum devotioni conveniens, & libris II. comprehensum lucubravit; quod haud diversum ab eo videtur, cujus

cujus mentionem facit in epistola ad Jacobum Syberti his verbis: *Dominicæ Passionis exercitium, quamprimùm in lucem ediderimus, ad te dabimus perferendum.* Præterea mulras alias insignem erga Dominum nostrum J. C. amorem & devotionem spirantes meditationes & orationes composuit, teste Joanne Duraclusio ejus discipulo.

JOANNES DOCÆUS, Monachus & Magnus Prior Regii Monasterii ad S. Dionysium propè Parisios, Doctor SS. Theologiæ, ac Laudunensis demum creatus Episcopus libros duos *De Æterna Filii Dei generatione, ejusque temporali Nativitate* conscripsit, qui Parisiis apud Carolum Perrerium an. 1554. prodierunt. Item *Enarrationem Dominicæ Passionis*, quæ ibidem apud Vivantium Gualterotum an. 1552. est excusa. *De Domini quoque Resurrectione.* ibidem an. 1560. Vid. Possev. in Appar. Sac. tom. 2. p. 167. Sammarth in Gall. Chr. Nat. Alex. & Hyacinth. Gravef. in Hist. Eccles.

MAURITIUS in Monasterio S. Severini Neapoli Monachus an. 1562. librum de Nominibus, quæ Christo câm in veteri tum in novo Testamento attribuuntur, vulgavit, quem *Collyrium mentis* inscripsit. Vid. Toppus in Bibl. Neap.

RAPHAEL Abbas Altahæ Superioris in Bavaria scripsit Orationem de Nativitate D. N. J. C. quæ est impressa in Monasterio Tegernseensi an. 1574.

ANONYMUS CASINENSIS Congregationis Monachus librum verè aureum concinnavit, cui titulus: *Paradisus deliciosus in apparitione Domini* impress. Parmæ per Franciscum Ugolottum anno 1515. in 4. habet cap. 70. cujus meminit Arnoldus Wion Lig. Vit. lib. 2. cap. 72. pag. 440. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 47. pagina verò 224. testatur, authorem Operis esse *Hilarionem Lantierum* Abbatem S. Petri & Pauli Mediolani.

BERNARDI PLACENTINI Congr. Casin. Præsidis Liber I. *de Passione Domini.* Lib. I. *de Resurrectione Christi* Lib. I. *de Ascensione Domini*, primus & postremus latent in MS^tis^; medius cum aliis pussimi Authoris Opusculis excusus est Cremonæ an. 1511. Vid. Armell. l. c. pag. 106.

ANGELUS DE FAGGIIS, vulgò *Sangrinus*, Abbas Casinensis, totiúsque Congregationis semel atque iterum Præses, utì magno divini Servatoris nostri amore flagrabat, ita varia de eodem suavissimè juxtà ac elegantissimè cecinit; cujusmodi sunt

1.) *De ineffabili Jesu nomine carmen heroicum.*

2.) *Parænesès sex in Hebdomada sancta de nominibus Jesu.*

3.) *De Jesu benignitate, pietate ac longanimitote erga Peccatorem.*

4.) *In Nativitate Domini carmen Sapphicum, & in omnes alias ejusdem Festivitates.*

5.) *Epicedium in morte Domini.*

Quæ aliáque plura in Libro I. *Poësis Christianæ* Patavii anno 1565. excusæ continentur. Fuit Angelus antiquæ sanctimoniæ exemplar, annos natus 93. ad Superos verò, ut credere fas est, anno 1593. translatus. Ejus corpus anno à funere octavo incorruptum atque illæsum repertum fuit.

EUSEBIUS DE VALENTINIS, Italus, Mutinensis, Parmæ in Monasterio S. Joannis Evang. Professus an. 1515. sui temporis Poëta haud postremus, panxit

1.) *De quadruplici Adventu Domini*, Carmen heroicum. 2.) *In mortem Domini Nostri Jesu Christi*, eodem carmine. 3.) *In Christi Nativitatem*, Hendecasyllabum, &c. Quæ, aliáque id generis plura impressa sunt Romæ an. 1589. apud Zannetum in tertio tomo Poëmatum Domini Prosperi Martinengii. Vid. Armel. part. 1. pag. 159.

AUGUSTINUS DE BENAVENTE, Hispanus, Pincianæ domus Concionator, cui semel atque iterum præfuit, sacris fidei judicibus à censura Theologica. Scripsit duobus tomis sic nuncupatum Opus *Luz de los Luzes de Dios, resplendor de las llagas, empleta del pensamiento Christiano*, id est, *Lumen Luminum Dei, & Splendor Vulnerum Christi, Scopus Christianæ cognotionis.* Primus tomus prodiit anno 1628. Pinciæ in 4. apud Viduam Francisci de Corduba; secundus verò anno 1647. in eadem urbe & monasterio typis Antonii de Rueda. Nic. Ant. Bibl. Hispan. Nov. pag. 136.

LUDOVICI SOMBECKII, Abbatis Gladbacensis *Funiculus triplex*, in quo libro Passionis, Mortis, & Crucis Dominicæ Mysteria, & documenta Sanctorum Patrum verbis expressa, summâ cum voluptate & utilitate legentium doctissimè & accomodatissimè redhibuir. *Bruxellæ an. 1607.* Bucel. in Bened. Rediv. pag. 166.

Claruit

Claruit Sombeckius an. 1629. Vid. etiam Andr. Valer. in Bibl. Belg.

DAVIDIS GREGORII CORNERI, Abbatis Gottwicensis in inferiore Austria SS. Theologiæ & Philosophiæ Doctoris, S. Cæs. Majest. Consiliarii, nec non Universitatis Viennensis p.t. Rectoris *Feriæ Poschales*, seu Commentarii Ascetici *de Descensu ad inferos, & Resurrectione D. N. Jesu Christi* ex sacris Literis, sanctis Patribus, & classicis Doctoribus concinnati. Viennæ in 8. typis Gregorii Gelbhaar an. 1639.

BERNARDI Abbatis celeberrimi Monasterii ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindel. *Scola Cæli* Gradibus piarum meditationum de Vita, Doctrina, Passione, & Resurrectione D. N. Jesu Christi, per quos mens & affectus ad cœlestia faciliùs ascendere possunt, distincta. Aug. Vindel. an. 1562. in 16. typis Veronicæ Apergerin Viduæ.

PETRI VECCHIA, Abbatis è Congreg. Casin. & postea Episcopi Melphictensis, *Il Sole nell' Ecclitica, osia Christo mirabile ne' suoi Servi, e prodigioso ne' suoi effetti*, id est: *Sol in Eclyptica, seu Christus mirabilis in suis servis & prodigiosus in suis effectibus.* Discursuum & Panegyrum libri tres. Venetiis apud Joan. Bapt. Brigna 1684. in 4.

LEONARDI DE MASSIOT, Galli, Nobiliacensis, è Congr. S. Mauri *Traité du Sacerdoce & du Sacrifice de Jesus-Christ, & de son union avec les Fideles daus ce mistere.* id est: *Tractatus de Sacerdotio, & de Sacrificio D. N. Jesu Christi, & de ipsius unione cum Fidelibus in hoc mysterio.* Pictavii in 8. apud Joan. Fleurian & Jacob Faucon an. 1708. Opus in quatuor partes distribuitur. In prima agitur de Sacrificio in genere, in secunda de Sacerdotio & de Sacrificio Jesu Christi, in tertia de effectibus Sacrificii J. C. in quarta de ipsius Sacerdotio, quatenus illud cum ministris Ecclesiæ communicat. Vid. le Cerf. pag. 327.

ALBERTUS Abbas S. Pauli in Carinthia, ante adeptam Præsulis dignitatem, Theologiam Speculativam discipulis tradidit; anno 1726. annum Sacerdotii quinquagesimum egit, & scripsit librum de amantissimo Redemptore nostro, cui titulum præfixit; *Junior Tobias Viator*, seu *Filius Dei in terram descendens*, in folio; annum & locum editionis non exprest. *P. Ziegelbauer Hist. P. IV.* sit Author Historiæ Salisburg. Univers. lib. 2. cap. IV. n. 176. p. 245.

PROSPER PHANELLUS Calaber à Rocca Bertranda, Neapoli in S. Severino asceticam vitam auspicatus est an. 1542. die 8. Decemb. Enituit sacra non minùs doctrina, quàm singulari pietate, quâ ductus scripsit

Colloquium Christi, Moysis, & Eliæ habitum in monte Thabor l. 1. cujus colloquii Prosper *Conjectorem* se appellat. Ejus etiam est *Epistola*, in quâ tractat controversiam, An Christus Dominus in Cœna Emautinâ benedicens panem usus sit signo Crucis, quam negando resolvit. Eam ms. vidit olim Romæ in Bibliotheca Barberina Joannes Mabillonius, cum Romam Italiámque perlustraret, ut ipse Abbati Armellino retulit, literisque postea consignavit in suo Musæo Italico tom. 1. part. 1. pag. 133. extat etiam ms. in Bibliotheca Romanæ Sapientiæ in 2. tomo Miscellaneorum Sacrorum Constant. Cajet. pag. 360. *Ex Armell. Bibl. de Script. Congr. Casin. part. 2. pag. 161.*

IGNATII CLAVENAU Admontensis in Styria *Tractotus* seu *Exercitatio od singulorem & continuam devotionem erga Christum, & Beatissimam ejus Virginem Motrem.* Extat in Authoris Ascesis Posthumæ Part. II.

ÆMILIANI NEISSEL Ascetæ in exempto Monasterio Weichenstephanensi in Bavaria *Arco Fœderis*, seu *Vito & Possio Christi Domini.* Extat cap. 4. tract. 3. Speculi Cleri utriusque à pag. 160. - 132.

VALENTINI LARSON Prioris Mellicensis *Theatrum Dolorum Jesu Christi pro hominibus potientis in Augustissimo Missæ Sacrificio opertum*, sive *SS. Missæ Sacrificium secundùm varia Passionis Dominicæ mysteria explicatum.* Author post præfationem ad Lectorem alio titulo chartam inscripsit:

Septuaginta Palmæ in Elim inventæ, sive *Septuaginta Augustissimi Missæ Sacrificii Mysteria totidem potientis Christi ærumnis ac doloribus illustratæ.* Augustæ Vindel. per Jo. Casp. Bencard in 8. an. 1709. ubi etiam hoc Opus in Germanicum sermonem translatum prodiit an. 1735.

ALANUS PFEIFFER, Admontensis in Styria, & SS. Theologiæ in Universitate Salisburgensi Professor, edidit inter plura alia *Tractatum de SS. Sanguine Christi cum duodecim ejusdem elogiis.* Salisburgi an. 1716. in 4.

THEODORI THIER Werdinensis De cognitione & amore Salvatoris Jesu Christi liber quadripartitus Colon. 1716. in 8.

COELESTINUS LEUTHNER Wessofontanus Frisingæ & Salisburgi annis XI. Rhetorices Professor edidit *Mysteria Vitæ Christi*, Considerationibus, Symbolis, & Epigrammatibus elegantissimis illustrata: quod opus non ob nitorem solùm imaginum, sed egregios pietatis sensus tum in vernaculam nostram traductum est à R.P. Ruperto Carl Weichenstephanensi; tum etiam in Lusitaniam plurima exempla petita: nec dubium, quin in suam ipsi linguam transtulerint an. 1732. Augustæ in 8.

AUGUSTINI CALMET, Abbatis, Synopsis Vitæ Jesu Christi Chronologico ordine deducta. Præmissa habetur ejus Commentario in Evangelium Mathæi.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Pretium Magnum Redemptionis Humanæ*, seu *Opusculum* patrio idiomate conscriptum *de pretiosissimo Thesauro, & inæstimabili lytro generis humani*, id est, Sacratissimo Sanguine D. N. J. C. de quo nonnullæ Reliquiæ in quibusdam Ecclesiis Catholicis ac Monasteriis maxima, qua par est, religione atque reverentia asservantur. Rözii in Austria apud Christoph Joseph. Hueth. an. 1737. in 12.

– EJUSDEM *Planctus Filiæ Jephte*, i. e. *Communis Christianorum Luctus super patientis in carne Dei ac humani generis Redemptoris Christi Jesu sacratissimam Humanitatem per quatuor Majoris Hebdomadæ postremos dies.* Opus patrio sermone perscriptum, nondum typis vulgatum, penes authorem est, qui occasionem illius elucubrandi sumpsit ex lib. Judicum Cap. XI. vers. 40. *Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant filiam Jepthe Galaaditæ diebus quatuor.*

– EJUSDEM *Tractatus de Odio Mundi erga Jesum, Dei & Mariæ Filium.* Distribuitur in quinque partes. *Prima* agit de Odio Judæorum erga Jesum. *Altera* de Gentilium & Mahometanorum Odio. *Tertia* de Odio Apostatarum & Hæreticorum. *Quarta* de Catholicorum odio erga Jesum indirecto, seu de Odio illorum Catholicorum erga alios, qui JESU partes strenuè tuentur. *Quinta* de tolerantia Odii exemplo Jesu.

– EJUSDEM *Alphabetum Contumeliarum JESU Christi, ex Sacro Evangelio expressum.*

ROBERTI MORELLI è Congreg. S. Mauri *Colloquia Spiritualia* Gallicè scripta per modum precationum, inque dies singulos Quadragesimæ distributa. Parisiis in 12. anno 1714.

– EJUSDEM *Colloquia de Incarnatione D. N. J. C.* pro singulis totius sacri Adventûs diebus. Paris. 4. vol. in 12. an. 1718.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani

1.) *SS. Nominis JESU cultus & miracula.* Augustæ Vindel. in 8. an. 1613. typis Chrysostomi Daberii.

2.) *Dialogus de Passione Domini.* Augustæ in 8. an. 1608.

3.) *VII. Casus Domini patientis* cum fig. Aug. in 8. an. 1608.

4.) *Infantia Salvatoris* mysticè cum fig. Aug. in 8. an. 1614.

5.) Theatrum D. N. JEsu Christi cruciatuum 1658. in 4. absque loco. Posteriora hæc tria Opuscula Auctor Germanicè edidit.

ROMANI MÜLLER Senonensis in Bavaria SS. Theol. Doct. in Academia Salisburg. Archiep. Consiliarii & Procancellarii *Sympatheticæ Orationes* Christo Homini-Deo, qui in Cruce passus pro omnibus, explicatæ, Matri Virgini Mariæ, quæ ad Crucem compassa pro omnibus, dedicatæ. Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayer anno 1661. in 8.

SECTIO XI.

Qui de Sanctissima Dei Genitrice MARIA scripserunt.

S. ILDEPHONSUS, Archiepiscopus Toletanus, scripsit librum *de illibata Virginitate sanctæ ac gloriosæ Genitricis Dei MARIÆ contra Infideles Ordine Synonimorum conscriptum:* quem solum ex omnibus Ildephonso attributis Operibus genuinum censet Joannes Poza, Hispanus Jesuita, in Eluci-

Elucidario Beatae Virginis lib. 4. tract. 4. cap. 6. Reliquasque Homilias, nimirum *Homiliam contra eos qui mendosè affirmant, MARIAM Virginem contra legem Dominum peperisse. Homilias sex de Assumptione B. MARIÆ Virginis cum Homilia de Purificatione ejusdem*, à Francisco Fevardentio Ord. Fratrum Minorum Parisiis, anno 1576. apud Nivellium in lucem emissas, suppositias esse multis contendit argumentis. Legendus tamen etiam est Nicolaus Antonius in Biblioth. Vet. Hispana, quam post Porae Elucidarium scripsit, & Opera S. Ildephonsi examine critico longè dolori discussit. Adde Mabillonium *De quibusdam Hildephonsi scriptis, aliisque rebus ad eum pertinentibus* Sec. II. Ben. pag. 519.

S. AMBROSIO AUTPERTO Abbati S. Vincentii ad fontes Vulturni fluvii in Samnio an. 777. & 778. quô diem supremum obiit, Mabillonius Act. O. S. B. Sec. III. Part. II. pag. 260. tribuit Homiliam de Assumptione Deiparae, quae incipit: *Adest dilectissimi Fratres venerabilis dies, omnium Sanctorum solemnitates praecellens* &c. cujus pag. 266. fragmentum adducit. I... tribuit *Sermonem de Purificatione B. Mariae Virginis*, sive *de lectione Evangelii* Luc. II. 22. seq. Incipit: *Si subtiliter à fidelibus ... quae sit hujus diei festivitas, perpendatur.* Quam manuscriptam tantùm & non vulgatam censet Jo. Mabillonius loc. cit. pag. 260. Verùm invenitur impressa ad calcem Operum S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi in editione Parisiensi anni 1665. apud magnam Societatem Bibliopolarum, imò & in editione anni 1642. ut habet Labbeus. Addo, inquit Cas. Oudinus, hanc eandem *Ambrosii Autperti Homiliam*, quae legitur ad calcem Operum D. Ambrosii Mediolanensis Episcopi, integram de verbo ad verbum, legi insertam *Homiliae de ejusdem B. Mariae Virginis Purificatione*, quam Alcuinus coram Carolo M. habuit, quámque velut opus Alcuini indubium refert eruditus Stephanus Baluzius Miscell. Tom. II. pag. 382. Haec Oudinus, qui existimat, utramque Homiliam rectiùs *Autperto* juniori Casinensi Abbati ab an. 834. ad 837. attribui, ejúsque temporibus magis convenire, quàm senioris *Ambrosii Autperti*, cui à Mabillonio tribuuntur. Unde mirari subit, quòd Erasmus Gattola Hist. Cas. Sec. IV. §. VI. pag. 69. dicat, Oudinum Mabillonii sententiae subscripsisse, cùm disertis tamen verbis contrarium affirmet. Prior Homilia, cujus fragmentum duntaxat affert Mabillonius in Bibliothecae Casinensis Codicibus signatis num. 109. 110. 305. integra extat, excepto codice 110. in quo ejus tantùm medietas est exarata hoc titulo: *Sermo Domini Autperti Abbatis*, & in Cod. 42. B. & 10. C. Homilia reperitur in Evangelium: *Postquàm impleti sunt dies purgationis Mariae &c.* cum titulo: *Omelia Autperti Abbatis*: haecque incipit: *Si subtiliter* &c. quo eodem titulo hujusce Homiliae pars extat in cod. 110, quae etiam à Mabillonio, inquit Gattola [quod verum est] & ab Oudino [quod falsò dicitur] *Ambrosio Autperto* tribuitur. Ex illo autem evinci posse Gattola arbitratur, Casinensis Autperti eas esse, quod in Bibliothecae Casinensis codicibus bene multis, undecimo seculo scriptis, nulla *Ambrosii* mentio fiat. Verùm nec hoc satis firmum argumentum; nam in MStis aliarum bibliothecarum Codicibus S. Ambrosio Autperto assignari constat. Sic in Bibliotheca Augiae Divitis manu exaratis iisque antiquissimis Codicibus locuplete Sermo seu Homilia de Purificatione S. Ambrosio Autperto adscribitur: sic enim habet inscriptio: *Sermo S. Ambrosii ad Monachos S. Vincentii in Hypapante S. Mariae.* Caeterùm sive senior, seu junior *Autpertus* auctor sit Homiliae *de Assumptione*, ita suam moderatur sententiam, ut de corporea Deiparentis assumptione nihil certi statuat, sed ut *sive in corpore, sive extra corpus Assumptam in caelis credamus.* Ex quibus verbis palam fit, jam tunc temporis Ecclesiae Catholicae vocabulum *Assumptionis* usitatam fuisse.

RATRAMNI Monachi Corbeiae veteris, & Theologi seculo IX. perdocti *Libellus de Nativitate Christi*, in quo perpetuam Deiparae Virginitatem ut Dogma Fidei profitetur, duriore tamen de virgineo partu locutione utitur. Unde

S. PASCHASIUS RADBERTUS ejusdem Corbeiae veteris Monachus & Abbas synchronus *Ratramni* libello *de Nativitate Christi* alterum opposuit *de Partu Virginis*. Mentem verò Ratramni non satis assecutus esse videtur Natali Alexandro, qui etiam Ratramnum ab inconstantiae nota, quam ei Mabillonius inurit, doctissimè vindicat.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV. Y 2 Vid.

Vid. ejus Hist. Eccl. Tom. vi. Sec. ix. pag. 357. seq.

ALBERICUS Monachus Casinensis, idémque Diaconus Cardinalis, qui anno Chr. 1088. obiit nonagenarius, vir illo tempore singularis doctrinæ ac eruditionis scripsit Librum *de Virginitate Mariæ*, uti Pet. Diac. refert lib. de Vir. Illust. Cas. cap. 21. Addit Cl. Eggsius in Purp. Doct. lib. 1. pag. 34. *Hymnos de Assumptione ejusdem B.V.*

HERMANNUS CONTRACTUS in Suevia ex illustrissimis Parentibus natus, sed membris omnibus contractus, in Divite Augia Monachus factus singulari amore ac veneratione Magnam Deiparentem complexus est, in cujus honorem celeberrimas illas dnas Antiphonas, quæ ab universa Ecclesia statis temporibus frequentantur, *Salve Regina* & *Alma Redemptoris* composuit. Ad Superos abiit anno 1054.

GREGORIUS Casinensis Monachus & Episcopus Terracinensis sec. xii. composuit Homiliam de Assumptione Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. cap. 32.

PANDULPHUS Monachus Casinensis, atque inde S. R. E. Card. an. 1134. defunctus scripsit Rythmum in laudem B. V. Mariæ, teste Petro Diacono cap. 25.

S. ANSELMUS ex Abbate Monasterii Beccensis in Normannia Cantuariensis Archiepiscopus vulgò auctor cùm *Tractatus*, tum *Epistolæ*, seu *Sermonis de Conceptione B. Virginis* habetur. Ego ipse in Tractatu de Cultu Immac. Conceptionis an. 1737. typis vulgato non uno in loco hanc amplexus sum sententiam. Subinde verò in manus meas venit, priùs nunquam lecta, nova *San - Mauriana* Editio Operum S. Anselmi, Eminentissimo Cardinali de Aguirre, Natali Alexandro, aliisque viris doctissimis summoperè laudata, in qua à doctissimo Editore, qui fuit Domnus *Gabriel Gerberon*, prædicta de Conceptione B.V. opuscula S. Anselmo ex regulis criticis abjudicari vidi. Non pigebit *Censuram* transcribere, tum ut nostris in Germania Sodalibus, in quorum Bibliothecis (utinam una tantùm esset!) præstantissima hæc editio non habetur, rem gratam faciam, tum ut eorum quidam exinde intelligant, plus solidæ eruditionis ac doctrinæ ad sanctorum Patrum Opera edenda requiri, atque in scholis nostris plerumque à nobis comparatur.

Censura Libri de Conceptione B. Virginis.

Hujusce Tractationis fragmenta cum hac epigraphe *De Conceptu Virginali passivo*, primus edidit P. Raynaudus Jesuita, qui totus contendit, huncce Tractatum à S. Anselmo esse compositum. Equidem ipse scio in Ms. 271. Bibl. Merton. in Anglia, ante Tractatum *De Excellentia B. Mariæ* hunc legi sic inscriptum: *Anselmus de Conceptione B. Mariæ*: & in Ms. 22. Bibl. Lincol. inter alia sancti Anselmi Opera illud haberi: *de Conceptione B. Virginis.* Cantabrigæ in Ms. 338. Colleg. S. Benedicti post Edmeri Opera pariter occurrit Tractatus, *de Conceptione S. Mariæ*. Sed & in Ms. Cluniac. legitur: *Tractatus B. Anselmi de Concept. B. Mariæ Virg.* Et in Ms. Corb. inter sancti Anselmi Opera hic etiam Tractatus reperitur, *De Conceptione B. Virg. Mariæ*, ex quibus duobus Mss. huncce Tractatum integrum edidimus. Non tamen inter sancti Anselmi Opera: quandoquidem horum Mss. quæ pauciora sunt, & alios quàm sancti Anselmi Tractatus continent, fidem penitus abrogant alii innumera Operum S. Anselmi Mss. quæ in Regia, Victorina, [illegible]uana, & pluribus aliis Bibliothecis in Gallia, in Anglia, & in [illegible]gio asservantur. In his enim [illegible]nibus, ne fragmentum quidem istarum tractationum reperire est. Sed nec scio, quis tractatu ille sit, quem tres Anglicani isti Codices inscribunt, *de Conceptione B. Virginis*; hic enim titulus libro *de Conceptu Virginali* ab exscriptoribus præfigi potuit.

Insuper sancto Anselmo hunc librum falsò ascribi tota ipsius doctrina reclamat, ut novit, quisquis ejus librum 2. *Cur. Deus homo*, & maximè c. 16. & 17. legit, ut intelligeret. P. Raynaudus in sua hujusce libelli syntaxi vult Anselmum eo loci, sicut & alios PP. locutum de prima Conceptione, quæ in paterni seminis susceptione consistit, & unde incurritur debitum contrahendi peccatum originis. Verùm his totus adversatur Anselmus citatis maximè in locis, ubi probat, nullam esse in semine immunditiam, quæ mundatione egeat; & ubi suo Bosoni demonstrat, necesse fuisse, Deum hominem fieri, ut beata Virgo mundaretur, ipsámque à Spiritu sancto per Christum esse mundatam. Opponunt alii sanctum Anselmum in enarrationibus suis in sancti Pauli Epistolas

stolas eadem sensisse, quæ in isto libro deducit. In ista enim Apostoli verba, *de peccato damnavit peccatum*, sic ait: *Maria ex Adam mortua, nisi divinitùs exempta fuisset* &c. & ista; *omnes mortui sunt*, sic explanat: *omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsùs excepto, dempta Matre Dei, sive originalibus, sive etiam voluntate additis.*

Ad quid hæc? non enim istas enarrationes scripsit Anselmus, sed Hervæus Burgidolensis, ut ipsi Bellarminus & Labbe in l. de Script. Eccl. observant, & nobis constat ex Codice Mſ. qui penes nos est: & ex cujus etiam fide certò liquet has clausulas: *Nisi divinitùs exempta fuisset*, &, *dempta Matre Dei*, esse ab alio insertas; ut Altius fuerat jam subodoratus. Hæ enim in Mſ. minimè leguntur.

Non est ergò, unde concilietur secum pugnans sancti Anselmi doctrina, si liber iste ab eo sit editus: Unde magis eum Anselmo supponi, quàm Anselmum sibi non constare non iniquè censuerim. Hoc eodem argumenti genere Angelus Rocca Augustinianus, cùm sancti Bonaventuræ Opera Romæ excudi curaret, Sermonem secundum de Beata Maria, qui eadem exponit ac iste liber, ad marginem concludit, hunc Sermonem S. Bonaventuræ non esse, *cùm ipse multis aliis in locis opinionem in lib. 3. sent. affirmatam omnino & constanter defendat.*

Baronius ipse in Notis ad Martyrol. observat, quòd an Tractatus de Conceptione B. V. sit Anselmi, meritò ducitur in controversiam, cùm multa habeat, quæ eidem Authori repugnent, ut notat Johan. Turrecremat. in Tract. de Concept. B. V. parte 12. c. 3. Hoc ipsius Baronii judicium.

Ipse quoque Tractatus hic suæ integritati ac puritati jam redditus, se non nisi post Anselmi tempora editum protestatur. Etenim ab ipso sermonis exordio declaratur, 1. Quòd multis in locis jam tum festiva erat solemnitas Conceptionis B. Mariæ. 2. Quòd priscis temporibus frequentiori usu celebraretur, dum pura simplicitas vigebat. 3. Quòd perspicacia & examinatio modernorum quorundam, qui seculari & ecclesiastica auctoritate, divitiarúmque abundantia præeminebant, hanc solennitatem quasi ratione vacantem de medio sustulerit, & redegerit in nihilum. 4. Quòd caritas simplicium de tantæ festivitatis abolitione tum gemeret.

At ista cum Anselmi ætate stare nequeunt: sicut nec commentum illud, quo ista festivitas dicitur ab Anselmo instituta, dum Lugduni moraretur. Quandoquidem de iis planè siluit Edmerus, qui singula vel minutissima, quæ Lugduni ab Anselmo gesta sunt, accuratissimè describit tam in libris de ejus vita, quàm in Historia Novorum. Nec ullus de istius festivitatis institutione aut abolitione eo tempore scripsit; cùm tamen hujusce ætatis gesta tot Sciptores nobis tradiderint. Denique qui dici potest priscis temporibus instituta festivitas, prævalente contra charitatem simplicium auctoritate quorundam, qui ecclesiastica dignitate præeminebant, abolita esse ipsa ætate Anselmi, qui post priutem suum è civitate Lugdunensi (ubi ab eo instituta fertur) reditum vix decem annos impleverit?

Non ergò Anselmi sed Bernardi ætas hæc tulit: Ea siquidem tempestate, videlicet circa an. 1140. Lugdunensis Ecclesia festivam recolere voluit Beatæ Virginis Conceptionem: Quod cùm sanctus Bernardus & plures alii minùs æquè ferrent, graves inde controversiæ motæ sunt, iis contendentibus, 1. Quòd nulla esset hanc Conceptionem specialiter recolendi ratio. 2. Quòd si ante Christi partum B. Virgo decessisset, originalis peccati sortem non evasisset, ut refert ipse author hujusce libri: his autem subindicari præ cæteris ac tedargui videtur Potho Prumiensis, qui anno 1152. in lib. 3. de statu Domûs Dei, sub finem ait, maximè absurdum videri, quod Festum Conceptionis sanctæ Mariæ fuerit de novo inductum, nec tamen se devotioni fidelium derogare, si hujus festivitatis rationem quærit. Ubi Potho sensum ac verba profert sancti Bernardi in epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses.

Advertendum quoque est, quòd in ea epistola sanctus Bernardus dicat, se jam antequam eam scriberet, hunc (verba ejus sunt) errorem apud aliquos comperisse; sed dissimulando pepercisse simplicium devotioni, quem iniquiori animo tulit in sapientibus viris, & in insigni Ecclesia. Ex quibus fit manifestum 1. hoc sancti Bernardi tempore, qui post Anselmum floruit, aliquos duntaxat simpliciores, de quibus in præfato Tractatu dictum est, Beatæ Mariæ Conceptionem fuisse veneratos. 2. Necdum publicè ac solemniter ab Ecclesiis recoli solitam. 3. Et proinde hanc festivitatem

ab Ecclesia Lugdunensi non ex Anselmi instituto, nec ejus ætate fuisse celebratam: cùm sanctus Bernardus illius Ecclesiæ Canonicos hujus celebritatis redargueret statim atque eam deprehendit: *Superstitione*, inquit, *deprehensa* &c. Eam autem non ignorâsset, si ab Anselmi temporibus esset instituta in ea Ecclesia, cujus ipse, ut ibi ait, specialiter erat filius. Cùm ergò hæc, quæ in eo Tractatu de festivitatis illius institutione, & abolitione scripta legimus, sancti Anselmi temporibus minimè congruant, Tractatus hic non ab Anselmo, sed ab alio recentiore compositus est.

Censura Epistolæ, sive Sermonis de Conceptione Beatæ Virginis.

Pater Raynaudus Sermonem hunc ex Ms. Monasterii sancti Ragueberti Jurensis edidit sic inscriptum: *Epistola S. Anselmi, de Conceptione B. Mariæ.*

Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Anglorum Pastor, Coëpiscopis suis & omnibus B. Mariæ Mysteria colentibus; salutem & perpetuam in Christo benedictionem.

Verùm fictitiam esse hanc epistolam suadent plurima. 1. Inscriptio hæc non est Anselmi; nusquam enim in Epistolis ipse se Anglorum Pastorem nuncupat, quo forte non levem sibi invidiam fecisset. 2. Sanctus Anselmus Coëpiscopos non fuisset allocutus his verbis, *Dilectissimi Fratres*, *Dilectio vestra*, absque ulla dignitatis ac paternæ Reverentiæ nota, quam in cæteris semper adhibuit. 3. Epistolæ non clauduntur his vocibus: *præstante Domino nostro Jesu Christo filio ejus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum, Amen.* 4. Nullus ex Historiæ Anglicanæ Scriptoribus refert à Guillelmo Conquæstore in Daniam missum Elsinum, qui utrùm classis, ut fama erat, in Angliam dirigenda pararetur, sagaciter exploraret. Immo tradunt omnes, Guillelmum, statim atque in Angliæ Regem sacratus est, in Normanniam transfretâsse, & aliquanto post Danorum potentissimam classem in Angliam irrupisse. Cum quibus profectò malè cohæret prima illius epistolæ sive sermonis narratio. Si enim Elsinus paratam classem renunciâsset Guillelmo, vel ipse ex Anglia non exiisset, vel saltem Dani eam eo imparato non invasissent. S. Elsinus Anglicè Aiegelsin, non fuit in Abbatem Rameslensem electus nisi an. 1080 ut habetur in Registro de Ramesey fol. 218. Fabula igitur est Cœnobii Ramesiensis Abbatem Elsinum à Guillelmo I. accersitum directúmque fuisse in Daniam, statim atque Angliam suæ ditioni subjecit, hoc est, anno 1066.

Elsinus hic in Ecclesia sancti Augustini aliquando resedisse dicitur in altera narratione. Et quidem Guillelmus Torne in Chronicis Abbatum sancti Augustini Cantuar. ad an. 1059. inter eos Abbates bene recenset Egelsinum; & de eo inter cætera scribit, quòd, ipso & Stigando Archiepiscopo Cantuariensi ducibus, populus Cantiorum anno 1066. Guillelmo occurrerunt; & quòd pacto inter eos fœdere Abbas iste in Daniam navigaverit, sed profugus, ut iram Guillelmi declinaret, non ut ejus Legatus aut explorator, ut fingit fabula: Denique quòd non solùm non fuerit ad Ecclesiam Ramesiensem promotus, sed quòd nusquam ex eo tempore comparuerit Egelsinus iste: adeò ut in ejus locum Rex alium suffecerit nomine Scotlandum, cujus instantia à Rege mandatum est, ea omnia bona Cœnobio sancti Augustini restitui, quæ Abbas iste Egelsinus, quem Rex ipse in suo rescripto vocat fugitivum, vel concesserat, vel abripi permiserat. Non ergò is Elsinus est, qui à Rege in Daniam missus est, & cui re cum Danis facta in Angliam redeunti facta sit præfata revelatio. Nec enim is fuit unquam Ramesiensis Cœnobii Pater, nec ad Danos transivit nisi profugus; unde nec uspiam reversus est.

Sed nec Abbas Ramesiensis ad id muneris à Rege deligi potuit: cùm Elsinus hic in Abbatem non nisi anno 1080. sit electus, & nusquam in Daniam transmigraverit, maximè ad exploranda Danorum consilia, qui paulò pòst in Angliam irrupere.

Quis ergò iste Elsinus, seu Egelsinus est, cui ex Dania redeunti tanta revelata sunt mysteria? Dixerim, hunc nec Ramesiensem nec Cantuariensem, sed ex utroque confictum, qui & in Daniam transfretaret, quò abiit Cantuariensis; & qui Ramesiense Cœnobium regeret, ne exul aut profugus etiamnum in Dania crederetur. Sic se ipsa concidit malè texta narratio.

Elsinus iste naufragio proximus adeò scrupulosè inquirit non solùm de die, sed & de festivitatis officio; ut arte

arte composita hæc narratio facilè credatur.

Adeò variè descripta est hæc epistola, ut mendacio in incerto fluctuanti, quàm veritati, quæ sibi constat, propior sit. In ea, quam edidit Pater Yepez in appendice tom. VII. Chron. Ord. S. Bened. edicitur, quòd sanctus Nicolaus sit infulatus hic, qui Elsino naufraganti succurrit: nec nisi una apparitio in ea narratur. In ea, quæ hic edita est, duæ aliæ eodem stylo adjectæ sunt narrationes. Illa tandem, quam ex MS. Gemmet. subjeci eo titulo: *Miraculum de Conceptione B. Mariæ*, partim rithmis, partim solutâ oratione composita est, & unicam duntaxat apparitionem enunciat. Denique revelationem hanc factam Abbati in naufragio constituto Durandus ipse Mimatensis Episcopus *l. 7. de Divin. Offic.* concludit, non esse authenticam, nec approbandam.

Non magis veri speciem habet, quod de quodam Diacono Hungariæ Regis germano narratur. Hunc volunt esse Fridericum quadragesimum tertium Aquileiensis Ecclesiæ Patriarcham, quem Caroli Calvi filium, & Monachum Fuldensem fingunt, deinde ab eo in Archiepiscopum assumpto institutam fuisse hanc festivitatem. Ughellus in tom. 5. Italiæ Sacræ, quæ Romæ edita est, hanc fabulam rejicit, & confutat ex eo, quòd iste Archiepiscopus inter Caroli filios non recenseatur in stemmate Carolingorum. Neque in epitaphio, quod ejus sepulchro incisum est, ulla de iis habeatur mentio: nec de eo Christophorus Browerus ullam mentionem habet in libro antiquitatum Fuldensium, ubi de præstantia, doctrina, & pietate illustrium Fuldensium Monachorum disertè agit. Denique nullus scitur Aquileiensis Patriarcha fuisse Regis Hungariæ germanus. Nec de festivitate recens inducta Bernardus, Potho, & alii circa annum 1140. causati fuissent, si in Italiæ sede Patriarchali ab anno 884. quo iste Aquileiensis Archiepiscopus electus est, vel paulò pòst, cum octavis fuisset celebrata.

Impœnitentiæ finali, quæ illud peccatum est, quod neque in futuro seculo remittetur, nimiùm favet tertia hujusce epistolæ narratio; & Scripturæ dicenti, quòd ubi arbor ceciderit, ibi manebit; Ecclesiæque profitenti, quod in inferno nulla est redemptio, nimis repugnat, ut fidem mereatur.

Hæc ratio, quòd ideò extolli debeat B. M. Conceptio, sicut & ejus Nativitas, quia nisi illa conciperetur, non nasceretur, à S. Bernardo refertur, ac refellitur: quod argumento est, fabulam hanc eâ ætate fuisse confictam.

Auctor in eos, qui hanc festivitatem celebrare abnuebant, tanquam in insanos & insensatos invehitur. Quod quàm ab Anselmi modestia ac mansuetudine alienum sit, novit, quisquis ejus scripta vel cursim evolvit.

Circa miraculum de Conceptione S. Mariæ, quod ex MS. Gemmet. C. 40. idem censeto, quod de epistola præcedente.

His autem in omnibus id unum egi, ut hasce tractationes non esse S. Anselmi demonstrarem, nihilque ad Conceptionis festivitatem, ac mysterium attigi, de quibus semper id sentiam, quod Ecclesiæ judicio stabit. Hæc *Gabriel Gerberonius*.

Contrà verò Theophilus Raynaudus S. J. Tom. XI. in Syntaxi pag. 76. ea duo Opuscula esse germana S. Anselmi ex opposito affirmat: qua de re Cardinalis de Aguirre audiri meretur. „Controversia, inquit, difficilis est, & in qua dirimenda plus temporis impendere necessarium sit, ac latiùs differere, quàm vel nostræ nunc occupationes ferant, vel Prolegomenorum brevitas patiatur. Itaque resolutionem ejus controversiæ reservamus ad Commentarium libri secundi *Cur Deus homo?* cap. 16. & 17. ubi ex professo disquirendum est, an vere Anselmus steterit pro pia sententia, vel illam aliquando suâ auctoritate probaverit.

„Obiter tamen pro sententia affirmante Raynaudi revocanda sunt in memoriam illa in solenni Officio S. Anselmi ad diem XXI. Aprilis, quæ suprà Prolegom. V. n. 73. exscripsimus: *Favit plurimùm festivitati Conceptionis Virginis Mariæ, paulò antè in Anglia ab Elpino Abbate divina revelatione admonito, celebrari cœptæ; de qua etiam egregium edidit Commentarium.* Quæ cùm in antiquis & recentibus (f) Ordinis Nostri Breviariis legantur, nequeunt non arguere longævam ea de re traditionem. Notandum, etiam multos ex Scholasticis, interpretantes Magistrum Sententiarum, tribus aut quatuor retrò seculis, atque in iis Duran-

(f) In Breviariis, quibus nos Germani Benedictini utimur Pauli V. P. M. jussu editis, nihil hujusmodi legitur.

„Durandum, qui scripsit anno circiter MCCCXX. jam senex, in librum pro sententia pia. Quem sibi objectum eo loco quæstione 1. num. 7. Durandus negare non audet, sed solùm ait postea num. 14. se non legisse id apud Anselmum, si posteà sensit aliud ab eo, quod docuerat loco indicato ex libro secundo, *Cur Deus homo.* Itaque temporibus illis vicinioribus ætati Anselmi existimabatur, Anselmum tandem aliquando piæ sententiæ suffragatum, & pro illa librum scripsisse. Sed & Joannes de Baccone, Anglus, Carmelitarum Prior Provincialis, Theologus & Philosophus excellens, qui scripsit inter alia, Commentarios in Magistrum Sententiarum proximè post Durandum, & obiit an. MCCCXLVI. in 4. dist. 2. quæst. 3. art. 3. & quæst. 4. art. 2. & Quodlib. 3. quæst. 13. testatur, librum Anselmi de Conceptione à se visum, & ejus studium de propagando festo & cultu Conceptionis Deiparæ latè exponit, ac propterea miracula, quæ ad celebrandũ id festum impulerunt, & revelationem Helsino Abbati factam, quem alii Elpinum, alii Herluinum Beccensis Monasterii Abbatem, & Fundatorem, atque adeò Anselmi quondam Prælatum nominant.

„Accedunt Mss. aliqua hodieque extantia libri *de Conceptione B. Mariæ Virginis* inter Anselmi Opuscula: ut in Mf. 271. Biblioth. Mertonensis in Anglia, & Mf. 22. Biblioth. Lincolniensis, Cantabrigæ in Collegio S. Benedicti Cod. 318. & in Mf. Cluniacensi, Corbeiensi, ipso Gerberone attestante, qui ex iis duobus id Opusculum exscripsit, & novissimè prælo dedit. Denique donec de mente Anselmi ea in re judicium feramus, lege Petrum de Alva in Sole Veritatis pag. 280. & sequentibus; Mayronem in 3. dist. 3. quæst. 2. art. 12. Salazar de Conceptione cap. 35. & 42. seculo undecimo, Bivarium in Anselmo vindicato, & Raynaudum in Diptychis Marianis part. 2. puncto 2. num. 29. præter alios plures, qui Anselmi sententiam exponunt.„ Hæc Cardinalis de Aguirre Prolegom. Comment. Theol. S. Anselmi §. IV. pag. 18. Quibus tamen Gerberonii Critica non satis infringitur.

EADMERI Monachi Cantuariensis ac discipuli S. Anselmi ejúsque in exilio Achatis fidissimi, Liber *de Excellentia Beatæ Virginis* inter Opera S. Anselmi relatus fuit: Gerberonius Eadmero restituit, cujus stylo conscriptus sit. *Liber de quatuor virtutibus MARIÆ* à Theophilo Raynaudo non minùs, atque præcedens Sancto Anselmo adjudicatur, Gerberonio tamen videtur Eadmeri esse, inter cujus Opera etiam excusus fuit.

S. ODILONIS Abbatis Cluniacensis *Sermonem de Nativitate S. Mariæ Virginis* Duchesnius vulgavit in Bibliothec. Cluniac. alios Sermones videsis in Bibl. Patrum Colon. Tom. x. & Lugdun. Tom. XVII.

VEN. GUIBERTI Abbatis Monasterii de Novigento Liber I. *De laude Beatæ Mariæ*: extat inter ejus Opera pag. 287. à Luca Dacherio typis vulgara, Parisiis 1651. ad calcem libri subjungitur rythmus ad B. V. ad S. Johannem Evangelistam.

ARNOLDI Abbatis Bonævallis *Sermo de laudibus B. Mariæ*, extat in Bibliothecis Patrum, Parisiensi, Coloniensi, Lugdunensi, Tom. XII. pag. 1280.

FULBERTI ex Monacho S. Petri in Valle Carnotensi Episcopi Carnotensis *Sermo de Assumptione B. Virg. Mariæ*, qui inter Sermones S. Augustini circumferri solet, & in ultima Benedictinorum editione n. CCVIII. reperitur. *Cave* in Hist. Lit. ad an. 1007. qui continuò sequentia subjungit: *Cæterùm Fulbertus B. Virginem immodico planè amore coluisse fertur, non solùm exstructa in honorem illius splendia ecclesia Carnotensi, Canuto Anglorum Rege sumptus in id suppeditante, sed Hymnis in laudem ejus cantandis compositis; primus etiam Nativitatis ejus festum in Galliis celebrasse dicitur.* Hoc Caveo, scriptori Acatholico in colenda Virgine Deipara nimium est visum, nobis autem Catholicis adhuc infra ejus merita videtur: *Omnes laudent, unde gaudent, Matrem Dei Virginem: nullus fingat, quòd attingat ejus celsitudinem.*

FRANCO Abbas Affligemiensis in Brabantia Sec. XII. scripsit *Sermones de Beata Virgine.* Vide Continuat. Chron. Affligem. in Spicileg. Acher. Tom. x. vet. edit. novæ Tom. II. pag. 776.

PETRUS ABÆLARDUS, monachus S. Dionysii propè Parisios, atque sub vitæ finem Cluniacensis scripsit *de Beata Virgine*, cujus lucubrationem juris publici cum cæteris ejus Operibus fecit Franciscus de Amboise.

NI-

NIGELLI WIRECKERI Monachi & Præcentoris Cantuariensis *Libri III. de Miraculis S. Mariæ Genitricis Dei*, ubi de S. Dunstano, de Juliano Apostata interfecto, de S. Ildephonso, & aliis, asservantur in Bibliotheca Cottoniana. Vid. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 1654.

NICOLAUS, natione Anglus, ad S. Albanum primùm Monachus, deinde Abbas Congr. Cluniac. ut habet Wion in adjunctis. Erat vir magnæ pietatis, ingenii copiosi, judicii perspicacis, multiplicis eruditionis, & qui apud suos plurimùm authoritate pollebat. Sic etenim ex Osberno refert Lelandus. Hic cum partim à viris doctis didicisset, partim propter pium in B. Virginem affectum, & in Christum Servatorem reverentiam crederet, Matrem Filii Dei sine originali peccato fuisse conceptam, nec convenire, ut aliter conciperetur: ad hanc in illa prærogativam probandam nonnunquam disceptationes habuit, & efficaces rationes, validáque argumenta ad hanc suam sententiam corroborandam indagavit. Super qua re tandem scripsit, & Hugoni ad S. Remigium Abbati dedicavit

De Conceptione B. Mariæ Virg. libros duos. Sæpe numero dulcissimæ fraternitati. Vid. Pitf. æt. 12. pag. 208.

EJUSDEM *Epistola* ad Petrum Abbatem S. Remigii, vulgò Cellensem, in qua pugnat pro immaculata B. Virginis Conceptione, edita est à Jacobo Sirmondo inter Petri Cellensis Epistolas lib. IX. Ep. IX.

EKKEBERTUS Abbas Schönaugiensis scripsit Sermonem Panegyricum ad B. Virginem. Extat Operum S. Bernardi edit. Mabill. vol. 2. tom. 5. pag. 700.

PETRI Abbatis Cellensis primùm, tum S. Remigii Remensis, ac denique Episcopi Carnotensis, Viri seculo XII. quàm docti tam pii Epistolæ ad *Nicolaum* S. Albani Monachum in Anglia; quem quòd sancti Bernardi memoriæ & glorioso nomini obtrectaret, per literas castigavit, & sancti Abbatis doctrinam, factúmque vindicavit. Qua de re legenda est ipsius Epistola XXIII. Libri VI. quæ incredibilem erga Virginem Parentem spirat amorem. *Sed fortè dices mihi*, inquit, *audésne qualiscunque Abbas occuldere puteos continuandæ semper devotionis, & profundiùs quotidie fodiendæ venerationis? Nonne eodem spiritu potantur moderni, quo & antiqui? . . . Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente Fidelium devotione, addita est præclaris Ecclesiæ solemnitatibus. Quare igitur non similiter & diem Conceptionis obtineat sedulitas Christianæ devotionis. Ad quod ego: Cataractas cœli & fontes abyssi libentiùs in obsequium Virginis solverem, quàm clauderem. Et si Filius ejus JESUS aliquid omisisset in prærogativa exaltationis suæ Matris, ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, saltem affectû supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram. Antè eligerem non habere animam, quàm velle ejus extenuare gloriam.* Hæc Petrus. Quis verò inde non intelligit, ejus animum ardentissimo erga Virginem Parentem amoris incendio conflagrâsse? Etsi cum *Nicolao* in dispari de festo Conceptionis sententia fuerit, non impari tamen erga illam venerationis studio fuit.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis Cantica Canticorum de B. Virgine explicuit, ita ad ejus honorem universa referens, ut ejus intuitu specialiter conscripta videantur.

GALFREDUS WATERTONUS, aliis Bedericus vel Buriensis dictus, erat enim in Cœnobio Buriensi, id est, ad S. Edmundum in Suffulcia Monachus Anglus. Postquàm sacræ Theologiæ doctoralem gradum suscepit, confestim ad scribendum animum adjecit, in quo negotio felices habuit progressus, tum propter styli puritatem & facilitatem, tum etiam propter continuam, quam à longo jam tempore exercuerat in sacris Literis meditationem. Scripsit

In Salutationem Angelicam, Lib. un. In mense autem sexto missus.

Mariale, Lib. un. Vid. Pitf. æt. 14. pag. 474.

EDMUNDUS STOURTONUS vel *Stouttonus*, Vir non solùm apud suos, sed etiam apud posteros pietate & eruditione memorabilis composuit

De Laude B. Mariæ Virginis librum unum. MS. Oxonii in pub. Bibl. Pitf. in Append. Centur. 1. pag. 835.

VEN. ENGELBERTI Abbatis Admontensis *Tractatus de Gratiis & Virtutibus B. V. Mariæ.* Edidit Bern. Pezius Tom. I. Thes. Anecd. col. 503. ex codd. mss. Admontensi coævo, Scotensi, & Gemnicensi, qui circa 1470. exaratus videtur. Excusat Editor Engelbertum, honoribus B. Vir-

ginis addictissimum, quòd piam sententiam de immaculata ejus Conceptione haud secutus fuerit, cùm hæc, quo tempore scripsit, tantum nondum obtinuerit. Sic veniam etiam dandam putat Engelberto, quòd *Epistolas Ignatii ad Joannem Evangelistam & ad B. Virginem, bujúsque ad illum* mera hominis piè nugantis figmenta esse non adverterit, cùm ejus ævo nulla Critica fuerit.

CONRADUS DE RONDENBERG, aliàs Bartscerier ex Priore S. Martini Coloniæ Abbas S. Joannis in Rhingavia (de quo consule Trithemium cap. 860. de S. E. & illustrium Benedictin. II. 142.) obiit anno 1486. VIII. kal. Januarias. Is cùm esset B. V. cultor præcipuus, edidit Tractatulum *de vinea Domini Sabaoth* in laudem B. M. cujus initium: *Dum starem quodam die otiosus in foro.* continet Capitula XXXII. asservatur in Bibliotheca S. Jacobi Moguntiæ. Ad calcem opusculi hæc subjecta sunt verba: *Explicit Tractatulus de vinea Domini Sabaoth* compilatus à Ven. P. Domino Conrado Barscerier, olim Abbate Monasterii S. Joannis in Rhingavia, aliàs de Rondenberg. *Cl. Oliver. Legipont in liter.*

HILARIONIS LANTERII, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. Opuscula Parthenica 1.) *De Conceptione Gloriosæ V. Mariæ.* 2.) *De Visitatione gloriosæ Virginis Mariæ* cum nonnullis ejusdem Virginis miraculis. 3.) *De solemnitate B. M. ad Nives*, & de quodam ejusdem admirando miraculo: nec non *de Corona ejus aurea stellarum duodecim* eidem Virgini ab omnibus quotidie persolvenda. 4.) *De Floribus excerptis* ex opusculis S. Bernardi Abbatis in laudem gloriosæ V. M. collectis in unum opusc. Hæc quatuor opuscula simul publicam in lucem prodierunt Mediolani per Jac. de Ripa anno 1494. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 224.

ISIDORI CLARII Episcopi Fulginatis super *Missus est*, & super *Canticum Magnificat* Orationes variæ de Beata Virgine, verborum elegantia & sententiarum gravitate undique refertæ. Venetiis apud Franciscum Franciscium an. 1565.

CORNELII COLUMBANI URANCX Abbatis ad S. Petrum in Blandinio *Colloquia de variis miraculis B. Mariæ, déque vita & laudibus ejusdem.* Gandavi an. 1602.

CAROLUS FERNANDUS, Belga, Brugensis, inter cœcos eruditos percelebris ex sacrarum Literarum Professore & Doctore in Academia Parisiensi anno 1486. Monachus apud Cenomanenses, rebus humanis exemptus an. 1496. edidit pro Immaculata Conceptione B. Virginis libros duos adversùs Vincentium de Castro novo Ord. Prædicatorum, qui Parisiis apud Ascensium Badium an. 1512. typis exscripti fuerunt.

TITUS PROSPER MARTINENGUS è Congr. Cas. seculo XVI. alter Pindarus, altérque Homerus in Italia passim audiebat. Ligato sermone de B. V. MARIÆ laudibus elegantissimè scripsit. Ejus Opus est *Theotocodia*, sive *Parthenodia*, id est, quinque millia Latinorum Carminum in laudem Deiparæ Mariæ Augustissimæ, atque Generosissimæ Virginis. Romæ. an. 1583. apud Franciscum Zannetum, & iterùm apud eundem an. 1598. in 4. tom. 1. Opus eximium, tot hymnos complectens, quot annis ipsa Divina Parens, sidereáque Virgo in hoc seculo vixisse perhibetur; quilibet autem hymnus habet pro argumento nomen aliquod mysticum ipsi B. Virgini in Scripturis sanctis attributum, déque eo in toto hymno agitur pulcherrimè ac piissimè. Incipit, *Hæc Dei præclara Mater Christianos sospitat.* „ desinit, „ *quod mihi si tempus hujus, Alma, vitæ prologes (nam potes Gnato adnuente) multa adhuc præconia concinam tibi, nec unquam Te sonare desinam.* Carmina omnia sunt Trochaica, Tetrametra, Catalectica. Vid. Armell. part. 2. pag. 158. Card. Quirinus Brixianæ Literaturæ part. 2.

QUIRINUS II. Abbas Tegernseensis Typis edidit Ingolstadiensibus *Rosetum* seu *Conciones* de *Laudibus B. Virginis* anno 1585. quo quinquagesimum suæ sacræ professionis annum celebrabat, dedicatum Serenissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo Coloniensi. Vid. Monum. Tegernf. apud Pezium Thes. Anecdot. Tom. III.

GERARDI BELGÆ [incompertum mihi quô seculo, quáve ætate vixerit] *Mancipatus Deiparæ.* Patavii typis Pauli Frambotti an. 1649. & Venetiis eodem anno, ex Typographia Leniana, quem tamen libellum advexit Venetias Gabriel Bucelinus Weingartensis Monachus, qui illum additionibus aliquot piissimis auctum Mauro Marchesio è Congr. Casin. Decano imprimendum dedit, ut ipse Mar-

Marchesius testatur in pereleganti epistola nuncupatoria ad *Paulum Quagliam* Generalem in Romana Curia Congr. Casin. Procuratorem. Armell. l. c. par. 2. pag. 102. Prodiit etiam Ingolstadii cum Cultû Mariano Patris Schaumberger. Frisingæ 1721. & Ingolstadii 1725.

ANTONIUS DE ALVARADO Pinciæ in Hispania adgregavit se sacro Ordini, concionúmque habendarum exercuit ministerium; Yraciense quoque in Navarris cœnobium rexit. Posteros cogitavit inter alia scribens *Ramillete de flores y excellentias de Nuestra Sennora, y quia de los esclavos de su penoso destiero.* Id est, *Fasciculus florum & excellentiarum Dominæ Nostræ, & Ducis mancipiorum anxiè errantium.* Pampelonæ apud Nicol. Assiayn 1617. in 8. Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

BENEDICTUS DE LA SERNA Hispalensis Monachus apud Salmanticenses theatrum sui fortitus religiosam Vincentini Cœnobii, hoc est, totius Congregationis Hispanæ juventutem, quæ jura inde sacra petere solet, quàm plures annos exercuit, subegítque doctrina utili Professor Theologus: quo etiam loco inter conscriptos hujus studii Patres pileo Academico condecorari meruit; scripsit pro *Immaculata Conceptione.* Nic. Ant. l. c. pag. 166.

FRANCISCUS CRESPO Monasterii Montis Serrati aliquando Abbas & suæ Congregationis Visitator Generalis, Salmanticæ item Professor Theologus, edidit *Tribunal Thomisticum* de Immaculato Deiparæ Conceptu. Barcinonæ 1657. in 4. Nic. Ant. loc. cit.

JOSEPHUS DE LA CERDA, patriâ, ut credit Nicolaus Antonius, Madritensis; certè ibi ad S. Martinum professus fuit regulare Benedictinorum institutum, ut in eximium Sacri Ordinis decus & incrementum postea evaderet. Salmantinam in Scholam delatus brevì, ad interpretandum ex propria cathedra Doctorem Angelicum sibi viam aperuit, deinde & ad primariam Theologici hujus Ordinis. Quo docendi munere ingenti cum sui nominis laude defunctus, ad Ecclesiæ Almeriensis infulas vocari promeruit XVI. die Novembris 1637. & post triennium, scilicet XVII. Decembris 1640. ad Pacensem transferri. Sacræ Theologiæ fuit Magister Salmantinus, doctrina multa & varia, ingenióque perspicacissimo, quod in Scholæ Academicis & in Ecclesiæ sacris exercitationibus palam se se ostendebat; paratáque adeò & facili eloquentia in commentariis pangendis, ut vix quidquam, quod è calamo in chartam fluxisset, deletum pluribus paginis deprehenderes, de quo testibus oculatis, atque his non lubricæ fidei credendum est. Obiit ante XII. Junii 1645. quo nempe successorem habuit magnum virum Salmanticæ olim collegam Angelum Manricum Cisterciensem. Ex ejus operibus huc spectant

De Maria, & Verbo Incarnato. Almeriæ 1640. in fol.

Maria Effigies, revelatióque Trinitatis, & attributorum Dei; nisi idem sit cum jam laudato de Maria commentario, subdubitat Nic. Ant. l. c. pag. 616. Prodiit verò etiam in Gallia Lugduni in fol. an. 1662. quæ fuit secunda editio.

JOHANNES ANDREAS RICCI DE GUEVARA insignis cœnobii Monserratensis monachus, ab eo post Cathalanorum perduellionem, quòd Castellanus esset, expulsus, Romam contendit an. 16.. unde ad commune Benedictinorum asylum Monasterium Cassinense confugit, ubi quamquàm jam senex nocturnis diurnisque canonicis horis indefessus aderat. Devotissimus Beatissimæ Virgini erat, atque quotidie unico duntaxat ex herbis jusculo utebatur, super carnibus non indusium laneum, ut Cassinensibus moris est, sed thoracem ex crassiori lana adhibebat. Cùm vestitus, apertísque fenestris semper dormiret, aliquando nives pluviæque cubiculum ita implebant, ut cùm eum monachus probæ vitæ summo mane, initio Januarii, ad Sacramentum pœnitentiæ recipiendum adiisset, quæreretque, quonam tandem in loco sibi genuflectendum esset in cubiculo nive repleto, responderit: supra nivem meminisset, quot per ea tempora ærumnas, algorésque perpessus esset Christus. Id quod statim pœnitens exequutus est. Summo semper mane quotidie Missam celebrabat. Humilitatis ac patientiæ studiosissimus, quarum virtutum non raró insignia specimina exhibuit; verbô omnium virtutum Christianarum idea aliis monachis erat. Postquàm apud Cassinenses annis ... est diversatus, anno 1681. annos natus octuaginta & unum, humana absolvit. Adhuc ado-

adolescens librum *de Immaculata Deiparæ Conceptione* Paulo V. dedicavit, ut ipsemet in epistola nuncupatoria ad Alexandrum VII. testatur in libro an. 1663. edito, inscriptóque *Epitome Architecturæ de ordine Salomonico integro* hisce verbis: *Cùm essem Sanctissime Pater parvulus, librum de Beatæ Mariæ immaculata Conceptione scripsi, quem beatissimo Pontifici Paulo V. remisi* &c. Concionator Generalis in Congregatione sua fuerat, atque in lectione sacræ Scripturæ, sacráque Theologia non mediocriter versatus, Architectonicæ quoque artis, & picturæ peritus, cujus monumentum apud Cassinenses erat sacellum vetus, in quo SS.^{mæ} Eucharistiæ Sacramentum servabatur, quod ipse picturis exornaverat. *Gattola Hist. Casin. Sæc. XII. §. IV. pag. 760.*

FABIANI COLUMBI, Siculi Panormitani, è Congr. Casin. *Li Favoriti della Virgine Matre Nostra Signora nell' Ordine Benedittino. Parte prima.* id est, *Virgineæ Matris, Dominæ Nostræ Clientes ex Ordine Benedictino.* Pars I. Panormi apud Bua & Camagna an. 1668. & iterum Mutinæ. In quo admirabiles gratias, ac præclara beneficia ex Benedictina Familia sibi devotis, à B.^{ma} Virgine impertita piè ac eruditè recenset. Secundam tamen partem non perfecit. Armellin. Bibl. Casin. part. 1. pag. 163.

GABRIELIS BUCELINI Weingartensis in Suevia Ascetæ *Chronologia Benedictino-Mariana Benedictini Ordinis irremissum seculis duodecim tantæ Virginis & Matris colendæ studium nostræ ac secuturis ætatibus repræsentans.* 4. Typis Ducalis Monasterii Campidonensis per Rudolphum Dreher an. 1671. Authorem fuisse virum vastæ lectionis & eruditionis nemo inficias iverit, qui ejusdem libros, quorum bene multos publicam in lucem emisit, vel per transennam evolverit. In præsenti Opere S. P. Benedicto eam asserit prærogativam, quòd SS.^{mi} Rosarii institutor sit, ejúsque devotionem suorum discipulorum opera & prædicatione per Catholicum Orbem strenuè propagaverit. Pia somnia, quæ Mabillonio, Annalium Benedictinorum parenti minimè persuasit, qui sacri Rosarii exordia, vel salutationis potiùs Angelicæ primam recitationem ad seculum potissimùm undecimum refert. Cujus sententiam laudat & amplectitur R. P. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveson sacræ Patrum Prædicatorum Familiæ alumnus, & celeberrimus Doctor in præclaro Tractatu suo de Vita Christi Part. I. pag. 34. ubi ostendit, Salutationem Angelicam à Fidelibus recitari ad recolendum Incarnationis Divini Verbi mysterium; non fuisse tamen in usu ante seculum undecimum: primam tantùm ejus partem, quæ Angeli est, & quæ incipit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum,* tunc cœpisse recitari; secundam verò partem, cujus initium *Sancta Maria Mater Dei,* instar appendicis, post seculum decimum quintum accessisse. Quæ utique certiora sunt, quàm jactata *B. Alani à Rupe* revelatio, quâ unica Bucelinus nixus tantam de prædicatione sacri Rosarii à primis S. P. Benedicti discipulis facta condit historiam. Ut nihil dicam, addubitare viros eruditos, an unquam quispiam *Alanus à Rupe* in rerum extiterit natura. Vide Hagiographos Antverpienses mense Augusto.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Parthenium Decus MARIA, illustratum ejus SS. Nomen variè, Allegoriis, Figuris, Interpretationibus, ac ejusmodi argumenti historiis, lectionibus,* cum figuris æneis. Aug. Vindel. in 8. an. 1619.

-- EJUSDEM *Salutationes* ad B. V. MARIAM cum fig. Augustæ in 8. an. 1609. Germanicè.

-- EJUSDEM *Elucidatio Litaniæ Lauretanæ,* in qua præcipua mysteria & encomia B. V. per modum orationum & meditationum continentur. Monachii in 8. an. 1637.

JOANNIS JOACHIMI à BEROLDINGEN, Decani Einsidlensis, *Hortulus Rosarum,* i. e. Libellus Archi-Confraternitatis SS. Rosarii B. V. Mariæ. Germanicè. Constantiæ ad Lacum Acron. an. 1602. in 12.

ZACHARIAS WIZENBERGER, Neresheimensis in Suevia Monasterii Professus, in Monasterio autem Seittenstettensi inferioris Austriæ per 16. annos Prior, linguæ Hebraicæ apprimè erat gnarus; quo idiomate etiam plura conscripsit, atque anno 1638. *Psalterium Marianum* in lucem emisit. Obiit Nereshemii an. 1652. Vid. Hist. Univers. Salisburg. pag. 445.

ANTONII DE YEPES, Hispani, è Congreg. Vallisoletana *Catalogus Authorum, qui pro Imaculata Conceptione scripserunt.* Hunc Catalogum Yepesio attribuit *Petrus Alva in Militia Con-*

ceptio-

ceptionis; cujus quanta sit hae in re auctoritas, eruditi non nesciunt. Ego Catalogum Yepesii, si quem tamen scripsit, non vidi; locupletem fuisse non crediderim. Qui enim ex Doctoribus & Patribus antiquis Ord. S. B. usque ad XII. Seculum scripserunt, in contraria fuerunt sententia. Et nominatim S. Gregorius M. Papa an. 598. Lib. XI. cap. ult. in fine explicans verba Job: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* S. Ildephonsus Archiep. Toletanus an. 660. *Libro de Virginitate Tom. XII. pag. 566. Bibl. PP.* Beda Venerabilis circa an. Chr. 730. *In expositione Epistolæ ad Rom. c. 8. & pluribus aliis locis.* Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Abbas an. 790. *Libro I. adversùs Elipandum apud Canis. Part. I. Tom. II. Lect. Antiq.* Haymo Episcopus Halberstadiensis an. 845. *Commentar. in Cap. V. Epistol. ad Romanos, qui ab aliis Remigio nostro Autissiodorensi tribuitur.* Rabanus Maurus Archiep. Moguntinus an. 890. *In Tractatu adversùs Judæos apud Martene & Durand Tom. V. Thes. Nov. Anecdot.* Remigius Autissiodorensis Monachus anno 890. *Enarratione in Psalm. L. Tom. XVI. Bibl. PP.* S. Petrus Damiani an. 1050. *In Opusculo, sive Libro, qui appellatur Gratissimus de Simoniacis Cap. 19.* S. Anselmus, Archiep. Cantuar. an. 1100. *Libro II. Operis, cui titulus:* CUR DEUS HOMO *Cap. XVI.* Gilbertus Crispinus, Abbas Westmonaster. an. 1106. *Dialogo inter Christianum & Judæum Bibl. PP. Tomo XX.* Rupertus Abbas Tuitiensis an. 1120. *Lib. I. Commentar. in Cantica ad Virginem.* Quorum omnium testimonia profert V. C. Lud. Ant. Muratorius in insigni libro *de Superstitione vitanda* cap. 24. pag. 191. seq.

LAURENTIUS A DRIPT, Gladbacensis SS. Theologiæ Lector, Reverendiss. & Celsiss. Principis Paderbornensis in Ecclesiasticis Consiliarius, & in Spiritualibus Commissarius Generalis ad examen vocavit Libellum à Sac. Congregatione proscriptum, cui titulus: *Monita Salutaria B. V. ad suos Cultores indiscretos*, quorum nomine juxtà libelli anno 1673. vulgati authorem, *Adamum Widefeldt*, JCtum Coloniensem, intelligendi veniunt, qui

1.) Vocant Beatissimam Virginem refugium peccatorum impœnitentium.

2.) Quasvis historiunculas de B. V. revelationibus, apparitionibus, beneficiis vel privilegiis recipiunt.

3.) Ob aliquem cultum, quem B.mæ Virgini adhibent, putant se prædestinatos esse.

4.) Confidunt, B.mam Virginem cultores suos ex inferno ad pœnitentiam revocare, & propter aliquas aridas devotiunculas in judicio defendere.

5.) Credunt, peccatori impœnitenti concessum privilegium, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis Virginem Matrem colit.

6.) Beatissimam Virginem diligunt & laudant, & Deo non tribuunt omnia, cùm illi soli debeatur omnis laus & gloria.

7.) Cor dividunt, & B. Virginem præter & non propter Deum amant.

8.) Virginem colunt, ac si non daretur aditus ad Deum per Christum sine ipsa.

9.) B. Virginem colunt ut Deam subalternam.

10.) B. Virginem vocant mediatricem vel advocatam, eo sensu, quo Filius Dei hisce titulis insignitur.

11.) B. Virgini quidpiam tribuunt, quod soli Deo debetur.

12.) B. Virginem vocant Omnipotentem.

13.) Salvatricem, aut Corredemptricem, aut

14.) Asserunt, Deum excellentiorem creaturam illâ facere non potuisse.

15.) Dicunt, à tribunali divino ad B. V. appellari posse, & B. Virginem cum Filio divisum habere imperium.

16.) Dicunt, Ecclesiam B. Virginem colere instar Dei.

17.) B. Virginem in parallelo ponunt cum Christo.

18.) Asserunt, Christum esse Judicem severum, & B. Virginem Matrem misericordiæ.

19.) B. Virginem teneriùs aut sensibiliùs amant, quàm Deum.

20.) Plus fiduciæ in illa collocant, quàm in Deo.

21.) Plus temporis & precum illi, quàm Deo impendunt.

22.) Dicunt se mancipia B. Virginis.

23.) Statuas B. Virginis monilibus & pretiosis vestibus ornant, & pauperes egere, & fame & frigore perire permittunt.

24.) Ponunt fiduciam in statuis, imaginibus, & diligunt creaturam irrationalem.

25.) Dicunt, B. Virginem, aliam esse in Monte Serrato, aliam in Monte acuto, fuscam, aut nigram.

26.) De B. Virginis dotibus inter se contendunt &c.

En Synopsin, ex qua juxtà mentem *Monitoris* discreti & indiscreti B. Matris cultores dignosci, & ab invicem discerni possint: an verò in rei veritate tales sint indiscreti Cultores, *Laurentius à Dript*, ceu Antagonista, critico examine disquirit, quod modestissimo zelo, solida SS. Patrum antiquorum doctrina, & singulari erga B. V. pietate elaboravit. Vindiciis suis titulum dedit:

Statera & Examen Libelli à S. Congregatione proscripti, cui titulus: Monita Salutaria B. Virginis ad suos Cultores indiscretos, eximia Magnæ Matris *Encomia continens*. Neuhusii typis Joannis Todt an. 1677. in 12. quæ fuit altera editio.

PAULI MEZGER, Theologi Salisburgensis magnæ & solidæ doctrinæ *Allocutiones de mediis pietatis Marianæ*. Salisburgi an. 1677. in 8.

PETRI ANTONII TORNAMIRA, Siculi, Panormitani, è Congr. Casinensi *Gli Scrittori Mariani dell' Ord. di S. Benedetto*, i. e. *Scriptores Mariani ex Ordine S. Benedicti*, seu *Benedictini Doctores & Cancellarii Virginis Mariæ*. Panormi apud Petrum de Insula an. 1679. in 4.

VEN. MARIÆ DE BLEMUR, Benedictinæ Monialis in Gallia, è Congreg. perpetuæ adorationis SS. Sacramenti *Les grandeurs de la Meré de Dieu, ou la triple couronne de la Ste Vierge*. i. e. *Excellentiæ Matris Dei*, seu *triplex Corona SS.mæ Virginis*. Lugduni 1681.

JOANNES MABILLONIUS, præfatione in Seculum V. Actorum Sanctorum O. S. B. de tribus agit devotionis erga B. Virginem capitibus, quæ seculo potissimùm decimo exordium ceperunt, viz. Sabbathum, ejus memoria, abstinentia à carnibus, etiam extra jejunia. Officium parvum, quod Cursum B. V. appellant, & numeratæ preces, seu salutationes Angelicæ ad numerum dictæ, quas Coronam, vel Rosarium vocant.

COELESTINI SFONDRATI, Abbatis & Principis San-Gallensis S. R. E. Cardinalis *Innocentia Vindicata*, in qua argumentis è S. Thoma petitis ostenditur, Angelicum Doctorem pro immaculato Conceptu Deiparæ sensisse & scripsisse [Typis Monasterii S. Galli an. 1695. in fol.] quum præteritis seculis semper Theologi crediderint, & adhuc meliores credant, ipsum apertissimè in contraria sententia fuisse. Vid. Ant. Lamprid. i. e. Lud. Ant. Murator. De Superstitione vitanda cap. 12. pag. 84.

LUDOVICI BABENSTUBER, Ettalensis in Bavaria Cœnobitæ, *Sacræ Deliciæ Marianæ*, sive Allocutiones historicæ de B. V. M. ejúsque Cultoribus ad Sodales Parthenios. Salisburgi in 12. an. 1701. typis Jo. Bapt. Mayer.

-- EJUSDEM *Quæstiones de Matre Dei* in 4. Salisburgi.

JOSEPHI ZOLLER, Prioris in celebri Monasterio ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum

ConCept Vs ChronographICVs De ConCepta saCra DeIpara, septingentis Sacræ Scripturæ, SS. Patrum ac Rationum, nec non Historiarum, Symbolorum, Antiquitatum, & Anagramatum suffragiis roboratus, ac totum præfixis Chronographicis annum prodentibus copiose instructus, occasione seculi hoc eodem anno septimâ vice absoluti & celebrati à Patribus Benedictinis Liberi ac Imperialis Monasterii ad SS. Udalricum & Afram, Augustæ Vindelicorum combinatus per prædictum Josephum Zoller dicti monasterii Professum, ejusdémque Parochiæ p. t. Curatorem. Aug. Vind. typis Jo. Mich. Labhart an. 1712. Author in Chronographicis mirificè excellit.

COELESTINI MAYER, Abbatis ad SS. Udalricum & Afram Aug. Vind. tunc temporis verò SS. Theologiæ adhuc Professoris, ac Præsidis Congr. B. V. M. in Universitate Salisburgensi *Hyperdulia Mariana*, seu *Festa Deiparentis* cultu Symbolico, Philosophico, Historico, Morali celebrata. Salisburgi typis Mayerianis. in fol. an. 1713.

FELICIS EGGER è Domo S. Petri Constantiæ ad Rhenum *Pietas Benedictina erga B. Virginem Mariam, exhibens triumphum Imaculatæ ex Principiis Philosophicis adornatum*. Extat in Idea Ord. Hier. Ben. lib. III. pag. 297. separatim prodiit Campidonæ anno 1698.

-- EJUSDEM *Scriptores Benedictini de Maria Deiparente Virgine* ex Bibliotheca Mariana R. P. Hippolyti Maraccii. Extat l. c. pag. 475.-537.

BONIFACII GALLNER, Mellicensis Asceta, Laudes B. V. MARIÆ centum symbolis adumbratæ, aliísque elogiis & versibus illustratæ. MS.tum in fol. asservatur in Bibl. Mellic.

IGNA-

IGNATII BRENTANI CIMAROLLI, Banthensis in Francia Orientali Ascetæ

Historicus & Encomiastes Marianus, referens miranda, ope Deiparæ circa mortales patrata, unà cum ejusdem elogiis. in 4. Viennæ anno 1729.

ALPHONSI WENZEL è Congreg. Bavaricâ eximii Theologi

Beata V. MARIA Quæstionibus Theologicis illustrata. Ratisbonæ anno 1702. in 8.

PLACIDUS ANGERMAYR, Asceta Wessofontani in Bavaria Monasterii, in quo hodie insigniter floret Confraternitas ea, quæ sub titulo Immaculatæ Conceptionis anno labentis seculi undecimo, non sine illustri pompa, & miro omnis ætatis, & omnis sexûs, omnisque Ordinis concursu erecta fuit. Hujus Confraternitatis Præses cùm esset P. *Angermayr*, librum patrio sermone ad Confratres scripsit, typisq; in 4. vulgavit, quem legi multis ante annis, titulo libri, & loco editionis memoriæ non ampliùs hærente.

Alium libellum idem Author scripsit, sed in forma 12. impressum, quo Leges & Statuta continentur. Qui pariter mihi lectus fuit, sed annum & locum editionis oblivio è memoria delevit.

VIRGILII SEDELMAYR, Wessofontani, *Nobilitas B. V. Mariæ.* Monachii an. 1731.

1.) MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Mancipatus Illibatæ Virginis Deiparæ*, in 12. Constantiæ an. 1726. apud Leonhardum Parcus. Insertus etiam est Operi sequenti.

2.) *Novissima de Negotio Seculorum.* Hoc est: *Opus Parthenicum recentis ac novi argumenti de SS.mo Mysterio Imaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ; in quo præcipuè agitur de Cultu & Veneratione, quâ Eadem Virgo Deipara ut sine labe Concepta, à Sacerdotio & Imperio, Summis Pontificibus, Romanis Imperatoribus, Regibus Catholicis, ex Augustissima Domo Austriaca, S. R. E. Cardinalibus, aliisque Viris Principibus cùm Ecclesiasticis, tum Secularibus, Regnis, Provinciis, ac Rebuspublicis, Equestribus ac Religiosis Ordinibus, Academiis & Universitatibus, Piis Sodalitiis, Civitatibus & Communitatibus, totâque demùm Orthodoxa Ecclesia elapsis temporibus, & culta fuit, & à nobis imposterùm colenda est. in fol. Rezii in Austria apud Christoph. Joseph. Huetb. an.* 1737.

In hoc Opere Author devotioni magis erga Virginem sine labe Conceptam promovendæ consuluit, quàm nonnullas Revelationes, doctrinas, sententias, testimonia, & historias quasdam ad Criticæ Regulas exegit. Revelationibus, quæ Ven. Mariæ de Agreda esse feruntur, magnum statuit pretium; quas verò V. C. Eusebius Amort Can. Regul. Lateran. edito in lucem libro, elevat, deprimit, & refellit; quo labore ex Eminent. Card. Quirini sententia supersedere potuisset; cùm pro comperto habeatur, hasce Revelationum commenta & figmenta à dicta M. de Agreda profecta non esse. Secundò Author inter avita Benedictinæ Familiæ decora præprimis referendum dicit, quòd prima Revelatio de Festivitate Conceptionis MARIÆ peragenda *Helsino* Præsuli Benedictino facta noscatur: at hanc Revelationem in censu fabularum habendam esse demonstrat Auctor novissimæ, & laudatissimæ Editionis Operum S. Anselmi. Tertiò dicit Author, S. Anselmum Cantuar. Archiepiscopum, non in Anglia modò, sed in Gallia etiam, præsertim Lugduni insignem Cultûs Illibatæ Conceptionis promotorem extitisse; cùm ipse tamen non in pia, sed contraria ei sententia fuerit, ut ex Libro II. Operis, cui titulum dedit: *Cur Deus homo* Cap. XVI. perspicuè dignoscitur. Quartò laudavit sententiam, quæ docet, B Virginem non habuisse debitum proximum incurrendi peccatum originale; quæ tamen sententia concordi Sanctorum Patrum Traditioni, & doctrinæ communi Theologorum adversatur. Quintò pariter laudavit Venerab. Bernardum Colnagum è Soc. Jesu, ceu strenuum Cultûs Immac. Conceptionis promotorem, eo maximè nomine, quòd pro sacro suggestu auditoribus suis stimulos addiderit, ut *purissimum ab omni macula Conceptum Virginis suo etiam sanguine defensuros votum signarent.* Nobile, subjecit Author [quin *Votum* hoc *Sanguineum* ad examen priùs veræ & solidæ Theologiæ vocâsset] incensi amoris obsequium, neque tam laudibus, quàm imitatione celebrandum. Tum pag. 222. protulit formulam nuncupandi *Voti Sanguinarii*; postquam in exemplum adducit Henricum Spondanum, Apamiensem Antistitem, cujus verba in Continuat. Annal. Eccl. ad an. 1350. n. 24. sunt hæc ipsa; *Nos sanè pro assertione Imma-*

maculatæ Conceptionis Virginis, *ejúsque propugnatione parati essemus toties vitam profundere*, *quoties contingeret*, *eam in dubium revocari* : *ídque toto animo sentimus ac profitemur.* Sed neque Colnago , neque Spondano pollicem premit V. C. *Ludovicus Antonius Muratorius*, Mutinensis Ecclesiæ Archipresbyter in laudatissimo libro *De Ingeniorum Moderatione in Religionis negotio* , cujus verba adscribere me non pigeat :

„ Satis , inquit , quibusdam non „ fuit , calamo & rationibus immaculatam Deiparæ Conceptionem tueri : quod procul dubio cum vera pietate consonat. Nescio, quid etiam illustrius invenisse sibi visi sunt, quo suum in Virginem testarentur obsequium. Sacramento videlicet sese obstrinxerunt, atque voverunt, se pro hujusmodi opinione tuenda sanguinem & vitam daturos , quoties occasio posceret. Novitium certè Martyrum genus , quod nusquam Majores nostri somniàrunt , nunquam posteri nostri , si quidpiam sapiunt, probent. Neque Evangelium , neque ratio recta nos docent , adeò levibus de causis animam prodigere. Non pro opinionibus nostris, sed pro divinitùs revelatis, legibúsque sanctissimis, profundendus est sanguis. Hominum enim opiniones tam falsum quàm verum complecti possunt, & hominis parùm prudentis est pro incerta opinione (quæ falsa esse potest, & certè necessariò desendenda non est) ultrò jugulum offerre carnifici. At mihi certissima est hujusmodi opinio, aliquis dicet. Cui ? Homini nempe, creaturæ fallacissimæ. Num, rogo , certum est aliquid , quia id sibi certum videtur ? Revelavit Deus , quæ sine erroris suspicione credenda sunt vera. Ecclesiam habemus fidissimam horum dogmatum testem; atque hæc nobis , dum vita suppetit, confessione & sanguine sunt asserenda , atque inde sperandum est æternum in cœlis præmium. Verùm quanquam summè pia sit persuasio illa , quâ beatissimam Christi Parentem sine labe conceptam putas , nihil aliud tamen est, quàm opinio humana , errori obnoxia, dum Romana Sedes atque Ecclesia ejusmodi sententiam antiquâ Traditione , & Revelatione niti non statuant. Cur tu sanguine, quem sine legitima causa fundere nefas est , testari tanquam certissimam vis opinionem , quam Ecclesia ipsa tot licèt piorum quorundam precibus fatigata , certam decernere nondum sustinuit, & propè est, ut dicam, decerni non posse silentio suo quodammodò significavit? Quis te certum facit de cœlesti regno, ad mortem non sine aliquâ temeritate ruentem ?

„ At enim , subjicis , quamquàm subesse error huic opinioni, & falli intellectus possit , nunquam tamen hìc errare affectus dicatur. Incerta sit, ut lubet, opinio, certus tamen est zelus , & huic cœlum impetrabit Virgo. Sed ô Sodes! meminisse debes, dari quoque zelum sine scientia, zelum inconsultum, & prudentiæ monitis injurium. Recta quidem voluntas imprudens facinus excusare possit , non autem inde sperare præmium ac laudem. Ut sit post filium suum supra cæteras creaturas laudanda Maria, non indiget ipsa dubiis laudibus, neque imprudenti sacrificio. Et tu contrà indiges vita tua, ut eam in fide tuenda, ac virtutibus exercendis justiùs impendas. Irasceretur potiùs, ut arbitror, Christi Mater (si quis cadere in animam sanctissimam & beatissimam posset iræ sensus) quòd humanas opiniones, licèt pias, pari confessione , & ardore tueris , atque divinam revelationem. Si tibi Virginem devincire meliùs & prudentiùs cupis , illius quantùm potes , imitare virtutes. Illi honorem , sed prudenter habe ; honor enim Reginæ judicium diligit. Fac , ut supremo illi Regi placeas, qui & Mariæ & noster Deus est; & Mariæ placebis. Quomodo te Numini placiturum putas, illiúsque martyrem te futurum speras , si ritè certus non es , te pro veritate mortem oppetere, ídque tanta contentione fuisse vis, quod aliter Deus voluisse potest, incertúmque adhuc est, an aliter esse voluerit? Cave, ne amorem ac reverentiam Virgini debitam eò usque amplifices, ut superstitiosam efficias. Non unus autem ego in hoc voto profundendæ vitæ pro immaculata conceptione Virginis superstitionem timeo. Timuit, & timet Apostolica Sedes, quæ quamvis eandem opinionem maximè verisimilem & piam ducat , nihilominùs hujusmodi votum in *Theophilo Raynaudo* olim non probavit , ipsúmque affirmantem

pro

„ pro ea causa pium esse mori, silere „ jussit. Aliud enim est, aliquid tan- „ quam verisimile, & aliud aliquid tan- „ quam certum affirmare. Sed fru- „ stra fuit illud à Romano Pontifice „ antidotum. Nostris quoque tem- „ poribus tum in privatis colloquiis, „ tum in publicis concionibus idem „ votum repetitur, eadem sponsio „ auditur. Credi non potest à pru- „ dentia abhorrens, quod tanta pie- „ tatis lineamenta præfert. Et ta- „ men si hoc ferendum est, non video, „ qui in immensum protendere non „ liceat novum hoc Martyrii genus. „ Nam & alii vitam vovebunt, atque „ exponent, quò exempli causa Lau- „ retanam Ædem sustineant Serva- „ toris ortû illustratam reverà fuisse, „ & Francisco Assisinati atque Ca- „ tharinæ Senensi stigmata fuisse di- „ vinitùs impressa, & ab aliis San- „ ctis viris miracula quædam procul „ dubio fuisse patrata. Quod certè „ in Ecclesia Dei nunquam toleran- „ dum, ne idem divinis atque hu- „ manis habeatur honor, neve teme- „ rè & pro mendacio interdum, pro- „ jiciatur pretiosa hominum vita. „ Hæc V. C. Muratoriūs: quæ si Au- ctori Operis de Cultu Immac. Con- ceptionis priùs lecta fuissent, quàm Opus suum publicam in lucem emit- teret, non hæsitâsset modò, sed re- ligioni etiam sibi duxisset, votum pro- fundendæ vitæ, quod Pontifex Ma- ximus in Raynaudo olim non tulit, pro exercitio devotionis erga Virgi- nem sine labe Conceptam in medium afferre. Verè honor Reginæ judi- cium diligit. Eò minùs verò Autho- rem pœnituit à *Voto Sanguinario* re- cessisse, quò clariùs illud irrito cona- tu à *Candido Parthenotimo*, personato è Societate Jesu Theologiæ Professore in Academia Panormitana propugna- tum fuisse, perspexit ex *Antonii Lam- pridii*, & *Francisci Valdesii*, i. e. *Lud. Ant. Muratorii* doctissimis Epistolis *De Superstitione Vitanda* an. 1740. & 1743. Mediolani in lucem editis.

Sextò Author Conceptionem Im- maculatam ex Festi institutione asse- rere conatus est, argumentatione à Card. Sfondrato mutuatâ, quæ tamen rem non evincit. Ut enim Virginem Parentem sine labe originaria fuisse conceptam, à Pontifice definiatur, dun sunt necessaria, Revelatio, & Tra- ditio. Sed ubi in divino Codice diser- tim revelatum est, Mariam labis ori- ginariæ expertem fuisse? Ubi anti- qua habetur Traditio, cùm antiquis- simi Ecclesiæ Patres in contraria fue- rint sententia. Non hæc dico, quòd à pia desciscam sententia, sed quòd quædam in hoc Parthenico Opere parùm solidè atque ad Criticæ regu- las exactè à me scripta fuisse nunc agnoscam. Et quis miretur? cùm Opus illud vix scholis egressus, an- no ætatis 25. elucubrârim, quod fa- nè non dicerem, nisi major mihi cu- ra veritatis atque inanis esset gloriæ.

3.) -- EJUSDEM *Sacra Sponsalia Virginem Deiparam inter & duodenos Cœlites*, in 8. Coloniæ 1740. per Gott- hardum Joannem Pittner. Est Opus Historico-didacticum, cui moralis doctrinæ stricturæ sunt insertæ. Hi- storias verò ea fide Auctor persolvit, quà apud alios legit.

4.) -- EJUSDEM *MARIÆ Vir- ginis Deiparæ Sacer Tricesimus*, id est, *Trigintadialis Devotio erga Sanctissi- mam Dei Matrem*, *Obdormientem*, *Assumptam*, *Coronatam* à xviii. Cal. Aug. usque ad Idus Septemb. inclu- sivè. Opus typis nondum exscriptum.

5.) -- *Dissertatio Parthenica de Hun- garia & Austria MARIÆ Virgini Dei- paræ dicatis, Turcarum tyrannide op- pressis, Ejusdem verò Divæ Virginis ope ac auxilio in libertatem vindicatis.* Opus prælo paratum.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimensis, Ordinem D. Bene- dicti in ipso Festo Immaculatæ Con- ceptionis B. V. Mariæ professus, ejus- dem cultum ante alios promovere stu- duit. Quod cùm ægris oculis intue- retur Fr. *Wigandus Cupo*, Domi- nicanus, calamum contra Trithe- mium strinxit: à quo autem in decer- tatione pro Conceptionis illibata pu- ritate victus herbam porrigere coa- ctus fuit, applaudentibus Trithemio celeberrimis Germaniæ ac Galliæ A- cademiis. Cl. *Legipontius*, qui magno studio & labore omnia Opera Trithe- mii cùm manuscripta, tum typis ex- cripta undique conquirit, ut ea con- junctim pluribus tomis in lucem emit- tat, Trithemii Opusculum autogra- phum de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ asservat.

SECTIO XII.

Qui de Angelis, Sanctis, horúmque laudibus, Cultû, Reliquiis, ac Imaginibus methodicè scripserunt.

REMIGII AUTISSIODORENSIS Responsio ad Quæstionem Gualonis Heduorum Episcopi, interrogantis de altercatione Michaëlis Archangeli cum diabolo de Moysis corpore, cujus mentio fit in Epistola Judæ Apostoli. Vid. Possevin. in Appar. & Fabric. Bibl. med. Lat. l. 17. p. 187.

HERVEUS, patriâ Cenomanensis, Cœnobii Burgidolensis in Diœcesi Biturицensi Monachus, pietate ac doctrina insignis floruit anno circiter 1130. & scripsit præter alia multa, eáque præclara *Expositionem in librum S. Dionysii de Hierarchiis Angelorum.*

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Chronologia Mystica*, seu *Libellus de septem Secundeis*, id est, Spiritibus moventibus orbes, anno MDVIII. inscriptus Maximiliano Imperatori; primùm luce publica donatus Nurnbergæ, impensis Joannis Haselbergs anno 1522. in 4. cum prævia Epistola Editoris Joannis Marquardi ad Jacobum Zwifel, Amorbacensem Abbatem, quæ fuit prima editio. Deinde Francofurti apud Cyriacum Jacobum an. 1545. in 4. absque prædicta Epistola. Tum apud Joannem Birckmannum an. 1567. in 12. Cui editioni accesserunt selectæ x. Epistolæ Trithemii. Prodiit etiam hoc Opusculum Germanicè an. 1534. in 4. In hôc libello varios Angelos, qui post Deum mundum administraverint, nominibus suis appellat. Vocat igitur primum Angelum *Orifiel*, sive spiritum Saturni. Secundum *Anaelem*, spiritum Veneris. Tertium *Zachariëlem*, spiritum Jovis. Quartum *Raphaëlem*, spiritum Mercurii. Quintum *Samuelem*, Angelum Martis. Sextum *Gabrielem*, Angelum Lunæ. Septimum *Michaëlem*, Angelum Solis. Ac denique alios iterum priores suis temporibus usque ad an. 1525. At malim ego sentire cum Divo Bonifacio nostro Germaniæ Apostolo, qui adversùs Adelbertum, *Ex octo*, inquit, nostris Angelis (quos videlicet enumerabat Adelbertus, inter quos erat *Uriel*) *unus tantùm est S. Michaël: reliqui sunt potiùs dæmones.* Quando verò Trithemius ingenii seu fervore seu vigore incitatus ista scripsit, non ita tamen extra omne dubium posita haberi voluit, quin non ad calcem ejusdem libelli hæc subjecerit: *Non hæc assertivè scripsi, Sacratissime Cæsar, quibus cum injuria orthodoxæ fidei nulla est ratione credendum; sunt verò qui menses in his supputavere Lunares, quibus consentiendum si duxeris, mutanda sunt ea, quæ aliter scripsi. Manu quoque mea propria protestor, & ore confiteor, quòd in his omnibus nihil credo, nihil admitto, nisi quod Ecclesia credit Catholica: cætera & vana, conficta, & superstitiosa refuto & contemno.*

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *S. Michaëlis Archangeli Principatus, Apparitiones, Cultus, & Miracula*, in 8. Aug. Vindel.

– *Historia SS. Michaëlis, Gabrielis, & Raphaëlis.* Ingolstadii in 12. cum fig. æneis an. 1619.

– *De Septem Angelis Principibus*, cum fig. Aug. Vind. in 8. an. 1611.

FRANCISCUS BLASCO DE LANUZA, Arragonensis in Hispania, Abbas Monasterii S. Joannis de la Pena scripsit

Beneficios del Angel de la guardia, id est, *Beneficia Angeli Custodis.* Cæsaraugustæ an. 1637. in fol. Obiit anno 1664. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE, S. R. E. Cardinalis *Dissertationes circa Angelos, Tutelares præsertim & Genios, sive dæmones ipsorum antistrophos*, extant in ejus Opere, cui titulus: *Ludi Salmanticenses*, sive Theologia Florulenta an. 1666. typis excuso.

MICHAELIS LANGBARTNER, SS. Theologiæ Professoris in Universitate Salisburgensi, viri impensè docti, *Divinæ gratiæ Magnalia in S. Michaële, Angelorum omnium Principe*, scholasticè, dogmaticè, & historicè expensa. Salisburgi an. 1714. in 4.

Gloria Sanctorum Angelorum Custodum hyerarchicè tripartita, & in novem Quæstionum Choros ordinata, quibusdam assertionibus & conclusionibus, methodicè, historicè ac dogmaticè illustrata in debitam gratitudinem pariter, ac majorem Confraternitatis sub Tit. Sanctorum Angelorum Custodum in Monaste-

rio S. Michaëlis propè Bambergam O. S. P. Benedicti recèns erectæ splendorem, venerationem, & cultùs Angelici promotionem luci publicæ exposita à Patribus Benedictinis in Monte S. Michaëlis propè Bambergam. Norimbergæ apud Jo. Georg. Lochner an. 1726.

AUGUSTINI CALMETI, Abbatis Senonensis in Lotharingia, *Dissertationes duæ* Gallicè scriptæ *super Apparitiones Angelorum, Dæmonum, & Spirituum.* Parisiis apud Burum Majorem an. 1746. in 12. Istæ duæ Dissertationes idoneæ sunt ad convincendos Incredulos, seu potiùs illos, qui veterum Sadducæorum sunt gemina, quorum S. Lucas Evangelista meminit, non tacendo erroneam eorum doctrinam, quâ Apparitiones Angelorum, animarum, & spirituûm inficias eunt. Extant etiam Latinæ inter Authoris Dissertationes Biblicas: item ante ejus Commentarium in Evangelium S. Lucæ.

Quod verò paucos *de Angelis* habeamus Scriptores, in causa est, quòd pauca sint, quæ de iisdem scire nos voluit Deus: „De Angelis & dæmonibus, inquit præstantis doctrinæ „Theologus è Congregatione S. Mau„ri *Antonius Augustinus Touttée*, pau„ca admodùm certa & indubitata fi„de tenenda accepimus; nonnulla, „sive ex veteri ecclesiarum traditione, „sive ex consentanea fidei ac rationi „opinione tandem in Ecclesia longo „usu præscripta, eam authoritatem „obtinuère, ut in iis unò pene con„sensu acquiescamus omnes: alia „tandem opinioni & disputationi per„missa. Hinc tam diversæ cùm apud „veteres, tum apud recentiores Theo„logos de Angelis sententiæ: qua„rum multæ ex apocryphis libris, vel „Philosophorum Gentilium, & in„primis Platonicorum fontibus hau„stæ, quamvis & multos & nobiles „suffragatores habuerint, ipsa tan„dem sua vanitate & futilitate ceci„derunt; aliæ caducis inconsultæ „philosophiæ fundamentis superstru„ctæ, jam meliori judicio explosæ, & „ejectæ sunt; aliæ tandem cum no„stræ ignorationis confessione in u„tramque partem liberè agitantur.„ Hæc ille, qui in præclara sua Operum sancti Cyrilli Hierosolymitani editione, subjectis Notis & Observationibus aperuit, quæ fuerit ejusdem S. Patris sententia de Angelorum, & dæmonum natura, & utrùm corporei nec ne sint, de eorum numero, ordinibus, ac perfectionibus diversis, sedibus, quas incolunt &c. Unum, quoniam prolixiorem disputationem requirebat, in peculiarem dissertationem rejecit, nimirùm id, quod S. Cyrillus ait Catechesi 2. n. 10. Deum, quod etiam *fidelibus Angelis condonet*, habere. *Nescimus*, inquit, *quanta ille Angelis quoque condonaverit, nam & illis condonat; quandoquidem unus est solus sine peccato, qui nos à peccatis purgat Jesus.* Quadruplicem verò ea de re apud veteres sententiam observat *Toutteus.* Prima, eos jam non posse peccare; à qua opinione parùm dissentit Cyrillus. Secunda opinio fuit Origenis, vel ei imputata, Angelos bonos cadere posse, & malos restitui. Tertia opinio est eorum, qui Angelos vel nondum, vel serùs tandem in gratia, & boni profectione confirmatos docent. Quarta opinio, quæ est Cyrilli, Angelos sine status sui periculo levibus peccatis obnoxios esse. Vide *Touttei* nov. edit. Opp. S. Cyrilli Hierosol. Dissert. III. Cap. V. col. CLXI. seq.

EGINHARDI ex Cancellario Caroli M. Abbatis I. Seligenstadensis Libellus *de Cruce adoranda* ad Lupum Ferrariensem, qui epistola quarta ad Eginhardum, *libellum*, inquit, *de adoranda Cruce, meo judicio utilissimum, quem meo nomini dedicâsti, ut par fuit, amplexus sum.* Dolendum, quòd libellus iste in deperditis habeatur.

Devotio & munificentia, quam Ludovicus Pius erga S. Sebastianum Martyrem exhibuit, cùm in Monasterio S. Medardi Suessionensis à Lothario filio suo detineretur, auctore incerto Monacho S. Medardi, sed contemporaneo. Extat in Duschesniana Collectione Scriptor. Rer. Franc. tom. 2. pag. 334.

WALAFRIDUS STRABO, Augiensis Abbas, librum edidit de rebus ecclesiasticis, ubi apertè capite octavo contra Iconomachos probat, cultum religiosum, honestum, ac moderatum Sanctorum imaginibus esse exhibendum, sicut disertè contra Dallæum Calviniani verbi Ministrum evincit Nat. Alex. Dissert. VI. in Hist. Eccl. Sec. VIII. & IX.

HINCMARUS, Remensis Archiepiscopus, *flagitantibus Coëpiscopis fratribus suis*, libellum scripsit, qualiter imagines Salvatoris Nostri, vel Sanctorum ipsius honorandæ sint, testante Flodoardo in Historiæ Remensis lib. 3.

lib. 3. cap. 29. quod Hincmari Opus etsi exciderit, tamen ex Flodoardi verbis intelligimus, *Hincmarum* imaginibus non denegâsse cultum omnem, sed saltem qualemcunque concessisse. Vid. Ant. Pag. ad annum 825. pag. 523.

S. ADONIS, ex Ferrariensis Monasterii Cœnobita Viennensis in Gallia Episcopi *Libellus de Festivitatibus Apostolorum, successorúmque eorum.* Extat ex Rosweidi editione Tom. XVI. pag. 822. Bibl. Patr. edit. Lugdun. anno 1677.

S. ODONIS, Abbatis Cluniacensis *Tractatus, quòd Beatus Martinus par dicitur Apostolis*, typis excusus fuit operâ Jodoci Clichtovei unà cum Sulpitio Severo de vita S. Martini, & Gregorio Turonensi Paris. 1511. in 4. atque in Bibl. Vet. Patrum Lugdun. Tom. XVII.

-- EJUSDEM Sermo *de Combustione basilicæ S. Martini Turon.* ibid.

S. ANSELMUS, Archiepiscopus Cantuariensis scripsisse fertur *de laudibus S. Petri* in suis colloquiis cœlestibus, quæ prodierunt Lugduni anno 1630. fol. ex officina Laurentii Durand cum aliis ejus Operibus, studio Theophili Raynaudi, è Soc. Jesu Theologi. Verùm in nova & accuratissima Operum S. Anselmi editione nihil hujusmodi, si bene memini, comparet.

GUIBERTUS, Abbas Monasterii B. Mariæ de Novigento anno MCIV. electus, scripsit Libros IV. *de Pignoribus Sanctorum*, occasione dentis, quem à Christo novenni emissum Sammedardenses Monachi se habere gloriabantur. In secundo libro de sacrarum Reliquiarum suppositione uberrimè disserit: circa ipsas penè infinitos errores facti ait contingere, dum hi illum, & alii eundem se habere asserunt: verbi gratia, Constantinopolitani & Angeriacenses Monachi caput S. Joannis Baptistæ se habere testantur, quasi biceps fuisset sanctissimus Præcursor. Ambianensem Episcopum *Godefridum*, cùm corpus (ut putabat) S. Firmini Martyris transferre vellet, nullámque invenisset inscriptionem, nullum testimonium in theca, plumbeæ laminæ inscripsisse: *Firminus Martyr, Ambianorum Episcopus*, eodem verò tempore in Monasterio sancti Dionysii facta corporis sancti Translatione, membranulam in Martyris naribus repertam, quæ *Firminum* Ambianensem Martyrem esse testabatur. *Odonem*, Baiocensem Episcopum, cùm S. Exuperii corpus, quod in castro Corbolio colitur, corrupto muneribus æditituo, se obtinuisse putaret, cujusdam Rustici *Exuperii* nomine corpus accepisse, & Bajocas abstulisse. Hos errores inde ortos scribit, quòd è tumulis eruerentur Sanctorum corpora: *Et cùm pietatis obtentus occasio circumlationis extiterit, ad hoc subeunte nequitia, detorqueri cœpta est intentionis rectitudo, ut pene quæ simpliciter fieri consueverant, rumperet universa cupido.* Non probat, quòd sacra pignora auro aut argento includantur ad quæstum, cùm Christi corpus sepulchro conditum fuerit. Et gravissimè puniti, qui corpora S. Pauli Apostoli & S. Laurentii Martyris tempore S. Gregorii inscii conspexerunt. Quæ cùm ita sint, *Quid de iis*, inquit, *judicii profertur, quibus avaritia sola in causa est, & Sanctorum corpora faciunt irrequieta dispergi, immò, ut sic dicam, pro sola oblationum illatione, quotidiano obtentui haberi? Solent námque pyxidibus eburneis aut argenteis nuda Sanctorum ossa contegere, & ad tempus & horum pretio sese ingerente retegere.* Abusum, perversitatem, avaritiam, non pietatem improbat Guibertus, quâ viri sanctissimi ab antiquo Sanctorum corpora argento, auro, gemis vestiverunt, & adornârunt: qua de re Sozomenus lib. 9. cap. 11. S. Audoenus in vita S. Eligii lib. 1. cap. 32. alíique veteres legi possunt. Libro III. contra Sammedardenses probat, Christum dentem in terris non reliquisse, quia perfecta ejus resurrectio non fuisset, si aliquod ejus membrum & pars vel minima corporis à gloria resurrectionis fuisset exclusa. Quamobrem nec umbilicum, aut alia ad Christi corpus pertinentia in terris haberi censet. *Ponamus itaque*, inquit, *quasi posse fieri vos tanto munere locupletes: velim ergò respondere dignemini in cujus corporis jus in Resurrectione cessurum dentem, & cætera quæque putatis? Non minus etenim de umbilico, & cæteris, quæ de ipso haberi dicuntur, quàm de dente apud nos agitur: quod planè de uno dicitur, redundat ad cætera. Ubi igitur se conferent, quæ de Domino Salvatore servantur, cùm ultimus dies ille ingruerit? Si ad pristinum reditura sunt corpus, quò se recipient? Quæ loca sese iis recipiendis aperient? An edentulus Salvator clarificatus hucusque mansit, ut locum denti superventuro serv'ret?*

Et

Et certè denti tantillo locus conveniens in virili, quod est dominica fauce, nequaquam competeret. Esto, quò se umbilicus, quæso reponet? Nunquid duæ clarificationes in eodem corpore celebrabuntur? Res est, quæ nusquam legitur, quæ nullis testimoniis approbatur. Lac Beatæ Virginis, quod in ecclesia Laudunensi asservari dicebatur, nec ibi, nec alibi haberi censet, ac probat. Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. XII. c. 6. art. 6. Tom. 6. pag. 517. Lud. du Mesnil. Doctr. & Discipl. Eccl. tom. 16. l. 48. pag. 304.

BERENGOSI Abbatis S. Maximini Sec. XII. clari *Sermones V. de Martyribus, Confessoribus, Dedicatione Ecclesiæ & veneratione Reliquiarum* editi fuerunt Coloniæ 1555. recusi verò in Bibliothecis Patrum, & novissimè in Lugdunensi Tom. XII. pag. 376.

PETRUS ABÆLARDUS scripsit *de Laude S. Stephani Martyris*, continetur inter ejus Opera, quæ Franciscus Amboise in 4. publicavit, Parisiis anno 1624.

THEOFRIDUS Epternacensis in Ducatu Luxenburgico Abbas XXIV. claruit sub an. 1120. & scripsit Sermones de cultu & veneratione Sanctorum, qui in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XII. pag. 412. extant. Collectores tamen hujus Bibliothecæ negant, satis constare, quo tempore hic auctor vixerit.

ERNESTUS, Abbas Zwifaltensis in Suevia, *de Laude Martyrum* scripsit, quorum meritis & ipse martyrii palmam obtinuit. Cùm enim an. 1048. à Romano Pontifice ad disseminandum Dei verbum Hierosolymam, atque alia Palæstinæ loca missus fuisset, ob constantiam in docenda Christi doctrina martyrio illic coronatus & Antiochiæ sepultus est. Ita Ant. Possev. Appar. sac. tom. 1. pag. 448. Plura in Annal. Monasterii.

AIMOINUS Monachus S. Germani à Pratis sub annum 872. ætatem agens scripsit Libros II. ad Bernonem Abbatem *De inventione & translatione Corporis B. Vincentii* Levitæ & Martyris ex Valentia Hispaniæ an. 864. ad Monasterium Castrum Diœcesis Albigensis in Gallia, versibus scripti hexametris, unà cum *Epistola ad Theogerum Monachum* & Carmine versuum LX. heroicorum de eadem translatione extant cum Breulii Aimoino, Historiæ Francicæ Scriptore Parisiis an. 1603. in fol. in Boscii Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605. & in Actis SS. Januarii Tom. 2. pag. 405. nec non in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. B. Sec. IV. Part. I. pag. 652.

– EJUSDEM *De Translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii & Nataliæ Liber*, & *Libri II. de eorum miraculis* apud eundem Mabill. Sec. IV. Tom. II. p. 45. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. p. 85.

ODO, sive *Oddo*, Mauriniacensis Cœnobii Alumnus in Diœcesi Senonensi propè Stampas, Abbas primùm S. Crispini majoris Suessionensis, fuit vir eximiæ virtutis & prudentiæ. Ejus epistola ad Thomam Comitem scripta circa an. 1135. de quodam miraculo S. Thomæ Apostoli apud Indos à Mabillonio vulgata fuit. Obiit Odo anno 1151.

NICOLAUS RADELIFFUS, Monachus atque Archidiaconus ad S. Albanum in Anglia circa an. 1390. scripsit inter alia præclara Opera librum pro *Imaginum cultu*. Utrùm sit licitum Christiano imag. Pits. æt. 14. p. 543.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheim. laudes S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis celebravit libro in Capita XVI. diviso ad *Rumoldum Lampach* Priorem Carmelitarum Francofurtensium, qui habetur in ejusdem Paralipomenis 1605. à Jo. Busæo Soc. Jesu Theologo Moguntiæ, & an. 1624. in 8. Coloniæ recusis ex editione Lipsiensi apud Melchiorem Lotterum an. 1494. Scripsit etiam librum unum satis prolixum in XX. capita distinctum hoc exordio: Magno sæpè desiderio statui. *Oliv. Legipont in vit.* num. 54.

-- EJUSDEM Epistola ad Julium II. P. M. pro Canonizatione S. Bennonis Misnensis Episcopi. Extat Epist. Famil. lib. 1. n. 64. pag. 491.

COELESTINUS BOTTA, Italus, Cremonensis, incertum cujus monasterii monachus, scripsit *De veneratione Sanctorum* libros V. Franciscus Arisius Lit. Cremon. tom. 1. pag. 240. ad an. 1427. apud Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 120.

ADRIANUS GALTERUS Mathæi Galteri (*Gaultier*) Abbatis Monasterii an. 1511. Nepos, ejusdem Cœnobii Presbyter, Asceta, ac Doctor Theologus, auctor est Operis, cui titulus: *Æquilibrium virtutum B. Petri Apostoli & S. Martini*. Luc. Acher. in edit. Opp. V. Guiberti Abb. Novigent. pag. 595.

MARCI à BRIXIA, Itali, Brixiani, Abbatis S. Vitalis Ravennæ è Congr. Casin. præclara *Oratio in Translat one sanctorum Corporum*, in Monasterio S. Ju-

S. Justinæ quiescentium, à templo veteri ad novum: prodiit Patavii anno 1562. in 4. & Brixiæ, uti Arnoldus Wion apud Armellinum loc. cit. part. 2. pag. 89. fidem facit.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *De Reliquiarum cultu, veneratione, ac miraculis* Libri V. Ingolstadii an. 1624.

– EJUSDEM *Emblemmata Josephina* in 4. Aug. Vind. typis Veronicæ Apergerin an. 1658. in 4.

FRANCISCUS HAMILTON ex Illustriss. Familia in Scotia natus an. 1550. Monasticen professus Ratisbonæ in Germania an. 1578. sub Niniano Abbate Monasterii Scotorum ad S. Jacobum, vir comitate & doctrina conspicuus. Anno 1595. ab Abbate Joanne Jacobo cum quinque aliis viris Religiosis Herbipolim ad incolendum ibidem Scotorum Monasterium jure postliminii restitutum ut Prios Conventualis, anno 1611. præficitur Abbas. Obiit an. 1617. ætatis 67. scripsit *de Sanctorum invocatione, & legitimo usu sacrarum Imaginum* in 4. Herbipoli edita an. 1598.

CONSTANTINI CAJETANI, Abbatis S. Baronti è Congr. Casin. Tractatus *de Sanctorum Canonizatione* Mſ. Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 131.

ANTONII FLORETI, Itali, Romani è Congregatione Casinensi *Panegirico per le Reliquie de' St. Giusto, & Aurelio Martiri detto in Galiate per la Festa dello loro Traslazione,* i.e. *Panegyris pro Reliquiis SS. Justi & Aurelii Martyrum dicta in Glassiate die festa eorum translationis.* Mediolani apud Antonium Malatestam an. 1675. in 8. Author ad meliorem vitam translatus est an. MDCC. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 52.

JOANNES DE PETROSA, Hispanus, Generalis in Curia Romana Congregatioois suæ Procurator, scripsit

De Martyrio ducentorum Monachorum S. Petri de Cardenna responsiones ad objectiones sanctæ Congregationis sacrorum Rituum. Quæ editæ sunt cum Alphonsi Ciaconii Dominicani ejusdem argumenti libello. *Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. p.* 579.

JOANNIS MABILLONII è Congreg. S. Mauri *Lettre à Monseign. l' Evêque de Blois touchant le discernement des anciennes Reliques, au sujet d' une dissertat. de M. Thiers contre la sainte Larme du Vendôme.* Hoc est: *Epistola ad Illustriss. Episcopum Blesensem de veteribus reliquiis discernendis, cui ansam præbuit D. Thiersii dissertatio adversùs sacram lacrymam Vindocinensem. in* 8. *Parisiis* 1700. In Abbatiali Ecclesia sanctissimæ Trinitatis Vindocinensi, Diœcesis aliàs Carnutensis, nunc Blesensis, asservatur, maximáque fidelium veneratione, & concursu colitur, jam ab ipsa monasterii fundatione, id est: à sexcentis ampliùs annis, pretiosa quædam cistella vitream ampullam cærulei coloris continens, quâ inclusa creditur una ex Christi lacrymis, quas in excitatione Lazari fudit Salvator. Hoc munere Vindocinensem Ecclesiam donavêre Gaufridus Martellus & Agnes ejus conjux monasterii conditores, accepto, ut ferunt, ab Henrico Rege, cui à Nitkero Frisingensi Episcopo allatum ex urbe Constantinopoli, donatum fuerat. Hanc historiam repræsentant tum ipsa capsula, tum arcuata rudi artificio structa fabrica, sub qua hæc capsula reclusa est, eodem ferè tempore erecta, quarum specimen æri incisum exhibet Mabillonius tomo Annalium IV. pag. 532. Cæteræ translationis circumstantiæ prorsùs incertæ sunt, ut quas scriptis mandare neglexerint primi Vindocinenses Monachi. Seculo proximè elapso unus ex eodem cœnobio brevissimum quendam libellum Vindocinensibus typis ad vulgi usum edidit, in quo quid ferret accepta populis ea de re traditio, haud eleganti sermone, nec majori artis criticæ peritia, simpliciter tamen, & bona fide exposuit, populi pietati magis, quàm criticæ regulis consulens. Plerumque prostat libellus ad majores ecclesiæ valvas apud mulierculas, infimæque fortis mercatores, victum sibi ex ejusmodi mercibus corrodentes. Is ipse tamen est, quem literatis prorsùs ignotum seriò sibi refellendum suscepit *Joannes Baptista Thiers*, scriptâ dissertatione adversùs sacram lacrymam Vindocinensem anno MDCXCIX. Parisiis edita. Si quidem solum id fecisset, giganteos in formicam elidendam conatus sibissent omnes. Sed quòd captata hinc ansa, diras in totum Ordinem Benedictinum scripserit, Benedictinósque traduxerit, quasi turpissima omnium impostura falsas reliquias populis obtrudere gestiant; quòd impios ac scuriles jocos ex profligatissimo omnium libro, Apparatu ad apologiam Herodoti, hausitos, sermonibus admiscere non puduerit; quòd demùm eas regulas ad secernendas veras reliquias à falsis statuerit, quæ si valeant, pessumeunt omnes reliquiæ, ullæque vix

vix inconcussæ stare possunt; id dissimulari omnino non potuit, nec decuit. Veritus Mabillonius, pro sua pietate, ne hominis fama qualiscunque levissimis ac futilibus argumentis adderet pondus, indéque conturbati fideles sacras omnes reliquias promiscuè & temerè in dubiom revocarent, imò & contemptui haberent; repressa hominis temeritate, causam non Vindocinensis modò, sed & omnium aliarum Ecclesiarum, qoæ per Vindocinensis latus configebantur, sibi agendam esse duxit. Scripsit proinde patrio sermone *Epistolam ad illustrissimum Episcopum Blesensem de veteribus reliquiis discernendis*, editâque anno MDCC. In ea primùm expendit regulas à Dissertationis Auctore propositas, & exempla quibus muniebantur; tum ostendit alias falsas esse, & in reliquiarum omnium perniciem ac fidelium conturbationem constitutas, alias verò nihil prorsùs ad rem facere; tum alias majori certè judicio, prudentia, ac pietate ipse constituit, ad quas in veterum reliquiarum habendo discrimine attendendum sit; tum expostulat cum adversario, cujus impiè scuriles & dicaces impetus identidem castigat, quòd iniquo partium studio abreptus falsarum aut dubiarum reliquiarum, quales perperàm fingebat, crimen Benedictinis solis affingat; cùm tamen veteres omnes ecclesiæ cùm seculares, tum regulares, similibus glorientur, gloriarique se meritò posse existiment; tum denique Ecclesiæ Vindocinensis traditionem, ac bona cum fide junctam possessionem legitimis niti fundamentis, & ab adversarii similiúmque telis tutam esse demonstrat. *Vid. Theoderic. Ruinart in vit. Mabillonii; le Cerf in Biblioth. Hist. Crit. pag.* 280. Cæterùm Mabillonii Epistola recusa fuit in ejus Operibus Posthumis tom. 2. pag. 361.

EUSEBII ROMANI AD THEOPHILUM GALLUM *Epistola de cultu Sanctorum Ignotorum in* 4. *Parisiis apud Petrum & Imbertum de Bats an.* 1698. Summa hujus Epistolæ uno verbo expressa est: „meritò colendos esse San„ctos illos, quorum corpora ex illis „ Romanis cœmeteriis eruta sunt, „ modò de eorum martyrio aut san„ctitate certis constet argomentis. „ Author fuit *Joannes Mabillonius*. Nomen si dissimulaverit, fecit prudentia; quod nimirùm haud nesciret, lubricum & invidiosum esse argumentum, pluribúsque displiciturum esse Epistolam; quæ nihilominus quinquies minimùm Parisiis, item Bruxellis, Turoni, Gratianopoli, ac Ultrajecti recusa fuit. Ultima editio, eáque ab ipso Mabillonio recognita, & aucta, est illa, quæ Parisiis in 12. an. 1705. comparuit. Et verò præ prima Romæ multò acceptior fuit, ipsi Sumo Pontifici Clementi XI. probata, qui ea lecta, laudavit, gratulatoriásque ad auctorem suo nomine scribi jussit literas per Claudium Stephanotium, Procuratorem Generalem Congregationis S. Mauri. Scripserunt & Cardinales multi, in quibus Eminentiss. Ottobonius iis verbis usus est: *Ut in sacra Indicis Congregatione comparuit hæc nova editio, Eminentissimorum Patrum unanimi consensu plenisque suffragiis commendata & ornata fuit.* Dominus Boinus, qui Gallicè vertit, elegantes literas de sua versione ad Mabillonium dedit, quæ in hujus Opp. Posthum. tom. 1. pag. 312. leguntur. Novissima editio recognita & emendata juxtà exemplar Parisiis impressum an. 1705. prodiit Tridenti anno 1724. apod Jo. Bapt. Baronum.

– EJUSDEM *Dissertatio de Cultu Imaginum*, non erudita minùs, quàm solidæ doctrinæ. Extat in Præfat. Sec. III. Act. Ord. S. B. Hanc si legerent Acatholici, cultûs præposteri culpam nunquam Romanæ Ecclesiæ attribuerent, quæ illum non approbat, quíque effectus est ignorantiæ populi, cujus intentionem Deus sæpè excusat.

– EJUSDEM *Dissertatio de formula Canonizationis Sanctorum*, quâ nunc utitur Ecclesia, quo seculo cœperit, & quomodo olim fiebat. *Vid. Præfat. ad Tom. VII. Actor. O. S. B.*

EJUSDEM *Informatio de probatione Reliquiarum per ignem.* Extat Opp. Posthum. tom. 1. p. 285.

S. ODONIS Abbatis Floriacensis, & Cluniacensis *Sermo de S. Maria Magdalena.* Sermonem dico potiùs, quàm vitæ seriem; verùm ea ratione concinnatum, ut quidquid in Historia Evangelica ad S. Mariam Magdalenam spectat, satis accuratè prosequatur; haud quaquam dubitans, ut erat seculo X. totius Ecclesiæ receptissima opinio, quin & Peccatrix, & Maria Bethanica cum S. Maria Magdalena confundendæ essent; utinam tam clarè alicubi indicasset, æquè communem suo tempore fuisse to ius Galliæ sententiam de Sancta eadem Massiliæ, aut ad S. Maximinum deposita:

posita: quam quæstionem per id tempus controversam non fuisse, vel ex eo capite plane intelligis. Satis nobis sit Sermonem tradere, prout ab Odone scriptus est. Ita Jo. Bapt. Solerius, Hagiographus Antverpiensis in Actis SS. Tom. v. Julii die 22. pag. 218. ubi ex editione Joannis Bosco Sermonem hunc recudi fecit.

B. HRABANI MAURI, Abbatis primùm Fuldensis, postea Archiepiscopi Moguntini *de laudibus Sanctæ Crucis* libri duo, eruditione, versû, prosâque mirifici. Quo figuris, sive Imaginibus XXVIII. multa fidei Christianæ mysteria, multi mystici numeri: Angelorum, virtutum, septem donorum Spiritus S., octo beatitudinum, quatuor elementorum, quatuor temporum anni, quatuor Evangelistarum, V. Librorum Moysis, nominis Adam, Alleluia, aliarúmque rerum vis & dignitas in furmam Crucis redacta, subtiliter & ingeniosè explicantur. Prodierunt seursim Phorcæ operâ Jac. Wimphelingii per Thomam Anshelmum an. 1501. fol. Aug. Vindel. 1605. & cum Tractatu Jo. Valent. Merbitzii de Varietate faciei humanæ. Dresd. 1676. in 4. In Collect. verò Opp. Rabani tom. 1. pag. 273. seqq.

ADELBOLDUS ex Monacho Lobiensi Episcopus Trajectensis scripsit *de laudibus S. Crucis* Lib. I. Vid. Trith. Catal. Ill. Vir. Germ. pag. 130. & ex eô Gretser. lib. de Divis Bamberg. pag. 428. Acta SS. d. 14. Julii pag. 723.

ECKBERTI, Abbatis Schonaugiensis, qui anno MCLX. floruit, *Opusculum de laude S. Crucis*, typis mandatum à Bern. Pez tom. VII. Bibl. Ascet. pag. 13.

NICOLAUS DE LAINE, Abbas S. Gerardi in Bronio, tertio à Namurco milliari. Ob. an. 1448. scripsit *de Translatione salutiferæ Crucis*. Foppens Bibl. Belg. pag. 913.

CONRADI DEMELMAYR *Crux in Cruce*, h. e. Brevis descriptio S. Crucis Christi, & S. Crucis Schyrensis. Typis Monasterii Tegernseensis in 8. an. 1736.

BENNONIS LÖBELII, R.^mi Abbatis Brevnoviensis, vulgò S. Margarethæ propè Pragam in Bohemia

Disquisitio Sacra Numismatica de Origine, Quidditate, Virtute, pióque Usu Numismatum, seu Crucillarum S. Benedicti Abbatis novissimè per SS. D. N. Benedictum XIV. P. M. instaurato ad preces Reverendissimi ac Amplissimi DD. Bennonis, Liberi ac Exempti Monasterii Brzevnoviensis, vulgò S. Margarethæ propè Pragam Ord. S. B. Abbatis, ejusdem Sac. Ord. per Bohem. Morav. & Silesiam Visitat. General. Perpet. Præpositi Wahlstadensis in Silesia, Regni Bohemiæ Prælati Infulati. Viennæ in 8. ex typographia Leopoldi Kaliwoda anno MDCCXLIII.

AUGUSTINUS, Abbas & Princeps Einsidlensis, edidit Gemanicè anno 1611. *Speculum Pœnitentiæ*, seu Vitam S. Mariæ Magdalenæ; quæ fuit editio secunda.

AUGUSTINI CALMET, Abbatis Senonensis, *Dissertatio de S. Joseph*, Mariæ Virginis Conjuge. Extat inter Authoris Dissertationes Biblicas, & ante Commentatium in Evangelium S. Lucæ.

-- EJUSDEM Altera Dissertatio in obitum S. Joan. Evangelistæ l. c. Item Tractatus de Apparitione spirituum Gallicè primùm typis Einsidlensibus an. 1749. tum Germanicè redditum, & pluribus auctum. Aug. Vind. an. 1751.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Triumphale Silentium* S. Georgii Megalo - Martyris in exemplum propositum Sodalibus Confraternitatis per Authorem coërectæ in Parochia Augiæ Divitis Superioris Cellæ ad abrogandam malam consuetudinem jurandi, conviciandi, imprecandi &c. Germanicè. Constantiæ in 8. anno 1727. per Leonhardum Parcus.

EJUSDEM *Dissertatio de Præsidio & Patrocinio S. P. B. in articulo mortis.* Constantiæ in 8. typis Jo. Ignatii Neyer an. 1730.



CAPUT

CAPUT II.

JURISPRUDENTIA ECCLESIASTICA.

JUs omne Ecclesiasticum ex gemino fonte, Decretis Summorum Pontificum, atque Ecclesiæ Conciliis, præcipuè emanat. Decreta Pontificum voco eorum Literas, Bullas, ac Constitutiones, Literæ seu Epistolæ dicuntur, quæ ab antiquioris, Bullæ ac Constitutiones, quæ à recentioris ævi Pontificibus scriptæ sunt. Antiquiores Ordinis nostri Summos Pontifices intelligo eos, qui à *Gregorio Magno* ad *Gregorium VII.*, recentiores, qui post hunc ad summam Sedem evecti fuerunt. In Conciliis, quorum alia sunt universalia, alia particularia, non tantùm *Benedictini Pontifices*, sed alii etiam Archiepiscopi & Episcopi Familiæ nostræ sacros condiderunt Canones, quibus vel Jus Ecclesiasticum antiquum instauratum, vel novum pro rerum exigentia sancitum fuit. Quid? quòd quandoque Abbates à virtute & doctrinâ commendati ad Concilia & Synodos evocati fuerunt, ut Patribus in Canonibus condendis adjumento essent. Eam ob rem præsens Caput *de Jurisprudentia Ecclesiastica* in plures sectiones distribuendum est, ut ejus seu Conditores, Scriptores, & Interpretes, seu Collectores atque Editores ritè enumerentur. Quem verò morem in Capite præcedenti servavimus, etiam hìc obtinebimus, ut non omnes, nec prolixè, sed compendiariò tantùm recenseamus.

SECTIO I.

CONDITORES, COLLECTORES, ATQUE EDITORES JURIS CANONICI.

§. I.

Summi Pontifices ex Ordine S. B. qui Literas, Bullas ac Constitutiones ediderunt.

S. GREGORIUS M. Pontif. Max. ab anno 590. Sept. 3. ad 604. Mart. 12. Ejus *selectiores Epistolas* Hadrianus Papa I. in Decretalium libros XII. redegit, teste Johanne Diacono lib. IV. cap. 71. His Epistolis multa Decreta, v. g. lib. 1. Ep. 41. ad Leandrum Episcopum Hispalensem de trina mersione baptismi, imò universum pene Jus Canonicum continetur. Nemo diffitebitur, cui vel Adversaria solùm, quæ ex *Registro Epistolarum* Cardinalis Caraffa confecit, percurrere collibitum fuerit. Sæpiùs verò inter ejus Opera lucem viderunt, & novissimè Parisiis à Sodalibus Congreg. S. Mauri an 1705. ordine temporis, quo scriptæ sunt, digestæ, adjectis Observationibus Criticis, quibus genuinæ à dubiis & suppostitiis discernuntur. Extant etiam hi duodecim Epistolarum libri in editionibus Conciliorum Regia & Labbeana, in Binii verò, Harduini, & aliorum omissæ sunt.

Anno juxtà Labbeum 595. in Syno-

do Rom. Constitutionem, cui Episcopi xxiii. & Presbyteri xxiii. subscripserunt, edidit de Pontificiis Cubiculariis: *Præsenti Decreto constituo, ut quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, ut is, qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant.* Vid. Concil. tom. 3. col. 496. Hard. edit. & Labbei tom. 5.

Anno 601. in Synodo Romana III. Decretum pro libertate Monachorum edidit: *Quia in plurimis monasteriis multa à Præsulibus judicia atque gravamina monachos pertulisse cognovimus; oportet ut vestræ Fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione....* Interdicimus igitur in Nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex authoritate beati Petri Apostolorum Principis, cujus vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, ut nullus Episcoporum aut secularium ultra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere.... Defuncto autem Abbate cujuscunq; Congregationis non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quòd si aptam inter se personam invenire nequeant, solerter sibi curent de aliis monasteriis similiter ordinandum.... Pariter autem custodiendum est, ut invito Abbate ad ordinanda alia monasteria, aut ad sacros Ordines, vel clericatûs officium, tolli exinde monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum & chartarum monasterii ab Episcopo fieri omnino vetamus: sed si quando Rex exigit, Abbas loci cum aliis fratribus causas rerum inventarum faciat, & eorum consilio & judicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis providendisque rebus monasterii acquisitis, vel datis perquirendis nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio omnino fieri prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularis præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus: quod omnino non expedit animabus eorum. Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum potestate, nullúmque monachum sine testimonio vel concessione Abbatis in alia Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem. Hanc ergo Scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus, illibatámque servari.... Universi Episcopi respondere: *Libertati monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus.* Vid. Concil. tom. 3. col. 538. edit. Hard. & tom. 5. Labbei. Confer etiam Greg. M. lib. 7. epist. 18.

S. Bonifacius IV. Pontif. Max. ab anno 607. Sept. 18. ad annum 614. Maji 25. congregata Romæ Synodo anno 610. iii. kalendas Martias Monachorum hostes coërcuit, quo ipsos etsi auctos sacerdotio ab administratione Sacramentorum arceri volebant. Extat ejus hac de re *Decretum* in Collectionibus Conciliorum. Labbeus & Harduinus hujus Decreti editionem aliam ab illa, quam Holstenius tomo 1. Collect. Romanæ vulgaverat, ex pervetusto codice exhibent. Refertur etiam à Gratiano xvi. q. 1. *Sunt nonnulli.* Impensè ergo Bonifacius monachis favit; an verò monachus ipse fuerit, ut Wionius, Cajetanus, Bucelinus, & alii satis multi volunt, non omnino planum Mabillonio videtur.

Adeodatus Pontif. Max. ab an. 669. April. 9. ad an. 676. Jun. 26. Ejus est Epistola ad *Gratianum*, seu *Gordianum* Archipræsulem Toletanum, in qua varii canones ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes continentur. Vid. Mag. Bibl. Eccl. pag. 114. col. 2. Ab eo etiam habetur Epistola ad Episcopos Galliæ de privilegio, quod concessum Abbati monasterii *S. Martini Turonensis.* Ediderunt Massonus, Baronius, Sirmondus, Binius, & Monsugerius. Vid. Fabric. Bibl. Græc. Vol. xi. p. 468.

S. Agatho Pontif. Max. ab an. 678. Octobr. 26. ad an. 682. Jan. 10. Extant ejus *Decreta* apud Gratianum c. 11. *Si omnes* dist. 19. & cap. *Agatho* dist. 63. remissivè ad Pontificale Vaticanum in Decretis Agathonis, & tom. 2. Concil. in Decretis ejusdem Sy-

Synodo etiam Romæ celebrata cum centum viginti quinque Episcopis Italis Monothelitas damnavit, & Concilio Constantinopolitano III. Generali VI. per Legatos præfuit, ejúsque synodica Epistola, ceu ex ore S. Petri prolata à Patribus est suscepta, quam prolixissimam vide Concil. tomo III. edit. Harduin. Aliam editionis regiæ tom. XVI. ad Æthelredum Regem Merciorum, & Theodorum Archiep. Cantuariensem, Sexulfum &c.

S. GREGORIUS II. Pontif. Max. ab an. 714. Maji 22. ad 731. Febr. 11. à S. Bonifacio, quem ad Evangelium in Germania prædicandum miserat, anno 726. variis de argumentis consultus ad singula capita respondit, ea Epistola, quæ habetur editionis regiæ tom. XVII. cujus initium est *Desiderabilem mihi*, quæ à Gratiano perperàm Gregorio III. tribuitur II. Q. V. c. *Presbyter*, XXXII. Q. VII. c. *Quod proposuisti*. De consecratione Dist. 4. c. *Parvulos*, & Dist. 5. l. *de homine*. Anno 721. mense Aprili habita Romæ Synodo adversùs illicita conjugia septendecim canones promulgavit. Hos inter duodecimus est contra eos, qui hariolos, aruspices, incantatores observaverint, aut phylacteriis usi fuerint.

- EJUSDEM Epistolæ aliæ tredecim, 1.) ad Carolum Ducem (Martellum) Majorem Domus (Theodorici) Regis Francorum, cui commendat S. Bonifacium. 2.) ad Episcopos, aliósque tum Clericos tum Laicos. 3.) ad Clerum, Ordinem, & Plebem consistentem Thuringi, cui Bonifacius ordinatus erat Episcopus. 4.) ad Optimates Thuringorum. 5.) ad universum Thuringorum populum. 6.) ad universum populum Alt-Saxonum. *Caroli* Majoris Domus Epistola generalis de suscepto in tuitionem Bonifacio. 7.) Gregorii II. ad Bonifac. Episcop. 8.) ad Germanum CPol. Episc. 9.) ad Ursum Ducem Venetiarum. 10. & 11.) ad Leonem Isaurum Imp. 12.) ad Serenum Forojuliensem Episc. 13.) ad Donatum Gradensem Patriarcham, ejúsque subditos. Vid. Concil. edit. reg. Tom. XVII. Labbei Tom. VI. Harduini Tom. III.

- EJUSDEM Capitulare capitulis XIII. comprehensum, atque Martiniano Episcopo Sabinati, & Georgio Presbytero S. R. E. Legatis in Bajoariam missis, datum, apud Harduin. pag. 1861. & Labbeum pag. 1452.

S. ZACHARIAS Pontif. Max. ab an. 741. Decemb. 5. ad 752. Mart. 31. ad quinque Quæsita à S. Bonifacio Germaniæ Apostolo proposita respondit anno 743. De Sedibus Episcopalibus in Germania erigendis ita Bonifacium monuit: *Meminisse debes, charissime, quod sacris Canonibus præcipimur observare, ut minimè in villulas vel in modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi.* Anno 745. rescripsit super controversia de Baptismo orta. Anno 748. respondit ad varia Capitula, de quibus à Pippino Majore Domûs per Ardobanium presbyterum fuerat consultus. Viginti septem quæstiones de ordine episcopali, de pœnitentia publica, & de matrimoniis illicitis sic resolvit, ut cuilibet antiquum canonem pro responsione subjiciat. Eodem anno kalendis Maji respondit Zacharias ad varia Bonifacii Capitula, proposita in literis, quas Romam detulerat Burchardus Wirceburgensis Episcopus. Anno 751. respondit Zacharias ad Epistolam Bonifacii, & ad varias ejus Quæstiones per *Lullum* gerulum propositas, quæ responsio epistola Zachariæ duodecima continetur. Capitula verò, sive Decreta, vel dixeris Canones XXV. quos congregatæ ad hoc Synodo anno 743. cognoscendos obtulit, vide apud Harduin. Concil. tom. 3. col. 1928. Labbe tom. 3. edit. regiæ tom. XVII.

STEPHANUS III. aliis IV. Pontif. Max. ab an. 768. Aug. 5. ad 772. Febr. 1. (*Decretum*, ut in die dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris, seu Lateranensi deserviunt, Missarum solennia super altare S. Petri celebrarentur, & *Gloria in Excelsis Deo* diceretur. Vid. Anast. Bibl. Ejus Epistolas 1.) ad Bertradam Reginam, 2. & 3. ad Carolum & Carolomannum Reges, 4.) ad Carolomannum, quo compaternitatis spiritualis officium ipsi offert, vid. Concil. edit. reg. tom. XVII. Labbei tom. VI. & Harduini tom. III.

S. GREGORIUS IV. Pontif. Max. ab an. 827. Sept. 24. ad 843. Jan. 25. Epistolam, ut Baronius ad an. 139. habet, ad Galliæ & Germaniæ Episcopos dedit de *causa* Alderici Cenomanensis Episcopi, utpote majori, ad Sedem Apostolicam deferenda, & de appellatione ipsi & aliis Episcopis in similibus causis non deneganda;

ad extremum agit de Romani Pontificis potestate. Aliæ *Gregorii* graves, eæque acerbæ Literæ ad Galliæ Episcopos, qui *periculum honoris*, seu depositionis non sine fastu & supercilio ipsi comminati fuerant, leguntur inter Agobardinas, à Stephano Baluzio an. 1666. in 8. vulgatas.

S. LEO IV. Pontif. Max. ab anno 847. April. 12. ad an. 855. Jul. 17. in Synodo Romana anno 853. Capitula quadraginta duo ad Disciplinam Ecclesiasticam attinentia promulgavit, quorum priora XXXVIII. ex Synodo præcedenti Eugenii Papæ II. repetiit, & additionibus quibusdam ac quatuot Capitulis novis à se conditis auxit. Extant Concil. Tom. v. edit. Harduin. col. 71. Sunt verò, qui ex Anastasio Bibliothecario probare volunt, Leonem monasticen quidem inter Benedictinos exercuisse, ita tamen, ut nunquam eam fuerit professus.

JOANNES IX. Pont. Max. ab an. 901. ad 905. congregata Romæ Synodo an. 904. inter cætera præclare decreta secularibus Magistratibus interdixit, ne Jurisdictionem Episcopalem sibi arrogent, sanxitque, ut Episcopis in eorum diœcesibus libera competat potestas *adulteria, & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundùm quod Canones censuerunt, absque impedimento alicujus. Et cùm opus fuerit ad comprimendos rebelles & contemptores, publicum placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potiùs ad ea, quæ Deo placita sunt, & saluti animarum conveniunt, prosequendum.* Joannes præterea statuit, ut Imperatoris Legati sint præsentes, dum Romanus Pontifex ordinatur. Quod Decretum posteà ut aboleretur, multum cruoris humani effusum est. Abolevit etiam alio Decreto consuetudinem ab obitu Papæ ejus palatium deprædandi. Alteram Synodum *Joannes* Ravennæ coëgit, in qua sancitum fuit, ut sanctorum Patrum Regulis, & Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii & Ludovici II. Capitularibus de præstandis ecclesiasticis decimis mos gereretur, ita ut violatores excomunicationi subjacerent. Baronio teste ad an. 905. n. 9. *Johannes* duas scripsit epistolas ad Stylianum Episc. Neocæsarensem, quem prohibet communicare cum iis, quos Photius sacris Ordinibus initiaverat: tertiam ad Clerum & populum Lingonensem, quartam ad Carolum Simplicem Franciæ Regem.

SYLVESTER II. Pont. Rom. ab an. 999. Febr. 19. ad an. 1003. Maij 12. Ejus Epistolæ CLIX. cum Decreto Electionis editæ fuerunt è Bibliotheca Papyrii Massonii JCti Paris. an. 1611. in 4. Notandum verò, quòd plerasque has epistolas, dum esset adhuc Archiepiscopus Remensis, scripserit, tres autem tantummodò, dum Romanus esset Pontifex. Primam ad Azolinum Episc. Laudunensem, ut accusatus Romanæ Synodo se sistat. Alteram ad Arnulfum, quem sedi Remensi restituit. Tertiam ad Robertum Monasterii Vicceliacensis Abbatem, cujus privilegia confirmat, quam cum duabus prioribus vide apud Harduin. Concil. tom. VI. Labb. tom. IX. edit. reg. tom. XXV.

S. LEO IX. Pontif. Max. ab anno 1049. Febr. 12. ad an. 1054. April. 19. Ejus Epistolæ XVII. extant Conciliorum editionis regiæ tomo XXV. Labbei tomo IX. & Harduini tomo VI. col. 927. 1.) Ad Michaëlem CPolitanum Patriarcham, adversùs ejus & Leonis Acridani Episcopi præsumptiones. 2.) ad Episcopos Venetiæ & Istriæ, ut Patriarchæ Gradensi obedientiam præbeant. 3.) ad Thomam Episcopum Africanum pro Primatu Ecclesiæ Carthag. 4.) ad Petrum & Johannem Episcopos. 5.) ad Petrum Episcopum. 6.) altera ad Michaëlem CPolitanum Archiepisc. 7.) ad Constantium Monomachum Imp. 8.) ad omnes per Italiam Episcopos, ne possessiones omnes suas quisquam donet monasterio, sed earum saltem medietatem Ecclesiæ, ad quam pertinet. „ Relatum est, inquit Pontifex, auribus nostris, esse quosdam, qui subvertere atque dividere conantur ecclesiæ unitatem: videlicet Abbates „ & Monachi, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, „ & docent, atque seducere non cessant seculares homines, quos illaqueare possunt, ut res suas atque possessiones, sive in vita, sive in morte monasteriis illorum tradant, „ & Ecclesiis, quibus subjecti esse videntur, & à quibus baptismum, pœnitentiam, evcharistiam, nec non pabulum vitæ cum lacte acceperunt, vel accipiunt; nihil de bonis suis relinquant &c. „ 9.) Epistola ad Auximenos, post obitum Episcopi, expilatores domorum episcopalium. 10.) ad Joannem Archiepisc. Salernitanum, cui jura metropolitana confirmat. 11.) Epistola ad Princi-

pes

pes Britanniæ. 12.) ad Joannem Portuensem Episc. 13.) ad Hugonem Cluniacensem, & 14.) ad Fulconem Corbeiensem abbatem, quibus privilegia suorum monasteriorum confirmat. 15.) ad Petrum Damianum tunc eremitam, cujus Gomorrhianum approbat. 16.) Privilegium ejus eremo concessum. 17.) ad Sicenolphum Abbatem S. Sophiæ, Beneventi pro confirmandis monasterii illius privilegiis.

In Romana Synodo anno 1049. Decretum contra Simoniacos edidit. Decimas quoq; à cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quosdam Orbis fines, ecclesiis restituit. Venditiones altarium, seu parochialium ecclesiarum sub anathemate prohibuit; sed constituit, ut partes decimarum ad Episcopum pertinentes quisque præsul sibi teneret, aut, cuicunque vellet, tribueret: partem autem ad Altare pertinentem proprio pastori ecclesiæ gratis concederet. Incertas consanguineorum nuptias in multis orbis partibus indiscretè habitas discidit, plurésque nobilium hoc turpi devinctos nexu separavit. Vid. Lud. du Mesnil de Doctr. & Discipl. Eccles. tom. IV. pag. 79.

Idem S. Pontifex in Remensi Synodo duodecim canones condidit. *Primus*, ne quis sine electione Cleri & populi ad regimen ecclesiasticum proveheretur. *Secundus*, ne quis sacros Ordines, aut ministeria ecclesiastica, vel altaria, seu ecclesias emeret, aut venderet: & si quis Clericorum quidlibet eorum emisset, id cum digna satisfactione suo Episcopo redderet. Reliquos Canones vide apud Harduin. tom. VI. Labbeum tom. IX. edit. reg. tom. XXV.

GREGORIUS VII. Pont. Max. ab an. 1073. April. 22. ad 1085. Maij 24. undecim Concilia Romæ celebravit, in quibus fanè quàm præclara condidit Decreta, inter quæ celebre est *Decretum contra Investituras*, quod Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi memoriæ prodidit apud P. Labbeum S. J. Tom. I. Bibliothecæ novæ Mss. Idem Hugo Flaviniacensis ex Quinta Synodo, quam Gregorius Romæ anno 1078. celebravit, duodecim Canones selectos Chronico suo Virdunensi inseruit, his adjectis verbis: *Hæc sunt Beatissimi Papæ Synodalia Decreta, moribus corrigendis idonea, SS. Patrum Decretis consona, cœlo rorante stillata, universis fidelibus inculcanda; justitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentia promulgata, temperantiæ virtute prædita.*

Canonicas sancti hujus Pontificis Epistolas in Libros XI. distributas habemus; liber decimus in exemplari, quod in Bibliotheca Vaticana asservatur, vacat, & duæ tantùm libri undecimi supersunt; prima ad Robertum Comitem Flandriæ, altera ad Guillelmum Regem Anglorum. Quibus duæ appendices accedunt. Vid. Hard. Concil. tom. VI. part. 1. col. 1196. seq.

VICTOR III. Pont. Max. ab anno 1086. Maij 9. ad 1087. Sept. 16. anno 1087. in Synodo Beneventana proscripsit *Investituras*, & tam dantibus, quàm accipientibus aditus ecclesiæ interclusit. Vetuit, ne Pœnitentia & Communio ab Hæreticis, & à Simoniacis, qui in hæreticorum numero sunt, susciperetur. *Quia si nullus adsit Catholicus Presbyter, rectiùs est sine visibili communione persistere, & invisibiliter Domino communicare, quàm eam ab Hæretico sumendo à Deo separari. Nulla enim conventio Christi ad Belial, neque pars aliqua fideli cum infideli. Simoniacus verò, quia hæreticus, idcircò infidelis.* In eodem verò Concilio Pontifex infirmatus, post triduum peractis omnibus, festinus ad monasterium rediit, comitantibus Episcopis, & Cardinalibus, & in Capitulum Fratrum se ferri præcepit. Ubi sub districto anathemate prohibuit, ne quis ex successoribus suis auderet vendere fundos, ecclesias, villas, vel quascunque possessiones ad monasterium Cassinense pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum absque conscientia abbatis sui libellum facere auderet: quod si fieret, irritum esset. Constituit etiam, ut monasteria omnia, quæ sub ditione nostri hujus Cassinensis Cœnobii sunt, singulis annis huic nostræ Congregationi prandium faciant.

Hoc statuto, omnium monachorum unanimi consensu præfatis etiam Episcopis adstantibus atque approbantibus domnum Oderisium, religiosum valde virum, Romanúmque Diaconum, qui tunc erat nostri monasterii Præpositus, Abbatem constituit.

Post hæc convocatis ad se Episcopis & Cardinalibus, monuit ac jussit, ut juxtà Gregorii Papæ statutum, Ottonem Ostiensem Episcopum quamprimùm eligerent, Pontificémque constituerent: quem, quia præsens aderat, manu apprehensum cæteris Episcopis tradi-

tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana Sede locate, meámque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote. Hæc Leo Ostiensis apud Harduin. Concil. Tom. VI, part. 2. col. 1628.

URBANUS II. Pontif. Max. ab anno 1088. Mart. 12. ad 1099. Jul. 19. variis in locis duodecim Synodos ac Concilia celebravit, in quibus multos Canones ac Decreta promulgavit. Guichardo Constantiensi in Germania Episcopo, à quo de variis quæstionibus consultus fuerat, facultatem fecit, ut Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui in aliquod crimen sive secretum, sive publicum lapsi fuerint, suorum Ordinum functiones permitteret, *necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum.* Ejusdem Pontificis Epistolas Canonicas num. XXI. cum appendice aliarum XXXIX. vide apud Harduinum Concil. Tom. VI. part. 2. col. 1627.

PASCHALIS II. Pontif. Max. ab an. 1099. Aug. 12. ad 1118. Jan. 21. in Concilio Lateranensi contra Henricum IV. Imperatorem celebrato, Formulam Anathematismi, & Juramentum Fidelitatis ac Obedientiæ Romano Pontifici præstandum totius Ecclesiæ Archiepiscopis, priusquàm pallium reciperent, præscripsit anno MCII. cujus hic tenor: *Anathematizo omnem hæresim, & præcipuè eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet & adstruit, anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Pontifici Domino Paschali, ejúsque successoribus, sub testimonio Christi & Ecclesiæ, affirmans, quod affirmat, damnans, quod damnat sancta & universalis Ecclesia.* Fuerunt Metropolitani, qui illud juramentum respuerent, per eam causam, quòd omne juramentum à Christo in Evangelio sit prohibitum, nec ab ipsis Apostolis post Dominum statutum, nec ullis Canonibus in Conciliis præscriptum; ut constat ex epistolis Paschalis II. ad Archiepiscopum Panormitanum in Sicilia, & Colociensem in Hungaria, cujus objectiones sic repellit, formulámque suam his verbis vindicat: „Ajunt, omne jusjurandum „ à Christo Deo in Evangelio prohibitum, nec ab ipsis Apostolis post „ Dominum, nec in Conciliis inveniri posse statutum. Quid ergò est, „ quod idem Dominus ait: *Quod* „ *amplius est, à malo est.* Hoc enim „ amplius ut exigamus malum nos, „ illo permittente compellit. Nónne „ malum est contra Canonum statuta „ prorumpere? Quàm multi hoc, „ etiam post sacramentum hoc præsumpserunt? Nónne prædecessor „ tuus præter Romani Pontificis conscientiam damnavit Episcopum? „ Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos, non „ auctoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur? Propter „ hæc mala, & alia evitanda hujusmodi juramentum exigitur. . . . . „ Ajunt, in Conciliis statutum non „ inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ „ legem Concilia ulla præfixerint, „ cùm omnia Concilia per Ecclesiæ „ Romanæ authoritatem & facta sint, „ & robur acceperint, & in eorum „ statutis Romana patenter authoritas excipiatur. Nónne in Chalcedonensis Concilii actione decima „ sexta statutum est: Ante omnia „ quidem primatûs honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ „ Romæ Archiepiscopo servari, con„ servari? Itaque quod censuerunt „ Rex & Magnates à supradicti sacramenti conditione te quiescere, videtúrne vobis judicium Evangelicum? . . . . Nunquid Hungarico „ Principi dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos? Nunquid hæc nos commodi nostri provectione requirimus, & non unitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem „ contemnere, possunt adversùm nos „ calcaneum elevare; datum à Deo „ privilegium evertere vel aufere non „ possunt, quo Petro dictum est: Tu „ es Petrus, & super hanc petram „ ædificabo Ecclesiam meam. --- Tibi „ dabo claves regni cœlorum. Cùm „ igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigatis, quæ à „ Beati tantùm Petri corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debita „ signa solvatis, quæ vos cum beato „ Petro tanquam membra de membro „ hærere, & Catholici Capitis unitatem servare declarent. In quibus „ à prædecessoribus nostris ea est adhibita moderatio, ut nihil injuriosum, nihil difficile sit appositum, „ quod non etiam præter exactionem „ nostram ab omnibus debeat Episcopis observari, qui sub Apostolorum „ Principum Petri & Pauli obedientiâ „ decreverunt & unitate persistere. „

Plura alia Paschalis in causa investiturarum contra Henricum V. decrevit in Conciliis Lateranensi secundo & ter-

tertio, atque Viennensi, in quo prædictus Imperator ob extortas investituras anno 1112. excommunicatus est. Ejus *Regestum* adornavit Gelasius II. ex Monacho Casinensi Romanus Pontifex, & immediatus successor. Epistolas verò ejusdem Canonicas exhibet Harduinus. Concil. tom. VI. part. 2. pag. 1763. Vide plura de hujus Papæ Epistolis apud Fabric. Bibl. med. Lat. l. 14. p. 582.

GELASIUS II. Pontif. Max. ab an. 1118. Jan. 21. ad 1119. Jan. 29. edidit Epistolas VII. quarum duæ postremæ in regia Conciliorum editione desiderantur. At primæ tres pertinent ad *Mauritium* Bracarensem, quem Henricus Imp. sub nomine *Gregorii VIII.* vero Pontifici oppofuerat.

INNOCENTIUS II. Pontif. Max. ab an. 1130. Febr. 14. ad an. 1143. Sept. 24. scripsit Epistolas XLVIII. quæ apud Labbeum Tomo X. & Harduinum Tom. VI. part. 2. habentur, in regia verò editione desiderantur. In Epistola XLI. lætitiam præfert, quòd ipse cum fratribus suis debacchantium Judæorum furorem ac rabiem evaserit.

COELESTINUS V. Pont. Max. ab an. 1294. Julii 5. usque ad 12. Decemb. quo se Pontificatu sponte abdicavit, edita Constitutione: *Licere Pontifici Romano abdicare se Magistratu*: cujus rei unus ultrò ipse exemplum edidit.

CLEMENS VI. Pontif. Max. ab an. 1342. Maij 7. ad an. 1352. Dec. 6. Non contentus, quòd Armenorum *Catholicus* & Præsules professi essent, Ecclesiam Romanam esse solam Catholicam, solum Pontificem Romanum habere plenitudinem potestatis, locum tenere B. Petri, esse universalem Christi Vicarium, ab ipsis explicatam magis Pontificis Primatûs professionem exegit, cujus capita in literis ad eundem *Catholicon* anno 1351. datis legere est apud Odoricum Raynaldum num. XI. Ego hic quintum, octavum, & decimum tertium adscribam.

V. *Si credidisti, & credis, quòd in tantum fuerit, fit, & erit suprema & præeminens auctoritas & juridica potestas Romanorum Pontificum, qui fuerunt, nostri, qui sumus, & illorum, qui in posterum erunt, ut à nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt: sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemur, & servabuntur. Et quod à sententiis & judiciis nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem Judicem alium appellari.*

VIII. *Si credidisti, & credis, Romanum Pontificem solum posse sacros Generales Canones condere, plenissimam Indulgentiam dare visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, vel ad Terram sanctam accedentibus, aut quibuscunque Fidelibus verè & plenè pœnitentibus & confessis.*

XIII. *Si credidisti, & adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa Fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere: Et esse verum & catholicum, quidquid ipse authoritate clavium sibi traditarum à Christo determinat esse verum, & quod determinat esse falsum & hæreticum sit censendum.* In his tribus Capitibus Romani Pontificis suprema authoritas & infallibilitas independenter à consensu Ecclesiæ stabilitur, quam nos Benedictini Theologi in Germania reveremur, & profitemur; utinam etiam omnes in Gallia.

Præter alia multa Decreta Clemens VI. Jubilæum ad quinquagesimum annum redactum, anno MCCCL. celebrandum indixit, Constitutione *Unigenitus*, quæ inter *Extravagantes* communes Tit. *de Pœnis & Remissionibus* legitur. Contra bonorum ecclesiasticorum occupatores Constitutionem edidit. Nec non alteram de cibo & potu ac numero servientium, quibus uti possunt S. R. E. Cardinales existentes in Conclavi pro electione Summi Pontificis. Ejus Declarationem *de Monachis nigris* exhibet Baluzius Tomo V. Miscell. pag. 152. *Encyclicam* Avenione datam an. 1349. ad omnes Archiepiscopos, eorúmque Suffraganeos *adversùs flagellantes* Labbeus Tomo XI. & Harduin. Tom. VII. Conciliorum. *Bullam contra adulteratores monetarum* Lucas Acherius Tom. XI. Spicilegii pag. 392. (editionis novæ Tom. III. p. 730.) Eodem Tomo tertio novæ editionis aliæ extant hujus Pontificis Epistolæ XXXII. pag. 722. seq. quas prior Spicilegii editio offert Tomo IV. pag. 271. seq. & Tom. VII. pag. 242. Epistolæ X. apud Bzovium ad an. 1342. Aliæ XXX. apud Waddingum in Annalibus Minorum tom. III. ad an. 1342. &c. Aliæ CCXII. ibidem in Regesto Pontificum. pag. 1. Quid plura? Clementis VI. Epistolarum & Decretalium volumina plura Mſ.ta in Bibliotheca Vaticana asservantur, prout libro I. hujus Partis specialis jam dixi.

URBANUS V. Pontif. Max. ab an. 1362. Oct. 28. ad 1370. Dec. 19. Ejus

Epi-

Epistolæ Canonicæ III. extant Conciliorum Tomo xi. edit. Labbe. *Constitutio contra spiritualem polygamiam*, id est, *pluralitatem beneficiorum*. ibid. *Epistolæ* aliæ de unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina apud Bzovium ad an. 1365. & aliæ LX. apud Waddingum Annal. Min. Tom. IV. ad an. 1363. & aliæ LVII. ibidem in Regesto Pontif. pag. 71. *Epistolarum* volumen MS. in Bibliotheca Vaticana. Vid. Cav. Hist. Lit. ad an. 1362. Ab ingredientibus Religiosa Sodalitia Virorum, seu sacrarum Virginum, *in personarum receptione aut ante vel post illam quæcunque, pastus, prandia, sive cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad ecclesiasticum, seu quemvis pium locum deputata, seu deputanda* exigi prohibuit sub pœnis excommunicationis à dantibus & accipientibus, suspensionis verò à Capitulis & Conventibus incurrenda; *à quibus præterquàm in articulo mortis absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Diploma, teste Alex. Nat. Histor. Eccl. tom. VII. pag. 56. col. 2. exhibet Odoricus Raynaldus ad annum 1369. num. 15. An verò hodie contra hanc Constitutionem in Germania præscriptum sit? problema esto. Praxis est multiplex, qui non credit, est simplex; præsertim apud Moniales, quarum avaritia est invincibilis; neque ulla Constitutione Pontificia satis edomita & suppressa.

§. II.

Qui præter Summos Pontifices Canones, Decreta & Statuta in Conciliis condiderunt.

S. AUGUSTINUS Cantuariensis Archiepiscopus Synodum Wigorniensem anno 601. celebravit, duas habendo sessiones, in quibus primò poposcit obedientiam Romanæ Ecclesiæ postea ut Britones sint Romanis conformes in tribus istis, in Paschate celebrando, in baptismo ministrando, in prædicando Anglo-Saxonibus. Vide Bedam lib. 2. Hist. Anglicanæ c. 2. Conciliorum Edit. Reg. Tom. XIV. Labbei Tom. V. & Harduini Tom. III.

S. LEODEGARIUS Augustodunensis Episcopus circa an. 670. Synodum celebravit, in quo Canones XVI. sanxit: in eorum ultimo hæc decrevit: „De Abbatibus verò vel monachis „ita observare convenit, ut quid„quid canonicus ordo vel regula P. „Benedicti edocet, & implere & cu„stodire in omnibus debeant. Si „enim hæc omnia fuerint legitimè „apud Abbates vel monasteria con„servata, & numerus monachorum, „Deo propitio, augebitur, & mun„dus omnis per eorum orationes affi„duas malis carebit contagiis.„ Hosce „verò Augustodunenses S. *Leodegarii* „Canones exhibent Conciliorum Edit. „Reg. Tom. XV. Labbei Tom. VI. & Harduini Tom. III. ex collectione Canonum in Bibl. Ecclesiæ Andegav. & in Bibl. S. Benigni Divionensis.

S. WILIBRORDUS Episcopus Ultrajectensis, Frisiorum & Danorum Apostolus scripsit, teste Pitseo de Scriptor. Angl. æt. 8. pag. 140. *Ecclesiasticorum Canonum libr. unum*, qui tamen, quod sciam, in nulla Conciliorum collectione exhibetur.

CUTHBERTUS Magesetus, Archiepiscopus Cantuariensis *Synodalia Decreta* sui temporis condidisse fertur à Wilhelmo Malmesburiensi libro IV. de gestis Pontificum Anglorum pag. 285. Ad superos migravit Cuthbertus A. C. 758.

S. BONIFACIUS Archiepiscopus Moguntinus, & Germaniæ Apostolus quinque Concilia partim celebravit, partim iisdem interfuit. *Germanicum I. Liptinense, Suessionense, Germanicum II. & Germanicum III.* quod à Conciliorum collectoribus, aliisque prætermittitur. In his ut varia saluberrima Decreta, quæ ad fidei & morum seu conservationem, seu correctionem spectant, conderentur, præcipuus author fuit. *Pagius* ad an. 742. n. 9. pag. 250. In Concilio *Germanico* XI. kalendas Maji an. Dom. 742. celebrato sancita ab eo fuerunt VII. Capitula. I.mum est de Episcopis in Germania constitutis, & de Synodo singulis annis congreganda. II. Ut Clerici arma non tractent, neque ad exercitum pergant, præter eos, qui sacrorum causa electi fuerint. Item ut à venationibus abstineant. III. Ut presbyteri parochiarum Episcopo suo sint subjecti, & ministerii sui rationem illi reddant: paratique sint ad illum in visitatione suscipiendum: ab illo chrisma novum accipiant: illum castitatis, vitæ, fidei, & doctrinæ suæ testem habeant. IV. Ut ignoti Episcopi ac presbyteri sine probatione ad ministerium non admittantur. V. Ut Episcopus cum comite provideat, ne

popu-

populus paganas observationes faciat. VI. De pœnitentia Clericorum, vel Monachorum aut Monialium, quæ in fornicationem inciderint. VII. Ut Presbyteri & Diaconi sagis non utantur, sed casulis, & ut in domo sua mulieres non habeant. Item ut Monachi & Moniales juxta regulam S. Ben vivere studeant. Labbeus Concil. tom. VI. cujus ad primum Canonem annotationem discutit Fabricius Bibl. Græc. Volum. XI. lib. VI. cap. 4. pag. 478.

- EJUSDEM *Synodalia Statuta* num. XXXVI. Spicilegii tom. XI. edidit Lucas Acherius, quæ Harduinus Conciliorum tomo III. col. 1943. inseruit.

AHYTONIS, sive HATTONIS, HEITONIS, & HAIDONIS ex Abbate Augiæ Divitis Episcopi Basileensis an. 836. mundo denati *Capitulare XXV.* Capitibus constans, quod pro directione suorum Presbyterorum ordinavit eos instruendo, *qualiter seipsos ac plebem sibi commissam castè & justè regere, atque in religione divina confirmare deberent.* Illud ex Bibliotheca Eminentissimi Card. Francisci Barbarini curâ doctissimi ac R.^mi Abbatis Generalis, & postea S. R. E. Cardinalis Joannis Bona acceptum in lucem publicam edidit Domnus Lucas Acherius Tomo VI. Spicilegii vet. edit. pag. 691. novæ verò Tom. I. pag. 584. Nunc etiam Conciliorum Tom. VIII. legitur. Quæ verò præcipuè notanda in Capitulari *Ahytonis*, excerpsit Nat. Alex. & suæ Historiæ Ecclesiasticæ Tom. VI. cap. 3. pag. 39. intexuit.

B. RHABANUS MAURUS, Moguntinus Archiepiscopus ex Abbate Fuldensi anno 847. cum duodecim suffraganeis suis Concilium Moguntiæ celebravit, ac Canones triginta & unum condidit, quorum summa est *Prædicatio Episcoporum*; *Redituum ecclesiasticorum canonica dispensatio; Monachi Parochialibus Ecclesiis præfecti*; *Pœnitentia moribundorum*; *Extrema unctio viatico præmissa*; *Incestorum matrimoniorum diremptio*; *Consanguinitas in 4. gradu impedimentum dirimens matrimonium*; *Regulæ, secundùm quas modus tempúsque confitentibus imponi debet.* Quæ vide diductiùs apud Natalem Alexandrum Histor. Eccl. Tom. VI. pag. 94. Statuta autem hujus à Rhabano celebrati Concilii novissimè recusa habentur in in parte 1. Spicilegii Ecclesiastici *des Teutschen Reichs Archivs* à Lunigio edi-

ti Sect. II. n. 3. pag. 4. & seq. Ejusdem Rhabani Responsa Canonica super quibusdam interrogationibus Reginbaldi Chorepiscopi vide apud Harduinum Concil. Tom. V. col. 1411. seq. & apud Labbeum tom. VIII. pag. 1845. edit. reg. tom. XXIII. ubi habetur etiam ejusdem B. Rabani opusculum, si liceat Chorepiscopis Presbyteros & Diaconos ordinare cum consensu Episcopi sui.

HINCMARUS Senior Remensis Archiepiscopus ex Monacho S. Dionysii, in Conciliis, quibus permultis interfuit & præfuit, complures saluberrimos condidit Canones. Sic anno 874. Synodum Remis habuit, in qua quinque Capitula Presbyteris suis tradidit observanda. *Primò* inhibuit, ne Parochiarum Presbyteri simul Canonici in Monasteriis essent, vel contrà, Canonici Monasteriorum parochianas ecclesias tegerent. *Secundò* vetuit pro loco matriculæ quidpiam ab aliquo exigi vel accipi. *Tertiò* indebitum ad fœminas accessum vitare Clericos iterum monuit promulgatis Canonibus, & à ministerio dejiciendos sanxit, qui se non emendarent. *Quartum* in eos editum est, qui de facultatibus ecclesiasticis alodes comparabant, & illos non Ecclesiæ, sed consanguineis relinquebant. *Quintò* cavit, ne pro Ecclesiis viduatis præmia Patronis darentur. Anno 852. jam priora alia XVII. Capitula dederat Presbyteris Parochiæ suæ. His alia XXVI. superaddidit, quibus de rebus Magistri & Decani per singulas ecclesias inquirere, & Episcopo renuntiare debeant. Alia III. sic peradita anno duodecimo Episcopatûs, hoc est Christi 857. Et alia Capitula XIII. *Guntbario* & Odelhardo Archidiaconibus data, quibus ipsis prohibuit, Ne in suis Visitationibus Curatos gravarent; Ne occasione victûs, sed instructionis Parochias lustrarent; Ne xenia à Presbyteris acciperent, ut eorum vitia dissimularent; Ne denaria vel eulogia ab ipsis exigerent; Ne suos vel amicorum equos ipsis ad pastum commendarent; Ne parochias rusticanas confunderent, aut dividere præsumerent; Ne alicui capellam domi habere, aut Missam in domo sua celebrari concederent; Ne pœnitentes negligentes ad reconciliationem pro aliquo munere adducerent, vel postea negligerent; Ne indignos & incapaces pro aliquo munere sisterent ordinandos. Fatendum

tamen est, quòd Hincmarus id genus Capitula magnam partem ex Canonibus excerpserit. Edidit verò Sirmondus in Conciliis Galliæ, & in Hincmari Operum tom. I. pag. 701. atque inde Labbeus tom. VIII. Concil. pag. 568. & Harduinus tomo V. pag. 391.

Hincmari ejusdem Epistola ad Presbyteros Remensis parochiæ de baptismo, à Labbeo ex MS. Codice edita. Incipit: *Cupiens vos in omni sensu & doctrina, atque operis perfectione.*

Aliæ duæ *Hincmari* Epistolæ Synodales memorantur à Fabricio Bibl. Græcæ vol. XI. lib. 6. c. 4. p. 556.

ODONIS SEVERI Archiepiscopi Cantuariensis ab anno 933. ad 958. *Constitutiones* tempore Regis Angliæ Edmundi latæ de Officio Regis, Magistratûum & Cleri, & de juribus Ecclesiæ ritè conferendis Capitula X. extant in Spelmanni Tom. I. Concil. Angl. pag. 415.- 418. & in Conciliorum Editione regia Tom. XXV. Labbei Tom. IX. & Harduini Tom. VI. part. 2. ubi etiam habetur *Odonis* Epistola Synodalis ad Episcopos sibi suffraganeos.

S. DUNSTANUS Archiepiscopus Cantuariensis anno 969. Concilium ex omnibus Angliæ Episcopis congregavit, quod propterea *Generale* vocant, in quo Statuta & Decreta adversùs Clericos conjugatos condita fuerunt. Vide Spelman. tom. I. Concil. Angl. pag. 479. & inde in edit. reg. Tom. XXV. Labbei Tom. IX. & Harduini Tom. VI. part. I. Ubi etiam habetur injuncta à S. Dunstano Regi Edgaro septennis pœnitentia, quòd claustralem virginem compressisset. Anno 988. sub eodem sancto Archipræsule Landavensis Synodus habita fuit, in qna anathema declaratum est Arthmail Regi Grentiæ, filio Nougui, ob fratrem Elised interemtum.

HATTO ex Monacho & Abbate Augiensi à Rege Arnulpho in locum S. Sunderlodi Moguntini Metropolitæ, tum à Normannis Germaniam depopulantibus, occisi anno 891. suffectus est. Qua ille dignitate auctus nihil de priori zelo, & in rebus ecclesiasticis fervore remisit; quin potiùs, quò altiori cathedræ præsidebat, eò majorem etiam conatum & industriam adhibuit, ut distortos Germaniæ mores emendaret, præsertim etiam Episcoporum auctoritatem tum à seculari potentia contemptam ac ferè pessumdatam exaltaret. Quod abundè præstitit, quando singulari Germaniæ emolumento viginti sex Episcoporum, multorúmque Abbatum Synodum ad Tiburiam, villam regiam, urbi Moguntinæ vicinam anno 895. congregavit, ac Canones LVIII. tum pro tuenda Episcopali auctoritate, tum reformanda disciplina Ecclesiastica sanxit. Vid. Jo. Egon. lib. de Vir. Illustr. Aug. Div. part. 2. cap. 19. Ejusdem *Hattonis* Epistola ad Joannem IX. Papam de Archiepiscopatu apud Moravos erecto, extat apud Harduinum Concil. tom. VI. col. 482.

S. GODEHARDUS, seu GOTTHARDUS Schyrensis in Bavaria Comes ex Monacho & Abbate Tegernseensi Episcopus Hildesheimensis *Synodales Constitutiones* de Quatuor Temporum jejunio, & de Sanctissimo Altaris Sacramento ex Patrum Decretis desumptas evulgavit anno 1029. Eisengrenius in Catalogo Testium Veritatis, & ex eo Antonius Possevinus in App. Sac. Excidisse verò *S. Godehardi Constitutiones* nullus dubito, cùm à Labbeo & Harduino, Conciliorum Collectoribus ne memorentur quidem, licèt Synodalia singularium Diœceseon Statuta usque ad annum 1300. edidisse se testentur.

ALFREDUS ex Monacho Corbeiæ Saxonicæ Hildesheimensis Episcopus IV. ut Ecclesia sua incrementa caperet, Synodales Constitutiones, ex Jure & Patrum Decretis sumptas, in suæ Diœceseos usum congessit. Eisengren & Possev. ll. cc.

B. LANFRANCUS Cantuariensis Archiepiscopus, & totius Angliæ Primas diversa in diversis locis Angliæ celebravit Concilia, quibus ad nutum ipsius Lanfranci interfuit Thomas Eboracensis Archiepiscopus cum cæteris Episcopis. Primum itaque celebtavit idem Lanfrancus Generale Concilium apud *Wintoniam*; Secundum apud *Londoniam*; Tertium iterum apud *Wintoniam*; Quartum & Quintum apud *Glocestriam*. In his omnibus Conciliis Lanfrancus varia sanxit & decrevit, cujus jussionibus canonicis Thomas Eboracensis Archiepiscopus, cæteríque Angliæ Episcopi paruerunt. Henr. Spelman. Concil. Angl. tom. 2. pag. 15. Ejusdem B. Lanfranci Epistolas Canonicas collectas ex ipsius Epistolarum libro edidit Harduinus Concil. Tom. VI. part. I. col. 1678. *Prima* est ad Thomam Eboracensem Archiepiscopum De pœnitente tripli-

cis

tis homicidii reo. *Secunda* ad Thomam Eborac. Archiep. De iis, qui uxores fornicationis causa relinquere, & alias ducere volunt, quid sentiendum: & de eo, qui eam, quæ uxor putatur, se desponsasse abnegat. *Tertia* ad Joannem Rothomag. Archiep. Occasione literarum ejus de nonnullis ritibus differit, ad dedicationem ecclesiarum, & subdiaconorum ordinationem spectantibus. *Quarta* ad Herfastum Episcopum, Quo pacto erga eum gerere se debeat, quem nullis adhuc ordinibus initiatum & uxoratum, ad diaconatum promoverat. *Quinta*, ad Herebertum Episcop. Ut Berardum clericum vexare desistat: & quia ipsius literas spreverat, ex sacris canonibus discat, quæ reverentia Metropolitanis debeatur. *Sexta* ad Mauritium London. Episc. De clerico, qui in ejus Episcopatum sine formatis venerat. *Septima* ad Walcherum Dunel. Episcop. respondet de presbytero, qui in claustro monachorum sine benedictione nutritus fuerit, ad seculum redire non posse. *Octava* ad Stigandum Cistrensem Episcop. De Clericis Ecclesiæ Cantuariensis, eorúmque immunitatibus. *Nona* ad Goisfridum Episcop. De Sanctimonialibus professis, vel ad altare oblatis, & de iis, quæ nec professæ, nec oblatæ, aut quæ non amore religionis ad monasterium confugiunt. *Decima* ad Domnaldum Hiberniæ Episc. Infantibus ante usum rationis Eucharistiæ perceptionem non esse necessariam. Quæstiones secularium literarum Episcopo esse indignas. *Undecima* ad Rogerium Comitem, ab excommunicatione solvi non posse, nisi Regi satisfaciat. *Duodecima* ad Abbatem T.... Ut excommunicatam adulteram de cœmeterio ejici præcipiat. *Decima tertia* ad Rodulfum Abbatem, posse monachum, qui in uno monasterio stabilitatem promiserit, justis de causis in aliud transmigrare.

S. ANSELMUS Archiepiscopus Cantuariensis in Synodo Londinensi An. Dn. 1102. viginti novem saluberrimas edidit constitutiones, quas tamen totus illius provinciæ Clerus, disciplinæ ecclesiasticæ, maximè Cœlibatûs, impatiens, recusavit; unde Girardus Eboracensis Archiepiscopus Anselmo scripsit: „Sitio Clericorum „meorum integritatem: sed præter in „paucis admodùm vel aspidis surditatem vel fabulosi cujusdam Prothei „mutabilitatem invenio, variis linguarum aculeis modò minas modò „convitia infligunt. Professiones „verò mihi penitùs abnegant Canonici illi, qui sine professione ad „sacros ordines inordinabiliter sunt „provecti: hi etiam, qui in Presbyterio vel Diaconatû constituti, „& uxores sive concubinas in publico hactenus habuerunt, & ab „Altari nulla se reverentia continuerunt. Cùm verò ad ordines aliquos „invito, durâ cervice renituntur, ne „in ordinando castitatem profiteantur. Willelmus tamen Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconus Presbyteros excommunicavit, quia suas uxores, veriùs concubinas reduxerant; ejus sententia ab Anselmo confirmata fuit, qui tamen apud Regem intercessit, ne ejusmodi canonum violatores pœna mulctarentur pecuniaria. Anselmi Epistolas aliquot Canonicas vide apud Hard. Concil. tom. VI. part. 2. col. 1868.

ALBERICUS Monachus primùm Cluniacensis, tum Episcopus Ostiensis, ac Pontificis Innocentii II. in Angliam Legatus anno 1139. decimo tertio Decembris in ecclesia S. Petri apud Westmonasterium Synodum celebravit, in qua post multam defensionem septendecim capitula condita sunt. In decimo sexto Apostolica authoritate decimas persolvi statuit sub pœna excommunicationis: unde falluntur, qui præceptum de persolvendis decimis in Lateranensi Concilio tertio tunc primùm promulgatum fuisse scripserunt. Vid. Concil. edit. reg. tom. 27. Labbei tom. X. Harduini tom. 6. part. 2.

CASPAR CARDOSO, Potentinus in Regno Neapolitano Episcopus, quem virum clarissimum appellat *Ughellus* in Italia Sacra; Synodum bic celebravit, quæ edita est hoc titulo:

Constitutiones & Decreta Synodi Potentinæ. Romæ apud Guillelmum Facciottum an. 1606. in 4. Anno MDCVI. cum titulo Dragonensis Episcopi Vicarius, sive Coadjutor datus est Sebastiano Barnabæ Potentino Præsuli: quo defuncto hanc Ecclesiam gubernavit usque ad MDCXV. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov pag 400.

JULIUS MARIA ODESCALCUS, Ven. Servi Dei Innocentii XI. Summi Pontificis frater germanus, patriâ Novocomensis apud S. Petrum in Glassiate D. P. Benedicto nomen dedit an. 1613. die 19. Julii. Quamdiu autem in Mo-

nasterio vixit, omnium virtutum exemplar, præcipuè humilitatis & castimoniæ seipsum exhibuit. At ad Novariensem Episcopatum, quem E.mus Frater dimiserat, an. 1655. promotus, animarum pastor numeris omnibus absolutus, cœlestíque sapientia præditus cunctis apparuit; copiosissimas eleemosynas cùm publicè, tum privatim ab eo erogatas adhuc enarrant Novarienses; verus enim egenorum Pater, omnibus, qui ad ipsum, tanquam beneficentiæ fontem confluebant, inprimísque Clericis pauperibus alimenta, vestes, aliáque subsidia abundè suppeditabat, in re divina facienda, cæterísque ecclesiasticis officiis, ritibúsque peragendis singularem animi pietatem, & majestatem prorsùs sacram ostendebat. Quamvis autem justitiam misericordiæ semper conjungeret, impudicitiam tamen in Ecclesiasticis viris acerrimè insectabatur. Diœcesim totam maxima diligentia bis lustravit, eámque saluberrimis Constitutionibus Synodalibus adversùs irrepentes abusus validè præmunivit; tandem cum annos XI. Novariensi Ecclesiæ sanctè, ac mira sollicitudine præfuisset, an. 1666. ipsa D. Augustino Hipponensi Episcopo sacra die, quem ille imitari semper summoperè studuerat, ad cœlos, ut sperare fas est, evolavit. Synodica verò Diœcesana Acta sub hoc titulo promulgari curavit:

Decreta Synodalia Ecclesiæ Novariensis in exortu pacis ab Ill.mo & R.mo DD. Julio Maria edita, Episcopatûs sui anno 4. *Novariæ impressa. an.* 1660. Vid. Armell. Bibl. Sac. part. 2. p. 63.

AUGUSTINUS ISIMBARDI, Italus, Ticinensis, ex Marchione Monachus Congregationis Casinensis, subinde Abbas, ac demùm Cremonensis Episcopus à Clemente X. Pontifice creatus. Quo in munere optimi pastoris partes explevit omnes, Diœcesin lustrando, sanctiones saluberrimas Synodales edendo, easque libello complexus populis exhibendo. Animam pro ovibus suis tradidit anno 1681. Synodus ab eo celebrata hoc titulo insignita prodiit:

Constitutiones Synodales editæ & promulgatæ die 30. & 31. Augusti, & prima Septembris 1679. additis nonnullis Constitutionibus, & Decretis Apostolicis, & Edictis Episcopalibus. Cremonæ an. 1680. ex typographia Francisci de Zannis. Armell. l. c. part. 1. pag. 62. & quos allegat Nicolaus Coleti, & Ferdinand. Ughellus.

ALCUINUS Abbas S. Martini Turonensis interfuit Concilio Francofurtensi, quod Carolus M. è Franciæ, Germaniæ, atque etiam Britanniæ Episcopis convocavit; cuíque Theophylactus & Stephanus Episcopi missi ab Hadriano Pontifice præsederunt. Conditi sunt in ea Synodo canones sex & quinquaginta, ad quos condendos quòd plurimùm contulerit *Alcuinus*, eum Rex toti Synodo commendavit, ut in Patrum consortio & orationibus reciperetur, quod omnes facilè annuerunt. Mabill. Annal. Bened. tom. 2. pag. 313.

S. BENEDICTUS Anianæ primùm, postmodùm Indensis Monasterii Abbas præsedit in Concilio Aquisgranensi anno 817. pro reformandis Monachis celebrato Abbatum Conventui, cum quibus, vel quorum potiùs consensu edidit Capitula LXXX. inviolabiliter à Regularibus conservanda. Quâ de re Ardo in vita Benedicti sic scribit: „ Præfecit eum quoque Imperator „ [*Ludovicus Pius*] cunctis in regno „ suo cœnobiis, ut sicut Aquitaniam, „ Gothiámque norma salutis instru„ xerat, ita etiam Francos salutifero „ imbueret exemplo. Multa denique „ Monasteria erant, quæ quondam „ regulariter fuerant instituta, sed pau„ latim tepescente rigore, regularis „ pæne deperierat ordo. Ut autem „ sicut una omnium erat professio, fie„ ret quoque omnium Monasteriorum „ salubris una consuetudo, jubente „ Imperatore, aggregatis Cœnobio„ rum Patribus una cum plurimis Mo„ nachis per plures resedit dies. Om„ nibus ergò simul positis, Regulam „ ab integro discutiens, cunctis ob„ scura dilucidans dubia patefecit; „ priscos errores abstulit; utiles con„ suetudines, affectúsque confirma„ vit. Judicia igitur Regulæ, cun„ ctáque dubia ad proficuum deducta „ effectum, quas minùs Regula pan„ dit consuetudines, assentientibus „ cunctis, protulit, de quibus etiam „ *Capitulare institutum Imperatori con*„ *firmandum præbuit*, ut omnibus in „ regno suo positis Monasteriis obser„ vare præciperet, ad quem librum „ scire cupientem dirigimus; cui pro„ tinus Imperator assensum præbuit, „ inspectorésque per singula posuit „ Monasteria, qui utrùm ea, quæ visa „ fuerant, sic observarentur, inspice„ rent, quíque etiam formam salu„ brem ignorantibus traderent. Per„ fectum itaque propagatúmque est

„ opus

„ opus divinâ opitulante misericordia, „ & una cunctis generaliter posita ob- „ servatur regula, cunctáque mona- „ steria ita ad formam unitatis reda- „ cta sunt, ac si ab uno magistro, & „ in uno imbuerentur loco; unifor- „ mis mensura in potu, in cibo, in vi- „ giliis, in modulationibus cunctis „ observanda est tradita. „

Capitula verò hæc primùm edidit Pithæus addit. 1. ad Capitularia Regum Ansegisi; inde repræsentavit ad finem Tomi III. Chronographus noster Antonius Yepez, qui & Notis illustravit. Severinus Binius suis inseruit Conciliorum tomis, ùti & Sirmondus Tom. II. Concil. Gall. & ex ejus exemplari Hæftenus ad calcem Disquisitionum Monasticarum lectoribus subjecit; & cum pleraque in Disquisitionibus allata ab ipso sint, iis indicatis, reliqua breviter & doctè more suo illustravit. Ascanius Tamburinus Tom. I. de Jure Abbatum editionis Romanæ. Postremò Harduinus Conciliorum Tomo IV. col. 1228.

B. Servatus Lupus, Abbas Ferrariensis, interfuit anno 844. Synodo *Vernensi*, quæ in *Verno* Palatio (cui hodie *Vernoni* nomen est ad Sequanam fluvium) jussu Caroli Calvi Regis celebrata est, cuique *Ebroinus* Pictàvorum Episcopus & sacri Palatii Archicapellanus; & *Wenilo* Senonensium Archiepiscopus, & HLudovicus sancti Dionysii Abbas, & *Hincmarus* pòst Remorum Archiepiscopus præfuerunt. Dedit verò Lupus, teste Stephano Baluzio, egregium specimen Ecclesiasticæ jurisprudentiæ in Canonibus hujus Concilii condendis, quorum numero duodecim, ac sequentes fuerunt. *Primò* Patres Regem adhortantur, ut cultum Dei rebus omnibus præferat, & misericordiam & judicium atque justitiam conservet, exemplo *Davidis* & *Ezechiæ*, ac ipsius Caroli M. ejus avi. *Exemplo vobis esse possunt David & Ezechias..... Sed & domesticum lumen Imperator Carolus, qui nomen, quod familiæ vestræ peperit, clarissimis actibus adornavit.* Se autem non temerè Regem admonere ostendunt: *Quia*, inquiunt, *Vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati, diem tremendi judicii cum cæteris Fidelibus exspectatis.* Canone *secundo* Regem rogant, ut sceleratos, & *Apostolicæ Disciplinæ contemptores* missis à latere suo probatæ fidei legatis coërceat, *Canone tertio* rogant ejus majestatem, ut Religiosos & idoneos viros in Provincias mittat, qui statum monasteriorum, in quibus est collapsa Disciplina Regularis, cum Episcopis scrutentur, & corrigant. *Canone quarto* Monachos vagos, & propositi sui desertores, & Clericos suarum desertores Ecclesiarum jubent emendari. *Canone quinto* in eos, qui sacrilegium cum Sanctimonialibus committunt, Innocentii I. Decretum præcipiunt executioni mandari. *Canone sexto* raptores, qui excommunicationem parvipendunt, secularium legum terrore comprimi statuit Synodus, & circa puellam raptam Canonem Ancyranum undecimum servari. *Canone septimo* admonendas & corrigendas statuit Sanctimoniales, quæ Religionis specie virilem habitum sumebant, & crines attondebant; & nisi errorem emendent, anathemate plecti secundùm Canonem Gangrensis Synodi. *Canone octavo* statuit, ut Episcopi, quos vel infirmitas vel Regia benignitas ab expeditionis militaris labore immunes faciebat, homines suos alicui ex fidelibus suis ducendos ac regendos committerent, ne res militaris dispendium pateretur. Tunc scilicet Episcopi militiam Regi suppeditare tenebantur. *Nonus* Canon Ecclesiæ Remensi diu Pastore destitutæ quamprimùm præfici jubet Episcopū. *Decimo Canone* Patres Regem orant, ut *Agii* Presbyteri ordinationem in Aurelianensem Episcopum ratam esse permittat. *Undecimo Canone* circa Primatum Drogoni Episcopo Mettensi in Gallias ac Germanias à Sergio II. Romano Pontifice concessum, exspectandum statuunt Patres numerosiorem synodum Episcoporum Galliæ & Germaniæ, & Metropolitanorum, reliquorúmque Antistitum inquirendum esse consensum. *Duodecimo*, Ecclesiis loca & prædia restitui rogant, ac jubent, quæ à Laicis detinentur. *Certè*, inquiunt, *quòd nullus quamquàm impudentissimus negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est Fidelium, Patrimonium pauperum, quò temeritate præsumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt?* Denique Regem hortantur, ne perversos consiliarios audiat: *Tu autem clarissime Rex, quia verissimè scriptum est: Corrumpunt mores bonos colloquia mala, fuge perversorum consortia & consilia, nec à Te quisquam petere audeat, quod Majestatem tuam præ-* stare

stare non deceat. Atque hi sunt Canones illi, quos *Lupus* authoritate Patrum suffultus in Vernensi Synodo condidit, quibus tantam sibi authoritatem comparavit, ut eum spectarent veluti *Conditorem Canonum*, atque adeò ejus præsentiam in celebrandis Synodis quodamodo necessariam existimarent, ut jam aliàs à nobis dictum fuit. Ipse Lupus hac de re agit ad *Hincmarum* Epistola XLII. Vid. Nat. Alex. l. c. cap. 4. p. 92. & Mabillonium volum. 2. Tract. de Stud. Monast. art. XIV. ubi: Ejus [*Lupi*] ætate nullum inibatur Concilium, cui non interesset, ut patet ex ejus Epistola 60. & ex aliis pluribus. Cujuslibet verò Concilii ipse moderator erat & scriba, & ab ipso compositi fuêre Canones Concilii Vernoliensis anno 844.

ÆGIDIUS SARNICULUS à Mathelica nobili Piceni Oppido, apud S. Michaëlem Archangelum Montis Caveosi in Apulia monasticam vitam professus anno 1545. ob præclaras virtutes Abbas renuntiatus, Casinense Archisterium anno 1587. regendum suscepit. Durante suo regimine Synodum celebravit, in qua saluberrima edidit Decreta, quorum potissima sunt, quæ decentem sacrarum Imaginum cultum respiciunt. Asservatur ea Synodus Mf. tum Casini in Tabulario, tum Romæ ad D. Calixtum in Archivo Procuratoris Generalis. Incipit: *Ægidius à Mathelica &c. Inter cæteras sollicitudines & animi curas &c.* Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 2.

DOMINICUS QUESADA, Neapolitanus, Abbas Casinensis claruit multis virtutibus ac insigni doctrina sub medium seculum XVII. Ab eo edita est valdè insignis

Synodus Diœcesana celebrata anno 1652. quam sanctissimis Legibus refertam, & sacrarum Congregationum rescriptis, Sac. Conciliorum, SS. Patrum, ac celebriorum DD. authoritatibus undique vallatam, & fulcitam mysticis præfatiunculis ad singula capita ornatam, marginalibus denique Notis, tanquam fulgentibus gemmis mirificè ornatam impressit Romæ an. 1654. apud Franciscum Caballum in 4. pag. 196. Vid. Armell. l. c. p. 154.

PHILIPPUS DE VILLETA Abbas S. Dionysii in Francia an. 1398. scripsit *Librum de Auctoritate Conciliorum.* Schöttgenius Bibl. med. Lat. l. 26. pag. 828.

§. III.
De Disciplina Ecclesiastica, sacrorúmque Canonum Observantia qui scripserunt.

PRæmissis Scriptoribus eos immediatè subjicere visum est, qui ad Juris Ecclesiastici observantiam Statum quà Clericalem, quà Secularem scriptis suis extimulârunt.

S. GREGORII M. *Liber de cura Pastorali* ad Joannem Episcopum urbis Ravennatis, à quo in gratulatoria ad Summum Pontificatum Epistola amicè reprehensus fuerat, quod à pastorali officio in latebras se abdendo vir tantis dotibus instructus se subducere voluisset. Prodiit separatim Argentorati an. 1496. Parisiis 1498. (g) & ex recentioribus editionibus Rothomagi 1618. Liber in IV. partes distribuitur, in quibus docet, quales esse oporteat, qui ad Ecclesiæ regimen assumuntur, qualiter ipsos Episcopos vivere, qua discretione singulas quasque audientium personas instruere, quanta consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Hæc summi sui pontificatûs exordio, ac si summo otio frueretur, curisque omnibus solutus monasticæ cellulæ inclusus detineretur, literis consignavit. Supra verò quàm dici potest, hoc Opus cùm Latinis tum Græcis acceptissimum fuit. Mauritius Imperator Anastasio Antiocheno negotium dedit, ut Græcè illud interpretaretur. Alfredus Rex Angliæ in Anglicum idioma transtulit. Synodus tertia Turonensis decrevit: ut nulli Episcopo liceat Canones aut librum Pastoralem à beato Gregorio compositum, si fieri potest, ignorare. In quibus se debet unusquisque in speculo assiduè considerare. Quin etiam mos diuturno tempore obtinuit, ut Episcopus sacris initiandus coram altari, unà cum codice sacrorum Canonum librum Pastoralem S. Gregorii in manu acciperet cum hac obtestatione: ut ita servaret in vivendo, docendo, & judicando, sicut in eo præscriptum est. Vid. Hincmarum nostrum Archiep. Remensem in præfat.

De Græca, Gallica, Anglosaxonica versione vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. VII. pag. 250.

-- *Ejusdem Pontificis Epistolæ* ad rem valde sunt pro intelligentia Ecclesiasticæ disciplinæ. Natali, ut vel unam (h) recenseam, Solonitanæ civitatis Epi-

(g) Mabillonius Tract. de Stud. Mon. pag. mihi 249. novioris editionis meminit Parisiis etiam accuratæ in 16. apud Leonardum.
(h) Ep. 52. aliàs 37.

Episcopo, qui neglectâ sacra lectione opiparis & splendidis indulgebat conviviis, inter cætera scripsit: „ Fratet„ nitas tua ægrè tulit se de conviviis „ à me esse reprehensam, cùm ego, „ qui etsi hanc non vita, tamen loco „ transgrediot, ab omnibus corripi, „ ab omnibus emendari paratus sim. „ Et hunc solum mihi amicum æsti„ mo, per cujus linguam ante appari„ tionem districti judicis meæ maculas „ mentis tergo. „

VEN. BEDÆ Epistola ad *Egbertum* Eboracensem Archiepiscopû de Christiani Præsulis officio, scripta paullò ante obitum. Desideratur in Tomis Operum Bedæ, eam verò ex editione Dublinensi an. 1664. in 8. recudendam dedit Henricus Whartonus Lond. 1693. in 4. Vid. recensionem in Act. Erud. an. 1693. pag. 287. Scripta est à *V. Beda* adversùs corruptos seculi sui mores.

ECBERTUS, seu *Egbertus*, monachus primùm in cœnobio, ùt videtur, Wirensi seu Giruensi, tum Archiepiscopus Eboracensis ab anno 732. ad an. 767. ad quem non diu ante obitum suum, ut modò diximus, Beda de Christiani Præsulis officio scripsit. Hujus *Egberti Dialogum de Ecclesiastica institutione* post editionem Jacobi Waræi Dublinensem an. 1664. in 8. recudi fecit Henricus Whartonus Lond. 1693. in 4. cum nonnullis Bedæ opusculis. Exstat etiam in editionibus Conciliorum Labbeana, Harduiniana & Veneta Coleti ad annum 747. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 5. p. 230.

– EJUSDEM *Excerptiones è dictis & Canonibus sanctorum Patrum concinnatæ, & ad Ecclesiasticæ politiæ institutionem conducentes*, apud Spelman. Concil. Angl. tom. 1. p. 258. Harduin. Concil. tom. III. col. 1979. Baleus vocat Egberti *Constitutiones Ecclesiæ*, & ab Hucario Levita tedactas asserit in compendium. Certum est Spelmaño, eas magno olim fuisse in pretio, nam post veterum Manuscriptorum Codicum insignem cladem, quæ Cœnobiorum subsequuta est catalysim, supersunt hodie diversa earumdem exemplaria splendidè quidem & antiquissimè exarata.

S. BONIFACIUS Archiepiscopus Moguntinus, Apostolicæque Sedis apud Germanos Legatus scripsit Epistolas zelo disciplinæ Ecclesiasticæ plenas, e. g. *I. Epistola* ab Othlono lib. 2. cap. II. relata, qua intelligitur, Bonifacium apud Zachariam Papam de Romanorum simonia, aliisque vitiis, quæ Germanis limina SS. Apostolorum Petri & Pauli visitantibus scandalo fuerunt, querelas deposuisse. 2.) Epistola XIX. editionis Serrarianæ, in qua Æthelbaldum Regem Merciorum de furtis, adulteriis, scortationibus & incestis, rerùmque ecclesiasticarum violatione objurgat. 3.) Epistola, quæ 105. est, & quâ *Cuthbertum* Cantuariensem Archiepiscopum monet, ut Sanctimoniales ob luxum ac pompam castiget. *Et ne miraretur*, inquit Willelmus Malmesburiæ Monachus lib. 1. de Reg. Angl. cap. 4. *quòd alienum negotium ageret, cùm sua nihil interesset, quomodo & quibus moribus Anglorum gens viveret; scire se à Gregorio Papa III.* (lege II.) *sacramento obstrictum, ne conterminarum gentium mores apostolicæ notitiæ subtraheret. Quapropter admonitionibus non succedentibus acturum se, ne hujusmodi vitia Papam laterent. Nec inanes*, subdit Willelmus, *esse potuerunt tanti viri epistolæ, quas ille legationis suæ & compatriotarum amoris intuitu vigilatis sensibus emittebat. Nam & Cuthbertus Archiepiscopus & Rex Ethelbaldus Concilium coëgere, emendaturi superflua, quæ ille increpasset*, nempe Concilium Cloveshoviæ, cujus capitula 31. idem Auctor lib. 1. de Gestis Pontif. Dorob. perstringit. Fuit S. Bonifacius, ùt Servatus Lupus lib. de S. Wigberchto cap. III. de ipso fert testimonium, *fidei Christianæ cùm propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem Principum fœdissimis adulationibus, nec bonorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac malè dulcoratis refrigeriis enervare.* Epistolas SS.mi Germaniæ Apostoli edidit Nicol. Serrarius Moguntiæ anno MDCV. quæ dein an. MDCXV. ibidem recusæ sunt, si modò titulus novam haud mentitur editionem. Vid. Mabill. in append. ad vit. S. Bonifac. Sæc. III. part. 2. pag. 88. Georg. Christ. Joannis in notis ad Serrarii Notat. XLIV. de S. Bonifacii Epistolis.

B. RHABANI MAURI Archiepiscopi Moguntini *De Disciplina Ecclesiastica ad Reginaldum libri tres*, in quibus eum inter cætera docet, qualiter suæ diœceseos fideles per prævaricationes diversas à disciplina evangelica deviantes coërcere, & in statum pristinum per pœnitentiam restituere certaret. Studium enim, inquit lib. 3. c. 2. debent

bent habere omnes prælatæ personæ, ut subjectos suos per disciplinam custodiant, & regere non negligant; quia solummodò ita ab eis in divino judicio liberabuntur. Extant verò hi libri tres Opp. tom. vi. pag. 60.-85.

EJUSDEM *De Clericorum institutione* Libri III. tom. vi. pag. 1.-50.

LUPI Abbatis Ferrariensis Epistola LXIX. ad Carolum Calvum Galliæ Regem, qua illum exhortatur ad tollendum de suo Regno jurisjurandi abusum, qui tunc inoleverat.

RHEGINONIS Abbatis Prumiensis Libri duo De Disciplina Ecclesiastica, de quibus infrà §. vi. uberiùs dicturi sumus.

S. DUNSTANUS ab an. 960.-ad 988. Archiepiscopus Cantuar. scripsit *contra malos Sacerdotes ad Papam.* Baleus II. 38. & Pitseus æt. 10. pag. 179.

S. OSWALDI Archiepiscopi Eboracensis *Lex de ejiciendis ex Ecclesiis Clericis uxoratis*, quæ antiquitùs vocata est *Oswaldes Lew.* Vid. Henr. Whart. Angl. Sac. tom. 2. in notis ad vitam S. Oswaldi an. 992. defuncti.

S. ETHELWOLDUS ex Monacho Glascon. Abbas primùm Abendonensis, & tandem Episcopus Wintoniensis, luxuriæ omnis tanquam pestis osor maximus scripsit

De sua in Presbyteros potestate ad Joannem Papam XIV. lib. un.

-- *Contra Presbyteros fornicarios & eorum concubinas*, lib. un. Pitf. æt. 10. pag. 179. Sanctissimi hi tres Præsules *Dunstanus, Oswaldus* atque *Ethelwoldus* collapsam in Anglia disciplinam ecclesiasticam ut restaurarent, nullos eósque gravissimos labores defugerunt: actum certè de clericorum cœlibatû fuisset, nisi labenti ac penitùs decidenti manum suppofuisset adjutricem.

MARTINIANUS Monachus in Gallia sub initia Seculi X. ut Mabillonio videtur, scripsit *exercitationum libros IV.* quorum tertius *contra transgressionem Clericorum* editus ab authore inscriptus est in hunc modum: *Nobilissimis ac præclarissimis dominis meis, scilicet Sancti Martini alumnis, frater Martinianus, omnium Monachorum extremus, in Redemptore pio de occultis hostibus nobilem triumphum.* Inprimis arguit Clericos, quòd non clericalem habitum, sed arma gestarent; quòd cum fœminis cohabitarent, ad venationes pergerent, essent que negotiatores. Deinde eos ad officium mortis considerationе revocat. Denique tria in eis præcipua vitia notat, superbiam, avaritiam, luxuriam. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 324.

RATHERIUS ex Monacho Lobiensi Veronensis in Italia Episcopus, uti erat SS. Canonum scientissimus, ita eorum observantiam mirum quantum urgebat, sed eam per causam semel, iterum, atque tertiò in exilium actus scripsit *De Contemptu Canonum ad Hubertum Parmensem Episcopum.* Edidit Acherius in Spicil. vet. edit. Tom. II. pag. 16. novæ Tom. I. pag. 345. Ex ejusdem Spicileg. tom. 2. p. 256. à Labbeo deprompta, & suæ Conciliorum Collectioni Tom. IX. pag. 1268. inserta est *Ratherii* Synodica ad Presbyteros & Ordines cæteros per universam diœcesin constitutos. Incipit: *Quia mirari vos scio, immò murmurare.*

S. GUILELMUS Abbas S. Benigni Divionensis Pontificibus Romanis magno fuit in numero: quippe qui libenter ejus monitis parebant. Nam & Joannem Papam spiritualia dona per orbem maximè Italicum auri vel argenti pretio distracta, minùs curantem hac Epistola monere studuit: *Parcite, quæso, parcite, qui dicimini sal terræ & lux mundi: sufficiat hominibus jam semel Christum fuisse venditum pro communi salute universorum. Jam enim refugæ veri luminis solo nomine pastores ovile Christi; imo membra illius videte post vos quo eunt? si juxtà fontem tepet rivus, in longinquum fœtere dubium non est. Idcirco cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos Patres ac Pontifices omnes in commune judicis secum in gestantis ante januam assistentis memores.* Quam Epistolam Papa libenter amplexus ei gratias egit. S. Guilielmus verò ad Dominum migravit an. 1031. Vid. Hug. Menard. Martyrolog. Bened. Observ. lib. 1. pag. 166.

EJUSDEM Epistola ad Joannem XVIII. Papam, quâ eum non laudat, quòd Græcis CPolitanam Ecclesiam *universalem* cognominari expofcentibus, assentiri haud renuerit. Hæc Epistola habetur in Concil. collectionibus edit. reg. tom. 25. Labbei XI. & Harduini 6. part. 2. Vide Rodulph. Glabrum lib. iv. c. 1. & Hugonem Flaviniacensem in Chronico.

GERBERTI, postea *Sylvestri II.* Rom. Pontif. *Sermo de informatione Epi-*

Episcoporum, quem Mabillonius edidit tom. 2. Analect. pag. 216. In eo testatur, quanto dolore afficiatur, quòd Simoniæ labes invaluisset.

S. LEO Papa IX. ab anno 1049. Febr. 12. ad an. 1054. April. 19. in simoniacis & uxoratis Presbyteris extirpandis quantum laboris adhibuerit, haud paucis dici potest. *Ipse enim est*, inquit Ordericus Vitalis lib. 1. p. 372. *qui sanctorum scita Canonum restituere conatus est; quæ jam transactis temporibus nimis deciderant, & penè à notitia hominum defluxerant: ipse est, qui Remis coacto concilio de castitate, justitiâque ministrorum Dei tractavit, & salubria decreta, quæ jam Antistites & Presbyteri nesciebant, renovavit.* Cùm ex Gallia à Remensi Concilio in Italiam reversus fuisset, Concilium, ait *Wibertus in ejus vita*, apud Mantuam habendum constituit: quod factio quorundam pontificum, severitatem ejus justi judicii timentium perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices scelcri, subitum contra domini Apostolici familiam moverunt tumultum, securè astantem ante basilicam, in quâ publicum habebatur concilium: ita ut vir sanctus cogeretur à medio consessu surgere, & ante portam ad sedandum strepitum procedere. Cujus præsentiam non reveriti Deo odibiles, magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipsius confodere, & à valvis ecclesiæ, ut ibi tutarentur, repellere. Ita ut impetus sagittarum & saxorum circum ejusdem sancti aures & ora volitaret, atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodùm difficulter sedatus, cœptum rigorem concilii imperfectum coëgit relinqui. Sed in crastinum cuncti hujus seditionis incentores severa examinatione damnandi à piissimo patre sunt misericordi indulgentia absoluti: ne videretur causa ultionis asperitatem in eos excedere judicii.

Nec reticendum hîc est sanctissimi hujus Pontificis Decretum, quod laudibus effert S. Petrus Damiani in Epistola, quam ad Cunibertum Episcopum Taurinensem scripsit, quæque Opusculo XVIII. ejus Operum novæ editionis intexta est; quo videlicet cavetur, ut *quæcunque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, tunc & deinceps Lateranensi palatio adjudicarentur ancillæ.* S. Leonis Epistolas Decretales, quibus utrique vitio, Clericorum incontinentiæ & simoniæ acerrimum bellum indixit, vide in Collectionibus Conciliorum.

S. GREGORIUS VII. plures edidit *Epistolas Decretales* ad restituendum in Ecclesiæ ministris cœlibatum, Simoniam extinguendam, abolendásque Investituras Ecclesiæ dignitatum, quas passim tum non fine pretio conferebant permulti Principes. Postrema morientis Gregorii verba fuere: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Ejus Epistolas Canonicas vide apud Collectores Conciliorum.

B. PETRUS DAMIANI S. R. E. Cardinalis exæstuans zelo Ecclesiasticæ disciplinæ nemini parcere novit, quin acerbissimè arguerit, quemcunque sciret eidem adversantem, inquit Baronius ad an. 1046. num. 3. Ex ejus Opusculis huc spectant

XVII.) *De cœlibatû Sacerdotum, & in fornicarios Sacerdotes* ad Nicolaum II.

XVIII.) *Contra Clericos intemperantes* Dissertationes tres ad Petrum Lateranensis Canonicæ Archipresbyterum & ad Adelaidem.

XXII.) *Contra Clericos Aulicos*, sive Aulam sectantes, ut ad dignitatem provehantur.

XXIV.) Contra *Canonicos*, qui licèt in commune fructibus Ecclesiarum alerentur, vi tamen Regulæ Aquisgranensis sub Lud. Pio Imp. conditæ ab Amalario & Patribus Concilii Aquisgran. pecuniam, aliáque bona seorsim possidebant. Ignoravit Petrus Damiani, inquit *Nicolaus Desnosius in lib. 2. de Canonicis Secularibus cap. XV.* Regulam, quâ se Canonici tuebantur, ipsummet Aquisgranensis Concilii textum esse, atque ex eodem Concilio de verbo ad verbum decerptas fuisse periochas, quæ Canonicis proprietatem permittunt, ut ex Capite CXX. liquet. Illud certè si novisset, Canonicos, quibus, tot Patres indulgentiam proprietatis concesserant, haud adeò severè carpsisset, abstinuissétque à convitiis in ipsam Regulam, ratus in ea nec *absurdum* quidquam, aut *ineptum*, ac *frivolum* inveniri, nec esse *reptantium portenta verborum, & ignominiosæ atque confusæ locutionis opprobrium*, ipsas quoque sententias, quæ passim in prædicto sparsæ Concilio reperiuntur, *ineptias* nusquam appellâsset. Interpola-

polatam putavit illam Regulam, quæ Conciliis plus indulgebat, quàm textus Prosperi, seu Juliani Pomerii fert. At hæc indulgentia priùs concessa legitur in Regula Canonicis Metensibus à *Sancto Chrodegango* præscripta; imò in Regulâ Romana, quam idem Sanctus Romæ consuluit, ut probat Cointius DCCLVII. n. xv. & seq. & anno DCCCXVII. n. CXLVI. Vid. Pagium ad an. 816. tom. 3. pag. 489. col. 2.

XXVI.) *Contra inscitiam & incuriam Clericorum.*

XXVII.) *De communi vita Canonicorum* ad Clericos Fanensis Ecclesiæ.

XXIX.) *De splendido vestitu Ecclesiasticis non appetendo* ad Maynardum Abbatem.

XXXI.) *Contra philargyriam & munerum cupiditatem* ad Cardinales Episcopos Apostolicæ Sedis, quos hortatur, ut illud vitium ab universa Ecclesia & Sacerdotum mentibus exterminare conentur, quandoquidem omnes ferè clades, quibus tunc Christiana respublica premebatur, ex avaritiæ fonte derivaretur; inprimis in luxum eorum invehitur.

Legendæ etiam sunt *Petri Damiani* Epistolæ; in quarum pluribus urget observantiam disciplinæ Ecclesiasticæ: memoratu digna est Epistola 1. lib. 2. ad septem Episcopos Lateranensis Ecclesiæ sic dictos scripta.

EJUSDEM *Tractatus de correctione Episcopi & Papæ* prodiit Argentorat. 1562. Francof. 1614. 1621. & apud Goldastum de Monarchia Imperii tom. 2. (aliis 3.) pag. 43. suppositum verò venerando Petri Damiani nomini ab hæreticis fuisse arguunt Possevinus, Labbeus, Natalis Alex. & alii: illum verò nihil aliud esse, quàm partem Epist. xii. libri. 1. scriptæ ad Alexandrum II. contendunt Protestantes, adeóque non, ut apud Caveum legas, in tomis Operum Damiani desiderari protestantur. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. iv. pag. 22.

S. ANSELMI Archiepiscopi Cantuariensis *Paræness De Presbyteris Concubinariis*, seu *Offendiculum Sacerdotum* Opp. edit. Gerber. pag. 140. Is tamen liber non aliud est, quàm excerptum ex S. Anselmi Epistola ad Guillelmum Abbatem, quæ est 56. lib. 1. ut utrumque legenti fit evidens. Quàm falsò autem libellus hic adscribatur Honorio Augustodun. tom. 12. Bibl. Patrum, ex eo liquet, quòd fit excerptum ex Epistola, quam S. Anselmus ad B. Guillelmum Abbatem Hirsaugiensem scripsit. Vid. Gerberonii censuram.

HUMBERTUS ex Monacho in Mediano S. Mansueti cœnobio Tullensis Diœcesis, factus Cardinalis ab anno 1049. & Episcopus Sylvæ Candidæ an. 1051. scripsit *libros três adversùs Simoniacos*, quos Edmundus Marthene ex Bibliotheca Laurentiana publici juris fecit, Tom. v. Anecdot. pag. 633.-844.

V. HILDEBERTI Cenomanensis Episcopi, deinde Archiepiscopi Turonensis Epistola circa an. 1129. ad Honorium Pontificem, quâ libertate verè Episcopali, sed summâ reverentia exponit summo Pontifici, quàm Ecclesiæ & bonis moribus periculosum sit, quaslibet in Curia Romana admitti indifferenter appellationes. Extat Opp. lib. 2. n. 41. pag. 146. Conciliorum Edit. Reg. tom. 27. Labbei Tom. x. & Harduini tom. 6. part. 2.

ALGERI ex Leodiensi Canonico & Scholastico Monachi Cluniacensis circa an. 1130. Opus de *Canonum observantia* prælo dignissimum, utì se facturum Joannes Mabillonius Tomo I. Analect. pag. 303. ex Codice à se inspecto promiserat. Meminit hujus Operis *Nicolaus synchronus* in elogio Algeri, quod Tomo I. Analectorum pag. 303. à Mabillonio relatum est. Labbeus & Bellarminus de Script. Eccles. Valerius Andreas in Bibl. Belgica verbo *Algerus* pag. 42. editionis 1643. Lovanii in 4. Oudin. Tom. II. pag. 118. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. 1. pag. 183.

RADULPHUS, Abbas Monasterii S. Trudonis in Diœcesi Leodiensi, seculo xii. vir religione & doctrinâ insignis, Patrum sententias, & multorum Conciliorum Decreta compilavit pro urgenda SS. Canonum observantia, ut ipse testatur lib. viii. Chronici Monasterii S. Trudonis à se elucubrati, quod extat Tom. vii. Spicilegii Dacheriani. Scripsit septem libros *contra Simoniacos*, qui extant in Bibliotheca Gemblacensi, de quibus vide Marthene Collect. Tom. IX. Præfat. pag. 11.

ODO, Abbas S. Martini de Bello an. 1175. vir magni animi, spectatæ virtutis, & eminentis eruditionis præter alia præclarè scripta etiam *De moribus Ecclesiasticis* scripsisse me-

mo-

moratur Baleo II. 97. Pitf. æt. 17. pag. 227.

S. BRUNONIS, Epifcopi Signienfis *Refponfio* ad quæftionem, *cur corruptus Ecclefiæ ftatus?* extat Operum Tom. II.

ADAMI ESTONI, S. R. E. Cardinalis *Forma procedendi contra hæreticos*. lib. un. Vid. Baleum & Pitfeum II. cc.

HEREBERTUS, cognomento *Lofinga*, nonnullis *Cofinga*, natione Anglus, patriâ Suffolcienfis, patre Roberto in pago Oxumenfi procreatus. Succeffu temporis Monachus Congreg. Cluniac. Vir omnium virtutum, & bonarum literarum ftudiis impensè deditus, mitis, affabilis, corpore venufto, vultu decoro, moribus candidus, vitâ integer. Qui tamen poftea miram paffus eft murationem. Nam ambitione honorum, & cupiditate captus divitiarum (omnium enim malorum radix cupiditas) in execrabile Simoniæ crimen incidit. Primùm enim non fine interventu pecuniæ factus Prior Fifcamnenfis in Normannia, tum Abbas Ramefienfis in Anglia, & tandem EpifcopusTetfordienfis. De quibus fuo loco. Hæc crimina poftea precibus, eleemofynis, jejuniis, lacrymis, & aliis prolixis operibus pœnitentiæ redemit. De quo Guilhelmus Malmesburienfis libro quarto in Guilhelmo II. fic inter cætera fcribit: *Præ fe femper* (ut ajunt) *ferens Hieronymi dictum: Erravimus juvenes, emendemus fenes*. Henricus Huntingtonenfis eum virum doctum fuiffe afferit, & inter cætera fcripfiffe teftatur

Ad S. Anfelmum contra malos Sacerdotes lib. 1. Animam Creatori reddidit anno reparatæ falutis 1120. Vid. Pitf. æt. 12. pag. 198.

JOHANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimenfis, *Liber de Sacerdotum vitâ inftituenda.* Prodiit in 8. Dilingæ an. 1575. & revolutis centum annis, viz. 1675. Oeniponte in 12. cum notis Antonii Epifcopi Brixienfis.

PETRI MARIA JUSTINIANI, Itali, Genuenfis, Monachi Cafin. in Collegio S. Anfelmi Romæ, S. Theol. & SS. Canonum Profefforis, ac demum anno 1726. Epifcopi Sagonenfis in Infula Corfica

Compendium Juris Canonici, ubi antiqua cum præfenti Ecclefiaftica difciplina comparatur. MS. Armell. Bibl. Cafin. part. 2. pag. 127.
P. Ziegelbauer Hift. P. IV.

ANGELI MARIÆ QUIRINI Epiftola ad Benedictum XIV. *De Officio Epifcopalis Refidentiæ in Diœcefi*, Decade IV. Epiftolarum, Epift. 8. in quâ hujus argumenti uberiorem pollicitus eft Commentarium.

§. IV.

Libros, qui Pœnitentiales vocantur, quinam confcripferint.

POENITENTIALES LIBRI vocantur, in quibus pœnæ explicantur, unicuique crimini fecundùm Canones infligendæ. Itaque Carolus Magnus Parochos fubmonebat, ut Canones & Pœnitentiales libros lectitarent, animóque infigerent. *Ut de Canonibus doctus fit, & fuum Pœnitentiale bene fciat.* Idem præcipitur in Concilio Remenfi II. *Quomodo Confeffiones recipere, & pœnitentiam fecundùm Canonicam Inftitutionem pœnitentibus deberent indicare.* Seculo autem feptimo remittente veteri difciplina mitiores leges ac mulctæ fuerunt promulgandæ: id tentavit primus in Anglia

THEODORUS ante Archiepifcopatum Cantuarienfem Monachus, & quidem Græcorum Inftitutis addictus, an Latinis, iífque Benedictinis Monachis fefe adjunxerit, poft fuum in Italia adventum, incerta res eft, inquit Mabillonius Obfervat. præv. ad vitam Sec. II. Act. SS. O. S. Ben. p. 985. edit. Venet. Multi tamen è noftris eum inter Benedictinos referunt, è quibus *Hugo Menardus* in Menologio ad diem 19. Septemb. *Cantuariæ S. Theodori Epifcopi, qui à Vitaliano Papa in Angliam miffus doctrina & fanctitate refulfit.* Is Theodorus fcripfit *Librum Pœnitentialem*, in quo laxata tantifper pœnitentiæ difciplinâ, conceffa facultate communicandi poft annum, imò aliquando poft fex pœnitentiæ menfes: cùm veteres Canones comunionem nonnifi peractâ pœnitentiâ concederent. Mabill. Annal. Bened. ad an. 690. pag. 591. Superfunt ex hoc pœnitentiali centum viginti articuli, quibus Græcorum & Latinorum difciplinam fummatim comprehendit, fed interpolati funt. In *Theodori* tamen Pœnitentiali, inquit Nat. Alex. Hift. Eccl. Tom. v. Sec. VII. cap. v. p. 520. col. 2. nonnulla funt duriora, & à traditione, & ab Evangelio aliena, ut illud, quod tradit cap. 2. *Presbyter fornicans, fi,*

postquàm compertum fuerit, baptizaverit, iterum baptizentur illi, quos baptizavit. Si quis Presbyter ordinatus deprehendit, se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos priùs baptizavit. Et illud cap. XI. *Si cujus uxor fornicata fuerit, licet dimittere eam, & aliam accipere; hoc est, si vir dimiserit uxorem suam propter fornicationem, si prima fuit uxor, licitum est, ut aliam accipiat uxorem: illa verò si voluerit pœnitere sua peccata, post duos annos alium accipiet virum.* Et infrà: *Si mulier discesserit à viro suo, post quinque annos cum consensu Episcopi aliam accipere liceat uxorem.* At enim in hos ultimos Canones legibus divinis & ecclesiasticis apertè contrarios pro apocryphis habet *Ludovicus du Mesnil Discipl. & Doctrin. Eccl. tom. 3. l. 33. pag.* 494. Theodorus enim leges Romanæ Ecclesiæ praxi & decretis adeò contrarias obtrudere nunquam ausus fuisset; siquidem, ut refert Beda, inspector erat ei additus Adrianus Abbas Benedictinus, qui diligenter attenderet, ne quid ille contrarium fidei in ecclesiam, cui præerat, introduceret. De Pœnitentiali Theodori prolixiùs agit *Guillelmus Cave* Script. Eccles. Hist. Liter. pag. 327. cujus asserta *Burcardus Struvius* Historiæ suæ Juris Canonici XV. pag. 609. inseruit: Postrema verba excerpere liceat: *Denique notandum est*, inquit Cave, *Theodorum nostrum, qui hunc morem à Græcis suis mutuarat, primum fuisse, qui Occidentalibus libellum Pœnitentialem præscripserit, quem alii postea æmulati sunt, adeóque omnium formularum Pœnitentialium in Ecclesia Latina fons & origo, jure merito haberi debeat.* Laus igitur penes Theodorum est, quòd omnium primus inter Latinos Canones Pœnitentiales collegerit; sed dum à multis sæpiùs transcribuntur, & literis mandantur, aliena quædam illis intexta fuisse credibile est. Typis Theodori Pœnitentiale excusum fuit Parisiis in 4. an. 1677. Recensionem vide eodem anno in Journali des Savans pag. 81.

S. COLUMBANUS, Hibernus, Abbas in Gallia Luxoviensis, & deinde in Italiâ Bobiensis, anno 615. cœlô receptus, scripsit præter *Librum Pœnitentialem* de quotidianis Monachorum Pœnitentiis, alium de *Pœnitentiarum mensura taxanda.* Ille capitibus XV. hic XLII. distinguitur. Extat uterque inter ejus Opera junctim edita Lovanii 1667. à *Patricio Flamingo*, Ordinis Minorum, atque inde recusa in Bibliotheca Patrum Lugdunensi Tom. XII. pag. 21.

CUMMEANUS, ALBUS, Hibernus, seculo VII. claruit, ac *Pœnitentiale*, sive librum *de Pœnitentiarum mensura* edidit, qui exstat cum S. Columbani *Pœnitentiali* in Bibliotheca Patrum Tom. XII. edit. Lugd. pag. 41. - 48. & inter Opera S. Columbani à Patricio Flamingo edita. Mabillonius hujus Pœnitentialis fragmentum ex Codice Pœnitentiali Rabani Mauri Biblioth. S. Galli affert in Analectis pag. 17. 18. editionis in fol. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 1237.

BEDÆ VEN. *De remediis peccatorum*, excerptum ex Canonibus Patrum, vel Pœnitentialibus ad remedium animarum Domini *Agberti*, Archiepiscopi Eboracensis Opp. Tom. VIII. pag. 961. - 968. Extat cum Pœnitentiali Romano, sive Canonibus Pœnitentialibus editum ab Antonio Augustino Venet. 1584. 102. & in Henrici Speelmanni Conciliis Angliæ pag. 281. qui testatur in MS. referri ad *Agbertum* ipsum, sive *Egbertum* Archiepiscopum tanquam auctorem. Mabillonius (1) etiam memorat

EGBERTI *de remediis peccatorum excerpta*, in quibus laudatur S. Benedictus, ejúsque Regulæ sententia refertur. Fuit verò *Egbertus*, Eadberti Northanimbrorum Regis frater, *in infantia à patre Eata in monasterium traditus*, in quo Regula S. Benedicti observabatur, quam & professus fuit. De Venerab. Bedæ *Pœnitentiali* vide Carolum du Fresne in Glossario. Fabric. Bibl. Græc. vol. XI. lib. VI. cap. I. pag. 74.

EGBERTI Archiepiscopi Eboracensis ab anno 732. ad an. 767. *Pœnitentiale*, quod in quatuor distributum libros, in variis Angliæ Bibliothecis MS. asservari Caveus notavit: ex eo Capitula XXXV. primus vulgavit Speelmannus Tomo I. Conciliorum Angliæ Lond. 1639. fol. pag. 258. - 276. Harduin. Concil. Tom. III. col. 1976. ex libro secundo etiam triginta quinque affert.

B. RABANUS MAURUS, ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus, scripsit sub Carolo Calvo Imperatore *Pœnitentialem librum*, in quo de variis pœnis Ecclesiasticis agitur. Concinna-

(1) Annal. Bened. tom. 2. l. 24. pag. 210.

navit verò hunc suum librum ex Canonibus & Epistolis, Decretisque Pontificum, usus non tantùm Theodori & Bedæ, Romanóque Pœnitentiali, sed & Isidori Mercatoris collectione. *V. Pet. Pith. in Synopsi historica.* Magnus ac præcipuus hujus *Libri Pœnitentialis* usus erat apud Majores nostros Benedictinos, qui sub *Rabano Mauro* Metropolita in Concilio Moguntino I. parochialibus Ecclesiis in Germania passim præfecti fuerunt.

ÆLFRICUS, cognomento *Grammaticus*, Abbas Malmesburiensis, ac deinde Archiepiscopus Eboracensis centenario propior obiit anno 1051. Ejus *Epistola ad Wulstanum Archiepiscopum* inter libros Synodicos & Pœnitentiales ab Anglis recepta fuit. Vid. Cav. & Oudin.

BURCHARDUS ex Monacho Lobiensi Wormatiensis Episcopus an. 1025. demortuus, non quidem proprio Marte composuit *Pœnitentiale*, sed Romanorum Pontificum Collectioni suæ inseruit. *Antonius* verò *Augustinus* illud cum Theodori, Bedæ, & Rabani junctim edidit Venet. in 4. an. 1584. Cæterùm de Libris, qui *Pœnitentiales* vocantur, vid. cap. 38. Synodi Cabillonensis, & cap. 22. Synod. Turon.

§. V.

Orationes in Conciliis, ac Synodis qui habuerint.

S. LEANDRI Hispalensis Archiepiscopi & Gothorum Apostoli Sermo ab eo habitus in Toletano Concilio III. Incipit: *Festivitatem hanc.* Qui quidem Baronii judicio *stylo inculto, sed erudito, veluti rudi rastro vertit aurifodinam.* Repertam à se hanc Homiliam in codice Bibliothecæ Sfortianæ idem ait Baronius. Extat in Card. Aguirre Collect. Concil. tom. 2. pag. 351. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. vet. tom. 1. pag. 226.

VICTORIS III. Pontificis Maximi Oratio in Synodo Beneventana anno 1087. de præsentibus Ecclesiæ calamitatibus ac periculis, quam Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec xi. Tom. vi. pag. 429. egregiam & luculentam vocat: reperitur verò apud Leonem Ostiensem Chron. Casin. lib. 3. c. 71. & apud Baronium ad annum 1087.

URBANI II. Pont. Max. *Orationes* in Concilio Claromontano an. 1095. cui tredecim Archiepiscopi, ducenti & viginti quinque Episcopi, ingénsque Abbatum numerus interfuit. Pontifex cùm sæpiùs pro rei ac negotii gravitate de sacrorum Locorum à Turcis infestatione, & de Christianorum in Oriente degentium calamitate magnâ facundiâ peroràsset, Christianorum animos ita commovit, ut incredibili numero ad Expeditionem Hierosolymitanam se accinxerint. Extant Orationes Tom. x. Concil. Labb. pag. 511. & 514. & inter Opp. posth. Mabill. & Ruinart Tom. 3. p. 369.

INNOCENTII IV. Pont. Max. Oratio in Concilio Lugdunensi an. 1245. quâ conceptos de calamitatibus Ecclesiæ dolores cum quinque Christi Crucifixi vulneribus comparavit. 1.) De Tartarorum in Christianorum terras irruptione. 2.) De Græcæ Ecclesiæ schismate. 3.) De hæresibus pullulantibus. 4.) De clade Hierosolymis à Chorasminis illata. 5.) De *Friderici* Imperatoris criminibus & hostilibus in Ecclesiam Actis. Oratio incipit: *O vos omnes, qui transitis per viam; attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

PETRI Abbatis primùm Cellensis, tum Remensis, ac demùm Episcopi Carnotensis Sermones IX. in Synodis habiti, extant inter cæteros ejusdem Sermones in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XXIII.

B. LANFRANCI *Pericope Orationis*, quam dixit in Concilio Londini celebrato an. 1072. de Primatu Ecclesiæ Cantuariensis, typis verò vulgata fuit inter ejus Opera à Luca Acherio. Paris. 1648.

GERBERTI Remensis Archiepiscopi *Oratio* habita in Synodo Mosomi, quod est oppidum Galliæ Belgicæ, sub Remensi Metropoli. GERBERTUS patientissimè auditus est à Joanne XV. Legato, qui fuit Leo Romani Monasterii SS. Bonifacii & Alexii Abbas; ad extremum tamen exauthoratus est, Arnulpho, quem *Gerbertus* ejici curaverat, in sedem suam restituto. Oratio *Gerberti* refertur à Guillelmo Marlotto in Historia Metropolis Remensis tomo 2 pag. 52.

V. HILDEBERTI, Cenomanensis Episcopi, Sermo in Carnotensi Concilio an. 1124 habito. In exordio postquàm pollicitus est, se de Matrimonio, Baptismo, & Evcharistia loquuturum, quum deinde hujus matrimonii materiem persequatur, conjicere cogimur, imperfectum ac mutilum ad nos pervenisse Sermonem ipsum, qui juris publici factus est à Cl. Muratorio Anecdot. tom. 3. pag. 213.

Andreas de Escobar, ex Hispano Benedictino Episcopus Magorensis (lege Megarensis) fuit in Concilio Constantiensi Orator. Et quidem in Sessione V. cùm authoritas Concilii publico Decreto confirmaretur; nempe [*Synodus Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem immediatè habet à Christo, cui quilibet, cujuscunque statûs vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris*] Andreas solennem Orationem habuit in præsentia Sigismundi Imperatoris, præsidente Jordano Cardinale de Ursinis Concilio. Hanc Orationem excidisse credibile est, cùm Hermannus *von der Hardt* eam suæ Historiæ Concilii Constantiensis haud intexuerit. Ego illam ab ejus *Gubernaculo Conciliorum* non abfuisse opinor.

Bernardi Baptisati de Gasconia Abbatis, frequentis in Concilio Constantiensi Oratoris *invectiva* in corruptum illo tempore Clerum, in Constantiensi Concilio emendandum, ex antiquo Codice msf.to Bibliothecæ Academiæ Helmstadiensis eruta, ac Historiæ ejusdem Concilii per Hermannum *von der Hardt* inserta Tom.I. part. XVIII. pag. 879. Alia hujus Abbatis in S.Theologia Licentiati *Oratio* nondum typis vulgata extat in Codice Msf.to, qui fuit ablatus ex Bibliotheca Monasterii Blaubeurani in Suevia O.S.B. à Duce Wirtenbergico hodie occupati. Habita est an. 1416. post festum Pascb. Text. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit &c.* Jo. XVI. Vid. Schelbornii Amœn. Liter. Tom. XI. pag. 215.

Petrus Regius (le Roy) Abbas S. Michaëlis de Monte Tumba in Normannia sacrorum Canonum in Universitate Parisiensi publicus Professor, Caroli VI. Galliæ Regis, ad Arragoniæ, Hungariæ, & Angliæ Reges Legatus, Pisis, vel, ut aliis placet, Constantiæ facunda atque vehementi oratione ita Cardinalium sibi conciliavit animos ac voluntates, ut communi consensione Othonem (Martinum III. vulgò V. posteà vocatum) Summum Pontificem omnes proclamarent. Lucas Acherius in Not. & Observ. ad Opera B. Lanfranci pag. 351. col. 2.

Joannes de S. Amando, cognomento *Fauis*, S.Theologiæ Doctor, ante promotionem suam ad abbatialem dignitatem in monasterio S. Bavonis Gandavi coram Clemente VI. & Cardinalibus *multas habuit Orationes & Sermones*; quibus Pontificem impulit ad *Sectam Flagellantium extirpandam*. Ad Papam verò fuit missus ab Universitate Parisiensi. Vid. Ant. Sander. de Scriptor. Gandav. l. 2. p. 69.

Joannes Frumentarius, aliàs *Whetampstede*, Abbas præpotentis ad S. Albanum in Anglia Monasterii fuit Orator in Synodis Papiensi & Senensi, tempore Martini V. ubi orationes habuit. Vid. Bucel. in Bened. Rediv. pag. 192.

Manfredus de Cruce, Decretorum Doctor, Abbas S. Ambrosii Mediolanensis, Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis ad Concilium Constantiense Legatus, cujus Orationem ad Sigismundum Rom. Imp. in illo Concilio an. 1415. habitam edidit Hermannus ab Hardt Tom. V. Histor. Concilii Constant. *pag.* 109.-104.

Theodoricus de Monasterio S. Martini Coloniæ Abbas, exporrecti præcelsique Vir animi ex spectabili illa Patritiorum Familia natus, quæ *de Cervo*, aliàs *Hirtze von der Lantzkronen* intitulatur, *Orator Universitatis Coloniensis* ad Concilium Constantiense ablegatus, ea gessit, quæ omnium seculorum laudem promerentur. Fecit enim, ut ex qualibet Collegiata illius urbis Ecclesia præbendæ Doctoribus assignarentur; ut Professores vacantibus parochiis præ aliis præficerentur; ut Abbates S. Martini in perpetuum Judices Almæ illius Universitatis, juriumque ejusdem & privilegiorum Conservatores Apostolici sint confirmati, &c. Supremam ille diem habuit XX. Decembris an. 1426. *Ex Chronico S. Martini Msf.to*

Martini de Senging, Prioris Mellicensis, *Tuitiones Regulæ S. Benedicti*, id est, Oratio ad Patres Concilii Basileensis de necessitate Reformationis Statûs Cœnobitici: quam se publici juris facturum recepit Bernardus Pezius, Bibliothecarius Mellicensis; sed morte interceptus fidem liberare haud potuit. Vid. præfat. in Tom. IV. Bibl. Ascet. Item Bibl. Mellic. pag. 458.

Joannis Kechii, Theologi Tegernseensis, Oratio habita in Concilio Basileensi coram Juliano, Summi Pontificis Legato, extat in Bibl. Tegernseensi.

Marcus Brixianus, Monachus & Abbas Congr. Casin. quæ dicitur S. Ju-

S. Justinæ de Padua, scripsit *Orationem de Purgatorio* in Synodo Tridentina à se habitam, quæ prodiit Brixiæ an. 1557. Possev. Appat. Sac. Tom. 2.

STEPHANUS CATANEUS, Italus, Novariensis, complurium Monasteriorum in Congr. Casin. Abbas, inter ejusdem Congregationis Theologos, & conspicuos doctrinâ Viros, missus fuit ad Tridentinum Concilium, in quo plures Orationes habuit, variásque Dissertationes edidit: inter quas numeratur illa etiam, cui titulus: *Vota pro formandis Decretis spectantibus ad Fidem, mores & disciplinam.* Opus ex Bibliotheca S. Joannis Evangelistæ Parmensis à plagiariis surreptum. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 180.

ISIDORUS CLARIUS, Episcopus Fulginei, cùm adhuc esset Abbas Monasterii de Pontida in Diœcesi Bergomensi, Concilio Tridentino tanquam Abbas & Theologus longè doctissimus interfuit, atque in eo quatuor habuit Orationes, Venetiis an. 1548. In 8. & Lovanii in folio impressas, nempe primam *de Justificatione hominis*, secundam *de imputatione justitiæ & certitudine gratiæ*, & *duas de gloria.* Armell. Bibl. Script. è Congreg. Casin. part. 2. pag. 53.

– EJUSDEM Orationes aliæ Synodales numero quinque, quarum prima habita fuit Fulginei in Synodo anno 1549. pridie Idus Octobris.

AUGUSTINUS LOSCHUS, Hispanus, è Congr. Casinensi, Vir magnæ & raræ doctrinæ cum aliis suæ Congregationis Theologis à suis Superioribus ad Concilium Tridentinum jussu Summi Pontificis directus fuit. Plurima scripsisse fertur, sed ejus, quod sciatur, superest tantùm

Oratio habita in Concilio Tridentino die 12. Martii in festo S. Gregorii M. quæ insignis est doctrinâ & eloquentiâ, impressa in 14.to Tomo Conciliorum Philippi Labbe col. 1257. & seqq. & priùs jam edita fuerat Brixiæ apud Damianum Turlinum anno 1562. quo etiam anno Tridenti habita fuit; & sic impressa invenitur in lib. in 4. Miscellan. Actorum Concilii Tridentini, qui extat apud D. Hipp. Pugneti, incipit: *Velim hodie Patres Amplissimi, Clarissimíque Oratores &c.* Armell. l. c. part. 1. pag. 65.

WOLFGANGI SEELENDER, Abbatis Brevnoviensis Theologi disertissimi, Oratio in Synodo Pragensi, quam Zbygnæus Archiepiscopus anno 1605. celebravit, cuíque ducenti & ampliùs ex Ordine Ecclesiastico interfuêre. Periit hæc Oratio, cùm author, religionis Catholicæ defensor acerrimus, ab hæreticis in exilium ejectus est.

LEONARDI RUBENI *Oratio de Officio Pastorum Ecclesiæ*, quam, cùm adhuc Jesuita & Regens esset Seminarii Olomucensis, habuit in Synodo à *Stanislao Pawlowsky* Episcopo Olomucensi an. 1591. die 21. Nov. celebrata. Posteà *Rubenus* Societate Jesu egressus nomen Benedictinæ Familiæ dedit, in qua Abbas Abdinckofensis creari meruit.

§. VI.

Qui Collectiones Canonum, seu Corpora Juris Canonici & Ecclesiastici condiderunt.

DIONYSIUS cognomento EXIGUUS, sed eruditione & morum pietate magnus, natione Scytha, Monachus professione, non tamen Abbas urbis Romanæ, ubi reverà nunquam Abbatiam gessit; licèt id multi Venerabilem Bedam sequuti affirment. Moribus, ut cum Cassiodoro loquar, *Romanus* fuit, an vitæ verò instituto Benedictinus? dubius hæreo. Yepesius, Cajetanus, Bucelinus, Desingius & alii pro Familiæ nostræ Alumno habent; unde silentio transmittendus non omnino videtur. Claruit sub Theoderico Gothorum Rege seculo VI. usque ad annum circiter 5. o. non sine magna doctrinæ fama & opinione. Rogatu *Laurentii* Romanæ Ecclesiæ Presbyteri *priscæ translationis confusione offensi* novam Canonum Ecclesiasticorum Collectionem adornavit, in qua eam rationem sequutus est, ut Græcæ Collectioni adhæreret. Itaque & Canonum consequentiam per numerorum seriem à primo Nicæno usque ad Canonem tertium Constantinop. qui est ultimus Canon, & centesimus sexagesimus quintus totius Collectionis observat. Tum omissis Canonibus Concilii Ephesini Canones Concilii Chalcedonensis subjungit, & testatur: *In his Græcorum Canonum finem esse.* Collectioni, quâ Ecclesia universalis utebatur, adjunxit quinquaginta Canones Apostolicos, Concilii Sardicensis Canones, & Conciliorum Africanorum, quos Latinè editos fuisse ait. Integra *Collectio* constat centum sexaginta quinque Canonibus antiquissimæ Collectionis Græcorum, deinde XXVII. Canonibus Concilii Chalcedonensis, XXI. Sardicensis, &

& cxxxviii. Conciliorum Africanorum præter quinquaginta Canones: quorum omnium summa tedit ad CCCXCIV. Canonum Capita. Cæterùm Dionysius ut Collectioni suæ nihil deesset, *Pontificum Romanorum Decreta*, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebant, à Siricio usque ad Anastasium II. inclusivè post Canones subjunxit. Hæc secunda Canonum interpretatio, & collectio statim ab Ecclesia Romana obviis ulnis excepta est, ut testis est locupletissimus Cassiodorus, auctor illius seculi. *Ex Græcis exemplaribus*, inquit c. 23. div. lect. de Dionysio loquens, *Canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit; quod hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Receptis autem à Sede Apostolica canonibus omnes Occidentis provinciæ ad dirimendas lites & judicia Clericorum exercenda statim usæ sunt. Dionysii verò Codex editus fuit primùm Moguntiæ an. 1525. tum Parisiis an. 1609. ubi adjecta etiam habetur Epistola Dionysii Exigui cum Indice Canonum Collectionis suæ. Vid. Pet. Marca de Concord. Sacerdotii & Imperii lib. 3. cap. IV. Confer *Petrum Coutantium* è Congr. S. Mauri in Prolegomenis ad Epistolas Rom. Pontif. ubi non nihil diversa, sed fundata leges.

MARTINUS ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis in Hispania octoginta quatuor Capitula, seu veteres Canones ex Orientalibus, & nonnullis Hispanicis Synodis collegit: quam suam collectionem ad Nitigesium Lucensem Episcopum cæterosque Patres Concilii Lucensis Ecclesiæ in Gallæcia misit, qui eam anno 571. approbârunt. Non quidem Græcus fuit *Martinus*, sed in Oriente diu versatus ita se literis (ait Gregorius Turonensis) hoc est Græcis imbuit, *ut nulli secundus suis temporibus haberetur.* Videns ergò Canones veterum illius gentis, & linguæ Conciliorum vitia quædam, sive malæ, sive obscuræ, sive tandem haud integræ interpretationis ab Latinis translatoribus contraxisse; novam post Dionysium Exignum & Ferrandum Diaconnm Carthaginensem aggressus est versionem è Græco Latinam, quæ in duas partes distribuitur. Sexaginta octo priores Canones ad Episcopos & universum Clerum, cæteri ad Laicos attinent. Quid in eo opere præstiterit, his verbis in præfatione docet: visum est, ut cum omni diligentia ea, quæ per translatores obscuriùs dicta sunt, & ea, quæ per scriptores sunt immutata, simpliciùs & emendatiùs restaurem. Hanc Collectionem sæpè citat Gratianus sub nomine Martini Papæ his verbis: *ex Synodo Martini Papæ*, ex *Concilio Martini Papæ*. Ratio hujus æquivocationis ea est, quòd *Episcopi* & *Papæ* nomina eo promiscuè accipiebantur tempore, verèque Martinus ad Concilium Lucense hoc direxit opus. Quod quidem exstat in Conciliorum, quotquot factæ sunt, editionibus post Hispanam Loaisæ Collectionem ad calcem Bracarensis II. Synodi, & in appendice Tomi I. Bibliothecæ Juris Canonici, exhibitis è regione Græcis fontibus. Vid. Nic. Ant. in Bibl. Hisp. vet. Integram hanc Collectionem etiam exhibet Harduinus in Collect. Concil. tom. 3.

ANSEGISUS, teste Sigeberto Gemblacensi ad an. 827. Abbas Lobiensis in Diœcesi Cameracensi magnâ apud Carolum M. & Ludovicum Pium gratiâ & authoritate floruit. Dubitat tamen *Stephanus Baluzius*, an Sigeberti, atque eorum vera sit sententia, qui Ansegisum nostrum volunt fuisse Abbatem Lobiensem. „ In Chronico „ Fontanellensi, inquit, quod in to„ mo tertio Spicilegii Dacheriani edi„ tum est, reperio, Ansegisum Ab„ batem Fontanellensem constitutum „ à Ludovico Pio, virum fuisse do„ ctum ac librorum amatorem, quo„ rum magnam copiam reliquit in „ monasterio Fontanellensi, ac Fla„ viacensi, cujus etiam Abbatem fu„ isse docet Author ejusdem Chroni„ ci. Existimare igitur fortassis lice„ ret Ansegisum Abbatem, qui Ca„ pitularia Legum collegit, eum esse, „ qui Fontanellensis Abbas fuit, & obiit an. 834. XIII. kalend. Augusti, postquàm eam Abbatiam per annos decem & ampliùs rexisset. Vid. Ant. Pag. in Critica Baron. ad an. 845. n. 16. Illud certum manet, quòd Ansegisus noster minimè confundi debeat cum *Ansegiso* Senonensi Archiepiscopo, prout etiam Sirmondus in Epistola ad Domnum Constantinum Cajetanum Abbatem sancti Baronti docuit apud Labbeum de Script. Eccl. Tom. 2. p. 692. scribens: „ par fuit in An„ segiso, qui Caroli & Ludovici Re„ gum Capitula collegit, quotundam „ hallucinatio. Cùm enim Ansegi„ sum hunc Lobiensem in Camera„ censium diœcesi Abbatem fuisse ex

Sige-

„ Sigeberto constet, longéque diversum ab Ansegiso Senonum Archiepiscopo, quamquàm is etiam Abbas ante Episcopatum fuerat, sed alterius in Bellovacis monasterii, cui à sancto Michaële nomen, non defuerunt tamen, qui utrumque Ansegisum confunderent, & digestorum in libros capitulorum laudem Archiepiscopo perperàm tribuerent.

Constat Ansegisi Collectio quatuor libris, in quorum primum congessit Capitularia Caroli M. ad ordinem pertinentia ecclesiasticum: Ea verò ecclesiastica, quæ Ludovicus & Lotharius ediderunt, in secundo descripsit. Illa autem, quæ Carolus fecit, ad mundanam pertinentia Legem, in tertio adunavit: Ipsa verò, quæ Ludovicus & Lotharius fecerunt ad augmentum mundanæ spectantia Legis, in quarto congessit. Patet hoc ex præfatione hisce Capitularibus præmissa. „ Dominante per sæcula infinita omnium dominatore Christo Salvatore nostro, Creatore universæ creaturæ, anno Incarnationis ipsius DCCCXXVII. Indictione v. anno verò imperii gloriosissimorum Principum Domni HLudovici Augusti Christianæ religionis magni propagatoris, ac filiorum ejus, *Ansegisus*, nullis præcedentibus meritis, sed gratia omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ Domni Karoli Imperatoris, nec non & nunc præfatorum Principum hoc in tempore Domni piissimi HLudovici Augusti, & præstantissimorum filiorum ejus jussu, per intervalla temporum, ad Christianam religionem conservandam, atque ad concordiam pacis & dilectionis in Ecclesia Catholica tenendam edita. Sed quia in diversis sparsim scripta membranulis per diversorum spatia temporum fuerant, ne oblivioni traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus sum, prædictorum gloriosissimorum Principum, & pro amore sanctissimæ prolis eorum, sed & pro sanctæ Ecclesiæ statu placuit mihi prædicta in hoc libello adunare, quæ invenire potui capitula prædictorum Principum jussu descripta, ut ad sanctæ Ecclesiæ statum longævis conservandum temporibus, atque ad meritum præfatorum Principum gloriosiùs in vita perpetua augmentandum proficiant, Amen. Sed hoc notum sit Lectori, quia prædicta, quæ per intervalla temporum à præfatis sunt Principibus edita, in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet, quæ Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia ecclesiasticum, in primo adunavi libello. Ea verò ecclesiastica, quæ Domnus ac piissimus HLudovicus Imperator edidit, in secundo descripsi. Illa autem, quæ Domnus Karolus in diversis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipsa verò, quæ Domnus HLudovicus præclarus Imperator fecit ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi.„ Pleniùs hoc explicavit Baluzius §. XLIII.

Accesserunt *Ansegisi* Collectioni tres Appendices, quarum prima hanc habet rubricam: *Capitula Domni Karoli Imperatoris ecclesiastica*, quæ ideò supradictis non conjunxi capitulis, quia alia ex istis quasi causa memoriæ scripta fuerunt, & non videntur plenum explere sensum, alia sunt geminata, cum aliis videlicet mixta Capitulis, alia penitus finita, atque ad perfectionem perducta. Appendici secundæ hæc Rubrica est præfixa: *Incipiunt iterùm Capitula Domni Caroli Imperatoris mundana*, quæ suprascriptam videntur habere causam. Appendicis tertiæ Rubrica hæc est: *Item Capitula Principum præclarissimorum ecclesiastica simul & mundana Domni HLudovici Augusti, & HLotharii Cæsaris*, quæ suprascriptam habere videntur rationem.

Atque hæc congestio, teste Hincmaro in Formul. Promot. Episc. Tit. 18. c. 6. ab Ecclesia fuit approbata. Synodus Trosleiensis, teste Baluzio, Capitularia vocavit *Sacrorum Canonum pedissequa*, id est, quæ proxima post sacros Canones locum habeant. Neque solùm in Occidentali Francia, sed & in Germania, Italiáque pluribus locis viguère. ANTONIUS verò AUGUSTINUS *de emendatione Gratiani* Lib. poster. Dial. x. & xi. demonstravit, quænam Capitula Juris Canonici ex his Capitularibus fuerint desumpta.

Primus Capitularia hæc in lucem iterùm produxit *Beatus Rhenanus* in libro secundo Rerum Germanicarum. Post eum *Joachimus Vadianus* in libro sexto aphorismorum de Evcharistia pag. 215. Inde *Vitus Amerpachius* librum Constitutionum Caroli M. primus in lucem emisit sub hoc titulo:

Præcipuæ Constitutiones Caroli M. de rebus ecclesiasticis & civilibus, à Lothario nepote ex avi Constitutionum libris collectæ, & nuper è cœnobio Tegernseensi prolatæ, cum annotationibus & præfatione Viti Amerpachii. Ingolstadii an. 1545. *in* 8. Quid in eadem editione fuerit præstitum, pleniùs docuit Baluzius, qui etiam Pithæanam editionem recognovit, in variis licèt ab illa discrepans, de quo Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad an. 827. Consule præfationem Baluzii, ubi editionis suæ & Mss. unde hausit, rationem reddit. Vide plura apud Struvium l. c. p. 439. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. p. 295. & Bibl. Græcæ Tom. XI. p. 85. seq. Recentissima editio Collectionis Ansegisi prodiit in Germania, quæ *Corpus Juris Germanici antiqui* inscribitur, & diversas antiquas Leges, Salicam, Ripuariorum, Alamannorum, Bajuvariorum &c. præter Capitularia Regum Francorum complectitur.

ABBONIS Floriacensis Abbatis & Martyris *Collectio Canonum* Capitibus LII. comprehensa, quos medendis Regni Francorum malis ac infortuniis collegit Abbo, & Hugoni Regi atque Roberto ejus filio cum patre regnanti obtulit ante annum 997. qui Hugonis supremus fuit. Hæc Canonum collectio inter Capitularia Regum Francorum non immeritò censeri potest: cujus inscriptio, quam ex membraneo codice fideliter exhibuit Mabillonius, rectiùs ei instituenda visa fuit hoc modo: *Incipiunt Canones Abbonis ad Hugonem & Robertum ejus filium, Francorum Reges.* Hic verò Liber Canonum, quem ex Bibliotheca Collegiatæ apud Lemovicas S. Martialis ecclesiæ *Petrus Trelius* è Congr. S. Mauri eruit, juris publici à Mabillonio factus est in vet. Analect. tom. 2. pag. 248. edit. verò novæ in fol. pag. 133.

RHEGINONIS Abbatis Prumiensis seculo decimo ineunte libri duo *de Ecclesiastica Disciplina & Religione Christiana*, quos jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis ex Canonibus antiquis & sinceris, potissimùm Romanorum Pontificum Decretis congessit. De Rheginone optimè Baluzius præfatione ad Antonium Augustinum de emendatione Gratiani §. XVII. „ Rhegino Abbas Monasterii Prumiensis, „ cùm hinc repulsus se recepisset in „ monasterium sancti Maximini Trevirensis, illic privatam vitam agens „ libros duos de ecclesiasticis disciplinis & religione christiana scripsit, „ circa annum DCCCCVI. jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis, in „ quibus condendis usus est præcipuè canonibus antiquis & sinceris „ Romanorum Pontificum decretis, „ tum etiam, quamquam non admodùm frequenter, pseudepigraphis „ epistolis ab Isidoro collectis, Capitularibus Regum Francorum, & dictis sanctorum Patrum. Editionis „ illum honore primus donavit V. C. „ Joachimus Hildebrandus. Nos verò rursum edidimus an. MDCLXXI. „ emendatum ex fide vetustissimi & „ optimi codicis. Jo. Trithemius Cat. illust. Eccl. Scriptor. de eodem: *Scripsit Opus, quod prænotatur de ecclesiastica disciplina & religione christiana, jubente Rathbodo Archiepiscopo Trevirorum, quod ex Decretis sanctorum Patrum & generalium Conciliorum in duobus libris comportavit, & in nongenta fermè Capitula per rubricas ex more luculenter distinxit.*

In primo Libro tractat de rebus & personis ecclesiasticis; in secundo de vita & conversatione Laicorum. Continent autem ambo nongenta fermè capitula. In fronte libri primi ponitur inquisitio, secundùm quam Episcopi interrogare debent de vita Clericorum: initio secundi, inquisitio ab Episcopo facienda circa Laicos. Deinde his generalibus Inquisitionibus subjicitur auctoritas Canonica, id est, Canonum ac Decretorum, aliarùmque sanctarum Institutionum auctoritas, quibus fulciri & approbari possunt capita, quæ in utraque Inquisitione habentur. Ad probationem itaque istorum Capitulorum affert Canones Conciliorum, Decreta Romanorum Pontificum, dicta SS. Patrum Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Cassiani, Ferrandi, Benedicti, Fructuosi, Aureliani, Theodori, Bedæ, Rabani. Adducit prætereà Leges ex Codice Theodosiano, seu potiùs verba Aniani Interpretis. Plerumque etiam utitur auctoritate Capitularium Regum Francorum, Caroli M. Ludovici Pii, & Caroli Calvi, tum etiam Legibus Burgundionum & Ripuariorum. Hos libros edidit & Notis illustravit *Stephanus Baluzius.* Hos scripsit *Rhegino* circa annum nongentesimum sextum. Meminerunt *Rheginonis* Sigebertus lib. de Scriptor. Eccl. Trithemius in Chron. Hirsaug. ad an. 892. & 899. & lib. de Eccl. Scriptor.

Vid.

Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. Tom. vi. sec. x. c. 3. p. 72. Primus verò *Rheginonis* Opus, appendice aliunde consarcinata auctum in lucem exire jussit *Joachimus Hildebrandus* Helmstadii an. 1659. deinde *Stephanus Baluzius* recognitum, & appendice Helmstadiensi auctiore, nováque à se addita notis & præfatione doctissima & Actorum veterum appendice ornatum edidit Paris. 1671. Cav. Hist. Lit. pag. 478. Rheginonis Collectione Burchardus Wormatiensis, & Ivo Carnotensis in adornandis suis Collectionibus liberaliter usi fuerunt.

VIGILA Alveldensis, seu Albendensis in Regno Navarræ Monasterii Monachus sub finem decimi seculi singulari diligentia librum Conciliorum exaravit æra MXIV, continentem Concilia LXI. & centum cum una Epistolas decretales à Damaso usque ad Gregorium primum, & alia Opuscula. Qui codex inprimis usui fuit Garciæ Loaisæ in condenda Hispanicorum Conciliorum Collectione, ut ipse in præfatione sua testatur. Hunc codicem itidem vidit Ant. Yepesius, atque in eo depictas esse novem effigies in tribus unius folii columnis, scilicet *Cindaswindi*, *Recceswindi*, & *Egicæ* Regum in prima; in media *Urracæ* Reginæ, *Sancii* & *Ramiri* Regum; in tertia verò trium Monachorum *Sarracini*, *Vigilæ*, & *Garciæ* discipuli, qui hunc codicem elaboraverunt, additis versibus acrostichis, quorum primæ literæ hunc sensum efficiunt, *Vigila, Sarracinus, qui ediderunt*; posteriores seu finales, *qui est era millesima, sive quarta-decima*, ubi à Deo & à Sanctis subsidia postulant pro ducentis Monachis, qui illic tum morabantur. Mabill. Annal. Tom. III. ad an. 920. pag. 366.

BURCHARDUS, qui & *Brocardus* in veter. Exempl. Tricass. & Carnot. itémque Gratiano *dist.* 73. & *Pontific.* in Collect. I. Decretal. pag. 62. 66. 69. 70. ex Monacho Lobiensis Cœnobii anno 996. Wangionum Episcopus *Franconi* fratri germano in sede Wormatiensi successit, Anno 1022. Concilio Seligenstadiensi interfuit. Post 30. ferè annos in munere Pastorali fideliter exactos, diem extremum clausit anno 1025. saltem, sequenti. Pluribus ante obitum annis extructa sibi cella & vicino Oratorio in sylva, duobus à Wormatia milliaribus distante, ab omni strepitu negotiisque secularibus procul remota, pietati & otio literario se totum dedit. Adjuvante igitur Walterio Spirensi Episcopo, & Brunechone Præposito suggerente, Magistro suo Olberto Abbate doctissimo collaborante, ut Sigebertus notat in Chronico ad annum 1008. Collectarium sive Corpus Canonum, vel, ut idem Sigebertus lib. de Scriptor. Eccles. appellat cap. 142. - - - *Volumen, quod à nomine ipsius Burchardus nominatur, multo studio compegit: quod testimoniis omnium authenticorum Conciliorum, & Decretis Romanorum Pontificum, & sententiis omnium penè Catholicorum Patrum authorizavit, ex quo adhuc omnium Conciliorum Decreta authorizantur.* De eo Bruschius in Catal. Episcop. Wormat. fol. 110. Obiit XIII. kalend. Septemb. anno Domini MXXV. temporibus Henrici III. clarus. Prodiit *Burchardi* Opus hoc titulo: *D. Burchardi Wormatiensis Ecclesiæ Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Conciliis & Orthodoxorum Patrum Decretis, tum etiam diversarum nationum synodis, seu loci communes congesti, in quibus totum Ecclesiasticum munus luculenta brevitate, & veteres Ecclesiarum observationes complectitur. Coloniæ ex officina Melchioris Novesiani MDXLVIII. f. & Parisiis* 1549.

Arguitur tamen, quòd in colligendo non adeò magno usus fuerit judicio, cùm multa ex Pseudo-Isidoro inseruerit supposititia. Id quod *Mastricham*, & *Ziegleram* exemplis quàm plurimis confirmasse scribit Struvius. Deinde, quòd operam non dederit, ut Canones ex ipsis haurirer fontibus, sed contentus fuerit, eos ex aliis depromere Collectionibus: Item, quòd verba in locis à se relatis aliquando immutaverit, & loca ipsa Auctoribus non suis adscripserit: quo facto Gratiano, qui ejus vestigia pressit, errandi sæpiùs locum fecit.

Ejus etiam *Lex familiæ* edita est Coloniæ cum ipsius Decreto, quæ in Paris. deest. Utraque verò exceptio tantùm est XII. Librorum, sive Tomorum Burchardi, in libros tamen divisa XX. Surius XVI. tantùm habuit, quibus in Conciliorum editione utitur sub hoc titulo: *Ex codice XVI. Librorum* Exemplar vetustissimum Burchardi in Bibliotheca Ecclesiæ Carnotensis, Tricassinæ, Vesuntinæ, Burdigalensis. Vide *Christoph. Henr. Freisleben, aliàs Ferromontam Synopsin Historicam eorum, qui Canones & Decreta Ecclesiastica collegerunt.* Fabric. in Bibl. med. Lat. Lib. II. p. 827. Burcardus

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

dus Struvius in Hist. Jur. Can. §. XVI. p. 615. Cæterùm *Burchardi* nomen cùm Itali tum Galli in *Brocarum* deflexerunt: quæ causa est, ut ejus Collectio, atque Collectionis capita *Brocardicorum* nomine ut plurimùm appellari soleant, quo jam vocabulo universim alia quoque vulgata Juris axiomata denotari solent.

ANSELMI LUCENSIS è nobili Familia Mediolani nati, Alexandri II. Pontificis Maximi nepotis, ab eodem ad Episcopatum Lucensem promoti, ab ejus successore Gregorio VII. consecrati an. 1703. cùm interim Monachus Regulæ S.Bened. factus esset, *Collectio Canonum*, seu Sententiarum Canonicarum. Licèt, inquit Struvius, non desint, qui hanc collectionem Anselmo abjudicent, eo quòd Urbani II. & sequentium Pontificum quædam Decreta exhibeant, qui tamen post Anselmum vixerunt. Inter hos primo loco numerat *Antonium Augustinum*, qui de emendatione Gratiani parte poster. cap. V. dicit: *Deusdedit Urbani secundi tempore scripsit, item Anselmus Lucensis, sive is, cujus collectionem habemus.* Altero loco collocat Stephanum Baluzium, qui præfatione ad Notas suas in hunc librum §. XIX. „ Sæpè laudari, inquit, solet col„ lectio Anselmi Episcopi Lucensis, „ quâ usi sunt inprimis Correctores „ Romani, & Antonius Augustinus „ Archiepiscopus Tarraconensis. Ve„ rùm iste multùm dubitare visus est „ de ejus auctoritate; primùm quia in „ vetustis codicibus, quos ipse vidit, „ nullus titulus erat, neq; nomen au„ ctoris; deinde quia videbat nonullo„ rum illic Romanorum Pontificum „ Decreta esse inserta, qui, vivo Ansel„ mo, ad apicem Episcopatûs non per„ venerunt. Alium ego nuper codicem, „ eúmque optimum & antiquissimum „ beneficio optimi doctissimique viri „ domni Lucæ Dacherii nactus sum „ ex Bibliotheca monasterii sancti Ger„ mani Parisiensis, in quo neque titu„ lus ullus extat, neque nomen au„ ctoris. Hic autem liber iis, quos „ vidit Antonius Augustinus, ex eo „ præstat, quòd nulla in isto Decreta „ Pontificum Romanorum contine„ antur, qui post annum MLXXX„ VI. Apostolicam Sedem tenuerunt. „ In veteri tamen codice istius colle„ ctionis, cujus exemplum ex Bi„ bliotheca Barberina ad se missum „ idem Dacherius mecum communi„ cavit, hæc in titulo scripta sunt, „ quæ librum illum adjudicant An„ selmo Episcopo Lucensi: *In Tri„ nitatis nomine sanctæ & Individuæ. „ Incipit hinc feliciter istius libri series, „ quem sanctus ex Italia Anselmus, qui„ que Pontifex Lucanæ fuit Ecclesiæ, „ vir prudens ac catholicus, in Christi „ fide fervidus, carpsit ex toto canonum „ sanctorum corpore.* Sed aut fallit „ titulus, aut certè multùm interpo„ latus est hic liber, ut rectè adnota„ tum est ab Antonio Augustino. Nam „ illinc continentur plurima Urbani „ II. & sequentium Pontificum De„ creta, quorum ævo Anselmus vive„ re desierat. Quin etiam multa sunt, „ quæ hanc collectionem abjudicare „ videntur Anselmo Lucensi. Primò „ auctoritas vetusti scriptoris vitæ „ ejusdem Anselmi à Sebastiano Ten„ gnagelio editus, qui lucubrationes „ magistri ac domini sui recensens, „ nullam collectionis istius mentionem „ facit, non omissurus, ut videtur, „ tam præclarum opus, si tum fama „ fuisset, compositum ab Anselmo „ fuisse. Deinde Sigebertus mona„ chus Gemblacensis horum tempo„ rum scriptor, dum in Chronico, „ & in libro de Scriptoribus Ecclesia„ sticis c. 162. enumeraret libros ab „ Anselmo compositos, ne verbum „ quidem ullum fecit de collectione „ ista. Denique Trithemius, qui tot „ libros viderat, non vidit collectio„ nem canonum ac decretorum An„ selmo Lucensi Episcopo tributam, „ cùm altum de ea silentium apud „ illum sit. Non senserat ista monu„ menta Antonius. Et tamen huc „ inclinare visus est, ut collectionem „ illam non putaret esse Anselmi; „ adeòque conjecturam fecit de Hil„ deberto Cenomanensi, quem con„ stat aliquid simile olim tentâsse. „ Hanc Baluzii sententiam legerat V. C. Joan. Albert. Fabricius (k), neque tamen in eam se adduci est passus, ut Anselmo *Collectionem Canonum* abjudicaret, quam hactenus omnis antiquitas ipsi attribuit, quæque ab Auctore vitæ disertè memoratur, & sub hujus Anselmi nomine libris XIII. mss.^tis extat in variis Bibliothecis, & ex qua Gratianum profecisse notavit Latinus Latinios in Bibliotheca sacroprophana pag. 816. Equidem Decreta post Anselmi hujus mortem promulgata in illa reperiuntur, ut rectè observat Baluzius, sed quæ in antiquio-

(k) Bibl. med. Lat. Lib. I. pag. 306.

quioribus codicibus desunt, ut bene laudatus Fabricius notavit Tomo xi. Bibliothecæ Græcæ pag. 87. speciatim in Vaticano, de quo vide sis etiam Pagium ad an. 1086. num. 4. Philippum Picinellum in Athenæo Eruditorum Mediolanensium. p. 39. 40. & de aliis Oudinum Tom. II. pag. 721. *Hildeberto* autem illam collectionem, ut tribueret, permotus fuisse videtur Antonius Augustinus, quoniam inter Epistolas Hildeberti per errorem legitur præfatio. Unde non est, ut Baluzii sententiæ, quam *Ant. Pagius* loc. cit. *nuper exortam* vocat, accedamus. Maneat igitur *Anselmus Lucensis* author Collectionis Canonum, quæ hucusque ab omnibus ipsi attributa fuerat, quoad evidentiores rationes à Baluzio, & qui eum defloravit, *Natali Alexandro* fuerint in medium allatæ. Cæterùm *Anselmi Lucensis Collectionem Canonum* ab Antonio Augustino editam fuisse, tradit Andreas Schottus in ejus vita, quod & ex Schotto refert in Abaco Patrologico pag. 38. Godofr. Olearius. Verùm valde dubitant eruditi, inquit Cl. Joan. Vogt in Catal. Hist. Crit. Librorum rariorum p. 33. fueritne hæc collectio unquam ab Augustino edita. Lege, si placet, Frid. Jacob Leickerum in adnotationibus ad vitam Ant. Augustini in Vitis Clariss. JCtorum pag. 144. cui adde, qui rem pleniùs conficit, Oudinum de S. E. Tom. 2. pag. 719.

DEUSDEDIT Presbyter S. R. E. Cardinalis, titulo Eudoxiæ à Gregorio VII. factus, jussu Victoris Papæ III. Canonum volumen, ut Platina ait, in ordinem redegit circiter annum MLXXXVII. Ejus in quibusdam Bibliothecis extant libri quatuor de rebus Ecclesiasticis. Totus verò in eo est, ut Libertatem Ecclesiasticam adversùs Henrici Imperatoris insultus tueatur. Quod opus usum iis præstitit, qui corrigendo Gratiani Decreto operam suam adhibuerunt. *Hunc quidam Burchardi breviatorem dixerunt: malè. Vidimus aliquando exemplar hujus Collectionis in Bibliotheca Dominicanorum Valentin. in libros distinctum, continens multa ex Romanæ Ecclesiæ scriniis, quæ Burchardus non viderat.* Ita Pet. Pithæus in Synopsi historica Juris Ecclesiastici apud Struv. l. c. pag. 622. Fabric. Bibl. Græc. col. xi, lib. vi. cap. 1. pag. 94.

GRATIANUS celebris ille *Decreti* author patriâ fuit Clusinus è Thusciæ civitate. „Nonnulli, teste Pancirollo (1), Gratianum spurium, & „Petri Lombardi, qui Magister Sententiarum vocatur, Antistésque Parisiensis fuit, & Petri Comestoris „Historiæ Scholasticæ Scriptoris falsò fratrem fuisse memorant. Et „addunt, cùm matrem stupri pœnitere non posset, quòd tam præclaros viros genuisset, Sacerdotem, „cui confitebatur, jussisse, ut saltem „pœniteret, quòd pœnitere non posset: quod tamen tanquam commentum ab omnibus rejicitur, maximè dum in patria non conveniant, „cùm Gratianus fuerit Etruscus ex „Clusio civitate, Magister Petrus „Lombardus ex Novaria, Petrus Comestor Gallus ex Trecis." Pie Gratianum fuisse educatum, argumento est, quòd de vita sanctiùs ac magis piè transigenda seriò cogitans, in flore juventutis monachum induerit Benedictinum Bononiæ in monasterio S. Proculi an Felicis? Utriusque certè monasterii cœnobitæ *Gratianum* esse suum contendunt, quos Arnoldus Wion conciliare studens, Gratianum asserit priùs monasticæ vitæ vota in monasterio S. Proculi nuncupâsse, deinde, uti S. Legislator Benedictus in Regula concedit, ad monasterium SS. Felicis & Naboris concessit. Tum temporis enim nulli Religioso vitio vertebatur, si à monasterio professionis suæ ad aliud seu majoris religionis seu doctrinæ causa commigraret; quod hodie illi, qui S. Regulæ ac Ordinis consuetudinum minùs sunt periti, verso pollice damnandum existimant. Neque Gratianus in ultimo hoc monasterio bonas horas ignavo combussit otio, sed multis vigiliis indefessóque labore *Decretum* compilavit. Id quod constat ex Epitaphio ipsius, quod Guido Pancirollus descripsit; *Gratiani Clusini, Cæsarei Juris & Pontificii Enucleatoris propè divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde absolutissimum ibidem opus Decretorum anno Gratiæ M. LI. compilavit, sepulchrum, quod illic carie ruderibúsque obsorduerat: hic magnificentiùs renovatum, Joan. Franciscus Aldrovandus Bonon. IIII. Dictator ære publico restauravit anno salutis MCCCCXCIX. Idibus Junii Bentivolo II. PP. Rempublicam feliciter gubernante.* Idem Epitaphium Mabillonius

(1) de Cler. Interpret. Lib. III. C. II.

nius in Itinere Italico describens: „ *Basilica*, inquit, Sancti Petronii Ca- „ thedrali S. Petri vicina, altare versus „ portam conversum habet. In ea „ descripsimus Epitaphium Gratiani, „ qui olim monachus è nostris ac De- „ creti Compilator fuit.

D. O. M.
Gratiani Clusini, Cæsarei Jur.
Et Pontificii Enucleatoris prope divini &c.
An. salutis MCCCCLXXXVIII. &c.

Prædictum sancti Felicis & sancti Naboris monasterium olim virorum, nunc Sanctimonialium est Ordinis nostri, ubi lapis quondam ad Gratiani ostium cubiculi positus, in sacrarium postea translatus, hos versus inscriptos continebat:

Hanc aula partem reverenter, Lector, adito,
Namque loci monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arto
Contentus spatio: quod jam reparando caducum,
Et vetus hoc claustrum tolli fuit inde necesse.
Id tamen Abbate constructum est Bartholomæo,
Mille trecentis decies septem atque quaternis
Annis à Christo purâ de Virgine nato.

Bernardus Montfauconius in suo etiam Itinere Italico ad S. Proculi Monasterium, elegantissimè structum, divertit, in cujus porticu, quà respicit hortum, ad alterum xysti terminum, *Gratiani* statuam erectam, ad alterum *Panormitani*, qui olim Bononiæ studiis vacavit, se vidisse testatur.

Quando scripserit Gratianus, discordant Authores, inquit Gerh. (m) à Mastricht. Trithemius lib. 2. de Vir. Illust. Ord. S. B. anno 1127. scripsisse refert, alii plerique omnes an. 1151. quam sententiam confirmat Epitaphium Gratiani: Bellarminus utramque sententiam conciliat lib. de Script. Ecclef. conjectura, quæ aliis non displicet, quòd anno 1127. incœperit, & anno 1151. perfecerit opus, seu collectionem suam.

Obtulit Gratianus Librum suum Eugenio III. cui adeò, testante Pancirollo, gratus extitit, ut eo comprobato, Gratianum Clusinæ Ecclesiæ, unde ortus erat, præfecerit. Quòd verò Eugenius Decretum Gratiani confirmaverit, non æquè constat.

Hæc autem Collectio ex Dionysio Exiguo, Isidoro, aliisque Canonum Collectoribus, Burcardo & Ivone potissimùm fuit deprompta, ordine tamen diverso, de quo videri potest *Pancirollus* l. c. qui etiam de *Paleis*, sive variis Doctorum sententiis & glossis, quæ postmodùm Gratiani Decreto accesserunt, narrationem instituens lepidam refert fabellam. „ Cùm „ Gratianus librum Eugenio III. Pon- „ tifici offerendum Romam detulisset, „ Cardinali cuidam, viro alioqui eru- „ dito, sed ambitioso, cujus operâ ad „ Pontificem introduci volebat, le- „ gendum tradidisse fertur. Ille alie- „ nam laudem in se transferre cupiens, „ volumini quædam à Gratiano omis- „ sa inseruit, séque operis auctorem „ esse jactitabat. Monachus hominis „ fraude intellecta additiones illas *Pa-* „ *leas* esse respondit, quæ grano alibi „ condito inanes reddebantur; Pa- „ leam enim veteres Theologi literam „ fructu carentem, vel sterile opus „ vocabant. Itaque capita illa po- „ stea semper pro paleis sunt inscri- „ pta. Alii alias afferunt etymologias. Plerique sunt ejus opinionis, ut existiment, *Paleam* esse proprium illius nomen, à quo primò hæc additamenta Gratiano assuta fuerunt.

Distribuitur autem hoc Decretum pro objectorum numero in tres partes, Distinctiones, Causas, & Tractatum de Consecratione: de quibus præter Canonistas, vide sis Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 2. cap. 5. §. 2. p. mihi 128. Licèt verò privata tantùm auctoritate fuerit elucubratum, passim tamen & ubique locorum receptum fuit. Nec ipsi Pontifices quandoque ad illud provocare dubitârunt. Etsi verò à Sede Apostolica sit receptum, communis tamen (n) & indubitata est sententia, non aliter fuisse receptum, quàm ut fides dictorum sit penes authorem, & tanta sit eorum Canonum, quos in medium producit, authoritas, quanta est fontium, unde illa manarunt. Nec enim quisquam illorum, qui Jus Ecclesiasticum vel à limine salutavit, ignorare potest, multa in Decreto haberi, quæ postea in Decretalibus, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus abrogata fuerunt, nonnullàque à Gratiano per errorem inserta esse, quæ cum veritate pugnare deprehenduntur. Unde Gratianus à nonnullis quandoque vapulat, & utinam non acrius justo. Quid? quòd Flaccius in Catalogo Testium Veritatis pag. 704. Gratianum inter *quatuor Satanæ Apostolos* collocare non erubuerit.

(m) Histor. Jur. Can. n. 304.
(n) Martin. Delrio in Disquis. Mag. l. 5. sect. 16.

buerit. Sapientiùs & modestiùs Thomasius in Præcognitis circa cautelas Juris Ecclesiastici cap. XX. §. IV. seq. Gratianum defendit, idque ob barbariem feculi atque temporum, quæ tot subsidiis historicis, atque elegantiorum literarum, quibus hodie utimur, fuerint destituta, & quòd Gratianus ipse ab anterioribus compilatoribus, ex quibus sua hauserit, fuerit deceptus. Vid. Struv. l. c. pag. 634. Adde *Bœhmerum* ex Protestantibus magnæ celebritatis Jurium Professorem Introduct. ad novam Edit. Corp. Jur. Canon. §. 20. his verbis: *Varia fortuna fuit Gratiani, quæ licèt plures insidiatores habuerit, inconcussa tamen usque ad hæc stetit tempora, nec hi ejus luminibus officere, aut existimationem, gloriámque deprimere potuerunt. Quamvis enim ex infelicitate temporis, quo vixit, ad eum gradum perfectionis opus suum perducere haud potuerit, ut errorum sordiúmque expers esset, ad minimum tamen orbis eruditus ejus industriæ, & collectioni acceptum ferre debet, quòd ex naufragio communi, in quo tot egregia antiquitatis monumenta perierunt, plures tabulas adhuc servaverit, in rebus Ecclesiasticis insignem habituras utilitatem, aliáque commoda rei Ecclesiasticæ, & veræ Eruditioni præstiterit.* Legi etiam potest Tractatus *de Confessione* Dionysii Sammarthani è Congr. S. Mauri, in quo demonstrat; quòd Gratianum sæpiùs favorabiliter possimus interpretari in iis, in quibus hallucinatus est. Ut verò utiliter ac, turè *Decretum* istud legatur, adnotationes, & emendationes oportet invisere, inquit Mabillonius, quas *Antonius Augustinus* Tarraconensis Archiepiscopus in Gratiani opus contexuit; multúmque debemus Domino Baluzio propter novam ejus editionem nuper nobis traditam, unà cum aliis emendationibus ab ipso recens adjectis. Habuit *Gratianus* multos Glossatores, quorum primus fuit Hugo seu Hugutio, secundus verò Joannes Teutonicus, & ista est glossa communis in textu. Apparatum autem insignem super ipsam sine textu fecit Archidiaconus, qui Rosarium Decreti dicitur. Etsi verò jussu Gregorii XIII. Pont. Max. Gratiani Decretum fuerit expurgatum, ac propter utilitatem emendatum, & annotationibus illustratum, non pauci tamen nævi remanserunt, qui correctorum scientiam, & diligentiam prætericrunt. Varias Gratiani editiones vide apud Fabricium Bibl. Græc. vol. XI. Lib. VI. cap. I. pag. 90.

Rainerius Diaconus & Monachus Pomposiani in Italia percelebris Monasterii primam collectionem Decretalium Innocentii III. Rom. Pontificis instituit, quam ex tribus primis regestorum ejus libris composuit, & sub titulis XLI. digessit. Hanc ex vetustissimo Codice MS. Sancti Theoderici Remensis cum Epistolis ejusdem Innocentii Stephanus Baluzius tom. I. pag. 543. seq. Parisiis an. 1682. typis Francisci Muguet vulgavit. Hunc *Rainerium* esse puto illum Fratrem ac Monachum, quem Innocentius III. licèt solitæ solitudinis (o) locum affectaret, fugans vel fugiens potiùs tumultus secularium potestatum, ut Rachaëlis foveretur amplexu &c. Legatum creavit, atque ob gravia negotia primùm in Hispanias, tum in Vasconiam contra hæreticos misit. Quanta verò prudentia, moderatione, atque religiosarum virtutum exemplo suas obiverit legationes, ipse testis est Innocentius Pontifex his verbis, quibus Epistolam suam (lib. I. num. 395.) auspicatur: „Gratus „tuus nominis odor, & suavis tuæ „famæ dulcedo, per quam tuæ re„ligionis honestas dignis undique „laudum præconiis exaltatur, tam „ex literis, quàm ex relatione plu„rium ad nos usque pervenit. ex „quo tanto ampliori gratulatione ani„mi jocundamur, ac spiritus noster „in Domino recreatur, qui suorum „ministrorum dirigit actus in bonum, „quanto tam ex communi fama, quàm „ex confidentia, quam de tua geri„mus puritate, cognoscimus eviden„tiùs, atque scimus, quòd per opera, „quæ laudabiliter operaris, ipso du„ce, qui est lucerna pedum tuorum, „& ipse Deus glorificetur in terris, & „gloria nobis & Ecclesiæ Romanæ „non modicus honor accrescunt. „ Tom. I. pag. 233.

§. VII.

Scriptores, Editores, atque Collectores Conciliorum, nec non Literarum, atque Bullarum Summorum Pontificum.

ANASTASIUS Sacræ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, Abbas S. MARIÆ trans Tyberim, & Presbyter

(o) Innoc. III. Ep. lib. 2. num. 22.

ter Cardinalis tituli S. Marcelli *Concilium Generale Octavum*, seu *Constantinopolitanum IV.* cui præsens ipse Constantinopoli anno 869. interfuit sub Basilio Macedone, partim Latinè scripsit, partim ex Græco vertit, atq; Adriano Papæ II. dicavit, quod extat Conciliorum Tom. VIII. col. 961. ad 1175. ultimæ editionis Parisiensis anni 1672. quæ Labbeana passim dicitur.

-- Item *Concilium VII. Generale*, seu *Nicænum secundum*, quod ille obtulit Johanni Papæ VIII. inscriptum, *Domino Coangelico Johanni Pontifici Summo & Universali Papæ Anastasius Exiguus*. Ex interpretata nuper &c. quod extat quoque tomo VII. dictorum Conciliorum citatæ editionis col. 29. & sequentibus. Addit Labbeus, *ut quod omiserunt alii observare, etiam VI. Generale, seu Constantinopolitanum tertium.* Sed debuerat Labbeus indicare, inquit Oudin. de S. E. Tom. II. Dissert. de Opp. Anast. cap. 1. col. 253. quibus ille rationibus, vel quanam authoritate hoc assereret.

ANDREAS DE ESCOBAR ex Hispano, incertum cujus Monasterii, Monacho Benedictino, Megarensis Episcopus interfuit Concilio Constantiensi, in quo ipsâ die, quâ sessio V. de Concilii supra Pontificem authoritate habita fuit, pro concione dixit. Non multis post annis si non etiam Concilio Basileensi interfuit, rebus tamen ab eo gestis se immiscuit. Tractatum enim ipso Concilio Basileensi, aut saltem plerisque Concilii hujus Theologis expetentibus composuit, qui in Bibliothecæ Vaticanæ codice 4117. cum aliis de Basileensis Concilii rebus continetur, hoc titulo: *Gubernaculum scilicet Conciliorum per Dominum Andream Episcopum Magarensem* (lege *Megarensem*) *editum, & Domino Patri & Domino Cardinali Legato transmissum. Incipit: Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam, & ipsorum reformationum faciendarum ac statutorum in ipsis ordinandorum avisamenta nonnulla corrigenda, addenda, minuenda per vos Pater reverendissime Domine Juliane de Cæsarinis tit. S. Angeli Cardinalis dignissime, & nunc in sacro Concilio de consensu universalis Ecclesiæ Catholicæ, & Sanctissimi Domini nostri Papæ Eugenii IV. præsidens justissimè tibi stabo* (lege forsan rectiùs *dabo*) *tractatum præsentem.*

Constat is novem partibus, quarum *prima* agit de jure Concilii in emendationem ac reformationem status Ecclesiastici. *Secunda* de officio Concilii, quoad reformationem ecclesiastici regiminis; *tertia* de necessitate frequentium Conciliorum Generalium, pro emendando ecclesiastico statu; *quarta* de IV. Conciliis Apostolorum; *quinta* de aliis Conciliis Orientalibus & Occidentalibus, comparatis cum recentiorum temporum Conciliis, horúmque potiori necessitate; *sexta* de iis, qui habeant in Conciliis præsidere & definire; *septima*, quis habeat convocare Concilia; *octava*, qui teneantur venire ad Concilia; *nona*, qui possint Concilia dissolvere.

Quod quidem scriptum ad *Julianum* fuisse datum anno circiter MCDXXXI. quo ab Eugenio IV. datæ Juliano partes fuere, ut Basileensi Concilio præesset, existimare possumus, inquit *Nicolaus Antonius*, eò quòd in fine scripta hæc notula sit diversæ quidem manûs, sed ejus antiquitatis, quam ipse præsefert, nempe: *Hunc librum emit magister Joannes de Turrecremata Basileæ anno MCDXXXII. Martii decima*: quod fieri haud potuisset, si anno MCDXXXV. ut vult *Mathæus Petitdidier* (p), ab Andrea ad Julianum transmissus fuisset. At hoc opusculum ex mente præfati *Nicolai Antonii* potuisset utique conciliaribus aliis adjungi, quæ Philippus Labbeus, & Gabriel Cossartius Jesuitæ doctissimi in Apparatû ad sacrosancta Concilia novæ luci edidêre.

At enim, si quid ego in hac re intelligo, prudenter admodùm Labbeus & Cossartius fecerunt, quòd huic Opusculo nullum in suo Apparatû dederint locum. Episcopus enim Megarensis in suo *Conciliorum Gubernaculo* ea omnia principia fusè prosequitur, quæ Conventûs Basileensis Theologi, ut ejus supra Papam auctoritatem adstruerent, in medium protulerunt. Hæc verò principia haud ferè alia sunt, atque illa, quibus *Joannes Gersonius* Universitatis Parisiensis Cancellarius, ut Concilium Papâ esse superius probaret, nefariè procudit. Cùm autem in principiis *Gersonii* doctrina contineatur, quæ non modò Summorum Pontificum authoritatem funditùs evertat, sed rebellionibus & seditionibus januam aperiat, atque adeò subditis

Prin-

(p) Dissert. Hist. Theolog. de Mente Concilii Constant. &c. cap. 4. pag. mihi 34.

Principes suos è vita exturbandi potestatem faciat, dicendum omnino est, quòd sicut Ludovicus XIV. Galliarum Rex summa prudentia prohibuit, ne Joannis Gersonii adeò perniciosi Authoris opera in sui Regni provinciis prælo iterum subjiciantur, ita prudenter etiam Labbeum & Cossartium fecisse, quòd Episcopi Megarensis *Gubernaculum Conciliorum* ex suo Apparatu exesse voluerint. Non obstante tamen advertendum est, quòd pessima hæc Principia Episcopo nostro Megarensi, ceu Authori, minimè attribui debeant ac possint, quin ipse potiùs semper declarat, quòd ea asserere nullo pacto sibi animus fit, sed id tantùm memoret, quod auctoritatis supremæ Conciliorum Assertores tuebantur.

Opus verò suum, ut *Nicolaus Anton'us* existimat, anno primùm MCDXXXVII. publici juris fecit. Hic enim ille annus fatalis fuit Ecclesiæ paci, quô postquam dissidentes Eugenius IV. Pontifex & Basileenses Patres nullo modo convenire potuerunt in idoneo aliquo Italiæ loco, Græcis Episcopis, quò cum nostris concurrere possent, communibus votis designando, res eò tandem fuit deducta, ut Eugenium Basileam vocatum, nec venientem Basileenses tanquam contumacem declaraverint, unde prætensa deinde exauctoratio fuit sequuta. Tunc temporis Bononiæ aderat Andreas noster, ubi & Eugenius, cujus partes tamen tuendas minimè suscepisse videtur, cùm Theologorum Basileensium opinionis de Concilii supra Pontificem authoritate esset studiosissimus.

Si hic animus esset ostendere, quàm curta ingenii eruditionísq; plerorumq; hujus Concilii Patrum supellex fuerit, & quàm profunda Historiæ Ecclesiasticæ ignorantiâ laborarint, sufficeret profectò in exemplum adduxisse *Andream* nostrum Megarensem Episcopum, cui velut omnium penè suæ ætatis Theologorum peritissimo Basileenses Patres auscultabant. Hic Author (q) Vener. Bedam tempore Damasi Papæ anno videlicet Christi 324. floruisse confidenter asserit; & ut probet Conciliorum Oecumenicorum celebrationem frequentissimam esse debere, addit, octo prima Concilia, quæ tanquam Oecumenica suscipimus, sexdecim annorum spatio, nec non triginta duo Concilia similiter generalia intra sexaginta annos ab Ecclesia celebrata fuisse; & ut exiguo illi Patrum numero, ad quem Synodus Basileensis reducta postmodùm fuit, vim authoritatémque conciliaret, non erubuit asserere, quod ad constituendum & conficiendum Generale quoddam Concilium universámque repræsentandam Ecclesiam duodecim etiamnum personæ sufficiant. Et hoc Opus illud est, quod tum temporis pro *Gubernaculo Conciliorum* venditabatur, illéque, qui in eo ita desipiebat, pro more ea scilicet ætate recepto vir eruditus, omnibúsque Basileensium Patrum principiis apprimè instructus erat.

PETRUS VINCENTIUS MARZILLA, Hispanus, Cæsaraugustanus, parente Senatore natus, Benedictinorum Sodalis in Compostellano Gymnasio Theologiam docuit ex primaria cathedra, rerúmque ad fidei tutelam attinentium censuram apud Judices, quorum ea cura est, obtinuit; vir doctus & doctorum amans, prætereáque observantiæ regularis merito, inter suos in pretio habitus scripsit

Decreta sacrosancti Concilii Tridentini ad suos quæque titulos secundùm Juris methodum redacta, adjunctis declarationibus authoritate Apostolica editis, quæ habentur in IV. volumine Decisionum Rotæ Romanæ. Salmanticæ 1613. in 4. Pinciæ 1618.

Bullarium magnum LAERTII CHERUBINI JCti Romani à S. Leone Magno [Papa ab anno 440. ad 461.] ad Paulum V. [ab anno 1555. ad 1559.] Romæ 1617. fol. tribus voluminibus. Et à D. ANGELO CHERUBINO, Monacho Casinensi continuatum usque ad Urbanum VIII. [Papam ab an. 1623. ad 1644.] Romæ ex Camera Apostolica an. 1638. fol. quatuor voluminibus, & Lugduni 1655. fol. additis Innocentii X. Constitutionibus plenior editio Rothomag. 6. Vol. Alios años editionis cùm Romanæ tum Lugdunensis habet Armellinus in Bibl. Cas. part. 1. pag. 23. ubi elogium *Angeli Mariæ Cherubini* leges.

LUCAS ACHERIUS è Congr. S. Mauri multorum Conciliorum, Synodorum, ac Conventuum Ecclesiasticorum, præsertim vetera Acta ad Concilium Pisanum pertinentia collegit, quæ in Spicilegii sui primæ editio-

(q) Petitdidier apud *von der Hardt* tom. 5. Concilii Constant. ubi *Gubernaculum Conciliorum* typis excusum habes pag. 140. seq.

tionis variis extant tomis, in novæ autem Tomo I. collecta habentur.

AUGUSTINI REDING, Abbatis ac Principis Einsidlensis *Oecumenici Tridentini Concilii Veritas inextincta, ne apice quidem læsa ex præsumptuosa Joannis Henrici Heidegeri Anatome Historico-Theologica.* Tomi V. Typis Monasterii Einsidlensis per Josephum Reymann an. 1684. in fol. Opus hoc Illustriss. Author, impellente Odoardo Cibo, Clementis X. ad Helvetios Nuntio Apostolico aggressus est.

JOSEPHUS SAENZ DE AGUIRRE Monachus Hispanus, Ss. Theologiæ Magister, & in Salmanticensi Universitate primùm post quinque Cathedras Theologiæ Scholasticæ & Moralis, primarius sacræ Scripturæ interpres, inde ab anno MDCLXXIII. supremi Inquisitionis Fidei per Hispaniam Senatûs Censor, & Consiliarius secretior, itémque insignis Collegii Salmanticensis Sancti Vincentii nomine insigniti semel iterúmque Abbas; tandémque circa annum MDCLXXXV. creatus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Presbyter titulo primùm Sanctæ Mariæ super Minervam, Regníque Siciliæ Protector; Vir eruditissimus, quíque pluribus ingenii monumentis Rempublicam literariam illustravit; plurium annorum indefesso studio & labore magnum volvit animo opus, omnibus puta numeris absolutum Conciliorum Hispaniæ systema; cujus propositi orbem literatum certiorem fecit binis editis opusculis synopticis, quorum prius hoc insigne titulo:

Notitia Conciliorum Hispaniæ atque Novi Orbis, Epistolarum Decretalium, & aliorum monumentorum sacræ antiquitatis ad ipsam spectantia magnâ ex parte hactenus ineditorum, quorum editio paratur Salmanticæ cum Notis & Dissertationibus sub auspiciis Catholici Monarchæ Caroli II. studio & vigiliis M. Fr. Josephi Saenz &c. ut suprà. Salmanticæ apud Lucam Perez. an. 1686. in 8. Prodromus hic libellus Sciagraphiam exhibens Operis in IV. Tomos digesti, magnum illius desiderium continuò in literato orbe excitavit, ita ut Authores Actorum Erudit. Lipsiensium ad an. 1686. pag. 73. scripserint: *Gratissimum futurum illud Orbi erudito, & antiquitatum inprimis Ecclesiasticarum cultoribus, sumptúsque, quos tam vasti operis editio requirit, optimè iri collocatum, nemo erit, qui dubitet.* Verùm Author mutato dein Concilio alio ordine idem opus digerendum sibi sumpsit, ejúsque specimen evulgavit libello

Synopsis Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ, & Novi Orbis &c. cum Notis & Dissertationibus; adjecta accurata omnium in quatuor illis voluminibus contentorum recensione veri Indicis operis illius loco habenda; adjectis in fine variis virorum celeberrimorum applausibus & oratione pro salute Auctoris in Seminario Neapolitano à Constantio Criscolo habita anno 1695. integrísque cujusque Tomi præfationibus Romæ apud Antonium de Rubeis 1695. in 12. sequitur ipsum Opus,

Collectio Maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis, Epistolarúmque Decretalium, nec non plurium monumentorum ad illa spectantium cum Notis & Dissertationibus, quibus SS. Canones, Historia Disciplináque Ecclesiastica, & Chronologia illustrantur. Romæ in fundata noviter à Cardinali nostro Typographia ab Antonio Rossi seu de Rubeis impressa 1693. & 1694. in fol. IV. Tomis; quorum primus continet Concilia Hispaniæ à tempore Apostolorum usque ad annum Christi 303. habita; secundus illa ab anno 303. usque ad 701. tertius ab anno 701. usque 1511. pertingit, & quartus ab anno 1511. usque 1600. adjecta Regum Præsulúmque Toletanorum & aliorum serie chronologica, aliisque notitiis historicis. Ita Illustriss. & Eruditiss. Eques Gerhardus Ernestus de Franckenau in Bibl. Hisp. General. Herald. pag. 269. Illustre Opus, cujus Analysin, videsis in Actis Erudit. Lipsf. an. 1696. pag. 120. 165. 214. 217. Author in singulis tomis eruditas de singulis rebus immiscuit dissertationes.

BENEDICTUS BACCHINUS Abbas è Congregatione Casinensi singularis doctrinæ & eruditionis in Historia Pontificum Raveñatium edidit ex Cathedralis Mutinensis Tabulario *Acta anecdota Concilii Romani sub* Nicolao I. Papa contra Joannem Ravennatem Archiepiscopum habiti. Vid. plura in Act. Erudit. Lipsf. an. 1710. pag. 332.

EDMUNDUS MARTHENE & URSINUS DURAND Thesauri Novi Anecdotorum Tomo IV. magno numero varia Concilia atque Episcoporum Statuta Synodalia ediderunt. Etsi verò Concilium & Synodus passim ad idem significandum promiscuè usurpentur, illud tamen inter utrumque est discriminis; quòd propriè Concilium sit

Con-

Congregatio Episcoporum ad asserenda fidei sacra dogmata, ad reformandos mores, ad disciplinam Ecclesiæ stabiliendam, in unum coëuntium. Synodus verò Conventus Presbyterorum, seu Parochorum unà cùm proprio Episcopo, singulis annis ad recipiendas ab eo leges ad eum confluentium. *Cl. Editores in præfat.*

JOANNIS ANGELI GODINI è Congr. S. Mauri *Concilia Diœcesis Rotomagensis*, quæ post ipsius obitum an. 1665. *Franciscus Johan. Pommeraye* ex eadem Congr. cum *Godini* præclaris & doctissimis Notis, sed ad Concilium duntaxat *Juliobonense* (*de Lilebone*) pertingentibus publici juris fecit.

PETRI COUSTANT è Congr. S. Mauri *Epistolæ Romanorum Pontificum, & quæ ad eos scriptæ sunt, à S. Clemente I. usque ad Innocentium III. quotquot reperiri potuerunt; seu Novæ seu diversis in locis sparsim editæ, adjunctis fragmentis, spuriis segregatis, in unum secundùm ordinem temporum collectæ, ad veterum Codicum fidem recognitæ & emendatæ, prævir admonitionibus, ubi opus fuit, notis criticis, ac dissertationibus, quæ historiam, dogmata, disciplinam explicant, illustratæ.* Tom. I. ab anno Christi 67. ad an. 440. Parisiis an. 1721. Egregii hujus Operis primus tantùm tomus lucem vidit anno citato 1721. qui desinit in Xysto Tertio, & an. Christi 440. De illo uberiùs agit le Cerf in Bibl. Hist. Crit. v. *Coutant* pag. 67. seq. & Fabric. Bibl. Græcæ vol. xi. pag. 760. seq. *Coustantio* autem eodem anno 1721. Octobris 18. rebus humanis subducto, & *Simone Mopinoto* (r) Remensi, è Congregatione pariter S. Mauri, qui curam continuandi illius Operis in se susceperat, similiter extincto 11. Octobr. an. 1724. in flore ætatis, cùm annum ageret undequadragesimum: ab eo tempore jussi sumus, inquit Cl. Fabricius Bibl. med. Lat. lib. 2. pag. 811. secundum itemque tertium sylloges hujus utilissimæ volumen exspectare à claro tot aliis antiquitati Ecclesiasticæ illustrandæ exhaustis laboribus *Ursino Durando*, cui vegetam senectutem, & felices propositorum publico susceptorum bono successus lubenti animo apprecamur.

In Prolegomenis Coustantius pag. LVII. ss. de antiquis Canonum collectionibus differit, Latinis præsertim, MS. Corbeiensi Sec. vi. sub Vigilio p. LXII. *Quesnelliana* ad calcem Operum Leonis M. quam Gelasii tempore, vel non diu pòst, compositam disputat pag. LXVII. *Langobardica* Bibliothecæ Colbertinæ, quam priore non juniorem observat pag. LXXIX. & alia ampliore ejusdem Bibliothecæ ex duabus superioribus circa annum 660. in Galliis conflata pag. LXXXVII. De collectione *Dionysii Exigui*, qui Pontificum Decreta, hortante Juliano S. Anastasiæ Presbytero, adjunxit circa seculi sexti initia pag. xc. De codice Canonum Ecclesiæ Africanæ pag. xciv. De concordia Canonum auctore Cresconio circa an. 690. p. cv. De codice Canonum, quem an. 774. vel 787. Hadrianus I. Carolo M. tradidit, edito primùm Moguntiæ an. 1525. pag. cviii. De collectione apud Hispanos scripta post annum 589. & Isidoro vi. 15. Origg. laudata pag. cxi. De codice Canonum in x. diviso libros, & MS. in Biblioth. Ecclesiæ Toletanæ pag. cxxii. De collectione *Isidori Mercatoris* ex veris falsisque & interpolatis monumentis conflata p. cxxv. *Hac fraude* [sunt pag. cxxvii. verba laudati Coustantii] *quàm sit perniciosè de Ecclesia meritus, dici vix potest. Hinc debilitati penitus, fractique disciplinæ nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatæ judiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictæ: hinc discordiarum, seditionum, ac litium seges immensa, quæ tot sæculis ad Ecclesiæ dedecus, fideliúmque offensionem fruticovit.* Nondum innotuerat hæc Isidori Sylloge anno 855. quam deinde ab aliis subinde augeri, & Pontificum Epistolas alias adjungi contigit. Idem pag. cxxxii. ss. De Collectione MS. *Sorbonicæ Bibliothecæ* ante an. 1109. ad Anselmum Archipræsulem, in duodecim divisa partes pag. cxxxv. Videsis Fabric. l. cit. pag. 810. Quæ cætera argumenta in doctissimis his Prolegomenis pertractentur, leges apud le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 67. seq.

ALPHONSUS MARICONDA, Neapolitanus, S. Severini ejusdem urbis Cœnobii Religiosus, primariam sacræ Theologiæ Cathedram in publica Universitate consequutus, plures annos ibidem docuit. Demum à clemen-

(r) Hic *Mopinotus* auctor est apologiæ pro Coustantio editæ Romæ an. 1724. quòd in Paparum auctoritatem injurius non fuerit.

mente XI. Pontifice Maximo ad Regium Episcopatum Triventinum in Samnio fuit assumptus anno 1717. die 12. Julii, consecratus autem die 18. ejusdem mensis Romæ à Cardinali Paulutio, ejusdem Sanctissimi à Secretis Status. Edidit Alphonsus

Primam Diœcesanam Synodum S. Triventinæ Ecclesiæ ab Illustrissimo & Reverendissimo in Christo Patre, & Domino D. Alphonso Mariconda ejusdem sanctæ Ecclesiæ Episcopo celebratam die XXVI. Julii anno Domini MDCCXXI. Beneventi MDCCXXIII. ex typographia Archiepiscopali Superiorum facultate. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 10.

ALEXANDRI LELLI è Congr. Casin. in Collegio S. Anselmi Romæ Ss. Theologiæ Professoris *Lectiones Conciliares*, quas Romæ in Academia Conciliorum apud SS. Cosmam & Damianum instituta olim habuerat. Opus Mf.tum, de quo Armell. l. c. part. 1. pag. 4.

GUILIELMUS BESSIN è Congr. S. Mauri vulgavit Rotomagi in fol. an. 1717. novam editionem Conciliorum Normanniæ ab excessu Domni *Juliani Belaise* ex eadem Congr. qui pro vero illius authore habendus est. Unde Bessinus à D. Philippo le Cerf in Bibl. Hist. Crit. notatur, quòd eam collectionem sub suo nomine publicaverit; cùm ipsius sit duntaxat præfatio, aut potiùs epistola dedicatoria, ad Clerum Normanniæ, cum adjectis quibusdam monumentis, quæ ad rem neque pertinent, neque magni sunt momenti. Eodem Cerfio teste P. Bessinus in concinnanda nova editione Libri, qui seculo superiore sub titulo *Decreta Ecclesiæ Gallicanæ* lucem aspexit, inpræsentiarum occupatur.

NICOLAI DE TEDESCHIS Abbatis Panormitani *Tractatus de Concilio Basileensi*, qui in omnibus ejusdem Operibus prætermissus est; nec immeritò, prohibetur enim à Sacra Congregatione Indicis: memoratur autem Trithemio cap. 781. de S. E. & II. c. 139. Vir. Ill. O. S. B. Gesnero in Bibl. pag. 633. Bellarmino de S. E. p. 394. & Oldoino in Athenæo Romano pag. 508. & in addit. ad Ciacon. tom. 2. p. 943. Sunt, qui hunc Tractatum *Nicolao Simonis* Carmelitæ adscribant, teste Fontana in Bibl. Legali part. 2. p. 292. sed reclamant alii: *Nicolaus* enim *Simonis* de Concilio Basileensi nullum edidit Tractatum, sed librum scripsisse fertur de *Potestate Papæ, Imperatoris & Concilii*, qui an idem sit cum illo, quem de eodem argumento Nicolaus Tedeschi composuisse fertur, examinat Placcius de Scriptoribus Anonymis Lit. A. pag. 1. col. 2. Qui Concilium supra Papam extollunt, Nicolai de Tedeschis *Tractatum de Concilio Basileensi* in ejusdem Operibus omissum separatim typis edi curârunt. Quid? quòd Joannes Gerbasius Doctor Sorbonæ Theologus Gallicè versum Parisiis an. 1697. vulgârit, ut Dupinius in Bibl. testatur. Novam editionem ex veteri Lugdunensi editione an. 1517. cura V. C. sed Acatholici, Georgii Ludovici Oederi accurandam esse annis abhinc aliquot scripsit Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XIII. pag. 95. quæ num intereà temporis lucem aspexerit, ignoramus.

— EJUSDEM *Tractatus de Auctoritate Papæ & Imperatoris, & Institutione Conciliorum Sacrorum, præsertim Basileensis, cum annexione quorundam dubiorum & casuum.* Hunc Tractatum scripsisse fertur, quando, Alphonso Rege impellente, ejusdem nomine Felicem loco Eugenii IV. à Patribus Concilii Basileensis per summam audaciam exauthorati Pontificem veneraturus Basileam venit. Bellarminus hunc librum à Panormitano scriptum fuisse negat, cui alii se opponunt, maximè Acatholici, è quibus vide Henricum Whartonum in appendice ad Guil. Cave Histor. Liter. pag. 70. & 71. Typis hic Tractatus exscriptus est Lugduni 1517. in 8. Gesnero teste asservabatur etiam in m. s. apud Dresserum cum aliis Panormitani libris, & omnino diversus est à præcedenti libro. In Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Caligulæ* Lit. A. custodiri Thomas Smithus in Catalogo pag. 32. scribit; quo etiam teste ibidem asservantur

EJUSDEM PANORMITANI *Sententiæ ex diversis Auctoribus & rescriptis Imperatorum & Conciliorum desumptæ ad confirmandum præcedentem Tractatum.* pag. 32. in Bibl. Cotton. Catalogo.

HIPPOLYTI PUGNETI è Congr. Casin. *Epistola*, seu *Prodromus de Re Synodica Italiæ colligenda.* Perusiæ anno 1719. typis Constantini N. In prospectu hujus Prodromi hæc promittuntur:

1. *Maxima Collectio Synodorum Italiæ*, seu Concilia omnia Provincialia, & Diœcesana selectiora in Universis Italicis Ecclesiis hactenus celebrata à

Col-

Collectoribus haud recensita, quæ D. Hippolytus Pugnetus Ord. D. Bened. Congregationis Casinensis Decanus, ad comprobandam Catholicam *Enosin*, & Acatholicam *Eunchisin* confutandam in unum corpus redigit, Dissertationibus Philologico-Ecclesiasticis auget, Observationibus, & Notis eruditis, totam Ecclesiæ Hierarchiam juvantibus illustrat, multis anecdotis Codicibus, plurimisque utilissimis Indicibus, ad novæ Theologiæ Synodicæ ornamentum refertum Opus exhibet, ubi Italica Ecclesia unitate doctrinæ, Harmoniâ disciplinæ, sanctitate morum, perpetua, & constans repræsentatur contra Heterodoxorum calumnias. Præcedet Bibl. Synodica Italiæ, veluti Apparatus. Clementi XI. Pont. Max. DDD. Item

2. *Bibliotheca Synodica*, Authores omnes, qui de Synodis Oecumenicis, Nationalibus, Provincialibus, Diœcesanis hactenus quoquomodo scripserunt, utili methodo refert, universamq; Conciliorum materiam scientifico ordine digestam ita exhibet primo Volumine, ut Catholica Ecclesia unitate doctrinæ, concordiâ disciplinæ, & sanctitate morum perpetua, & constans refulgeat contra Hæreticorum calumnias.

3. *Bibliotheca Tridentina Selecta*, Auctores omnes, qui de Sacrosancto Tridentino Concilio in hanc usque diem ex instituto egerunt, singulari methodo continet, Pseudo-historicos, & Antiscriptores hujus divinæ Synodi refellit, Conciliorum, & Sacrorum Canonum harmoniam construit, ac Tridentinæ Academiæ perpetuum Argumentorum aperit Thesaurum volumine.

Sed quò minùs hæc tam insignia Opera typis adhuc tradita sint, varia, eâque gravissima intercesserunt impedimenta; remanent itaque Mss. apud Authorem. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 230. Ephemerides Liter. Ital. Venetiis impress. an. 1719. tom. 31. art. 13. pag. 438.

SECTIO II.

ELUCIDATORES JURIS CANONICI.

§. I.

Authores, qui in Jus Canonicum commentati fuerunt.

INNOCENTII IV. Pontif. Max. *in quinque Libros Decretalium Apparatus*, seu *Commentaria*. Edidit Lugduni in fol. an. 1578. Carolus Pesnot post multorum editiones, ex fide, ut ipse in Epistola Nuncupatoria fidem facit, atque auctoritate vetusti cujusdam Codicis manuscripti, cujus ope hæc Commentaria plus quàm mille quingentis in locis emendata, & repurgata, & passim locupletata, & illustrata fuerunt, ita ut suo pristino nitori restituta dici possint. Præmittitur INNOCENTII Vita per Do. Thomam Diplovatium Constantinopolitanum J. U. D. edita: ad Reverendissimum Do. Nicolaum Comitem Lavaniæ, Episcopum Sabinensem, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem de Flisco, ex qua familia ortus erat Pontifex. Qui *Apparatus* est tantæ authoritatis secundùm Bernard. Compostel. in proœmio Decretal. circa medium, quod in Romana Curia, ad quam de totius mundi partibus negotia veniunt, sicut causarum experientia declarat, vix occurrit quæstio, quæ per ipsum congruè decidi non possit. In multis tamen locis Innocentius videtur esse civilis & nimis subtilis; unde Abb. in c. 1. de præscript. dicit, quod fuit Doctor subtilissimus. Fertur etiam primus fuisse, qui scripsit super *Decreto Gratiani*.

NICOLAI DE TEDESCHIS primùm Abbatis, tum Archiepiscopi Panormitani, ac denique S. R. E. Cardinalis

Commentaria in quinque Decretalium Libros. Omnes editiones recensere non vacat: præcipuas tantùm indicabo. Prodiere Venetiis apud Juntas 1578. in 4. & 1582. & 1592. in fol. cum aliis Nicolai lucubrationibus octo tomis comprehensa. Antiquioris editionis de anno 1492. & recentioris novem tomis comprehensæ de anno 1617. meminit Jo. Alb. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Tom. v. lib. 13. pag. 394. Lugduni an. 1527. 1534. 1537. cum additionibus Alexandri de Nevo. Ibidem 1549. 1578. & 1586. in fol. in sex tomos distributa. Cum additioni-

bus Zachariæ Ferrerii Vicentini, Taurini apud Nicolaum de Benedictis an. 1517. Parmæ typis Bernardini Macrini an. 1569. in 4. In Compendium contraxit hæc Comentaria Hieronymus Pantonus de Ferrariis Ordinis Prædicatorum Venetiis apud Michaëlem Tramezinum 1564. in 4. ex Ambrosio Altamurano in Biblioth. Dominic. pag. 31. & Fontana in Biblioth. Legali part. 2. pag. 341. & 374.

-- *Commentaria in Epistolas Clementinas, & earum glossas.* Parisiis 1516. in 8. ex Biblioth. Classica Draudii pag. 668. & Gesnero in Biblioth. p. 633. qui & mss. asservari addit in Bibliotheca Imperiali in fol. Venetiis 1571. in fol. ex recognitione Leonardi à Lege J. C. Mantuano, Ibidem apud Juntas 1617. Lugduni 1584. & 1586. ex Du-Pin in Bibl. Eccl. & alibi cum Commentariis.

-- *Repetitio in Cap. per tuas de Arbitriis.* Typis tradita cum Comentariis Decretalium, & in volumine secundo Operis inscripti: *Repetentium in universas ferè Juris Canonici partes materiásque* Venetiis anno 1587. Antverpiæ anno 1615. & Coloniæ 1618. & 1650. ex Fontana in Biblioth. Legali pag. 157. & 374.

JOHANNES Abbas Juncellensis hujus nominis secundus, è gente Johannæa nobili natus, in utroque Jure maximè Canonico doctissimus scripsit volumen de regulis Juris, in Epistolas papales, & commentaria in Decretales, quæ manuscripta extant in Bibliotheca Collegii Fuxensis Tolosæ. Claruit tempore Johañis Papæ XXII. ac discipulum habuit Petrum Boerii à Juris utriusque peritia insignem. Vid. Gall. Christ. tom. 6. p. 401.

GUILLELMI DE MONTE LAUDUNO, Abbatis Monasterii novi Pictaviensis, & Professoris Publici Sacrorum Canonum in tribus celeberrimis Galliæ Academiis, Parisina, Tolosana, & Pictaviensi sæc. XIV.

Lectura in Librum sextum Decretalium, quam laudant *Rufæus* & *Probus*, ad quam Apostillas vel additiones scripsit *Blasius Aurioli*, Doctor Tolosanus.

-- *Apparatus Constitutionum Clementis V.* qui frequenter item laudatur à *Rufæo* in *Repetitionibus* ad Clementinas.

-- *Apparatus* in Decretales

-- *Apparatus super Extravagantes Joannis Papæ XXII.* qui etiam ab iisdem Rufæo & Probo laudatur.

-- Opera anecdota, & typis, quod sciam, nondum vulgata, ubi verò, & in quibus Galliæ bibliothecis asserventur, docet Stephanus Baluzius in addit. ad Pet. Marca cap. IV. de Concord. Sacerd. & Imper. pag. 856.

LAPUS Abbas Monasterii S. Miniati, in monte propè Florentiam, natione Etruscus, quippe qui natus est in oppido, quod *Podium Bonici* appellatur, è familia Tuctorum, eximius fuit Juris Pontificii Doctor, ac Decretaliũ sexti libri & Clementinarum primus interpres. Scripsit igitur *Commentarios ad Librum sextum Decretalium Bonifacii Octavi, & ad Clementinas Clementis Quinti Pont. Max.* Qui cùm trecentos annos delituissent, operâ denique Tusci J. C. Regiensis an. 1589. excusi sunt Romæ typis Georgii Ferrarii. Eorum initio sic de se *Lapus* ipse loquitur: *Ego namque Lapus Abbas Monasterii S. Miniati ad montem Florentiæ inter Doctores Decretorum minimus.*

Commentatus etiam est Lapus in *Decretum Gratiani*, ut Calderinus fidem facit in Consilio 46. aliàs 8. De Consuet circa finem.

Neque verò *Lapus* iste idem est cum *Lapo Castilionæo* (vulgò *Castilouchio*) quemadmodùm Trithemius de Script. Eccl. Michaël Pociantius in Catalogo Scriptorum Florentinorum, & novissimè Elias Dupinius Bibl. Eccles. Sec. XIV. cap. 5. pag. 89. sunt opinati. Qui quidem secus dixissent, si Lapi Castilonæi Allegationes anno 1571. Venetiis excusas legissent, in quarum sexta num. 2. & septuagesima quinta num. 5. ac centesima prima ipso in initio, ubi agitur de patria & familia Lapi Abbatis S. Miniati contrarium cernitur. Accedit, quòd Lapus Castilonæus Lapum Abbatem non rarò Dominum suum nominat, ut probabile sit, hujus illum fuisse discipulum. Vide Lapi Castilonæi Allegationem num. 46. num. 6. & 118. col. 120. circa finem, & 121. num. 3. atque alibi. Cæterùm *Lapus* Abbas quamvis Baldo fuerit senior, cum hoc tamen, uti & cum Castilonæo aliquando contulit, quemadmodùm testatur Castilonæus alleg. 105. Quæritur. Vid. Possev. in Appar. Sac. Tom. 2. v. *Lapus* pag. 7. Julium Nigrum pag. 346.

HENRICUS DE GULPEN, Abbas Monasterii S. Ægidii in urbe Normberga, natione Teutonicus, Doctor Decretorum admodùm eruditus, non minùs conversatione, quàm scientiâ

venerabilis, cujus ingenium laudat *Joannes Nider* in suo *Formicario*: scripsit non spernendæ authoritatis opuscula, de quibus feruntur subjecta: *Super septem distinctiones de Pœnitentia Lib. I. Super distinctione quoque de Consecratione Lib. I.* Claruit tempore Concilii Basileensis anno Domini 1430. Vid. Trithem. de Vir. Ill. Ord. S. Bened.

LUDOVICUS ENGEL, Austriacus, Walgramiensis, Mellicii Professus, in Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professor longè celeberrimus in lucem emisit

Collegium Universi Juris Canonici, quod ob suam præstantiam tam multos, támque cupidos emptores invenit, ut typis Salisburgensibus octies vel novies in Germania recusum fuerit. Hinc non immeritò Cl. *Josephus Mezger* in approb. præclarum hoc Opus *communi Doctorum exspectatione, calculo, plausu, receptum, probatum, in schola, foro, libris allegatum* approbatione haud indigere judicabat. *Struvius* verò Author & Jurista Acatholicus magni nominis, in Bibliotheca Juris cap. XIII. pag. 481. „ Inter omnia, inquit, Juris Canonici „ Systemata, quæ ad mentem, pra- „ ximque Pontificiorum scripta sunt, „ optimum est LUDOVICI ENGEL „ *Collegium Universi Juris Canonici* Sa- „ lisburgi ex editione tertia 1688. in 4. „ quod sæpiùs recusum *editione decima* prodiit Salisburgi an. 1710. in 4. „ quod & ab ordine, qui ad Decre- „ talium seriem dirigitur, & Quæ- „ stionum Canonicarum solida deci- „ sione singulariter est commendan- „ dum. *Et Cap. XVI. pag.* 836. Ex „ Pontificiis Compendiis Juris Cano- „ nici æstimandum maximè est Ludo- „ vici Engelii Collegium Juris Cano- „ nici Salisburgi an. 1700. in 4. re- „ cusum, quod in Quæstionibus Ca- „ nonicis præcipuum est. „

CÆLESTINUS SFONDRATUS, Mediolanensis Marchio, Princeps San-Gallensis, & S. R. E Cardinalis, priùs erat in Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professor ab anno 1679. usque ad an. 1682. Tantus verò ad publica ejusdem collegia, & prælectiones discentium concursus fiebat, ut pene solus docere posse videretur, ac unus omnium esset dolor, cùm sermoni finem imponeret, utpote, qui nullum paragraphum dictavit, aut explicavit unquam, quin ex singulis sciscitaretur, an benè intellexissent omnia; neque ullum dubium prætерlabi patiebatur, quod non iteratò præclarè exposuisset, volebátque, ut omni tempore eundem adirent discipuli, ac exorta dubia proponerent, & ni fecissent, duriùs arguebat. Verbo: Idea Professoris optimi, atque discipulorum anima Sfondratus erat. Id quod Musæ Salisburgenses *in Arbore Fœcunda* Eidem ad Cardinalitiam dignitatem evecto dicata pluribus dilaudant:

Ipse sed ingenuos Parnassi nactus alumnos
Justitiæ monstrare vias, exponere Leges,
Fundere que Astrææ cœlestia dogmata jussus,
Quæ Canonum documenta dedit? documenta decora
Quàm numerosa Themis vel in uno corde laboret.
Quotquot verba; tot est divino visus ab ore
Fudisse æternis memoranda oracula cedris:
Lex, quæ tam dubio pateretur vincula sensu,
Nulla fuit; non longæ adeò sub judice lites,
Nullus tam densa implicitus caligine casus,
Quas tenebras non discussit, quæ vincula, lites
Mira Sfondratus non dexteritate resolvit,
Visus doctrinâ Musas animare, novósque
Secum Soles Salzburgensi inducere Pindo.

Ejus *Commentaria in Universum Jus Canonicum* M.S.ta Tomis III. comprehensa Clemens XI. Pontifex Maximus è Bibliotheca Vaticana cum Monasterio S. Galli communicavit anno 1720. Vid. Hist. Univers. Salisburg. l. 2. c. 7. pag. 325. & 333.

ROBERTUS KÖNIG (s) Austriacus, Gmundensis, in celebri Monasterio Garstensi Professus, Salisburgi SS. Canonum Professor anno 1685. constitutus, integro decennio clarissimum inter Academicos Juris Pontificii Doctores nomen obtinuit, maximóque semper auditorio fruebatur, eoquòd facili adeò methodo juris titulos interpretaretur. Et quoniam ob longam rerum & jurium experientiam, quâ summis quoque Principibus in pretio habebatur, non solùm exercitationibus, sed regimini quoque aptissimus apparebat, bis *Rectoris Magnifici* munus subiit, anno nimirum 1705. & 1711. usque ad annum 1713. quo apoplexia extinctus vivendi finem fecit. Juris publici esse voluit *Principia Juris Canonici ad Libros V. Decretalium redacta*. in 4. Salisburgi anno 1697. & 1714. Opus mole non vastum, sed ob doctrinæ cùm soliditatem tum perspicuitatem magni habitum.

FRAN-

(s) Hist. Salisburg. lib. 2. c. 7. pag. 411.

Franciscus Schmier, Suevus, Grönenbachensis, in Ottoburano Imperiali Monasterio Professus, Juridica studia tanta sedulitate & profectu in Universitate Salisburgensi confecit, ut communi calculo dignus habitus sit, qui P. Joanni Baptistæ Ebberth Garstensi in Juris Canonici Professurâ succederet ab anno 1706. usque ad an. 1716. quo temporis curriculo *Doctoratûs* honores frequens aliis elargitus est. Egit subinde Universitatis Salisburgensis Rectorem Magnificum, nec non Celsissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarium Intimum. Summam ejus Juris cùm Canonici tum Civilis, nec non Naturalis, Gentium, ac Publici Romano-Germanici Prudentiam ac peritiam jam aliàs laudibus, an verò sat dignis? extulimus. Opera Juridica ab eo habemus

Tredecim Tractatus diversis annis in lucem editos in 4. ex quibus in unum collectis surrexit

Jurisprudentia Canonico-Civilis, seu Jus Canonicum Universum, juxtà V. Libros Decretalium nova & facili methodo explanatum, Sacr. Congregationum Decretis, S. Rotæ Romanæ decisionibus, Summórumque Pontificum constitutionibus roboratum, nec non amplissima totius Juris Civilis peritia pro theoria & praxi locupletatum in tres tomos distinctum. Tomus I. complectens librum I. Decretalium; Tom. II. complectens lib. II. & III. Decretal. Tom. III. complectens lib. IV. & V. Decret. Salisburgi typis Joan. Josephi Mayr an. 1729. Quæ fuit secunda editio; cùm jam an. 1716. Opus sumptibus Joan. Andreæ de la Haye Ingolstadii, & Formis Joan. Ferd. Schwertlen Dilingæ fuisset impressum.

-- *Supplementum Jurisprudentiæ Canonico-Civilis* seu Juris Canonici Universi, juxtà Quinque Libros Decretalium. Opus posthumum Salisburgi in fol. an. 1729. apud Joan. Josephi Mayr hæredes.

Benedictus Schmier, Monachus Ottoburanus, *Francisci* germanus Frater, eruditione atque doctrina verè geminus, docuit in Universitate Salisburgensi *Jus Canonicum* ab an. 1715. usque ad an. 1721. Ex ejus Scriptis Juridicis, quæ plura in lucem dedit, huc spectant

Liber I. Decretalium. Salisburgi in 4. an. 1720.

Liber II. Decretalium ibid. in 4. an. 1720.

Liber III. Decretalium ibid. in 4. an. 1721.

Liber IV. Decretalium ibid. in 4. an. 1722.

Liber V. Decretalium ibid. in 4. an. 1718.

Nullus dubito, quin Cl. Author, postquàm suam & Philosophiam & Theologiam juris publici fecit, sit operam daturus, ut quinque hi libri in unum Juris Canonici Commentarium congesti novis typis excudantur.

Benedicti Laudati, Appuli, Altamurensis, Neapoli in Monasterio S. Severini Professi, in Collegio verò Anselmo-Benedictino Romæ SS. Canonum Professoris

Ad primum librum Decretalium Gregorii Papæ IX. Prolepsis. Neapoli apud de Bonis 1698.

Liber secundus ibidem anno 1699.

Tertius ibidem anno 1701.

Quartus ibidem anno 1703. apud Felicem Moscam; omnes absque nomine Auctoris.

Quintus, Romæ Typis Dominici Antonii Herculis anno 1710. apposito proprio nomine. Isti tamen quinque Libri fuerunt veluti specimen majorum Comment. quos in eosdem Decret. libros composuit, aliquando, si per sumptus licuisset, imprimendos, quos tamen Mss. reliquit. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 99.

Francisci Mariæ Ricci, Itali, Romani, Monasterii S. Pauli de Urbe Ascetæ, ac in Brixiensi Gymnasio Sacrorum Canonum Publici Professoris

Ex Historia Juris Pontificii, atque ex primo Libro Decretalium Gregorii Papæ IX. selectæ Positiones sub *Fortunati Mauroceni* ex Ordine Benedictino claræ memoriæ Episcopi, disputatæ: Brixiæ anno Jubilæi 1725. typis Jacobi Turlini.

2.) Ex libris Decretalium Gregorii Papæ IX secundo & tertio selectæ Positiones coram eodem Antistite disputatæ. Brixiæ an. 1726. typis ejusdem Turlini.

3.) Ex libris Decretalium Gregorii Papæ IX. Quarto & Quinto selectæ Positiones coram eodem Præsule disputatæ Brixiæ an. 1727. typis ejusdem Turlini.

4.) Ex Titulis quinque Librorum Decretalium Gregorii Papæ IX. Excerptæ Positiones sub Auspiciis Angeli

geli M. Cardinalis Quirini Brixiæ Episcopi disputatæ &c. anno 1728. typis ejusdem Turlini. Quæ Positionum Opuscula tum Brixiæ tum alibi maximo plausu fuerunt excepta & quæsita, eorúmque exemplaria omnia ita distracta, quamvis paulò pòst magno pretio venirent, ut eorum nullum apud Bibliopolas modò inveniatur. Vide plura apud Armell. part. 1. pag. 176.

PLACIDI BÖCKEN Ss. Theologiæ & U. J. Doctoris è Domo S. Petri Salisburgi in Alma Universitate ejusdem Metropolis SS. Canonum Professoris *Commentarius* in Jus Canonicum Universum, sive in Quinque Libros ac Titulos Decretalium Greg. IX. Pont. Max. & Concordantes alios tam ejusdem Juris Canonici, quàm Civilis in tres Tomos distributus. Tomus I. complectens librum I. & II. Decretalium Salisburgi typis Joannis Josephi Mayer 1735. Tomus II. complectens lib. III. Decretalium an. 1738. Tomus III. complectens lib. IV. & V. Decretalium, ac pro appendice Tractatum de Præscriptionibus an. 1739. Obiit Placidus A. 1752. ix. Februarii.

THOMÆ SCHMITZ Abbatiæ S. Nicolai in Brauweiler Professi, SS. Theologiæ in Universitate Coloniensi Doctoris, & Seminarii Benedictini Regentis *Medulla Juris Canonici secundùm Titulos in quinque Libris Decretalium Gregorii Papæ IX. contentos digesta ex antiquis & recentioribus Summorum Pontificum Constitutionibus, Concilii Tridentini Decretis, Cardinalium Declarationibus, probatis Autoribus, addita suis locis Legum Civilium concordia, morúmque observantia: & in fine, vocum & Regularum Civilium & Canonicarum expositione, extracta.*

Tomus I. complectens Librum I. tractantem de generalibus Juris principiis, promotione, & officiis Prælatorum Ecclesiasticorum, Ordinatione Clericorum, & quibusdam judiciorum præliminaribus.

Lib. II. instruentem processum judiciarium præsertim civilem cum secunda instantia, & eò pertinentibus.

Tomus II. complectens Librum III. in quo deducuntur obligationes & jura personarum, locorum, ac rerum ad forum Ecclesiasticum pertinentium.

Lib. IV. in quo traduntur ea, quæ antecedunt, concomitantur, & consequuntur matrimonia sæcularium.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

Tomus III. complectens Librum V. in quo regulatur processus criminalis: explicantur varia delicta ad tribunal Ecclesiasticum spectantia, varia pœnarum spiritualium & temporalium genera & miscellanea quædam connexa. Accedit practica commentatio Tit. XL. de Verborum significatione. Et Tit. XLI. de Regulis Juris. Coloniæ Agrippinæ ex officina Nœtheniana anno MDCCXXXX. in 4.

ANSELMI SCHNELL Jus Canonicum abbreviatum. Augustæ 1744. in 8. 2. tomuli.

ILDEPHONSI SEIDL Epitome Canonica, sive Libri V. Decretal. Frisingæ ab an. 1722. usque 1732.

– Eadem Epitome Canonica ab an. 1722. usque 1738.

PETRI GUETRATHER Jus Canonicum ad Normam Institutionum, Ratisbonæ 1706. in 8.

§. II.

Qui Tractatus, Quæstiones, Consilia &c. de variis Juris Ecclesiastici argumentis scripserunt.

NICOLAI DE TEDESCHIS, Abbatis Panormitani

Consilia CCXXVI. non CXVIII. ut habet Labbeus Tom. 2. de S. E. pag. 113. & ex eo forsan Wharton, Du-Pin & alii, tomis duobus comprehensa, Lugduni typis Joannis Crispini an. 1537. in fol. atque in Tomo octavo Operum.

Quæstiones VII. subtilissimæ unà cum Consiliis editæ sunt Lugduni 1584. & 1586. in fol. Venetiis 1571. Ibidem apud Juntas 1617. Aliquæ ejusdem Quæstiones extant in volumine inscripto: *Quæstiones Juris variæ & selectæ.* Coloniæ 1570. in fol. & Lugduni 1572. fol.

Processus Judiciarius, sive *Practica in omnibus ferè Curiis observari solita.* Prodiit separatim in 4. & deinde junctim cum Commentariis allatis. Ritum Regni Siciliæ, qui modò in omnibus Siciliæ Curiis viget, noster Nicolaus, Alphonso Rege instante, condidit. Ant. Mongitore in Bibl. Sicula Tom. II. pag. 98. & quos citat.

– *Thesaurus singularium in Jure Canonico Decisorum* conscriptus in Concilio Basileensi, & secundùm ordinem alphabeticum pro faciliori usu dispositus, Tomo Operum nono, unà cum

additionibus Jacobi Anelli de Bottis ad Commentaria, Consilia, & Quæstiones: nec non Gualvarii Bononiensis repertorio, & tractatu de differentia Legum Canonúmque.

– *Quæstio quædam in Parmensi Gymnasio disputata.* Prodiit unà cum Repetitione in cap. *Per tuas*, Commentariis in Epist. Clementinas & Practica. Lugduni 1587. in fol. Mongitore l. c. ex Bibl. Classica Draudii pag. 170. & Bibl. Exotica p. 579.

– *Disputationes variæ.* Mongitore ex Trithemio, Gesnero, & Oldoino.

– *Decisiones Rotæ Romanæ.* Inter Decisiones Rotæ, ex Fontana cit. pag. 373. & Joan. Bapt. Catalmaio in Synaxi sacræ Rotæ Romanæ Auditorum.

– *Conclusiones Glossarum Clementinarum.* Extant mſ. in Bibliotheca Imperiali; Mongitore l. c. ex Gesnero.

JOANNES EVERISDEN, Monachus Anglus in Cœnobio Buriensi, quod ad S. Edmundum dicitur, ubi etiam fuit, ut vulgò dicunt, Cellarius, jurisprudentiam tanquam certissimam æquitatis normam summo in pretio habuit, ejúsque vim & nervos accuratè intellexit. Unde scripsit

Concordiam Decretorum lib. I.

Claruit anno 1336. Pitſ. æt. 14. pag. 435.

GUILLELMI DE MONTE LAUDUNO Lecturæ quædam in aliquot Juris Canonici posterioris capita editæ sunt in voluminibus Repetitionum Juris Canonici, teste Baluzio in additione ad Cap. IV. Petri Marca de Concord. Sacerd. & Imper. pag. 856.

– EJUSDEM *Tractatus de Cardinalibus*, qui laudatur ab Ægidio le Maistre in Tractatu de Regalibus cap. VII. Baluz. l. c.

ANTONIUS DE RAYMUNDIA edidit Tractatum *Contra reservationes speciales, & nominales omnium ferè prælaturarum &c.* Beneficiorum nefanda cupido à plurimis retrò seculis, proh dolor! ad Ecclesiæ dedecus maximum irrepsit, imò & grassata est. Quod mercimonii genus postea Reservationum & Gratiarum Exspectativarum nomine à beneficiorum aucupibus est factum. „ Hæc pestis, inquit Author „ noster, à nostris invisa Patribus, „ licèt olim nixa fuerit de corporibus „ aridis hominum velle emittere plantulas, & palmites infructuosos coalere, ipso ortu à Patrum sanctorum „ prudentia de ipso agro Ecclesiæ, „ tanquam arbor spinosa protinus est „ avulsa (videlicet reservatio dignita„ tum) prælaturarum, & aliorum be„ neficiorum, quorum ministri ac „ Prælati adhuc vivunt in corpore) „ quia materiam parabat scandalis, & „ votum dabat hominibus captandi „ alterius mortem, in sacro Latera„ nensi Concilio ab Alexandro III. „ celebrato perpetuæ fuit prohibitio„ ni subjecta, videlicet in cap. 2. de „ concessione Præbend. &c. Miram „ enim rem nostris lacrymosis & infau„ stis temporibus, oculis perspicimus, „ quòd aliquo Prælato quinquagesi„ mum vix annum attingente, ejus „ prælatura vel dignitas in favorem „ alterius reservetur, contra regulam „ charitatis dandi illi exspectandi de„ siderium mortis alienæ, ut possit in „ locum ejus substitui. Magis ta„ men mirandum, quomodo Princi„ pes Christiani, pro tam scelesta ma„ teria non verentur aures summi Pon„ tificis per importunas, & (si fas est „ dicere) inhonestas vexare preces: „ mirabiliúsque, quòd *ipse Summus „ reipub. Christianæ Hierarcha, & qui „ vices gerit justissimi Judicis Jesu Chri„ sti, talibus iniquè postulatis, contra „ omne fas, jus & rationem naturalem „ & positivam assensum præbet &c.* „ Hactenus Doctor ille Dei æmulatione exæstuans apud Lucam Dacherium in Not. & Observat. ad V. Guiberti Abbatis Opera pag. 579. col. 2. ubi Antonium de Raymundia vocat Benedictini Ordinis non ignarum Ascetam: plura de hoc Anctore mihi non constant.

SENATUS BRAVONIUS Ord. S. B. Monachus Anglus, in Cœnobio Wigorniensi, ubi postea fuit dignissimus Præses. Erat autem hoc Monasterium Congregationis Cluniacensis. Porrò fuit *Senatus* vir pietatis amantissimus, observantiæ regularis studiosissimus, & de bonis literis optimè meritus. Suum cœnobium, alioqui honoratum, longè honoratius virtutum suarum splendore reddidit, ejúsque industria factum est, ut ad annos postea bene multos illi loco non defuerint viri omni vitæ integritate & eruditione præstantes. Rogero per idem tempus illius Sedis Episcopo multùm charus, & valde familiaris fuit, cui pleraque sua scripta consecravit. Jam quod ad hominis doctrinam attinet, inter plura alia scripsit

De

De Pallii Pontificii ratione lib. un. Wigorniæ diem clausit extremum, & ibidem in suo Monasterio requiescendi elegit locum, circa annum salutis communis 1170. Vid. Pitf. de Ill. Angl. Scriptot. æt. 12. p. 237. Cæterùm brevem *Pallii* descriptionem inivit noster *Rabanus Maurus*, quæ Pallio ævi nostri congruit; ideóque ab Archiepiscopis deferri scribit lib. 1. de Instit. Clericor. c. 23. ut ostendant se Vicarios esse Apostolicæ Sedis. *Super hæc omnia*, inquit Rabanus, *summo Pontifici propter Apostolicam vicem Pallii honor decernitur, quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso indutus Pontifex à tergo & pectore crucem habeat.* Cæterùm, inquit Petrus de Marca De Concordia Sacerdotii & Imperii lib. VI. cap. VII. pag. 871. hæc Rabani verba sunt notatu valde digna, cùm ex eis disci possit, cur tanta summorum Pontificum cura fuerit in mittendis Palliis ad Archiepiscopos [per orbem Christianum], nimirum ut jus metropoliticum, quod ad illos pertinebat secundùm canones, arcessi crederetur à vicariatu Sedis Apostolicæ: *Propter apostolicam vicem Pallii honor decernitur.*

PHILIPPUS DE VILLETA Abbas LVI. S. Dionysii in Francia scripsit circa annum 1390. de authoritate Conciliorum. Opus MS^tum^, quod extat in Bibliotheca Collegii Navarræi Parisiis. Yepes Chron. Gen. Cent. II. pag. 197.

PETRUS ALBERTI Magnus Prior Cluniacensis sub an. 1420. scripsit *de Decimis Novalibus* librum, qui inter mss. Codd. Bibliothecæ Cluniac. asservatur.

ANDREÆ DE ESCOBAR, Hispani, ex Ordinis nostri Monacho, nescio cujus Monasterii, Episcopi Megarensis, dein Civitatensis, hinc Aiacensis, &, ut aliqui volunt, Cardinalis, *Tractatus de Decimis* obvius in Tomo XV. Oceani Juris parte II. pag. 142.

ALPHONSI DE VIRUES, Hispani, atque Caroli V. Imperatoris ac Regis Hispaniarum Ecclesiastis disertissimi *Tractatus de Matrimonio Henrici VIII. Regis Angliæ*; quo nomine author laudatur inter hujus argumenti Scriptores à *Nicolao Sandero* Lib. 1. Schism. Angl. Vid. Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Nov. pag. 43.

BERNARDUS CASTILLONIUS, Italus, Genuensis, è Congr. Casin. Sacrorum Canonum Professor, laudabili fine sibi proposito Pontificii Juris studiosos pro viribus adjuvandi, quò faciliùs & commodiùs latissimam doctrinam possent memoriâ complecti, non parvo sanè labore, nec minori diligentiâ adornavit

Repertorium Alphabeticum, & Summarium Sententiarum uniuscujusque Capituli Canonum Decretalium; novum opus &c. Brixiæ anno 1505. apud Magistrum Aruntem. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 1. pag. 105.

GILBERTI GENEBRARDI, Archiepiscopi Aquensis in Gallia Liber *de Sacrarum Electionum Jure.* Competebat Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis & Regularibus *jus eligendi*, quod lege totius Regni sub titulo *Sanctio Pragmatica* confirmatum fuit. At enim Jus hoc per *Concordata*, quæ Leo X. & Franciscus I. anno 1517. condiderunt, sublatum est. Postquàm igitur *Genebrardi* liber comparuit, stomachum Regiæ Aulæ tantoperè movit, ut Author illius, Archiepiscopatû privatus solum vertere jussus sit. Nempe hæc sub Ludovico IX. & Sancto non còntigerunt, cui cùm à Pont. Max. facultas denominandi Episcopos, Abbates, Canonicos &c. facta fuisset, eam acceptare religioni sibi duxit.

VICTORINI MANSO Abbatis Casinensis, ac postea Episcopi Arianensis *Præclara Institutio modi procedendi in causis Regularium omnium*, multis & allegationibus, & exemplis aucta & illustrata per D. *Timotheum* Monachum S. Severini Neapoli. Venetiis an. 1595. apud Franciscum de Franciscis Senensem. Venetiis verò in Bibliotheca S. Georgii Majoris extat mf. in 4. *Victorini Mansi* ab Aversa *Practica Criminalis Canonica* tom. I. quam à se visum fuisse an. 1718. Abbas Armellinus testatur part. 2. lib.V. pag. 11.

LAURENTIUS ORTIZ de Ibarrola & Aiala Hispanus, Salmanticæ natus, sodalis priùs Collegii trilinguis in patria schola Græcam & Latinam linguam duodevingti annos docuit; Pinciæ mox vitam monasticam amplexus, prophanâ sacráque eruditione censebatur; cùm Romæ negotia domûs suæ procurans edidit

De Politia & Immunitate Ecclesiastica Tractatum ad Paulum V. Pont. Max. Romæ typis Stephani Paulini anno 1610. in 4. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

BENEDICTUS CANOPHILUS, Italus, apud Castrum Sanguinis, vulgò *Sangro*, in Samnio ortus, ante professionem Monastici instituti, quod Casini adulta jam ætate an. 1525. amplexus est, celeberrimus Romæ Jurisconsultus, novis ac multiplicibus præstantis ingenii fœtibus Jurisprudentiam illustravit; quorum catalogum accipe:

1.) *Juris Canonici, & Divini compendium*, incipiens à primis Legum cunabulis, ubi summatim, & decisivè, quidquid est scriptum, quasi per omnes, tam Canonum & Legum Latores, quàm per alios sub Rubricis Decretalium breviter habetur, cum modo facillimo intelligendi, & recipiendi, argumentandi, & solvendi. Tom. I. Venetiis an. 1542.

2.) *Tractatus Fori & Poli* sub repetitione c. 1. de Constitut. Qualiter judicandum & consulendum sit in Foro Fori, tam Canonico, quàm Civili, & qualiter in Foro Poli, Conscientiæ & Pœnitentiali, Tomus secundus, Venetiis apud Aloysium de Tortis anno 1542.

3.) *Summa rerum*, ubi breviter habetur, quidquid tam per Canonum & Legum Latores, quàm per comunes opiniones DD. Decisivorum & Consulentium comprehensum est; tom. 3. lib. 2. *Venetiis* eodem anno.

4.) *De Religiosis*, & Vita, Bonis, ac Privilegiis eorum, nec non de Criminibus in Deum & Proximum, de Pœnis eorum tom. 4. Venetiis apud Bernardin. Bondonum Mediolan. an. 1542. lib. 5.

5.) *Tractatus necessariissimus de Censuris Ecclesiasticis, & Hæresibus. De duplici Matrimonio spirituali & temporali. De ordine bene beatéque vivendi. De modo reperiendi materias in utroque jure.* Hæc quatuor Opuscula conficiunt Tomum V. impress. ibidem eodem anno, opera eo quidem tempore plurimùm commendanda, & valdè utilia; unde carmen hoc illis præfixum fuit:

Ex multis nobis hic satis unus erit.

Ipse autem Canophilus sua enumerat Opera in præf. ad librum *de modo reperiendi materias in utroque Jure.* „ Postquàm Deo duce Opt. Max. finem imposui quinque Tractatibus nostris, scilicet De terminis Juris: De differentiis in utroque Jure: De differentiis inter Forum Fori, & Forum Poli, & De differentiis Juris Longobardorum, & *Romanorum*, & de summa rerum J. U. De Censuris, De Hæresibus ritè & rectè reprobatis, & De duplici Matrimonio, & sic De modo intelligendi materias, operæ pretium fore duxi, componere præsentem Tractatum; De modo reperiendi dictas materias in U. J. per suas Rubricas. Quanti autem Canophilus à doctis eo tempore Italiæ viris sit habitus, docebit te Armellinus Biblioth. Scriptor. Congreg. Casin. part. 1. p. 92.

ALPHONSUS VILLAGUT, Neapolitanus, Abbas Monasterii S. Severini eadem in Urbe, J. U. Doctor excellens præ multis aliis est habitus anno ætatis suæ 57. defunctus, à partu autem Virgineo 1623. multa Opera Juridica typis imprimenda dedit; è quibus huc spectant

1.) *Practica Canonica Criminalis* secundùm Juris communis, ac Doctorum antiquorum, & recentiorum Decreta, nec non & secundùm praxim nostra tempestate ferè in omnibus Ecclesiasticis Curiis observatam, complectens omnes titulos, ac materias, quæ ventilari, & agitari assolent in Curiis Ecclesiasticis, nunquam hucusque ab aliquo hoc stylo ac procedendi modo compilatæ, ad commodum tam Judicum Ecclesiasticorum, quàm Confessariorum eorundem. Bergomi typis Comini Venturæ & Sociorum anno 1585. sumptibus spectabilis Viri D. Francisci Francisci Senen. & iterùm ibidem anno 1586. & Francofurti anno 1588. in 4. erátque tunc Alphonsus Prior S. Severini Neapoli.

2.) *De Usuris* circa Contractum Mutui, Pignorationis, Fidejussionis, & de obligatione, ac modo restitutionis eorundem ritè faciendæ, tam ab usurario, ejúsque hæredibus, quàm à quocunque restitutioni cujuscunque rei ob quamcunque causam obnoxio, Tractatus divisus in quæstiones 35. Venetiis anno 1589. in fol.

3.) *Consultationes decisivæ*, quas ad varios casus tam in Pontificio, quàm in Cæsareo Jure in praxi tractatos miro ordine & Sac. Canon. Jurisconsultorum responsis, Cæsarum Rescriptis, Interpretúmque lucubrationibus exegit. Venetiis apud Damianum Zanarium anno 1601. in folio. Cùm esset Abbas S. Benigni Genuæ scripsit hoc Opus.

4.) *Speculum Visitatorum & Commissariorum*, seu methodus procedendi, processúsque formandi in causis criminalibus contra Clericos per Secula-

culares & Regulares Venetiis anno 1601.

5.) *De extensione Legum tam in genere, quàm in specie*, Tractatus amplissimus, in quo multis præludiis ad faciliorem cognitionem propositis, omniúmque Legum humanarum, tam correctoriarum, quàm pœnalium materia uberrimè discutitur. Venetiis apud eundem Zanarium anno 1602. in 4. quod Opus, ut Possevinus observavit, perutile est Theoricis & Practicis in utroque foro.

6.) *Allegationes in Jure*, seu Tractatus perutilis de rebus Ecclesiæ malè alienatis restituendis, unà cum fructibus perceptis. Neapoli apud Constantinum Vitalem anno 1603. in 4. iterúmque Bononiæ an. 1606. & tertiò Coloniæ Agrippinæ an. 1609.

PETRUS DE MURGA, Hispanus, Monachus domûs S. Æmiliani, Prior cùm esset Conventualis, ut vocant S.Mariæ de Hyarte, edidit *Quæstiones Pastorales*, seu *De Jure & Potestate Parochi unitarum Ecclesiarum*: additur -- *Disquisitio duplex, altera de Jure & Potestate R.mi Generalis, & Patrum Diffinitorum Ord. S. B.* Lugduni apud Joañem Covrenau an. 1658. in 4. Deinde majori molimine Parochorum jura & munus illustrare volens edidit -- *Disquisitiones morales & Canonicas* duobus tomis Lugd. apud Philipp. Borde & Socios an. 1666. & Lucernæ per Jo. Bottiger in fol. an. 1684. *Tractatum de Beneficiis ecclesiasticis*. Lugduni per Jo. Maffre an. 1684. in fol. *Coñentaria in Constitutiones Apostolicas pro Congregatione S. Benedicti Hispaniarum*. Lugduni per Arnaud an. 1671. in fol.

CHRISTOPHORUS TÖRRING Monachus Gottwicensis, J. U. Doctor, sacros Canones in Universitate Salisburgensi interpretatus est ab anno 1536. usque ad annum 1643. magna doctrinæ opinione. Obiit IV. Idus Novembris an. 1643. Typis vulgavit Disputationes

-- *De Foro competente*. Salisburgi in 4. anno 1640.

-- *De Causa possessoria*. ibid. in 4. anno 1641.

-- *De Jure Rescriptorum*, ibid. in 4. anno 1642.

ÆGIDIUS RAMBECK, Monasterii Schyrensis in Bavaria Alumnus, SS. Canones in Universitate Salisburgensi non magno tantùm Auditorum accursu ab anno 1642. usque ad añ. 1651. explanavit, sed editis etiam libris non modicè illustravit, qui ferè sunt sequentes:

1.) *Tabulæ testamentariæ ex utroque Jure noviter excusæ*. in 4. Salisburgi an. 1646. apud Christophorum Kazenberger.

2.) *Juris Universi duæ Tabulæ bimembres*. in 4. Salisburg. anno 1646. apud eundem.

3.) *Bivium fori contentiosi ex Jure tam Cæsareo, quàm Canonico litigantibus apertum*. in 4. ibid. an. 1647. apud eundem.

4.) *Tertia fori contentiosi via tam ex Jure Cæsareo quàm Canonico læsis in Judicio reclusa*, ibid. an. 1648. apud eundem.

5.) *Disputatio de Solutionibus*, in 4. anno 1648.

6.) *Epitome possessionum ac remediorum pro eisdem competentium*. in 4. ibid. an. 1648.

7.) *Sylva beneficiorum feudalium* ex utroque Jure & communibus Doctorum opinionibus, Salisburgi an. 1648. in 4.

8.) *Pentecolon successionis ab intestato*. in 4. an. 1649.

9.) *Asylon fori Ecclesiastici*. in 4. anno 1651. ibid.

10.) *Ternio quartarum, Legitimæ Trebellianæ, & Falcidiæ, qua nimia ultimarum voluntatum libertas ad juris lancem accuratè temperatur*. in 4. anno 1651. ibid.

11.) *Panoplia immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ*. in 4. Aug. Vindel. apud Simonem Uzschneider an. 1666. Opus insigne, doctrina Juridica refertum, ac in Romana etiam Rota laudibus celebratum. Vid. Hist. Univers. Salisburg. l. 2. c. 7. pag. 286.

GREGORIUS KIMPFLER Schyrensis in Bavaria Abbas, doctrina & pietate insignis, cùm in Universitate Salisburgensi ab anno 1653. usque ad annum 1658. Juris Pontificii dogmata funderet, quædam typis vulgavit Academicis:

1.) *Confœderatio inter Jus Canonicum & Civile ex c. 1. de novi operis nuntiatione*. in 4. an. 1654.

2.) *Resolutiones Juridicæ de Contractibus*, in 4. an. 1655.

3.) *Disputatio de Sponsalibus & Matrimonio ex Lib. IV. Decretalium*, in 4. anno 1655.

4.) *Casus Juridicus ex Tit. de Convers. Conjug.* in 8. an. 1656. Vid. Hist. Uni-

Univerſ. Salisburg. Lib. 2. c. 7. pag. 337.

LUDOVICI ENGEL, Mellicenſis, de quo §. præced. *Tractatus de Privilegiis & Juribus Monaſteriorum, ex Jure communi deductus.* Acceſſit Authoris Collegio Univerſi Juris Canonici, quod Salisburgi an. 1664. & deinceps ſæpiùs iteratis typis recuſum eſt.

– EJUSDEM *Manuale Parochorum De Obligationibus, Functionibus & Juribus Parochialibus.* Salisburgi an. 1662. in 12. Opuſculum in tres partes diſtribuitur. Pars I. De Obligatione Parochorum. Pars II. De Adminiſtratione Sacramentorum. Pars III. De Juribus Parochialibus. Sæpiùs recuſum eſt. Prima editio an. 1661. accurata fuit.

CORBINIANI KHAMM S. Udalric. Auguſtæ Vindelic.

Opus *de Cenſura Eccleſiaſtica*, ſub tit. *Medicina Spiritualis*, prodiit in eadem Urbe Auguſtana an. 1679.

LAURENTII A DRIPT Gladbacenſis Ss. Theologiæ Lectoris, Celſ. & R.mi Epiſcopi Paderbornenſis in Eccleſ. Conſil. & Vicarii in Spiritualibus Generalis.

Cautio Judicialis Prælatorum Eccleſiaſticorum & Regularium: In qua Quid ſit: ſummariè, de plano, ſimpliciter ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſola rei veritate inſpecta: Et Quomodo Superiores Eccleſiaſtici & Regulares contra ſuos ſubditos, in cauſis levibus, gravibus, ſeu criminalibus, procedere debeant, paucis demonſtratur. Neubuſii typis Joannis Todt in 12. anno 1684.

„Occaſionem hujus Scriptionis, in„quit Author, dederunt diverſimodæ „mihi aliiſque datæ commiſſiones, in „quibus mandabatur *ſimpliciter*, *de* „*plano, ac ſine ſtrepitu judicii* procedi, „ut ea propter pro conſcientiæ meæ „ſecuritate, juſtitiæ & partium utili„tate cœperim fundamenta talis pro„ceſſus in SS. Canonibus, & celeberri„mis illorum interpretibus, magno la„bore inquirere, & inquiſita ac re„perta typis mandare, ut deinceps illi, „quibus talis commiſſio dabitur, qua„liter procedere, quæ obſervare, & „quæ declinare debeant, perfectè ſci„re valeant. Et licet ſpecialior ſit „obligatio Officialium, Archidiacono„rum, aliorúmque ex officio conſtitu„torum Eccleſiaſticorum judicum, ut „ſciant, quæ ad ſumarium proceſſum, „in quo *ſine judiciorum ſtrepitu* pro„ceditur, requiruntur, non minorem „tamen his obligationem habent Su„periores & Prælati Regulares, non „ſolùm juxtà Canones & Pontificias „Conſtitutiones, ſed etiam vigore ſta„tutorum cujuslibet Ordinis, in qui„bus mandatur, contra Regulares in „cauſis criminalibus & exceſſibus „gravioribus, *de plano & abſque judi*„*ciorum ſtrepitu* procedi, cujus ratio„nem dat Pontifex Greg. IX. *in cap.* „*olim X. 26. de accuſat. cum talibus*, „inquiens, *non deceat Dei ſervos invol*„*vi.* Et hæc obligatio tantò major „eſt, quò majoribus animarum & con„ſcientiæ periculis ſe exponunt, & „graviora damna ſæpè in fama, ho„nore, & æſtimatione ſubditis infe„runt, ſi ob ignorantiam talis *Proceſ*„*ſûs Summarii* contra juſtitiam judi„cent. Sed proh dolor tanta eſt ali„quorum tam Eccleſiaſticorum, quàm „Regularium Prælatorum, SS. Cano„num ignorantia, vel potiùs præſum„ptio, audacia, & temeritas, ut ar„bitrentur, ſe vigore talis *Summarii* „*Proceſsûs*, à Lege divina & naturali „exemptos, nec divinis nec humanis „Legibus teneri, poſſéque pro ſuo li„bitu ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo „ſubditos ſuos per teſtes omni exce„ptione majores & juratos, nunquam „convictos, vel confeſſatos, excomu„nicare, ſuſpendere, degradare, in„carcerare, vel ut incorrigibiles ex „Ordine dimittere; per hæc ſe æter„næ damnationis & taliter condem„natos, præter alia damna & præju„dicia deſperationis periculo expo„nentes. – Ut ergò ſupra allatis ſimi„libúsque graviſſimis malis, & incon„venientiis obex & remora objiciatur, „tractatulum hunc ſcribere, & toti „mundo palàm facere volui - - - Vide„bunt hîc Prælati, quomodo contra „ſuos ſubditos, ſi graviter vel leviter „delinquunt, procedere, & quæ ne„ceſſariò ex ordinatione ſumarii pro„ceſsûs, obſervare debeant, nec non „& limites ac terminos à Conciliis Ge„neralibus, SS. Canonibus, Regula, & „Statutis, ſibi præſtitutos, quos præ„terire non licet &c.

COELESTINI SFONDRATI SS. Canonum in Univerſitate Salisburgenſi Profeſſoris

Diſputatio de Lege in Præſumptione fundata. in fol. Salisburgi an. 1631. Vidi etiam illam multis abhinc annis in 8. recuſam, ſed ad annum, & locum editionis id temporis non attendi.

JOAN.

JOANNES BAPTISTA EBBERT, Austriacus, Garstensis in Austria Superiore celebris Monasterii Alumnus, SS. Canonibus in Universitate Salisburgensi docendis vires, animúmque impendit ab anno 1695. usque 1706. Ejus Opera juridica sunt

1.) *Bellum.* in 4. an. 1697. & 1702.
2.) *Controversiæ selectæ ex universo Jure.* in 4. an. 1698. & 1699.
Pax. in 4. an. 1700.
Jubilæum. in fol. an. 1700.

Ita ab Historiæ Universitatis Salisburgensis Scriptore recensentur lib. 2. cap. 7. num. 319. pag. 371. Ex istis verò Operum titulis plus æquo sanè succinctis, mutilis, ac decurtatis, nemo facilè intellexerit, an Cl. Author de Bello Jugurthino, Turcico, Smalcaldico, seu de Pace Westphalica, Ryswicensi &c. scripserit. Operam dabimus, ut in altera atque auctiore hujus Conspectûs editione pleniorem Lectori notitiam subministremus, cùm *Ebberti* scripta præstanti doctrina esse referta ex eo conjicere liceat, quòd duo priora iteratis typis recusa fuerint.

FRANCISCI SCHMIER, Ottoburani, in Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professoris & Rectoris Magnifici

Consultationes Canonicæ de Coadjutoribus perpetuis pro Ecclesiis Germaniæ Electivis potissimùm conscriptæ.

-- EJUSDEM *Jurisprudentia Practico-Consiliaria*, Opus materiis diversis, difficillimis atque intricatis repletum, subtili ubique ingenii felicitate, summâ judicii maturitate, Canonum Legúmque Auctoritate, rationum gravi pondere munitum, omnibus jurisprudentiæ cultoribus utilissimum. Opus Posthumum an. 1737. Augustæ Vindel. sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger Bibliopol. Augustæ & Pedeponti, typis Ant. Max. Heiss.

ALBINI FEINHALS ad S. Pantaleon. Coloniæ....

Expedita Methodus utrumque Jus, Concilium Trident. Bullarium Romanum, titulos & capitula &c. inquirendi, legendi &c. Colon. 1707.

VIRGINII VALSECCHI, Itali, Brixiani, è Congr. Casin. in Universitate Pisana S. Scripturæ Professoris, eruditione ac doctrinâ clarissimi

Theologico-Canonica de Sponsalium, ad instantiam parentum, à filiofamilias contra eorum voluntatem, cum imparis conditionis puella initorum Jolubilitate Resolutio. Accedunt singulorum, Almæ Florentinæ Universitatis Patrum, aliorúmque Theologorum suffragia: Excellentissimorum DD. tum in Pisano Lycæo, tum in Studio Florentino Sacram Scripturam, Theologiam, Controversias, & sacros Canones profitentium subscriptiones: ipsius Almæ Florentinæ Universitatis sententia: Illustrissimorum Equitum super Desponsatorum imparitate judicia. ac demùm Illustriss. Viri civilis de eadem re Consultatio. Florentiæ anno 1710. apud Cæsarem de Bindis sub signo S. Bernardi in fol. pagg. 50. Materia multa cum prudentia ab Authore pertractata est; unde ei non parùm authoritatis & æstimationis accessit; Resolutioni omnes Doctores, totáque Facultas Theologica Flor. Academiæ subscripsit. Opus majoris utilitatis, quàm molis, cùm usum habeat in Republica.

HENRICUS LEDERMAN Sant-Emmeramensis Ratisbonæ Cœnobita Ss. Theol. Licentiatus & SS. Canonum Professor, publico dedit insignem Tractatum de origine, habilitate, præsentatione, institutione & investiturâ Parochi, sub tit. *Portus Pastoralis... canonicè aperta.* Ratisbonæ typis Joan. Bapt. Lang an. 1750. in 4.

SYLVESTER LANGHAIDEN Cremifanii in Austria Professus, digestorum ac Juris publ. in ejusdem Monasterii Academia Antecessor edidit eruditum Tractatum de Senatus-Consulto Macedoniano, in quo veterem modernúmque usum illius cumprimis in Austria copiosè edisserit: Titulus libro: *Senatus-Consulti Macedoniani Exegesis*... Typis Gregorii Menhardt *Styræ* an. 1750. in fol. Idem condidit Dissertationem, qua causarum piarum libertatem ex jure antiquo & novo eruditè solidéque tuetur contra Anonymum Ingolstadiensem, qui an. 1750. edidit Disquisitionem Quæstionis: *An Princeps præcipuè Ecclesiasticus tutâ conscientiâ possit Monasteria excludere ab hereditate...*

§. III.

§. III.

Qui de Jure Controverso inter Sacerdotium & Imperium scripserunt Benedictini.

B. PETRI DAMIANI, S. R. E. Cardinalis, Episcopi Ostiensis *Disceptatio Synodalis inter Regis Advocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem.* Extat Opp. Tom. III. estque inter ejus Opuscula ordine quartum. In hoc autem libello Romanæ Ecclesiæ Defensor, & Regis Henrici Advocatus altercantes inducuntur. Causa altercationis hæc erat. Vetus obtinuerat consuetudo, decretis quatuor Pontificum confirmata, ut qui in Romanum Pontificem electus esset, priùs consecrationem non reciperet, vel, si jam Episcopus foret, in Sede Pontificia antea non collocaretur, quàm ejus electio ab Imperatore fuisset confirmata. Tunc temporis Anselmus Lucensis Episcopus, qui subinde nomen Alexandri II. tulit, electus erat, pro cujus electione Imperatoris confirmatiu postulata fuerat; Sed cùm Aulicorum administratorum culpâ factum esset, ut Legatus Stephanus Cardinalis ad audientiam pervenire non potuerit, Alexander Papa non habito regio consensu fuit inthronizatus, sic exigente rerum necessitate. Quod cùm ab Henrici IV., qui tum adhuc puer erat, Ministris in crimen vocaretur, Petrus Damiani edidit *Disceptationem,* in qua eorum objecta revincere allaborat: Commonstrat primò, quiuque antea¬ctis superioribus seculis non fuisse morem, ut ejusmodi confirmatio ab Imperatore postularetur, ac proinde non dari absolutam ejusdem necessitatem. Secundò illud privilegium esse personale, quod indultum sit propter temporum injurias, cui proinde, si major superveniat necessitas, derogari queat. Tertiò Stephanum Cardinalem à Romanis ad Aulam Imperatoris fuisse missum, ut ejusdem consensum impetraret, quo per quinque ferè dies ad Sedis Apostolicæ injuriam pro foribus frustra præstolari jusso, electores jure suo utendum prudenter censuisse, ut turbas inde nascituras anteveniren. Fingitur autem hæc Disceptatio habita coram Synodo Episcoporum, qui, ut hac de re pronuntiarent, in unum convenerant, pag. 23.-33. Fatendum tamen est, quòd in hac Disceptatione nonnulla afferantur, quæ ad veritatis historicæ amussim minùs exacta sunt, cujusmodi inter alia est Constantini M. Donatio, quæ nec ipsi Baronio creditur: unde sunt, qui exactiorem Criticam in hoc Opere desiderant; quod etiam typis excusum habetur in Collectione Melchioris Goldasti inscripta: *Monarchia S. Rom. Imperii,* seu *Tractatus de Jurisdictione Imperiali seu Regia, & Pontificia seu Sacerdotali, déque potestate Imperatoris ac Papæ, cum distinctione utriusq; Regiminis, Politici & Ecclesiastici.* In hac, inquam, Collectione tribus tomis comprehensa continetur Tomo II. memorata *Petri Damiani* Disceptatio.

GREGORII VII. Rom. Pontif. *Dictatus,* Opus famosum, sed suppositititum, ut priore libro ex Critica Antonii Pagii ostendimus.

-- EJUSDEM *Formula Depositionis,* quâ Henrico hujus nominis IV. Imperatori Imperium abrogavit: fuit is inter Reges ac Imperatores primus, qui exauctoratus fuit: cùm igitur hujus rei nullum in omni antiquitate reperiamus exemplum, eam formulam hîc integram subjicere visum est.

„ Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, & usque ad hunc diem de manû inimicorum liberâsti. Tu mihi testis es, & Domina mea mater Domini, & beatus Paulus frater tuus, & omnes Sancti, quod tua sancta Romana Ecclesia me invitum ad tua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere; potiùs volui vitam meam in peregrinatione finire, quàm locum tuum pro gloria mundi seculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus, credo, quod tibi placuit, & placet, ut populus Christianus specialiter tibi commissus, mihi obediat, specialiter pro vice tua mihi commissa; & mihi tua gratia est potestas à Deo data ligandi atque solvendi in cœlo & in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione ex parte omnipotentis Dei, Patris & Filii, & Spiritûs S. per tuam potestatem & authoritatem, Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo juramenti, quod sibi fecerunt vel facient, absolvo: & ut nullus ei sicut Regi

ser-

„ serviat, interdico. Dignum est enim, „ ut, qui studet honorem Ecclesiæ „ tuæ imminuere, ipse honorem amit- „ tat, quem videtur habere: & quia „ sicut Christianus contempsit obedi- „ re, nec ad Dominum rediit, quem „ dimisit participando excommunica- „ tis, meáque monita, quæ pro sua „ salute sibi misi, te teste spernendo, „ séque ab Ecclesia tua, tentans eam „ scindere, separando; vinculo eum ana- „ thematis vice tua alligo: & sic eum ex „ fiducia tua alligo, ut sciant gentes, „ & comptobent, quia tu es Petrus, „ & super hanc Petram Filius Dei vi- „ vi ædificavit Ecclesiam suam, & „ portæ inferi non prævalebunt ad- „ versùs eam. „

De hac *Formula Depositionis* sententiam ferre meum non est. Illud fortè dicere ausim, ex utraque parte Gregorii & Henrici, Pontificis & Imperatoris rem justo ferventiùs fuisse nonnunquam actam; cùm enim de Imperio, hinc abrogando, illinc retinendo, agitur, arduum atque adeò difficillimum est modum non excedere. Nec Gregorio VII. nec aliis Romanis Pontificibus potestatem deponendi Reges ac Imperatores à Deo datam fuisse, disertissimis verbis docet Abbas *Fleury* Discursu III. Histor. Eccles. N. xviii. ubi Gregorio VII. ejúsque immoderato zelo pollicem minimè premit.

ALBERICUS ex Monacho Casinensi Diaconus Cardinalis, qui A. Christi 1088. obiit nonagenarius, librum edidit de electione Romani Pontificis pro Gregorio VII. adversùs Henricum IV. *Pet. Diac.* de Vit. Ill. Casin. cap. 21. p. 37.

PLACIDUS Cœnobii Nonantulani Prior, postea ignotæ sedis Episcopus, scripsit circa an. 1070. *contra Investituros & potestatem Henrici Imperatoris*, ut notavit Anonymus Mellicensis cap. 115. respiciens librum ejus *de honore Ecclesiæ* constantem capitibus CLXXI. quem primus vulgavit Bernardus Pezius Tom. 2. Anecdot. part. 2. pag. 75. - 180. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 15. p. 886.

BERNARDUS Monachus *Saxo* scripsit ad Hardevicum Archiepiscopum Magdeburgensem an. 1079. electum, anno autem 1110. mortuum pro Gregorio VII. adversùs Henricum IV. librum amaro stylo, ut Sigebertus cap. 165. loquitur. Aliqui *Bernardum* Corbeiæ-novæ monachum fuisse volunt. Quisquis fuerit, mordaciori stylo, qui monachum non decet, usus est.

DEUSDEDIT Cardinalis ex Ord. S. B. causam Gregorii VII. contra Schismaticos scriptis propugnavit. Mabill. Annal. tom. v. pag. 154.

S. ANSELMUS Lucensis in Tuscia Episcopus, doctrina & morum sanctimonia conspicuus, à Gregorio Papa VII. quem magnis extulit laudibus, nunquam non stetit, ejúsque partes contra Henricum Imperatorem summa animi contentione semper propugnavit. De hoc sancto Præsule luculentum est Sigeberti testimonium in Chron. ad annum 1086. *Anselmus Hildebrandi Papæ cooperator indefessus, apud Mantuam exulans moritur: qui in Hieremiam, in Psalmos tractatus edidit, & doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmavit: cujus sanctitas miraculis confirmata est.* Quæ cùm ita sint, mirari se, non immeritò dicit Hugo Menardus (t), cur Sigebertus tam contento studio à Cæsaris partibus steterit, ut tot maledicta in sanctissimum Papam Gregorium VII. effutiret. Edidit *Anselmus* Apologeticum ex variis SS. Patrum libris compilatum, quibus sententiam à Gregorio VII. in Henricum Imper. latam tutatur, omniáque ejus gesta & decreta defendit, rationibus ex sacris Canonibus petitis, & adhibitis orthodoxis authoritatibus; sed falsus quandoque est Decretalibus haud genuinis; nec ejus disputatio satis semper accurata est. Illud opus idem est, atque *duo ejus libri contra Guibertum Antipapam & sequaces ejus pro defensione Gregorii VII. Papæ*, & *Collectanea* quædam seu sententiæ ex variis authoribus congestæ, quibus demonstratur, Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Opus utrumque edidit Canisius Antiqq. Lect. Tom. vi. pag. 202. - 235. & in Bibl. Pat. Tom. xviii. pag. 603.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS scripsit Apologeticum ad *Henricum Imperatorem*; item contra *Epistolam Paschalis Papæ II.* scripsit similiter librum unum; ex quo convincitur sensisse cum Imperatoribus Henrico viz. quarto & quinto ab Ecclesia Romana excommunicatis, quod volens fecerit, an coactus, judicare non possumus, inquit Trithemius, hoc tamen unum lectio-

(t) In Menolog. Bened. Observ. lib. 1. p. 208.

lectione veterum cognovimus, tam Leodienses, quàm Metenses, quæ duæ civitates in Lotharingia sunt principaliores, contra Decretum Romanorum Pontificum præfatis Imperatoribus adhæsisse omni tempore, quo vixerunt in humanis; unde prout assequi conjecturâ possumus, errores patriæ secutus est, qui apud exteros forsitan meliùs sentire potuisset. *Tritbemius in Cbron. Hirs. pag.* 356. Ipse verò Trithemius à Protestantibus notatur; quòd in Annalibus suis Hirsaugiensibus se Pontificibus Romanis contra Imperatores non raro æquiorem præstet, ut qui Tom. II. p. 236. confiteatur publicè, *se cum Romana sentire sacrosancta Ecclesia, & authoritatem Summi Pontificis velle pro viribus defensare*, Vid. Act. Erud. Lips. Supplem. II. pag. 86. Unde in Henricum ejus nominis IV. Imperatorem Auctor admodùm iniquus esse, justissimásque Majestatis Cæsareæ vindicias adversùs Gregorii VII. machinationes mirè traducere ab iisdem Acatholicis dicitur. Cæterùm *Ecclesiæ Leodiensis Epistola* à SIGEBERTO GEMBLACENSI scripta contra Epistolam Paschalis Papæ extat in Goldasti Apologia pro Henrico IV. pag. 188. Excerpta vide apud Lud. du Mesnil Tom. IV. lib. 47. pag. 255.

DECANI & CONVENTUALIUM Abbatiæ Laurishamensis Libellus supplex ad Henricum V. Imperatorem contra Hildebrandinos Monachos de Hirsaugia. Extat in Goldasti Apologia pro Henrico IV. pag. 233. Monachi Hirsaugienses vel sanguine suo observantiam & reverentiam Sedis Apostolicæ defendere parati erant. Illustre ipsis exemplum præiverat B. Wilhelmus Abbas, de quo Mathæum Raderum in Bavaria Sancta ita narrantem audire juvat: „Septimo, inquit, Wilhelmi anno „Hirsaugiensis Præfecturæ, Christi „1076. cùm Borbetomagi (*Wormatiæ*) apud Vangiones Henricus IV. „Cæsar jam à Gregorio VII. anathemate fulminatus à piorum cœtû „exclusus, Conventum Principum & „24. Episcoporum indixisset, plerisque Cæsari obsequentibus, & Pontificem ipsum virum sanctum & innocentem damnantibus & exauctorantibus, Wilhelmus, quamvis „Henrici Regis literis evocatus, nec „comparuit, nec damnationi Pontificis, quem sciebat contra jus fas „omne proscriptum, subscripsit, Immò quoscunque potuit, ab execrabili illo conventiculo retraxit, hortatus omnes quos potuit, ut nunquam se ab Ecclesiæ Romanæ gremio paterentur avelli. *Ac paulò „pòst*: Nescio sanè quid in hoc divino Patre primùm admirer, quid deinde, quid postea, quid postremò: „Omnium religiosarum virtutû compendium fuisse videtur. Si fidem „Catholicam, & constantiam erga „Sedem Apostolicam spectem, deficientibus ab illa Cæsaribus, Archiepiscopis, Præsulibus, ac TOTA „PROPE GERMANIA, hic quamvis solicitatus, tanquam Marpesia „cautes constitit immobilis, nec latum unguem à Pontifice Romano „discessit. *Et iterum infrà*. Cùm „Wilhelmus cum suis damnâsset „Henrici Cæsaris schisma, nullâque „ratione posset adduci, ut in illud „consentiret, à Cæsare proscriptus „est, immissúsque Argentinensis Pontifex cùm armatis in ejus Cœnobium, ut illud funditùs everteret: „qui cum loricatus (egregius verò „non tam Episcopus quàm latro) „equum conscendisset, & cum armatis Hirsaugiam tenderet, quamvis „dissuadentibus, & à tali facinore abhorrentibus, & dehortantibus, ipse „tamen audacissimè, & impudentissimè perrexit. Sed vigilavit Numinis vindicta, & equitantem occupavit, & vita sacrilegum Antistitem exuit, ita ut Wernherus (hoc „illi nomen erat) priusquàm loricam „exueret, vita fuerit exutus, & vivens, ut auctor ait, descenderit in „infernum. Qui tremendus schismatici Præsulis exitus, omnes alios „deterruit, ne quid contra illud sanctum Cœnobium tentarent, aut „molirentur.„ Hucusque Raderus. Tanti verò Patris & Abbatis exemplo provocati Monachi Hirsaugienses æquè parùm à Sedis Apostolicæ reverentia in partes Henrici V. discessere, atque ille Henrico IV. contra Romanum Pontificem adhæserat.

S. BRUNONIS ex Monacho Astensi in Liguria Abbatis Casin. & Episcopi Signiensis *Epistola ad Paschalem II.* quâ in Decretum, quo Pontifex Henrico V. Imperat. investituras concesserat, invehitur, tanquam in apertam hæresim, quæ totam subruat Ecclesiam, eúmque hortatur, ut inhærens prædecessorum suorum decretis, quibus quisquis contradicit, Catholicus non est, illud condemnet, & mox,

mox, inquit, pacatam videbis Ecclesiam, & nos omnes videbis ad tuos pedes confluentes, & sicut patri obedientes..... Ego autem illam obligationem, & illud juramentum, nempe quæ Papa fecerat Imperatori, parvipendo, neque pro ejus violatione minùs unquam tibi obediens ero. Bruno ejúsque fautores hîc Papam Imperatori concessisse supponunt, ut Episcopatus & Abbatias conferret, quod apertè falsum est, sed tantùm indulserat, ut præmissa Cleri & populi electione, ejus consensus requireretur, & regalium investituram daret per virgam & annulum. Quæ duo prorsus diversa sunt, ut rectè advertit Lud. du Mesnil Doctr. & Discipl. Eccl. Lib. 48. pag. 269.

GELASII II. Pont. Max. ad Atchiepiscopos, Episcopos, & Abbates per Galliam Epistola de Controversia inter illum & Imperatorem, qui Romam veniens, illum egredi coëgit, asservatur in Bibl. Cotton. sub effigie Claudii Lit. A. Cod. 1. n. 5. Vid. Smith. in Catal. pag. 36.

GOFFRIDI Abbatis Vindocin. & S.R.E. Cardinalis Opuscula *de Investituris*, quæ ingentium inter Sacerdotium & Imperium dissidiorum materia fuerunt.

1.) *De Ordinatione Episcoporum, & de Investitura Laicorum ad Petrum Leonis Cardinalem.*

2.) *De Simonia & Investitura Laicorum, quare utraque dicatur ad Petrum Leonis Cardinalem.*

3.) *De possessionum Ecclesiasticarum investitura, quod Regibus concedatur.*

4.) *Qualiter dispensationes in Ecclesia fieri debeant, ad Calistum Papam.*

In primo Opusculo respondens Petro Leonis Cardinali, qui de Investituris eum interrogaverat, legitimè rejicit investituram à laicis datam, qui spiritualia conferre præsumunt: & subjicit: „Ibi inprimis omnis ecclesiasticus ordo confunditur, quando hoc, quod unicuique à solo suo consecratore in ecclesia, cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, à seculari potestate priùs accipitur. Quod sancti Apostoli non solùm interdixerunt, verùm etiam omnes illos, qui per secularem potestatem ecclesiam obtinent, damnaverunt....Investitura enim, de qua loquimur, sacramentum est, id est, sacrum signum, quo Episcopus à cæteris hominibus secernitur." Ejusmodi investituram meritò vocat hæresim, quæ sæpiùs adjunctam habet simoniam, cum investiens exigit pecuniam.

Eadem habet in alio Opusculo, quod ad Callistum Papam misit.

In tertio Opusculum sic exponit, quænam investitura possit laicis concedi: „In ecclesiasticis possessionibus, quamvis nec in legibus nec in canonibus inveniatur, tamen propter scandalū & schisma vitandum, talis Regibus investitura conceditur, ut nec ipsi propter hoc pereant, nec sancta Ecclesia detrimentum patiatur.... Alia est utique investitura, quæ Episcopum perficit, alia verò, quæ Episcopum pascit. Illa ex divino jure habetur, ista ex jure humano.... Subtrahe jus divinum, spiritualiter Episcopus non creatur: subtrahe jus humanum, possessiones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. Id sequenti D. Augustini authoritate confirmat: „Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi & possessioni? nam per jura Regum possessiones habentur. Si verò dixeris, Quid mihi & Regi? Noli jam dicere possessiones tuas, quia ipsa jura, quibus possessiones possidentur, renuntiâsti. Nam secundùm jus Imperatorum possides terrena. Tolle Imperatorum jura, quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est iste servus, aut mea est ista domus.... Jure ergo humano, jure Imperatorum. Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges seculi Deus distribuit Ecclesiæ suæ. Possunt itaque sine offensione Reges, post electionem canonicam & consecrationem, per investituram regalem in ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium, defensionem Episcopo dare. Quod quolibet signo factum exstiterit, Regi, vel Pontifici, seu catholicæ fidei non nocebit." Juxta Goffridi sententiam postea Callistum II. inter & Henricum V. Imperatorem de pace conventum est. Vid. Lud. du Mesnil Doct. ac Discipl. Eccl. lib. 38. tom. 4. pag. 300. Goffridi Opuscula conjunctim edidit Jac. Sirmond. an. 1610.

HINCMARI ex Monacho S. Dionysii in Francia Archiepiscopi Remensis ab an. 844. usque ad an. 882. quo decessit, Epistola *de potestate Regiâ & Pontificia*, quam exhibet Goldastus in Monarchia Imperii Tom. I. pag. 3. atque inscribitur ad Carolomannum

num Ludovici Balbi Imp. filium, & Episcopos Franciæ: perperàm data perhibetur an. 884. cùm jam an. 882. Hincmarus mortalitatem expleverit. Idem Archipræsul causam Caroli Calvi ob occupatam Lotharingiam adversùs Hadrianum Pontificem majore vehementia quàm modestia edito scripto defendit; quod inter ejus Opuscula est 41. Vid. Abbas *Fleury* Histor. Eccl. Lib. LI. num. VIII.

EADMERI Monachi Cantuariensis, ac postea Episcopi S. Andreæ in Scotia, *De Libertate Ecclesiastica*, seu de Discordia inter Guillelmum Rufum, Anglorum Regem, & Anselmum Cantuar. Archiepiscopum volumen unum, latet Msc. in Bibliothecis Angliæ, quod *Gabriel Gerberon è Congr. S. Mauri* eruere omni suo studio, omni amicorum ope, & quibuscunque impensis non valuit, directis ad diversos hac de re schedulis. Idem tamen *Gerberonius* ex notis Joannis Seldeni in Eadmeri Historiam Novorum pag. 104. quædam vulgavit de Investituris Episcoporum & Abbatum per baculum & annulum in Anglia, Gallia, Germania, Imperio Occidentali & Orientali fieri solitis. Pitseus de Ill. Angl. Script. perperàm *Edmundum* vocat ex Wionio pag. 199.

HUGONIS FLORIACENSIS *Opus de Regia potestate & sacerdotali dignitate* ad Henricum Angliæ Regem duobus constans libris, quod Baluzius in Tomo IV. Miscellaneorum vulgavit, in quibus quædam observatu digna continentur. His libris præmittitur *Prologus Hugonis de Sancta Maria, monachi S. Benedicti Floriacensis, quem Henrico Anglorum Regi gloriosissimo dicat frater Hugo, monachorum omnium extremus, SS.mi Benedicti Floriacensis monachus.* Hoc opus se aggressum esse dicit auctor contra errorem eorum, qui *regiam dignitatem à sacerdotali dividunt, putantes, quòd terreni regni dispositio non à Deo, sed ab hominibus sit ordinata, sive disposita; & ideo sacerdotalem dignitatem Majestati Regiæ præferunt, cùm ei subesse ordine, non dignitate debeat.* In priori libro Hugo demonstrat utramque potestatem esse à Deo: in posteriori utramque institutam *non absque magno & saluberrimo sacramento.* In hoc libro Gregorii VII. Decretum de Investituris non probat. Sed hæc cum Mabillonio (Annal. Bened. tom. V. pag. 545.) aliorum examini permittimus.

INNOCENTIUS IV. Benedictinus, ante summum Pontificatum Synibaldus Fliscus, edidit librum de Jurisdictione Imperii & authoritate Pontificis, contra Petrum de Vineis, qui pro Friderico II. atque Imperatorum potestate contra auctoritatem pontificiam scripturierat. Vid. Diplovatatius in vita. Is Innocentius fuit ille Pontifex, qui Fridericum II. in Concilio generali Lugdunensi per ipsum celebrato ab Imperio Patrum consensu deposuit. De qua depositione habetur in cap. ad Apostolicæ, de sent. & re judicata lib. 6. & ibi dicit idem Innoc. post principium, quòd meritò tanta fuit talis sententia, ut sciunt omnes, quot, & quantis periculis, & maris & terræ proditorum, assassinorum, & aliis infinitis subjecit Papa, qui hanc tulit sententiam, vix enarrare posset. Scripserat etiam Fridericus prædicto Innocentio:

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Quibus respondit Innocentius:

Niteris incassum navem submergere Petri,
Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.

STEPHANI HERRANDI ex Abbate Ilsenburgensi Episcopi Halberstadensis an. 1107. defuncti Epistola defensoria Papæ ad *Waltramum* scripta nomine Ludovici Lantgravii Thuringiæ, ad quem Waltramus Naumburgensis Episcopus pro Henrico IV. scripserat; extat utraque apud Dodelhinum ad an. Chr. 1090. Tom. I. Pistorii R. G. pag. 458. seq. & in Goldasti apologia pro Henrico IV. pag. 31. & 252. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 8. pag. 722.

CLEMENTIS VI. natione Galli, Lemovicensis, antea *Petri Rogerii*, ex Abbate Fiscanensi Archiepiscopi Rothomagensis, ac deniqueRomani Pontificis ab an. 1342. ad an. 1352. *Decretum* & *Literæ* ad S. R. I. Principes Electores, quibus latam olim à Joan. XXII. in Ludovicū Bavarum sententiam, concordiæ viis Sacerdotium inter & Imperium frustra tentatis, renovavit, omníque jure ad Imperium, Ducatum, & Palatinatum exuit: Principésque Electores convenire jussit ad justum Romanorum Regem creandum, quem Sedes Apostolica in Imperatorem promoveret. *Odoricus Raynaldus* Annalibus suis Ecclesiasticis inseruit ad an. 1346. n. III. & IX. Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. XIII. & XIV. cap. 2. art. 6. Tom. VII. pag. 50. col. 2.

EJUS-

– Ejusdem ante summum Pontificatum Disceptatio *de Jurisdictione Ecclesiastica* cum Petro Cunerio Regis Galliæ Philippi VI. Valesii Consiliario.

– Ejusdem Diploma, quo Caroli IV. in Rom. Imp. electio confirmatur apud præfatum Raynaldum l. c. ad an. 1346. num. 24. Erat Carolus Moraviæ Marchio, Joannis Bohemiæ Regis filius, quem Clemens VI. solemnibus promissis ac pactionibus cum Rege patre Sedi Apostolicæ devinctum, quarum formulas idem Raynaldus exhibet, eligi curavit. Videsis Nat. Alex. l. c.

Adami Estoni ex Monacho Norwicensi in Anglia S. R. E. Cardinalis *Dialogus Regis & Episcopi*, lib. un. Baleus, Pitseus, & alii.

Gilbertus Genebrardus, Archiepiscopus Aquensis, post abolitionem *Sanctionis Pragmaticæ*, & institutionem *Concordati Gallici* librum edidit *de Sacrarum Electionum jure & necessitate ad Ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem*; & Libro IV. Chronologiæ ad annum MDXV. *Concordatum Gallicum* vocat *Mysterium iniquitatis, quo perditam Ecclesiam Gallicanam cernimus.* Et rursus: Anno, inquit 1516. *abrogata est in Galliis Pragmatica Sanctio, & Concordata, ut vocant, substituuntur, fremente Clero, scholasticis, populo, bonis denique & doctis hominibus.* Graveson Hist. Eccl. Sec. xvi. pag. mihi 225.

Constantini Cajetani, Siculi, Syracusani, Abbatis S. Baronti è Congr. Casin. *De Monarchia Siciliæ*, Jure patronatus Regio, Scripturarum numerosa Collectio, & pro, & contra, per varios Authores; ejusdémque super eadem materia opus meditatum & ordinatum variis tomis, seu fasciculis dispositum, & unitum, partim Italicè, partim Latinè, ac etiam Hispanicè, ita ut in hac materia nihil amplius desiderari queat; cum enumeratione variarum controversiarum, cum Romana Aula exortarum, ac Scriptu-ris hinc inde emanatis tomi 2. primus in 4. secundus in fol. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1, pag. 131.

Francisci Delfau, Galli, ex Monteto, qui Claramontensis Diœcesis vicus est, oriundi, Theologi ex Congr. S. Mauri longè doctissimi

L'Abbé Commendataire, id est: Abbas Commendatarius, *seu liber, in quo probatur, Commendas, ut vocant, Abbatiarum, & aliorum beneficiorum, Lege Divina, Decretis Romanorum Pontificum, Pragmaticis Sanctionibus, & Concordatis Regum Franciæ esse illicitas, & damnatas. in* 12. *Coloniæ an.* 1673. Hoc Opus non sub nomine *Delfavii*, sed Domini de *Boisfranc* typis vulgatum fuit. Detecto autem, seu potiùs prodito genuino Authore, is in exilium relegatus fuit. Habet enim hoc Aula Gallica, ut qui ad ejus palatum non scribunt, ab ea proscribantur.

– *Reponse au Livre intitulé:* L'Abbe Commendataire; *Et Refutation de cette Reponse.* Id est: Scriptum, quo respondetur Libro, cui titulus: *Abbas Commendatarius, & Refutatio hujusmodi Responsi. in* 12. *Coloniæ anno* 1673.

– *Entretiens d'un Abbé Commendataire, & d'un Religieux sur les Commandes. Reflexions sur un livre intitulé: Entretiens d'un Abbé Commendataire & d'un Religieux sur les Commandes. Les sentimens de Criton sur l'Entretiens d'un Abbé Commendataire* &c. Id est: *Dialogus, in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioso de Commendis disputat. Animadversiones in librum, cui titulus: Dialogus, in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioso de Commendis disputat. Judicium Critonis de Dialogo, in quo Abbas quidam Commendatarius cum quodam Religioso de Commendis disputat*, in 12. Coloniæ an. 1674.

– *L'Abbé Commendataire, seconde partie.* Id est: *Abbas Commendatarius.* Pars altera. in 12. Coloniæ an. 1674. Excusa fuit nomine *Domini de Froimond.*

Nicolai Mariæ de Tedeschis, Siculi, Catanensis, in Monasterio S. Nicolai de Arenis Professi, Episcopi primùm Liparitani, tum Archiepiscopi Apamiensis

Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia, divisa in due parte dal Pontificato di Urbano II. fino à quello di nostro Signore Papa Clemente XI. Parte prima in cui si mostra l'origine, e l'Insussistenza di detta Monarchia con Bolle, Diplomi, ed altre autentiche Scritture fino al Pontifice Innocenzo XII. Unus sum è multis, qui prophanas vestras novitates, ut possumus, refutamus. S. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 8. *Historia prætensæ Monarchiæ Siculæ, divisa in duas partes, à Pontificatu Urbani II. usque ad istum Domini Nostri Papæ Clementis XI.*

XI. *Pars prima, in qua monstratur Origo & Insubsistentia dictæ Monarchiæ cum Bullis, Diplomatibus, & aliis antiquis Scripturis usque ad Pontificem Innocentium XII. Romæ MDCCXV. cum facultate Superiorum.*

-- EJUSDEM *Defensa Veritas, Libertas & Exemptio Liparitanæ Ecclesiæ contra calumniosum cujusdam Hispani scriptum*, quod intitulatur: *Propugnacol de la real jurisdiction. Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, quæ minimè defensatur, opprimitur.* Felix PP. III. Epist. ad Acacium in fol. pag. 76. Romæ.

MATHÆI PETITDIDIER Episcopi Macrensis & Abbatis S. Petri Senoniensis *Dissertatio Gallicè scripta, in qua examinatur, an Summorum Pontificum in Fidei quæstionibus Infallibilitas Libertates Ecclesiæ Gallicanæ evertat?* Latio donata à R. P. Gallo Cartier, Ss. Theologiæ Professore & Priore Monasterii Ettenheimmünster in Brisgoia àn. 1738. in 4. Aug. Vind. typis Maximiliani Heiss.

CASIMIRI FRESCHOTT, Burgundi, Vesontini, è Congr. Casin. *L'Imperio d' Occidente, sua fondazione dal Romano Pontefice, & le cose seguite trà Papi, & Imperadori, à cagione dell' Autorità.* id est: *Imperium Occidentis, ejus fundatio, résque gestæ Papas inter & Imperatores, ratione eorum authoritatis.* Opus prælo paratum. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 114.

JO. MABILLONIUS Musæi Italici Tom. II. Num. XVII. tractat de varia creatione Romani Pontificis, cujus sex periodos distinguit: primam à S. Petro ad Constantinum Augustum: secundam à Constantino ad Justinianum: tertiam à Justiniano ad Carolum M. quartam inde ad Formosi creationem: quintam à Formoso ad Ottonem M: sextam denique ab hoc Ottone ad Fredericum Ænobarbam, seu ad Alexandrum tertium Papam, cujus tempore & cura electio ad solos Cardinales devoluta est. In his Periodis magno veritatis studio differit de auctoritate Romanorum Imperatorum in electione & confirmatione Summorum Pontificum olim interveniente, quæ progressu temporis ipsis abrogata fuit.

Argumentum quoque nactus infelix sed necessarium Clariss. P. ANSELMUS DESING Congregationis Bavaricæ Scriptor percelebris, nuper interpres accessit elucidandæ Quæstioni, sique, plurimùm vexatæ, *An opes Sacerdotii Reipublicæ sint noxiæ?* Ea autem in enucleanda, ita versatus est, ut quæ hac in re politicæ sanæ sint consentanea, quæve spuria, ex rerum ipsarum demonstratione, & ex comuni generis humani sensu, ob oculos candidè ponat, edito Opere Pedeponti, sumptibus Joannis Gastl Bibliopolæ anno 1753. ..

§. IV.

Alii Scriptores, qui Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ libertatem defendendam susceperunt.

GREGORII IV. ex Monacho Fossænovæ Romani Pontificis ab anno 828. ad an. 844. *Epistola ad Episcopos per universas Provincias constitutos de Romani Pontificis potestate supra reliquos Episcopos*, apud Baronium ad an. 839. n. 2. Harduin, Concil. tom. IV. col. 1270. Sirmond. tom. 2. Concil. Galliæ pag. 569. & in Concil. tomis. aliósque

-- EJUSDEM *Epistola ad Episcopos Regni Francorum*, qui *periculum honoris*, seu depositionis arroganter ipsi his verbis comminati fuerant: *& quod potiùs tacere quàm dicere maluimus; si autem non egeritis, assensum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri periculo subjacebitis.* Respondit Gregorius: „ Si potiùs maluistis, id est, „ magis voluistis tacere, quàm dicere, quàre non tacuistis? Consuetudo est in vobis, ut id quod minus „ est, vincat quod majus est. Major „ voluntas extitit in vobis tacere, minor autem dicere; & tamen minor „ vincit majorem. Credendum est „ omnino, quoniam in discordiarum „ amatoribus victrix est cupiditas, „ victa continentia. Illud verò quod „ minari vos cognoscimus periculum „ gradus, quis explicare poterit, „ quantum sit absurdum, quantúmque inconveniens, & stultum; cùm „ vestra comminatio non sit propter „ crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid „ hujusmodi, sed nisi ita venerimus, „ sicut ipsi vultis &c. „ Hæc epistola vehementi scripta stylo extat inter S. Agobardi Archiep. Lugdun. Opera à Stephano Baluzio junctim edita Opp. tom. 2. pag. 53.

ALCUINI *Epistola Responsoria* ad literas Caroli M, quibus cùm ab Imperatore

ratore certior factus esset de diro facinore in Leonem Papam patrato, rescripsit Alcuinus, sepositis aliis negotiis Summi Pontificis injuriam maturè ulciscendam. Indignum esse, ut in Romana Sede, ubi religio maximæ pietatis qnondam claruerat, extrema impietatis exempla nunc emerserint, ita ut quidam perversi homines *caput proprium* excœcaverint. Nequaquam capitis curam omittendam: levius esse pedes dolere, quàm caput. Mabill. Annal. tom. 2. lib. 26. p. 338. Muratorius Hist. Ital. part. 4. ad an. 799. qui loco *dolere* legit *tollere* in Alcuini epistola, quæ est numero XI.

GREGORII CORTESII S. R. E. Cardinalis *Tractatus de Potestate Ecclesiastica* memoratur à Jo. Bapt. Maro in Notis ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin.

ADAMI ESTONI ex Monacho Norwicensi in Anglia S. R. E. Cardinalis scripsit Latinè

De Potestate Ecclesiæ *Lib. un.*
Defensorium Ecclesiæ *Lib. un.*
De electione Pontificis *Lib. un.*

Pits. de Ill. Angl. Scriptor. æt. 14.

HIERONYMI ALLIOTI, Itali, Aretini, Abbatis è Congr. Casin. *Defensio Pii II. Pontif. Max.* satis prolixa; Incipit: *Scelus nefarium & inauditum, ac nullis retrò sæculis excogitatum* &c. explicit: *Et ab his falsis & commentitiis calumniis resipuisse.* Extat in ejus Epistolarum lib. 8. quæ in Bibliotheca Monasterii Aretini SS. Floræ & Lucillæ asservantur. Armell. part. 1. pag. 206.

STEPHANI SPANBERG Abbatis Mellic. Epistola ad Narcissum: *An Excommunicationem incurrant, qui cum Eugenio IV. à Concilio Basileensi deposito communicant?*

Resolutio ejusdem dubii missa Monacho Mellicensi Augustam Vindel. Monasterii S. Udalriciani reformatori. Extant in Bibliotheca Mellic. Vid. Historiam hujus Bibl. pag. 253.

CONSTANTINI CAJETANI, Abbatis S. Baronti è Congr. Casin.

De singulari Primatu S. Petri Principis Apostolorum in Ecclesia Dei, & D. N. J. C. Evangelicis atque Apostolicis demonstrationibus confirmato.

-- *De Romano S. Petri Domicilio ac Pontificatu Concertatio*, adversùs perduelles Ecclesiæ Romanæ hostes hæreticos & schismaticos, à fide Catholica devios, qui adventum S. Petri Romam inficiantur, & geminum caput Petrum & Paulum Ecclesiæ Dei perperàm appingunt, ad Innocentium X. Pont. Max. Qui duo libri impressi sunt Romæ an. 1698. in Bibliotheca Maxima Pontificia, quæ prodiit opera & expensis Illustrissimi D. Thomæ Roccaberti Archiepiscopi Valentini tom. 8. extant etiam in Bibliotheca Sapientiæ Romanæ, & alibi.

-- *In Vitam Bonifacii VIII. ex Cajetana Familia Commentaria cum apologia* pro ejusdem Bonifacii ingressu legitimo ad Pontificatum, prudenti regimine, & gloriosa morte. De hoc libro agit Lud. Jac. in Bibliotheca Pontificia. Armell. part. 1. pag. 129.

DAVIDIS CODNERI, Angli, Londinensis, Decani Congr. Casin. Missionarii Apostolici & Christianissimæ olim Reginæ de Medicis à Concionibus & ab Eleemosynis

Analysis compendiosa authoritatum ab Anonymo quodam authore ex SS. Patribus adductarum pro æquali S. Pauli cum S. Petro potestate in regenda olim Romana Sede Apostolica, Ravennæ typis Petri de Paulis, & Jo. Baptistæ Joannelli an. 1647. pag. 955. in 8. Hæc autem Analysis est tantùm Isagoge, seu introductio longe majoris Operis, quod moliebatur author, ut ipsemet fatetur pag. 12. his verbis: *nam fusiori refutatione ad omnia singillatim respondendo me quamprimùm paro, & colligo*; quod an perfecerit, & evulgaverit, me cum Abbate Armellino Bibl. Script. Casin. Congr. part. 1. pag. 237. adhuc latet.

EDUARDI MAHUUI ex Sacerdote seculari, & Missionario zeloso per duodecim annos in Anglia Monachi Benedictini

Tractatus de fundamentis veteris Ecclesiæ Lib. un. quem in lucem emisit teste Jo. Pits. de Angl. Script. æt. 17. pag. 816.

EUGENII LOMBARDI, seu, ut verum nomen habet, *Cælestini Sfondrati* Abbatis San-Gallensis, & S. R. E. Cardinalis *Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum, & quatuor propositionibus explicatum. in 4. an.* 1684. Eminentissimus Author inclytum hoc Opus, ut jam aliàs diximus, elucubravit, cùm adhuc esset in Alma Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professor. Recensionem libri videsis in Actis Erud. Lips. anno 1685. pag. 376.

-- EJUSDEM *Gallia Vindicata, in qua testimoniis exemplisq; Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, quæ pro Regalia & quatuor propositionibus à Ludovico Maimburgo, aliisque producta sunt, refutantur. An.* 1688.

1688. *in* 4. Author hujus Operis est, qui *Regalis Sacerdotii* fuit, Illustrissimus Dominus Cœlestinus ex Marchionibus de *Sfondrati* Mediolanensis, S. R. I. Princeps & Abbas S. Galli, qui toto libro Maimburgum perstringit. Cùm enim is in libro de Privilegiis Ecclesiæ Romanæ, Romani quidem Pontificis primatum paginis non ita multis adstruat, postea tamen maximam libri partem destruendis præcipuis primatûs fundamentis, & stabiliendis quatuor Cleri Gallicani propositionibus impendat, & in libro de Pontificatû Gregorii M. non alium sibi finem proposuisse videatur, quàm ut Episcopos, ipsósque Pontifices Magistratûs Politici imperiis subjiciat, Sfondratus pro eo, quo Romanam Sedem veneratur, cultû suarum partium esse duxit, ut Romani Pontificis causam adversùs Maimburgum ageret. Vide plura in Supplem I. ad Act. Erud. Lipf. Sect. III. pag. 118. seq.

-- EJUSDEM *Legatio Marchionis Lavardini Romam ejúsque cum Romano Pontifice Innocentio XI. dissidium; ubi agitur de jure, origine, progressu, & abusu Quarteriorum Franchitiarum, seu Asyli &c. & refutantur rationes à Lavardini Advocato productæ in Libello, cui initium Si l' Auteur* an. 1688. in 12. Vid. recensionem in Act. Erud. Lipf. an 1689. p. 279. & Tenzelium in Colloq. Menstr. mens. April. p. 449. ubi versionem Germanicam Augustæ Vindel. accuratam recenset.

-- EJUSDEM *Nepotismus Theologicè expensus.* Quando idem sub Innocentio XII. abolitus fuit, anno 1691. in 12.

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE, Abbatis S. Vincentii in Civitate Salamanca, & Ss. Theologiæ Professoris in Salmanticensi Academia *Defensio Cathedræ S. Petri* adversùs Declarationem Cleri Gallicani editam an. 1682. die 19. Martii Salmanticæ an. 1683. Nullum, inquit Author (u) hactenus volumen ita festinanter à me scriptum, & prælo datum fuit, ac prædictum; neque ratione adeò urgenti ad deproperandam editionem: ut proinde siqua in eo peccavi, mihi faciliùs condonentur. Cùm enim Declaratio illa prodiisset, inclinante Martio, & quoddam illius Exemplar casu Salmanticam pervenisset mense Julio, aut circiter, vix legi illam, cùm visa mihi fuit alienissima à sensu Antiquitatis Christianæ, & nominatim Venerabilis Ecclesiæ Gallicanæ, cujus nomine illa proferebatur. Cœpi itaque statim evolvere sacra monumenta Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Historicorum, præsertim Galliæ ipsius, per singula secula, nulli parcens labori (præter illum, quem ab adolescentia in eo studii genere adhibueram) ac sex ferè mensium spatio librum illum scripsi, & totidem aliis Salmanticæ palam edidi apud Typographum Universitatis. Constat id ex approbationibus & facultatibus, tum Ordinarii, tum Religionis meæ, quæ initio ejus voluminis habentur datæ mense Decembri ejusdem anni 1682., quo Declaratio illa Lutetiæ prodierat.

AUGUSTINI RHEDING Abbatis & S. R. I. Principis Einsidlensis *Oecumenicæ Cathedræ Apostolicæ authoritas*, fol. Typis Einsidlensibus 1689.

ANGELI DE NUCE ex Abbate Casinensi Archiepiscopi Rossanensis *Censura super quatuor Propositiones Cleri Gallicani in Conventu Parisiensi anno 1682. Pro Congregatione Eminentissimorum Cardinalium & novem Theologorum à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. specialiter deputata eodem anno, mense Augusto.* Opus MS.tum, quod apud Cassinates asservatur. Si Erasmo Gattolæ in Historia Monasterii Cassinensis fidem non abnuimus, tanta vi, doctrináque Ecclesiæ partes asseruit Nuceus, ut omnium judicio ejus concertatio & brevior & validior sit habita. Cùm verò falsus quidam Nucei amicus, propositis aliquot rationum momentis, author eidem existeret, ut censuram emolliret; neque is tamen ad id adduci posset, perfidus ille Sinon in vulgus sparsit, emollitam esse à Nuceo censuram; quò falso rumore id assecutus est, ut neque Angelus purpureo Galero à Pontifice donatus, neque ejus liber typis excusus fuerit. Videsis, quæ in Nucei vitâ diximus. Nec Armellinum in Bibl. Casin. part. 1. pag. 39. omitte.

MATHÆI PETITDIDIER, Episcopi Macrensis, Abbatis S. Petri Senonensis Ord. S. B. & Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi Præsidis, *Tractatus Theologicus de authoritate & infallibilitate Summorum Pontificum* Gallicè primùm conscriptus, dein jussû SS. Benedicti XIII. Pontificis Maximi in Linguam Italicam trans-

(u) Vid. Tom. I. Theologiæ S. Anselmi in admonit. de suis Operibus.

translatus, nunc autem in Germanorum Theologorum gratiam Latinitate donatus per *P. Galium Cartier*, ejusdem Ordinis & Instituti Professum Religiosum in Monasterio Divi Ettonis ad S. Landelinum, vulgò Ettenheimmunster dicto in Brisgoia. Editio prima ab ipso Authore revisa, correcta, & adaptata. *Augustæ Vindel.* an. 1727. De hoc Opere jam aliàs à nobis mentio copiosior facta est, cujus R.mus Author triginta jam ante annos adversùs Doctorem *Eliam Dupinium* Cathedræ Apostolicæ in toto terrarum orbe unitatem propugnârat.

— EJUSDEM *Dissertation historique & Theologique, dans la quelle on examine, quel a été le sentiment du Concile de Constance & des principaux Theologiens qui y ont assisté, sur l'autorité du Pape, & sur son infallibilité.* Id est: *Dissertatio Historico-Theologica, in qua examinatur, quæ meus & sententia fuerit Concilii Constantiensis, & qui eidem interfuerunt, præcipuorum Theologorum, de authoritate & infallibilitate summi Pontificis. Luxemburgi apud Andream Chevalier in 12. an.* 1724.

EJUSDEM *Justification de la Morale & de la discipline de Rome & de toute l'Italie contre un livre anonyme, qui a pour titre: La Morale des Jesuites, & la Constitution Unigenitus comparée à la Morale des Payens.* Id est: *Defensio Moralis doctrinæ & disciplinæ Urbis Romanæ, totiúsque Italiæ adversùs Anonymi librum, cui titulus: Moralis doctrina Jesuitarum & Constitutio Unigenitus cum Gentilium Ethica in comparatione conjunguntur.* an. 1727. in 12.

ANTONII PEREZ Archiepiscopi Tarraconensis in Hispania *Pentateuchum Fidei*, Opus celebre, in quinque libros distributum, quorum quintus, integrum volumen, ex toto agit de & pro Romano Pontifice. fol. Matriti an. 1620.

JOANNES RUBEUS, Monachus Benedictinus, & in Aula Pontificia Procurator anno 1651. librum vulgavit, in quo causam Bonifacii VIII. agit, eúmque contra varias accusationes defendit.

GALLI CARTIER Congr. Argentinensis in Monasterio D. Ettonis propè S. Landelinum vulgò Ettenheimmünster dicto, Ss. Theologiæ Professoris & Prioris, *Auctoritas & Infallibilitas Summorum Pontificum in Fidei & Morum quæstionibus definiendis stabilita, & adversùs Illustriss. D. Benignum Bossuet & Episcopum Meldensem, nec non D. Honoratum Tournely Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorem Regium, & Emeritum Professorem vindicata. Augustæ Vindel. Sumptibus Francisci Antonii Strötter, Bibliopolæ, Typis Ant. Max. Heiss an.* 1738. *in* 4. Opus, in quo nec historiæ & antiquitatis Ecclesiasticæ peritiam, nec theologicæ doctrinæ soliditatem desideres.

JACOBI GRAFFII, Itali, Capuani, Majoris Pœnitentiarii in Urbe & Diœcesi Neapolitana Liber *de Potestate Papæ*, qui jussû Pauli V. allatus fuit in Bibliothecam Vaticanam. Armell. l. c. part. 2. pag. 5.

ANSELMUS à SYRACUSIS, Siculus, Abbas Monasterii ad S. Nicolaum de Arenis, multo ac diuturno labore, nec minori eruditione collegit

Quidquid unquam à Catholicis Authoribus scriptum fuit in defensionem Cathedræ S. Petri Romanique Pontificis Christi Vicarii, 4. *Tomis*, optimo ordine, ac methodo digestum, prælo quidem paratum opus, sed quod Authoris morte interveniente Mstum remansit; obiit enim Militelli Abbas S. Benedicti an. 1730. die 20. Augusti, ætatis suæ 60. expleto. Armell, part. 1. pag. 236.

GERHARDI HAGEMANN *Disquisitio: Utrùm Summo Pontifici sit jus creandi nobiles & conferendi dignitates illustres.* In hac Disquisitione Author summo Pontifici potestatem, ut vocant, indirectam in Reges ac Imperatorem asserit, strenuéque contra Ludovicum Maimburgum decertat. Extat in Autoris præclaro Opere de omnigena Hominis Nobilitate Lib. I. Tit. xi. pag. 64.

§. V.

Qui jura suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum editis Scriptis propugnârunt.

S. ABBONIS Abbatis Floriacensis *Apologeticus ad Hugonem & Robertum Franciæ Reges pro immunitatibus Monasterii Floriacensis* integer prodiit ad calcem codicis Canonum Ecclesiæ Romanæ è Biblioth. Pithœi, Paris. 1687. fol. p. 395. Cùm anno 995. Episcopi Galliæ in Synodo Remensi in Monasterio S. Dionysii propè Parisios habita, non tantum laicis, sed etiam Monachis *decimas* detrahere vellent, priorum causam pro virili egit Abbo, cujus oratione com-

commoti cùm laicorum, tum S. Dionysii Monachorum animi, in tumultum proruperunt, ut Episcopi in fugam se dederint præcipites. Ejus causa imputata fuit Abboni. Ut verò ab hac criminatione se purgaret Abbo, Apologeticum scripsit ad Hugonem & Robertum Reges, apud quos ipsum æmuli infamare conabantur. In hoc apologetico ait se injuriis ob id unum esse objectum, quòd Monachos defendisset, quòd *Monachorum senatum* salvum esse voluisset, suæque reipublicæ augmentum quæsivisset, demúmque quòd cavillationi adversariorum obstitisset. Plura vide apud Mabill. Annal. tom. IV. p. 93.

Epistolæ tres de Monachis ex Ecclesiâ Wintoniensi non ejiciendis; quarum primam Cathedralis hujus Ecclesiæ Monachi Benedictini ad Alexandrum II. Papam anno 1701. scripserunt; alterâ ipsis respondet Pontifex; tertiam ad Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem dedit; typis excusæ habentur Tomo I. Angliæ Sacræ pag. 320. Narrat Eadmerus Episcoporum Angliæ conatum de eliminandis ex Ecclesiis Cathedralibus Monachis tempore Wilhelmi I. Regis factum. *Omnes circiter*, inquit, *qui ex Clericali Ordine per Regem Wilhelmum in Anglia constituti Pontifices erant, Monachos, qui in nonnullis Episcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt, & Regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt; in quo tam se effectu potituros certi extiterant, ut Walchelinus Episcopus adunatos pene quadraginta Clericos, Canonicorum more tonsurâ ac veste redimitos haberet; quos ejectis monachis Wentonæ Ecclesiæ, cui præsidebat, mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi nondum requisita ab Archiepiscopo Lanfranco licentia fuit.* Lanfrancus autem, qui è grege Monastico prodierat, totis viribus obnixus Episcoporum conatus elusit, & Monachis Ecclesiarum suarum possessionem asseruit. Hac spe dejecti Episcopi Monachos ab Ecclesia saltem Metropolitica Cantuariensi ejicere moliti sunt, Rege ac Principibus conspirantibus. Omnibus tamen prævaluit industria Lanfranci, qui ab Alexandro Papa Ecclesias Monachis confirmari, & anathema adversaturis incuti obtinuit. Alexandri Bulla extat apud Eadmerum & inter Lanfranci Epistolas. Vid. Whartonum præfat. in Angl. Sac. Tom. I. pag. XXIX. Bibliotheca Cottoniana utramque Alexandri epistolam MS. custodit sub effigie *Vitellius* Lit. E. Cod. IV. n. 4. & 5.

Compositio inter Episcopum & Monachos Wigornienses anno 1224. inita de electione PRIORIS, ex monumento coævo, in Archivo Ecclesiæ Wigorniensis asservato, edita per Henr. Wharton Angliæ Sacræ tomo. I.

LIBELLUS à Monachis Roffensibus anno MCCCLX. oblatus de Jure eligendi Episcopum, typis verò exscriptus ab Henrico Wharton Angliæ Sacræ part. I. pag. 330.

JOANNES WESSINGTON Prior Ecclesiæ Dunelmensis ab anno 1416. ad an. 1446. quo obiit. Isto præsidente *Thomas* Episcopus è Clero seculari Dunelmensis litem à *Waltero* Episcopo decessore suo motam de professione Monachorum coram ipso facienda renovavit anno 1426. Illi Johannes animosè restitit; & post septennalem litem anno 1433. victoriam tulit. Idem ad manifestandam causæ suæ justitiam scripsit librum de juribus & possessionibus Ecclesiæ Dunelmensis, in quo probatur, jura & dignitatem Abbatis Priori Dunelmensi competere. Extat is in Bibliotheca Cottoniana *Vitellius* A. 9. Vid. Henr. Wharton Angl. Sac. Tom. I. pag. 789.

THEODERICUS EPTERNACENSIS Monachus causam sui Monasterii contra Archiepiscopum Trevirensem doctè & feliciter egit, scripta bene longa & doctâ epistola nomine Conventûs ad Henr. IV. Imperatorem. Quâ de re extat *Libellus de propugnata adversùs Archiepiscopum Trevirensem libertate Epternacensis Monasterii*, apud Marthene & Durand Collect. ampliss. tom. IV. col. 453.-467.

JOACHIMI Abbatis & Principis Fuldensis Deductio juris sui adversùs Equestrem Ordinem Buchoniæ anno 1648. extat in V. C. Joan. Friderici Schannat Historia Fuldensi pag. 434.

BERNRADUS & QUIRINUS Abbates Tegernseenses, SS. Canonum apprimè periti, multa literis mandarunt, quibus Romæ Institutionem & Exemptionem Congregationis Bavaricæ contra præpotentes Adversarios propugnârunt. Vid. Monum. Tegerns. apud Pezium Thes. Anecd. tom. 3. part. 3. cap. 20. pag. 567.

VITALIS MATTARELLUS Ravennas patria, suíque Monasterii, quod est S. Vitalis eodem loci, Procurator

in

in Romana Curia, ad maximam litem de confiniis ejusdem monasterii, quam victoriâ obtentâ feliciter absolvit, scripsit eruditum libellum, cui titulus:

Dell' Antichita della Foce, e Porto di Primaro, e del Terreno a man destra di esso, che costituisse l' Isola di Palazzolo appartenente all' Abbatia di S. Vitale di Ravenna, in occasione delle pretensioni del Sig. Pandolfo Fantucci. Id est: *Antiquitatum Freti & Portûs Primari, ejusdémque ad dexteram territorii, quod constituit insulam Puteolorum, pertinentem ad Abbatiam S. Vitalis Ravennatis, occasione prætensionum Pantulfi Fantucci.*

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini per Nicolaum Zyllesium, ejusdem Abbatiæ Officiorum Præfectum, supremum, quâ respondetur libello contra præfatam Abbatiam ab Autbore Anonymo anno 1633. Treviris edito. Ediderunt Religiosi Fratres Imperialis Monasterii S. Maximini intra muros Trevirenses an. 1638. Nempe, ut se defenderent contra librum, cujus titulus: *Archiepiscopatus & Electoratus Trevirensis per refractarios Maximianos turbati.* Treviris anno 1633. in 4.

Apologeticon, sive Jurium Voltæ & Reformationis Ordinis Cluniacensis in Prioris majoris vota, vindex oratio à D. Placido Petro à Pratis Visitatore Reformationis Cluniacensis in 4.

De Libertate & Immunitate Monasterii S. Amandi in Pabula Tornacensis Diœcesis historica Elucidatio Duaci an. 1641. Et autres Pieçes sur le differend entre l'Evéque de Tournay & l' Abbaye de S. Amand pour la Jurisdiction sur ladite Abbaye.

Avertissement sur la Question, à qui appartient la collation des Benefices dépendans de l' Abbé, quand l' Abbé est mort, entre les Religieux de l' Abbaye de S. Aubin d' Angers: en 1659. in 4. Vid. Catalog. Biblioth. Teller. pag. 178.

Defensio & Apologia Religiosorum Angiensium an. 1649. pro Monasterio Augiæ Divitis olim in Germania, quod postea verò Episcopatui Constantiensi conjunctum fuit. Edidit Cl. Bernardus Pezius ex Bibliotheca Mellicensi Anecdot. Thes. Noviss. Tom. I. Part. III. pag. 629.

Regalis Ecclesiæ S. Germani de Pratis jura propugnata Authore D. Roberto Quatremario è Congr. S. Mauri Parisiis anno 1668. in 4. apud Lud. Billaine. Vid. recensio in Journal des Savans an. 1668. p. 56.

Factum pour le Prince de Nenbourg, Abbé Commendataire de Fecamp, contre les Religieux Benedictins de la Congregation de Saint Maur, in fol. Paris. 1675. Id est: *Deductio Principis Neoburgensis, Abbatis Commendatarii Monasterii Fiscamnensis contra Monachos Benedictinos è Congregatione San. Mauri, in fol. Parisiis* 1675. Hæc Deductio typis impressa est tomo II. Bibliothecæ Criticæ pag. 1. in 12. Amstelodami (veriùs Nancæi) anno 1708. authore Richardo Simon, acerbissimo Benedictinorum hoste, quondam Presbytero Oratorii, anno 1711. è vivis sublato; cujus Bibliotheca Critica tantam apud omnes habuit offensionem, ut querelis ad Illustriss. Cancellarium delatis, Regii Concilii decreto suppressum fuerit opus, & ad cbartariorum pistillum damnatum.

Requête des Religieux de l' Abbaye de Fecamp presentée au Roy, & aux Commissaires deputez par sa Majesté, pour examiner les titres de l' Exemption de l' Abbaye de Fecamp, avec l' Inventaire des Pieçes justificatives du Droit, dont jouit cette Abbaye depuis sa fondation contre François Rouxel de Meday, Archevêque de Rouen: par le Vasseur Avocat in 4. an. 1688. Id est: *Supplex libellus Monachorum Abbatiæ Fiscamnensis, oblatus Regi, & Commissariis à sua Majestate deputatis ad examinandos titulos Exemptionis Abbatiæ Fiscamnensis, unà cum Inventario Instrumentorum, quibus jus asseritur, quo ifthæc Abbatia fruitur à sua fundatione contra Franciscum Rouxel de Meday, Archiepiscopum Rothomagensem: per Vasseur Advocatum in 4. an.* 1688.

Requête de François Rouxel de Meday Archevêque de Roüen presentée au Roy, au sujet de sa jurisdiction sur l' Abbaye de Fecamp contre les Religieux de cette Abbaye, in fol. Paris 1688. Id est: *Supplex libellus Francisci Rouxel de Meday, Archiepiscopi Rothomagensis, oblatus Regi, occasione suæ jurisdictionis in Abbatiam Fiscamnensem contra Monachos ejusdem Abbatiæ, in folio, Paris an.* 1688.

Defense de l'Exemption & de la Jurisdiction de l' Abbaye de Fecamp, pour servir de Reponse à la Requête, & au Memoire de l' Archevêque de Roüen presentée en 1689. *in fol.* 1690. Id est:

Defensio Exemptionis & jurisdictionis Abbatiæ Fiscamnensis, quæ loco responsionis esse potest ad libellum supplicem, & Memoriale Archiepiscopi Rothomagensis an. 1689. oblatum in fol. 1690. Author hujus Defensionis Parisiis impressæ habetur *Guillelmus Fillatre* è Congr. S. Mauri. Sciendum, quòd Monasterium Fiscamnense Sedi Apostolicæ sit immediatè subjectum, & habeat jurisdictionem quasi episcopalem in triginta sex parœcias in diversis locatas diœcesibus. Ejus jura defendenda suscepit P. *Fillatre* contra Archiepiscopum Rothomagensem, in cujus diœcesi sita est Abbatia, quique Religiosos è possessione jurisdictionis ejicere conatus est. Vide le Cerf. pag. 128.

PAULI RABUSSON Superioris Generalis Congregationis Cluniacensis

Traité du droit d' Election de l' Abbé de Clugny, i. e. *Tractatus de jure Electionis Abbotis Cluniacensis.*

Processus de Exemptione Monasterii S. Emerami coram Joanne XXII. habitus, asservatur cum cura in Bibliotheca inclyti hujus Asceterii. Vid. Catal. impressus Bibl. Sant-Emmeram. Part. 2. pag. 94.

Vera Relatio & Defensio de Processu injusto contra Stephanum Abbatem in Prüffening & Frauenzell an. 1646. in 4. Germanicè.

EDMUNDI MARTHENE è Congr. S. Mauri Tractatus, cui titulus: *Imperialis Monasterii Jura propugnata*: scriptus est contra *D. Ignatium Rodericum*, antehac Jesuitam, qui veterum Diplomatum Monasterii Stabulensis authentiam edito scripto temerè impugnâsse P. Marthenio dicitur. Ego utriusque Authoris Opus in Gottwicensi Ordinis nostri Bibliotheca annis abhinc non paucis vidi, sed annum & locum editionis non observavi, vel potiùs non memini.

Defensio Imperialis, Liberæ, & Exemptæ Abbatiæ SS.mi Salvatoris Ord. S. B. Sacri Romani Imperii Principatûs contra Archiepiscopum, & Capitulum Metropolitanum Trevirensem prætensam Unionem, ejúsque Gravamina per manifesta Rationis, Juris, & Facti, ut Castrorum Acies per arma justitiæ virtuti Dei ordinata, ex qua Ecclesiæ & Imperio, Urbi & Orbi constabit de statu Abbatiæ Prumiensis, in quo fuit & floruit, in quo est, in quem restitui potest, & justitia requirit, adornata studio & labore Admodùm Reverendi Patris & Amplissimi Domini *Cosmæ Knauf*, ejusdem Abbatiæ Prioris MDCCXVI. Iniqua fuerunt doctissimi Authoris fata, cujus egregia Defensio cùm revinci & refelli non posset, ipse custodiæ per aliquot annos datus fuit.

FRANCISCUS SERRACINI à Rumiliaco, Sabaudus, Monasterii S. Mariæ Talueriarum in eadem Provincia Congregationi Casinensi adnexi Professus evasit anno 1689. die 29. Januarii, cujus etiam postmodùm Abbas fuit. Vir sanè egregius, optimísque literis apprimè imbutus, præsertim in sacris Canonibus plurimùm versatus, ut ostendit liber, quem scripsit

Pro defensione Jurium Monasterii sui, sacrorum Canonum doctrina firmissimè munitus, & undique vallatus, impressus ---- anno ---- Obiit anno 1723. mense Martio. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 175.

Restrictus Facti & Juris, Romæ an. 1725. pro Monasterio Rottensi Ord. S. B. in Bavaria contra Parochum Irschenbergensem, ratione Reliquiarum SS. Marini & Aniani.

Defensio & gravamina Principalis Abbatiæ Augiensis contra Episcopum Constantiensem, quà Abbatem Commendatarium ad Cæsarem anno 1751. in fol...

Kurzer, Historischer und Acten-mässiger Bericht von der Stifftung des Closters Sancti Michaëlis *in Hildesheim, und denen von gedachter Stadt selbigem Stifft* ab anno 1521. *zugefügt-vielfältigen Beschwerden dienend zur Erläuterung deren bey höchst preislichem Reichs-Hoff-Rath Rechts-hängig-Clösterlichen Klag-Sachen. Als nemlich*, In Puncto 1.) Citationis ad videndum repeti Jura antiqua, scilicet Immunitatis & Jurisdictionis. 2.) Jurium Stolæ. 3.) Jurium ædificandi in proprio Fundo. 4. Fractæ Pacis publicæ. *Gedruckt im Jahr 1733. in fol.*

Wahrhaffte Vorstellung der Sache Closters ad S. Michaëlem *zu Hildesheim wider den Magistrat daselbst* in Puncto Jurium Stolæ, *worin*

1.) *Eine gründliche* Facti Species *vorgelegt*,

2.) *Eine im Jahr 1734. von gedachtem Magistrat im Druck gegebene so genannte kurze Abhandlung von dem Ursprung und Eigenschafften der* Jurium Stolæ, *nebst einer Erzehlung von der unbefugten Klage gedachten Closters &c. mit wenigen genugsam abgefertiget wird. Zu einem wahren Exempel der Reichs-Kündig-Städtisch-gewalti-*

waltigen Zunöthungen und gänzlicher Entdeckung eines gegenseitigen Unfugs. Gedruckt Anno MDCCXXXV. Author utriusque Scripti est V. C. *Benedictus Stolte* Monasterii S. Michaëlis in Hildesheim Professus, & Magnus Cellarius, antehac Ss. Theologiæ Professor.

Wahrhaffter - gründlich - Summarischer Entwurff der Kayserlichen Stifftung und Abbtey Michelsberg ob Bauberg Ord. S. Benedicti *samt Ursachen, wordurch jeziger Prælat* Anselmus *bewegt, ja gezwungen worden, gegen das Kayserliche Hoch - Stifft Bamberg* quoad Spiritualia *bey dem Apostolischen Stuhl*, quoad temporalia verò *bey dem Reichs - Vicariat - Hoff-Gericht in Weeg Rechtens, wegen dem* via facti *gelittenen äusserften Gewalt ordentliche Klag zu führen; und also zur Conservation und Rettung, der ihm anvertrauten Prælatur nach seinen obhabenden schweren Ambts - Pflichten sich des natürlichen* Defensions - *Rechts zu bedienen.* Salvo semper debito respectu pl. tit. Celsissimi Reverendissimi Episcopi Bambergensis Herbipolens. *Augspurg* anno 1741.

ROMANI HAY *Astrum Inextinctum.*

I. Non minùs Ordinem suum doctrinâ ornavit, quàm strenuè defendit patrocinio P. *Romanus Hay*, cui proinde se plurimùm debere meritò profiteatur oportet. Causam is egit adversùm *Paulum Laymannum* è Soc. Jesu, qui libello in Monachos edito D. Ferdinandi II. Aug. Decretum aggredi non dubitaverat, in eo præsertim capite, quo restitutionem bonorum quorumcunque eisdem fieri mandabatur, quibus post Transactionem Passaviensem adempta fuissent. *Laymannus* enim in alios usus Monachorum bona versa maluisset, fundandísq; Seminariis, aliísque subsidiis procurandis, in quibus adolescentes, aut etiam ipsa plebs adversùs hæreticam pravitatem educaretur. Consilii ratio pro scopo habebat id *æquius*, quod *utilius*; & ne in jura videretur impingere, comminiscebatur, Monasteria per mortem omnium de Collegio, quæ contigerat, penitùs extincta fuisse, adeóque nec jura Collegii superesse ampliùs, nec titulos beneficiorum, nec fundationis determinatæ voluntatem, nec Privilegia, vel confirmationes Principum; censeri verò ea cœnobia cum omnibus bonis adhærentibus inter bona vacantia, & ad liberam universalis Ecclesiæ dispositionem devoluta. Res procedebat summis studiis, & contentione, quum excitatus Pater *Hay* à suis, juridicam allegationem elucubravit, quæ omnes advocatiæ doctioris numeros exactissimè implet.

II. Hujus Operis prima Editio ab Autore pro sua agnita prodiit hoc rubro: *Astrum Inextinctum, sive Jus agendi antiquorum Religiosorum Ordinum pro recipiendis suis Monasteriis (quæ nonnulli perperàm Extincta fuisse dicunt) & bonis Ecclesiasticis, per S. C. Majestatis Edictum Generale, vel Jus belli &c. restituendis; è sacris Canonibus, eorúmque Interpretibus clarè demonstratum à R. P. F. Romano Hay Ordinis S. Benedicti Imperialis Monasterii Ochsenhusani in Suevia Presbytero Theologo, Editio prima, cum approbatione & consensu Superiorum ac privilegio Sac. Cæs. Majestatis. Juxta Autoris Autographum excusum, Anno Christiano MDCXXXVI. Prostat in Officina Petri Hemingii Bibliopol. Colon. Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus; sed hæreditatem Patrum nostrorum, quæ injustè ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est; Nos verò tempus habentes, vendicamus hæreditatem Patrum nostrorum. 1. Machab.* 15. *vers.* 33.

III. Binis Nuncupatoriis, primæ ad Ferdinandum III. Regem; alteri ad Franciscum Barberinum Cardinalem, magnâ elegantiâ scriptis, quibúsque Pontificis, Imperatoris & Cardinalium gratia æquitati causæ conciliatur, tertia *ad Antiquos Ordines* subjecta est. Hujus epistolæ duo sunt summa capita; Veterum Ordinum merita & prærogativas exponere, eósque, cùm jus optimum consoveant, exhortari, ut Fundationes ipsis ex Justitia Concordatísque Nationis Germanicæ debitas, & Imperatoriâ dextrâ restitutas, aut restituendas canonicè apprehendant, & si quæ ipsis obreptitiis impetrationibus sint ablatæ, recuperare pro viribus satagant. Rationem etiam reddit Autor, cur librum hunc *Astrum inextinctum* inscripserit, nempe, quia fundationes & monASTeRiA Ordinum docet extincta non esse, ut Adversarii volebant.

IV. Epistolam hanc sequuntur Censuræ, Approbationes, Facultates, & Summa Cæsarei Privilegii, nec non Sententiæ quorundam SS. Patrum, Summorum Pontificum, aliorúmque pro antiquarum Fundationum conservatione; tum index Autorum, qui in Opere citantur; demùm index quæ-

stionum, earúmque synopsis & argumentum.

V. In præfatione ad Lectorem Autor præposteram tractandi necessitatem, suique Operis titulum *de Jure Agendi* excusat, cùm non actione, sed executione rem judicatam [Bonorum ac Monasteriorum post Transactionem Passaviensem ab Hæreticis occupatorum restitutionem, ab Imperatore decretam] geri oporteret. Præposterâ igitur judicii ratione, factóque ipso brevissimè & nitidissimè expositis tria capita Cæsarei Decreti proponuntur, viz. (1.) Generales Ordinum, Abbates, Prælatos &c. coram Imperatore, Imperiíque Camera jure agere propter occupata suorum Ordinum monasteria: (2.) nec debuisse per consequens impediri ab Acatholicis, quò minùs de his judicio experirentur. (3.) Restitutionem fieri quotquot bonorum, quæ post Transactionem Passaviensem detenta fuissent; adeóque Monasteriorum; quemadmodùm subsecutis aliis rescriptis expresè jussum est. His ita constitutis, edocet *Paulum Laymann* Jesuitam Opere suo, quam *Justam Defensionem* vocavit, non suscepisse defendere Imperatorem; sed potiùs eidem, & Pontifici & Cardinalibus adversari, jura lædere Episcoporum, Abbatum, & Ordinum injustissimè, collectis ob eam rem sumariè motivis dissentientium, nudéque expositis cum suis consequentibus, oppidò quàm appositè. Demùm ex occasione, quâ permotus hoc *Astrum Inextinctum* conscripsit, sibi parat excusationem, aítque refundendam esse in Opponentes illiusmodi quæstionis invidiam, qui veteres Ordines aggredi, & clàm agere videri voluerunt, quum maximè palàm operarentur coram Cæsare, summísque Dicasteriis: factáque Operis partitione in novem Quæstiones, rem ipsam aggreditur.

VI. Quæstione I. Decidentium more præmissis singulis Laymanni motivis, quibus, voluerat jus nullum esse Monachis ad occupata sui Ordinis Monasteria recuperanda, concludit eadem eisdem Ordinibus esse restituenda. Quod, ut pateat, simúlque satisfiat ex opposito adductis, de electione & jure devolutionis nonnulla præmittuntur; ex quibus arguit, eandem in casu nostro devenisse ad cujusque Monasterii Superiorem immediatum; etsi hactenus is illa uti non potuerit; unde colligit auctor, hujus impedimenti ratione adhucdum eidem competere, non obstante lapsu temporis, quod trimestre est. Hoc verò esse computandum à die notitiæ restitutionis: & singulas beneficiorum collationes ad ali[illegible] superiores, quàm hunc, non esse devolutas. Jam resultat indago, cuinam is ea omnia conferre teneatur? & Religiosis ejusdem Ordinis esse conferenda, non tam ait ipse, quàm insigni loco Abbas Panormitanus, & una voce nobiliores Canonistæ, qui longo numero referuntur. Hinc toti Ordini injuriam fieri, si is Ordo vel uno excidat monasterio: hinc monasteria dici patrimonia Sanctorum: hinc denique jus esse Ordinibus, eorúmque individuis de his agere, & experiri; post quæ Laymanni oppositiones novem numero punctatim Autor convellit.

VII. Quæstione II. discutitur, num causæ aliquæ afferri possint, ob quas Monasteria ab Hæreticis recipienda, non obstante jure Monachorum, aliis possint, quàm ejusdem Ordinis Religiosis conferri? Earum decem protulit Laymannus in ea suppositione, quòd Cœnobia eorúmque tituli ac jura sint extincta; quia verò Autor noster jam præcedente quæstione demonstraverat, Monasteria non esse extincta, Laymanni argumenta, destructo fundamento, cadere ac corruere necesse est. Unde ad ea respondere Autori superfluum est visum: ut tamen Lectori ex omni parte satisfaceret, ad ea singillatim respondit. Quia verò Laymannus Benedictinis & Cistercienfibus argumento decimo non modò neglectum sacræ Regulæ exprobravit, ac propterea ad recuperata Monasteria non admittendos esse proclamavit, sed *posse nisi se reformari patiantur, etiam à suis quæ possident expelli* affirmatè asseruit, Pater Hay ab justa ira vix sibi temperavit. Nisi charitas patiens esset, indignaretur dicto tam indigno; quod quisquis spiritus suggesserit, certè spiritus charitatis non dictavit.

VIII. Sequentibus tribus Quæstionibus, III. viz. IV. & V. neque Pontificem, neque Imperatorem, neque Cardinales Laymanni *Justa Defensione* defendi, propositum est demonstrare; ídque ex eo capite, quo, revocatis vulgaribus hisce terminis, *Monasteria esse extincta*, *Bona Ecclesiastica vacare* ad simplicem proferentium intentionem, liquet neminem, ne quidem Pontificem, qui eisdem præ cæteris

sæpiùs

sæpiùs usus est, intellexisse, cœnobia haberi extincta cum suo respectu ad priorem Ordinem. Imo verò ubi Imperator, cujus passim in hisce rebus propugnatur authoritas, plurimis Constitutionibus & Rescriptis edixit, omnino ea bona prioribus Ordinibus esse restituenda, hócque Romam nuntiatum fuit, factum Collegium non minima affectum lætitia plausum ingeminâsse de hac restitutione in favorem antiquorum Ordinum decretâ, Summi Pontificis Breve disertis verbis declarat. Quare P. Hay rectè infert, quemadmodùm Imperatoris, ita Pontificis & Cardinalium unam fuisse sententiam, in ea bona priores Ordines esse restituendos.

IX. Quæstione VI. expenditur, an justè per doctrinam Opponentis defendantur Episcopi & S. R. I. Principes: negatur autem, quum quia Episcopis omnem electionis devolutionem adimit Laymannus, cunctis de Collegio vel Cœnobio extinctis; tum quia ii, quorum præcipuus labor & machinatio est, ut in omnibus Germaniæ partibus Monasteria transferantur in Academias, Gymnasia, Scholas, & quàm plurima Patrum Societatis Collegia, omnes huc collimant, ut Ordinariis locorum, eorúmque jurisdictioni subtrahantur quàm plurima loca Religiosorum, à quibus se subtrahere monasteria studuerunt nunquam, per Congregationes, Uniones, seu Capitula, quorum origo, progressus, institutio, & finis in hanc rem explicantur, & illustrantur. Quâ occasione à Benedictinis in Germania Abbatibus atrox calumnia depellitur. Hi enim à malevolis falsò insimulati fuerunt, quòd omnimodam à potestate ordinaria Episcoporum exemptionem in Curia Romana quæsiverint.

X. Quæstione septimâ Abbates & Religiosos antiquorum Ordinum Laymannum non defendisse, Auctor ex eo conatur ostendere; quia illos bonis suis evertere molitur. Vult enim, ut Ordines juri suo renuntient, neque ponant obicem, quò minùs bonis suis liberrimè priventur. Hoc nempe est Ordines defendere, ut paulatim nihil habeant. Equidem istud à vero alienum non est, sed Laymannus Defensionem istam instituebat ob graves ipsorum cordibus structas insidias, magna scandala ante pedes eorum posita ex opulentia Monasteriorum, cujus tamen defensionis invidiam dissimulare voluisse videtur P. Hay; dum eo occupatur, ut ostendat, non pati jura pietatem, religionem, ut Monachis alii Religiosi substituantur, convertens iccirco adversùs P. Laurentium Forer suam Disputationem, assuméns que tum demùm videri cordibus Monachorum structas insidias, dum calumniæ ipsis objiciuntur, imponuntur falsa. Quorum alterum quum hactenus evicerit, vindicatis per omnes accusationum articulos antiquis Ordinibus, alterum demonstrat relatis quibusdam epistolis Abbatum Cæsariensis & Hasfeldensis, instrumentóque Notarii publici, qui Abbatis Hasfeldensis delegationem ad Aulam Cæsaream nomine Præsidentis & respectivè totius Ordinis S. Benedicti Bursfeldinæ Congregationis rogaverit; quibus cessionem quorundam Monasteriorum, quam Patres Societatis ab hoc Hasfeldensi factam prætendebant, neutiquam factam fuisse comprobatur. Post hæc Forerii doctrinam ampliùs urgens Autor, egregias quasdam Quæstiones illustrat de Jure Monachorum & Abbatum; de horum subordinatione ad Episcopos, indéque connexis aliis juribus, quæ omnia per compendia recensere nimis longum ac lectori forsan ingratum foret.

XI. Quæstione octavâ nullatenus defendi *Societatem* à Laymanno ostendit Autor, quia is plures è Societate in invidiam rapit, ac si & ipsi, quum stent pro restitutione, antiquis Ordinibus facienda, Cæsari contradicere velle videantur. Hoc ampliùs, non defendi *Societatem*, dum eidem imponuntur, quæ vera non sunt, viz. scripta, ex confesso composita, ut plurium manibus terentur, eadem asserere, privatim scripta fuisse: allegare documenta falsa; affirmare obscurissimum, quod alii è Societate clarissimum esse agnoverunt, eisdémque imponere mutationem doctrinæ de restitutione antiquis Ordinibus facienda; totam denique *Societatem* opinionibus erroneis, falsisque dictis ludibrio exponere, ac si eadem horum omnium inventrix sit & magistra. Et tametsi Laymannus fateatur, se *ex Superiorum suorum voluntate ac jussu* contra antiquos Ordines scripsisse, nihilominus P. Hay, quâ est modestia & charitate, errores illius, aut similium *Societati* nullo modo adscribit; id enim, inquit, stultissimum foret: quippe quam scimus sapientioribus & sanctioribus institutis deditam & occupatam esse; imò cujusque

jusque alterius juribus conservandis lingua & calamo operam dare.

XII. Quia verò Laymannus, *Susceptam Defensionem pro Sac. Cæsar. Maj. Disceptationémque, utrùm bona Ecclesiastica & Monasteria ad alias Familias transferri possint & debeant*, libellos esse famosos ostendere voluerat; idque plures incautè persuasi, cùm calamo tum denuntiatione vitio dabant eorum librorum Autoribus; hinc P. Romanus Hay Quæstionis ix. argumentum arripuit, institutâ disquisitione, num id ab Opponente bene sufficienterque probatum sit. Referuntur principio singula ordine capita, quibus ii libri famosi esse ostenduntur: & non esse tales, primò generaliter demonstratur ab approbatione Universitatum, Facultatúmque Theologicarum; deinde descendendo ad speciem sigillatim ad omnia respondet Noster, quæ in prædictis libris in reprehensionem vocantur. Tota accusatio solerter dividitur in partes, & ita quidem, ut cum primis ostendatur, doctrinas in libellis contentas inter fidei erroneas & periculosas ab Opponente cum suo periculo malè numeratas fuisse: tum eliduntur jactatæ violationes in Principes Christianæ Reipublicæ commissæ, Pontificem puta & Imperatorem. III. Abusus S. Scripturæ. IV. Mendacia. V. Falsationes, allegationes falsæ, aut impertinentes objectæ. VI. Doli, VII. Calumniæ. VIII. Sugillationes. His subjicitur Operis peroratio, Documentáque, quæ totum Opus corroborant, & illustrant; præprimis *Consilium Bergense* Trium Patrum Societatis Jesu, quòd Sac. Cæs. Maj. jure teneatur, Monasterium Bergense propè Magdeburgum Ordini S. Benedicti, & Bursfeldensi Congregationi restituere.

Cæterùm ne Lector in fraudem inducatur, notandum est, præstantis hujus Operis, *Astri Inextincti*, duas esse editiones: prima prodiit ex officina San-Georgiana an. 1634. altera ex typographia Petri Henningii Bibliopol. Colon. an. 1636. Priorem *Sciopius*, cùm exemplar Manuscripti nescio unde nactus fuisset, inscio & invito P. *Romano Hay*, citra nomen Auctoris, & debitam approbationem, accuravit; quam proinde is pro fœtu suo non agnovit, sed ceu mancam, plurimis per librariorum incuriam mendis deformatam, ac sensui suo verbis integris, sæpiúsque sententiis prætermissis contrariam repudiavit.

ROMANI HAY Ord. S. B. Imperialis Monasterii Ochsenhusani in Suevia Presbyteri Theologi AULA ECCLESIASTICA *De Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim Regularibus, Eorumque Extinctione, Devolutione, Collatione, & Spe juridicâ, sicubi destituta fuerint, reparandi.* Et HORTUS CRUSIANUS *Joannis Crusii è Societate Jesu Bremensis Eclipsi* sive Diliquio Astri inextincti speculi loco oppositus. Editio Prima. Francofurti. Typis Caspari Rötelii. Anno MDCXLVIII. in 4.

Operi præmittitur *Epistola Dedicatoria* ad R.mum Patrem Vincentium Carafam S. J. Præpositum Generalem, quâ Authur eum precatur, ut curet à suis tales lucubrationes in lucem edi, quæ prætermissis dicteriis, convitiis, ac scommatibus, ædificationem doctrinámque solidam Lectoribus ingerant, & universæ Societati sint honori: aliter à Provincialibus inprimi non permittantur.

In *Præfatione* causam scribendi exponit. Ut enim Adversarii *Astro Inextincto* fulgorem, quò apud doctos & eruditus passim radiabat, detraherent, *Paulus Laymannus* in illud *Censuras* edidit, *Valentinus Mangionius Theoricas* vulgavit, *Joañes Crusius Eclipsin*, seu *Deliquium* opposuit, *Eugenius Luvanda Notas Astrum Inextinctum interstinguentes* prælo commisit. Cùm verò plerique nihil solidæ afferent doctrinæ, solum Joannem Crusium altioribus nonnihil cothurnis incedentem suscepit confutandum, cæteris tanti non æstimatis, ut ea propter calamum moveret. Operi in duas distributo partes titulum fecit. *Aula Ecclesiastica*, & *Hortus Crusianus*. *Aula*, sibi ipsi nomen accepit, à primis quatuor nominum, totius rei argumentum complectentium literis: *Hortum Crusianum* ut reliquum inscriberet, flores occasionem dedere, quos Cardinali Barberino Crusius in Eclipseos suæ Dedicatoria obtulit: *Tibi*, inquiens, *alteri apum Regi, ego primos meorum laborum Flores, supplex ad altare tuum offero.* Melliginem & flores Eclipseos offerre se dicit Crusius, ex horto videlicet à se culto; eum verò meras lappagines & urticas obtulisse P. Hay ostendit.

Priusquàm verò *Aulam Ecclesiasticam* Author ingrediatur, in *Propylæo* docet, quid sint bona vacantia civilia, quid ecclesiastica; quid fiscus

secu-

fecularis, quid ecclefiafticus; an & quando tales utrobique dentur, & quis effectus utriusque.

Aula Ecclefiaftica, quatuor fundamentales quæftiones Beneficiales, multiplici ratione, Theologorum, utriusque Juris, ac interpretum authoritate, fufiùs quàm in Aftro inextincto factum, elucidat, folidéque fefe firmat. Harum I.ma eft: An Monafteria, feu quælibet Ecclefiæ Collegiatæ, per mortem omnium de Collegio particulari, vel alios fortuitos ob cafus, unà cum omnibus fuis Dignitatibus, Titulis, & Beneficiis extinguantur. II. Num per mortem omnium de tali Collegio Ecclefiaftico, jus providendi de alio Prælato feu Capite ipfo jure devolvatur ad immediatum Superiorem, penes quem aliàs refidet poteftas Electum confirmandi. III. Num electio, per mortem omnium Collegiatorum ad ejusmodi Superiorem devoluta, pendeat ab ipfius libero arbitrio & voluntate; an verò fit Collatio neceffaria, qualitatibus Fundationis, & Beneficiorum vacantium alligata. IV. Num Ordines Regulares antiqui, etiamnum habeant fpem juridicam, certam ac proximam, Monafteria fua deftituta ubivis terrarum reparandi: &, an talia Monafteria rectè nominentur emortua. Ubi nonnihil ad Concordata Nationis Germanicæ author digreffus, claudit *Aulam*.

Horti Crufiani Flores, Pomarium, Pifcinæ, Aviarium, & Confinia, quingentas & octo falfas allegationes in lucem producunt, quibus Joannes Crufius facros Canones, Jus civile, Theologos, Juris utriusque Doctores, Hiftoricos, aliósque in fua contra Aftrum inextinctum edita Eclipfi five Deliquio flagellavit: Ubi pro data occafione, variæ difficilésque quæftiones enodantur, & jucunda quædam infperguntur, ut utile cum dulci mifceatur, cùm vita noftra non minùs jocofis quàm feriis indigere videatur.

Horti Crufiani Paradoxa aliis quibusdam erroribus Crufii recenfendis immorantur, qui in commiffis falfis allegationibus non confiftunt.

Horti Crufiani Appendix Pauli Laymann è Soc. Jefu Cenfuras in Aftrum inextinctum obiter percurrens, triginta potiores ipfius Antilogias & paradoxa primùm recenfet, inde juxtà Valentini Mangionii Theoricas tranfiens, Eugenii Lavanda exorbitantes Notas in prænominatum Aftrum, raptim attingit, & cum earundem, ceu *Infamis libelli* Imperialibus Conftitutionibus ac *Bonis Moribus* adverfantis geminata ab Univerfitate Viennenfi in Auftria profcriptione Hortum Crufianum claudit.

Ultimo loco, *Aulæ Ecclefiafticæ* varia peripetafmata & *Aulæa* expanduntur, quæ inftituto Authoris fervire videbantur: Videlicet

I. Supplex libellus antiquorum Religioforum Ordinum, Ferdinando III. Imperatori, pro confervandis Monafteriorum fundationibus, & Germaniæ Concordatis, oblatus Ratisbonæ, anno 1641.

II. Eorundem Ordinum neceffaria informatio ac petitio, in eadem caufa, S. R. Imperii Procerum Legatis & Oratoribus, eodem tempore præfentata.

III. Suggeritur confilium, de Academiis, etiam per antiquos Ordines providendis.

IV. Supplicatio Ordinis Equeftris Rhenani, in Weterauia & adpertin. diftrict. ad Urban. VIII. Pont. Max. in hac ipfa caufa an. 1637.

V. Supplicatio ad Urbanum VIII. Pont. Max. in caufa eadem, à Confiliariis & Legatis S. R. Imperii Procerum expedita. anno 1641.

VI. Literæ binæ Ferdinandi II. Imp. ad fuum Oratorem Romæ; addito ejusdem Oratoris refponfo. an. 1630.

VII. Literæ Ferd. II. Imp. malè informati, ad Ferd. III. Regem, filium, mandantis aliquot Monafteria tradi Patribus Societatis Jefu anno 1636. Eorundem Monafteriorum fpecificatio. Regis fubdelegatio in Baronem de Walmerode. Inftrumentum Notarii publici, cum infertâ proteftatione Abbatis in Euffersthal Ord. Cifterc. contra clandeftinam hanc Societatis immiffionem. Ejusdem Abbatis plenior informatio, circa narrata malè impetrantium.

VIII. Refponfum quatuor Electorum Principum ad Ferd. II. Imp. in caufa reftituendorum Monafteriorum & Edicti Generalis an. 1627.

IX. Status Equeftris Rhenani literæ ad Ordinem Cifterc. pro Monafteriis Monialium fui Ordinis manutenendis: Unà cum refponfis 1636. & 1637.

X. Libellus supplex antiquorum Ordinum, ad Maximilianum Principem Electorem Bavariæ, pro restitutione Monasteriorum utriusque Palatinatus. an. 1637.

XI. Discursus cujusdam J. C.ti An Monasteria in Principum territoriis sita, sint eorundem bona Cameralia, unà cum Extract. testamenti Ferd. I. Imper.

XII. Fragmentum Epistolæ M. Aurelii Imp. ad Regem Siciliæ.

XIII. Ludovici Galliarum Regis, pragmatica Sanctio de Beneficiis Ecclesiasticis in Regno suo, edita anno 1628.

XIV. Quâ occasione Ordo S. Bened. an. 1636. & seqq. fuerit in Hungaria restitutus. Subjunguntur Epistolæ Episcoporum Hungarorum ad Antonium Episcopum Viennensem; Ejusdémque responsa hanc ad rem pertinentia, unà cum Catalogo Monasteriorum, quæ olim in inclyto illo Regno, dum floreret, viguerunt.

XV. Replica Urbano VIII. Romæ data, ab extraordinariis Legatis Regis Catholici, causas Beneficiales concernens, anno 1635.

XVI. Fragmentum responsi, cujusdam Principis in Germania acatholici, de variis Monasteriorum occupationibus, etiam per Status Catholicos factis.

XVII. Ordo S. Benedicti contra quosdam defenditur. Inseritur Decretum Bonifacii IV. Papæ, ante mille annos in favorem ejusdem Ord. in Concilio Romano promulgatum, & hucusque (quod sciatur) nusquam integrum in lucem editum. Suffragantur Doctores Salmantioenses.

XVIII. Designatio quorundam Monasteriorum, nunc & olim suis Ordinibus restitutorum.

XIX. Rationes & motiva, cur nova quorumdam hodie sententia, de extinctione Monasteriorum per mortem omnium de Collegio particulari, meritò sit rejicienda, & Autoris vicissim amplectenda.

Librum claudunt Indices quatuor.

Quemadmodum verò Authoris *Astrum Inextinctum* lucidissimas à celeberrimis & Catholicis Universitatibus Viennensi, Salisburgensi, nec non à Facultatibus Utriusque Juris in Famosissimis pariter Universitatibus Lovaniensi, & Duacensi, approbationes, solius veritatis amore impertitas, & ab integris Ss. Theologiæ & Jurisconsultorum Collegiis seu Consistoriis copiosum Doctorum intra se numerum complectentibus aspiratas sortitum est, ita ejusdem etiam *Aulam Ecclesiasticam*, & *Hortum Crusianum* eædem celeberrimæ Universitates opus esse prælo & publica luce dignissimum censuerunt; ut vel experimento ipso appareat extingui astra non posse, quantolibet conamine humano, sed vano eclipsentur. Verissimúmque esse illud Augustini in expositione Psalmi 61. oraculum: *Vana est iniquitas, nihil est iniquitas, potens non est nisi justitia: occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest: florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest.*

§. VI.

Appendix eorum Authorum, qui Jurisprudentiam Civilem & Publicam, hisque affinem Politicam attigerunt.

MARCULPHUS, Monachus Benedictinus in Francia, incertum cujus Monasterii, ad Landericum non Parisiensem, sed Meldensem Episcopum sub annum 651. scripsit *de formulis publicorum privatorúmque negotiorum libros II.* ut Notariis Palatii, Monasteriorum, aliorúmque Ecclesiarum exempli loco essent: at nulla publica eis accessit auctoritas, quæ vim legis eis tribueret. Unde mirari licet, inquit Mabillonius (x) jam alio loco à nobis allegatus, immodicam multorum Criticorum censuram, qui, siqua invenerint vetera instrumenta, quæ tantisper à Marculfianis formulis discrepent, ea incunctanter falsa pronuntiant; quasi publici juris factæ sint hæ formulæ, mox ut editæ sunt, aut privati hominis placita pro lege habenda essent. Quò magis iniquiores videntur, qui etiam superiorum temporum momenta ad illas formulas exigunt. Ex iisdem tamen, inquit V. C. Ludovicus du Mesnil, multa discimus capita prisci juris aut veterum morum, qui in Galliis sub primâ Regum Dynastia vigebant. Excerpta apud eundem vide Tom. III. Doctr. & Discipl. Eccl. l. 32. n. 44. pag. 453. Editæ verò fuerunt Marculfianæ Formulæ primùm unà cum aliis incertorum authorum formulis ab Hieronymo Bignonio viro insignissimo cum notis eruditis Paris. 1613.

(x) Annal. Bened. tom. 1.

1613. in 8. & meliore atque auctiore editione 1666. in 4. recusi etiam, sed sine notis, in Bibliothecis Patrum Colon. Tom. 7. Paris. Tom. 2. Supplem. & Lugd. Tom. 12. Recensitis autem à laudatissimo Baluzio Tom. 2. pag. 369. non Bignonii solùm notæ illæ auctiores, sed etiam novæ Baluzii accessere Paris. 1677. fol. Vide plura apud Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 5. lib. 12. pag. 69. & Bibl. Græc. vol. XI. l. 6. c. 4. pag. 507. ubi etiam *Ysonis* Monachi San-Gallensis *Formulas* à Baluzio editas memorat.

S. GREGORII II. Papæ Epistola ad Leonem Isaurum Orientis Imperatorem, in qua Sacerdotii & Imperii differentiam his verbis exponit: „ Non sunt Imperatorum Dogmata, sed Pontificum, quoniam „ Christi sensum nos habemus..... „ Nam quemadmodum Pontifex in- „ trospiciendi in palatium potestatem „ non habet, ac dignitates regias „ deferendi; sic neque Imperator in „ Ecclesiam introspiciendi, & electio- „ nes in clero peragendi, neque con- „ secrandi, vel symbola SS. Myste- „ riorum administrandi; sed unus- „ quisque nostrûm in qua vocatione „ vocatus est à Deo, in ea maneat. „ Vides Imperator, Pontificum & Im- „ peratorum discrimen, „ Lege sept. Synod. Act. I.

GREGORIUS V. ex Corbeiæ Saxonicæ Monacho Romanus Pontifex ab an. 996. ad 999. edidit, ut ferunt, *Constitutionem* in Concilio Romano, ut *Imperator* deinceps à septem Electoribus Germaniæ Principibus eligatur. Laudatur hæc Constitutio Gabrieli Bucelino in Aquila Imperii Benedictina, & Felici Eggero in Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini lib. 2. part. IV. Differt. 3. n. 5. pag. 765. Testes suæ assertionis laudare possunt Bellarminum libro tertio de translatione Imperii, Baronium in Annal. Eccles. ad an. 996. §. 38. seq. Christoph. Gewoldum, & Paulum Windekium in singularibus Scriptis hac de re vulgatis; quos tamen, aliósque plures impugnat Antonius Pagius Tom. IV. Criticæ in Annales Baronii pag. 71. seq. Certum illud, quòd post duo secula à Gregorii Pontificatu Abbas Fuldensis nomen suum inter Electores Ottonis IV. anno 1208. professus fuerit in Epistola, quam Germaniæ Proceres ac Principes de hac electione ad Innocentium III. dederunt. Vide hujus Pontificis Epistolas à Stephano Baluzio editas lib. I. Epist. 293. & 294. tom. I. p 534.

S. ADALARDI, Abbatis Corbeiæ veteris *Liber de Ordine Palatii*. Excidit, ejus tamen synopsin retulit *Hincmarus* in Epistola, quam *de Ordine Palatii* inscripsit. Lucem affundit Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 6. c. 25. col. 985. Vide etiam Pagium ad an. 826. n. 22. & Cointium tom. 7. Annal. de Hist. Lat. lib. II. cap. XXXVI. p. m. 320.

ANSEGISUS, Abbas Fontanellensis, vel, ut Sigebertus Gemblacensis vult, Abbas Lobiensis, collegit, digessítque an. 827. *Capitularia Caroli Magni & Ludovici Pii* in libros IV. quorum duobus prioribus *causas & statuta Ecclesiastica* duobus posterioribus *causas saeculares*, atque, ut Albericus Monachus Trium-Fontium loquitur, *leges mundanas* complexus est. De editionibus hujus Operis utilissimi vide Fabricium Tomo XI. Bibl. Græcæ pag. 85. seq. De differentia Baluzianæ à prioribus idem Fabric. Bibl. med. Latin tom. I. pag. 295. monet, operæ pretium esse consulere Carolum le Cointe tom. VII. Hist. Franc. pag. 805. seq. atque Jac. le Long. in Bibl. Hist. Gall. pag. 555.

B. RABANUS MAURUS, Abbas adhuc Fuldensis, Ludovici Augusti filiis in patrem conspirantibus, tam prudenter & religiosè se gessit, ut & patris, & filiorum benevolentiam sibi retinuerit, fuerítque apud eos sequester concordiæ & pacis, edito libro *de reverentia filiorum erga patres, & subditorum erga Reges*: in cujus fine Ludovicum Imperarorem ad indulgendum filio & aliis hortatur. Mabill. in Elog. Rab. Actor. Bened. Sec. IX. Edidit verò Stephanus Baluzius in tertia editione librorum Petri de Marca *de Concordia Imperii*. Præmisit verò Rabanus libro suo *Epistolam consolatoriam ad eundem Ludovicum Pium post calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum suorum*.

HINCMARI, Archiepiscopi Remensis, Opuscula & Epistolæ. 1.) *Ad Carolum Calvum Regem, de Regis persona, & regio ministerio*. Opusculum absolvitur XXXIII. Capitibus, quod Sirmondus edidit Opp. Hincmari tom. 2. p. 1. 2.) Ad *Carolum* eundem, *de cavendis vitiis & virtutibus exercendis* cum S. Gregorii Epistola ad Recharedum Regem, ibid. pag. 29. 3.) Ad *Ludovicum*, Germaniæ Regem, *Admonitio*, cùm ad occupandum Caroli fratris sui regnum venisset anno DCCC-

DCCCLVIII. 4.) Ad *Carolum Calvum* Regem de coërcendis militum rapinis, cùm in procinctu belli esset, ut Ludovici fratris impetum retunderet. 5.) Ad *Ludovicum Balbum* Regem, *Novi Regis instructio* ad rectam regni administrationem. 6.) Ad *Carolum* III. Imperatorem, ut Balbi sobrini sui filiis Regibus idoneos educatores & consiliarios constituat. 7.) Ad Proceres Regni, *de institutione Carolomanni* Regis, & de ordine palatii ex Adalardo pag. 201. 8.) Ad *Regem* communi Episcoporum nomine, de coërcendo & extirpando raptu viduarum, puellarum, & sanctimonialium, pag. 225. 9.) Ad *Carolum Calvum* Regem, Quales judices constituere debeat ad causas inter Ecclesiasticos & Seculares dirimendas pag. 839.

EJUSDEM HINCMARI *Coronationes Regiæ*, quibus ipse functus est, 1.) Caroli Calvi, quando anno 869. in regno Lotharii coronatus est. 2.) Ludovici Balbi, quando an. 877. Rex Francorum coronatus est. 3.) Judithæ, Caroli Regis filiæ, cùm Edilulfo Anglorum Regi desponsata est anno DCCCLVI. 4.) Hermintrudis Reginæ uxoris Caroli Calvi anno DCCCLXVI. Extant verò hæ Coronationes Opp. Tomo I. pag. 741. seq. Obiit Hincmarus an. 882.

B. LUPI SERVATI, Abbatis Ferrariensis, Epistolæ *Carolo Calvo* scriptæ, ac Monita complexæ, quæ secutus feliciter regnaret. Sunt duæ, viz. 64. & 91.

S. ABBO, Floriacensis Abbas, in Collectaneo Canonum Hugonis & Roberti Regum Franciæ ministerii summam expressit ex Concil. Paris. vi. lib. 2. c. 1. „ Justitia Regis est, neminem „ injustè per potentiam opprimere, „ sine acceptione personarum in- „ ter virum & proximum suum ju- „ dicare, advenis & pupillis & vi- „ duis defensorem esse, furta cohi- „ bere, adulteria punire, iniquos „ non exaltare, impios de terra perde- „ re, parricidas & pejerantes vivere „ non finere, pauperes eleemosynis ale- „ re, justos super Regni negotia con- „ stituere, senes & sapientes, & so- „ brios consiliarios habere, magorum „ & ariolorum pythonissarúmque su- „ perstitionibus non intendere, ira- „ cundiam differre, patriam fortiter „ & justè contra adversarios defende- „ re, per omnia in Deo vivere, pro- „ speritatibus non elevare animum, „ cuncta adversa patienter ferre, Fi- „ dem Catholicam in Deum habere, „ filios suos non sinere impiè agere, „ certis horis orationibus insistere, „ ante horas congruas non gustare „ cibum. *Væ enim terræ, cujus Rex* „ *est puer, & cujus Principes manè co-* „ *medunt.* Hæc Regni prosperitatem „ in præsenti faciunt, & Regem ad „ cœlestia Regna meliora perducunt. „ *Capite III.* Optimates instruit, qua ratione Regi fidem servare debeant. Abbonis Collectaneum edidit Mabill. Analect. tom. 2. pag. 248.

B. PETRI DAMIANI Dissertationes duæ ad Gothofredum Ducem & Marchionem *De Principis Officio in coërcitione improborum*; extant inter ejus Opuscula Tomo III. num. 57.

GERBERTI, Archiepiscopi Remensis Epistola ordine xxxi. quam nomine *Diederici* Metensium Episcopi adversùs Carolum Lotharingiæ Ducem scripsit. Vide Pagium ad an. 978. & 955. Blondell. in pleniori assertione Genealogiæ Franciçæ.

SUGERII Abbatis S. Dionysii Epistolæ ad Eugenium III. Papam, Ludovicum VII. Regem, & alios Franciæ Majores, ipsorúmque ad eundem, dum regnum administraret, de gravioribus negotiis conscriptæ, ab And. Duschesnio verò editæ Tom. IV. Script. Rer. Franc. fol. 491. ubi etiam habetur ejusdem Sugerii Liber de rebus in administratione suâ gestis fol. 31.

INGULPHUS, Abbas in Anglia Croylandensis an. 1109. vitâ functus, propior octogenario, non solùm oculatus Normannici in Anglia Imperii initiorum testis erat, verùm etiam in Aula apud Guillelmum Regem, cognomento *Conquæstorem*, cujus ante vitam monasticam scriba erat, ad jura Cœnobii sui stabilienda assiduam navavit operam, in qua per virorum, qui rebus tum Civilibus, tum Forensibus exercitati, consuetudinem, Legum Civilium, hoc est, Edwardi Regis à Guillelmo firmatarum, Normannico idiomate conscriptarum, atque ab iis, quas recentiores quidam habent, multùm discrepantium exemplar nactus, Croylandiam secum detulit, atque ad Historiæ suæ calcem adjecit. Joannes Seldenus verò in Notis ad *Eadmerum* Tom. II. Opp. S. Anselmi pag. 1640. cum Latina versione juris publici fecit.

ROGERIUS VACARIUS, Monachus primùm ac Prior, tum Abbas Beccensis in Normannia, ac demùm in Archiepi-

chiepiscopum Cantuariensem electus, omnium primus fuit, qui Jus Cæsareum publicè in Anglia docuit. Primus etiam in eam Pandectarum partem, quam *Infortiatum* vocant (i. e. Librum XXIV. & reliquos, qui usque ad finem XXXVIII. sequuntur; iis qui præcedunt, Digesti veteris, qui supersunt, Digesti novi nomine appellari solitis) glossas emisit. Cùm enim publico stipendio non nisi *Digestum vetus*, & *Codicem* antiqui Professores interpretari tenerentur, reliquas legum partes negligentiùs tractabant, nec nisi privatim soluta stipe explicabant, & ob id extraordinarias eas lectiones vocabant. Sed *Rogerius*, ne hæc quoque legum pars obscura maneret, in eam suas lucubrationes edidit. Primus etiam Juris compendium (quod *Sum̃am* vocant) viginti chartarum numerum non excedens composuit. Idem de diversis præscriptionibus formâ dialogi scripsit, in quo secum Jurisprudentiam loquentem inducit. Habetur in tomo 17. Tractatuum illustrium Jurisconsultorum, ubi etiam alius de eadem re tractatulus ejusdem reperitur hoc sub titulo: *Rogerii antiqui Glossatoris de diversis Præscriptionibus.* Libelli hi bini etiam Lugduni an. 1466. editi fuerunt cum Azone, Dino, aliisque aliquot de Præscriptionibus, ubi nuncupatur Rogerius *Antiquus & immortalis Doctor.* Ob. an. 1180. quod Panzirolus de Clar. Leg. Interpret. l. 2. c. 19. nescivit. Vid. Jo. Seldeni Dissertationem Historicam ad Fletam.

JOANNES EVERISDEN, Monachus & Cellarius Monasterii Buriensis in Anglia *Legum medullam* carmine complexus est lib. un. *Disce quid humanum jus.* Pitf. pag. 435.

THOMAS CHILLENDENUS, Jurisconsultus Anglus, Monachus posteà Cantuariensis, dum in seculari statu vixit, tam utilem operam legibus tum Cæsareis tum Pontificiis impendit, ut supremam in utroque Jure lauream nactus fuerit. Scripsit eruditè ad Guil. Warhamum *Commentarios in leges antiquas.* Vid. Leland. & Pitf. pag. 914.

JOANNES FECKENAMUS, Abbas, ultimus Westmonasteriensis in Anglia, qui in vinculis Confessor obiit A. C. 1585. edidit Librum *contra juramentum supremæ authoritatis regiæ in Ecclesiasticis.* Contra quod opus Hornus scripsit pseudo-episcopus Wintoniensis, eúmque refutavit Thomas Stapletonus. Vid. Pitf. de Ill. Angl. Scriptor. æt. 16. pag. 785.

Exemplar Sanctionis Carolinæ Norimbergense, idque auctoritate publica descriptum, quod vulgò *vidimatum* vocant, adeòque *autographis* non immeritò accensendum est. Scilicet centum post annos, quàm Sanctio Carolina erat promulgata, *Sapientissimus Senatus Norimbergensis* pro singulari providentia sua, ne *Autographum*, Bulla Cerea Caroli IV. Imper. munitum, frequentiore usu fortè attereretur, id per *Abbatem Monasterii Ægidiani*, Ordinis D. Benedicti, quod in Urbe situm Imperii libertate fruebatur, accuratè describi & *authentica auctoritate*, quâ Abbates hujus Monasterii tunc pollebant, firmari jussit. *Abbas* igitur ille, *Gregorius* dictus, *Autographum Norimbergense Sanctionis Carolinæ in* XXXV. foliis puræ & integræ membranæ, non tantùm manu sua, quantum apparet (est enim eadem manus, & integri libelli & subscriptionis) charactere quidem perquàm luculento satis diligenter descripsit; sed & funiculo ex filis sericis tum albis, aut certè ex ætate flavescentibus, tum rubris contorto, & per foraminula singulorum foliorum in parte inferiore tracto, sigillum suum, ceræ rubræ, quæ exteriùs cera glauca circumdatur, impressum suspendit, ac præterea calci Sanctionis Carolinæ sequentem formulam vidimandi causâ adjecit: *Et nos Georius permissione divina Abbas monasterii sancti Egidii in Nureml erga Ordinis sancti Benedicti Bambergen. dioeces. Recognoscimus ac tenore presentium notum facimus literas Serenissimi ac Invictissimi Principis & dñi dñi Karoli quarti dive memorie Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Bohemiæ Regis per insertas literas. In solemni Curia sua Nurembergen. in solio majestatis cæsareæ matura deliberatione previa, de sua Imperialis potestatis plenitudine, edidit, statuit, & sanctiendas decrevit in forma libelli, & foliis pergameneis numero viginti sex conscriptas. Ejúsque Imperiali Sigillo circulari cum filis sericis nigri & crocei coloris in sona integra appendente bullatas sanas integras non viciatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsùs vicio & suspicione carentes diligenter perlegisse de verbo ad verbum modis & formis prescriptis. In cujus rei testimonium post visionem, inspectionem, lectionem &*

& examiacionem ipsarum diligentem in tenore prescripto in omnibus & per omnia cum originali pñcia concordari vidimus & comperimus ad instantémque petitionem coin Incliti Consulatus dicte Imperialis Civitatis Nurembergen. Sigillum nostrum Abbatiale, fine tamen nostro ac monasterii prefati successorúmque nostrorum prejudicio presentibus duximus appendendum. Actum & datum in loco nostre solite habitacionis die quinta mensis Aprilis anno Domini millesimo quadragesimo sexagesimo quinto. Libellus verò hic forma quarti ordinis compactus, atque similiter, ut autographum, integumento coriaceo coloris rubri circumdatus est. Christ. Gotlieb Swarzius accessionibus ad Holzchucheri Orationem solennem de Comitiis an. 1356. Norimbergæ habitis pag. 90. sequent.

PETRUS DE VERSAILLES, Monachus S. Dionysii, & in sacra pagina Professor scripsit epistolam de calamitatibus Franciæ, earúmque remediis ad Joannem Jouvenel Christianissimi Regis Francorum, & Domini Delphini Consiliarium; quæ prodiit in Edmundi Marthene & Ursini Durand Anecdot. Tom. I. pag. 1723. - 1737.

PETRI à S. AUDEMARO, Cognomento *Walloncapella* Belgæ Ascetæ in monasterio S. Winoci Declaratio causarum, ob quas Belgium gravissimis premitur calamitatibus, cum demonstratione remedii adversùs easdem. Coloniæ an. 1582. Possevin. Appar. Sac. tom. 2. pag. 37.

NINIANI WINZETI RENFROO, Abbatis Scotorum Ratisbonæ ad S. Jacobum Velitatio in Georgium Buchananum circa Dialogum quem scripsit de jure regni. Ingolstadii. an. 1582.

ALPHONSI VILLAGUT, Neapolitani, Abbatis è Congregatione Casinensi, J. U. Doctoris celeberrimi, anno 1623. defuncti

Thesaurus Tractatuum Criminalium divisus in duas partes, sive duo magna volumina, in quibus traditur, modo elegantissimo, Theoralis, & Practica norma procedendi in utroque Foro, Opus Episcopis, cæterísque Prælatis Regularibus & Secularibus, & quibuscunque Judicibus, Advocatis, Procuratoribus, & Reis litem contestantibus, in quibuscunque negotiis summoperè opportunum, & necessarium, unà cum locupletissimo totius Operis Indice. Opus amplissimum. Alia Villagutii duo Opera, quæ ad hunc etiam §. reduci possunt, jam suprà recensuimus. Vid. Armell. part. 1. pag. 13.

ALEXII UGONII, Itali, Brixiensis, è Congr. Casin. Tractatus *De Christi pace, atque civili concordia ad Nobiles Brixianæ Urbis Cives.* Extat in Authoris Opere *De Italiæ calamitatibus*, quod Venetiis anno 1559. excusum fuit. Armell. part. 1. p. 6.

VALERIANI CASTILONEI, Itali, Mediolanensis, Sabaudiæ Domûs Historiographi, è Congr. Casin. *Statista Regnante.* Cunei an. 1628. apud hæredes Tarini. Opus egregium, veræ politiæ documentis undique refertum, de quo plura Armell. l. c. part. 2. lit. V. pag. 3.

PII DE MARA Neapolitani, in cœnobio S. Severini Professi, Juris utriusque Professoris percelebris *Quæstiones Politicæ.* 1.) *An possint Principes seculares Judæos in suis terris permittere?* 2.) *De tolerantia hæreticorum & aliorum Infidelium in Territoriis Principis Catholici.* 3.) *De potestate Papæ reservandi sibi collationem beneficiorum in certis mensibus vacantium.* Neapoli apud Camillum Cavallum anno 1642. in 4.

ZACHARIAS DE BASTARDIS à Mutina inter alumnos S. Petri in eadem urbe admissus anno 1621. scripsit *Il Principe Benedetto*, in 4. Patavii 1644. In quo vitam D. P. Benedict. politicis ac moralibus documentis, historicísque exemplis Elensium præsertim Principum, quos ex Anicia ejusdem S. P. Benedicti familia prognatos dicit, illustratam exhibet, quo optimi Principis ideam ex gestis SS^mi nostri Legislatoris efformet. Armell. l. c. part. 2. Lit. V. pag. 25.

BLATHASARI MORABITTI, Siculi, Catanensis, è Congr. Casin. *Ammaestramento Christiano politico*, seu *Chronologia Politicorum* ab eo absoluta an. 1664. Opus non mediocris laboris ex gravissimis Authoribus collectum. Armell. part. 1. pag. 70.

PII MUTII, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. Abbatis plurium successivè Monasteriorum

Animadversiones in Tacitum, Italico sermone conscriptæ. Brixiæ apud Bartholomæum Fontanam año 1634. in 4. & iterùm Venetiis an. 1642. per Marcum Ginammi in 4. Sunt autem Animadversiones in primum Taciti librum, quod Opus eruditissimum vocat Hieronymus Ghilinus, brevi temporis spatio absolutum, ob assiduam peti-

petitionem Cardinalis Friderici Borromæi, qui Opus hoc anxiè ab Auctore exspectabat.

-- EJUSDEM *Animadversiones in secundum Librum Taciti*, quas brevi in lucem prodituras fuisse testatur idem Ghilinus; Philippus autem Picinellus jam prodiisse affirmat, sed ubinam Gentium, & apud quem, non indicat. Plures hujus Authoris Discursus Politicos de Paulo V, Republica Veneta, Duce Sabaudiæ &c. recenset Armellinos, quem consulas licet Bibl. Casin. part. 2. pag. 145.

MARCI ANTONII SCIPIONIS, Itali, Placentini, è Congr. Casin. *Vera ragion' di Statto pratticata*, id est: *Vera Ratio Status ad praxin redacta.* Placentiæ an. 1650. apud Joan. Bazucchium, Impressorem Cameralem: Opus Politicis regulis exemplisque ex Monastica præsertim historiâ desumptis refertissimum, scriptum contra quendam, qui Religiosos Viros Politiæ omnino expertes, asserere ausus fuerat. Armell. l. c. pag. 92.

MICHAELIS GOURDINI è Congr. S.Mauri Apologia, cui titulus: *Illustrissimi Principis Guillelmi Egonis Landgravii Fürstenbergii, Serenissimi Archiepiscopi Electoris Coloniensis Legati violenta abductio, & injusta detentio. in 12. Parisiis apud Eliam Josset an.* 1674. Vide plura apud le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 175. Quam justæ verò & gravissimæ causæ Imperatori Leopoldo fuerint jubendæ hujus abductionis & detentionis, vide Theatr. Europ. Tom. X. fol. 564.

DIONYSII DE SAINTE MARTHE è Congr. S. Mauri *Entretiens touchant l' entreprise du Prince d' Orange sur l' Angleterre*, i. e. *Colloquia de Principis Arausionensis Expeditione in Angliam.* Parisiis apud Lambertum Rulandum an. 1689.

OTTONIS AICHER è Congr. Bavarica *Brevis institutio de Comitiis veterum Romanorum libellis tribus comprehensa, quibus accessit Liber IV. de Comitiis Imperii Romano - Germanici.* in 12. Salisburgi an. 1678.

MAURI KORKER, Angli, Abbatis Lambspringensis multis annis Missionarii in Anglia

The Roman Catholick principalis, id est: *Catholicorum Principia erga Deum & Regem.* in 4. an. 1680.

VICOTRII, seu *Victorini* SIRI, Itali, Parmensis, in Cœnobio S. Joannis Evangelistæ ibidem Professi, Ludovico XIV, Galliarum Regi à Consiliis Status & Historiis, *Mercurius*, seu *Historiæ suæ ætatis*, & *Memoriæ reconditæ*, sunt refertæ quàm plurimis politicis Documentis, Observationibus, & Reflexionibus. Adversarium tamen è sua Congregatione nactus est *Cæsarem Gotho*, qui adversùs *Sirum* typis, sed sine nomine vulgavit *Il Zimbello*, id est: *Illicium*, & *Il Politico Indifferente*, id est, *Politicus Indifferens.* Fuit ipse etiam Cæsar Gotho magnus Politicus, ut qui à Siciliæ Dynastis bis ad Catholicum Regem Philippum IV. Patriæ Orator ablegatus, tantam scientiæ suæ, prudentiæque opinionem Regi injecit, ut eum in Episcopum nominare jam decreverit, fuissétque procul dubio paulò pòst ab ipso etiam Pontifice electus, nisi Messanenses in infaustam illam defectionem an. 1672. mox prorupissent, quâ omnia susque deque acta sunt. Gallis autem Messanâ potitis, *Cæsar* ab eisdem Judex Siculæ Monarchiæ, quæ in quibusdam rebus Ecclesiasticis suprema quædam à Pontif. Max. olim concessa Siciliæ Regibus, ut asserunt, est auctoritas, constitutus fuit: quod munus annos fermè quatuor exercuit, donec Hispanis redeuntibus, *Cæsar* cum aliis plurimis cujusque ordinis patriam solum vertere coactus, plures annos variis in Monasteriis Italiæ, Senis nempe, Aretii, Arimini, exulavit, demum an. 1701. à Philippo V. Borbonio, qui post Caroli II. Austrii mortem, ad Hispanam Monarchiam pervenerat, restitutus in patriam, ut reliqui Messanenses ob eandem causam olim proscripti, quinque adhuc annos ibidem vitam protraxit. Ut verò ad *Victorium Sirum* redeat oratio, plura Politici argumenti scripsit, quæ vide apud Armellinum in Bibl. Casin.

LAURENTII A DRIPT, Gladbacensis, Ss. Theologiæ Lectoris, nec non Cels. & R.mi Episcopi Paderbornensis in Ecclesiasticis Consiliarii, & in Spiritualibus Vicarii Generalis *Refutatio Propositionum Theodori Reingking quondam Daniæ Cancellarii circa Regimen Ecclesiasticum*, quarum est

I.) *Princeps summam potestatem habet rerum tam Ecclesiasticarum, quàm Civilium.*

II.) *De Jure Divino Princeps secularis habet Ecclesiasticam potestatem, éstque Episcopus.*

III.) *Summus Pontifex in Ecclesiasticis & Secularibus Imperatori subjectus est.*

IV.

IV. *Principi seculari competit Jus instituendi dies festivos.*

V. *Principis secularis est, Ministros Ecclesiæ vocare, & per se vel alios visitare, & differentias in materiâ fidei decernere.*

VI. *Imperatoris non Summi Pontificis est convocare Concilia.*

VII. *Doctores ponentes, quòd aliquis per Censuram Ecclesiasticam emendandus si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus: pro certo in hoc sequuntur Pontifices, Scribas, & Pharisæos, qui Christum seculari judicio tradiderunt, & tales sunt homicidæ graviores Pilato.*

IIX. *Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritûs.*

IX. *Dispositio circa Bona Ecclesiastica est penes Principem secularem.*

X. *Pacta cum hæreticis nequaquam servanda.*

XI. *Princeps Christianus bello impetitus cum Turca & Infidelibus fœdus inire, & auxilium petere potest.*

XII. *Princeps secularis excommunicari Ecclesiastica potestate non potest.*

XIII. *Sacris literis repugnat, & institutioni Christi, Summum Pontificem habere Dominia temporalia.*

XIV. *Pontificii continuam summorum Pontificum successionem à S. Petro usque huc probare nequeunt.*

Has Propositiones Author *Antidecalogo suo Theologico - Politico - Reformato*, & Coloniæ an. 1672. in 12. vulgato intextas solidè & modestè refutavit. Liceat hîc mihi, salvâ S. Gregorii VII. Pontif. Max. reverentia, *Reingkii* libro adscribere verba Scriptoris Acatholici, sed perdocti: „*Videant interim, qui hodie de-„spoticum Principum Imperium ita „commendant, atque exacuunt, con-„culcata Sacerdotii & Ordinum aucto-„ritate, an pestilentiorem etiam Hil-„debrandismo ipso pestem, quantum in „ipsis est, in Christianum Orbem in-„ducant.* Ita Joan Albert. Fabricius Bibl. Græc. vol. XI. lib. 6. cap. 4. pag. 589.

PETRI VECCHIA, Nobilis Patavini, Abbatis S. Justinæ ac deinde aliorum Monasteriorum

L' Uomo di Compagnia, e buon governo Civile Politico Christiano, id est: *Homo Civilis, bonúmque regimen civile Politicum.* Ob quem librum Author, quod praxin quandam in materia Judiciorum à Veneta Republica servatam, ibi reprehendat, ab ejusdem Reipublicæ ditione discedere coactus fuit. *Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 193.*

VITALIS TERRA RUBRA, Itali, Parmensis, è Congr. Casin. *Venetus Leo Alatus optimi Regiminis è sphæris delapsum exemplar*, Armell. l. c. part. 2. Lit. V. pag. 33.

-- EJUSDEM *Instruzione Theologico - Politica circa potere i Principi regnanti obligare le loro Figlivole a maritarsi ne' casi gravi, e di publica utilità &c.* Id est: *Instructio Theologico - Politica de potestate Principum regnantium obligandi suas filias ad ineundum matrimonium in casibus gravibus, & quando de publica utilitate agitur.* Armell. l. c.

JOACHIMUS PERIONIUS, Benedictinus Gallus, scripsit de Magistratibus Græcorum, & Romanorum, quod opus impressum est Parisiis in 4. anno 1560. recusum in Gronovii Thes. Antiq. Græc. Tomo. VI.

BENEDICTI BACCHINI, Itali, Parmensis, è Congr. Casinensi *Scriptum triplex, Italicâ linguâ*, quô demonstratur, Italiæ Principes non potuisse, salvâ conscientia, contributionibus, multóque minùs debuisse tot, tantísque ab Imperatore, neve à Principum Germaniæ Conventu anno 1692. gravari ad Cæsareum exercitum in hibernis alendum. MS.tum in fol. pagg. integr. 20.

-- *Scritture due in risposta ad altre del P. Wolff Giesuita sopra affari politici allor vertenti, à richiesta del Serenissimo di Modena, appresso il quale anche si conservano:* Id est: *Scripturæ duæ, quibus ad alias Patris Wolffii Jesuitæ respondetur de rebus Politicis tunc controversis, ad instantiam Serenissimi Ducis Mutinensis, penes quem adhuc conservantur.*

-- *Altra dotta e lunga scrittura à difesa di un Prencipe d' Italia, a cui era conteso il possesso di Feudo nobilissimo e riguardevole; passò sotto il nome d' un gran Ministro ora defonto, ed ottene il suo intento.* Id est: *Alia docta & diffusa scriptura ad cujusdam Italiæ Principis jura tuenda, cui lis de nobilissimi atque conspicui Feudi possessione movebatur: Prodiit in lucem sub magni cujusdam Ministri modò vitâ functi nomine, suúmque consecuta est finem.* Armell. l. c. part. 1. pag. 82. & 83.

JOANNIS MABILLONII è Congr. sancti Mauri *Dots de Religieuses*, id est: *De Donatione Sanctimonialium.* Quæstio est, an authoritate

tate publicâ dos Monialium constitui possit, & casu dato, an Princeps & Magistratus secularis ejus quantitatem determinare possint? Posteaquàm Author ea in medium protulit, quæ circa dotes variis temporibus ac seculis statuta fuerant, in eam pro sua consueta modestia descendit, ut diceret, è re magis sibi futurom videri, si pro exactione dotis figeretur determinatus monialium numerus, quibus alendis monasterii bona sufficiunt, nullâque dos nisi de supernumerariis exigeretur. Prudens consilium contra avaritiam Monialium toties in sacris Conciliis damnatam, nunquam tamen satis extirpatam. Legi posset Joannis Trithemii, Abbatis Spanheimensis, Tractatus contra *Simoniam & peculium Monialium* ad Burchardum de Horneck Medicinæ Doctorem, hoc initio: *Est Cœnobium quoddam Monialium &c.*

PONTIANI SCHÜZ, Suevi, Wangensis, Cœnobitæ Ottoburani *Folitia Helvetiæ Triumphalis*, id est, *Forma Regiminis Helvetici ex Monarchia, Aristocratia, Democratia perfectissima &c.* Lucernæ anno 1703.

VIRGINII VALSECHII è Congr. Casin. *Epistola de veteribus Pisanæ Civitatis Constitutis.*

FRANCISCI SCHMIER J. U. Doctoris, & in Universitate Salisburgensi SS. Canonum Professoris

1.) *Jurisprudentia Canonico-Civilis.* Salisburgi. 1716. fol.

2.) *Supplementum Jurisprudentiæ* &c. 1729. Salisburgi. fol.

3.) *Jurisprudentia Publica Universalis ex jure tum naturali, tum divino positivo, nec non jure Gentium.* fol. Salisburgi 1722.

4.) *Jurisprudentia Publica Imperii Romano-Germanici nova & scientifica methodo continnata, in tres tomos distincta.* fol. Salisburgi an. 1731. typis Jo. Bapt. Mayer.

5.) JURISPRUDENTIA PRACTICO-CONSILIARIA, Opus materiis diversis, difficillimis atque intricatis repletum, subtili ubique ingenii felicitate, summa judicii maturitate, Canonum Legúmque authoritate, rationum gravi pondere munitum, omnibus Jurisprudentiæ cultoribus utilissimum. in fol. 1737. Aug. Vindel. Sumptibus Strötter, Gastel, & Ilger Bibliopol. Augustæ & Pedeponti, typis Ant. Max. Heiss.

GERHARDI HAGEMANN, Imperialium liberorum & exemptorum Monasteriorum Werdinensis & Helmstadiensis Cœnobitæ DE OMNIGENA HOMINIS NOBILITATE LIB. IV. Queîs pertractantur, quæ ad usum & utilitatem, de nobilitate hominis naturali, tum corporis tum animæ (hujusque verâ origine, substantia, & immortalitate) deque morali, politica, gentilitia, educatione & institutione nobilis & ingenuæ Juventutis, modis acquirendi, probandi, traducendi, defendendi, conservandi, augendi, obscurandi, amittendi Nobilitatem, Digesti ex Jure Divino, Canonico, Civili, Feudali, Publico, Scriptoribus Ecclesiasticis, Ethicis, Juridicis, Historicis, ac Politicis. Opus varia ac multiplici doctrina refertum, non solùm toti Nobilitati, sed & cuilibet hominum statui utile, atque ad exstimulandum virtutis studium lectu dignum. Coloniæ Agrippinæ apud Paulum Zesingium Bibliopol. an. 1696. in 4.

GREGORII A MERZENFELD, *Introductio ad Jus Publicum* Romano-Ecclesiasticum. Coloniæ anno 1713. in. 4.

CORBINIANI THOMAS in Universitate Salisburgensi SS. Theologiæ Professoris *Jus Naturæ & Gentium theologicè deductum.* Salisburgi anno 1737. in 4.

CÆLESTINI, Abbatis Monasterii ad S. Trudpertum in Brisgoia *Idea Exacta de Bono Principe*, cujus officium requirit curam gerere de Bono Reipublicæ, seu totius Regni: Administrationem exactam justitiæ: Coercitionem malorum: Defensionem veræ religionis, & veri cultus divini: Manutenentiam subditorum in suis juribus & bonis fortunæ, ac contra injurias extraneorum: Studium boni publici cum salutaribus legibus, ut honestè vivatur, alter non lædatur, & unicuique suum tribuatur: Pax & tranquillitas inter subditos conservetur: Et quidquid publicam felicitatem promovere possit, non intermittatur. Divisa in quinque partes, scilicet: De cura Religionis: De cura Regni: De Religione Controversistica, Bono Principi necessaria: De Jure Belli, & obligatione Subditorum: De Lege æterna, Jure Naturali & Gentium. Friburgi Brisgoiæ anno 1740. in 8.

ANSELMI DESING Collegia Geographico-Historico-Politica 1744. in 4.

– EJUSDEM *Politices & Juris Publici Compendium*, extat in ejusdem *Compendio Eruditionis* iteratis typis impresso. Monachii an. 1728. & Ingolstadii 1733. & in Auxiliis Historiæ, Solbaci 1733. & Pedeponti 1739.

Idem Cl. Author nuper *Pedeponti* in lucem edidit Opus Tripartitum hoc rubro: I. LARVA JURIS NATURÆ DETRACTA *libris pluribus sub titulo* Juris Naturæ *comparentibus, ut Puffendorffianis, Heineccianis, Wolffianis & aliis, quorum Principia Juris Naturæ falsa ostenduntur: Ignorantiam, quam Catholicis affingunt, in ipsis regnare proditur: Cavillationes deteguntur: Promissa splendida ab ipsis non servata exponuntur: Pugnæ & contradictiones eorum inter ipsos & secum ipsis exhibentur: Scopus illorum præcipuus, nimirum Catholicæ rei detrimentum, denudatur: Nobilitas, Juventus, Politici periculi admonentur....*

II. DISCIPLINA JURIS NATURÆ REPURGATA, *ad genuinam doctrinam ac pristinam revocata, qualis fuerat ante novos Juris Naturæ larvati Doctores* &c.

III. DE JURE GENTIUM *à fucis & pulveribus utcunque liberando Tentamen....* Sumptibus *Joan. Gastl* Bibliopolæ, anno 1752. in fol.

Huc etiam referenda videntur alia quædam ejusdem opuscula, videlicet: I. HYPODIGMA POLITICUM *Juris Naturæ, eos, qui ratione sola in jure naturæ utendum docent, aut ludere, aut moderinum hominum statum demutare, & Magistratibus ac Reipublicæ periculum creare....*

II. SPIRITUS LEGUM BELLUS an & SOLIDUS? Qua in oppella præsertim examinatur & refellitur liber nuperus sub titulo *L' Esprit des Loix*, ab Anonymo evulgatus.

III. PRÆJUDICIA REPREHENSA PRÆJUDICIO MAJORE. *Ubi ostenditur, eos, qui sæpè hortantur nos præjudicia omnia ponere, hoc ipsum ex præjudicio majore plerumque dicere.* Ibidem examinatur, quomodo Autor libri: *Spiritus Legum*, in hoc argumento versetur...

IV. DIATRIBE CIRCA METHODUM WOLFFIANAM *in Philosophia Practica Universali*, hoc est, *in principiis Juris Naturæ statuendis adhibitam, quam non esse methodum scientificam ostenditur.*

V. *Regnum Rationis hodiernum nihil præstantius est vetere, & multos de regno rationis multa crepantes confusè & indefinitè loqui demonstratur...* Quæ omnia separatim prodiêre *Pedeponti* apud eundem Bibliopolam an. 1752. in 4. In his verò opusculis maximè retunditur frivola Heterodoxorum garrulitas.

Immedietas Ordinis S. Benedicti contra abusus Advocatiæ & sensim imminentem superioritatem territorialem Regionum Dominorum, ex historia, jure, necnon documentis fide dignis asserta an. 1751. in fol. sine loco & Authore...

SECTIO III.

SCRIPTORES APPENDICUM JURIS ECCLESIASTICI.

APpendicum nomine veniunt libri de Divinis Officiis, cujusmodi sunt *Breviaria, Ritualia, & Missalia*; verùm his præmittendi sont, qui vel generales vel particulares Tractatus *de Divinis Officiis* ediderunt. Unde fit

§. I.

Scriptores Librorum, quibus in communi tractatur de Divinis Officiis.

S. ACCA Hagustaldensis in Anglia Episcopus scripsit *Officiarium Ecclesiæ*, seu *De Ecclesiasticis sui Chori Officiis.* Baleus lib. 1. c. 90. Pitseus, & Possev.

S. STURMIONIS seu *Sturmii*, Abbatis Fuldensis *Ordo Officii in domo seu ecclesia Frisingensi ante Pascha* à Mabillonio ex Bibliotheca Casinensi erutus, & tomo IV. Analectorum pag. 454.

454. vulgatus sine nomine auctoris, quem tamen postea S. Sturmionem esse agnovit.

ALCUINI Liber *de Divinis Officiis*, sive *Expositio Romani Ordinis*. Prodiit sub Alcuini nomine in Collectione Hittorpiana Scriptorum ejusdem argumenti; in editione verò Operum Alcuini ab Andrea du Chesne accurata integris XII. capitulis auctior habetur. Verùm ab Alcuino non fuisse profectum, sed eidem suppositum, vel ex solo capite XL. probatur, quod est Tractatus Remigii nostri Autissiodorensis Monachi, de Expositione Missæ, ut de aliis posteriorum Authorum, atque adeò ipsius Alcuini scriptis, ex quibus consarcinatus est, nihil dicatur. Liber *de Divinis Officiis*, inquit Card. Bona, malè tributus Alcuino videtur, quia in eo citantur versus Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui vixit sub Ludovico Pio, quod etiam observavit Sirmondus in notis ad Theodulphum.

PAULUS DIACONUS Monachus Casinas jussu Caroli M. (qui anno 814. v. kalend. Febr. Aquisgrani diem clausit extremum, ætatis annorum 71.) ordinavit historias & lectiones per totum annum, singulis festivitatibus Sanctorum congruentes: quæ ejus dispositio ab Ecclesia tota observata est, & usque ad hæc nostra tempora inviolabiliter constituta. Servatur apud nos hæc etiam ordinationis nota ms. Vide epistolam Caroli Imperatoris de hac ordinatione scribentis, quæ homiliario Alcuini præponitur. Ita Joh. Bapt. Marus Commentario ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. pag. 14. Selegit igitur, teste Mario, Paulus Diaconus Pericopas illas Epistolarum & Evangeliorum cùm Dominicalium tum Festivalium, quæ singulis per annum diebus Dominicis, Festisque, populo publicè prælegi, atque è cathedra explicari consueverunt. Sunt tamen, qui Alcuinum hujus selectûs auctorem faciunt: alii ad Venerabilem Bedam referunt. Quicunque verò Benedictinus has Pericopas, in eum, quem nunc tenent, ordinem congesserit, à plerisque Calvinistis, nec paucis Lutheranis, ac si sacram prodidisset paginam, indignis modis vapulat. Audiamus, quàm abjectè & contumeliosè has Pericopas habeat Joh. Jac. Wissenbach Diatribæ de Mutuo præfatione ad lectorem: *Non secùs certè Isnerius in compilandis istis Authenticis fuisse videtur, ac Paulus Warnefridus, qui Caroli M. jussu Textus Dominicales, ex Epistolis & Evangeliis excerpsit judicio adeò nullo, ut eorum quidam nec caput habeant, nec caudam.* Nec modestiùs scribit Königius Biblioth. Vet. & Nov. pag. 836. *ex Amamæ oratione de barbarie.* „Olim in majoribus Ecclesiis semel quotannis universa Biblia à capite ad calcem prælegebantur: duravitque laudabilis illa consuetudo ad annum usque Christi 808. Tunc enim *Paulus Warnefridus* Caroli Magni jussu textus dominicales ex Epistolis & Evangeliis excerpsit, judicio adeò nullo, ut eorum quidam nec caudam, nec caput habeant. Hac ergo occasione factum est, ut ista tantùm Scripturæ fragmenta populo prælecta & exposita sint. Ipsis ministris mollem pigritiæ lectum hoc compendio adornavit Satanas, multósque è populo in eam traxit sententiam, istis fragmentis universam Scripturam contineri. Observatum autem est à Viris cordatis, in eundem annum 4. ecclipses incidisse, ac inde non ineptè conjectatum, Deum istis Luminarium obscurationibus de tenebris Ecclesiæ immoentibus voluisse concionari." Hæc ille. Quæ verò non acerbè modò & contemptim, sed protervè etiam & petulanter esse scripta, fatetur ultrò Vincentius Placcius, ipse Lutheranus, de Scriptoribus Anonymis cap. 2. n. 720. pag. 112. col. 2. Nam, ut ibidem asserit, istæ Evangeliorum & Epistolarum Pericopæ non in Ecclesia Pontificia modò, sed pòst à Lutherana etiam, & bóna parte Reformatarum quoque Ecclesiarum receptæ & approbatæ fuerunt.

Prætereà *Paulus Diaconus* jussu Caroli M. composuit *Homiliarium*, vel certè quidem ab Alcuino adornatum elimavit. Ante & diu post tempora Gregorii M. inquit Sixtus Senensis, nondum in Ecclesia ordinata fuerant *Lectionaria*, ut vocant; sed in arbitrio Episcoporum & Prælatorum erat, assignare libros, unde lectiones desumerentur. Primus id feliciter aggressus esse videtur Carolus Magnus, qui per manum Pauli Diaconi Cassinensis duo volumina ex SS. Patrum Homiliis & Sermonibus per anni circulum legenda confecit cum hoc titulo: *Opus præclarum omnium homeliarum, & postillarum venerabilium ac egregium doctorum Gregorii, Augustini,* Hie-

Hieronymi, *Ambrosii*, *Bedæ*, *Herici*, *Leonis*, *Maximi*, *Johannis Episcopi*, *atque Origenis integraliter de Tempore*, *& de Sanctis per totius anni circulum*, *cum quibusdam eorum sparsim interpositis sermonibus hinc inde suis locis collectis*, *& coaptis temporibus in partem hyemalem ac æstivalem divisum.* Quod quidem opus ab Alcuino adornatum Paulus Diaconus jussu Caroli M. elimavit. Extat ea de re epistola Caroli omnibus religiosis Lectoribus suæ ditionis inscripta, quam publici juris fecit noster Mabillonius Tom. I. Annal. in qua asserit [ad nocturnale officium compilatas quorundam casto labore, licèt recto intuitu, minùs tamen idoneè lectiones.] Antequam verò prædictum lectionarium Paulus concinnaret, auctorum eorum, quorum homiliæ recitabantur in divinis Officiis, nomina haud præcinebantur, uti Carolus (y) in præfata epistola est auctor. Observat tamen Mabillonius Tom. I. Analect. insertas fuisse in illud Homiliarium quasdam recentioris ævi Scriptorum, viz. *Herici* Monachi Autissiodorensis, quem Paulo Diacono vita functo, ætatem egisse constat, Carolo Calvo imperii habenas moderante. Ex quo etiam liquet, allatum *Homiliarii* titulum à Paulo Diacono haud potoisse proficisci, cùm pariter in eo mentio *Herici* fiat. Adjectæ etiam sunt huic Homiliario Haymonis Episcopi Halberstadiensis homiliæ, qui pariter post Pauli Diaconi obitum claruit, quod argumento est, huic Pauli Diaconi collectioni diversis temporibus additiones accessisse. Vocatur verò Paulus Diaconus ab Helvico in Theat. Histor. *Postillarum Scriptorum omnium primus.*

ALCUINI Homiliæ præstantissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum, jussu Imper. Caroli M. in hunc ordinem redactæ, & nunc locupletatæ homiliis doctissimis *Eusebii Emisseni* &c. Coloniæ an. 1557. Prima hæc est omnium Postillarum, liber non obvius.

B. RABANI MAURI *Libri de Institutione Clericorum*, in quibus de Divinis Officiis præcipuè agitur, libro præsertim secundo. Extant Operum Tomo VI. & apud Melch. Hittorpium inter Scriptores, qui de divinis Catholicæ Ecclesiæ Officiis ac ministeriis scripserunt pag. 312. seq.

WALAFRIDI STRABONIS *Liber de exordiis & incrementis rerum ecclesiasticarum* ad Venerandum in Christo Patrem Regimbertum, editus primò inter alios Scriptores similis argumenti curâ Joannis Cochlæi Moguntiæ an. 1549. in fol. Et inter Scriptores de divinis Officiis Melchioris Hittorpii studio & cura ad Mss. Codices collatos & editos an. 1568. Coloniæ, & Parisiis an. 1610. pag. 661. in fol. Insertus inde in Bibliothecam Patrum editionis Parisiensis an. 1575. tom. IV. col. 533. 1589. tom. 6. col. 667. 1610. tom. 10. pag. 661. Coloniensis editionis 1618. seculo IX. parte 1. pag. 950. Denique editionis Parisiensis 1624. tom. XV. p. 661. ut alias prætermittam. Vid. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 75.

AMALARII Abbatis Metensis Libri IV. *de Divinis Officiis*, & Liber de Ordine Antiphonarii, in quo cùm Lugdunensis Ecclesiæ morem aliquoties reprehendisset, Clericorum ejus Ecclesiæ, immò etiam Agobardi Antistitis & Remigii ejus Successoris stomachum in se excitavit, & pro censura liberiori duriora convitia reportavit. Mabillonius Præf. II. in Sec. IV. Act. O. S. B. §. II. pag. 525. Prodierunt verò *Amalarii* quatuor Libri *de Divinis Officiis* in Melchioris Hittorpii Collectione Scriptorum de Divinis Officiis, Coloniæ 1568. in fol. Vide plura apud Fabric. in Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 219. Confer etiam Cl. Eggium Purpuræ Doctæ Lib. I. pag. 8. ubi quatuor hosce libros non Metensi Amalario, sed Trevirensi ex Monacho Luxoviensi Archiepiscopo tribuit, Constantinum Cajetanum, Robertum Bellarminum, & alios secutus. At enim Amalarius Trevirensis jam naturæ concesserat, quando libri de Officiis ad Ludovicum Pium post annum 819. scripti fuerunt. Illud Eggio non abnuendum est, quòd Amalarii Trevirensis diligentia Ecclesiasticis Officiis, Cæremoniis, ac Ritibus non pauca accesserint. Observantissimus enim divinorum Rituum ac Officiorum inspector, ad Dei laudem & gloriam ac sanctæ illius Ecclesiæ decorem & utilitatem plurima rimatus est, multa etiam emendavit, restituit, ac composuit. Quæ omnia postmodùm luci publicæ (magno rei Christianæ commodo) donata fuêre.

ADEMARI ex illustri Familia Chabanensi Monachi Engolismensis in monasterio S. Eparchii Supplementum ad

(y) apud Martene in Commentar. in cap. IX. Reg. S. B. pag. 272.

ad Librum IV. Amalarii Opus *de Divinis Officiis*, quod Mabillonius è tenebris erutum luce publica donavit Tomo 2. Analect. pag. 56. vet. edit. nov. pag. 93. Claruit Ademarus circa an. 1030.

ANGELOMUS Luxoviensis in Burgundia Monachus claruit insigni eruditione ac doctrina sub medium Seculi IX. atque præter alia nobile Opus *de Divinis Officiis* composuit, quod commemoratur à Trithemio in Annal. Hirsaug. pag. 15. & de S. E. cap. 2. p. 66.

GREGORIUS VII. ad Alphonsum Castellæ & Sanctium Arragoniæ Reges de Gothico Officio penitus in Hispaniis abrogando epistolas dedit, quæ sunt n. 63. & 64. lib. 1. Aliis verò literis Sanctio gratias egit, quòd in ditione sua Romani Ordinis Officium fieri studio & suis jussionibus perfecerit. Illius mutationis hanc unam affert rationem, quòd Hispanica ecclesia suam originem à Romana trahat, cum qua magnam semper habuit concordiam. Mozarabicum Officium in aliis Hispaniæ regnis perseveravit usque ad tempora Urbani Papæ II. núncque in capella Toletanæ Ecclesiæ ex concessione Rom. Pontif. retinetur. Erroribus igitur non scatet, ut malè quidam opinati sunt, qui tamen nullos proferunt. Operâ denique *Monachorum Cluniacensium* Episcopi Hispani Romanum Officium recepere, abrogato jam in multis locis Mozarabico. Lud. du Mesnil de Doctr. & Discipl. Eccl. tom. IV. p. 146. Confer etiam Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. XI.

B. PETRI DAMIANI S. R. E. Cardinalis *De septem Horis Canonicis*, ubi capite postremo etiam Horarum septem B. Virginis fit mentio. Extat Opp. Tom. III.

– Liber, qui inscribitur *Dominus Vobiscum*, an hæc verba in solitudine ex Officio omittenda? ad Leonem Eremitam. l. c. inter Opuscula ordine undecimum.

– *Orationes* sive *Preces* & Litaniæ, Hymni, Lectiones, Missæ & Responsoria. Tom. IV. Opp.

RUPERTUS TUITIENSIS ABBAS Libros XII. scripsit anno MCXI. *De Divinis Officiis*. Quos libros cùm ipse in Catalogo suorum Operum recenseat Lib. I. in *Regulam S. Benedicti*, in Epistola ad Cunonem Episcopum, & in Epistola ad Romanum Pontificem, eosdémque *Trithemius* Abbas, & *Reinerus* S. Laurentii monachus agnoscant, mirum est, inquit Natalis Alexander, quòd Thomas Waldensis, Dominicus Soto, Alanus, Sanctius, & Vasquezius *Voleranno* adscribant. Quorum argumenta ipse strenuè refellit, eósque libros Ruperto vindicat. Hist. Eccl. Sec. XI. cap. VI. art. VIII. Tom. VI. pag. 521. col. 1. Et verò quis audiendus est contra testimonium ipsius *Ruperti*, qui in epistola ad Romanum Pontificem lucubrationes suas recensens ait: *Scripseram & ante hæc omnia Opusculum de Sacramentis, sive Officiis divinis per circuitum anni, distinctum libellis sive Tomis duodecim.* Prodierunt hi libri XII. Coloniæ per Michaëlem Hittorpium an. 1568. Romæ 1591. Paris. 1610 & alibi sæpiùs; habentur etiam in Bibliothecis Patrum.

DROGO ex Abbate Laudunensi Episcopus Ostiensis, & S. R. E. Cardinalis scripsit

De Divinis Officiis, seu *Horis Canonicis*. Vid. Bibl. PP. Lugdun. Tom. XXI. pag. 345.

ORDONIUS Hispanus, Monachus & Prior Monasterii Cellæ-Novæ in Gallæcia Congr. Cluniac. scripsit *Exomologeses*, Ambrosius Morales titulum edit *Expomonogeron*, aítque esse instar *Rationalis Divinorum Officiorum*, cui præfixi versiculi anum 1227. æræ Hispanæ (Christi 1189.) denotant:

Ordonius Librum per Christum condidit istum
Bis denis annis septem supra mille ducentis.

Videsis Fabricium Biblioth. med. & inf. Lat. Tom. V. pag. 505.

GUILIELMI MALMESBURIENSIS *Abbreviatio de Divinis Officiis*, Roberto quodam amico suadente facta, eidémque nuncupata, extat MS. in Bibliotheca Lambethana, cujus præfationem unà cum duobus epilogis à Joanne Batelo acceptam edidit *Petrus Alix* Theologiæ Doctor Reformatæ seu Calvinianæ Ecclesiæ ad calcem suæ præfationis in librum Joannis Parisiensis pag. 82. Vid. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 1095.

JOANNES THANNATENSIS, Anglus, Monachus Cantuariensis, & ibidem Chori Præcentor. Vir pius & eruditus, atque mathematicarum scientiarum, præsertim Musices peritissimus. Ita dilexit decorem domûs Dei, ut omne suum tempus, omnes labores in ornatu templorum, in Musica excolenda, & in sacris ceremoniis, officiisque ecclesiasticis ordinandis,

dis, ut omnia decenter fieri possent, libenter impendit. Atque ut hujus piæ diligentiæ, diligentisque pietatis memorabilia post se relinqueret exempla, scripsit *De Officiis Cantuariensis Ecclesiæ Lib. un.* Quia propter diversas. Clar. an. 1330. Vid. Pits. æt. 14. pag. 424.

FACUNDUS DE TORRES, Hispanus, ex oppido Sahagun, Sacræ Theologiæ Magister, domúsque regiæ S. Benedicti Patriarchæ ejusdem loci semel atque iterùm, tertióque Præfectus Philippi IV. Ecclesiastes typis edidit

Filosofia moral de Ecclesiasticos: scilicet de Officiis eorum, ex quo ad primos Ordines admittuntur, usque dum sacros percipiunt ritè, ac ex muneris dignitate adimplendis. Barcinone an. 1620. in fol. apud Steph. liberos.

Decessit creatus jam Archiepiscopus Insulæ S. Dominici apud Occidentales Indos, anno MDCXLVI. kal. Octobr. multâ virtutum fama. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. tom. 2. p. 277.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *VII. Horæ Canonicæ* cum fig. Augustæ Vindel. in 8. an. 1608.

— EJUSDEM *Thuribulum Aureum*, in quo thymiama suavissimi odoris offertur, i. e. de *VII. Horis Canonicis* Syntagma. Aug. 1622. in 8. apud Saram Mangiam.

EDMUNDI MARTENE è Congr. S. Mauri *Tractatus de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis varios diversarum Ecclesiarum ritus, & usus exhibens Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, Angliæ, & maximè Galliæ*, in 4. Lugduni, sumptibus Anisson & Joannis Posuel. an. 1706. Hic Tractatus est liber quartus universi Operis de Antiquis Ecclesiæ Ritibus.

ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Cardinalis *Officium veteris Græciæ Quadragesimale* in Latinum sermonem à se conversum Diatribis illustravit, quod sub hoc rubro lucem aspexit:

Officium Quadragesimale recognitum & castigatum ad fidem præstantissimi Codicis Barberini, in Latinum sermonem conversum, atque Diatribis illustratum curâ & labore D. Angeli Mariæ Quirini, Veneti, Abbatis S. Mariæ de Florentia, Sac. Ind. & Rit. Consult. & S. R. & Univers. Inquis. Qualif. sanctissimo D. N. Innocentio XIII. dicatum Tom. I. Romæ an. 1721. typis Galeatii Chracas.

— *Diatribæ ad priorem partem veteris Officii Quadragesimalis Græciæ Orthodoxæ*, Authore D. Angelo Maria Quirino Veneto Abbate S. Mariæ de Florentia Romæ an. 1721. apud eundem. Author ob insigne hoc Opus ab Innocentio XIII. ad Corcyrensem Episcopatum evectus fuit.

Diatribæ autem sunt istæ: 1.) De origine & antiquitate sacræ Græcorum Synaxeos. 2.) De Authoribus Officii proprii Quadragesimalis Græcorum. 3.) De Dominicis, Hebdomadibus Quadragesimalibus Græcorum. 4.) De erroribus, quibus edita Officia proprii Quadragesimalis Græcorum exemplaria conspurcantur, quibúsque omnino vacant véteres Codices MSS. 5.) De Triodiis, & Theotociis Quadragesimalibus. 6.) De veteri Quadragesimali Græcorum Typico. Exspectabatur verò altera Operis pars, typis Brixinensibus imprimenda, ubi Cardinalis tunc ejusdem Urbis Episcopus residebat. An verò lucem aspexerit, ignoramus, cùm Armell. in Bibl. Casin. part. 1. pag. 45. ubi primam partem recenset, nullam alterius faciat mentionem.

— EJUSDEM De priscis hymnographis Græcæ Ecclesiæ Diatriba, post Romanam editionem anni 1722. nuperrimè aucta, adjectóque ad calcem Græcorum enchiridio, Beneventanis typis an. 1727. primùm edito, nunc verò secundis curis recognito.

Gloriosorum Christi Confessorum Udalrici & Symperti, nec non beatissimæ Martyris Aphræ, Augustanæ Sedis Patronorum quàm fidelissimorum historia: cum Horarum de eis, prout San-Udalricano in Cœnobio petcelebri observantur Canonicarum, observatione, cuilibet easdem devotionis causa persolvere volenti, habundè satisfacientes. Imprimebat ejusdem expensis cœnobii Silvanus Ottmar anno 1516. in 4.

§. II.

Qui Breviaria, & quæ in iisdem continentur, composuerunt.

S. GREGORII M. *Liber Responsalis*, seu *Officialis*, in quo Cursus Ecclesiasticus tam pro nocturnis, quàm diurnis horis in ordinem digestus continetur. Est verò *Sacramentarii* liber tertius, atque antiphonas, responsoria & versus complectitur, quæ nostris adhuc temporibus cantari solent in Cursu Ecclesiastico, nempe in officio nocturno, & in matutinis laudibus

bus atque vespertinis. Fatendum tamen est, huic Antiphonario multa esse intexta, quæ ævo Gregorii posteriora habentur, e. g. Antiph. & Responsoria in *Vigilia*, id est, officio nocturno B. Benedicti Abbatis, scilicet mensis Julii die undecima; quæ nunc ejus Translationi celebrandæ assignatur. Officia Sanctorum Germani, Medardi, Vedasti, quorum in Gallia & Belgio celebris est memoria. S. Gregorius etiam Hymnos, qui diebus Dominicis per annum ad Matutinum, Laudes & Vesperas dicuntur, aliósque plures composuit.

S. LEANDER *ex Monacho Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Bæticæ constitutus Episcopus..... In toto Psalterio duplici editione Orationes composuit.* Ita Isidorus Lib. de Vir. Illustr. Has Orationes Cardinalis Thomasius in Commentario suo in Psalmos edidit, & ad calcem cujuslibet Psalmi subjecit.

AMALARIUS FORTUNATUS ex Luxoviensi Monacho Archiepiscopus Trevirensis ab anno Christi 810. *Officium Defunctorum* omnium primus congessit, in ordinem redegit, ac instituit, ut sacræ preces in promptu essent, quæ pro fidelibus defunctis perpetuò recitari possent. Hanc postmodùm defunctorum Officii institutionem sancta Dei Ecclesia piis fidelium Manibus opem & suffragium latura non modò Auctoritate Apostolica commendavit, & approbavit; sed & in usum comunem & praxim ubivis gentium & locorum fidelium redegit. Ex quibus illorum error, qui sancto *Odiloni* Cluniacensium Abbati, non *Amalario Fortunato*, hujusmodi laudem attribuunt, manifestè apparet. Sanctus námque Odilo (ut Martyrologii auctoritate, B. Petri Damiani, aliorúmque attestationibus, ipsiúsque S. Odilonis decreto edocemur) solemnem illam omnium fidelium defunctorum Comemorationis diem celebrandam quidem decrevit, non tamen ipse, sed Amalarius mortuorum Officium adornavit. Eggs Purp. Doct. lib. 1. pag. 8.

SMARAGDUS Abbas Monasterii S. Michaëlis in pago Virdunensi Lectiones & Evangelia in divinis Officiis legenda per circulum anni exposuit. Honorius Augustoduni lib. 4. de Luminaribus Ecclesiæ cap. 6. apud Mabill. in Analect. nov. edit. p. 357.

S. SALVIUS, Abbas Alveldensis propè Locronium in finibus Navarræ & Castellæ veteris an. 962. ad Superos translatus hymnos, orationes, versus, ac missas composuisse dicitur, in quibus ejus pietas ac devotio cluebat, sed hæc omnia excidisse putat Mabillonius Annal. tom. 3. pag. 562. Ex verbis autem Anonymi apud Garziam Loaysa in Collectione Concil. Hispan. pag. 774. æstimare licet, quòd adhuc extent; ita enim loquitur: „ *Salvius* „ Abbas Albicidensis Monasterii...., „ cujus oratio in hymnis, orationibus, „ versibus, ac Missis, quas illustri „ ipse sermone composuit, plurimam „ cordis compunctionem ac magnam „ suaviloquentiam legentibus audi„ entibúsque tribuit. Obiit tempo„ ribus Garsconi Christianissimi Re„ gis, & Theudemiri Pont. v. Idus „ Febr. *æra millesima*, h. e. anno 962. Quando autem iste Anonymus vixerit, ac scripserit, pro comperto non habeo: fieri facilè potuit, ut ab ejus excessu, quæ legisse præfert, *Salvii* scripta exciderint.

RATPERTUS Senior, Monachus San-Gallensis, edidit Litaniam carminicè: *Ardua Spes mundi &c.* quam Nicolaus III. Papa approbavit, & San-Gallenses Patres solemniter in Rogationum diebus, non sine affectu decantare consueverunt. Fecit etiam versus ad Processiones, quorum aliquos se vidisse in Bibliotheca scribit Mezlerus. Item & Hymnos de S. Gallo, *Annue sancte.* De S. Othmaro: *Festum sacratum. Laudes Omnipotens ferimus.* Jodoc. Mezlerus de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. cap. 23. qui veterum San-Gallensium Patrum Hymnos, ac Litanias in unum libellum congessit, quem Henricus Canisius Tom. V. antiqq. Lect. excudit.

HERIGERUS, Abbas Lobiensis, qui vitam ad annum usque septimum Seculi XI. produxit, auctor habetur duarum Antiphonarum in honorem S. Thomæ Apostoli, scilicet *ô Thoma Didyme!* & *ô Thoma Apostole!* & Hymni de Beata Virgine: *Ave perquam* &c. Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. X. cap. 3.

HERMANNUS CONTRACTUS, insigne Augiæ Divitis decus ac Ornamentum, scripsit Historias, sive Officia Annuntiationis B. Virginis & S. Mariæ Magdalenæ, Historiam etiam seu Officium de SS. Angelis, Responsorium *Bar Jona* &c. Antiphonas celeberrimas totique Ecclesiæ acceptissimas *Salve Regina* & *Alma Redemptoris* &c. Jo. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. pag. 11. c. 28.

B. PE-

B PETRI DAMIANI S. R. E. Card. & Episc. Ostiensis Hymni & Rythmi varii de S. Cruce, B. Virgine, Sanctis Apostolis, Martyribus, aliisque Cœlitibus & rebus sacris, extant Opp. tom. IV.

S. LEONIS IX. Rom. Pont. priùs ex Monacho Benedictino Episcopi Tullensis, *Brunonis* nomine, Responsoria in veneratione *Martyris Cyriaci* & *Hidulphi* Archiepiscopi Trevirensis, *B. Odiliæ* Virginis, & *B. Gregorii* Doctoris & Pontificis, Anglorum Apostoli: & quæ Metis transiens Sigefridi Abbatis Gorziensis precibus composuit, *B. Gregorii*, aliis Gorgonii Presbyteri Martyris *Nocturnalia Responsoria*; quæ omnia Lud. Jac. à S. Carolo Bibliotheca Pontif. pag. 150. S. Leoni Papæ attribuit. At enim quo jure? nam

HUMBERTUS Mediani-Monasterii monachus doctissimus an. Chr. 1044. Laudes, seu Responsoria, ut vocant, Sanctorum *Cyriaci* Martyris, *Gregorii* Papæ, *Hidulphi*, ac *Deodati* Episcoporum, nec non *Columbani* Abbatis, & *Odiliæ*, seu *Othiliæ* Virginis rythmicè ac metricè composuit, eáque Brunoni Episcopo *decantanda*, seu *modulanda*, id est, in cantum redigenda tradidit, ut Richerius & Johannes de Bayone testantur. Utrique igitur *Leoni* & *Humberto* memorata Responsoria attribui possunt. Leoni quidem, quia Modulos Musicos, Humberto autem, quia textum composuit. Hinc nata familiaritas Brunonem inter atque Humbertum, qui Bruno summus Pontifex creatus, Humbertum secum in Italiam duxit, eúmque postea Cardinalem, & Sylvæ-Candidæ Episcopum creavit. Mabill. Annal. tom. IV. an. 1044. p. 459.

WITMUNDUS Montis S. Trinitatis propè Rothomagum Monachus grammaticæ artis & musicæ, teste Orderico lib. 3. pag. 485. peritissimus, multa Sanctorum divina Officia composuit, & cantû illustravit. Claruit circa an. 1063. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 641.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis adhuc junior scripsit *Hymnum Saphicum de Spiritu Sancto*, quem integrum describit lib. XII. in Mathæum *De gloria Filii hominis*, & *Hymnum Jambicum* de eodem, qui ad calcem lib XII. legitur. Presbyter factus scripsit *Cantus de Sanctis Theobaldo Martyre, Goare, & Severo Confessoribus*. Vide ejus Opera.

GOFFRIDI Abbatis Vindocinensis, & S. R. E. Cardinalis *Hymnus de S. Maria Magdalena*, qui est inter ejus Opuscula à Jac. Sirmondo typis vulgata decimum octavum.

BENEDICTI, Monachi Cluniacensis, *Psalterium Glossatum*, de quo Petrus Venerabilis lib. 1. Mirac. cap. 20. *Psalterium Glossatum* semper circumferebat, quoniam psalmos non perfunctoriè, ut quibusdam moris est, sed summâ cum intentione atque devotione cantabat. Ubi siquid, quod non intelligeret, offendisset, ad glossas statim oculos convertebat. Ex quo tamen rectè, opinor, conjici potest, quòd ipse glossas non fecerit, nisi fortè suæ ipsius expositionis non meminerit.

ADALBERTUS monachus Blandinii composuit Officium de S. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, jussu Elfegi Primatis Cantuariensis. *Mabill. l. c. p. 190.*

GERHARDUS, Monachus S. Quintini de Insulis, oppido Flandriæ, oriundus Seculo XIII. Officium de S. Elisabetha Thuringiæ Landgravia, & Cantus ad omnes horas composuit. *Tritbem. Annal. Hirsaug. tom. 2. p. 35.*

Officium Ecclesiasticum *de B. Bertholdo* Abbate Garstensis Monasterii in Super. Austria, quod ejus loci Cœnobitæ festa B. Bertholdo die olim decantârunt. Extat integrum unà cum Missa de eodem pientissimo Abbate in mss. Cod. Monasterii Mellicensis, ex quo Hymnos aliquot perantiquos, Collecta, & Orationes Hieronymus Pezius Tom. II. Scriptor Rer. Austr. pag. 137. seq. edidit.

JOANNES DE TINMOUTH, Monachus S. Albani in Anglia Sec. XIV. claruit ac scripsit *Lectionarium Ecclesiæ*. Lib. 1. vid. Baleus de Scriptor. Angl. & Gesnerus in Epitome Biblioth. pag. 506.

HUCBALDI Monachi Elnonensis Hymni de S. Theoderico Presbytero & discipulo S. Remigii extant in Actis SS. Julii tom. 1. pag. 82.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Cursus septem Horarum Canonicarum, Officiique Divini pro festo S. Annæ & S. Joachimi.* Deinde variæ Orationes & Sequentiæ in honorem Christi & Sanctorum Hildegardis, Ruperti Ducis *Bingionum* &c. extant in Paralipomenis à Joan. Busæo editis Moguntiæ an. 1605. & Colon. 1624. in 8.

GAR-

GARCIÆ A CISNEROS Montis Serrati in Hispania Abbatis verè Venerabilis *Excitatorium Spirituale, & Directorium Horarum Canonicorum.* Coloniæ in 12. apud Constantinum Munich an. 1644.

ARNOLDI WION Officium B. M. V. quod Venetiis asservatur in S. Georgii Majoris Bibliotheca sign. nom. 327. hoc titulo: *Arnoldi Wionii Officium & Rosarium, sive Corono Nominis B. M. V.* differt autem toto cœlo ab Officio & Rosario communi B. Virginis, & ad ejus calcem leguntur Censorum approbationes pro impressione. Armell. Bibl. Scriptor. è Congreg. Casin. part. 1. pag. 56.

ALARDI GAZÆI, Vedastini, Atrebatis *De Officio* seu *Horis B. Mariæ Virginis* Collectanea Disquisitio omnibus Religiosis, cæterisque Ecclesiasticis, aliisque Divæ Virginis Cultoribus perutilis: accessit ejusdem Authoris altera Disquisitio de Officio Defunctorum, Psalmis Gradualibus & Pœnitentialibus, Litaniis &c. Atrebati ex officina Guillelmi Riverii sub signo boni Pastoris. 1612.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani in Suevia, *Thuribulum aureum*, seu de 7. Horis Canonicis Syntagma. Aug. Vindel. 1522.

HIERONYMUS CATHANEUS, Italus Patavinus, è Congr. Casin. vir quàm pius tam doctus, præter Officium & Missam de *S. Benedicto* composuit etiam in ejusdem laudem decantatissimos illos duos Hymnos, qui in Benedictinis Breviariis impressi sunt, & canuntur in festo ejusdem, nempe ad Vesperas *Laudibus Cives &c.* ad Matutinum, *Quidquid antiqui cecinere Vates &c.* Diem clausit extremum an. 1554. Ita Armell. part. 1. p. 211. Hymnus verò ad Laudes *Inter æternos Superum coronas* compositus fuit à Petro Mauritio, cognomento *Venerabili* Abbate Cluniacensi; constat Strophis IX. quarum priores IV. recitamus ad Laudes, reliquas vide in Bibliotheca Cluniacensi pag. 1350. & Bibl. PP. Lugdun. edit. tom. 22. pag. 1131.

ANGELUS A NUCE, Abbas Casinensis, juris publici fecit in appendice ad Chron. Casin. quod Notis illustravit,

Officium S. P. Benedicti à mille annis Casini celebratum. Item *Officium B. Mariæ Virg. à mille annis Casini celebrari solitum quotidie.*

In sacro Monasterio Casinensi à nongentis, & propè mille annis præter divinum Officium in Regula præscriptum recitari consueverunt parva Officia B. Virginis & S. P. Benedicti, ex præcepto Gregorii III. & Zachariæ Pontificum, prout testatur Petrus Diaconus in expositione cap. 64. Regulæ.

JOANNIS MABILLONII *è Congr. S. Mauri Hymni in laudem S. Adalbardi & S. Bathildis Reginæ, Officia Ecclesiæ Corbeiensi propria vel nova edita vel vetera emendata; quæ omnia in unum collecta typis vulgata sunt ad ejusdem Ecclesiæ usum.* - - - Quo tempore Mabillonius in flore juventutis gravem capitis morbum ex nimio pietatis ac literarum fervore contraxerat, Corbeiam veterem à Superioribus missus fuit. Dum verò in tot sanctorum hominum, qui monasterium illud olim pietate, ac eruditione suâ illustrârunt, vitas, & historiam, quò exemplis eorum accendi posset, animum confert; incidit in historiam Adalbardi, sanctissimi quondam Corbeiensis Abbatis, cui præ cæteris impensiùs studuit. Cúmque legisset, Sanctum Gerardum, Corbeiensem undecimo seculo monachum, eâdem fermè corporis infirmitate laborantem, atque ipse tunc conflictabatur, Adalhardi precibus & meritis convaluisse; eadem spe, & ipse fretus sanctissimum Abbatem humilibus continuísque precibus rogavit, ut, quod olim Gerardo præstiterat, sibi non denegaret. Nec vana spes fuit: quæ enim medicamenta tenacis morbis vis hactenus vicerat, eadem effectum paulatim sortita, acerrimum ac diuturnum capitis dolorem levare primùm cœperunt, ac demum penitùs pepulerunt. Reddito sibi Mabillonio prima cura fuit meritas Adalhardo gratias referre. Et ut in hoc etiam insisteret Gerardi vestigiis, qui, ut gratum se præberet in beneficum sibi Sanctum, ejus vitam, antiphonas, & responsoria in ejus festo decantanda composuerat; ipse accepti beneficii memoriam significare studuit, editis in Adalhardi laudem hymnis, qui etiam nunc in Abbatia Corbeiensi in illius festo cani solent. Hoc primùm Mabillonii peritiæ specimen Corbeiensibus probatum cùm fuisset, ab iis rogatus hymnos etiam in laudem S. Bathildis Reginæ composuit: tum ad alia ejusdem Monasterii Officia propria manum admovit,

movit, & vel nova edidit, vel vetera emendavit: quæ omnia in unum collecta typis edita sunt ad usum Ecclesiæ Corbeiensis. *Theoderic. Ruinart in vit. Mabill.*

DOMINICUS FOURNIER è Congreg. S. Mauri magno numero Officia Sanctorum, quorum festi dies majori solennitate in diversis celebrantur ecclesiis, composuit; è quibus Officium S. Anselmi Abbatis Beccensis, & Archiepiscopi Cantuariensis formis æneis exscriptum fuit Rotomagi an. 1721. apud viduam Vautieri. Vid. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 135.

GUILLELMI HUGONIS VAILLANT è Congreg. S. Mauri excellentis Rhetoris ac Poëtæ in honorem præcipuorum Familiæ Benedictinæ Sanctorum *Hymnos* varios, eósque magnæ elegantiæ composuit. Item *totum S. Mauri Abbatis, ac Beatorum Eutropii & Eustellæ Officium*. Le Cerf. l.c. pag. 487. Pez Bibl. Maur. lib. 1. c. 9.

JOACHIMI Abbatis Fischingani in Helvetia *Cymbalum Spirituale bene sonans*, id est: Notabilia documenta, quomodo septem Horæ Canonicæ possint ac debeant cum devotione recitari. E Germanico in Latinum idioma translata. Augustæ Vindel. Sumptibus Mathiæ Wolff Bibliopol. an. 1727. in 16.

GREGORII DREHER, Monachi & Prioris Munasterii Prifflingensis *Directorium Clericorum*, seu *Tractatus de Horis Canonicis*, seu *Officio Divino*. Ratisbonæ typis Christophori Fischeri in 4. an. 1670.

GERMANI CARTIER *Dilucidatio Psalmodiæ Ecclesiasticæ*: Author ut rem commodam iis faceret, qui vel privatim legendo, vel divinis laudibus decantandis sanctissimè occupantur, concisissima, ac perspicua tamen comentatione Psalmorum dilucidationem exhibuit; cujus inter ipsam textûs lineam posita ea est perspicuitas simul & brevitas, quæ psallenti procul, ut eum vel in minimo turbet, propheticæ dictionis sensum momento aperiat. Opus judicio Censoris (*Leopoldi Neustyffter* S. J. Theologiæ Professoris in Universitate Friburg. Brisgoiæ) in quo non solùm elucet immensus labor tum in evolvendis SS. PP. testimoniis, tum aliorum tam antiquorum, quàm recentiorum interpretum authoritatibus, sed conjuncta claritas cum brevitate, profunditas cum sublimitate, ac antiquitas cum novitate. Quæ Celsissimi Principis atque Archiepiscopi Strigoniensis præclara de hoc Opere sensa fuerint, suprà à nobis commemoratum.

MAGNOALDI ZIEGELBAUR *Officium & Missa pro Festo Æternæ Electionis B. V. Mariæ in Matrem Dei.* Opus MSs. Author in Tractatu de Cultu Mysterii Immaculatæ Conceptionis an. 1737. typis excuso complura in medium attulit motiva, quibus Benedictinæ Familiæ Præsules incitari possunt, ut pro licentia celebrandi istius Festi Apostolicæ Sedi supplices offerant preces: Ipse verò in omnem, ut ajunt, eventum Officium & Missam pro Festo hoc non jam instituto, sed, ut sperare fas est, aliquando instituendo, concinnavit.

Breviaria varia Congregationum & Monasteriorum Ordinis S. Benedicti.

Breviarium Casinense à sexcentis ferè annis manu descriptum, è quo Mabillonius Hymnum de S. Mauro protulit. Vid. Tom. I. Act. Sanctor. Ord. S. B. pag. 302. ab hoc Breviario non diversum esse opinor illud, quod in eadem Bibliotheca asservatum Hymni, qui incipit *Te Deum laudamus*, & vulgò S. Ambrosii esse dicitur, auctorem præfert *Sisebutum*, monachum, fors Casinensem. Montfaucon Bibl. MSs. Codd. pag. 219.

Breviarium Augiense antiquum cum Officiis propriis Sanctorum Patronorum Augiæ Divitis. Plura alia MSs. in pergam.

Breviarium MS. in membranis 300. annorum in 4. asservatur in Bibliotheca Telleriana. Vid. Catal. pag. 188.

Breviarium Congregationis Casinensis Venetiis 1586. & 1601. in 8.

Breviarium Congregationis Bursfeldensis. Lovanii anno 1607. in 8. Antverpiæ ex Officina Plantiniana 1669. in 8. Mirari subiit, in eo festum S. Bonifacii, Germanorum Apostoli, prætermissum fuisse. Dicere liceat cum Othlono, vitæ Scriptore: *Quicumque filiorum ejus, Germanorum videlicet, agnito tanti Patris labore, non eum quantacunque prævalet, veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere debemus; Negligens invenitur.*

Breviarium Monasticum, ad usum sacri Ord. Clun. juxtà regulam S. Benedicti, & ad mentem Pauli V. Pont. Max. ordinatum à *Paulo Rabusson & Clau-*

Claudio de Vert, à Capitulo Generali anni MDCLXXXV. approbatum, mandato Emmanuelis Theodosii à Turre Arverniæ, Cardinalis Bullonii, Abbatis Ord. Clun. editum per Paulum Pelisson Fontanier. Parisiis Franc. Muguet & Gabr. Martin in 8. Vide Memorias Trevoltianas an. 1718. pag. 286. & de Joannis Bapt. Thiers Observationibus Ephemerides Eruditorum Parisiensium an. 1702. Tom. II. pag. 295. Tom. IV. pag. 171. Dupinii Bibl. Eccl. Tom. XVIII. pag. 283.

Aliud sed antiquius Breviarium Congregationis Cluniacensis Parisiis 1584. duobus voluminibus. Adhuc antiquius *Parisiis*, *Thielman Kerver* an. 1503. in 8.

Augiæ Majoris Brigantinæ Breviaria duo Pergamena in 8. perquàm antiquis characteribus & iconibus exornata.

Breviarium Monasticum Pauli V. Pont. Max. jussu editum pro omnibus sub Regula Ss. P. Benedicti militantibus, & ad correctionem Breviarii Romani Urbani PP. VIII. auctoritate recogniti (Hymnis exceptis) accuratissimè expolitum, ejúsque novis Sanctorum Officiis auctum. Tullii Leucorum ex officina Simonis Belgrand & Jo. Laurentii, Christianissimi Regis Typographorum MDCLIIII. in 4. Ibidem novis Sanctorum Officiis auctum, ac accuratiùs emendatum & expolitum ex officina eorundem Typothetarum an. 1673. in 8. 2. vol. Ibidem typis Alexii Laurent an. 1696. in 12. 2. vol. Prodiit etiam Breviarium Monastico-Benedictinum Pauli V. jussû Parisiis in 8. an. 1645. Aliud in fol. Venetiis apud Juntas. 1616. in fol. min.

Breviarium San-Gallense, typis Monasterii, cum Directorio Perpetuo. Roschachii. 1621. in 8.

Einsidlense duobus voluminibus in maj. 8. & quatuor minore forma in 8. iteratis vicibus impressum typis Monasterii.

Campidonense quatuor volum. in 8. sæpiùs recusum. Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi. Tullii Leucorum ex officina *Joannis & Francisci Laurent*. 1673.

Congregationis S. Mauri in Francia, anno ....

Congregationis S. Josephi in Suevia à R. P. *Gregorio Krug* Weingartensi concinnatum, duobus vastæ molis voluminibus, manus oppidò gravantibus, in maj. 8. an. 17... paucis gratum & acceptum.

Pannoniense Viennæ 1579. in 8.

Tegernseense 1577. fol. in duas partes distinctum, typis Monasterii. Item *Cursus Marianus*, seu Officium B. V. M. Regii Monasterii S. Dionysii in Francia. *Parisiis Joannes Amazeur*. 1550. in 8.

Monasterii S. Emmerami Ratisbonæ. Ex officina *Ederiana* an. 1598.

Breviarium juxtà ritum Cœnobii ad S. Emmeramum Ratisbonæ impressum Monachii expensis R.di in Christo, ac Dñi Dñi Blasii Abbatis ibidem 1571. in 4.

Breviarium secundùm ritum Religiosorum Monasterii S. Albini Andegavis. Parisiis 1521. in 8. 2. vol.

Monast. S. Melanii vetus editio in 8.

Monasteriorum SS. Maximini, Naboris, Willebrordi in Diœcesi Trevirensi an. 1600.

Breviarium Monasticum Latinum jussû Pauli V. ad usum Monialium Ord. S. B. dispositum, revisum & correctum secundùm Breviarium Romanum, novísque auctum Officiis plurium Sanctorum. *Parisiis Petrus Debats* 1690. *in* 8. 2. *vol.*

Breviarium Monialium Regii Parthenonis S. Mariæ Suessionensis.

Breviarium Monasticum, Latinè & Gallicè, ad usum Monialium O. S. Bened. cui plura Officia Sanctorum noviter approbata inserta sunt. *Parisiis Franciscus Barois an.* 1725. *in* 8. 4. *vol.*

Psalterium Monasticum dispositum per hebdomadam secundùm Regulam S. Benedicti cum Ordinario Officii de Tempore pro omnibus sub eadem prædicti S. Benedicti Regula militantibus; in quo Hymni novi, Officium Defunctorum, & alia multa inveniuntur. *Parisiis, Lud. Sevestre an.* 1707. *in fol.*

Psalterium Monasticum pro omnibus sub Regula S. P. N. Benedicti militantibus: cui addita sunt Propria Sanctorum Festa pro Austria Superiori & Inferiori, nec non pro Exempto Conventu Mellicensi in Austria, atque pro Bohemia & Hispania à S. Sede Apostolica approbata. Editio Nova. Neo-Pragæ typis Hampelianis impressit Johannes Mattis an. 1698. in 4.

Proprium Festorum Ecclesiæ abbatialis S. Geraldi civitatis Aureliacensis, de mandato D. *Herculis Manzueri*, ejusdem civitatis Abbatis & Comitis. *Tutellæ Daluy* 1662. *in* 8.

Proprium Congregationis Benedictino-Bavaricæ. Monachii 1714. in 8.

Proprium Abbatiæ Dominæ Nostræ *de Farmontier* Latinè cum Rubricis Gallico idiomate scriptis, continens Officia peculiarium festorum hujusce Monasterii secundùm ritum & usum Ordinis S. B. *Parisiis* Gilles Lamesse. 1716. in 8.

Bref des Festes & Offices propres de l' Abbaye de Nostre Dame de la Charité d' Angers, Ordre de S. Benoist. Corrigé & augmenté à l' instance de *Simonne de Maille Breze* Abbesse. Premiere partie pour le temps d' esté. *Angers Adam Mauger* 1637. *in* 4.

Proprium Sanctorum Sanctimonialium in Monte Salisburgi. 1528. in 8.

Proprium Festorum & Officiorum Monialium Benedictinarum Congregationis de perpetua adoratione Ss. Sacramenti, approbatum à Sede Apostolica. *Parisiis Joannes Herault* anno 1671. in 4.

Lectiones cum Responsoriis Breviarii Cluniacensis in omnibus solennitatibus & festivitatibus, per quatuor anni partes, juxtà Regulam S. Benedicti ad usum Sac. Ord. Clun. *Parisiis Gabr. Franc. Quillan an.*1726. *in* 12.

Horæ Canonicæ Breviarii Cluniacensis per 4. anni partes, juxtà Regulam S. Benedicti ad usum Sac. Ord. Clun. *Parisiis*, *Gabr. Franc. Guillan* an. 1726. in 12.

Horæ Latinæ & Gallicæ ad usum Ordinis S. B. unà cum septem Psalmis Pœnit. Hymnis, antiphonis, orationibus, aliisque Ecclesiæ precibus per totum añum. *Parisiis*, *Jacob. Vincent.* an. 1719. in 12.

Officium *S. Simeonis*, Monachi & Eremitæ Armenii Ord. S. B. juxtà Regulas Breviarii Rom. pro usu Monachorum S. B. de Padolyrone recognitum, additis D. Willelmi, ejusdem Cœnobii Abbatis piis orationibus in laudem SS. Trinitatis, & quædam alia devotissima. *Mantuæ*, *Aurelius & Lud. Osanna* an. 1617. in 8.

Proprium Festorum Exempti Monasterii Mellicensis à Sede Apostolica approbatum. *Viennæ* an. 1703.

Proprium Sanctorum de Monasterio S. Emmerami. Ratisbonæ an. 1621. in 8.

Proprium Sanctorum Monasterii Metensis. Straubingæ an. 1623. in 8.

Proprium Sanctorum Exempti Archicœnobii S. Martini sacri Montis Pannoniæ; quorum Officia necdum in Breviariis Benedictinis impressa habentur, jussu R.mi ac Ampliss. DD. Placidi Leuduny, ejusdem Arcbicœnobii Archiabbatis. Viennæ Austriæ typis Joannis van Ghelen an. 1693. Ex hoc Proprio excerpere liceat solum Festum *S. Isidori*, quod ad diem IV. Aprilis his verbis consignatur: *S. Isidori Episcopi Conf. & Doct. Ord. S. P. N. B.* Duplex. Refertur etiam S. Isidorus in Breviario Campidonensi de an. 1718. Parte Vernali prædicta die inter Sanctos Ordinis nostri pag. CCLXXI. Novissimè Clariss. P. Benedictus Schmier Tract. I. Apparat. Theol. prælim. §. XVII. pag. 51. col. 2. & p. 54. col. 2. hæc habet: *S. Isidorus, quem Ordo noster Benedictinus pro suo Sancto veneratur, Hispalensis Ecclesiæ Præsul* &c. Sequutus est, opinor, Arnoldum Wionium, Constantinum Cajetanum, Gabrielem Bucelinum &c. At enim, si S. Isidorus Benedictinæ Familiæ alumnus fuisset, eum Hugo Menardus in suo Menologio nunquam prætermisisset, nec Joannes Mabillonius tam illustre Sydus ex Actis Sanctorum Ord. S. B. exclusum voluisset; ubi nec minoribus characteribus, quemadmodùm alii dubii Sancti, designatus est. Quid quod Antonius Yepesius, Hispanus, in Chronico Generali Ord. S. B. ad annum 599. cap. 1. disertis verbis scribat: *S. Isidorum è Syllabo Ordinis expungo, cùm vita, quam egit, & Regula, quam monachis Hispalensis Episcopus scripsit, aliam mihi sententiam injiciunt.* Quæ verba cum Socii Bollandiani in Commentario prævio ad vitam S. Isidori §. 1. n. 5. p. 328. col. 2. retulissent, paulò pòst subjiciunt. *Hunc* [Isidorum] *dum Benedictini Scriptores Ordini suo timidiùs, cunctantiùsque adscribunt; visum est Carmelitis in eum, velut in hæreditatem caducam manus injicere.* Quid igitur Sanctum dubium, & veriùs extraneum in Breviario inter Festa Ordinis S. B. locum capessere jubemus, Sanctis aliis indubiis, certis, & de sacro Ordine optimè meritis adeò prætermissis, ut nec commemorationem de illis faciamus.

Orationaria, seu Libri Precatorii.

VEN. BEDÆ libellus precum, quem Edm. Martene & Ursin. Durand in lucem protulerunt Thes. Anecd. tom. V. pag. 483.

S. WOLF-

S. WOLFGANGI Episcopi Ratisbon. *Oratio piissima*, seu *Paraphrasis in Psalmum Quinquagesimum.* Extat apud Pezium Tom. 2. Thes. Anecd. part. 1. col. 13.

B. PETRI DAMIANI, S.R.E.Card. Episcopi Ostiensis, *Preces & Orationes* devotissimæ extant Operum ejus Tom. IV. pag. 1. & seq.

V. OTHLONIS, Ascetæ San-Emeramensis, Seculo XI. *Precatio Theotisca cum ejus paraphrasi Latina*, edita à Pezio Thes. Anecdot. tom. 1. col. 417 - 426.

S. ANSCHARII Septentrionis Apostoli *Libellus precularum*. Vitæ Auctor *S. Rembertus*, Hamburgensis Episcopus refert *S. Anscharium unicuique Psalmo propriam aptâsse oratiunculam, quod ipse pigmentum vocitare solebat, ut ei Psalmi hac de causa dulcescerent.* Hujus Opusculi videtur Cranzius in Metropoli lib. 1. his verbis meminisse: *Tenemus devotionis ejus breve, sed clarissimum monumentum, libellum, Psalmorum summam pancis includentem, qui qualis fuerit in majoribus, satis attestatur.*

S. ANSELMI Archiep. Cantuar. *Orationes*, sive Precationes LXXIV. quarum prima est ad Ss. Trinitatem; aliæ ad Deum, Christum, sanctam Virginem Mariam, Angelum Custodem, SS. Apostolos, Petrum, Andream, Johannem Evangelistam, S. Stephanum, S. Laurentium, S. Martinum, S. Benedictum, S. Dunstanum, S. Paulum Apostolum, S. Mariam Magdalenam, ultima est Prælati; ad quemcunque Sanctum Ecclesiæ suæ Patronum. Guillelmus Gemet. lib. 6. cap. 9. de Anselmo scribit, quòd librum Orationum ad Sanctos ediderit: & eas esse Anselmi, non est, unde quis dubitet, nisi omnem Mss. Codicibus fidem abnegavit, inquit doctiss. Gerberonius, qui easdem inter Opera S. Anselmi edidit cum prævis singularum censuris. Prodierunt etiam separatim Romæ an. 1607. in min. forma.

JOANNES, Abbas Fiscanensis, staturâ parvus, virtute ac doctrina magnus librum precum, maximè ex S. Augustini, Alcuini, aliorúmque Patrum scriptis defloravit, & Agneti Augustæ sub an. 1052. obtulit, quem Mabillonius, cujus criticæ animadversiones legendæ sunt, in Analectis Tomi I. vulgavit.

GOFFRIDI, Abbatis Vindocinensis, & S. R. E. Cardinalis *Oratio ad Jesum, & Oratio ad Matrem Domini*, quæ sunt inter ejus Opuscula à Jacobo Sirmondo S. J. typis excripta, decimum septimum, & decimum octavum.

LUDOVICI BARBO, Veneti, Congregationis S. Justinæ de Padua, nondum Casinensis, vitæ sanctimonia conspicui, Formula Orationis & Meditationis, quâ fertur ipsum usum sine intermissione usque ad mortem tam in Episcopali, quàm in Abbatiali dignitate. Coloniæ in 12. apud Constantinum Munich an. 1626.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheim. variæ Preces, & Orationes ad Sanctos, quas anno 1503. in lucem dedit. *Jo. Busæus in vitæ compendio.*

VITALIS RUBREVALLENSIS (Rothaller) ex Domo S. Petri Salisburgi Libellus Precationum anno 1519. Extat in Bibliotheca ad S. Emmeramum Ratisbonæ, ut in ejusdem legitur Catalogo part. 2. p. 114.

LUDOVICI BLOSII, Abbatis Lœtiensis, I.) *Cimeliarchion piarum Precularum.* II.) *Medulla Psalmodiæ Sacræ.* III.) *Officium Horarum de Jesu & Maria.* Et alia plura. Vide ejus Opera.

ARNOLDI MICHAELIS, Ascetæ ad S. Martinum Coloniæ Liber precum de anno 1553. asservatur inter Mss. Codd. ejusdem Monasterii Bibliothecæ.

DIONYSII FAUCHERII, Prioris Lerinensis, *Preces Horariæ*. Vid. vit. suprà lib. 2.

DAVIDIS GREGORII CORNERI, Abbatis Gottwicensis, *Horologium Christianæ Pietatis*, per selectissimas orandi formulas ex optimis, sacris, antiquisque auctoribus instructum circa an. 1610. & Sereniss. Principi Philippo Wilhelmo S. R. I. Electori Palatino per sexaginta & ampliùs annos *Manuale*, & posteà ejusdem jussu typis majoribus denuo editum Heidelbergæ typis Michaëlis Franc. anno 1688. Hoc Opus non diversum ab eo existimo, quod Auctor an. 1614. typis Ederianis Ingolstadii excudendum dedit, & inscripsit *Promptuarium Catholicæ Devotionis.*

ADALBERTI GRUNDEMAN *Asylum Afflictorum*, h. e. Orationes devotissimæ, in quibus publicis & privatis Necessitatibus, maxime bello, pesteque grassantibus adhibendæ, ex *Promptuario Catholicæ Devotionis* D. Corneri Abb. Gottwic. ad usum præsentis temporis, præsertim ad preces

XL. Horarum fructuosè persolvendas manuali forma editæ. Viennæ apud Michaëlem Richium an. 1632. in 12.

KYLIANI HALMSCHMIDT, Prioris ad Scotos Viennæ, *Hebdomadarium Marianum* in usum Claudiæ Felicis Imperatricis. Viennæ apud Leopoldum Voigt an. 1675. in 8.

ANGELI DE FAGGIIS, vulgò SANGRINI, Abbatis Casinensis

1.) *Opusculum de nobilissima oratione quadraginta horarum* soluta oratione. Florentiæ apud Barthol. Sermartellium. anno 1583.

2.) *Officium quodroginta horarum* vario metri genere. Ibidem apud eundem eodem anno.

3.) *Psalterium Gloriosæ Virginis Mariæ in tria Rosaria, Gaudiosum, Dolorosum, & Gloriosum*, divisum, carmine Saphico, distichis, prosâque digestum: ad calcem adest

4.) *Devota ac pia peccatoris deploratio ante SS.mum Eucharistiæ Sacramentum*, carmine heroico; ibidem apud eundem eodem anno. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 25.

Litaniæ binæ antiquæ in Corbeia Saxoniæ usurpatæ, quas Illust. Godefridus Guil. Leibnitius Tom. I. Script. Rer. Brunswic. inseruit. Earum priorem jam ediderat R. P. Dionysius Werlensis, Capucinus, in Philanthone (ut scribit ipse vocem) vindicato, quo Novenam S. Antonii Paduani contra Conringium defendit. Posteriorem Adolphus Overham, Asceta Corbeiensis, vir in historia patria eximius, communicavit Nicolao Schatenio S. J. qui eam inseruit suo Carolo M. Romano - Catholico contra Christianum Nifanium Bilefeldensem Superintendentem, Carolum operoso scripto Pontificiis abjudicantem edito pag. 36. Vide Leibnit. præv. Observ. l. c.

§. III.

Qui Ritualia, & quæcunque ad Sacramenta & sacramentalia pertinent, conscripserunt.

S. GREGORII Papæ I. *Liber Sacramentorũ*, cujus tamen non primus fuit ipse parens, sed à superioribus Pontificibus, præcipuè Gelasio I. adornatum, meliorem in formam summa cura redegit, ut fidem facit Johannes Diaconus lib. 2. c. 17. cui Walafridus Strabo, & alii Scriptores de Divinis Officiis adstipulantur. Inter plures editiones præstantiores sunt, Vaticana, & Pameliana, quibus tamen Menardiana ob multiplices observationes, quibus illustratur, præferri meretur. Hanc sequutus est Dionysius Sammarthanus in nova editione Operum S. Gregorii Magni Tom. III. Parisiis an. 1705. qui etiam Benedictiones, quæ in Libro Sacramentorum desiderantur, ex Lambecio vulgavit, cui Benedictionũ Episcopalium aliud ex MS. Theodericensi adjecit; post quod Liber Antiphonarius & Liber Responsalis sequuntur. Prætereà S. Gregorius Stationes per basilicas, vel beatorum Martyrum cœmeteria, secundùm quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, sollicitus ordinavit: per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti homilias coram ecclesia diverso tempore declamavit: reliquas verò ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuô aliis pronuntiandas commisit. Vid. Jo. Diac. in vit. l. 2. n. 6.

S. ALDHELMI, Shirburnensis in Anglia Episcopi, *Epistola* 44. inter Bonifacianas *de Paschæ celebratione*, quam sub annum 693. jussu cujusdam Concilii in Anglia Episcoporum scripsit Gerontio Regi, simúlque cunctis Dei Sacerdotibus per Domnoniam, occidentalis regni Britanniæ provinciam, conversantibus, ut eos itidem ad catholicum pascha cum Romana tonsura adduceret. Excerpta epistolæ vidésis apud Mabill. Annal. Ben. Tom. I. Lib. XVIII. n. 66. p. 619. Inscribitur verò epistola *de erroribus Britannorum*, sive *de Circulo Paschali*, de quo Opere (jam deperdito) Beda cap. 18. l. 5. testatur.

CEOLFRIDUS Abbas Girwensis Monasterii in Anglia ad preces & postulata Naitoni Pictorum Regis scripsit epistolam anno 715. prolixam & eruditam adversùs Scotos tum de tempore celebrandi paschalis celebritatis, tum de tonsuræ modo, quem à Clericis observari oporteret. Hanc epistolam Naitonus in frequenti subditorum suorum conventu legi jussit, eáque lecta actis Deo gratiis supplex professus est, se hoc paschæ tempus cum tota sua gente observaturum, daturúmque operam, ut Clerici ac Monachi omnes Romanam tonsuram admitterent, quod statim regia authoritate executioni mandari curavit. *Ceolfridi* epistolam servavit V. Beda Lib. V. Hist. Eccl. cap. 22. unde accepit

cepit Speelmannus pag. 220. Tom. I. Concil. Britañ. accepère cæteri Conciliorum editores ad an. 714. cùm circa an. 709. scriptam colligat Norisius Dissert. 3. de Cyclo Paschali Raveñate pag. 158. Vid. Mabill. Annal. tom. 2. p. 368. Oudin. de S.E. tom. 1. p. 1665. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. p. 1025.

ECBERTUS Monachus Lindisfarnensis in Anglia circa an. 728. defunctus apud Huenses Monachos in Scotia, quos libro de Paschali observatione erudiit, ut ex variis Bedæ locis notavit Lelandus cap. 66.

AMALARII FORTUNATI *Epistola de Cærimoniis Baptismi* ad Carolum M. scripta ab Henr. Canisio sub *Alcuini* nomine edita fuit Tom. VI. Antiquar. Lect. p. 366. & Tom. II. edit. novæ pag. 543. atque inter *Alcuini* Opera pag. 1 51. Illam verò Amalario vindicat Codex Petavianus, teste Sirmondo in Notis ad Theodulfi Aurelianensis Librum de Ordine Baptismi Tom. II. Operum pag. 943. V. Fabric. l. c. lib. 1. pag 212.

S. BENEDICTI junioris, seu Anianæ Abbatis Opusculum *de iterationis Baptismatis pernicie vitanda*, quod Stephanus Baluz. an. 1700. Parisiis edidit Tom. V. Miscellan.

B. RABANI MAURI Liber de Sacris Ordinibus, Sacramentis Divinis, & Vestimentis sacerdotalibus extat Opp. Tom. VI. pag. 50.

RATRAMNUS Corbeiæ veteris Theologus Seculo IX. Ritus Romanos adversùs Photii Capitula, aliorùmque Græcorum sugillationes jussu Galliæ Episcoporum edito libello doctissimè defendit. Edidit Acherius in Spicilegio, uti jam aliàs diximus.

S. DUNSTANUS Archiepiscopus Cantuariensis inter præstantis ingenii doctrinæque fœtus protulit etiam *Formulam Benedictionum Archiepiscopalium lib. un.* Pitf. æt. 10. pag. 179.

HERIGERI Abbatis Laubiensis *Dialogus de dissonantia Ecclesiæ circa Adventum Domini* sub sua & Adelboldi persona, Leodiensis Clerici, postea verò Episcopi Ultrajectensis. Opus ineditum. Quæ autem fuerit hæc Ecclesiæ dissonantia circa Adventum Domini, discimus ex Apologetico Abbonis Floriacensis Abbatis, in cujus fine hæc verba leguntur: *De initio etiam adventûs, qui ante nativitatem Domini per singulos annos agitur, aliquando error gravissimus extitit, aliis incohoantibus post V. Kal. Decembris, aliis ante: cùm nunquam plus quatuor hebdomadas, & saltem unam diem adventus habeat. Cúmque de ejusmodi diversitate soleant contentiones in Ecclesia crescere, concilio determinandum est, ut omnes, qui in ea vivimus, unum sapiamus.* Hæc Abbo. Qui Adventum Domini prolixiorem faciebant, fulciebantur veteri Gallorum more, qui Quadragesimam unam ante Natale Domini præmittebant, initio ducto à festo S. Martini. Mabill. tom. IV. lib. 52.

BERNONIS Abbatis Augiensis anno 1048. defuncti *Dialogus* cum Gerungo Monacho *de Quatuor Temporũ jejuniis per sua Sabbatha observandis*, ad Aribonem, Archiepiscopum Moguntinum in Bernardi Pezii Anecdotis Tom. IV. Part. II. pag. 55.

EJUSDEM *Epistola* ad eundem Aribonem *de quatuor Adventûs Dominicis* ante Festum Nativitatis Christi celebrandis pag. 41. Monet verò Cl. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 642. de hoc Bernonis Scripto videndum esse Sigebertum Gemblacensem cap. 156. de S. E. & Epistolam Trevirensium ad Leodienses editam ab Edmundo Marthene Tomo I. Anecdot. pag. 305. seq. ubi *Regula Bernonis* appellatur.

S. BRUNONIS ex Monacho Astensi in Liguria Abbatis Casinensis, ac demùm an. 1110. Signiensis Episcopi *De Sacramentis Ecclesiæ, mysteriis atque Ecclesiasticis ritibus* Tractatus, qui in ejus Operum volumine II. habetur, Venetiis an. 1651. Edidit etiam Dacherius Tom. XII. Spicilegii pag. 79. Sed in nova ejus editione est omissus.

PASCHALIS II. Pont. Max. *Epistola ad Pontium Abbatem Cluniacensem de non porrigenda communione intincta.* „ In sumendo corpore & sanguine „ Domini, inquit, juxta Cyprianum „ Dominica traditio servetur, necab „ eo, quod Christus magister & præ„ cepit & gessit, humana & novella „ institutione discedatur. Novimus „ enim per se panem, per se vinum „ ab ipso Domino traditum. Quem „ morem sic semper in sancta Eccle„ sia conservandum docemus, atque „ præcipimus, præterquàm in parvu„ lis, & omnino infirmis, qui panem „ absorbere non possunt. „ Communio igitur id temporis sub duplici specie panis & vini sic in usu erat, ut emergente casu necessitatis sub una tantùm specie porrigeretur, nempe dia-

diaconus digitum in calice intingebat, quem sacro sanguine stillantem parvulis porrigebat: infirmi verò & ægroti sub sola panis specie sacram synaxim accipiebant. Paschalis epistolam cum aliis ejusdem edidit Labbeus Concil. Tom. XII. col. 999. cui subjecit Notam Severini Binii, quæ nt ea, quæ Paschalis de non porrigenda communione providè ordinavit, benè accipiantur, legenda est.

S. UDALRICI Monachi Libri tres *de Ritibus* Cluniacensium, quorum alii ad divinum Officium, alii ad regularem disciplinam, alii ad varios Monasterii Officiales pertinent. Primi huc spectant, ex quibus excerpta vide apud Mabill. Annal. tom. 3. l. 42. pag. 389. ad an. 927.

GUILIELMI DE LAUDUNO Liber Sacramentalis, qui extat ms.tus in Bibliotheca Ecclesiæ Helenensis in Regno Arragoniæ, unde locum quendam descripsit Stephanus Baluzius, & inseruit additioni ad cap. IV. Petri de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. pag. 856. Solebant verò veteres nomine *libri Sacramentalis* seu *Sacramentarii* eum librum designare, qui Collectiones & ad Missas Præfationes continebat.

HUGONIS MENARDI è Congreg. S. Mauri Notæ & Observationes in *Librum Sacramentorum S. Gregorii*, quem anno 1642. Parisiis in 4. typis mandavit. Hæ Notæ & Observationes cùm eruditione sacra & ecclesiastica sint refertissimæ, in nova Operum S. Gregorii M. editione à Dionysio Sammarthano è Congr. S. Mauri an. 1705. accurata Tomo III. recusæ fuerunt.

DOMINICUS GALLI, Romanus, Monasterii S. Pauli extra urbem Alumnus ab anno 1633. & in Congr. Casin. Decanus, Sacrorum Rituûm Magister peritissimus æquè ac diligens, anno Jubilæi 1650. in Basilica Divi Pauli Pœnitentiarius, & Sacrario Præfectus, mysticos Ritus, qui ibidem eo sanctissimo tempore peraguntur, ad posterorum eruditionem in libellum redegit, & vulgavit cum hoc titulo:

Sacri Ritus, quibus ab Eminentissimo & Reverendissimo DD. Marcello Cardinali Lantes, Sacri Collegii Decano reserata est Porta sancta Basilicæ Divi Pauli anno Jubilæi 1650. *Innocentio X. feliciter regnante, observati à Dominico Gallo, ejusdem Basilicæ Magistro Cæremoniarum; Romæ ex Typographia Francisci Caballi anno* 1650. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 153.

BERNARDI BISSI, Liguris, Genuensis, è Congreg. Casin. *Hierargia*, sive *Rei Divinæ peractio*, Sac. Rituûm, & Ecclesiasticarum Cæremoniarum ea omnia complectens, & exactissimè tradens, quæ alibi sparsa reperiuntur, quæque ad omnes omnino Ecclesiasticas functiones pertinent. Mysteria insuper omnia ex sanctis Patribus, alíisque probatissimis Authoribus excerpta aperiuntur ad mentem summorum Theologorum; Præcepta obligantia confirmantur; Dubia occurrentia diluuntur. Universa quidem, prout præcipuè conferunt ad praxim. tom. 2. in fol. Genuæ ex typographia Josephi Bottarii. Præstantis hujus Operis præter alios Mabillonius cum laude meminit Itin. Italic. pag. 226.

PLACIDI PUCCINELLI, Abbatis Titularis è Congr. Casin. *Cæremoniale Ecclesiasticum*, præcipuè pro Abbatibus; extat Ms. in Bibliotheca Monasterii ad S. Simplicianum Mediolani, teste Armellino l. c. part. 2. pag. 155.

BENEDICTUS BACCHINIUS Abbas S. Mariæ de Lacroma Congr. Casin. inter Ritualium Scriptores meritò referendus est, qui præter ea, quæ in Notis & Observationibus suis in *Agnelli* Librum Pontificalem copiosè de sacris Ritibus commemorat, duo volumina ex pergameno descripsit, quæ, cùm anno 1698. Romæ esset, Eminentiss. Card. Caraffa, cujus memoria nunquam intermoritura est, apud pios & sacrarum literarum cultores, propriis manibus è scrinio accepta ipsi exhibuit, & humanissimè ea describendi copiam fecit. In eorum uno describuntur ritus benedicendi Fontis, & Baptismatis administrandi; in altero sacrarum Ordinationum cæremoniæ & preces. Figuris plurimis ornatur utrumque volumen pro seculi genio non spernenda arte depictis, quæ ritus ipsos & mysteria ob oculos ponunt. Notas etiam cantûs videre est verbis alicubi adjectas. Litaniæ adjiciuntur in eo, quod Baptismi ritus exhibet, in quibus S. Benedictus & sancta ejus Soror Scholastica invocantur. Scripta omnia charactere Langobardico, & spectâsse ad Ecclesiam Beneventanam, seculúmque undecimum probant postremi ex adjectis versibus, quos, si lubet, vide in Observationibus Bacchinii ad vitam

Da-

Damiani Ravennatis Episcopi, *Agnelli Lib. Pontif.* quem Lud. Ant. Muratorius Tomo II. Scriptorum Rer. Italic. inseruit, ubi locum primum obtinet.

PETRUS MARIA JUSTINIANUS, Italus, Genuensis, ex nobilissima familia, Monachus Casinas, Episcopus Sagonensis anno 1726. creatus elucubravit

Dissertationem de variis Gentilium Ritibus, quos Christiana Ecclesia sanctificavit, atque suum in usum convertit. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 127.

MICHAELIS BAULDRY, primùm Latiniacensis, tum verò Venerabilis Ecclesiæ Malleacensis Cathedralis, ac Regularis Ord. S. B. Magni Prioris

Manuale Sacrum Cæremoniarum juxtà ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo omnia, quæ ad usum omnium Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, Secularium, & Regularium Ecclesiarum pertinent, accuratissimè tractantur. Operis præstantiam probant iteratæ editiones, quarum quarta mihi visa, supra cæteras Parisienses emendata fertur, novísque additionibus locupletata; addita Quinta Parte loco Cæremonialis Episcoporum. Venetiis anno 1703. apud Paulum Balleonium in 4.

CAMILLI MANCINI, Siculi, Catanensis, è Congreg. Casin. *Cæremoniale Episcoporum*, seu *Benedictionum*, ubi ea omnia, quæ de Romano Pontificali Authores hucusque scripserunt, examinantur juxtà ritus S. Romanæ Ecclesiæ. Extat Mss. in Monasterio apud S. Nicolaum de Arenis. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 110.

JOHANNES MABILLONIUS in Itinere Italico vetus Sacramentarium ante mille annos scriptum, in Bobiensi Monasterio teperit, quod ad Liturgiam Gallicanam pertinere demonstravit vir doctissimus, & propterea Gallicanum vocavit. Extat *Musei Italici tom. 1. part. 2.* quod excipit antiquus liber. pœnitentialis, in quo multa scitu digna occurrunt ad veteris disciplinæ ecclesiasticæ cognitionem. In ejusdem *Musei* tomo altero continentur antiqui libri Rituales Sac. Rom. Ecclesiæ, qui *Ordinis* nomine comprehendi solent, plerique antea haud vulgati; & si jam editi, ob novas accessiones, & Notas quandam novitatis gratiam præferentes. Operi pretium addit præmissus in *Ordinem* commentarius, in quo præcipuos Romanæ Ecclesiæ ritus explicat Mabillonius. Ad historiam pertinet, quòd Cl. Editor narret malam gratiam, quam Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus editione *Rituum Ecclesiasticorum* S. R. E. Venetiis an. 1516. facta Romæ iniverit à Paride de Crassis, cæremoniarum Magistro, plagii ex Augustini Piccolominei Opere de sacris ceremoniis commissi accusatus, & ob prodita vulgo titûum mysteria cum libro suo ad ignem postulatus. Sed Mabillonius defendit Marcellum, & his omnino verbis primum caput Tomi II. claudit. *Tantæne animis cælestibus iræ?* Ruinart in vit. Vide etiam Act. Erud. Lipf. an. 1690. pag. 292. Ernest. Tenzel. Colloq. menstr. an. 1690. m. April. pag. 345.

-- EJUSDEM MABILLONII *Discussæ Quæstiones duæ: Prima de ritu inhumandi Presbyteros; altera de ritu probandi sacras Reliquias per ignem.* Utraque extat ad calcem Epistolæ *De Cultu Sanctorum Ignotorum*, quæ in 4. Parisiis apud Petrum & Imbertum de Bats 1698. excusa fuit.

EDMUNDI MARTENE è Congreg. S. Mauri *De antiquis Ecclesiæ Ritibus Libri IV.* collecti ex variis insigniorum Ecclesiarum *Libris Pontificalibus, Sacramentariis, Missalibus, Breviariis, Ritualibus*, seu *Manualibus, Ordinariis*, seu *Consuetudinibus* cùm manuscriptis tum editis; ex diversis Conciliorum Decretis, Episcoporum Statutis, aliísque probatis Auctoribus permultis. Cùm verò quatuor hi libri nec eodem tempore, nec loco, & quod plus est, nec sub eodem titulo typis vulgati fuerint, unum post alterum referam.

De antiquis Ecclesiæ Ritibus, tel. Liber I. *complectens historicum de Disciplina in Sacramentorum administratione Tractatum.* Pars I. *in qua de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia agitur.* 4. Rotomagi, sumptibus Guillelmi Behourt an. 1700. Hic est tomus I.

De antiquis Ecclesiæ Ritibus tel. *Libri I. Pars secunda, in qua de Pœnitentia, Extrema Unctione, Sacris Ordinationibus, & Matrimonio agitur.* in 4. ibid. apud eund. 1700. Hic est tomus II.

De antiquis Ecclesiæ Ritibus, tel. *Tomus tertius, complectens librum secundum & tertium, in quibus Ritus ad sacras benedictiones, atque ad discipli-* *nam*

nam Ecclesiasticam spectantes, commentariis illustrati repræsentantur. in 4. ibid. apud eund. 1702.

Tractatus de antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis, varios diversarum Ecclesiarum ritus & usus exhibens, Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, Angliæ, & maximè Galliæ. in 4. Lugduni, sumptibus Anisson & Possuet 1706. Hic tractatus est liber quartus universi Operis de antiquis Ecclesiæ Ritibus, qood cum augmentis prælo iterum subjectum fuit Venetiis an. 1736. & 1737. Recensionem vide apud Dupinium, Cersium, Acta Erud. Lipf. an. 1739. pag. 433. ubi editio Antuerpiæ, typis Jo. Bapt. de la Bry an. 1736. & 1737. fol. allegatur.

ANGELI MARIÆ QUIRINI *Enchiridion Græcorum, quod de illorum dogmatibus & ritibus, Romanorum Pontificum Decreta, post schismatis epocham, edita, nunc primùm in unum collecta complectitur; Ad Benedictum XIII. P. O. M. Beneventi an.* 1727. in 8. Præter Syllabum Romanorum Pontificum, quorum Decreta exhibentur, Prolegomena paginas faciunt duas supra quadraginta. Scribendi occasionem nactus est, quo tempore Corcyrensis fuit Episcopus: cùm enim Insulani partim Græcæ partim Latinæ adhæreant Ecclesiæ; interest Archipræsulis scire, quid Romanus Pontifex in Ecclesiæ Græcæ asseclis minùs probet, vel etiam in reprehendiooem vocet. Discimus id ex Auctoris literis 3. Jan. An. 1725. ad Pontificem datis; in quibus de statu suæ diœcesis, quémque illius regendæ modum hactenus tenuerit, primò illum edocet, tum de qnibusdam rebus consilium ejus efflagitat. His literis duæ responsoriæ epistolæ annexæ sunt, quarum prima à Pontifice, altera à Cardinali Curtio Origo, nomine Congregationis, cui præfectus est, exaratæ fuerunt. Utramque hanc epistolam excipit Bulla Pauli V. ad Metropolitanum, & ad Episcopos, totámque Gentem Russiæ, in qua Decreta de Quæstionibus in hoc Opere agitatis exhibentur. Cæterùm Em. Author seu Editor Opus suum luce publica donavit, cùm Benedictum XIII. P. M. Beneventum comitaretur. Legenda etiam est Ejusdem extrema Epistola ad Benedictum XIV. Decad. I. Epistolarum, Brixiæ anno 1742.

§. IV.

Qui de celebratione Missæ, rebúsque aliis ad eam attinentibus scripserunt.

S. GREGORII I. Pont. Max. *Liturgia*, sive *Missa* cum Georgii Codini Græca versione typis mandata fuit à Friderico Morello Paris. 1595. recusa in auctario Biblioth. Patrum Duacæno Tom. 2. pag. 369. & in Biblioth. Patrum Paris. 1644. & 1654. Tom. XII. Fateodum verò est, S. Gregorium potiùs esse collectorem & correctorem, quàm primum auctorem. Quæ enim Missa, seu preces, quibus Sacrificium peragitur Eucharisticum, in S. Gregorii Sacramentario continetur, haud ab illis recedit, quæ in Gelasii habetur Missali, quod in lucem misit Josephus Maria Thomasius, & utriusque Missæ diversitas in eo tantùm consistit, quòd *Collectæ*, ut vocamus, varient. Ex quo sacræ Liturgiæ antiquitas nemini non perspecta habetur; siquidem duo Pontifices Gelasius & Gregorius id, quod à majoribus fuerat traditum, collegerunt, & quædam breviùs exposuerunt. Legi meretur S. Gregorii Epistola XII. lib. IX. quâ se (ut nonnulli mirabantur) in ordinandis Missæ ritibus nullatenus eos à Constantinopolitaoa emendicasse & in Romaoam Ecclesiam invexisse protestatur.

S. ILDEPHONSUS ex Abbate Monasterii Agaliensis Archiepiscopus Toletanus (cujus ævo Missas confici pro aliquo festo die Christi Domioi, Mariæ Virgiois Deiparæ, aut Sanctorum solenne erat) à Cixila, scriptore vitæ, duas *Missas* in honorem SS. Martyrum *Cosmæ & Damiani*, quibus Agaliense Monasterium dedicatum erat, composuisse memoratur. Eodem teste *Missam* composuit in honorem S. *Leocadiæ* Virginis & Martyris. Item *Missam* de B. *Maria* Virgine, sive de ejus *Annuntiatione*, quæ nunc XV. kal. Januarii in tota Hispania celebris est sub titulo *Exspectationis Partûs*, aliàs *de nuestra Sen nara de la O*, ut vulgus loquitur, propter antiphonas ab hoc die, quarum principium ab *O* litera, seu vocandi interjectione concipitur, usui præscriptas. *Joannes Bapt. Perezius*, Bibliothecarius Ecclesiæ Toletanæ doctissimus juxtà ac diligentissimus, librum allegat, qui *Breviarii Muzarabis* partem continet, & ab ea titulum habet. *Hic liber*, inquit,

inquit, *in magno pretio habendus: nam septem Missas de B. Maria credo esse compositas à Divo Ildephonso; primùm ex stylo, deinde quia Cixila Archiep. Toletanus in vita D. Ildephonsi ait illum edidisse septem Missas de B. Maria. Vocant autem Moz-arabes Missas, non totum officium, sed quædam quasi præambula, sive adhortationes ad celebrandum tale officium.* Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Vet. tom. I. p. 290.

AMALARII Abbatis Eclogæ de Officio Missæ, quas V. C. Stephanus Baluzius ex vetustissimo codice celeberrimi monasterii S. Galli in Appendice Capitularium tomo 2. col. 1352 vulgavit. Easdem Joannes Mabillonius exhibuit inter probationes librorum Ritualium Musei Italici tomo 2. pag. 549.

REMIGIUS *Autissiodorensis S. Germani* doctissimus juxtà ac piissimus Monachus seculo IX. scripsit *Expositionem de celebratione Missæ*, sanctorum Patrum sententiis & authoritatibus confirmatam: quæ extat Tomo VI. editionis secundæ *Bibliothecæ Sanctorum Patrum* Margarini Bignæi anni 1589. *Exposuit*, inquit Sigebertus Libro de Vir. Illust. cap. 123. *Canonem Missæ, quid à quibus in eâ sit positum vel additum demonstrans.* Extant autem hæc omnia in Bibliotheca Veterum Patrum ultimæ editionis Lugdunensis, quæ anno 1677. accurata fuit, Tomo XVI. p. 952. In Bibliotheca Longipontis Ordinis Cistercienfis in Episcopatu Suessionensi, Liber Remigii msc. *de Indumentis Ecclesiasticis* habetur. Casimirus autem Oudinus Tom. II. de S. E. pag. 331. opinatur, hunc librum vel esse unum & idem opus cum Expositione Canonis Missæ, vel partem quandam hujus operis. Superiores Ordinis nostri rectè facturi sunt, si priusquàm Religiosos suos Sacerdotio initiari curent, eisdem præcipiant, ut *Remigii* hujus sæpiùs laudatam *Expositionem de celebratione Missæ* haud perfunctoriè perlegant: fieri enim non potest, ut ex attenta ejusdem lectione non capiant de tremendo Missæ Sacrificio documenta ut cùm maximè salutaria. Sunt tamen, ut nihil dissimulem, qui Opusculum hoc *Alcuino* tribuerunt; inter quos est Georgius Eccardus. Ejus ratio est, quòd libellus iste c. XL. de Divinis Officiis constituat, secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ. Tanti Præsulis doctrina ab omnibus Sacerdotibus magni facienda est.

B. RABANUS MAURUS libro I. *de Institutione Clericorum* cap. 32. & 33. agit de Missæ Officio & Ordine

B. NOTKERI BALBULI, Sanct-Gallensis Monachi *Liber Sequentiarum* in lucem editus è msf. codice Imperialis ac Principalis Monasterii Sancti Emmerami Ratisbon. Ord. S. B. à Bernardo Pezio Bibliothecario Mellicensi Thes. Anecdot. Noviss. Tom. I. part. 1. pag. 16. Multa alia composuit B. Notkerus, sed præcipuam laudem retulit à Sequentiario, de quo cap. IV. vitæ hæc narrat Ekkeardus: „ Venerabilis Abbas S. Galli Udalricus, piæ memoriæ, hujus nominis „ sextus, in legatione Regis Fiderici „ secundi, postea Cæsaris, venit Romam ad Innocentium tertium Papam missus. Cúmque de multis „ esset sermo eorum, & plura conferrent ad invicem, accidit Missam celebrari ante Apostolicum de Spiritu „ Sancto cum Sequentia, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, præsente Abbate. Fecerat & ipse idem Papa de „ Sancto Spiritu, videlicet *Veni sancte Spiritus*. Peractis Missis & orationibus convenerunt iterum ad fabulandum, & inter cætera requisivit Papa Abbatem dicens: Quis „ fuit Notkerus tuus? quomodo agis „ diem anniversarii ejus? Erant enim „ Romæ aliqua scripta de eo in libris „ Sequentiarum, quæ ipse Papa legerat. Respondit Abbas, simplicem Monachum eum fuisse in domo sua, de nobilissimis terræ ortum, „ valde sciolum, & sanctum. Ad „ quem Papa: Agisne festivitatem „ ejus? Cui ille: Non, Domine: „ scimus, quia sanctus est privatim „ tantùm: agitur de eo sicut pro alio „ defuncto. His verbis Papa commotus, ô nequissimi, inquit, malo „ vestro! tanti támque sanctissimi viri, qui erat plenissimus Spiritu Sancto, non facitis memoriam? Quod „ hujus festivitatem non celebratis, „ infelices eritis. „ Hæc Ekkeardus in vita. Hoc igitur principium Sanct-Gallensibus fuisse existimant Bollandiani, annuè S. Notkeri memoriam privato saltem cultu prosequendi. die 6. April. in Not. ad cap. 4. pag. 590. col. a. lit. p.

B. HERMANNI CONTRACTI, Augiensis Ascetæ, Sequentias de Ascensione Domini *Rex omnipotens &c.* De Assumptione Beatæ Virginis *Ave præclara Maris Stella &c.* De Spiritu Sancto *Veni Sancte Spiritus, & emitte*

P. Ziegelbauer Hist. P. IV. Nn 2 cælitus

cœlitus &c. commemorat Joannes Egon de Vir. Ill. Aug. Div. p. 11. c. 28.

ALFRICUS Abbas S. Albani in Anglia, cujus *Liturgia*, quam ad usum Monachorum suorum composuit, à Mathæo Parisiensi laudibus celebratur, quas in eandem ceu apprimè commodam etiam Pitseus confert in Append. de Ill. Angl. Script. Cent. 1. pag. 823. adde Baleum Cent. x. pag. 38.

BERNONIS, Abbatis Augiæ Divitis, *Libellus de quibusdam rebus ad Missæ Officium pertinentibus*, editus primùm Parisiis anno 1518. in 4. apud Henr. Stephanum Avum, & Venetiis an. 1572. in 8. & in Collectione Melchioris Hittorpii Scriptorum de Ecclesiasticis Officiis Coloniæ an. 1568. & in Parisiensi 1610. & in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi, & Lugdunensi Tom. XVIII. pag. 6. Cæterùm hic *Bernonis* libellus vel eâ causâ magni faciendus est, quòd Romæ eo tempore se fuisse testetur, quô symbolum CPolitanum ab Ecclesia in Missæ Sacrificio fuit admissum.

V. HILDEBERTI, Cenomanensis Episcopi, *Liber de Expositione Missæ*, quem inter ejus Opera an. 1708. Paris. in fol. edidit Antonius Beaugendre è Congr. S. Mauri; cuique subnexuit ejusdem Hildeberti *Poëma de Mysterio Missæ*. Ex hoc duos primos versus *De Evangelio* afferre placet:

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur,
Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.

Hic *Hildebertus* alludere videtur, inquit in Notis Cl. Editor, ad veterem fidelium consuetudinem, quâ etiam Laici divinis Officiis aderant nonnisi stantes; sed quibus indulgebatur baculorum gestatio, ut prolixioribus solemnitatibus assistentes, baculis innixi minùs fatigarentur; quem ritum, ut notavit author modernus vitæ piissimi D. de Chastevill, etiamnum observant Maronitæ, in quorum ecclesiis ad introitum præstò sunt plures baculorum fasces, è quibus quilibet ingrediens unum sumit, ut stans ad officium secundùm illorum consuetudinem, minùs fatigetur, quos tamen ad Evangelium & ad sacræ Hostiæ elevationem deponunt. Nam, ut notat Tertullianus de oratione c. 12. *in conspectu Dei vivi assidere, Angelo adhuc orationis assistente irreligiosissimum est*, nisi, ut ait, exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigaverit. Hunc porrò stationis ritum Monachorum proprium fuisse ipse Hildebertus innuit, dum Sermone 3. in festo S. Petri, inter molestias, quas ad meritum illis ferendas esse suadet, numerat ægritudines *è longinqua in choro statione* provenientes. De qua in choro statione etiam Clericis imposita vide Edm. Martene è Congr. S. Mauri in celebri Tract. de Div. Offic. c. 3. n. 12. ubi de hoc fusè & eruditè.

ODONIS ex Abbate S. Martini Tornacensis Episcopi Cameracensis *Brevis Expositio in Canonem Missæ* divisa in quatuor distinctiones, quæ seorsim prodiit Coloniæ sine anno in 8. cum *Fr. Titelmanni* libro ejusdem argumenti, Antverpiæ an. 1523. Lugduni an. 1556. inde in Bibliothecis Patrum Paris. 1575. tom. IV. & 1589. 1624. 1644. tom. VI. & Colon. XII. & Lugdun. Tom. XXI. pag. 221. Teste Possevino Appar. Sac. tom. 2. p. 531. primus fuit *Odo*, qui Canonem Missæ Commentariis illustravit.

PETRI Abbatis Cluniacensis, cognomento *Venerabilis, Nucleus de Sacrificio Missæ* post Hildebertum & Rupertum Tuitiensem editus est in Romana editione de Catholicæ Ecclesiæ Officiis ac ministeriis an. 1591. in fol. & in tom. x. Bibl. PP. Paris. 1644.

CLEMENS VI. edidit Missam pro mortalitate: *Recordare Domine Testamenti tui.* Possev. App. Sac. p. 337.

OLIVERIUS DE LANGHE, sive *Longus*, Prior ad S. Bavonem juxtà Gandavum circa an. 1450. scripsit *de Defectibus circa Missam.* Ejus lucubratio, teste Valerio And. pag. 706. & Swertio pag. 588. asservatur inedita in Bibliothecis Lovaniensibus & Gandavensibus.

JOHANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Resolutiones dubiorum circa Missarum celebrationem occurrentium.* De hoc Opere videsis Chevillerium, ubi narrat, quàm sæpè fuerit, & quibus locis impressum. Item epistolam Joannis de Lapide Carthusiani de Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. *Mich. Maittaire Annal. typogr. pag.* 34. Erat Trithemius S. Annæ, Christi Aviæ, & B. V. Mariæ Matri devotus, in cujus honorem Officium Missæ & Sequentias composuit, quæ anno 1503. lucem publicam aspexerunt. Busæus in vit. synopsi. Cùm anno 1498. brachium S. Hildegardis Abbatissæ impetrâsset, scripsit de eadem Sancta *Sequentiam* hoc initio. *Laus sit tibi Domine*... Item de S. Ruperto Confessore, & integrum Missæ Officium rogatu *Gudæ Specbtin* Mona-

naste-

nasterii Abbatissæ. Plura memoravimus in vita.

VENERABILIS GERARDI BELGÆ *Explicatio Sacrificii Missæ.* Extat Opp. Part. IV. typis Monasterii S. Galli anno 1641. in 16.

JOANNIS A PASTURA Prioris Gemblacensis Expositio Canonis Missæ. Lovanii an. 1560. in 8.

DIDACUS à S. JOSEPHO in Montis Serrati sacra & venerabili æde religionem professus, in Gymnasio autem seu Collegio Hieraciensi Sodalis publici juris fecit

Manual Ecclesiastico, y Ceremonial de la Missa, y Officio divino, conforme à las Reglas y Rubricas del Missal, y Breviario Romano, y Ceremoniale de los Obispos. id est: *Manuale Ecclesiasticum & Ceremoniale Missæ & Officii Divini, conforme Regulis & Rubricis Missalis & Breviarii Romani, atque Ceremonialis Episcoporum.* Pampelone an. 1633. in 8. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

ALBERTI, Abbatis ad S. Paulum in Carinthia *Scena Dominicæ Passionis,* seu *Celebratio Sacrificii Missæ.* in 12. sed ubi, quo anno, & cujus typis excusa fuerit, more suo reticet Author Histor. Univers. Salisburg. pag. 245.

COELESTINI TURNER, San-Udalricani Tractatus *de Sacrificio Missæ,* in 12.

BERNARDUS WEIBEL, Constantiensis ad Lacum Podamicum in Suevia, Monachus Eremitanus in Helvetia, ac Theologiæ Professor in Universitate Salisburgensi librum in lucem dedit *de Sacratissimo Missæ Sacrificio* in 12. Salisburgi an. 1662.

JOANNIS TOWNSON Angli Lambspringensis *Brevis Expositio Missæ.* Hildesii an. 1703. in 12.

JOANNIS MABILLONII è Congr. S. Mauri *De Liturgia Gallicana Libri III. in quibus veteris Missæ, quæ ante annos mille apud Gallos in usu erat, forma ritúsque eruuntur ex antiquis monumentis, Lectionario Gallicano hactenus inedito, cum tribus Missalibus Thomasianis, quæ integra referuntur: accedit Disquisitio de Cursu Gallicano, seu de Divinorum Officiorum origine & progressu in Ecclesiis Gallicanis. in 4. Parisiis an. 1685. apud viduam Edmundi Martini & Joannis Boudot.*

Cùm vir doctissimus iter literarium ingressus Germaniam adiret, ad Luxoviense Monasterium accessit, atque inter semilaceras veteris ejus loci Bibliothecæ reliquias invenit antiquissimum Lectionarium literis Franco-Gallicis, seu Merovingicis scriptum, quod in sacris ad legendas prophetias & epistolas cum Evangeliis ante annos mille apud Gallos in usu fuerat. Re post reditum maturiùs expensa, accuratéque digesta, hoc de argumento singularem edidit tractatum: in quo Liturgiæ Gallicanæ, qualis ante Carolum Magnum apud majores suos recepta erat, veram formam, genuinósque ritus explicavit. Opus in tres libros distribuitur. In primo tota Liturgiæ Gallicanæ ratio, vetus sacræ supellectilis apud Gallos suos, ecclesiarúmque forma & apparatus describitur, & illustratur. Argumentum hactenus obscurissimum, & à nemine, nisi irrito conatu, tentatum; deficientibus quippe hujus rei idoneis monumentis. Quæ fuerit etiam majorum suorum per id tempus de Evcharistia fides & persuasio, in exordio & fine libri exponitur. Secundus Liber exhibet Lectionarium Gallicanum, continens lectiones prophetiarum, epistolarum, & evangeliorum per totum annum in Missa, & in aliis majorum solemnitatum officiis recitandas: quibus omnibus lucem afferunt Mabillonii observationes subjectæ. Tertium Librum constituunt Missalia tria antiquissima, Gothico-Gallicanum, Francorum, & Gallicanum vetus, quæ quidem licèt à Josepho Maria Thomasio jam edita, à Mabillonio probationum instar iterùm vulgata sunt, ne ob raritatem exemplarium Romanæ editionis ea suo operi deesse nonnulli causarentur. Ruinartus in vit. Mabill. n. XLII. pag. mihi 95. vide recensionem apud le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 263. & diductiorem in Act. Erud. Lips. an. 1686. pag. 21.

NICOLAI NOURII è Congr. S. Mauri *Dissertatio de Missis Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, & Petri Apostolorum Principis.* Extat Tomo I. Apparatûs ad Bibl. Max. Vet. Patrum pag. 19. seq. Et quidem *Liturgiâ*, quæ Jacobi nomine inscribitur, examinatâ, pronuntiat, eam Jacobum Apostolum auctorem non habere; tum quia nullus ante Proculum, id est, medium seculum quintum illam sub ejus nomine landâsse legatur; tum quia iis, quæ à Christo & Apostolis instituta erant, exceptis, illa à Liturgiis, quæ ab eorundem Apostolorum tempore ad Justini usque ætatem fuerunt in usu, planè penitúsque sit dissimilis,

Liturgiam, quæ Marco Evangelistæ tribuitur, potiori jure illi esse abrogandam, sex allatis argumentis probat, quibus §. VIII. plura alia accumulat; ex quibus illud est, quòd in Liturgia Marci designetur legendus *Apostolus*, id est, Pauli Epistolæ, ac si verò illæ jam tum temporis publicè in Ecclesia legerentur. *Liturgia* S. Petri Apostoli nomine inscripta, in publicum emissa est à Guillelmo Lindano, Gandavensi Episcopo, quæ tamen *Nourrio* multò evidentiùs Petro Apostolo, quàm superiores Jacobo & Marco supposita videtur. Argumenta quibus Lindanum revincit, sunt roboris planè invicti.

MISSALIA.

Missale S. Anscharii, Archiepiscopi Hamburgensis, Bremensis etiam Episcopi, de quo adhuc superstite mentionem facit Nicolaus Staphorstius Tomo I. Historiæ Ecclesiasticæ Hamburgensis pag. 59. R.mus D. Maurus Abbas incluti Monasterii Iburgensis O. S. B. Diœcesis Osnabrugensis, elegans Historicus, vidit hujus S. Apostoli *Missale* msc. apud Eminent. Dn. Franciscum Guilielmum Cardinalem & Episcopum Osnabrugensem, Ferdensem, Mindensem, ac Ratisbonensem, Comitem à Wartemberg &c. qui magno in pretio habuit. Paullini in Theat. Ill. Vir. Corb. Sax. pag. 21.

Missale Frisingense vetustissimum, quod Monachis Benedictinis, dum Cathedralis illa Ecclesia ad eos etiamnum spectabat, usui erat. Ex ejus Callendario excerpta dedit Joannes Georgius Eccard Tomo I. Comentarii de Rebus Franciæ Orientalis p. 834.

Missale San-Emmeramense, nitidissimis aureis characteribus, imaginibus variis coloribus & auro conspicuis ornatissimum in membranis. Vid. Catal. Bibl. San-Emmeram.

Missalia Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis in Anglia. Johannes Fossor in Priorem Dunelmensem in Anglia anno 1341. electus fecit per obedientiarios & ministratores omnia Missalia infra septennium de novo reparari, ipso Priore incipiente de Missali, quod jacet ad altare SS. Nicolai & Ægidii, pro quo solvit de oblationibus suis 22. libras. Ex *Wilhelmi de Chambre Histor. Dunelm.* quæ extat Angl. Sac. tom. 1. pag. 768.

RADONIS Abbatis Vedastini anno 795. *Missale*, de quo *Ferreolus Locrius* in Chronico suo Belgico apud Lambec. Comment. de Bibl. Cæs. lib. 2. c. 5. p. 412. insigne hoc ex ipsius monasterii S. Vedasti monumentis affert desumptum testimonium. „ *Rado* ad res instaurandas divino munere datus anno 795. exspectationi cumulatè respondit, qui ambustum fœdatúmque templum magnificè instauravit, ornavítque omnibus suis partibus, inprimis magna vi auri argentíque fusi & cælati in calices & thecam S. Vedasti & consimilia: tum aulæis & clara veste impensis adeò magnis parsimonia æquale vectigal suppeditante. „ *Missale* implicatum satis (ut ferebat conditio temporis) examini Venerabilis *Alcuini* subjecit, cujus descriptæ etiamnum extant apud nos ad *Raddonem* epistolæ, atque aliquot versus, quibus Opera ejusdem posteritati commendat.

Missale Archimonasterii Fuldensis pervetustum ante annos 700. scriptum, reperitur hodie in Bibliotheca S. Benigni Divionensis.

Missale Monasterii Divitis Augiæ antiquum in membranis asservatur inter Bibliothecæ Mss. Codd.

Missale Augiæ Majoris Brigantinæ pergamenum in fol. antiquis characteribus elegantissimè scriptum, rarísque figuris exornatum per Venerabilem Dominam *Verenam Infeld* Abbatissam in Beindt.

Missale Gemmeticense, valde antiquum, uti probat tabula paschalis, initium sumens ab anno M. ad MXCV. Dono illud acceptum erat circa an. ML. à Roberto olim ibidem Abbate, dein Episcopo Londinensi, & posteà Archiep. Cantuariensi, qui tandem Romà rediens in dicto monasterio Gemeticensi sub añum MLXX. è vita discessit. Vid. Acta SS. 24. April. Comment. præv. in vit. S. Wiltridi p. 292.

Missale duplex Fiscamnensis Monasterii in Diœcesi Rotomagensi, unum annorum 600. alterum an. 300. asservatur in Bibliotheca Gemeticensi.

Missale Gellonensis Monasterii in Diœcesi Lodevensi, cujus excerpta Claudius Stephanotius cum Edmundo Martene de Rebus Liturgicis scribente communicavit.

Missale Monasterii S. Georgii in Diœcesi Rotomagensi annorum circiter 300. ex quo in usum laudati P. Martene D. Richardus Houssaye excerpsit.

Missale Redonense mſ. monasterii S. Melanii annorum circiter 700. asservatur in Bibliotheca Turonensi S. Gatiani.

Missale

Missale Monasterii Romaricensis vetus ante annos 600. descriptum habetur in Bibliotheca Victorina.

Missale vetus annorum circiter 600. Monasterii Uticensis S. Ebrulfi.

Missale Rotomagensis S. Audoeni Monasterii ante annos 400. manu exaratum.

Missale Monasterii S. Martini Coloniæ in membranis, variis figuris venustè exornatum per *Henricum* Coloniensem S. Martini cœnobitam sub an. 1490.

Missalia Mellicensia, quorum duo ante 300. annos in pergameno scripta, tertium Norimbergæ anno 1490. impressum fuit. In his Sequentia & Collecta de *S. Colomanno* Martyre. Vide ejus Acta Germanica p. 117. auctore Godefrido Deppischio Mellicensi.

Missale Monasticum ad usum Sac. Ord. Clun. authoritate Henrici Oswaldi à Turre Arverniæ Archiep. Viennensis & Abbatis totius Ord. Clun. editum. *Parisiis, Petrus Simon* anno 1733. in fol.

Epistolæ & Evangelia ad usum Congregationis S. Mauri Ord. S. B. nec non eorum omnium, qui Missali Romano utuntur. *Parisiis*, *Lud. Anna Sevestre* an. 1708. in fol.

Missale Campidonense typis elegantibus ejusdem Principalis Monasterii ad usum Monachorum Ord. S. B. exscriptum.

CAPUT III.

SCRIPTORES DE MEDICINA, PHILOSOPHIA & MATHEMATICA.

SECTIO I.

MEDICI.

BEDÆ VENERAB. *De Minutione sanguinis Libellus.* Opp. tom. 1. p. 398.

S. BERTHARIUS ex Regum Francorum prosapia Abbas Casinensis atque in odium Christianæ fidei à barbaris Mahometanis internecioni datus anno 883. martyrii laurea donatus est: scripsit attestante Leone Ostiensi Lib. 1. cap. 33. *duos codices medicinales de innumeris remediorum utilitatibus hinc inde collectos.*

CONSTANTINUS AFER, Carthagine oriundus, Monachus ab anno 1086. Casinensis à Petro Diacono cap. 23. de Vir. Illustr. Casin. celebratur *Philosophicis studiis plenissimè eruditus Orientis & Occidentis Magister, novúsque effulgens Hippocrates.* Varia opuscula medica, quæ sub ejus nomine edita, veriùs tamen ab eo maximam partem ex Arabica lingua in Latinam ex antiquorum Medicorum libris translata fuerunt, hæc ferè recensentur:

1.) *Viaticum de morborum cognitione & curatione Libri VII.*

2.) *De remediorum & ægritudinum cognitione Liber I.*

3.) *De Urinis Lib. I.*

4.) *Opus Constantini proprium De stomachi affectionibus naturalibus, & non naturalibus Lib. I.*

5.) *De Melancholia Lib. II.*

6.) *De incantatione & adjuratione, collique suspensione epistola ad filium.*

7.) *De mulierum morbis Lib. I.*

8.) *De Chirurgia Lib. I.*

9.) *De gradibus simplicium Lib. I.* Hæc Constantini Opuscula Basileæ sub ejus nomine 1536. & 1539. apud Henricum Petri typis vulgata fuerunt, licèt ex Mss. Codicibus Bodleianæ in Anglia Bibliothecæ, & aliarum Bibliothecarum facilè constare dicat Oudinus, omnia ferè à Constantino non composita, sed translata esse ex Græcis vel Arabicis antiquioribus. Vide etiam Fabricium in Bibliotheca Græca VI. g. Tom. XIII. pag. 123. & Gesnerum, qui recenset Constantini Afri Opera junctim edita Basileæ anno 1536. in fol. 2. voll.

JOANNES CASINENSIS Monachus, discipulus Constantini Africani. Ejus peritiam in Medica arte laudans Petrus Diaconus de Vir. Ill. Casin. addit eum

eum post transitum, sive obitum Magistri sui edidisse *aphorismum Physicis satis necessarium.* Obiit apud Neapolim, ubi omnes libros Constantini sui Magistri reliquit. Claruit circa an. Christi 1090.

ALPHANI ex Monacho Cassinensi Archiepiscopi Salernitani ab an. 1058. ad an. 1085. *Libri de quatuor humoribus corporis humani.* Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. & Jo. Bapt. Marum in notis.

ÆGIDIUS Corbeiensis, sive Corboliensis, Monachus Parisiensis juxta Trithemium cap. 241. de Script. Eccles. & II. 2. de Ill. Benedictinis; idem quoniam Athenis per aliquod tempus versatus est, dictus Atheniensis, & Trithemio *natione Græcus*, idem Archiater sub Philippo, Augusto, Rege Francorum. hoc alter Ægidius Parisiensis, qui circa An. Christi 1198. scripsit, in Carolino lib. v.

Nominis ille mei celeberrimus arte medendi
Cùm sit & hic (Parisiis) *ortus, cujus facundia grata est,*
Et nunquam laudanda satis, nec in agmine vatum,
Nominis extremos sortiri debet honores.

Hexametris versibus scriptus ejus liber *de Pulsibus*, & alter *de Urinis*, Gentilisq; de Fulgineo in eum commentaria post primam editionem Venetam 1494. in 8. sæpiùs lucem viderunt, ut notatum Polycarpo Leysero τῷ μακαρίτῃ in Historia Poetarum medii ævi pag. 500. seq. Hic etiam primus è Codice Gudiano in Bibliotheca Guelpherbytana vulgavit ejus libros IV. *de antidotis, sive de compositione medicamentorum* pag. 505. 538. 573. 626. similiter scriptos carmine. Hujus Ægidii meminit, teste Fabricio in Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 53. Guilelmus Brito in extremo Philippidos. Vide Barthii notas p. 755. Buleum Tom. II. pag. 718. Naudæum de antiquitate Scholæ Medicæ pag. 35. & quæ ipse Fabricius notavit in Bibliotheca Latina IV. 12. §. 12. Videri etiam possunt Catologi Mf.torum, quæ extant Cantabrigiæ in Bibliothecis Collegii S. Trinitatis, Collegii Cajo-Gonvillensis, & Domûs S. Petri.

S. HILDEGARDIS Abbatissæ Montis S. Roberti volumen *Simplicis Medicinæ*, opus naturale, multúmque mirabile. Lib. I. Aliud *compositæ medicinæ* Lib. I. Trithemius in Chron. Hirsaug. ad an. 1147. 405. Richerius verò monachus in Chronico Senoniensi Lib. IV. cap. XV. testatur, se librum, quem S. Hildegardis edidit, Argentinæ vidisse.

BASILIUS VALENTINUS, de quo plura Sect. II. §. III. dicturi sumus, multa Scripta Chymica lucubravit, in quorum Partis II. libro v. de Medicina agit; titulus libri est: *Ubernaturliche, Hochtheure Wunder-Arzney aller Mettallen und Mineralien, so wol anderer Dinge, von Gott dem Allmächtigen Schöpfer Himmels, Erden, und aller Creaturen zufinden; dem presthafften Menschen zur Gesundheit und langen Leben angeordnet, und aus Gnaden verliehen.* pag. 341. Hamburgi in 8. an. 1677.

ADELARDUS Monachus Bathoniensis, Physicus ac Medicus præstans claruit seculo XII. ac varia in physicis, & Medicina consignavit, teste Vossio lib. III. de Mathes. cap. 16. §. 17. pag. 121.

CONRADI cognomento *Nurenbergensis* ex Monacho Mellicensi Abbatis Obernburgensis in Medicina peritissimi

Tractatus insignis *de Phlebotomia, ejus causis, usu, & effectibus.*

Ejusdem Tractatus *de positione seu applicatione ventosarum.*

Ejusdem Tractatus, *nomina morborum exhibens.* Hæc Opera mf.ta habentur in Bibliotheca Mellic. uti fidem facit ejus Historia pag. 223.

LEONARDI SCHILLING Cœnobitæ Lunælacensis in Superiore Austria *Collectura Medicinalium*, quam ejusdem Monasterii Bibliotheca asservat Cod. Chartac. in 8. anno 1508.

-- EJUSDEM *Collectura ex Herbario & Medicinalibus* Chart. in 8. anno 1525. Vid. Catal. Biblioth. Lunælac. pag. 412.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis *Opus Hieraticum* pro variis morbis depellendis, quod post resignatam Abbatiam Spanheimensem in Marchia constitutus scripsit, teste Jo. Busæo S. J. in recensione Operum Trithemii. Incipit: *Ea quæ tuæ Majestati, &c.*

-- EJUSDEM *Enchyresis conficiendæ medicinæ omnium universalissimæ.* Opus Mf.tum, quod præ manibus se habere testatur Oliverius Legipont in vita. n. 58.

-- EJUSDEM *Pulveris Medicinalis studentibus perutilis præparandi methodus*, extat inter Opera ipsius historica, & ad calcem Fragmenti QQ. ad Maximilianum curis Sigismundi Abbatis in Seon editi.

-- EJUS-

-- EJUSDEM *De causis & cura morbi caduci ac maleficiorum libri III.* Cl. Legipont in vit.

PETRI DE MARRA, Neapolitani, in cœnobio S. Severini ibidem anno 1595. Professi, *Opera pia per la salute del Corpo humano.* Neapoli typis Beltrani an. 1634. in 16. Quod opus ut pluribus prodesset, Latinè reddidit, ampliatúmque iterum sub hoc titulo evulgavit: *Praxis methodica & universalis curandorum morborum omnium*, in quâ præter remedia magis præcipua à Galeno, ab Hippocrate, & Avicenna desumpta, multa arcana medica continentur, ad Illustriss. & Reverendiss. D. D. Federicum Columna, Principem de Butera, & Paleano. Neapoli apud Lazarum Scorigium anno 1635. expensis Dominici Vecchii Bibliopolæ in 4. in quo Opere agitur præcipue de origine & curâ morbi Gallici; de quocunque genere Febrium; de omnibus capitis, stomachi, ac ventris affectionibus, nec non omnium humani corporis partium morbis, & curationibus. In epistola ad Lectorem Author sic loquitur: „ Si verò hosce nostros labores gratos sentiamus, alteram partem chymicam utilissimam ac curiosam, in lucem, Deo dante, tra„ demus.„ Quod an factum sit, nondum scio, inquit Armellinus in Bibl. Scriptor. è Congreg. Casin. part. 2. pag. 145.

STEPHANUS DE VILLA, Hispanus monachus, in domo S. Joannis Burgensis urbis, pertinentique ad ipsam domum Nosocomio publico ejusdémque pharmacopolio præpositus publicavit de plantis & medicamentis ex his confectis librum hoc titulo: *Ramillete de Plantar*, id est: *Fasciculus plantarum.* Burgis 1637. in 4. itémque

Examen de Boticarios, id est: *Examen Pharmacopolarum.* ibidem an. 1632. in 8.

-- *Simples incognitos en la Medicina*, id est, *Simplicia incognita in arte medica.* ibidem 1634. in 4.

-- *Libro de los Vitas de doze principes de la Medicina y de su origen.* id est: *Vitæ duodecim præcipuorum authorum Medicinæ, & de prima ipsius origine.* ibidem 1647. in 8.

PETRI VECCHIA, Abbatis S. Justinæ è Congr. Casin. *Dell emissione del sangue*, id est, *de Phlebotomia, seu emissione sanguinis* Serm. 6. al. Sign. D. Livio Odescalchi. Vid. Armell. Bibl. Benedictino-Casin. part. 2. pag. 140.

STEPHANI DE AMICO, Siculi, Panormitani, Abbatis Monasterii S. Martini *Raccolta di segreti Medicinali.* msf. Armell. l. c. pag. 179.

JOANNIS HAUSER, Monachi Lunælacensis *Dicta Scriptorum Medica*, Chartac. cod. in 12. anno 1518. asservantur in ejusdem Monasterii Bibliotheca.

NATALIS PHILIPERTI JAMET è Congr. S. Mauri *Traité de la Circulation des esprits animaux*, id est: *Tractatur de Circulatione spirituum animalium.* Prodiit post mortem authoris in rebus physicis valde eruditi curâ Patris *Mege* in 12. Parisiis an. 1682. Hunc tractatum qui legerit, veterem Medicinæ theoriam de sanguine reformandam esse, facilè agnoscet.

FRANCISCI BOELEN, de Arweiler, Cœnobitæ S. Martini Colon. qui floruit ad an. 1539. *Remedia varia* mixta & composita, de auro potabili, & aliis hujus argumenti sermone Teutonico digesta,

-- EJUSDEM *Arcana varia in remedica.* Utrumque Opus Mf.tum asservatur in ejusdem Monasterii Bibliotheca.

NICOLAUS ALEXANDRE è Congreg. S. Mauri animum ad studii genus applicuit, quod in eodem Sodalitio à paucissimis cultum, vix non exemplo caret. Verùm cùm artis medicæ professio cum publica causa & salute conjuncta sit, pia ejusmodi intentio facilè iis medetur, quæ, quòd instituti nostri repugnet sanctitati, vulnus quasi accipere videntur. Quis enim ignorat,

- - - - multa re magis
Dijudicari omnia, quæ mortales agunt,
Quàm fine, quem is, qui quid agit, proponit sibi.

alter præfert titulum: *Medicina & Chirurgia Pauperum: la Medecine & la Chirurgie der Pauvres*; alter frontem inscriptus est: *Dictionariū Botanicum & Pharmaceuticum: Dictionaire Botanique & Farmaceutique.* Attentas à lectore aures exspectarem, si quæ gemino illo tractatū continentur, singillatim enumerare instituerem. Satis sit advertisse, quod P. Alexandre, opera illa in lucem edendo, finis præstitutus fuerit, solatium pauperū, quibus remedia præscribit, quæ ad eorum morbos esse salubria, quæq; minoribus parari posse impen-

ſis exiſtimavit. Uterque ille Tractatus Pariſiis impreſſus fuit apud Laurentium le Comte, primus in 12. an. 1714. alter in 8. 1716. Vide le Cerf. Bibl. Hiſt. & Critiq. pag. 5.

LEOPOLDUS DURAND è Congr. S. Vitoni inter alios fœcundi ingenii partus edidit Tractatum inſignem de Thermis & Aquis Plumbariis, quem recenſuit, auxit, & typis reddidit *Auguſtinus Calmet* Nancæi anno 1748. in 8. cum figuris, ut hic refert Bibl. Lotharing. pag. 338.

SECTIO II.

PHILOSOPHI.

§. I.

Scriptores Logicæ, ſeu Scientiæ cogitationum rectricis.

ALCUINI Dialectica, interlocutoribus Carolo M. & Alcuino, excuſa eſt inter ejus Opera ab Andrea du Cheſne, ſive *Quercetano* Turonenſi, Pariſiis 1617. fol. Separatim prodiit, unà tamen cum ejus Grammatica Ingolſtadii an. 1604. in 4. Utramque in lucem emiſit Henr. Caniſius.

REMIGII AUTISSIODORENSIS S. Germani, qui ſeculo IX. in Schola Pariſienſi ſummo applauſu publicè docuit Philoſophiam, Commentarius in *Librum de Dialectica*, qui extat in Codice MſC. Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis 5404. Vid. Oudin. Tom. II. pag. 332.

ALBERICUS Monachus Caſſinenſis, & S. R. E. Cardinalis Sec. XI. ſcripſit *de Dialectica* opus ineditum, quod aſſervatur in Bibliotheca Fratrum Minorum Conventualium S. Crucis Civitatis Florentiæ, uti perhibet Joan. Bapt. Marus in Notis ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ.

S. ABBO Floriacenſis Abbas & Martyr ſeculo X. cujus doctrinam varia ab illo ſcripta opera probant, elucubravit *Libros Dialecticos de Syllogiſmis*; quorum mentionem facit *Aimoinus* in ejus vita cap. 3. Sed qui temporum injuria perierunt. Vid. Oud. Tom. 2. de S. E. pag. 509.

ODONIS Abbatis S. Martini Tornacenſis, ac poſtea Epiſcopi Cameracenſis, *Libelli tres de Dialectica*, quos, cùm Philoſophiam Aurelianis & Tornaci adhuc doceret, compoſuiſſe fertur ab Herimanno Abbate Abbatiæ S. Martini Tornac. in Hiſtoria reſtaurationis ejusdem monaſterii, quam Dacherius Tomo II. Spicilegii vulgavit.

S. ANSELMI Cantuarienſis Archiepiſcopi *Dialogus de Grammatico*, in quo, inquit Guilielmus Gemmeticenſis, diſcipulo, quem ſecum diſceptantem introducit, reſpondet, & multas Dialecticas quæſtiones proponit, & ſolvit. Extat Oper. S. Anſelmi part. 1. pag. 143. edit. Gerberon.

PETRI ABÆLARDI Monachi San-Dionyſiani, & celeberrimi Philoſophiæ in Gallia Profeſſoris Opera Philoſophica, quæ in mſc. codice Victorinæ Canonicorum Regularium Bibliothecæ extant, recenſet Caſimirus Oudinus de Script. Eccl. Tom. II. pag. 1171. Franciſcus autem de Amboeſia, Conſiliarius Regius, qui *Abælardi* Opera inquiſivit, & evulgavit, *Logicam* ejusdem *Petri*, quam apud ſe manuſcriptam habebat, in publicam lucem dare promiſerat: quod an præſtiterit, inquit idem Oudinus l. c. dubium mihi eſt, quippe cùm de illa nihil unquam, inquiſitione etiam factâ, audiverim.

-- EJUSDEM *Invectiva in quendam ignarum Dialectices, qui tamen ejus ſtudium reprehendebat, & omnia ejus dogmata putabat ſophiſmata & deceptiones.* Extat inter ejus Opera à Franciſco Amboeſio edita à pag. 238.

GALFREDUS MARSHALLUS Monachus Glaſconienſis in Anglia, Vir magno ingenio, Philoſophiæ Ariſtotelicæ non minùs ſtudioſus, quàm apprimè intelligens; cujus *Repertorium Dialectices* à Pitſeo de Ill. Angl. Scriptor. pag. 842. laudatur.

JOANNIS RAULINI, Regii primùm Navarræ Gymnaſii Doctoris Ss. Theologiæ celeberrimi, tum Monachi Cluoiacenſis pientiſſimi *Commentarius in Logicam Ariſtotelis*, ſcilicet *in librum Prædicabilium, in librum Prædicamentorum, in librum de Interpretatione, in librum Priorum, in libr. Poſteriorum, in libr. Topicorum, in librum*

brum Elenchorum. In fine sic habetur: „ Hic manus extrema apposita „ est Logicæ eximii & egregii Doctoris Raulini diligenter castigata per „ virum doctrinâ præditum Magistrum „ Joannem de Rupe, bonarum artium Professorem, & in sacra pagina Baccalarium, qui non duxit „ indignum suis laboribus singulos „ quosque codices, immo verò singulas pagellas recognoscere, seu „ additiones perquàm acutissimas ex „ sui ingenii officina profectas advertere. Propterea multo labore se recognoscat juvenis levatum, qui hoc „ opus tanta arte cernat laboratum, „ cum additionibus Joannis Amantis. „ Parisiis anno Domini MD. apud „ Nicolaum Valterium & Durandum „ Gerlerium.

BENEDICTUS ex majori Baleari Insula, ubi ortum habuit, *Majoricensis* appellatus Romæ in monasterio D. Pauli Monachus factus an. 1508. cùm ingenii subtilitate polleret, Aristotelicam Philosophiam, quæ tunc maximè vigebat, excoluit quàm diligentissimè, in eámque scripsit quædam Opuscula, ex quibus huc spectant *Quæstiones universales in Logicam.* Extabat MS. apud Constantinum Cajetanum. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 101.

JOACHIMUS PERIONIUS, in Abbatia S. Pauli de Cormarico anno 1517. Ordinem S. Benedicti professus, Academiæ Parisiensis clarissimum Sidus, ac propè unicus suo ævo partium Aristotelicarum adversùs novatores, maximè *Petrum Ramum* Regium Professorem, hyperaspista edidit *de Dialectica libros III.* in 8.

BERNARDI RUEDORFFER, Seonensis in Bavaria Monachi, atque in Universitate Salisburgensi Philosophiæ Professoris *Logica, Philosophiæ Peripateticæ instrumentum, in manuale compendium deducta.* Salisburgi in 12. an. 1650.

AMANDI PACHLER è Domo S. Petri Salisburgi in alma ejusdem Urbis Universitate Philosophiæ Professoris

Trias Operationum mentis, in 8. Salisburgi an. 1652.

-- *Discursus inter Aristotelem & Heraclitum dubiosum, in quo pleræque difficultates circa demonstrationem ab Aristotele explicantur.* in 4. Salisburgi 1655.

CORBINIANI KAMM ex Imperiali Monasterio SS. Udalrici & Afræ Aug. Vindel. *Summulæ Logicæ*, in 8.

spissum opus ac crassæ molis, quod iis tamen, qui sine fine disputandi, ac subtilisandi amore ducuntur, displicere non potest. Aristoteles de Illo, quod verè Logica est, non nisi parvum conscripsit opusculum. Cui bono juniores Religiosi legendo tam diffuso opere distinentur?

AUGUSTINI MAGG, Tyrolensis, Oenipontani, in Imperiali Monasterio ad Vineas Professi, Philosophiæ Professoris in Univers. Salisburg. *Organum Aristotelicum*, seu *Logicæ Aristotelico-Thomisticæ Quæstiones potiores.* Salisburgi in 4. 1701.

VITALIS TERRA RUBRA è Congr. Casin. Philosophiæ Professoris publici atque celeberrimi in Academia utraque Bononiensi atque Pataviensi *Logica methodo sanioris Lycæi unà cum quæstionibus absoluta.* Opus MS. Armell. Bibl. Casin. part. 2.

FRANCISCI LAMI è Congreg. S. Mauri Philosophi acumine ingenii nulli secundi

Essai de Logique, id est, *Specimen Logices.* Author Logicam definit, quòd sit *Ars perducendi intellectum ad veritatem*, quæ potissimùm tribus in rebus consistit; primò ut quis suis præjudicatis opinionibus ac erroribus renuntiet, tum ut ab utrisque se præservet, denique ut media conficiantur, quibus adhibitis evidentia in rebus, quæ examini subjiciuntur, eluceat. Vide le Cerf Bibl. pag. 188.

PLACIDI ERKENS ad S. Mathiam prope Treviros Professi, Ss. Theologiæ & Philosophiæ olim Professoris *Speculum Angelico-Benedictino-Thomisticum*, in quo tum Deus physicè Thomisticè movens cum refutatione libelli P. Kirschs, tum *Ens Rationis* esse objectum Logicæ, tum neutram propositionum contradictoriarum circa futurum contingens, præscindendo à decreto Dei, esse determinatè veram aut determinatè falsam, ac denique eandem veritatem objectivam non posse ab eodem simul per diversa etiam media sciri, opinari, & credi: De puro ac plano ex S. Thoma Doctore Angelico demonstrantur. Coloniæ apud Wilhelmum Metternich Bibliop. sub signo Gryphi an. 1713.

PONTIANI SCHÜZ *Ars expedita quacunque in materia dialecticè & rhetoricè discurrendi*, in 8. 1691. Non bene memini, an ex hoc vel alio authoris non absimili Opusculo philosophico Sodalium nonnemo mihi tunc temporis Philosophiæ studioso animi gra-

gratia multa recitare consueverit, quæ ego cùm audirem, cogitare cœpi illud Varronis apud Gellium: *Si quantum operæ sumsisti, ut tuus coquus bonum faceret panem, ejus duodecimam philosophiæ dedisses, ipse bonus jam pridem factus esses Philosophus.*

UDALRICI WEIS Benedictini Ursinensis, Philosophi eloquentissimi *Liber de Emendatione Intellectûs humani*, in duas partes digestus, veram operationum omnium intellectûs theoriam, tum earundem directionem solidè edisserens... Kauffburæ typis Christiani Starck in 4. an. 1747. Ex hoc insigni opere elucescit Philosophiam longè aliam & meliorem in Ursinensi Monasterio induisse faciem, quam utinam! in aliis etiam Germaniæ Monasteriis, ne dicam Academiis indueret. Vide superiùs dicta Part. II. Cap. 3. Sect. I. pag. 288.

§. II.

Scriptores Metaphysicæ, seu primæ Philosophiæ.

METaphysicæ duæ sunt partes (z) prima quidem *Ontologia*, quæ circa ens generatim, illiúsque affectiones per mentem abstractas versatur; altera quæ *Pneumatologia* dicitur, de Spiritibus agit; de Deo scilicet, de humana mente, & quantum naturalis ratio patitur, de Angelis.

S. ANSELMI *Monologium*, in quo Dei essentiam & existentiam, ejúsque perfectiones absolutas, quatenus naturæ author, pluribus, & quidem necessariis rationibus, absque eo, quòd utatur testimonis Scripturæ, probat & demonstrat, quantum potest humana mens insito intellectûs acumine. Unde illi Operi titulum fecit: *Exemplum meditandi de ratione fidei.* Juvat *Capitis I. conspectum* ex Gerberonio Operum S. Anselmi doctissimo editore afferre. „ Unam summam naturam existere, sibi sufficientem, „ & à cujus omnipotenti bonitate „ omnia alia sint, pluráque alia, quæ „ de Deo credimus, sola ratio magna „ ex parte persuadere potest. Modus „ autem investigandi summam naturam „ promptissimus hic est. Non appetimus, nisi quæ bona putamus, & plurima bona esse ratione discernimus. „ Certissimum est aurem, quia quæcunque dicuntur aliquid, ita ut ad „ invicem magis, aut minùs, aut æqualiter dicantur, per aliquid dicuntur, quod non aliud & aliud, sed „ idem intelligitur in diversis, quæ „ in eo uno conveniunt. Ergò necesse „ est, ut omnia sint bona per aliquid, „ quod unum idem sit in diversis bonis. Ergò datur unum quid, per „ quod cuncta sunt bona, & in quo „ bona diversa conveniunt. Quis „ autem dubitet illud ipsum, per quod „ cuncta sunt bona, esse magnum bonum; & esse bonum per se ipsum? „ Ergo omnia alia bona sunt per aliud; & ipsum solum est per se ipsum. „ At quod per aliud est, minus est „ eo, quod per se est bonum. Ergo illud, quod est per se bonum, „ est summè bonum, & summum „ omnium, quæ sunt: nam quod est „ summè bonum, est summè magnum. „ Est igitur unum aliquid summè magnum & summè bonum, id est, summum omnium, quæ sunt. „

-- EJUSDEM *Proslogium*, id est, allocutio; seipsum enim aut Deum in eo alloquitur. Quidquid enim in priori Opere (*Monologio*) de Dei existentia multis rationibus disputaverat, in eo reducit ad illud argumentū: *Dei nomine intelligitur ens summè perfectum, ac proinde includens omnes perfectiones, & consequenter existentiam, quæ est perfectio, igitur necessariò existit.* Quod argumentandi genus ut invictè concludat, unum ei addi debuisset, scilicet, quòd omnium perfectionum collectio nullam involvat implicantiam. Atheus enim ultrò concedet, Ens summè perfectum in idea sua includere existentiam, sed contendet, hanc omnium perfectionum collectionem esse impossibilem. At quærendum ab eo, ut probet, perfectiones infinitas, quales esse debent in ente summè perfecto, sese invicem excludere, quod nunquam evincet. Perfectiones enim nonnisi ratione limitationis sibi invicem repugnant. Hoc enim ipso quod aliqua perfectio finita est, negat ulteriorem majorem perfectionem. Sed si perfectiones supponantur infinitæ, tunc sese invicem potiùs includunt. Vid. Ludovic. du Mesnil Doctr. & Discipl. Eccles. tom. IV. lib. 46. n. 35. pag. 178.

B. RABANUS MAURUS, Archipræsul Moguntinus, scripsit Opusculum *de anima* ad Lotharium Regem. „Scripsi, inquit in dedicatoria Epistola, „ vobis quædam de diffinitione animæ; quare anima dicatur, vel quid „ sit anima: nec non & de origine „ ipsius, utrumne formam habere „ credatur. De quantitate etiam „ ipsius, utrùm in parvulis minor, in „ for-

(z) Edm. Burchot. Instit. Philosoph. tom. I. præfat. in Metaphys. pag. 220.

„ fortioribus major: vel ubi maximè „ sedem habere credatur. Deinde, „ quæ sint virtutes ejus morales: pau„ca etiam de habitaculo ejus, hoc „ est, corporis possessione. Quæ cun„cta ex cujusdam magni Aurelii Cas„siodori Senatoris dictis excerpsi, ali„qua verò ex libro Prosperi erudi„tissimi viri. Quædam verò ex pro„prii ingenioli sensu addere curavi.„ Sic Præsul modestissimus savissam, unde profecit, minimè tacuit. Extat Operum Tom. VI. pag. 173.

CASSIODORI (M. AURELII) *Liber de anima*, quem ipse Cassiodorus, in Commentario ad Psalmum CXLV. testatur *tertium decimum in Variarum opere contineri*, quémque Rabanus Maurus sibi usui fuisse in Opusculo *de anima* componendo ad Lotharium Regem profitetur; quod ab editoribus, etiam à Joanne Garetio è Congreg. S. Mauri non animadversum.

HINCMARI Archiepiscopi Remensis *De Diversa & multiplici animæ ratione* ad Carolum Calvum Regem edidit Sirmondus Operum Hincmari Tom. II. pag. 164. Tituli capitum sunt 1.) Utrùm anima corporea sit. 2.) Utrùm anima localiter teneatur in corpore. 3.) Utrùm anima cum corpore moveatur per loca. 4.) Utrùm omnis creatura corporea sit & solus Deus incorporeus. 5.) Utrùm natura animæ terminos corporales excedat. 6.) Utrùm Deus per tempora & loca moveatur. 7.) Utrùm anima sola tempore moveatur. 8.) Utrùm substantia divinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporum videatur.

RATRAMNI Corbeiæ veteris Monachi perdocti Sec. IX. *Tractatus de anima*, quem Odoni Episcopo Bellovacensi inscripsit. In eo libro Ratramnus significat, primò se ab Odone sollicitatum, ut monachi anonymi Corbeiensis, qui unam in omnibus hominibus animam esse contendebat, insanam opinionem refelleret. Deinde se jam id præstitisse dicit scriptâ ad eundem epistola, cui Monachus ille alia redditâ respondit. Tertiò Monachum illum hanc opinionem hausisse à *Macario Scoto*, quem idcirco ejus *Magistrum* vocat. Quartò præceptorem ac discipulum erroris sui occasionem sumpsisse ex loco malè intellecto S. Augustini in libro de quantitate animæ, in quo sanctus Doctor de unitate in diversis hominibus animæ dubitanter scripsisse videtur. Hæc omnia accuratè ac fusè discutit Ratramnus, professus initio libri sui monachum *hunc magis dignum esse auctoritate Pastorali reprimi, quàm disputatione convinci*. Vide plura apud Mabill. Præfat. II. in Sec. IV. Ord. S. B. pag. 356.

ANDREAS DE LA MONEDA, Burgensis monasterii S. Joannis Religiosus, post alias Hieracensi demùm Abbatiali dignitate, quæ in regno Navarræ est, ornatus, scripsit

Metaphysicam quatuor tomis, ut à domesticis Romæ se accepisse testatut Nicol. Ant. Bibl. Hisp. tom. 2. pag. 316.

PETRUS ALPHONSUS, Monachus Monserratensis edidit Opus philosophicum *de immortalitate animæ*. Barcinone an. 1552. in 8. Nic. Ant. l. c. & quos citat.

PROSPER VALLISNIERI, Italus, Regii Lepidi familia natus, Romæ apud S. Paulum vota monastica emisit anno 1515. celebris fuit philosophica scientia. Inter ejus lucubrationes insigniores hæc sunt: *Tractatus de immortalitate animæ*, tum *Digressio ex Tractatu de immortalitate animæ*, in qua Deus, contra Aristotelem, omnium rerum conditor ostenditur, & creator; deinde contra eundem disputatur, quòd cœlum nullas admittat dimensiones sui respectu, præterquàm sphæricas & naturales, quódque cœlum nullo modo sit animal aut animatum, sed magis animalia sint & bruta ratione carentia, quicunque hæc portenta in natura præter omnes ejus leges & ordines comminiscantur & fingant. Est liber in 4. ms. eleganti sermone ac pulcherrimo charactere conscriptus, Paulo IV. Pont. Max. dicatus. Vid. Armell. part. 2. pag. 163.

VITALIS TERRA RUBRA è Congregatione Casinensi in variis Monasteriis per viginti quinque annos Philosophiæ Professoris longè doctissimi *In Libros Metaphysicorum exactæ Quæstiones* nondum typis excusæ. V. Armell. l. c. part. 2.

ALANI RITTER, Wessofontani in Bavaria Monachi, Philosophiæ verò Professoris anno 1718. in Universitate Salisburgensi *Discursus Philo-Metaphysici*, in 4. Salisburgi an. 1720. Vid. Histor. ejusdem Univers. l. 2. c. 7. p. 288.

ANTONII STROZ è S. Lamberto in Styria Philosophiæ Professoris in Univers. Salisburg. an. 1694.

Quæstiones speculativo-morales in

Logicam & Metaphysicam in 4. an. 1696. Vid. H. U. S. pag. 299.

BERNARDI RUEDORFFER Seonensis, Philosophiæ Professoris in Universitate Salisburgensi an. 1648. *Tres libri de anima.* Salisburgi in 8. anno 1650. l. c. pag. 130.

ROMANI DREYER *Tractatus Metaphysicus de Ente.* in 4. an. 1717. ex Catalogo Librorum cujusdam Bibliopolæ à me annotatus fuit.

FRANCISCI LAMY è Congr. S. Mauri Epistola pro defensione *Demonstrationis Cartesianæ de Existentia Dei* scripta ad D. Brillonum Abbatem & Doctorem Sorbonæ, qui Cartesii demonstrationem oppugnaverat in Journal des Sçavans, Diario Literatorum 10. Jan. an. 1701. Trivoltienses hanc Lami epistolam memoriis suis mens. Jan. & Febr. an. 1701. inseruerunt.

RUPERTI NESSII Abbatis Imperialis Monasterii Ottoburani virorum doctorum seminarii, tunc Philosophiæ adhuc Professoris *Demonstrationes de Existentia Dei & animæ immortalitate*, anno 1702. à Benedicto Schmier id temporis discipulo propugnatæ, uti ipse nos docet in Theologia Scholastica Tract. V. q. 31. pag. 87. ubi hæc habet: Meus quondam Professor Observandissimus, nunc autem Reverendissimus & summè meritus Abbas Rupertus &c. *in suis Demonstrationibus de Existentia Dei, & animæ immortalitate* à me Ottoburæ an. 1702. cum alio D. Confratre defensis, inter alia media demonstrandi Deum, existentiam Diaboli delegit, instititque: *datur diabolus, ergo etiam Deus.* Probationes cum Antecedentis tum Consequentiæ vide apud Cl. P. Schmier loc. cit.

§. III.
Scriptores Physicæ, seu Scientiæ Naturæ.

VEN. BEDÆ 1.) *De Mundi cœlestis terrestrisque constitutione.* Opp. tom. 1. pag. 323. 2.) *Libellus de tonitruit ad Herenfridum*, quem Patrem Venerandum appellat pag. 387. translatus ex Græco, fortasse Joh. Laurentii Philadelphiensis Lydi, de quo Fabricius in Biblioth. Græca Lib. III. cap. 20. pag. 513. 3.) *De nativitate infantum.* pag. 394. 4.) *De rerum natura* liber cum glossis incerti authoris Bridеferti Ramesiensis & Joannis Noviomagi Tom. II. pag. 1. Hunc & proximum librum Bedæ esse negavit *Stephanus Vitus*, sed meritò refragante Petavio pag. 157. Epist. 5.) *De temporum ratione cum ejusdem Bridferti & Noviomagi scholiis* pag. 43. Cum codice Bibl. Cathedralis Wirceburgensis collatum hunc librum vide in Jo. Georgii Eckarti Commentariis de rebus Franciæ Orientalis & Episcopatûs Wirceburg. Tom. I. p. 825.

RATRAMNI, Monachi Corbeiæ veteris, Sec. IX. Epistola de Cynocephalis ad Rembertum Corbeiæ novæ Presbyterum, an ex stirpe Adæ sint progeniti, & an animas bestiarum habeant? quam refert Casimirus Oudinus Comment. tom. 2. pag. 126. cuique adjunxit doctissimam dissertationem Domini Gabrielis du Mont ad eandem epistolam Ratramni de Cynocephalis ex Gallico Latinè versam.

ALPHANUS I. ex Monacho Casinensi Archiepiscopus Salernitanus, libros II. composuit *de unione corporis & animæ, & de quatuor humoribus corporis humani.* Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. c. 87. & de S. E. cap. 323.

ADELARDI, sive *Athelardi* Badunensis sive Bathoniensis in Anglia monachi *Dialogus de rerum, sive naturalium compositorum causis*, inter ipsum & nepotem suum. Præfationem ad Richardum Baiocensem Episcopum edidit Edmundus Martene Tomo I. Anecdot. pag. 292.

-- EJUSDEM Liber *Problematum*, sive *Naturalium Quæstionum* LXXVI. quod Opus dignum Philosopho Joannes Lelandus cap. 171. appellat. Teste Pitseo, *Adelardus* ab ipsa pene pueritia alti & magnifici ingenii seminа se insita habere demonstravit. Egregiam autem, quam ei natura dederat, indolem scientiis posteà mirificè excoluit. Virente etenim juvenilis ætatis flore, studiorum causa patriam reliquit, exteras regiones petiit. Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam peragravit. Ægyptum tandem, & Arabiam penetravit, & ubique, quod disceret, invenit. Cúmque esset ingenii nonnihil curiosi, naturas rerum abstrusiores, & à sensibus humanis magis remotas nervosè perscrutatus est. Et summo usus labore, diligentia, industria, quasi onustus supellectile literaria, omniúmque naturalium rerum cognitione mercator, dives ingenioso lucro domum ad suos reversus est. Poëta, Rhetor, Mathematicus, Philosophus, & Medicus, omnium denique liberalium artium & multarum linguarum peritissimus.

Unde

Unde & multos antiquos auctores partim in Anglicam, partim in Latinam linguam ex aliis idiomatibus convertit. Scripsit de rerum naturalium initiis, progressibus, incrementis, effectibus, consequentibus, dependentiis ab invicem, & aliis passionibus atque proprietatibus; omnia ferè post reditum à peregrinationibus in Angliam, & pleraque Richardo Baiocensi Episcopo dedicavit. Hæc de *Adelardo* Pitseus æt. 12. p. 201.

ALEXANDER INSULANUS, Monachus Corbeiensis, ex stirpe Comitum de Insula, quorum castrum quondam fuit vicinum Civitati Hildesiæ: post annum 1204. scripsit, sive continuavit *Isibordi ab Amelunxen* Breviarium rerum memorabilium, sive physicarum rariorum Observationum Capita LXVI. Primus edidit, suásque observationes adjunxit D. Christianus Franciscus Paullini ad calcem anni quarti secundæ Decuriæ Actorum Naturæ Curiosorum, Norimbergæ an. 1686. in 4. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 172.

ALFREDUS in Glastoniensi Monasterio educatus, atque inde ex Abbate Malmesburiensi Episcopus in Anglia *Cridiensis* in Westsexia Devonia Angliæ, clarus circa an. 980. scripsit libros *de Naturis rerum.* Vid. Pitf. æt. 10. pag. 179. Acta Erud. Lipf. anno 1702. pag. 282.

ENGELBERTUS Abbas Admontensis in Styria Sec. XIV. Librorum, quos de *Philosophia Naturali* scripsit, catalogum in epistola ad Mag. Ulricum Scholasticum Wiennensem ipse texit; & sunt sequentes:

Primò super Librum Aristotelis *de Mundo* unum magnum Commentum, quod incipit: *Inter plura capitula.* Nescitur adhuc, ubi lateat.

Item super Librum *de inundatione Nili* unum scriptum, quod incipit: *Post Librum Aristotelis.* Nec hoc scriptum hactenus usquam comparuit.

Item *de Fascinatione* Tractatum, qui incipit: *Cùm secundùm Philosophum.* Extat in Bibliotheca monasterii Glunicensis, in Cod. Chart. in fol. finito an. 1436. extat & in codice Bibliothecæ Mellicensis chart. 4. signato Lit. G. 11. Ubi Opus elegans, & prælo dignissimum *explicit* anno 1462. manu Johannis de Wilheim Mellicensis cœnobitæ.

Item *de Naturis Animalium* Tractatus, qui incipit: *De Naturis.* Extant hujus Operis duo exemplaria in Admontensi Bibliotheca, unum in fol. membr. Sec. XIV. & aliud membr. in 4. ejusdem ætatis.

Item *de quibusdam Naturalibus* Tractatum, qui incipit: *Super exceptivis.* Latet.

Item *de causis & signis mutationis aëris & temporum.* Ubi adservetur, ignoratur.

Item *de causa longævitatis hominum ante Diluvium* Tractatum, qui incipit: *Quæstionem difficilem.* Ubi adservetur, jam aliàs diximus ex Pezii Thes. Anecdot. Tom. I. part. 1. pag. 429.

BASILIUS VALENTINUS Philosophus exeunte Seculo XIV. cumprimis illustris, ac Chymicorum facilè princeps, omniúmque sincerissimus, tum verò pro *Adepto*, ut vocant, habitus, non exigui inter Spagyritas nominis, vixit. Erphordii primaria Thuringiæ civitate, in S. Petri Monasterio. Eum *Michaël Mayerus* Philosophiæ & Medicinæ Doctor Comes Palatinus *Lumen Mundi absolutissimum, Medicinæ Hermeticæ authorem, suúmque æstimatissimum, ac dilectissimum Præceptorem* vocat: neque semel atque iterùm duntaxat, sed totis quadraginta annis se ejus scripta, maximè *duodecim Claves* plusquàm centenis vicibus perlegisse testatur, adeò quidem ut eas memoriter complexus fuerit. Cùm verò BASILII Scripta Chymica sparsim edita non sine pluribus mendis fuissent, *Mayerus* collegit, accuratè recognovit, & in unum corpus coacta publicæ luci exposuit Hamburgi in 8. anno 1677. sunt verò duæ partes, quarum primâ continentur

1.) *Von dem grossen Stein der uralten Weisen.* pag. 1. -- 23.

2.) *Zwölff Schlüssel, dadurch die Thüren zu dem uralten Stein unser Vorfahren eröffnet, und der unerforschliche Brunnen aller Gesundheit erfunden wird.* pag. 24. - 74.

3.) *Kurzer Anhang und klare Repetition oder Wiederholung vom grossen Stein der Uralten, darinnen das rechte Liecht der Weisen wahrhafftig für Augen gestellet. Neben einem Bericht vom Queckfilber, Spies-Glas, Kupfer Wasser, gemeinen Schwefel, lebendigen Kalck, Arsenico, Salpeter, Salmiac, Wein-Stein, Essig, und den Wein* pag. 75... 112. Aliqua horum in Latinum versa separatim prodierunt, nempe Practica unà cum duodecim Clavibus, & Appendice de Magno Lapide Antiquorum

rum Sapientum. Francof. an. 1618. in 4.

4.) De Microcosmo, *oder von der kleinen Welt des menschlichen Leibes, was solche in sich hält, worans sie zusamm gebauet, und was ihr ganzer Begriff und Innhalt vermag, samt ihren Ende und Ausgang, Allen so den Grund der Weisheit lieben, das vornehmste, und zu wissen höchlich vonnöthen.* pag. 113-128.

5.) De Macrocosmo, *oder von der grossen Heimlichkeit der Welt, und ihrer Arzney den Menschen zugehörig.* pag. 129-158.

6) *Von der Meisterschafft der sieben Planeten, ihren Wesen, Eigenschafften, Krafft und Lauff, auch ihren verborgenen Geheimnissen und Verwandlung* &c. pag. 159...-172.

7.) De occulta Philosophia, *oder von der heimlichen Wunder-Geburt der sieben Planeten und Metallen* pag. 173-212.

8.) *Von den natürlichen und übernatürlichen Dingen, auch von der ersten Tinctur, Wurzel und Geiste der Metallen und Mineralien, wie dieselbe empfangen, ausgekocht, gebohren, verändert, und vermehret worden, dann auch zur Arzney dienen.* pag. 213-292.

9.) *Triumpf-Wagen des* Antimonii, *Allen, so den Grund der uralten Medicin suchen, zu gut vorgestellet.* pag. 293....445. Hoc Opus ob suam præstantiam Petrus Joannes Faber Doctor Medicus Monspeliensis in Gallia è Germanico in Latinum versum notis perpetuis ad marginem appositis illustravit, Medicinæ & Philosophiæ Hermeticæ studiosis dicavit, & Tolosæ apud Petrum Bose anno 1646. publicâ luce donavit. Prodiit etiam Lipsiæ Germanicè in 8. an. 1611.

Pars II. quinque libris de rebus chymicis absolvitur. Non ita pridem Opus anecdotum sub Basilii Valentini nomine comparuit hoc titulo: Tractatus Chymicus de quinta essentia; *welcher bishero niemahls gedrucket, nunmehro aber wegen dessen Vortrefflichkeit auf vielfältiges Begehren guter Freunde &c. wie auch einem uralten* Mf.to *dieses* Authoris, *wie nemlich aus einem gewachsenen Goldschlich eine grosse Tinctur leicht und bald zu bereiten &c.* in 8. anno 1738.

Lipsiæ etiam anno 1716. in 8. lucem publicam aspexit *Basilius Valentinus Redivivus, das ist, der wieder aufgelebte* Basilius Valentinus, *oder hellglanzendes Gestirn der* Alchymie.

Critica Censura de hisce Libris sunto ipsius *Basilii Valentini* verba in Curru Triumphali Antimonii pag. 23. *Libros ejusdem meos laudare nolo, quod me etiam dedeceret, sed re ipsâ periculo facto seipsos laudabunt.* Ego cùm artis Chymicæ imperitus sim, vidi tamen Viennæ in Bibliotheca Windhagiana virum doctum, qui eosdem per plures dies summa cum attentione evolutos præsenti mihi, sed alia agenti, magnoperè laudavit. An verò quæ sub *Basilii Valentini* nomine circumferuntur omnia Opera, sint ejus genuini fœtus, aliis disquirendum relinquo.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, Opera Chymica, quæ ejus nomine incrustata multis fucum faciunt. Aliqua tamen ab eo profecta fuisse ægrè negandum existimat V. C. Oliverius Legipont in vita n. 58. cujusmodi sunt 1.) *Physica*, seu *Commentarius de Spagirico artificio.* Extat in Theatri Chemyci tomo I. pag. 437. & in editione Argentinensi an. 1659. 2.) Augmentatio *mit dem* Mercurio Saturni. 3.) *Zwey ewige unauslöschliche brennende zeitliche Liechter.* 4. Philosophia Naturalis de Geomantia Argent. 1609. in 8. 5.) Tractatus Chymicus 1611. in 8. tomo quarto Theatri Chymici & 1598. in 8. cum Georgii Riplæi axiomatibus philosophicis &c. Idem liber XVIII. constans capitibus Germanicè inter libros Isaacii Vossii Mf. in Bibl. Leidensi pag. 466. Vide plura apud Cl. Legipont in vitâ. Quæ mea mens sit de Trithemii Alchymia, jam alio loco aperui. Nec illum, nec alium quempiam Abbatem aut Monachum ab ejus studio commendandum existimo.

ALEXANDER BUSINELLUS, nobilis Venetus, in percelebri S. Georgii Majoris cœnobio cucullum induit, quem religiosis virtutibus æquè ac nobilium literarum studio plurimùm honestavit. Cùm in Patavina Universitate Philosophiæ esset Prælector, librum edidit hoc titulo donatum: *Arion Philosophicus.* Placentiæ ex Typographia Sireniana 16... in quo amputata inepta illa, garrulàque prolixitate, quæ per superiores Philosophos plus nimio excreverat, brevi ac dilucida methodo *Naturæ scita*, quæ magno cum plausu, ac laude Genuæ, ac Placentiæ docuerat, posteris evulgavit; mortem, ut vixit

ita

ita sanctè obiit an. 1707. Armell. in Bibl. Casin. part. 1. pag. 3. & quem citat Nicol. Comnen. Papadopoli in Historia Gymnasii Patavini impressa Venetiis 1726. Tom. 1. Sect. 2. cap. 30. pag. 173. n. 6.

LAURENTIUS MORESCHI, Italus, Placentinus, Professus S. Sixti Placentiæ factus an. 1605. insignis Philosophus scripsit præter alia *Tractatum de Mari*, & *de Aqua*, qui mss. asservatur in Bibliotheca ejusdem Monasterii S. Sixti, teste Armellino part. 2. pag. 72. Est verò tractatus ille valde eruditus, & curiosus, ac selectis quæstionibus adornatus.

VITALIS TERRA RUBRA, Itali, Parmensis Monachi è Congr. Casin. in utraque Academia Bononiensi & Patavina Professoris Philosophiæ celeberrimi

Physicæ primus Cursus ad methodum antiquioris Lycæi in tractatus sex divisus.

Physicæ secundus & tertius Cursus, singuli in sex tractatus distributi, in quibus ex Aristotele primùm sparguntur semina Concordiæ Lycæi Democriti, & Chymicorum; tum absoluto & expanso Philosophorum fœdere, ex D. Thoma Aquinate, Sanctis Patribus, & ipso Peripatu stabilitur Veteres inter & Recentiores pax, & concordia in omnibus rebus physicis. Armell. Bibl. Casin part. 2.

ANDREÆ MAZZI, Neapolitani in Monasterio S. Laurentii de Aversa Professi plures annos Philosophiæ Professoris

Nodus Quantitatis solutus. Neapoli apud Dominicum Antonium Parrinum 1712. in 8. Armell. l. c. part. 1. pag. 17.

BENEDICTI BACCHINI Abbatis de la Croma ex Congr. Casin. *Dissertatio de Motionibus Mercurii in Barometro*, in qua causa ascensus & descensus Mercurii in fistula physicè explicatur, reddita ejus ratione, & de aëris pondere ad tempestatum mutationem disputatur. Armell. l. c. part. 1. pag. 81.

ANTONII STROZ è S. Lamberto, celeberrimo in Styria Monasterio, Philosophiæ in Universitate Salisburgensi Professoris *Compendium super universam Physicam*. in 4. Salisburgi an. 1696.

CAROLI GRUEBER Cremifanensis in Austria superiore amplissimi Monasterii Ascetæ, ac in Univers. Salisburg. Philosophiæ Professoris *Theatrum naturæ ex octo libris Physicorum generaliter explicatum*, in 4. Salisburgi 1672.

-- *Opposita juxta se posita ex libris de cælis, & libris de ortu & interitu*. in 4. ibid. 1672.

FRANCISCI LAMI è Congr. sancti Mauri, Philosophi non unius è multis, sed oppidò docti *Conjecturæ Physicæ de stupendis effectibus Tonitrui* typis datæ an. 1688. & recusæ 1689. Vid. le Cerf pag. 192.

FRANCISCI DE CASTILLO CALDERON Exorcismus Pnevmatis Macrocosmi Physico-Theologicus contra Ethoicos Philosophos, Pseudo-Trismegistos, & Anti-Platones, qui asserunt mundum esse hominem magnum, ingenerabilem & incorruptibilem, immortalem, felicem, nec non adversùs neotericos Academico-Pnevmocosmicos, qui putant (salva supernaturalis fidei veritate) posse admitti, macrocosmum esse, ad minimum, maximum animal: cujus forma substantialis sit simplex spiritus, realiter indivisibilis, totus in toto Universo, totus in quolibet elemento, & totus in quavis parte ejus, ingenerabilis & incorruptibilis: ac per consequens, nullam dari generationem substantialem aut corruptionem. Pragæ typis Georgii Czernoch, an. 1677. in 4.

INNOCENTIUS COESIUS, Italus, Mantuanus, Padolyronensis Monasterii Alumnus Philosophiam, Venetiis, Mantuæ, alibíque celebri fama diu docuit, annóque 1704. ad plures abiit. Inter egregia, quæ conscripsit Opuscula, huc spectant

1.) *Meteorologia artificialis, & naturalis*, Parmæ anno 1687. typis Galeatii Rosati. Opusculum sanè eruditum & curiosum, in quo breviter ac perspicuè modus, quo natura gignat meteora, explicatur, deinde artificialis modus eadem meteora, proportione servata, efformandi docetur.

2.) *De qualitatibus dissertatio physico-experimentalis*. Mantuæ anno 1700. ex typographia S. Benedicti per Albertum Pazzonum. in 8 pag. 82.

3.) *De meteoris Dissertatio physico-experimentalis*, ibid. apud eundem eodem anno in 8. quod opusculum idem omnino est cum *Meteorologia artificiali & naturali* edita Parmæ anno 1687. nisi quòd in hac editione Mantuana tria capita prioribus addantur, nempe IX. *de fluxu & refluxu Maris*.

X. *de Maris salsedine*, & XI. *de Fontium & Fluminum origine.* Omnia tamen juxta nuperæ Philosophiæ principia, quam intellectui & sensuum captui magis congruam & accommodatam ipsi quidem recentiores Philosophi arbitrantur. Armell. l. c. part. 2. pag. 14.

ANSELMI DESING Philosophia Aristotelica secundùm explicationem Divi Thomæ Aquinatis, subditis suis ad Physicam particularem instructa. Salisburgi 1741. in 8.

ANDREÆ GORDON *Phænomena Electricitatis.* Erfordiæ an. 1744. & 1745.

§. IV.

Scriptores Ethicæ, seu Morum Scientiæ.

S. MARTINI ex Abbate Dumiensi Archiepiscopi Braccarensis in Lusitania an. 580. defuncti, *Libellus de moribus*, quem cum commentario ediderat Leodegatius à Quercu Paris. an. 1556. in 4. extat in Biblioth. Patrum. Cum hoc libello prodiit eodem loco & anno alius liber *de Paupertate*, quem cum priore libello *de moribus* Labbeus & nonnulli alii confundunt. Confer Baluzium in Lupi Ferrar. Epist. LXIV.

ASSERIUS inter primos Benedictinos Oxoniensis Academiæ Professores *Boëtium de Consolatione Philosophiæ* lucidis commentariolis illustravit. Jo. Leland. de Script. Angl. cap. 118.

VEN. HILDEBERTI ex Monacho Cluniacensi Episcopi primùm Cenomanensis, deinde Turonensis Archiepiscopi Sec. XII. *Moralis de Honesto & Utili Philosophia*, quatuor libris distincta, & nonnisi è variis Senecæ, Ciceronis, Taciti & aliorum veteris scholæ Philosophorum scriptis adoptata. Extat inter ejus Opera ab Antonio Beaugendre è Congr. S. Mauri edita Parisiis fol. an. 1708.

– EJUSDEM *Tractatus Metricus de quatuor virtutibus vitæ honestæ*, qui nihil aliud est, quàm synopsis sententiarum & præceptorum moralium ab ipso in egregio suo Tractatu de *Honesto & Utili collectorum.* l. c.

– EJUSDEM *Liber de Querimonia*, sive *de Conflictu carnis & animæ partim prosa, partim metro ad imitationem Boëtianæ Consolationis Philosophiæ*, l. c.

RUTARDUS Abbas Corbeiæ novæ in Saxonia circa annum MLX. Sed quorundam criminum falsò, ut testatur Lambertus Schaffnabutgensis, insimulatus, Abbatiâ amissâ, nonnullos per diversa monasteria privatus exegit annos. Hoc suum exilium æquissimo ferens animo scripsit *de Tranquillitate vitæ* pulcherrimum libellum, in quo seipsum multimodâ ratione consolatur, dicens: mortalem non debere turbari propter quoscunque eventus rerum transitoriarum, cùm omnia sint mortis adventû terminanda in brevi, quæ mortalibus in hac vita molesta videntur occurrere. Meruit verò Richardus morali sua Philosophia, quam non ratione tantùm, sed vitâ etiam docuit, præstantissimo philosophandi genere, ut in Abbatem Hirsfeldensem assumeretur. Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an. 1060.

MILONIS, Elnonensis Monachi *Carmen de Sobrietate*, quod Carolo Calvo Imp. ac Galliæ Regi dedicavit.

PETRI ABÆLARDI, Monachi S. Dionysii in Francia, *Theologia Morum*, sive *Ethica* liber inscriptus: *Scito te ipsum*, reprehensus à S. Bernardo, quamquàm ajunt (Caveus in Hist. Lit. Eccl. ad an. 1120.) ab Abælardo non fuisse pro genuino suo fœtu agnitum. Prodiit in Bernardi Pezii Thes. Anecd. Tom. 3. pag. 927-988.

NIGELLI DE WETEKRE Monachi Cantuariensis circa annum 1200. *Versus*, quibus monita moralia continentur, ad Guilielmum Episcopum Eliensem Richardi I. Angliæ Regis Cancellarium missi: Vide non procul ab initio, ad libellum:

Quæsitus regni tibi Cancellarius Angli
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est, qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit.

Extant mss. in Biblioth. Cottoniana, sub effigie *Julius* Lit. A. Cod. VII. n. 5 Vid. Smith. in Catal.

GODEFRIDI Prioris Ecclesiæ Cathedralis Wintoniensis circa an. 1107. *Versus de moribus & vita instituenda* asservantur in Biblioth. Cotton. sub effigie *Vitellius* Lit. A. Cod. XII.

JOANNIS WILTONI, Monachi Cantuariensis circa an. 1360. *Horologium Sapientiæ* libris VII. quod magnis laudibus, qui legerunt, efferunt, & cum veterum scriptis propè conferendum judicant, teste Baleo VI. 17. apud Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 4. pag. 458.

VEN.

VEN. ENGELBERTI, Abbatis Admontensis, qui sub Rudolpho I. & Alberto I. Rom. Impp. floruit, *Speculum Virtutum Moralium*, ad Gloriosissimos Juvenes, Austriæ Duces, Albertum & Ottonem Tractatibus XII. comprehensum. Edidit Bernardus Pezius Bibl. Ascet. Tom. III. etsi ipse fateatur, Opus hoc Principibus præcipuè, ac ad regendam Rempublicam natis destinatum esse, universìmque magis Ethicam, quàm Ascesim spectare. Ratisbonæ sumptibus Conradi Peezii an. 1724. in 12.

PHILIPPUS DE BERGAMO, Prior Cœnobii S. Mariæ de Avantia de Padua, vir in divinis Scripturis eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, scripsit volumen magnum & insigne super Ethicam Catonis, quod se vidisse testatur Trithemius de Vir. Illust. Ord. S. B. lib. 2. cap. 129. Claruit verò *Philippus* circa an. 1350.

JOANNIS SCHLITTPACHER, Prioris Mellicensis Sec. xv. *Commentaria in libros Priores 6. Ethicorum*, quos scribere incœpit an. 1429. Vide Bibl. Mellic. pag. 413.

ISIDORI CLARII Parmæ in Monast. S. Joan. Evangelistæ a. 1517. Professi, tum Episcopi Fulginatis Opusculum *De modo divitiis adhibendo*, quod olim typis impressum cùm valde rarescere cœpisset, Benedictus Bacchinus iterum prælo subjecit Mutinæ an. 1705. typis Antonii Capponi in 4.

JOACHIMUS PERIONIUS scripsit *De optimo genere interpretandi*, sive *de Moribus*, videlicet Comentarium in Aristotelis 10. libros Ethicorum, qui excusus est Basileæ in 8.

JACOBUS MAJORICA, Neapolitanus, in Monasterio S. Severini ibidem Professus anno 1605, collegit ex SS. Patrum ac Philosophorum Operibus, quorum lectio illi frequentissima, varias sententias ac documenta, ad rectam vitæ rationem instituendam. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 8.

BENEDICTI DE UVA, Itali, Campani, Monachi Cassinatis ac Poëtæ nobilissimi *Dorotheo, overo Istruzzione per la Gioventa.* id est: *Dorotheus*, seu *de Institutione Juventutis*, Poëma. Florentiæ operâ Camilli Peregrini, & Regii Lepidi apud Flavium & Flaminium Bartholum anno 1608. in 4. Armell. part. 1. p. 102.

BENEDICTI BACCHINI, Parmensis, ad S. Joan. Evangel. Monachi, tum variorum in Congr. Casin. Monasteriorum Abbatis *Dialogi III.* Primus *de Constantia in adversis.* Secundus *de Dignitate tuenda.* Tertius *de Amore erga Rempublicam*; qui suppresso nomine prodiere Mutinæ anno 1692. typis Hæredum Cassiani in 32. operâ Jacobi Cantelli Ducis Mutinensis Geographi, & iterum Parmæ typis Josephi Rossati anno 1721. in 12. in quibus Ethices documenta tractantur, Apologo quodam ficto per ethopeiam adhibito. Hos Dialogos plurimùm laudat Cinellus Biblioth. Volant. pluteo xi. pag. 34. & seq. vocans eos doctissimos, elegantissimos, & judicii plenissimos, ubi etiam affert encomia Authorum Actorum Erud. Lips. mense Septembri an. 1692. p. 409. & seqq. ubi. „ Dedit, inquiunt, „ hanc Dialogorum Trigam Doctiss. „ Vir. P. D. Benedictus Bacchinus Sereniss. Mutinæ Ducis hoc tempore „ Historiographus„ & in fine pag. 413. „ Omittimus, quæ passim Socratico „ more inspersit Author monita politica quàm plurima; neque attingimus pulcherrimos discursus, qui „ ex Jurisprudentiæ, Medicinæ, Physicæ, atque Mechanicæ latifundiis „ sic inseruntur subinde, ut erudito „ Lectori, & attento videantur, non „ minori esse delectationi, quàm emolumento posse. „ Ipse Bacchinus in sua Ephemer. Literat. anno 1692. p. 50. & seq. refert, & accuratè describit libellum suum trium Dialogorum, tanquam alterius, non suus esset, sed in vita sua à se scripta num. 14. modestè se eorundem Dialogorum Authorem prodit. Vid. Armell. Bibl. Script. Casin. Congr. part. 1. pag. 80.

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE S. R. E. Cardinalis *Philosophia Morum*, sive *Libri decem Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum Commentariis illustrati. Salmanticæ* 1675. *fol.*

EJUSDEM *De Virtutibus & Vitiis morum*, sive *Disputationes variæ in Philosophiam moralem ab Aristotele traditam.* ibid. fol. an. 1677. & Romæ 1697. fol. apud Antonium de Rubeis. Hæc ultima editio titulo nonnihil immutato vulgata fuit, qui sic habet: *De Virtutibus & Vitiis Disputationes Ethicæ, in quibus accuratè disseritur, quidquid ferè spectat ad Philosophiam moralem ab Aristotele traditam decem libris Ethicorum ad Nicomachum*: de quo libro Acta Erudit. Lips. an. 1698. p. 119. 120. his verbis: Contemplatricem Philosophiam Tomis III. comprehensam, & Ethicam, seu Moralem Tomis II. absolutam, tertio etiam de Virtutibus & Vitiis adjecto Salmanticæ luci publicæ exposuit.

Eminent. Card. de Aguirre. Eorum verò Operum pleraque revisa & emendata, cùm in devexa nunc ætate Romæ recudere constituisset--- nunc quidem opus illud de *Virtutibus & Vitiis* non Theologicis, sed quatenus intra terminos rationis naturalis & moralis continentur, agi vel ex eo intelligitur, quòd Philosophicis Eminentissimi Auctoris Scriptis hoc Opus annumeraverimus. Methodum verò servatam in illo eam, quam in decem libris Ethicorum ad Nicomachum Aristoteles tenuit, ipsum libri frontispicium testatur. Vid. M. B. E pag. 163.

GASPARIS de BAVINCOURT Abbatis Audenburgensis in Belgio Libri II. *De sui cognitione* memorantur à Foppenio in Bibl. Belg.

ANDREÆ GORDON *Philosophia Moralis in usum juventutis, speculationibus vanis & inutilibus omissis, concinnata.* Erfordiæ anno 174..

FRANCISCI LAMY è Congreg. S. Mauri *De la Connoissance de soi même*, id est: *De cognitione sui ipsius.* in 12. Parisiis quinque vol. Primum prodiit an. 1694. duo sequentia an. 1697. 4.tum & 5.tum an. 1698. Opus celebre, & magni ubivis æstimatum.

ALEXANDRI LELLI, aliàs de Vignatis, Itali, Perusini, è Congr. Casin. in Colleg. S. Anselmi Romæ Ss. Theologiæ Professoris *Ethica novâ methodo adornata.* Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 4.

PAULI STOCKER è S. Paulo in Carintbia, Philosophiæ Professoris in Universitate Salisburgensi an. 1707. *Sapientia Politica Symbolica*, hoc est: *Virtutes & Symbola Cæsarum Austriacorum Thesibus philosophicis & Ethicis explicata.* Fol. Salisburgi an. 1707.

SEBASTIANI MAYRLECHNER, Cremifanensis, in Universitate Salisburgensi Philosophiæ Professoris an. 1720. *Apparatus Philosophicus succo prudentiæ, sive reflexionibus moralibus illustratus.* Salisburgi in 4. maj. an. 1721.

OTTONIS AICHER è S. Vito Ethices Professoris in Universitate Salisburgensi ab an. 1675. ad anno usque 1705. *Institutiones Ethicæ, sive Discursus morales in X. libros Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum. Quibus accessit liber de honore & nobilitate.* in 8. Salisburgi an. 1696.

ANSELMI SCHRAMB Mellicensis *Ethica* seu *Philosophia Moralis sententiis & documentis illustrata*, anno 1695. Viennæ Typis Cosmerovianis in 8. Editio auctior & posterior ibid. apud Jo. Frid. Hartung an. 1705. in 8.

§. V.

Qui in Platonem, Aristotelem, Porphyrium, universamque Philosophiam comentati fuerunt.

SYLVESTER II. ante summum Pontificatum vocabatur *Gerbertus*. Ejus est *Libellus in quendam Porphyrii locum*, de quo Mabillonius Tom. II. Analect. pag. 215. sequentibus verbis: „ *Gerberto* tribuendum existimo libel- „ lum in quendam Porphyrii locum; „ cujus libelli præfatio ad Ottonem „ III. Imperatorem edita est in To- „ mo I. Analectorum; Opusculum „ illod esse *Gebehardi* Augustensis Epi- „ scopi, conjectabar in Notis ad eam „ præfationem: at re maturiùs ex- „ pensa id *Gerberto* adjudicare visum „ est. „ Ita Mabill. in addendis ad Tom. I. Analect. Sub *Gerberti* nomine edidit Bern. Pezius Thes. Anecd. Tom. 1. part. 2. pag. 148.

S. DUNSTANUS ex Abbate Glastoniensi primùm Wigorniensis, deinde Londinensis Episcopus, & tandem Archiepiscopus Cantuariensis scripsit *De occulta Philosophia.* Vid. Pits. æt. 10. pag. 179.

B. GUILIELMI, seu *Wilhelmi* Abbatis Hirsaugiensis *Institutionum philosophicarū libri tres*, quos Basileæ apud Henricum Petri excusos fuisse testatur Possevin. Appar. Sac. tom. 1. p. 735.

DAVIDIS, Monachi S. Jacobi Herbipolensis, antehac eadem in urbe Scholastici, & Cæsarei Historiographi *Libri II. in Peribermenias Aristotelis.* Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 1137. pag. 404.

ENGELBERTI Abbatis Admontensis *Magnum Commentum super librum Aristotelis de Mundo* inter cætera ejus Opera philosophica jam §. III. commemoravimus.

BENEDICTUS de S GERMANO, Monachus Casinensis, in Philosophia doctissimus, adeò ut suis temporibus in Casinensi Congregatione nemini fuerit secundus, scripsit super libros *Peribermenias*, Priorum & Posteriorum Aristotelis, super libros de anima ejusdem. Extant disputationes in libros Prædicamentorum Aristotelis, & pulcherrimum illud Opus, quod inscribitur *Proverbia Animalium.* Plac. Diac. in Supplem. Vir. Ill. Casin. cap. xix. floruit an. Dom. 1570.

BENEDICTUS MAJORICENSIS, seu ex Insula Majorica Monachus S. Pauli in Urbe, Congreg. Casin. scripsit circa an. MDXXX. *Commentaria in Prædicabilia Porphyrii.* Nicolaus Ant. in

Bibl.

Bibl. Hisp. Nov. Ea MSs. Romæ asservari testatur Ant. Possevin. Bibl. Select. Tom. I. l. 12. c. 3. p. 52.

LAURENTIUS MASSOLUS, nobilis Venetus, in Monasterio S. Benedicti propè Mantuam monasticam regulam anno 1538. professus, insignis fuit Philosophus: ab eo circa anum 1550. edita fuit *Concordia Platonis & Aristotelis*. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 70.

THEOPHILI FOLENGI, Itali, Mantuani, è Congr. Casin. *Metaphysica adversùs Platonem*, cujus meminit Joannes Gaddius de Scriptoribus non Ecclesiasticis tom. 1. pag. 184.

SALVATOR, Italus Cremonensis, Monachus Parmensis in Cœnobio S. Justinæ edidit librum, cui titulum dedit: *Totius Philosophiæ Humanæ in Rationalem, Naturalem, & Moralem* digestio, & earundem partium luculentissima enucleatio, tribus libris consumatam notitiam maximè complectens. Regii apud Flavium & Flaminium Bartolos anno 1604. in 4. Armell l. c. pag. 168.

FRANCISCUS RUIZ, aliàs de Valladolid, Pinzianus in Hispania Benedictinus, atque Monasteriorum Salmantini, Zamorensis, & S. Facundi Abbas claruit sub medium Seculi XVI. ac scripsit *Indicem locupletissimum in Aristotelis Stagiritæ omnia, quæ extant, opera*, duobus tomis editum in cœnobio S. Facundi an. 1540. in fol. *In quo*, ut ipse ait, *tam multa exposita sunt in quàm plurimis & obscuris apud Aristotelem locis, quæ aut perperàm intellecta usque ad hoc tempus, aut omnino sunt prætermissa, ut vice Commentarii attento lectori esse possit.* Accedit ejusdem *Judicium de Aristotelis Operibus.* Nic. Ant. Bibl. Hispan. tom. 2. pag. 359.

ANONYMUS Benedictinus Hispanus de Canales ex Monasterio de Hierarche dedit versibus antiquis Castellanis eo metri genere, quod *Coplas de arte major* illa ætas dixit

Compendio de tota la Filosofia natural de Aristoteles. Stellæ Navarræorum apud Hadrianum de Amberes an. 1547. in 4. Nic. Ant. l. c.

COLUMBANUS à BOBIO è Congr. Casin. scholasticis literis præcipuè philosophicis enituit seculo XVI. Extant Mediolani in Ordinis nostri Bibliotheca Glassiatensi satis prolixa Commentaria in plerosque Aristotelis libros ab eo composita, viz.

1.) *Commentaria præclara in quatuor priores libros Aristotelis de Physico auditu* anno 1572.

2.) *In IV. posteriores ejusdem libros de eodem physico* anno 1580.

3.) *In quatuor libros de Cœlo & Mundo* an. 1584.

4.) *Commentaria in* 1. 7. 8. 9. & 12. *lib. Metaphysicorum Aristotelis* an. 1586. Magna sanè volumina in fol. &, ut ibi dicitur, maximis laboribus confecta: ubi etiam se vidisse alia quædam volumina rerum philosophicarum eàdem prorsùs manu exarata scribit Armellinus in Bibl. Casin. part. 1. pag. 120.

ANDREAS RAYNERIUS, Italus, Parmensis, Monachus ac Prior in Civitatis suæ insigni monasterio S. Joannis Evangelistæ, Placentiæ, alibíque non sine magno auditorum plausu & emolumento philosophiam superiore seculo perdocuit. Ab eo edita est

Triplex Philosophia, *Rationalis, Naturalis, ac Prima*. Placentiæ in Camerali Typographia Joannis Bazachi anno 1600. in 8. Armell. l. c. part. 1. pag. 18. Meminit hujus Operis Joannes Mabillonius Itin. Ital. tom. 2. pag. 208. his verbis: *Loci* (Parmæ) *Prior Andreas Raynerius, vir doctus, libros de philosophia à se compositos nobis dono dedit.*

HONORIUS THOTUS à Cava Campaniæ Oppido, in seculo Philosophiæ ac Medicinæ Doctor percelebris, deinde in Monasterio SS. Trinitatis Cavensis Monachus factus anno 1609. die 10. Julii, ac posteà Decanus, & Sac. Congreg. Indicis Romæ Consultor in philosophica scientia magnos exantlavit labores; nam annos ferè triginta meditando, ac discutiendo Aristotelem insumpsit, ut genuinum ejus sensum assequeretur, quod ubi se obtinuisse existimavit, typis edidit in eundem Aristotelem tomos tres, quorum talis est titulus:

1.) *Novi Aristotelis sensus reconditi Paraphrasis, Explanatio, Coordinatio, summique ejus artificii detectio in Acroamaticis, tomi tres: quibus nibil aliud à Magistro prætendi demonstratur (per tot secula nunquam penetrata intentione) quàm sensata & artificiosa Inventio Principii & Finis hujus medii sensibilis, scilicet evidenter ostendere, Deum esse, & animam esse immortalem.* tom. 1. Neapoli apud Dominicum Montanarum an. 1636. in 4. variis cum figuris ad Physicas &c. demonstrationes faciendas.

2.) *Tomus secundus de toto medio sensibili, quod hic Mundus ob Animam est, in libris de Cœlis, de Generatione, & Meteoris.* ibid. eodem anno.

Tomus tertius de fine Cui omnium Corporeorum, in tribus libris de anima inclusis Parvis Naturalibus, ibidem eodem anno. Opus Philippo IV. Hispaniarum Regi dicatum. Obiit Thotus circa an. 1608. Armell. l. c. part. 1. pag. 235.

CONSTANTINI à BRIXIA, Monasterii SS. Faustini & Jovitæ in eadem Urbe Alumnus, ac Venetiis in percelebri Cœnobio D. Georgii Majoris Philosophiæ Professoris, Aristotelicæ doctrinæ parùm addicti

Novus ad liberè philosophandum aditus Tom. I. Mf.^{tum} Venetiis in Bibliotheca ejusdem Monasterii sign. num. 330.

CYPRIANUS BENAGLIA, Italus, Brixianus è Congr. Casin. ætatis 16. annum nondum transgressus, Philosophicas ac Theologicas Theses nullo præsidente Magistro, perquàm egregiè defendit. Vigesimum verò primum annum agens, novæ ac antiquæ philosophiæ libros quatuor solida brevitate concinnatos in lucem dedit, quibus intellectûs sui acumen & doctrinæ præstantiam satis ostendit. Titulus librorum est

Examen Philosophiæ novæ & veteris tom. IV. in 4. Brixiæ apud Jo. M. Ricciardum an. 1699. cùm nempe ibidem publicè Philosophiam doceret. Armell. l. c. p. 145.

VITALIS TERRA RUBRA, nobilis Parmensis, Cœnobii S. Joannis Evangelistæ ejusdem urbis Alumnus, ac Doctoris laureâ insignitus, in præcipuis Congregationis Casinensis Monasteriis viginti quinque annorum spatio Philosophiam & Theologiam Moralem docuit. Genuinam Aristotelis mentem assequi, aliisque explicare tanta vi, ac energia est conatus, ut ab omnibus summus Philosophus audiret, eáque propter Bononiensis Lycæi Moderatores publicam Philosophiæ cathedram ei contulerint, quam annis 18. multa cum laude conscendit; non enim rudem, nudámque, ut plerique, sed aliarum quoque scientiarum ornamentis ac multiplici doctrinarum varietate illustratam philosophiam tradebat, ita ut voluptatem utilitati conjungens, omnibus arrideret. Bononiâ Vitalis Romam, hácque relictâ Patavium concessit à Venetorum Republica ad ordinariam Philosophiæ cathedram invitatus, eáque in Athenæo plures annos doctrinæ fama resplenduit, omnibus aliis Magistris, Nobilibus, ac Principibus Viris ob eruditionem æquè ac modestiam, morúmque comitatem percharus. Diem extremum clausit an. 1692. ætatis suæ 71. scripsit ac reliquit multa philosophica adhuc inedita, inter quæ *Clavis aurea Aristotelis*, sive *Prodromus Concordiæ omnium Philosophorum*. Armell. l. c. part. 2. pag. 14.

PETRUS PAULUS GINNANI, nobilis Ravennas, in patria Urbe apud S. Vitalem Professus, atque ob doctrinæ præstantiam Academicis *Concordibus*, *Informibus*, & *Excitatis* adscriptus cùm Philosophiæ placita publicus Professor explicaret, Theses Philosophicas methodi ac materiæ admodùm singularis Orbi Literario exhibuit; earum titulus hic est:

Theses ex universa Philosophia sub faustissimis auspiciis Eminent. ac R.^{mi} Principis D. Angeli Mariæ Quirini Patricii Veneti S. R. E. Cardin. Amplissimi Brixiæ Episcopi ex Abbate Casinensi, publicè propugnandæ à D. Cypriano Veneto Monacho Casinensi, P. D. Petri Pauli Ginani à Ravenna Philosophiæ ac Geometriæ Professoris Auditore, Ravennæ ex typographia Ant. Marci Landi anno 1728. in fol. pagg. 64. absque Epistola Nuncupatoria. Hic titulus hujusce argumenti lucubrationibus communis videri potest, sed res sub eo contentæ usitatas Philosophicarum Thesium metas longè transiliunt, & in latissimos totius Philosophicæ Historiæ campos liberrimè pervagantur. Ibi enim Philosophiæ origo ab ipso mundi exordio, & progressus ad hæc usque tempora breviter texitur; Philosophorum sectæ omnes paucis describuntur; Anni ab orbe condito Periodi Julianæ, & Æræ vulgaris, quibus illi floruerunt, vel obierunt, indicantur, Authoribus, qui hisce de rebus loquuntur, allegatis. Philosophorum tum veterum, tum recentiorum celebriores sententiæ afferuntur; quidquid hactenus eorum singuli tum in Physica facultate, tum in Astronomica, Geographica, & Anatomica noviter detexerunt, enarratur: adeò ut totius Philosophiæ antiquæ pariter & neotericæ conspectus & synopsis hæ Theses jure appellari possint, meritò propterea ab omnibus, qui eas legerunt, plurimùm laudatæ. Vid. Armell. part. 2. pag. 132.

AMBROSII FREYENBICHEL, Styri, Oberndorffensis, in Garstensi Monasterio Superioris Austriæ Professi ac

Phi-

Philosophiæ Professoris in Universitate Salisburgensi

Integra Philosophia Thomistica secundùm causas in tabulis compendiosè depicta. in 4. Salisburgi an. 1708. Author in Abbatem sui Monasterii anno 1715. electus magna prudentiæ fama præfuit. Quapropter Statuum Provincialium cum Ordinarius tum Extraordinarius Deputatus tantum dexteritate sua promeruit, ut Invictissimo Cæsari Carolo VI. dignus sit habitus, quem transmissa augustissima effigie honoraret. Vid. Hist. Salisburg. Univers. lib. 2. cap. VII. p. 292.

PLACIDI RENZ Imperialis Monasterii Weingartensis, vulgò ad Vineas, Professi Senioris, ad Cellam S. Pantaleonis Martyris seu Monasterii in Hofen Prioris *Philosophia ad mentem Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis Tomi III.* in 8. Editio tertia ab ipso Authore aucta & revisa Coloniæ Agrippinæ sumptibus Ottonis Josephi Stainhaus an. 1723. Prima prodiit an. 1697. Editio autem secunda accurata fuit Altorfii ad Vineas an. 1717. Hæc Philosophia à soliditate doctrinæ cum perspicuitate, nitore, & sermonis elegantia conjunctæ plurimùm, nec immeritò ab omnibus laudatur.

LUDOVICI BABENSTUBER, Ettalensis Monachi, atque in Universitate Salisburgensi Philosophiæ Professoris

Philosophia Thomistica Salisburgensis, sive *Cursus Philosophicus* secundùm doctrinam D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici in celeberrima Archiepiscopali Universitate Salisburgensi methodo & normâ ibidem usitata concinnatus, ac typis vulgatus anno 1705. in fol. Hæc Philosophia cùm quam plurimos nacta esset lectores, recusa fuit anno 1738.

FRANCISCI LAMY è Congreg. S. Mauri Philosophi excellentis doctrinæ *Léttres Philosophiques sur divers sujets importans*, id est: *Epistolæ Philosophicæ de diversis magni momenti rebus*, in 12. Parisiis an. 1703.

ANSELMI SCHNELL Imperialis Monasterii Weingartensis Cœnobitæ *Cursus Philosophiæ Aristotelico-Thomisticæ abbreviatus*, tres partes in 8. Aug. Vindel. an. 1737. typis Ant. Maximil. Heiss. Est Tractatuum philosophicorum omnium Summa, seu Compendium.

BERNARDI OBERHAUSER Ettalensis Philosophiæ Professoris in Universitate Salisburgensi; tum in Ettalensi Illustrium studio *Philosophus Peripatetico-Thomisticè discurrens* ex universa Philosophia rationali, naturali, transnaturali, politico-morali, Geographico Historica, in fol. Augustæ Vindel. typis Lotterianis apud Math. Wolff Bibliopol. anno 1730.

ALPHONSI WENZEL ad montem S. Joannis Apostoli & Evangelistæ in Mallerstorph Professi, ac Sacerdotis Jubilæi, olim per plures annos in communi studio Almæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ substituti, tum etiam in illustrissimo Archi-Cœnobio ad S. Martinum in sacro monte Pannoniæ; tum denique in Inclyto & Episcopali Lycæo Frisingensi Ss. Theologiæ Professoris, ac ejusdem Lycæi Regentis

Philosophia Angelico-Thomistica, seu Quæstiones Peripateticæ ad mentem D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, & accuratam Scholæ Angelicæ methodum concinnata, Tomi III. in fol. Augustæ Vindelicorum sumptibus Martini Veith Bibliopolæ, an. 1739.

ANGELI MARIA QUIRINI S. R. E. Card. *Dissertatio duplex de Platonica doctrina* ex veterum Ecclesiæ Patrum mente, extat in bina Epistola ad San-Germanenses Monachos, eorúmque Superiorem Generalem transmissa, typis excusa Romæ an. 1743. Epistolarum Latinarum Dec. 2.

ANDREÆ GORDON, Benedictini Scoti, in Academia Erfordiensi Philosophiæ Professoris perquàm celebris, *Philosophia jucunda & utilis.* Anno 1745. Obiit an. 1751.

PLACIDI RENZ, junioris, antehac Philosophiæ Professoris in Universitate Salisburgensi, hodie verò dignissimi Abbatis celeberrimi sui Monasterii Weingartensis, *Philosophia Aristotelico-Thomistica.* Aug. Vindel. & Lincii an. 1141. in fol. sumptibus Franc. Ant. Ilger.



SECTIO

SECTIO III.

MATHEMATICI.

§. I.

Qui de Mathesi in genere scripserunt.

PRiusquàm de iis Scriptoribus agamus, qui de *Quadrivio*, id est, quatuor disciplinis Mathematicis *Arithmetica*, *Geometria*, *Astronomia*, & *Musica* in Scholis Benedictinis olim tradi solitis scripserunt, tecensendi videntur, qui de Mathesi in universum libros ediderunt.

BRIDFERTHUS, aliis *Bridfrithus*, Lelando cap. 136. *Brightefertus*, Saxo, Monachus Ramesiensis, Abbonis Floriacensis discipulus, circa annum 1000. ætatis suæ prodigiosa studia secutus, ad Mathesin acerrimorum ingeniorum excitatricem, animum applicavit. In quo eruditionis genere, inquit Lelandus) sic postea enituit (ut artem per se claram depictis graphicè organis, & additis commentariis tum doctissimis tum lucidissimis clariorem adhuc redderet. Huc spectat

De Principiis Mathematicis Lib. I. Vide Baleum Centur. 2. cap. 35. & Pitseum de Ill. Angl. Scriptor. æt. 10. pag. 177.

LUDOVICUS MAYNERIUS Aquisfextus in Gallia Narbonensi nobili familia natus est, & anno 1614. die 6. Jan. Monasticum Institutum amplexus fuit in celeberrimo Lirinensi Cœnobio, quod anno 1516. à Leone X. Pontif Max. Casinensi Congreg. unitum fuerat. Ibi Oeconomi primùm, seu, ut dicimus, Cellerarii, deinde Pro-Prioris, demúmque Abbatis munere functus est. Floruit insigni doctrina & etuditione præsertim in Mathematicis disciplinis, quibus plures annos Parisiis degens Regios Galliarum Principes erudivit: edidit

Mathematicarum Institutionum tomos duos Parisiis impressos, quorum tamen posterior ob Auctoris ex hac vitâ decessum, imperfectus remansit. Armell. c. l. part. 2. pag. 88.

ODOARDUS de TONSIS, Italus, Vicentinus, è Congr. Casin. vir fuit in Astronomia, Geometria, Arithmetica aliisque Mathematicis disciplinis plurimùm versatus ac celebris, de quibus quàm plurima reliquit m.ta; quorùm tamen major ac potior pars ablata post ejus obitum fuit, illa verò quæ plagiarii effugerunt manus, vel quibus illæ pepercerunt, extant nunc in Bibliotheca ejusdem monasterii, scilicet

Scripturæ Mathematicæ tom. I. in 4. Armell. part. 2. pag. 118.

ANASTASIUS SCHREITTER Weissenfelsæ in Saxonia Lutheranis parentibus procreatus, anno 1601. teneros annos in patriis scholis exegit, cúmq; Germaniæ Academias amplioris scientiæ hauriendæ gratia invisere statueret, lumen Catholicæ fidei, quod patria sua exularat, hîc loci recepit, útque eò uberiùs meliora charismata à mundi tumultibus jam securus sectaretur, spreto neglectóque mundo monasticam vitam apud San-Blasianos in Sylva Hercynia anno 1626. suscepit. In Universitate Salisburgensi præter alias cathedras etiam Matheseos conscendit, quam anno 1632. docuit. Vivis exemptus anno 1650. reliquit inter alia *Miscellanea quædam Mathematica* MS. Vid. Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. cap. 7. p. 293.

PAULUS PRIEFER, Burgstallensis Austriacus, Monachus Garstensis in superiore Aostria fuit in Universitate Salisburgensi Professor Matheseos ab anno MDCCV. usque MDCCXV. editus in lucem ab ipso fuit

Mundus Physico-Mathematicis quæstionibus elucidatus. Salisburgi typis Academicis fol. min. an. 1713.

CORBINIANUS THOMAS, Suevus, Augustanos, Imperialis Monasterii Elchingensis Alumnus, multos annos in Universitate Salisburgensi magna doctrinæ fama Methematicas tradidit disciplinas, ac Ephemerides Salisburgenses variis *Erotematibus Mathematicis* condecoravit. Is ipse Cl. Author anno 1728. edidit Salisburgi in 12. *Mercurii Philosophici Prodromum* de præstantia, utilitate, methodo &c. Studii experimentalis Physico-Mathematici, ad Leopoldum Archiepiscopum Salisburgensem.

CY-

CYPRIANUS BENAGLIA, Italus, Brixianus, Monachus S. Mariæ de Pratalea in collibus Euganeis factus anno 1694. Brixiæ in Monasterio SS. Faustini & Jovitæ, eodem prorsus tempore, Philosophiam, Theologiam, ac Jus Pontificium, undique confluenti juventuti tradebat, ac insuper bis in hebdomada in percelebri Errantium Academia ejusdem Urbis, Mathesim, quam egregiè callet, ab ejus Urbis Magistratu electus edocebat. Scripsit, sed per typos minimè adhuc evulgavit

Mathematicum, ut vocant, *Cursum.*

Plura de Viro hoc undequaque doctissimo legesis apud Armell. Bibl. Congr. Casin. part. 1. pag. 145.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *Dissertatio in laudem Mathematices.* Opus MS. Vide ejus Indicem librorum in Mantissa ad Commentarium Rerum Augustan.

§. II.

Scriptores de Arithmetica, & Arte Computistica sive Calculatoria.

VEN. BEDÆ lucubrationes Arithmeticæ complures, quæ Operum ejus Tomo I. continentur.

1.) *De Arithmeticis numeris* pag. 72. 2.) *De diversis speciebus numerorum, & mensa Pythagorica* pag. 75. 3.) *De computo Dialogus* pag. 85. 4.) *De divisionibus temporum* p. 89. MS. Codex auctior commendatur à Mabillonio Tomo I. Musei Italici p. 69. 5.) *De Arithmeticis positionibus*, sive problematibus, *& earum solutionibus* pag. 100. 6.) *Libellus de asse & partibus ejus, & de ratione calculi* pag. 111. 7.) *De numerorum divisione* ad Constantinum pag. 123. 8.) *De loquela per gestum digitorum, & de temporum ratione* p. 127. cum glossis Bridferthi, Monachi Ramesiensis, & scholiis Jo. Noviomagi. Hunc libellum suppositum Bedæ existimat Petavius pag. 159. Aliud tamen visum Joanni Aventino, qui ipse Bedam secutus est in libro suo, cui titulus: *Abacus & vetusta Latinorum per digitos manúsque numerandi & loquendi consuetudo.* Vide Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 391. 9.) *Libellus de ratione unciarum.* p. 140. 10.) *De augmentis Lunæ*, ex Victorio Aquitano, Dionysio Græco &c. pag. 143. 11.) *Computus vulgaris*, sive *Ephemeris* pag. 169. Auctoris Bedâ junioris esse contendit Oudinus Tom. I. pag. 1683. 12.) *De Embolismorum ratione Computus* p. 215. cum tetrastichis singulis ad singulos menses. Etiam hunc Computū Bedæ abjudicandum, & Radulpho de Linham, Anglo, adscribendum esse, Oudinus disputat. 13. *Decennovennales Circuli* Dionysii Romani Exigui, B. Cyrilli, & Bedæ LXXXIV. usque ad annum 1595. cum præfatione (Abbonis Floriacensis) pag. 257. 14.) *De Cyclo Paschali* pag. 30<. 15.) Canones *decennovennalium Circulorum* p. 321. 16.) *Libellus de ratione Computi per quæstiones & responsiones* pag. 418. Hic verò notes velim, *Computum* illud, quod nobis tam crebri Canones inculcarunt, cujúsque mentio sæpiùs nobis facienda est, non aliud esse, quàm Arithmeticam, ut vocant, Ecclesiasticam.

RABANI MAURI Liber *de Computo*, scriptus anno septimo Ludovici Imperatoris, desideratur in ejus Operibus, editus verò habetur à Stephano Baluzio in limine Tom. I. Miscellaneorum.

WALAFRIDI STRABONIS *de Arithmeticis dimensionibus* libellus, quem scripsit ad Gerungum Hirsaugiensis Cœnobii Abbatem, cujus epistola libello præposita tale habet initium: *Reverendissimo Gerungo Abbati, merito Patri, ætate filio, literâ discipulo, gratiâ magistro, æternæ beatitudinis provinciam possidere.* Ex his Strabi literis facilè conjecturâ assequi possumus, inquit Trithemius Chron. Hirsaug. part. 1. pag. 424. Gerungum in omni scientia scripturarum extitisse doctum; quoniam nisi magnificè fuisset eruditus, de tam subtili materia vir tantus in tanta abundantia doctorum virorum ad ignarum non scripsisset.

HELPERICI Monachi Sanct-Gallensis *Liber de Computo*, quem anno 930. composuit, nunc primùm ex codice pervetusto Monasterii Zwethalensis in Austria erutus studio & opera Bern. Pezii Benedictini & Bibliothecarii Mellicensis, qui eum juris publici fecit Thes. Anecdot. Tom. II. Part. II. pag. 182... p. 222.

ABBONIS Abbatis & Martyris Floriacensis Sec. X. *Comentarius in Victorii Canonem Paschalem* interiit, quo Cyclos annorum ab incarnatione Dominica ad sua usque tempora juxtà veracem Evangeliorum fidem correxit Ab-

Abbo, & ad annum circiter 1595. dilatavit. M.B.E. Lit.A. pag. 9.

De Mariani Scoti *Computo Universali* in ejus Chronico & emendatione Dionysiani calculi, cui annos XXII. addidit, videndus Joannes Fordun in Scotorum Historia Tom. I. Scriptorum XV. Gulielm. Malmesbur. Fabric. in Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XII. pag. 85.

Gerberti, natione Galli, ac postea ex Monacho Benedictino Summi Pontificis, dicti Sylvestri II. Opera Arithmetica. 1.) *Theoria Arithmeticæ cum Prologo in eandem.* 2.) *Regulæ de divisionibus.* 3.) *Abacus*, seu *Regula Arithmetices.* 4.) *Libellus multiplicationum.* 5.) *Epistola ad Constantinum* (nempe Floriacensem Monachum) *de doctrina Abaci*, nondum typis impressa sunt, sed in variis Angliæ, Belgii, Galliæ Bibliothecis inter mf.tos Codices asservantur. Oudin. Tom. 2. pag. 512. Mabillonius verò Gerberti librum *de Numeris* edidit Tom. II. Veterum Analectorum. *Abacus*, seu *Algorismus* ad Ottonem Imperat. habetur inter MS.ta Bibliothecæ Emeramensis. Desideratur in eo initium. In fine: *expliciunt lectiones Gerberti super Abacum.* Bern. Pezius in Dissert. Isagog. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. XXXVIII.

Adelardi Bathoniensis in Anglia Monachi Librum de Doctrina Abaci memorat Jo. Lelandus de Scriptor. Angl. c. 171.

Pandulphus, Capuanus, Presbyter ac Monachus in Casino sub Desiderio Abbate, divina secularisque literatura eruditus scripsit ad Petrum Salernitanum Abbatem Librum de Calculatione; Versus de termino Paschæ Hebræorum; de Circulo solari ad concurrentes inveniendos; de Cyclo Lunari; de Feria Paschæ Hebræorum invenienda; ad annos Domini inveniendos: qualiter sint inveniendæ indictiones. De Luna cujusque diei invenienda absque Embolismorum contrarietate: Quomodo fallunt, qui se scire putant, quot horis vel punctis Luna in unaquaque nocte luceat. Quibus modis cursus Solis dividatur: Quomodo efficiatur bissextus; ad ferias Kalendarum inveniendas: Qualiter vel unde regulæ ad ferias mensium inveniendas præcedant. Quomodo regula terminorum Hebræorum ex cursu Solis inveniatur; ad feriam uniuscujusque diei inveniendam. De quatuor temporibus, in quibus datariis solstitia veraciter esse debeant: ubi æquinoctia veraciter credantur esse. Quomodo Adventus Domini sit inveniendus. Ut Litera hebdomadarum per totum annum memoriter inveniatur. Quomodo Christus sit passus in tertio kalendas Aprilis. Quomodo anni ab origine mundi omnes fallunt. Qualiter Luna decimaquinta non potest ad illam diem, quâ facta fuit, pertinere. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. cap. 26. Ex præfatis verò luculentis eruditionis ac doctrinæ monumentis nonnulla asservari in Bibliotheca Casinensi Cod. sign. num. 3. sub hoc lemmate *Canones Mathematici* Camillus Peregrinus virtute doctrinâque ornatissimus, nobis humanissimis literis communicavit, inquit Jo. Bapt. Marus in Not. ad Pet. Diac. Floruit Pandulphus an. Dom. 1060.

Hidulphus, Monachus, ac primus Monasterii Hirsaugiensis Scholasticus librum *de Computo Ecclesiastico* pro Fratrum institutione composuit. Trithem. Chron. Hirs. part. 1. pag. 222.

Henricus de Bruxellis Monachus Affligeniensis, calculatoriæ artis peritissimus scripsit *de ratione Computi* lib. 1. *Kalendarium de incensionibus.* Vixit tempore Clementis V. Pontificis Max. circa annum 1310. Vid. Henric. Gandav. cap. 58. Sanderus in Chorogr. Sac. Brabant. p. 46.

Petri de Rosenheim, Mellicensis, celebris an. 1419. ejusdem Cœnobii Prioris *Computus*, qui verò excidisse fertur à Pezio Dissert. Isag. in Tom. II. Thes. Anecd. pag. XXVI.

Theophilus Martius, Italus, Senensis, Monachus Casinas anno 1560. inter mortales esse desiit anno 1586. ejus supersunt

1.) *Tractatus de nova reformatione Kalendarii.* Extat mf. Casini & Romæ in Biblioth. Romanæ Sapientiæ.

2.) *Consultationes super eadem reformatione, ac ejus difficultatibus*: extant mss. in Bibliotheca Vaticana.

3.) *Narratio de Controversiis super Kalendario.* Extat in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani. Vide plura apud Armell. Bibl. Cas. part. 2. pag. 194. & quos citat.

Ferdinandus Perreti, Italus, Ferrariensis, Alumnus Monasterii S. Vitalis Ravennæ an. 1698. è Congr. Casin. valde in Arithmeticâ arte excelluit, supputandi studiis summoperè intentus; nam juvenis quamvis esset,

esset, non solùm Monasterii rationes omnes recensebat, sed etiam Congregationis universæ Casinensis Quinquenniorum calculos, quæ non parvi negotii res est, scitè admodùm numerabat. Scripsit Italicè *Lumina Arithmetica, divisa in sex libros.* in 4. Ferrariæ 1725. typis Bernardini Pomatelli. Alium librum de Arithmetica recenset Armell. l. c. part. 1. p. 171.

VALERIANUS DEGANUS, Italus, Mediolanensis præcipuam operam mathematicis & arithmeticis demonstrationibus impendit, ut testantur ingentia volumina, quæ his de rebus conscripsit; ea verò his titulis distinguuntur:

1.) *Centum mille Tariffæ* difficilioribus numerorum supputationibus perquàm accomodatæ; est maximum volumen mſ. in fol. compositum anno 1625.

2.) *Tariffarum pars altera*: ingens volumen in fol. mſ. eodem an. 1625. conscriptum.

3.) *Tabula Pythagorica* in amplissimum canonem propagata, quâ quorumcunque licèt ingentium numerorum supputationes mirâ facilitate & celeritate expediuntur. Maximum volumen in fol. mſ. eodem anno 1625. exaratum.

4.) *Tabulæ Pythagoricæ* pars altera mſ. in folio. Opera hæc asservantur in Bibliotheca Monasterii S. Simpliciani, loco Professionis Valeriani an. 1579. ubi ea se anno 1688 vidisse testatur Armellinus loc. cit. part. 2. pag. 7.

ANSELMI DESING, Ensdorffiani Cœnobitæ è Congregatione Bavarica *Instructio brevissima de Arithmetica, in quantum hæc ad communissimam alii supputationem, seu etiam Geographiam summè necessaria est.* Accedit Usus Mensæ Pythagoricæ, Calendarium, in quo de natura Anni, longitudine, emendatione tam Juliana, quàm Gregoriana, De Litera Dominicali, De Indictione, De Die Pachali, Tabula Pachali agitur. Quæ omnia patrio sermone scripta continentur in Authoris libro de *Auxiliis Historicis.* in. 12. Solbaci an. 1733. apud Christianum Holst.

ADRIANI AMALTHÆA, Neapolitani, in S. Severini ibidem Monasterio Professi, Astronomiæ amantissimi

Rota, sive Calculus Astronomicus perpetuus juxta Gregorianam impressionem, impressus Brixiæ apud Sabinum anno 1593. Vide Arnold. Wion Lign. Vit. part. 1. l. 2. c. 62. p. 397. Possev. in Appar. tom. 1. pag. 18. Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 1.

ALDERANI DESIDERII è Congreg. Casin. in Mathematicis, præsertim Astronomicis egregiè docti

Tavole de' Cicli Solari, e Lettere Dominicali per saper distinguere tutti li tempi passati, presenti, e futuri, con altre cose spettanti al Calendario Romano, prima, e doppo la riforma Gregoriana dell' Anno, poste in metodo facile, e breve. In Roma per Luca Antonio Chracas presso San Marco al Corso 1703. In quo libro cap. 2. 24. Epochas, sive temporum radices magis celebres refert. Armell. l. c. pag. 3.

§. III.

Scriptores de Geometria.

REMIGII ANTISSIODORENSIS Sancti Germani *Glossæ in librum de Geometria*, qui extat in mſ.^to Codice 5364. Regiæ Bibliothecæ Parif. Oudin. Tom. II. pag. 332.

GERBERTI, Galli, Aquitani, Cœnobii S. Geraldi apud Auriliacum monachi, & post Remensis & Ravennatensis Archiepiscopi dignitatem, Summi Pontificis, dicti Sylvestri II. *Liber de Geometria*, quem in Bibliotheca Farnesiana se legisse testatur Onuphrius Patavinus in Annotationibus ad Platinam. Extare etiam in Bibliothecæ Thuaneæ mſ. Codice, unde in Bibliothecam Colbertinam commigravit, jam antea monuit Mabillonius Tom. II. Analect. pag. 215. Juris publici fecit Bernardus Pezius Thes. Anecdot. Noviss. Tom. III. part. 2. pag. 6. - 82. Quo teste, textus non uno loco corruptus est, nec schemata Geometrica ubique satis exacta. Verùm à codicis nostri, inquit idem doctissimus Editor, fide recedere, nefas nobis esse duximus. Restituant malè affecta loca, quibus Colbertinum aliósque mſ.^tos Codices fortuna obtulerit.

-- *Epistolam* Gerberti ad Adelboldum Episcopum Ultrajectinum *de causa diversitatis arearum in Trigono æquilatero geometricè arimethicève expenso* vulgavit idem Cl. Pez. loc. cit. col. 82.

ADELHARDUS, sive *Athelhardus*, Monachus Bathoniensis in Anglia cùm esset mathematicis in disciplinis versatissimus, librum Euclidis *de Geometria* ex Arabico in Latinum transtulit;

tulit; qui Oxonii in Collegio Ss. Trinitatis asservatur teste Pitseo de Ill. Angl. Scriptor. æt. 12. pag. 201.

RUTHARDUS Monachus Fuldensis, vir pietate & doctrina illustris, scribendis de Musica, de *Geometria*, de Arithmetica libris insudavit, atque alia ad humaniores literas pertinentia scripta composuit. Vid. Armandus Buthilierius de Rance Abbas Monasterii Trappæ Respons. ad Tractatum Mabillonii de Stud. Monast. cap. xi.

GALFRIDUS MARSHALLUS, Anglus, Monachus Glasconiensis, cujus *Repertorium Geometriæ* à Pitseo pag. 842. celebratur.

BENEDICTUS CASTELLI, Italus, Brixianus, è Congr. Casinensi Mathematicus Urbani VIII. Pont. Max. & Matheseos Professor Publicus Romæ in Sapientia fuit primus inventor mensuræ decurrentium aquarum. Ejus Opera sunt:

1.) *Della misura dell' aque correnti*, id est: *Mensura aquarum fluentium*. Romæ apud Impress. Camerales anno 1628. ad Urbanum VIII. in 4. & iterùm Romæ per Franciscum Cavalli an. 1639. & Bononiæ 1660. & nuperrimè Florentiæ in Opere, cui titulus: *Raccolta d' Autori, che trattano del moto dell' aque* anno 1723. in 4. per Tartinum, & Francos Impress. R. Celsitud. tom. 1. à pag. 111. usque ad pag. 137.

2.) *Dimostrazioni Geometriche della misura dell' aque correnti*. Romæ apud eosdem Impress. Camer. anno eodem 1628. & etiam ibidem apud eundem Cavalli eodem anno, & nunc pariter Florentiæ in laudato Opere Tom. I. pag. 139. usque ad pag. 160. Vide plura apud Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 95.

PAULUS ANDREAS GUALTERIUS à Catacio ulterioris Calabriæ urbe, in Casinensi Cœnobio monasticum Institutum suscepit, anno 1650. die 13. Nov. & cùm prompto admodùm facilique esset ingenio, in liberalibus Artibus, & præsertim mathematicis disciplinis plurimùm profecit, ut ostendunt plures Tractatus Mathematici, quos scripsit, hodiéque extant mss. in Casinensi Biblioth. quorum unus Italicè hunc titulum præfert:

1.) *Delle Progressioni Geometriche, ed uso mirabile di esse ne, Problemi concernenti il guadagno che devien capitale; dedicato al sig. Consigliero D. Trajano Mirobalo Mathematico*. id est: *De Progressionibus Geometricis, & admirando earum usu in Problematibus, quæ respiciunt lucrum, quod in Capitale convertitur*, ad Donnum Trajanum Mirabullum.

Alter Latinè sic prænotatur:

2.) *De Formatione Idearum*, quibus Trigonometria rectilinea Triangula resolvit. Pro theoria D. Josepho Majorano Cathedralis Ecclesiæ Aversanæ Canonico dicatus. V. Armell. l. c. part. 2. p. 119. Erasm. Gattola Chron. Casin. Sec. XII. §. IV. pag. 773.

VICTORINUS à PARMA, Italus, è Congr. Casin. Vir Mathematicarum Facultatum peritus, discipulus D. Alphonsi de Isè Mathematici percelebris edidit opusculum cum hoc titulo:

Problemata & Theoremata Geometrica, & Mechanica publicè demonstranda. Bononiæ anno 1633. typis Clementis Ferronij in 4. Armell. l. c. pag. 13.

JOSEPH GUFFANTIUS, Italus, Mediolanensis, Alumnus Monasterii S. Simpliciani ibidem, ac in studio Matheseos discipulus Cyrini de Sanctis Benedictioi (de quo aliàs) Viri doctissimi, scripsit volumen hac epigraphe notatum:

Geometria & Archittetura militare in fol. in duas partes divisum, addiditque *Arithmeticam*, Armellinus l. c. part. 2. p. 47. se hoc vidisse volumen apud ipsum Auctorem Mediolani an. 1688. testatur: qui tunc erat ætatis annorum ferè 50. Obiit Arimini circa annum 1693. Et quia hic de Architectura militari mentio facta est, licebit *Guffantio* adjungere

EDMUNDUM EGGS, natione Bavarum, professione Monachum in Monasterio Garstensi Superioris Austriæ. Hic *Mathematices* doctrinam, cujus studio summoperè delectabatur, Salisburgi in Universitate professus ab anno 1698. usque ad annum 1705. publicam in lucem dedit *Architectonicam militarem*, nuncupatam *Maximiliano Emmanueli S. R. I. Electori ac Bavariæ Duci*. Fol. Salisburgi an. 1700. V. Hist. Univers. Salisburg. Lib. 2. cap. VII. pag. 338.

FRANCISCUS ROTA, nobilis Venetus, Monasterii SS. Felicis & Fortunati in Urbe Vicentia Alumnus effectus anno 1710. die 5. Octobris. Florentiæ in S. Mariæ Cœnobio plures annos Philosophiam ac Theologiam, simúlque *Geometriam* docuit, pro qua scientia tradenda Orationem Isagogicam ibidem habuit, quam sub hoc titulo publicavit:

Ora-

Oratio de Geometriæ utilitate ad scientias acquirendas habita Florentiæ in Abbatia S. Mariæ Patrum Congr. Casin. à P. D. Francisco Veneto Monacho Casin. ibidem Geometriæ & Philosophiæ Professore. Florentiæ an. 1720. typis Regiæ Celsitudinis apud Jo. Cajetanum Tartinium & Sanctum Franchium. Armell. part, 1. pag. 175.

ANSELMI DESINGII, *Auxilia Geometrica.* Ratisbonæ an. 1738. in 8. apud Hier. Lentz. sed in usum tyronum tantùm.

GODEFRIDI BEHM Schwarzachiani Matheseos Professoris in Univers. Salisburg. *Polymetrum*, hoc est, novum instrumentum ad plerasque mathematicas dimensiones ritè faciléque peragendas accomodatum. Salisburgi an. 1672. in 12.

§. IV.
Scriptores de Astronomia.

VEN. BEDÆ *Opuscula Mathematica de Astronomia.* 1.) *De Circulis Sphæræ & Polo.* Tom. I. pag. 365. 2.) *De planetarum & signorum ratione.* pag. 369. ex mente Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum. pag. 371. 3.) *Prognostica temporum.* pag. 390. 4.) *Mensura Horologii.* pag. 392. ubi & de diebus Ægyptiacis. pag. 394. 5.) *De Astrolabio.* pag. 394. 6.) *De temporum ratione* cum Brideferti Ramesiensis & Noviomagi Scholiis. Tom. II. pag. 41. cum codice Bibl. Cathedralis Wirzeburgensis collatum hunc librum vide in Jo. Georgii Eckardi Commentariis de rebus Franciæ Orientalis & Episcopatûs Wirceburg. Tom. I. pag. 825.

DUNGALI RECLUSI & Monachi S. Dionysii propè Parisios, dignitate Diaconi *Epistola* ad Carolum Magnum de duplici Solis ecclipsi. Extat Spicileg. Acher. vet. edit. Tom. X. novæ Tom. III.

S. ETHELWOLDUS ex Abbate Abendonensi Episcopus Wintoniensis edidit librum *De planetis & mundi climatibus.* Obiit anno 984. Pitf. æt. 10. pag. 179.

REMIGII Autissiodorensis S. Germani Glossæ in librum de *Astrologia*, extat in mſto Codice Regiæ Bibl. Vid. Oudin, Tom. II. pag. 332.

S. ABBO, Abbas Floriacensis & Martyr, vir doctissimus, scripsit, teste Aimoino in ejus vita, libros Mathematicos, sed qui temporum injuria inter deperditos habentur. Joannes Baleus, Anglus, in Opere suo de Scriptoribus Angliæ author est, Abbonem scripsisse *de motibus stellarum* Lib. I. *De planetarum cursu* Lib. I. *Demonstrationes Astronomiæ* Lib. I. Numeratur verò Abbo inter Scriptores Angliæ à Baleo, quia olim è Gallia in Angliam evocatus scientias publicè professus est.

GERBERTI SCHOLASTICI (de quo §. antecedenti) *Epistola ad Constantinum Monachum de Sphæræ constructione*, quam edidit Mabillonius Tom. II. Analectorum pag. 212. in novissima verò editione Paris. an. 1723. p. 102. Cl. Bern. Pezius Differt. Isag. in Tom. III. Thes. Anecdot. rectè monet, nullam esse rationem, cur Guilielmus Cave, ac eum secutus G. Olearius Tom. II. Biblioth. Script. Eccl. p. 181. cùm brevissima sit, *Librum de Sphæra* vocent.

HERMANNUS CONTRACTUS, Augiæ Divitis Monachus, scripsit *De Ecclipsibus* Librum I. *De quadratura Circuli* Lib. I. *De Astronomia*, & de *Compositione Astrolabii* Libros III. *De utilitate Astrolabii* Lib. I. tantâ majestate, inquit Mezlerus de Vir. Ill. San-Gall. cap. 47. ut à multis Astrolabii ipsius Inventor reputetur. Vide etiam Egonium de Viris Ill. Augiæ Div. part. 2. c. 28. Utrumque Hermanni Opus Cl. Bernardus Pezius edidit ex Cod. Mss. inclyti Monasterii ad S. Petrum Salisburgi Thes. Anecdot. Noviss. Tom. III. Part. II. Sed videsis tamen ejusdem Cl. Editoris observationem præviam in Differt. Isag. pag. xx.

B. WILHELMI Abbatis Hirsaugiensis, qui Seculo XI. ob rerum mathematicarum eximiam cognitionem magno in honore habitus fuit, testante Vossio Lib. III. de Math. cap. 36. de Astron. Latin. Libros astronomicarum institutionum in lucem edidit Henricus Petri Basileæ anno 1531. Præfatio incipit: *Divini Operis quadam die completa synaxi optatæ quietis gratiâ secretiorem locum petii.* Opus: *Igitur à solstitiis & æquinoctiis ordo adinventionum nostrarum sumit exordium &c.* Cod. membr. in 4. manu seculi XII. ex quo maxima pars operis excisa est, asservatur in Bibliotheca Monasterii Emmeramensis. Pezius in Differt. Isagog. Tom. I. Thes. Anecd. pag. XXXIX.

ODENDUNUS, Monachus Eoveshamensis, Mathematicus illustris scripsit librum *de motibus planetarum*, qui & theoricam refert, ac Almanac re-

versionis eorum: quo Opere & *Profacium Judæum* secutus est, V. Leland. cap. CCCIX. pag. 314.

ALBERICUS, Monachus Casinensis, idémque S. R. E. Diaconus Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, qui nonagenarius diem supremum obiit A. C. 1088. scripsit Librum *de Astronomia*. Pet. Diac. de Vir. Illust. Casin. cap. XXI.

ADELBOLDUS Henrico II. Imperatori, cognomento Sancto primùm à Consiliis, deinde Monachus, & Lobiensis Monasterii Scholasticus, ac denique Episcopus Trajectensis, scripsit libellum ad Sylvestrum II. *De ratione inveniendi crassitudinem sphæræ.* Qui primus in lucem protraxit, fuit Cl. Pezius: cùm enim ex Codd. Mss. Tegernseensis & Sanct-Petrensis Salisburg. monasteriorum indefessâ suâ industriâ eruisset, cum publico non immeritò communicandum putavit Thes. Anecd. Tom. III. Part. II. pag. 86. vide ejus Observationem præviam. Edmundus Martene in Itinere suo Literario Gallicano Part. II. pag. 92. testatur, se in Abbatia Cheminonensi Diœcesis Cattalaunensis vidisse opus *Adalboldi ad Sylvestrum Papam de Circulo*, quod sine dubio hoc ipsum nostrum est.

JOANNES HAGUSTALDENSIS Monachus, Anglus, scripsit de Signis & Cometis, lib. un. An. Dom. 1133. Stella Cometis. Mss. Cantabrig. in Colleg. S. Benedicti. Vid. Pits. Sec. 12. pag. 255.

JOANNIS de WALLINGFORD, Monachi ad S. Albanum in Anglia quædam fragmenta *Astronomica* cum aliis ad Calendarium & Computum Ecclesiasticum spectantibus, inserta imagine Jesu Crucifixi habentur in Bibliotheca Cottoniana sub Imagine *Julii* Lit. D. Cod. VII. n. 1. cum aliis ejusdem Opusculis uno collectis volumine. Vid. Thom. Smith. in Catal. Bibl. Cotton.

PAULUS RACCHI Ravennæ ortus inter S. Vitalis (quod celebre ibidem cœnobium est) sodales cooptatus fuit anno 1639. die 1. Aprilis, & posteà Abbas Titularis creatus, eminuit Mathesis, Astronomiæ, & Astrologiæ eruditione minimè vulgari, ac instrumentorum, quibus earundem facultatum Professores utuntur, singulari artificio, qui cùm vitam usque ad an. 1671. inter nobiliora studia produxisset, eam ex caduca in immortalem commutavit, ætatis suæ anno 67. relictis pluribus

Tractatibus Astrologicis, Italico idiomate compositis, qui manu ipsius Auctoris exarati Ravennæ in prælaudato monasterio asservantur. Armell. part. 2. p. 122.

OLIVERIUS Malmesburiensis an. 1050. defunctus Matheseos non imperitus scripsit *De Signis Planetarum, De Astrologorum Dogmatibus.* Baleus II. 51. Pitseus pag. 187.

ALDERANI DESIDERII Monachi è Congr. Casin. Andriæ (Civitas est Apuliæ) in Cœnobio S. Mariæ de Miraculis Professi *Dialogus* de Corporibus Cœlestibus secundùm proportionem, quam habent inter se, & cum globo terraqueo: Item de modo, quo eorundem corporum cœlestium distantia à terra, nec non ambitus, diameter, & crassitudo deprehendi potest: Itémque de modo, quo Antiqui utebantur Astrolabio, & Dioptra Hipparchi, & de Horologio vibratorio, & tubo optico, à recentioribus adinvento ad assequendam corporum cœlestium magnitudinem. Iste Dialogus fuit Italico sermone conscriptus, & impressus Romæ an. 1686. in typographia Cameræ Apostolicæ. Autor verò, postquam integrum ferè seculum vixit, obiit Andriæ in suo Cœnobio an. 1709. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 2.

HIERONYMUS RUSCELLI, Italus, Perusinus, ibidem in Monasterio S. Petri anno 1555. monasticum institutum amplexus, variorum subinde in Congregatione Casinensi Monasteriorum Abbas constitutus, ac denique in ejusdem Generalem Præsidem electus Astrologiam, Astronomiam, cæterásque mathematicas disciplinas adeò percalluit, ut easdem scientias præclaris ingenii sui inventis plurimùm illustraverit. Itaque præter egregia Mss^{ta}, Astronomis perutilia, à se relicta, plura etiam *Horologia Solaria, Verticalia, Horizontalia, & Annularia* fabricatus est. Armell. loc. cit. part. 1. pag. 220.

ADRIANUS AMALTHEA, Neapolitanus in S. Severini Cœnobio ibidem an. 1526. Professus, insignis Astronomus scripsit *Rotam*, sive *Calculum Astronomicum perpetuum juxtà Gregorianam correctionem, impressum Brixiæ apud Sabinum* an. 1593. uno anno post Autoris obitum. Armell. loc. cit. part. 1. pag. 1.

COR-

CORBINIANUS THOMAS, Matheseos Professor in Universitate Salisburgensi elegantissimum Opus *Manuductionis ad notitiam sphæræ cœlestis* edidit Augustæ Vindel. an. 1731. cum plurimis figuris in 8. Nuncupavit Cl. Author Opus Celsissimo Archiepiscopo Salisburgensi Leopoldo ex Baronibus de Firmian, unde illud inscripsit *Firmamentum Firmianum*. Quæ doctissimus Autor hoc Libro complexus est, nova quidem non sunt, sed utilia tamen, idoneóque ordine & plano sermone in usum tyronum congesta. Doctrinam scilicet omnem, quam sphæricam dicere solemus, *tribus capitibus* absolvit: quorum *unum* punctorum aut circulorum cœlestium explicationem tradit: *alterum* Problemata plurima, quæ solvi ope globi artificialis cœlestis possunt, itémque alia nonnulla cum his connexa, diligenter persequitur; *tertium* ad exemplum Uranometriæ Bayerianæ, accuratam Asterismorum faciem, facta motuum ad an. 1730. reductione, sistit, ac demùm earundem imaginum originem partim è Græcorum fabulis aut historiis repetit. Huic Tractationi, quæ maximam certè partem *Capitis tertii* constituit, duæ aliæ præmissæ sunt *Sectiones*, de Systematibus mundi, & de Planetis. In Sectione, quæ agit de systematibus mundi, primo loco mentionem facit Autor cœli Ægyptiaci, domósque & imagines Astrologico-Hieroglyphicas, ex veterum Ægyptiorum mente cœlo insertas, cum *Kirchero* exponit, ac postremò ita statuit; signorum nostrorum, quibus Astronomi etiamnum utuntur, characteres manifestam ex hieroglyphicis illis figuris originem ducere, earundemq; perspicuam similitudinem circumferre, quin & nostros, à Græcis profectos asterismos, illis Ægyptiorum Numinibus non obscura affinitate jungi, nec dubitandum esse, quin forma mundi Ægyptiaci proportione summa gaudeat, ut meritò absolutissimum totius Hieroglyphicæ doctrinæ compendium, miris refertum mysteriis, dici possit. Quod ad Systema *Copernicanum* attinet, non probat præproperum illorum judicium, qui *Copernicum* nunc delirare clamant, nunc illius sensa inter aniles fabulas, pueris ridendas, explodunt, ipsi interim à *Copernicanis* risu quandoque non immeritò excepti: nec dubitat, ut nunc non pauci è Romano-Catholicis sunt, qui Systema illud per modum hypotheseos Astronomicæ propugnant, ita multo plures fore, qui idem ut verum Systema amplecterentur, nisi longè altior ac fortior fidei ac Ecclesiæ obstaret autoritas. Vid. Supplem. ad Nov. Act. Erud. Tom. I. Sect. 7. p. 308.

Erotemata Physico-Astronomica de Cometis, anno 1744. quo Cometa ex Andromeda egrediens Terricolas terruit, curioso Lectori proposita à quodam PASTORE, ASTRORUM CULTORE. in 8. Pastor, qui hæc Erotemata typis vulgavit, de se ita cecinit:

Sum Pastor, Felixque triplex me pascit: & illo
Pasco meum pariter quem Cruce duco gregem.

Est R.mus *Andreas à Schwandtner*, Abbas Glunicensis in Superiore Austria, qui alludit ad Insigne sui Monasterii, quod est Trifolium. Fuit anteà Matheseos Professor in Universitate Salisburgensi.

WILHELMI BIRCKMANN, cognomento *Krabben*, S. Martini Maj. Coloniæ Cœnobitæ perdocti Opus *Astronomicum*, *Geometricum*, *Cometographicum* variis figuris & Planisphæriis exornatum, asservatur inter Mss. Codd. ejusdem Bibl.

§. V.

Scriptores de Musica, & Instrumentis Musicis, Cantúque Ecclesiastico.

ALBERICUS, Casinensis Monachus, & S. R. E. Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum scripsit in Musica Dialogum, uti Petrus Diaconus nos docet libro de Viris Illustr. Casin. cap. XXI.

ALCUINUS (*Flaccus Albinus*) librum de Musica edidit, sed qui inter Opera ejus deperdita habetur. Vid. Mag. Bibl. Eccl. pag. 242.

ANONYMUS Monachus Brevnoviensis edidit *Explicationem* in Canticum seu Hymnum S. Adalberti nostri Pragensis Episcopi, de quo Partis hujus secundæ Libro I. Cap. III. Sect. III. diductiùs egimus. Duo autem sunt exemplaria Hymni S. Adalberti verbis & notis etiam musicis inter se non nihil discrepantia: illud ex Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ Bibliotheca, istud autem ex manuscripto Bibliothecæ Brevnoviensis Monasterii desumptum, utrumque suâ vetustate & authoritate suffultum, ex quo facilè quis in quæstionem vocare possit, hoc vel illud canticum vera S. Adalberti compositio censenda sit. Explicationem verò celeberrimi hujus in Regno Bohe-

Bohemiæ Cantici Anonymus quidam Cœnobita in Regio & Antiquissimo Monasterio Brevnoviensi propè Pragam Urbem, quam Boleluschyus *Rosa Bohemicæ* Parti II. à pag. 28. ad 58. intexuit. Librum verò ipsum Anonymi si desideres, manuscriptus est, & habetur apud RR. PP. Soc. Jesu Vetero-Pragæ ad S. Clementem in Bibliotheca MSS. sub numero 278. uti testatur Boleluzky, apud quem vide plura.

ARCHANGELUS DE LEONATO, Italus, Brixianus, è Congr. Casin. delectatus est plurimùm Musicis Concentibus, sed tamen omnino sacris, ideóque divinas laudes non contentus per semetipsum canere, etiam alios sapienter canere docuit, evulgato libro hujus tituli:

Cantiones sacræ, tum in Nativitate Domini, tum in Hebdomada Sancta decantari solitæ. Venetiis an. 1585. apud Ricciardum Amadinum in 4. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 54. & quos citat.

AURELIANI Monachi S. Johannis Reomensis *Volumen, in quo laus, sive regulæ musicæ disciplinæ.* asservatur mstum in Bibliotheca Cluniacensi. Vid. Mabillonium in Itin. Burgundico, quod extat ejus Opp. posth. tom. 2. pag. 22. Vide etiam Fabric. Bibl. med. Lat. pag. 405.

BEDÆ VEN. *Musica Theorica* Opp. Tom. I. pag. 344. & *Practica* (ita lege pro Quartâ) seu *mensurata* pag. 351. quam tamen junioris esse Scriptoris contendit Oudinus Tom. I. de Script. Eccl. pag. 1685.

BENEDICTUS LUCCHINUS Italus, Mantuanus, è Congr. Casin. Abbas Monasterii S. Benedicti de Padolyrone obiit 1599. Erat in arte Musica excellens compositor, qui multa musica Opera composuit valde pulchra & venusta. Armell. part. 1. pag. 100.

BERNO, Abbas Divitis Augiæ, rei musicæ peritissimus, inter alia plura *libellum tonaritum* ad Piligrimum Archiepiscopum Laureacensem, an Coloniensem? composuit, qui Mstus Lipsiæ in Bibliotheca Paulina habetur: Ejus verò Prologum cum operis exordio edidit Cl. Pezius Tomo IV. Anecdot. Part. II. pag. 69. *Librum de Instrumentis Musicis & de mensurâ Monochordi* commemorat Trithemius cap. 31. de S. E. & de Illustr. Benedictin. II. 77.

CLARA MARGARITA COZZOLANI patriâ Mediolanensis monastico D. Benedicti sodalitio in sanctæ Radegundis Virginum Collegio, quod Congregationi Casinensi subest, in eadem sua patria an. 1620. nomen dedit. Hæc à Phil. Pic. C. R. L. in Athenæo Liter. Mediol. pag. 747. celebratur ab ingenii præstantia, & à Musicæ facultatis peritia, quâ Dei laudes non solùm ipsa scientissimè canere, sed etiam alios suaviter modulari percupiens, plura musica opera in lucem emisit, quorum recensionem vide apud Armell. part. 1. pag. 119.

CONRADUS, Monachus Hirsaugiensis, qui nomen suum ex humilitate occultans *Peregrinum* se in suis lucubrationibus nuncupat, Beati Wilhelmi quondam auditor, atque discipulus, vir in omni scientia scripturarum doctissimus, & non minùs Religionis observantia venerandus, claruit circa annum 1131. ac multa scripsit; ex quibus huc pertinet ejus *liber de Musica & differentia Tonorum.* Vid. Trith. in Chrun. Hirsaug. ad an. 1131. edit. Sangall. pag. 393.

S. DIETGERUS, Trithemio, alíisque *Theogerus* ex Monacho Hirsaugiensi tertius Abbas S. Georgii in Nigra Sylva, subinde verò Metensis Episcopus circa an. 1118. scripsit inter cætera Tractatum de Musicâ, cujus initium: Pythagoras Philosophus apud Græcos Musicæ artis repertor fuisse legitur. Laudatur hic Tractatus Anonymo Mellicensi cap. 109. eúmque adhuc servant Bibliothecæ Zwetlensis in Austria, & Tegernseensis in Bavaria, ex qua ultima prologum vulgavit Bern. Pez Præfat. ad Tom. IV. Anecdot. pag. IX. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag. 650.

ENGELBERTUS Monachus Cœnobii S. Mathiæ Apostoli juxta urbem Trevirorum c. an. 987. clarus scripsit, teste Trithemio in Chron. Hirsaug. ad an. cit. *De Musica & Proportionibus librum unum. De compositione Monochordi lib. I.*

FLOBERTUS, Monasterii S. Mathiæ prope Treviros Monachus atque Scholasticus; vir certè undecunque doctissimus, anno 985. demortuus scripsit *de Compositione Monochordi librum unum*, teste Trithemio in Chron. Hirsaug. ad an. cit. pag. 37. edit. Sangallensis.

S. GREGORII M. seu *Gregorianum Antiphonarium* cum notis antiquis Musicis Msrum in Bibliotheca Vaticana. Vide Diarium Venetum Eruditorum Italiæ Tomo XIX. pag. 7. Excusum

cusum accuratiùs curante Josepho Maria Thomasio Romæ 1691. in 4. De aliis editionibus vide Nicolai Petri Sibera Schediasma de libris Latinorum Ecclesiasticis. pag. 23. Selecta ex Antiphonario Romano per Annum in usum Ecclesiarum ruralium cum Notis Musicis excusa Antverpiæ 1617. fol. *De Responsoriis Psalmorum* vide notas ad S. Ambrosium Tom. I. edit. Benedict. pag. 931. Vide Fabr. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. II. pag. 646.

GUIDO ARETINUS circa annum MXX. claruit teste Trithem. in Chron. Hirsaug. edit. Sangall. cujus est decantata cantandi nova methodus, quàm vulgò *Solmisationem* vocant, seu Gammam cum Notis: *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *Sol*, *La*. Hic *Micrologum Musicum* (à Mictologo de Officiis Ecclesiasticis omnino diversum) scripsit ad Theobaldum Episcopum Aretinum; qui Benedicto VIII. Romano Pontifici laudatus extat Mſ.tus in Bibliotheca Buciliensi Ordinis Præmonstratensis in agro, seu Episcopatû Laudunensi, &, teste Casimito Oudino, in Bibliotheca Lugduno - Batava inter MSs. Codices Latinos num. 163. ut constat ex catalogo impresso Librorum hujus Bibliothecæ in 4. Lugduni Batavorum anno 1674. pag. 408. & alibi passim.

HERDERICUS Monachus Hirsaugiensis, de quo Trithemius in Chron. ad an. 894. „Fuit & Herdericus hujus „Cœnobii Monachus eodem tempore „in pretio habitus; vir ingenio clarus, „& in omni scientiarum genere doctis„simus, qui, ut Menfridus est testis, „multa & varia conscripsit opuscula, „præcipuè in Musica, & varios in hono„tem Sanctorum cantus ordinavit.„

HELPERICUS Monachus S. Galli Seculo XI. in omni scientiarum genere doctissimus de Musica scripsisse dicitur à Trith. cap. 352. de Vir. Ill. Ord. S. B. quamvis in Chronico Hirsaugiensi Hilperici Opera recensens, nullius de Musica meminerit. Trithemium etiam allegat Jodocus Mezlerus de Vit. Ill. San-Gall. Lib. 1. c. 46.

HERMANNUS CONTRACTUS Augiæ Divitis Monachus, inter omnes sui temporis, ex Trithemii sententiâ in Chron. Hirsaug. ad an. MV. Musicus celeberrimus est habitus: & multa præclara Synthemata scripsit; de quibus extant aliqua musica, quorum tituli sequuntur. *De Musica librum I. De Monochordo lib. I.* Hymnos, Cantus, & Prosas de Domino Deo, & Sanctis ejus, sine certo numero plura edidit. Principem locum tenent Antiphonæ *Salve Regina*, & *Alma Redemptoris Mater.* Carmen de Musica habetur Mſ.tum in Bibliotheca Tegernseensi. Inc.

Ter tria junctorum sunt intervalla sonorum,
Nam nunc unisonas exequat vocula ptongos &c.

HUGBALDUS, Trithemio in Chron. Hirsaug. ad an. 858. *Hucbaldus*, Elnonensis Monachus, claruit temporibus Caroli Calvi, cujus *librum de arte Musica*, & *Cantus multorum Sanctorum*, *dulci & regulari melodiâ compositos* memorat Sigebertus de S. E. 108. qui tamen interiit.

JOANNES Cœnobii S. Mathiæ apud Treviros Monachus & Scholasticus Secolo XI. erat in omni genere scientiarum doctissimus, sed in Musica præcipuâ eruditione singularis, qui ad honorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ejus, multos Cantus, & prosas composuit, ac regulari melodiâ dulciter ornavit. Trith. l. c. ad an. 1047. pag. 184.

JOANNES LANGUS, Monachus San-Gallensis, ac Musicus præstantissimus melodias plures, & eximias, super diversis suorom fratrum sequentiis, cæterisque excogitavit, uti in vetusto sequentiarum Codice est videre. Quô ævô vixerit, non exprimit Jodoc. Mezlerus lib. 1. cap. 41. de Vit. Illustr. San-Gall.

LEO IX. ante Pontificatum ex Monacho Benedictino Episcopus Tullensis, composuit, teste Trithemio l. c. pag. 185. Cantus varios de diversis Sanctis pulcherrimâ ordinatione & melodia. Juxta Anonymum Mellicensem cap. 85. *in Musicâ subtilissimus fuit*, & *inter cantus alios*, *quos plurimos edidit*, *historiam beatissimi Papæ Gregorii satis artificiosè composuit. Atque*, ut ait Sigebertus, *si quis attendat cantus in honore Sanctorum ab ipso compositos*, *cum primo Gregorio Papa meritò comparabit.*

MARQUARDI Monachi & Scholastici in Cœnobio S. Willebrordi Eptetnacensi Seculo x. doctrinâ clarissimi, Opus insigne Commentariorum in Musicam Boëtii, quod Ludovico Gallorum Regi inscripsit. Præter librum de septem artibus Hymnos quoque, prosas, & varios in laudem Sanctorum cantus, & melodias composuit; cum aliis multis, quæ profundum hominis testantur ingenium. Vid. Trithem.

hem. in Chron. Hirsaug. ad an. 931. pag. 70.

MAURITIUS ZAPATA, Italus, Parmensis, Philosophus doctissimus, & Musicæ artis, maximè verò Organa suavissimè pulsandi perquàm peritus scripsit *Ristretto, ovvero breve discorso sopra le Regole del Canto fermo.* Id est: *Epitome, seu brevis Discursus de Regulis Cantûs Gregoriani.* Parmæ typis Josephi Oglio, & Hippolyti Rosati an. 1682. in 4.

MAURUS CHIAULA, Siculus, Panormitanus in cœnobio S. Martini an. 1545. professus in arte Musicâ ad stuporem excelluit. Obiit 1600. ac reliquit

Sacrarum Cantionum, quæ octo tum vocibus, tum variis Instrumentis, chorísque conjunctis, ac separatis concini possunt, librum I. typis excusum Venetiis an. 1590. apud Ricciardum Amadinum in 4. Alia multa volumina mss. Sacrorum Concentûum musicis modulis ornata asservari in Bibl. S. Martini Antonius Mongitore perhibet in Bibl. Sic. part. 2. pag. 25. & seq.

NOTKERUS ex Monacho San-Gallensi Episcopus Leodiensis *De Musica & Symphonia* librum I. composuit teste Trith. l. c. ad an. 951. pag. 22.

NOTKERUS ad S. Emmerammum Ratisbonæ monachus *Theorema troporum*, seu *Cribrum Monochordi* edidit, quod MS. in Bibliotheca Benedictoburana asservatur. Vide Pez. Tom. III. Anecdot. Part. III. p. 616.

OSBERTUS Monachus Glasconiensis in Anglia Seculo x. de Musica non parvæ subtilitatis librum composuit, ut ait Trith. in Chron. Hirsaug. ad an. 934. pag. 127.

PLACIDUS FALCONIUS ab Asula Agri Brixiani Oppido apud S. Euphemiam professus est Monasticum Institutum anno 1549. die 28. Octob. Musicam facultatem, eandémque omnino sacram plurimùm excoluit, nec exiguè in ea profecit; ut testantur, quæ sub his titulis vulgavit Opera, nempe

1. *Missæ*, sive *Introitus* per totum annum. Venetiis 1575. in fol.

2. *Passio*, sive voces Hebdomadæ Sanctæ. Venetiis anno 1580. in 4.

3. *Responsoria* in Hebdomada Sancta canenda. Venetiis 1580. in 4.

4. *Magnificat* octo Tonorum, Venetiis 1588. in 4. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 2. pag. 151. & quos citat.

PETRI BENEDICTI DE JUMILLAC è Congr. S. Mauri Assistentis R. P. Præpositi Generalis, & Superioris in compluribus monasteriis, Viri artis musicæ peritissimi, & in scientiâ cantûs plani, seu choralis versatissimi, Opus insigne musicum, quod in eorum gratiam composuit, qui in Congregatione S. Mauri Benedictina instituta professi Deo laudes in choro decantarent. Typis exscriptum foit in 4. Parisiis apud Ludovicum Billainium anno 1677. sub hac epigraphe: *La science & la pratique du plein Chant; où tout ce, qui apartient à la pratique, est etabli par les principes de la science, & confirmé par le temoignage des anciens Philosophes, des Peres de l'Eglise, & des plus illustres Musiciens, entr' autres de Gui Aretin, & de Jean de Mars.* Id est: *Scientia & praxis cantûs plani, seu choralis; ubi ea omnia, quæ ad praxin attinent, ex ipsius scientiæ principiis deducuntur; atque testimonio veterum Philosophorum, Ecclesiæ Patrum, & maximè celebrium Musicorum, præprimis Guidonis Aretini, & Joannis de Mars confirmantur.* Libri totius analysin vide apud Philippum le Cerf. in Bibl. Histor. Crit. pag. 184.

POTHONIS Monachi Prunveningensis lib. I. *de Musica* memoratur à Joanne Lapillo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

REGINO PRUMIENSIS, cujus harmonica institutio, eíque subjectum lectionarium totius anni, cum superscriptis Notis Musicis fuit, éstque hodie, quod sciam, Mstᵃ in Bremensi Bibliotheca, de qua Gerardus van Mastricht, Joris & Historiæ Professor, itémque Bibliothecarius Bremensis an. 1703. pridie Kal. Novemb. scripsit epistolam, quam idem Struvius inseruit in *Introductione ad notitiam rei literariæ, & usus Bibliothecarum* cap. 4. §. 19. pag. 156. editionis 1706. Jenæ in 8. Illic pag. 166. ipse Mastricht αὐτόπτης testatur extare MS. in Bremensi Bibliotheca, *Rheginonis Epistolam de Harmonica institutione ad Radboldum Archiepiscopum Trevirensem. Manuscriptum est dubio procul ipsius Auctoris, & quidem unicum in orbe; nullus enim hujus meminit, ne quidem rei Bibliothecariæ peritissimus Stephanus Baluzius, qui nobis ejus libros de disciplina ecclesiastica cum notis dedit, in quorum præfatione vitam Autoris tradit. Liber hic non tam ad Musices institutionem, quam ex antiquis descripsit, æstimabilis est: verùm quia ei subjectum est Lectionarium totius anni,* cum

cum superscriptis perpetuò Musicis Notis sui temporis, nempe seculi noni & decimi, antequàm Seculo XI. à Guidone Abbate Monasterii S. Crucis Avellonæ propè Aretium in Hetruria substitutæ essent Notæ nostrates, Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La, A. B. &c. Sunt Notæ istæ mirabiles, quos hactenus nemo nec ullus mihi scriptor explicare potuit. Hæc van Mastricht.

Clarissimus verò Fridericus Jac. Beyschlag (a) Syllog. var. Opusc. Tom. I. Fascic. I. pag. 214. meminit etiam Codicis MS. Reginonis *de Armonica Institutione*, quem vir longè celeberr. Jo. Ludolphus Buhemanus Gymnasii, quod Mindæ floret, Rector, ac Regiæ Bibliothecæ ibidem Præfectus meritissimus possidet, eúmque in membrana seculo nono ab ipso Reginone scriptum, unicúmque in orbe esse existimat.

Sed in Bibliothecæ Krysianæ, Hagæ Comitum, anno 1727. publicè distractæ, catalogo aliud ejus operis exemplum commemoratur, illúdque itidem pro autographo & unico in orbe venditatur. En ipsissima ejus, qui catalogum confecit, verba, num. 995. „ Regino Prumiensis de Ar„monica (id est, harmonica) insti„tutione, ad Rathbodum Archiepi„scopum Treverensem cum musica „antiqua ecclesiastica per integrum „ annum, aliisque memorabilibus „ MS. membranaceum antiquissimum „ in octavo, quod illustri Bibliothe„ ca maximè dignum; habet hæc sin„ gularia. 1.) Est ab ipso auctore „ Reginone seculo nono scriptum, „ cujus Codices MSs. de disciplina „ eccl. & Chronica in Bibliothecis „ Vindobonensi Imperatoria & Can„ tabrigiensi quanto in pretio habe„ antur, docti norunt. 2.) Est unicum „exemplar MS. hoc in toto terrarum „ orbe. 3.) Nunquam hoc opus ob „ rarissimos characteres musicos Secu„ li VIII. &c. IX. descriptum, nec edi„ tum. Characteres literarum planè „ respondent iis, quos minores *Mabillon* de Re Diplomatica ex seculo „ nono exhibuit. „ En tibi tres mss. Codices, quorum singuli pro autographo Reginonis, eóque unico in toto terrarum orbe proclamantur.

REMIGII AUTISSIODORENSIS S. Germani Glossa in librum de Musica, qui extat in ms.to Codice pag. 5304. Regiæ Bibliothecæ Parisiensis. Oudin. Tom. II. p. 382.

REMIGIUS MEDIOLACENSIS primùm Scholasticus, tum Abbas, Ottoni II. ob præstantem musices scientiam summis in deliciis, jubente Trevirorum Archiepiscopo Eckberto, cantum de Sanctis Euchario, Valerio, & Materno, primis Trevirorum Episcopis dulci & regulari modulatione composuit. Duobus etiam Monachis ex Gandavo, Cœnobii Blandiniensis Ordinis nostri, discipulis suis rogantibus, cùm ex Mediolacu ad sua jam essent reversuri, de sancto Bavone cantum composuit nocturnalem. Sermones quoque multos & cantus in diversorum honore Sanctorum elegantissimos fecit. Litanias & canticlenas, quæ in Rogationibus frequentantur, ipse composuit. Vid. Trithem. in Chron. Hirsaug. ad an. 980. pag. 122.

RODULPHUS Abbas Monasterii S. Trudonis in Diœcesi Leodiensi anno MCVIII. creatus, vir religione & pietate insignis, composuit *volumen Sacrorum Cantûum*, ut ipse fidem facit in Chronico suo, quod extat Tom. VII. Spicileg. Acher.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS de seipso cap. 172. *Arte Musica Antiphonas & Responsoria de SS. Macario & Guiberto mellificavi.*

STEPHANUS, cognomento HEDDIUS, Monachus Cantuariensis claruit anno 720. Cùm verò Musicæ & cantionis admodùm peritus esset, à Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi in Northumbrorum regnum evocatus est, ut provinciales Musicæ ad id tempus ignaros doceret; non memini tamen, me legere, quòd scriptum de Musica reliquerit. Vid. Cav. Hist. Lit. ad an. 720 pag. mihi 409.

THIUREDUS DOVERIUS in Cœnobio Doverensi, id est, ad portum maritimum in Cantia, quem Doveram Angli vocant, Monachus morum probitate, multiplicíque doctrina conspicuus. Erat sui Cœnobii Præcentor, ac Musicorum suo tempore facilè princeps. Scripsit

Pentachordorum & Tetrachordorum Lib. un.

De legitimis ordinibus Musicæ Lib. un. Obiit circa an. 1371. Pits. æt. 14. pag. 510.

UDALSCALCUS Abbas ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum fuit Sec. XII. Musicus & Componista eximius. Scripsit *Librum de Musica*, ut Bruschius testatur in Monast. Germ. Chronol. pag. 137.

VI-

(a) Schelhorn in Amœn. Liter. Tom. X. p. 1168.

VICTOR III. Pontifex Maximus, priùs Abbas Casinensis Cantum B. Mauri & alia composuit, *in quibus*, utor verbis Petri Diaconi, *qui vult, artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi sonori Magade reperiet notas*. cap. 18. de Victore. Nota hîc ex Jo. Bapt. Maro, quòd Magadium in dicto cantu indicatum, ea pars est lyræ, in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dextera, ut Budæus notavit. Vide Librum de Harmonia psallentis Ecclesiæ cap. XVIII. §. III. num. V. circa finem Cardinalis Bona. Porrò prædictus Cantus in Odeo Monasterii Casinensis legitur.

WERLINI, Monachi Seonensis in Bavaria, Musices peritissimi, *de Rythmorum varietate, typis, exemplis & modulationibus*, volumina quinque in folio: quod vastum opus magnâ curâ & studio conscriptum anno 1646. in ejus monasterii Bibliotheca asservatur. Bern. Pez. Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot.

B. WILHELMUS Abbas Hirsaugiensis, teste Anonymo Mellicensi de S. E. cap. 108. „ In Musica peritissi„ mus fuit, multáque illius subtilia „ antiquis doctoribus incognita elu„ cidavit. Multos etiam errores in „ Cantibus deprehensos, satis ratio„ nabiliter ad artem correxit. In „ Quadruvio sanè omnibus penè an„ tiquis videbatur præeminere. Tra„ ctatum tamen unum de Musica scri„ psit, quem Dei vocatione ad re„ gendum Hirsaugiense cœnobium „ tractus minimè perfecit. „ Illum tamen in membranaceo codice Vilingano se legisse testatur Mabillonius Annal. Tom. V. ad an. 1091. quô Wilhelmus ad Superos concessit. Meminit etiam hujus libri Trithemius in Chron. Hirsaug. ad an. 1070. p. 222.

WOLSTANUS, Monachus & Præcentor Ecclesiæ Wentanæ, sive Wintoniensis in Anglia circa annum 980. Scriptor libri *de tonorum harmonia*. Fabric. l. c. ex Oud. de S. E. Tom. II. pag. 500. Vid. Excerpt. Anglic.

Ohe verò! jam satis est, abundè, affatim Scriptorum de *Musica*, & omni *Quadruvio*. Quid enim plures referam, cùm Abbas Trappensis illos tanquam ineptos & ridiculos traducat, & cùm hæc, tum alia nonnulla eorum scripta pro *inutilibus nugis* exhibeat? „ Juvat animadvertere, in„ quit (b), horum doctorum Mona„ chorum studia atque exercitia non „ perinde ac decebat semper pia & „ seria fuisse. Inter Strabi Monachi „ Monasterii Fuldensis Opera libri de „ Arithmetica, & de Dimensionibus „ reperiuntur. Notkerus Monasterii „ S. Galli Abbas de Musica & Sym„ phonia; Salomon ejusdem cœno„ bii Monachus de septem Liberalibus „ Artibus Tractatus conscripsére. Ru„ thardus Monachus Fuldensis, vir „ pietate & doctrinâ illustris, scriben„ dis de Musica, de Geometria, de „ Arithmetica libris insudavit. Mi„ chon S. Riquierii Monachus Ænig„ matum librum, itémque Florile„ gium Poëtarum concinavit. Wern„ bertus Monachus S. Galli unum de „ Musica, & de Arte Poëtica duos „ libros edidit. Hubaldus Monachus „ Monasterii Elnonis Opus compo„ suit centum triginta carminibus „ comprehensum Calvorum encomia„ sticum, cujus singulæ voces à li„ tera C incipiebant; librum quoque „ de Musica elaboravit. *Quàm inuti„ les nugæ!*

„ Floribertus Monachus S. Mathiæ „ prope Trevirorum Civitatem de „ compositione musici instrumenti, „ quod Monochordum appellatur, „ scripsit; item quinque libros de „ Trevirorum excidio. Richerius Mo„ nachus Rhemensis Libros concina„ vit, quibus Gallorum Historia con„ tinebatur. Tres de Musica Libri Jo„ anni Monacho S. Albani prope Mo„ guntiam adscribuntur, & de Musi„ ca scripsit etiam Herdericus Mona„ chus Hirsaugiensis. Inter Diethel„ mi Monachi S. Mathiæ Trevirorum „ Opera de construendi Astrolabii ra„ tione liber extat, item alter de illius „ usu & utilitate, & de Arte Poëtica „ libri duo reperiuntur. Marquardus „ S. Willibrordi Epternacensis Mo„ nachus, Commentaria in Musica „ Boëtii, & de septem Liberalibus „ Artibus librum confecit. Reinhar„ do Monacho S. Burkardi apud Her„ bipolim libri quatuor in Categorias „ Aristotelis, duo de Musica, unus de „ Poëtica, unus de Monochordo, & „ de Circuli Quadratura alter, ad„ judicantur. De Musica scripsit „ quoque Hiedmanus S. Dionysii „ Monachus. Meginradus Monachus „ Hirsaugiensis librum de novis An„ tiquorum inventis, Heribertus Mo„ nachus S. Willibrordi Epternacen„ sis de Monochordi mensura, Abbo „ seu

(b) Resp. ad Tract. Mabillonii de Studiis Monasticis cap. XI. pag. mihi 61.

„ seu Ebbo Abbas Floriacensis, sive „ S. Benedicti ad Ligerim librum de „ *Calculo Victorii*, scripsêre. Remigius „ Monachus Mettochensis commentaria elucubravit in Priscianum & „ Donatum Grammaticos. Osbertus Monachus Anglus de Musica librum edidit. Bruno Monachus „ S. Wittonis in Archiepiscopatu Coloniensi de septem Liberalibus Artibus Libros septem, & de motu „ Octavæ Sphæræ tractatum composuit. Engelbertus Monachus S. Mathiæ apud Treviros de Musica, de „ Proportionibus, & de constructione Monochordi totidem libros posteris reliquit.

„ Liber legitur à Marino S. Maximini ad Treviros Monacho conscriptus, de Regulis Gramaticæ, itémque duo de Arte Poëtica. Inter „ Hermanni San-Gallensis (veriùs „ Angiensis) Monachi Opera extant „ libri de Musica, de Monochordo, „ de sex Mundi Ætatibus, de Astronomia libri tres, de constructione „ Astrolabii pariter tres, de ejusdem „ usu & utilitate duo, de Tabulæ solariæ compositione & usu liber „ unus, de Horologio Cylindrico item „ liber nnus, & de alio quodam Horologio unus, plures de Geometria „ Tractatus, Liber de Mundo & Elementis, Liber de Ecclipsibus Solis „ & Lunæ, Liber de numerandi ratione, alius de Circuli Quadratura, „ item alius de Conflictu Rythmimachiæ, Liber de Physiognomia, & „ plura in Aristotelem & Ciceronem „ Comentaria. Nemo denique ignorat, nostrâ quoque memoriâ Monachos inveniri, qui nec admodùm „ graviora, nec religiosiora, nec sanctiora pertractant.

„ Ex his omnibus patet, pergit Abbas Trappensis, Monachos Studiorum obtentu vanas scientias consectatos fuisse, curiosáq; ac inutilia „ studuisse, quibus cum illorum statûs dignitate nulla societas, nulla „ ratio intercedit, quæque illos à jugi Dei præsentia, quam cautè servare debebant, aliquatenus dimoverunt. Nunquid hoc pacto Regulæ Præceptum de Timore Dei „ ante oculos ponendo facilè impleri „ potest? *Timorem Dei sibi ante oculos semper ponens oblivionem omnino fugiat.* Macrobii, Auli Gellii lectio, „ multiplex ille & varius ernditionis „ prophanæ apparatus, quo tandem „ modo cum cogitatione mortis & „ consideratione judiciorum Dei poterunt copulari? Ita Abbas Trappensis contra Ordinis nostri Scriptores, qui de Disciplinis Mathematicis, aliisque literis præsertim humanioribus libros ediderunt, quorum tamen causam strenuè egit Mabillonius in *Animadversionibus ad Responsionem Dni Abbatis de Trappa ad Tractatum de Studiis Monasticis.* (c) Ejus verba hæc sunt:

„ Fateor quidem, inquit, si eorum „ scripta, quæ de Musica, de Arithmerica, de Geometria, de Astrolabio, atque aliis hujusmodi tractant, seorsim & nullo respectu ad „ causas, quibus ad ea exaranda permoti sunt, consideremus; dignos „ fortasse videri eos posse, ut ideò „ parvi æstimentur. Sed cùm ea in „ gratiam externæ juventutis, quorum educatio & institutio ipsis fuerat demandata, composuerint; non „ est cur in derisiculo omnino propter hoc habeantur; præsertim si „ alia eorum studio composita novernns, propter quæ commendari „ magnoperè debeant.

„ Nunquid enim, ex. gr. hominis „ otiosi & nihil agentis notam inuremus Walafrido Straboni, quòd de „ Arithmetica & de dimensionibus „ libros conscripsit; quamvis de rebus „ Ecclesiasticis utiles & accuratos tractatus ceteroquin composuerit? „ Jurène Remigium Autissiodorensem contemnemus, quod scripserit „ Commentaria in Donatum, & Priscianum, quos juvenibus prælegebat, postquàm adeò egregia in Epistolas S. Pauli, & in Missæ Canonem elucubravit? Æquiúsne fuerit, despicatui habere S. Notkerum, „ quod librum de musica, & de symphonia ediderit; reliqua autem ejus „ opera pia atque utilia, præsertim „ ejus Martyrologium, nullò loco ducere? Quare deridebimus S. Abbonem Floriacensem Abbatem, virum „ suæ ætatis doctissimum, quod librum scripserit de calculo Victorii, „ tanquam Arithmeticæ speciosæ „ Opus; quam tunc temporis omnibus Ecclesiasticis necessariam alioquì putabant pro notitia temporis „ Paschæ; perinde ac si alia hic Auctor scripta eruditorum calculo „ commendata neutiquam evulgaverit, cujusmodi sunt ejus Apologe-

(c) articulo xxii. §. iv. pag. mihi 145.

„ ticum, Collectio Canonum, illius „ denique Epistolæ, quas Dominus „ Pelletier, publici statûs Admini- „ ster dignas duxit, ut Pithæanorum „ Collectaneis insererentur.

„ Si hac judicii norma utaris, nullum propemodum vel laudatissimum „ Scriptorem invenies, quem deridere non possis. Fac, verbi gratia, ut „ aliquis de liberalibus studiis, aut „ aliis hujusmodi argumentis adolescens scripserit; nunquid propterea pia & religiosa ab eo postea „ composita minimi faciemus? Quis „ non videt, hâc ratione muniri viam ad illudendum sancto Augustino, quod de musica scripserit; Synesio, docto illi ac eloquentissimo „ Præsuli, quod longo sermone de „ Astrolabio disseruerit, ut in fine illius Operum cernere est; S. Joanni „ Damasceno propter ejus de Categoriis tractatum; S. Anselmo propter ejus librum de Grammatico; „ S. Bernardo propter Antiphonarii „ recognitionem. *Quàm inutiles nugæ!* dicet aliquis. Rectiùs dicamus: „ Quàm ineptus ratiocinandi modus! Sed me reprimam, atque „ harum exclamationum modum & „ finem faciam. „ Hæc Mabillonius.

Recentioris ævi Musurgi & Musomothetæ, qui Opera Musica formis æneis exscribenda dederunt, non minimo numero proferri possunt, quorum aliquos vide Parte II. hujus Historiæ, & apud *Felicem Egger* in Idea Ordinis Hierarchico - Benedictini Libr. 2. Part. 3. Differt. 8. pag. 579. enumeratos. Iis verò cumprimis adjiciendus excellens componista R. P. MEINRADUS SPIES Ursinensis in Suevia Monasterii p. t. Subprior & *Societatis Musicæ per Germaniam correspondentium Socius*, qui inter alia insignem *Tractatum Musicum Compositorio-practicum* vernaculo sermone conscriptum edidit *Augustæ Vindel.* typis hæredum Joannis Jacobi Lotters anno 1745. in fol. Quo in Opere prima Musices ad compositionem principia solidissimè exponit, ac Musicam egregiè tuetur & illustrat: *Quem*, inquit, *non pia Musica mulcet, est Adamas* saxum, *bestia, nullus homo.* Alia ejus Opera sunt: I. *Antiphonarium Marianum, constans XXVI. Antiphonis. Campiduni* 1713... II. *Cithara Davidis noviter animata. Constantiæ* 1717... III. *Philomela Ecclesiastica. Aug. Vind.* 1718. IV. *Cultus Latreutico - Musicus. Constantiæ* 1719. V. *Laus Dei in Sanctis ejus. Mindelhemii* 1723. VI. *Hyperdulia Musica, h. e. Litaniæ Lauretanæ.* Aug. Vind. 1726. VII. *Sonatæ XII*, Aug. Vind. 1734. &c.

Huc etiam referri debet LEOPOLDUS DURAND è Congr. S. Vitoni, Architectus, Geometra, Mathematicus & Polygraphus penè incomparabilis an. 1749. die 5. Novembris denatus, qui ultra septuaginta varii comatis Opuscula à se composita posteris reliquit, quæ fusiùs enumerat *Calmetus* in Bibl. Lotharingica pag. 338. Ex his verò ad Musicam spectat *Tractatus de viribus elasticis, de organis & instrumentis musicis*, hoc titulo: *Recueil sur les forces mouvantes, sur les Orgues, sur la Musique & instrumens de Musique* &c.

Ad extremum tacenda non est OLIVERII LEGIPONTII *Dissertatio de Musica, ejúsque proprietatibus, origine, progressu, cultoribus, & studio bene instituendo.* Extat ultimo loco inter quinas ejus *Dissertationes*, quas an. 1746. *Norimbergæ* typis vulgavit.



CAPUT

CAPUT IV.

SCRIPTORES HISTORICI.

SECTIO I.

Scriptores Isagogici, & de Chronologia, & Geographia.

HIstoriæ duo oculi sunt *Chronologia* & *Geographia*. Prior ea scientia est, quæ varias diversarum gentium epochas, annorúmque, ac mensium calculum figit. Altera universum orbem terrarum, locáque singula distinctis intervallis emetitur.

§. I.
CHRONOLOGI.

CHristiana Chronologia primum annum Christi refert ad Cæsaris Augusti annum 45. cui *Dionysius Exiguus* circa annum 540. magnam auctoritatem conciliavit; Venerabilis verò *Beda*, Scriptor Seculi VIII. eâ usus, suo exemplo illam inter Latinos confirmavit, & stabilivit. Muratorius Histor. Ital. part. 1. an. 1. Christi.

VEN. BEDÆ *Liber de Temporum ratione* extat Opp. tom. 2. p. 43. cum Bridეferti & Noviomagi scholiis. Jo. Georg. Eccard hunc librum cum Codice Bibl. Cathedralis Wirceburgensis collatum edidit in Commentariis de Reb. Franciæ Orientalis & Episcopatus Wirceburg. tom. 1. p. 825.

—EJUSDEM *Liber de Temporibus* ad intelligendam supputationem temporum Sac. Scripturæ pag. 118. cum scholiis Jo. Noviomagi. Fragmentum ex Seb. Münsteri lib. 2. Cosmographiæ vide apud Colomesium in Paralipomenis de S. E. pag. 220.

—*Annotatio temporis vetusta* ex codice msto Homiliarum *S. Burchardi* Episcopi Wirceburgensis antiquissimo deprompta, & à Joanne Georgio Eccardo tom. 1. Ref. Franc. Oriental. juris publici facta pag. 803.

RHEGINONIS, Abbatis Prumiensis, *Chronologia Romanorum Pontificum* à S. Petro usque ad Zachariam I. qui anno 752. decessit. Extat in ejus Chronici Parte I.

MARIANUS SCOTUS, Fuldensis Monachus, scripsit Chronicon ab exordio Mundi ad annum MLXXXII. in quo Dionysianum Cyclum correxit, apposito ad marginem duplici calculo, uno ad meotem *Dionysii Exigui*, altero ad Evangelicam veritatem, qui Dionysianum viginti tribus annis excedit. *Mabill. Annal. Tom. IV. p.* 569. De Mariani Chronico recurret sermo.

ROBERTI MONACHI Chronologia sub titulo Monachi Autissiodorensis jam dudum typis vulgata est. *Mabill. l. c. Tom. I. pag.* 172.

ABBONIS, Abbatis Floriacensis & Martyris *Commentarius in Victorii Carmen Paschale*, quô Cyclos annorum ab Incarnatione Domini ad sua usque tempora juxta veram Evangeliorum fidem correxit, lapsu temporum interiit: cujus memoriam nobis reliquit *Sigebertus in libro De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus* cap. 139. his verbis: *Quantum valuerit in utraque scientia, ostendit, cùm super calculum Victorii commentatus est*: quem ad sua usque tempora adductum postea circiter nongentesimum nonagesimum quintum dilatavit. Oudinus Tom. 2. pag. 509.

ARNULFUS apud Avenionem in Andaonensi sancti Andreæ monasterio an. 1026. brevem Chronologiam ab Orbe condito absolvit. Vid. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 322.

—EJUSDEM Libellus de die obitûs ac passionis Domini nostri Jesu Christi.

HERIGERI Abbatis Epistola prolixa, quâ respondet quæstionibus Chronologicis sibi ab *Hugone* Monacho propositis de diversitate, quæ Dionysium inter & Bedam occurrit. Hujus Epistolæ meminit *Sigebertus de S. E.* edidit verò Edm. Martene Thes. Anecd. tom. 1. p. 112.

PETRI PICTAVIENSIS, Monachi Cluniacensis, ac Secretarii, seu Notarii Venerab. Petri Abbatis *Summa Histo-*

Historica, Opus autem Chronologicum, quod Huldericus Zwinglius junior, Novi Testamenti in schola Tigurina Professor, præmisit Chronologiæ suæ, quam à Julio Cæsare usque ad nostra tempora Basileæ in fol. anno 1592. apud Leonardum Ostenium, libris IV. edendam curavit. Oudin. Tom. 2. p. 1274.

OLIVA Monachus Rivipulli scripsit librum de Cyclo paschali, qui teste Baluzio (Marca Hispanica pag. 446.) extat in quodam codice Bibliothecæ Colbertinæ. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 489.

ADAMI BARCHINGENSIS, Schirbornensis, sive Clarofontani in Anglia Monachi circa an. 1217. libellum *de serie sex ætatum*, carmine rythmico conscriptum, Lelandus c. 208. & Pitseus æt. XIII. pag. 289. commemorant.

HIERONYMI DE WERDE, Monachi Lunælacensis, qui obiit an. 1475. & innumera ferè scripsit Opuscula, *Tractatus de duratione & annis Mundi ab Adamo usque ad Christum* scriptus adversùs Ven. *Johannem de Weilheim*, Priorem Mellicensem, asservatur in Bavariæ Monasterio Rotbensi Ordinis nostri. Bern. Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. pag. x. *Tractatum* verò Joannis Weilheim de hoc ipso argumento recenset Bibliotheca Benedictino - Mellicensis pag. 473.

GILBERTI GENEBRARDI *Chronologiæ sacræ* liber in 12. Lovanii 1576. in 8. Coloniæ 1571.

-- EJUSDEM Chronographiæ Libri IV. quorum duo priores sunt de rebus veteris populi, & præcipuis quatuor millibus annorum Gestis, in fol. Parisiis an. 1580. 1585. in 8. Coloniæ 1586. Parisiis 1600. Editio Parisiensis præhabenda est, cui etiam ejusdem Genebrardi Chronologia Hebræorum adjuncta est, nempe *Seder Olam Rabba*, id est: *Chronologia Hebræorum Major*, & *Seder Olam Zuta*, id est: *Chronologia Judæorum minor*. Utramque Genebrardus ex Hebræo Latinè reddidit. Vide plura in Bibl. Hamburg. Hist. Cent. 2. art. 4. & 5. pag. 51. & seq. nec omitte judicium Possevini Bibl. select. tom. 1. lib. 2. c. 68. pag. 96. de celebri hoc Opere.

GABRIELIS BUCELINI, *Ratio & Distinctio Temporis*. Aug. Vindel. typis Jo. Prætorii 1658. in 12.

-- EJUSDEM *Germania Chronographica*, in qua Chronologica ratione Sacra Profanæ Historiæ utiliter commiscetur, & juxtà varios rerum successus propagatum per viros Apostolos Christi Regnum, promota per eruditos res literaria, aliàque memoratu digniora describuntur. Tom. IV. Et quidem Tomo I. Augustæ Vindelic. an. 1655. impresso exhibetur *Germania* chronologicè designata, cujus potiores eventus, résque cùm prophanæ tum sacræ præ cæteris memorabiles ad compendium referuntur. Tomo II. Aug. Vindel. 1662. Germaniæ prophanæ *Chronologicum Compendium* pag. 329. - 345. Parte verò III. id est, Tom. IV. pag. 1. *Germaniæ Sacræ* primorum illibatæ fidei Christianæ & propagatæ seculorum *Chronologicum Compendium*.

LUDOVICI BULTEAU è Congreg. S. Mauri *Tabula Chronologica*, quam subjecit ad calcem sui *Compendii Historiæ* Ord. S. B. in 4. Parisiis, 1684. Est admodùm accuratè confecta, & ad Lectoris eruditionem accommodata. Dividitur in duas columnas: in prima D. Bulteau enarrat ordine admodùm methodico Concilia, quæ fuerunt celebrata, Reges, Imperatores, Pontifices, qui Ecclesiæ præfuerunt, & denique omnes magis præcipuos eventus, qui cum Historia universali, præprimis Ecclesiæ, connectuntur. In altera perquàm accuratè etiam annotantur tum tempus fundationis cujuscunque monasterii, tum annus natalis ac emortualis Sanctorum maximè illustrium Ord. S. B. præcipua eorum gesta, & universim ea omnia, quæ in tantæ celebritatis Ordine, animadversione magis digna contigerunt. Vide *le Cerf Bibl. Histor. & Crit. pag. 55.*

JOSEPHI PEREZII S. Facundi in Hispania Cœnobitæ, ac sacrarum Linguarum in Academia Salmanticensi Professoris Ord. *Dissertationes duæ Chronologicæ*. Prior agit de anno obitûs S. Benedicti contra Epactam Josephi Pellicerii; altera difficultatem de anno supremo cladis Hispaniæ à Saracenis illatæ examinat. Utraque Dissertatio habetur loco appendicis ad ejusdem Dissertationes Ecclesiasticas Salmanticæ anno 1688. typis vulgatas. Vide plura *in Act. Erud. Supplem. Tom. II. Sect. V. pag. 209.*

BENEDICTI BACCHINII, Abbatis S. Mariæ de la Croma Congreg. Casin. Septem Dissertationes Historico-Chronologicæ, quibus singulorum Pon-

Pontificum Ravennatum ætatem exquirit, ad crisim & ad calculos pro virili revocat, atque temporis diligentissimam habet rationem. Extant hæ Dissertationes intextæ *Agnelli Libro Pontificali*, sive Vitis Episcoporum Ravennatum, quas Bacchinius Mutinæ an 1708. in 4. edidit. Eruditiss. verò Muratorius Tom. II. Scriptorum rerum Italicarum inseruit. Idem Bacchinius in Observat. ad vitam S. Johannis Angelopti & Joannis II. Ravennæ Præsulum nonnulla ad Chronologiam spectantia pro Attilæ & Theodorici ætate affert, p. 70.

-- EJUSDEM *Series Consulum, Pontificum, & Imperatorum, ad veram Ecclesiasticam Chronologiam manuducens, cum nonnullis notis historicis, usque ad annum 1198. quò Baronius Annales perducit.* Est opus pagg. integr. num. 50. quod Abbas Marianus Armellinus omni auro, cunctisque gemmis pretiosius habuit, cùm illud à D. Hippolyto Pugneti, primo ejusdem Bacchinii ex Monachis discipulo, dono accepisset, uti ipse testatur in Bibl. Scriptorum Congr. Casin. part. 1. pag 83.

JOANNIS MARTIANAY è Congr. S. Mauri *Vindiciæ sacræ Chronologiæ secundùm Vulgatam adversùs librum, cui titulus: Antiquitas temporum restituta*, Auctore D. Paulo Pezronio Ord. Cisterc. 12. Parisiis 1689. Auctor scripsit Gallicè.

NICOLAI NOURRII è Congreg. S. Mauri *Chronographia Clementis Alexandrini collata cum Eusebiana & Syncelliana.* Extat in ejusdem Apparatu ad Bibl. Max vet. PP. ad calcem tom. 1. ubi Nourrius pro sua modestia, „Cæterùm, inquit, si quid „in hoc nostro haud parùm molesto, „laboriosóq; Opere tibi arriserit, scias „velim, illud non tam nobis, quàm „sodali nostro *Johanni Liron*, ad alia „studia, de quibus rationem aliquan„do reddemus, jam jam properanti „tribuendum. „

GUILIELMI BESSIN è Congr. S. Mauri *Animadversiones* in novum sistema ultimi Paschatis D. N. J. C. à R. P. Lamio Presbytero Gallicanæ Oratorii Congregationis excogitatum. Author scripsit Gallicè an. 1694. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 19.

JOANNIS MABILLONII *Dissertatio de Epocha Dagoberti I. Regis Francorum, & Clodovei Junioris.* Paris. an. 1675. in 8. nuncupavit opellam eruditissimo Abbati Galesio.

-- EJUSDEM *Dissertatio altera de anno & die ordinationis, nempe obitûs Desiderii Episcopi Cadurcensis*, ex quibus Dagobertina Epocha denuò comprobatur. Analect. tom. 1. p. 524.

-- EJUSDEM *Chronologia Bernardina.* Extat ad calcem novæ editionis Operum S. Bernardi col. 1. - 12. Brevis est, sed res tamen multas, easque scitu dignas, quæ non tantùm ad Mellifluì Doctoris vitam, sed Pontificum etiam, Imperatorum, Regum, ac Principum Gesta attinent, complectitur.

ROMANUS CALAMEUS Congreg. S. Vitoni Scriptor elucidandis intricatissimis difficultatibus veluti à natura factus, reliquit insigne Opus Chronologicum hoc titulo: *Summa temporum ab orbe condito ad Christi in cælos ascensionem deducta, & in partes tres distributa.* ΤΕΧΝΙΚΗΝ, ΑΠΟΔΕΙΚΤΙΚΗΝ ΚΑΙ ΙΣΤΟΡΙΚΗΝ, *sive methodicam, demonstrativam & historicam.* anno 1698. Ejus Operis pars I. titulum præfert: ΤΕΧΝΙΚΗ, *sive methodica, qua variæ computandi tempora methodi breviter aperiuntur.* Altera pars dicitur ΑΠΟΔΕΙΚΤΙΚΗ, *seu ostensiva, qua variarum Epocharum & Ærarum tempora demonstrantur.* Tertia est ΙΣΤΟΡΙΚΗ, *seu narrativa, qua res ab orbe condito ad usque Christi in cælos ascensionem describuntur.*

Tria item alia Opuscula Chronologica condidit, videlicet 1. *De Natali Christi.* 2. *De die Passionis Christi.* 3. *De die Obitûs S. P. Benedicti.* Reliqua diductiùs recenset Calmetus in Bibl. Lotharingica p. 180.

VIRGINII VALSECHII, Itali, Brixiani, è Congr. Casin. in Academia Pisana S. Scripturæ Professoris *Dissertatio de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Potestate V.* Florentiæ apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi anno 1711. in 4. Doctissima hæc Dissertatio referta est multis aliis ad nummorum & marmorum dilucidationem facientibus argumentis, & quod difficillimum est in materia chronologicis tenebris involuta, perspicuè scripta, quas laudes æqui rerum æstimatores quicunque Valsechio nostro non invidebunt. Vid. Acta Erud. Lips. an. 1712. p. 411.

ANSELMI BANDURI Chronologia admodùm exacta Imperatorum Orientis & Patriarcharum Constantinopoleos. Extat in limine partis II. Imperii

perii Orientalis, sive Antiquitatum Constantinopolitanarum in fol. Paris. 1711. vol. II.

ANGELI MARIÆ QUIRINI S. R. E. Card. Tabulæ Chronologicæ, in quibus antediluvianorum & postdiluvianorum Patriarcharum anni, codicibus Hebraico, Samaritano, & Græco inter se comparatis, diligenter repræsentantur.

MATTHÆI PETITDIDIER, Presbyteri & Monachi, postea Præsidis Generalis Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia *Dissertationes Chronologicæ in Sacram Scripturam Veteris Testamenti Parisiis* 1699. In his Dissertationibus Author, ut alia multa taceamus, de sex mundi ætatibus (tot enim ad Christum usque numerandas censet) ad accuratissimorum Chronologorum calculum commentatur. Vid. recensionem in Act. Erud. Lips. 1700. pag. 18.

JOSEPHI DE LEONIBUS, è Congreg. Casin. Abbatis S. Sixti Placentiæ anno 1716. renuntiati, Viri sanè egregii, & non solùm scholasticis scientiis, sed etiam ecclesiastica historia, & quavis eruditione ornati

Spicilegium de Doctrina temporum, in quo de divisionibus temporis, Cyclis, Epactis, & Noviluniis, Æra Græca, seu Olympiadibus, Latina, seu Urbis conditæ, Christiana, seu Dionysiana, & Periodo Juliana agitur, Ms. in 8. Armell. Bibl. Cas. part. 2. pag. 47.

DIONYSII SAMMARTHANI è Congreg. S. Mauri *Tabula Annorum Christi, Indictionum, & Paschatum*. Extat ad calcem Tomi I. Galliæ Christianæ.

– EJUSDEM *ibidem* Romani Pontifices ordine chronologico recensiti.

– Series Imperatorum Romanorum à Christo nato, quorum anni ad Æram Christianam revocantur.

– Francorum Regum Chronologia à Clodoveo I.

– Lotharingici Regni, seu Germaniæ Reges.

– Veteres Burgundiæ Reges.

– Chronologia Regum Hispaniæ, quibus pars olim Galliarum subdita.

Domnus *Dionysius Sammarthanus* cùm in Gallia Christiana Chronologiæ filum, ne aberraret, sequi necesse habuerit, omnia, quæ certam temporum rationem ipsi constituere visa sunt, collegit, ac ad calcem Tomi I. exhibuit, scilicet tabulam annorum Christi, Indictionum, Paschatum, summorum Pontificum annos, Imperatorum, Regum Franciæ, & quorundam aliorum Regum Hispaniæ, Italiæ, Burgundiæ, Germaniæ.

MARINI ALBITRII, nobilis Neapolitani, Monachi Cavensis, docti Antiquarii *Chronologia IX. Seculorum*, desumpta ex Scripturis Originalibus Pontificum, Regum, Imperatorum, Principum, Comitum, Ducum, Cardinalium, Episcoporum & Archiepiscoporum, servatis in præclaro & insigni Archivo Sac. Monast. ab anno 875. usque ad an. 1654. Extat ms. in eodem Archivo Arca II. num. 56. Author vigebat florida adhuc ætate anno 1730. Opus verò suum chronologicum anno 1700. confecit, uti fidem facit Armell. l. c. pag. 95.

AUGUSTINI CALMET, Abbatis Senoniensis in Lotharingia, *Compendium Chronologicum Historiæ Sacræ & Profanæ à mundo condito ad nostra usque tempora*, Gallicè. Nancei an. 1729. in 8. vol. 1. & Latinè ibid. an. 1734. in 8. vol. 1.

– EJUSDEM: *Tabula Chronologica Generalis* Historiæ Biblicæ extat tom. II. Dictionarii Biblici pag. 413. & seq.

JOANNIS ANDREÆ ASTEZATI è Congreg. Casin. *Dissertationes breves*. I. De anno Coronationis Caroli Crassi Imperatoris. II. De anno primo Regni Desiderii Regis ultimi Longobardorum. III. De nova Epocha Ludovici II. Imperatoris. Brixiæ an. 1728. typis Jo. Mariæ Ricciardi. Vid. Armell. part. 2. p. 17.

– EJUSDEM *Epistola*, in qua annus decimus septimus supra octingentesimum Bernardi, Regis Italiæ, emortualis ostenditur, & aliæ Lotharii Imperatoris, ac Ludovici junioris, ejus filii, à vulgatis noviter observatæ Epochæ exhibentur. Mediolani 1733. in 4. Vid. Act. Erud. Lips. an. 1739. pag. 713.

ANGELI FLOERCHEN, Hildeshemii in celebri S. Michaëlis Abbatia Professi *Chronologia Universalissima, præter Doctrinæ Temporum epidicticæ ac practicæ traditionem, omnium & singulorum annorum seriem, à principio rerum ac temporum usque ad ingressum æternitatis methodicè complectens, atque celebriorum quarumlibet ærarum computos annorum expansos distinctè exhibens, nec non aphoristicam omnium historiarum rerúmque per singulos annos gestarum, eventorúmque memorabilium synopsin succinctè com-*

pre-

prebendens, subjuncto denique Tractatu de Paschate & Computo Ecclesiastico, cum Computo novo ac Tabulis Paschalibus, concinnata ac luci publicæ data, typis Hartzii Typographi Hildesheim. anno 1743. in fol. Vid. Correspondance des Savans an. 1743. pag. 135. & 161. ubi operis habetur recensio.

-- EJUSDEM ARCHÆOLOGIA CATHOLICA *hactenus orbi incognita, scientia planè regia, omne scibile rerum antiquarum complectens Encyclopædia;* five *Historia antiquaria, publica, universalissima, inde à salute ab aquis diluvii, usque ad salutem per aquam Baptismi & Christi Evangelium per orbem terrarum promulgatum, continuo filo per Regum series deducta cum adjuncta conjecturali singulorum chronotaxi,* Tom. IV. in fol. Opus ingentis laboris & eruditionis, proximè, ut speramus, orbis eruditi conspectum subibit.

§. II. GEOGRAPHI.

ADAMANNUS, five *Adamanus*, Abbas io insula (*Hu* five *Hei*) *Hyensi*, vicina Scotiæ, octogenario propior defunctus A. C. 704. & in Sanctorum Album relatus scripsit *De Locis Terræ sanctæ Libros III.* ex relatu Arnulphi, Galliarum Episcopi è Palæstina reducis. *Hunc librum Alfrido Regi porrexit Adamannus, ac per ejus largitionem etiam minoribus est ad legendum contraditus: scriptor quoque ipse ab eo muneribus donatus in patriam reversus est.* Hæc Beda Historiæ Anglorum lib. v. cxvi. qui præterea horum librorum mentionem facit in Marci xv. 46. & ad calcem libelli de Locis sanctis Tom. III. p. 371. ubi Arculphi & Adamanni vestigia legisse se non diffitetur. Prologum ad hosce libros edidit Labbeus tom. I. Bibl. novæ Mf. Parisiis an. 1657. pag. 667. libros ipsos, non post *Serarium*, ut volunt *Caveus*, *Natalis Alexander*, & *Jacobus le Long*, sed post Jacobum Gretserum Theologum & Presbyterum Soc. Jesu Ingolstadii an. 1619. Joannes Mabillonius Sec. III. Sanctorum O. S. B. Tom. II. pag. 502. *Jacobus* verò *Basnagius*, Calvini asseca, fabulas in Opere Adamanni legi non paucas contendit, id quod vel unico, quod adfert, exemplo manifestum esse Authores M. B. E. inquiunt. De Adamanno vide Sigebertum lib. I. de Script. Eccl. cap. 64. Oudin. tom. I. de S. E. p. 166. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 15.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

BEDÆ VENERABILIS *De situ Hierusalem & Locis sanctis libellus de Opusculis majorum* abbreviatus ex Arculpho & Adamaono, de quo antea, Opp. Tom. III. p. 363. Item de nominibus locorum & civitatum, quæ in libro Actuum Apostolorum leguntur.

AIMOINUS, Monachus Floriacensis, *situm Galliarum distinxisse* memoratur à Sigeberto de Script. Eccl. cap. 101.

THEODORICUS, Monachus Hirsaugiensis, vir doctus & eloquens, scripsit de locis Terræ sanctæ librum I. Trith. de Vir. Ill. O. S. B. lib. II. cap. XVII.

CARADOCI, Lancarovanensis Monachi in Anglia circa an. 1150. librum *de situ Orbis* memorat Baleus Cent. II. cap. 87. & Pitseus pag. 215.

MATHÆI PARISII, Monachi S. Albani in Anglia, *Descriptio Mundi*, de qua Baleus, Pitseus, & alii. Hæc quidem tabula Geographica, seu Chorographica est, sed immane quantum rudis. Depingitur in columnis, seu paginis aliquot, quæ præfiguntur mf.^tis ejus Chronicis in Anglicana Regis Bibliotheca ad Divi Jacobi fanum. Primum occupat locum Castrum Dorobornense, seu ipsa Dorovornia, cui subjicitur *Le Chastel de Dovre, L'entrée e la clef de la viche isle de Engleterre:* quod ipsum est initium hic à Baleo & Pitseo Latinè versum. Nam & cætera fermè, quæ adscribuntur, omnia Gallica sunt: unde & Gallicam linguam fuisse Mathæo Parisiensi familiarem rescimus, atque etiam forsitan vel Gallum fuisse, vel Parisiensem origine, hinc non improbabiliter inferre aliquis posset, inquit Oudinus & ipse Gallus de S. E. Tom. III. pag. 215.

RANULPHI HIGDENI, Angli, Monachi Cestrensis in Cœnobio ad D. Werburgam nominato, Congregationis Cluniac. Viri sacra & profana eruditione clari, *Mappa mundi*, lib. I. Obiit 1377. Pits. æt. 14. p. 517.

JOANNIS PERUSINI circa an. 1510. *Descriptio Terræ sanctæ*, quam ipse invisit, & *Index locorum ejus* celebrantur. Vide Vossium pag. 709 de Hist. Lat. & Augustium Oldoinum in Athenæo Augusto pag. 186. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 4. p. 332.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Hierologia*, in qua loca sacra cùm in lege naturæ, tum scriptâ; item Gen-

Gentilium ac Christianorum variè describuntur. Ingolstadii typis Georgii Hænlin an. 1553.

CASIMIRUS FRESCHOTT, Burgundus, Vesontinus è Congr. Casin. *Memoranda Dalmatiæ & Geographica*, Italicè scripta edidit Bononiæ apud Jacobum Bonti an. 1687. quæ deinde Lipsiæ idiomate Germanico apud Gleditschium an. 1688. in 12. prodierunt. Idem *Freschottus* Albaniæ & Epiri, nec non Græciæ notitiam Geographicam subministraturus jam eodem anno 1688. in Actis Eruditorum Lipsiensium dicebatur. An subinde verò fidem suam liberârit, me latet. Armellinus in Freschotti Operum recensione illius non meminit, sed alterius Operis Geographici, cui titulus: *Giuocco Geografico* Venetiis an. 1679. id est: *Ludus Geographicus*. Authoris ingenium ferax maximè enituit in ludo Geographico, quem honestæ juventutis gratia adinvenit, quo posset eodem tempore & animum oblectare, & mentem erudire; nam in plura spatiola papyrus graphicè divisa, exhibet oculis totius Orbis regiones, propriis numeris aptè distinctas, brevibusque descriptionibus illustratas; in quæ spatia cùm projecti tali inciderint, statim colludens, illius Regionis situm, nomen, religionem, ac politiam referre ac explicare debet, quo memoriæ exercitio facilè etiam intellectus instruitur. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 113.

THEODERICUS RUINART è Congreg. S. Mauri in Notis ad Historiam Persecutionis Vandalicæ Parisiis anno 1694. typis publicatæ intricatissimam Africæ Sacræ, seu Ecclesiasticæ Geographiam, omni, quo potuit modo, è sacris atque profanis monumentis extricatam fecit & illustratam. Vid. Acta Erud. Lipf. Supplem. II. p. 413.

DIONYSIUS SAMMARTHANUS è Congr. S. Mauri Auctor vel Reformator Galliæ Christianæ in provincias ecclesiasticas magno judicio & ordine concinno distributæ singulis provinciis præmisit Tabulam Geographicam, ex qua civitatis archiepiscopalis, episcopaliúmque urbium provinciæ, nec non Abbatiarum, & præcipuorum locorum situs facilè dignoscatur.

JOANNES GARETIUS è Congreg. S. Mauri in præfatione Operum Cassiodori pag. 11. innuit, abs se etiam elucubratam esse quandam *Notitiam locorum, fluminum, & id genus plurium, quæ notatu dignissima eo in Opere* (Variarum) *inveniri possunt*. Verùm subdit, *ne nimio foret hujus voluminis moles, separatim curret tantillum hoc Opus nostrum, postquàm huic editioni manum ultimam admoverimus*. Nec nobis cum Pezio Bibl. Maur. lib. 1. cap. 29. satis constat, typisne illa Notitia Geographica comendata unquam fuerit, nec ne?

JOANNES HIERONYMUS TEXTORIUS è Congr. Casin. Abbas S. Petri Savilianensis, ac Sacræ Scripturæ in Academia Patavina publicus Professor, Vir longè doctissimus, an. 1710. ætatis suæ supra septuagesimum demortuus, Monasterii sui Bibliothecæ dono reliquit tomos duos in folio magno, cum hoc titulo, *Corpo Geofracio* raccolto da vari Autori, e varie stampe per suo uso dal R.mo P. Abbate D. Gio: Girolamo Testoris Casinense, e Lettore publico di Sacra Scrittura nell Università di Padova. Ibidem extat etiam alius tomus pariter in fol. magno, hunc præferens titulum: *Geographia vetus Sacra Ecclesiastica & Profana*, edita in Seminario Patavino, jussu & sumptu Emiment. Card. Gregorii Barbadici, Episcopi Patavini, & ab eodem dono data R.mo Patri D. Jo. Hieronymo Textorio, Niciensi, Abbati Casinensi, in Gymnasio Patavino Sacræ Scripturæ publico Professori, anno 1697. quod postremum, inquit Armellinus Bibl. Casin. part. 2. p. 44. ideò retulimus, ut vel ex hoc, quanti Textorius à Summo illo Cardinali fieret, dignoscatur. Etsi verò ex his Abbatem *Textorium* Geographiæ & peritum & studiosum fuisse, conjicere liceat, locus tamen capropter inter Scriptores Geographicos illi non debetur, quem tantùm honoris causa eidem tribuimus.

DAVID PLACIDUS PORCHERON è Congr. S. Mauri typis vulgavit *Anonymi Ravennatis, qui circo seculum septimum vixit, de Geographia libros quinque, in 8. Parisiis an.* 1688. Opus isthoc in quinque distribuitur libros; in quorum primo author generalem tradit notitiam de quatuor mundi partibus: in altero agit de Asia, in tertio de Africa, in quarto de Europa, & in quinto magis singillatim persequitur, quæ ad Italiam attinent. Quia verò ex verbis plerumque barbaris, & nominibus urbium, quæ nobis sunt incognitæ, contextum fuit, necessarium omnino erat, ut P. Porcheron eas difficultates, quæ Lectori crucem quasi fixuræ erant, suis tolleret elucida-

cidationibus. Id quod ille effectum dedit per annotationes quàm amplas, tam eruditas. Forsan Editor, qui ad Operis potiùs antiquitatem, quàm ejus valorem ac pretium respexisse videtut, æstimationi nominis sui magis consuluisset, si è tenebris, quibus quasi jam assuetum haud ægrè eas ampliùs ferebat, nunquam illud tantis post annis in publicam protraxisset lucem. Quid enim amabò utilitatis è vulgatione libri, qui nec lectoris animum oblectare, nec ejus eruditionem provehere potest. Ita *Philippus le Cerf*, Criticus suis non parcens, censet in Bibl. Hist. Crit. p. 413. Opus verò typis exscriptum est in forma 8. apud Simonem Langronium, inscriptum verò Duci Borbonio Principis Condæi filio.

RICHARDUS BEERE, Abbas Glastoniensis in Anglia an. 1593. fines Monasterii sui perambulavit, & Opus ingens, quod *Terrarium* Cœnobii Glastoniensis vocavit, confici jussit. Excerpta autem ex illo edidit Thomas Hearne cum Chronico Joannis Glastoniensis p. 287. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 17. p. 208.

MICHAEL GERMAIN è Congr. S. Mauri togatus à Mabillonio composuit *Librum Quartum de Re Diplomatica, qui est de Palatiis veterum Regum Francorum, Villisque Regiis*, in quibus diplomata data reperiuntur. Hunc librum viri literati eò pluris fecêre, quò minùs exspectabatur; adeò enim erant obscura pleraque, ut nec constaret quidem apud eruditos de eorum situ. Mirati sunt itaque omnes eo in Commentario suam cuique sedem restitutam. *Edmundus* verò *Martene*, & *Ursinus Durand* Tomo I. & II. *Collect. Vet. Script.* plura detexerunt Regum Franciæ palatia, quorum ne nomen quidem retulit Michaël Germain. Lege eorum præfat. in cit. Tomos §. 1. n. 14.

GODEFRIDUS BESELIUS, Abbas Gottwicensis, Libro III. *Prodromi Chronici Gottwicensis* exhibet comentationem *de Palatiis & Villis Regum ac Imperatorum Teutonicorum*: ut de iis quoque locis ampliùs deinceps constaret, in quibus dicti Reges & Imperatores Germanici sua impertiri Diplomata consueverunt: quorum situm, ut oculis etiam Lectorum consuleret Author, ad veteris Historiæ & Geographiæ leges in tabula depingi, ac in æs incidi curavit. Libro IV. ejusdem Disquisitio *de Germania media Pagis*, & pro singulari specimine *Ducatus Austrasiæ*, seu *Orientalis Franciæ* exhibetur. Opus arduum, & quod ipse Author *vastam & sexcentis difficultatibus obseptam sylvam* non immeritò vocavit.

-- EJUSDEM *Austria Antiqua & Media*, unà cum terminis & limitibus, quibus Styriam versùs, reliquásque confines Provincias & Gentes circumscripta est, non jam quidem typis publicata est, sed anno tamen 1732. ab Authore in præfatione ad *Prodromum Chronici Gottwicensis* promissa dudum omnium Eruditorum vota fatigat. Accedet Charta Geographica *Marchiæ Orientalis*, sive *Osteriche*, Ducatus nimirùm Austriæ medii ævi, cujus etiam à se illustrandæ D. Præsul paria dedit promissa. Ponè comparebit Charta pariter Geographica *Bajoariæ*, sive *Naricorum* Ducatûs, *unà cum Marchiis Septentrionalibus supra Anesum, & ad Athesin*. Nec hinc absutura est imago sitûs & conditionis *Alemannorum Ducatûs* ære expressa. Quis post fata D. Præsulis, fidem Orbi literario ab ipso datam liberaturus sit, sumus in exspectatione.

VITALIS TERRA RUBRA è Congr. Casin. in Bononiensi & Patavina Academiis celeberrimi Professoris Philosophiæ

Riflessioni Geografiche circa le Terre incognite, distesse in ossequio perpetuo della Nobilità Veneziana, nelle quali si pruova, che i Patrizj di Venezia prima di ogn' altro hanno all' Italia, ed all' Europa tutta discoperte tutte le terre incognite, anco l' America, & la Terra australe. id est: *Reflexiones Geographicæ circa Terras incognitas; exaratæ ad obsequium perpetuum Nobilitatis Venetæ, in quibus probatur, quod Patritii Veneti primi in Italia, & tota Europa extiterint, qui terras incognitas detexerunt, etiam Americam, terrasque Australes.* Paduæ apud Cadoninum anno. 1686.

INNOCENTII CÆSII, Itali, Mantuani, Padolyronensis Monachi è Congr. Casin. *Giuocco Geografico, nel quale si viaggia per tutti principali Regni del Mondo, osservando il dominio, la religione, la proprietà de' medemi, & i costumi di tutte le Nazioni.* id est: *Ludus Geographicus, quo iter per omnia magis præcipua orbis terrarum regna instituitur, observando eorundem dominium, religionem, proprietatem, nec non omnium nationum mores ac consuetudines.* Mantuæ ex Typographia

S. Benedicti per Livium Antoniom Monti, qui annum impressionis subticuit. Opus ingeniosum & utile.

JOANNIS GELE è Congr. S. Mauri *Dictionarium Historicum & Geographicum Michaëlis Antonii Baudrand* à se correctum, & multis additamentis locupletatum typis comisit an. 1705. Vid. le Cerf pag. 156.

ODILO à GUETHRAT, Prior Monasterii in Beuren, vulgò Michelbeurn Diœcef. Salisburg. edidit clarissima methodo linguâ vernaculâ *Isagogen ad Geographiam*, & *usum Mapparum Geographicarum* in 12. Salisburgi A... Item concinnavit Mappam Geographicam Provinciæ Salisburgensis. Obiit 14. Aprilis an. 1731. Utrumque Opus à rei Geographicæ peritis non parùm laudatur.

ANSELMI DESINGII *Atlas Geographicus*, seu *Mappæ Geographicæ*, numero viginti novem, unà cum Lexico Geographico in easdem chartas. Extat in Authoris *Historicis Auxiliis* Solesbaci an. 1733. in 12. apud *Christianum Holst*. Opus mole exiguum, sed quod non minimum usum præstat: unde magni meritò à viris doctis & Politicis æstimatur, quibus doctissimus Auctor, ut non semel audivi, rem pergratam facturus est, si *Atlantem* suum, sed in majori forma, prælo iterato subjiciat. Vota explevit, cùm *Atlantem* forma 8.va Pedeponti an. 1739. recudi fecit. Cojus editio hoc anno 1747. repetita fuit.

-- EJUSDEM *Epitome Historiæ Universalis Geographiæ accommodata*. Germanicè. Sunt duæ editiones, prima Campidonæ in 12. an. 1732. altera in 8. Augustæ Vindel. an. 1736.

-- *Institutio Geographiæ*. Germanicè Ratisbonæ in 12. an. 1734.

MARQUARDUS HERRGOTT, Auctor præclari Operis, *Genealogia Diplomatica Augustæ Gentis Habsburgicæ*, in ejusdem libro I. indicem dedit de *Chorographia Habsburgica*, ibique Capite I. *de ea generatim egit*. Non fuêre tenues Comitum possessiones, ut *Daniel Blondellus* persuadere Orbi voluit. Potentiam gentis evincit *Tabula Chorographica*, in qua & immensum laborem, & peritiam mediæ ætatis incomparabilem prodidit eruditissimus Herrgottus. Cap. II. *Pagus Brisgoiæ* describitur, *in quo secundùm Diplomata majores Habsburgicæ Gentis sedes suas* primitùs collocârunt, cuique adeò singularem dignationem tribuunt ætatis mediæ monumenta. *Cap. III.* inscribitur de *Alsatia, primigenia majorum Habsburgicorum sede Trans-Rhenana*. Vid. Act. Erud. Lipf. an. 1738. mens. Jan. pag. 6. & seq.

BERNARDUS MONTFAUCON è Congr. S. Mauri Novæ editioni Operum S. Athanasii, Archiepiscopi Alexandrini, à se accuratæ Parisiis an. 1698. Tabellam præfixit Geographicam Ægypti, plurimis erroribus emaculatam, ut ipse in prævia Admonitione narrat.

Charta Geographica Monasterii Ottoburani in Suevia sub epigraphe: *Territorium Imperialis & Liberi & Exempti Monasterii Uttenburensis cum suis latè confinis chorographicè descriptum*. Ab hac Mappa nec elegantia, nec concinnitas abest. Habet utrosque Gradus, & quidem Latitudinem Memmingæ 47. grad. 49. min. Ottenburæ Longitudinem illius loci 30. grad. min. 40. sec. Hujus 30. gr. 27. min. 50. sec. Septentrio est ad dextram, infra Monasterii conspectus scenographicè elegantem in modum exhibetur. Superiùs Notitia de Fundatione, Fundatore, & Confirmatione Asceterii; propè sequitur Catalogus Abbatum, Virorúmque sanctitate, & rebus prodigiosè gestis illustrium. Abbas illius temporis erat Benedictus Hornstein, ordine L. qui ad clavum monasterii sedere cœpit anno 1672. Huic *Chorographia dicata, & consecrata est à Venerbili Conventu Ottoburano an. 1676. xxi. Martii*. Charta habet etiam varias milliarium scalas, quorom 32. faciunt milliaria 5. Italica, Germanica vulgare 1.

§. III.

Qui sua vel aliorum Itinera literis mandârunt.

CEOLFRIDUS Weremuthensis & Gerwicensis Monasterii in Anglia Abbas, Venerab. Bedæ præceptor, *de sua peregrinatione*, quam Romam, quo verò anno haud satis liquet, instituit, librum à Baleo & Pitseo scripsisse fertur, quem tamen, nescio, an quisquam unquam oculis usurpârit. *Cav. Hist. Lit. ad an.* 680. *pag.* 389. *col.* 1.

HEITTO, aliùs *Haito, Haido, Hatto, Abyto, Otto*, ex Abbate Augiæ Divitis Episcopus Basileensis à Carolo M. Constantinopolim ad pacem cum Nicephoro Orientis Imperatore sanciendam missus scripsit *Legationis suæ Constantinopolitanæ Hodæporicon*, quod tamen in Bibliotheca Augiensi non

reperi-

reperitur, nec fors alibi reperiendum est. *Joan. Egon libro de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 5. pag. 646.*

BERNARDUS, Monachus, cognomento *Sapiens*, scripsit *Hodæporicon in Terram sanctam*, factum anno 870. quod Mabillonius Tomo II. Sec. III. Act. Sanct. Ord. S. B. pag. 502. inseruit. Anglum natione existimavit Pitseus, alii Gallum fuisse volunt.

Vita, sive potiùs *Hodæporicon* S. Wilibaldi primi Episcopi Aichstadiani, scriptum à consanguinea S. Wilibaldi Sanctimoniali Heidenheimensi, à Canisio primùm edita ex MS. monasterii Rebdorfensis propè Aichstadium. Etsi *Vitæ* inscriptionem msc. Codex habet, ex mente tamen & sententia Jacobi Basnagii *Hodæporicon*, seu *Itinerarium* S. Wilibaldi potiùs dici debet. Nam si quis rem accuratiùs perpendat, nil aliud S. Virgini *Walpurgi* (hæc enim non temerè ejus Scriptrix afferitur) propositum fuisse advertet, quàm ut fratris sui peregrinationes in literas referret, quod argumentum ut aptiùs exequeretur, nonnulla de ortu & puerili ejus ætate initio attexuit: cæteroquin in solis Wilibaldi peregrinationibus recensendis occupata. *Basnagius* nov. edit. Antiq. Lect. Canis.

RATHERIUS ex Monacho Laubiensi Seculo X. Episcopus Veronensis solum vertere coactus scripsit *Itinerarium* circa an. 933. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. l. 43. pag. 411.

ANSELMUS REMENSIS à Sigeberto cap. 152. Trithemio c. 333. de S. E. & lib. II. c. 88. de Vir. Ill. O. S. B. Nat. Alexandro Hist. Eccl. Sec. XI. art. 2. pag. 501. laudatus circa an. 1050. clarus scripsit *Itinerarium S. Leonis* (qui fuit Papa ab anno 1049. ad 1054.) susceptum ab eo in Galliam iter exhibens, rerúmque aliarum ab illo gestarum commentarios. Mabill. in Ind. Scriptor. Tom. IV. Annal. vide etiam M. B. E. pag. 486. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 310. Ob hoc verò maximè, inquit Sigebertus l. c. scripsit *Itinerarium S. Leonis*, ut notificaret, quanta authoritate Remis, vel in aliis urbibus Synodum celebrârit, quanta subtilitate & justitia examinârit causas ecclesiasticas, quâ discretione peccantes correxerit, quomodo ei virtus Dei cooperata sit. Quod satis patuit in una causa Remensis Synodi, ubi dum Episcopus Frisingensis contumaciter ageret contra Apostolicam auctoritatem, repente in oculis omnium obmutuit.

HUMBERTUS antea Mediani Monasterii monachus, tum ptopter singularem doctrinam Cardinalis & Sylvæ-Candidæ Episcopus creatus scripsit de sua Legatione Constantinopolitana, quam jussu Leonis IX. Summi Pontificis anno 1053. obiit. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 545.

BALDRICUS Dolensis Archiepiscopus ex Abbate Burguliensi apud Andegavos Seculo XI. in epistola ad Fiscamnenses iter suum per Britanniam minorem & majorem, & per Normanniam descripsit. Excerpta epistolæ, quæ in *Neustria pia* pag. 227. extat, lectu non indigna vide apud Mabill. Annal. tom. V. pag. 504.

ARNOLDUS Abbas Lubecensis in Supplemento Derelictorum Helmoldi describit per 12. priora Capita *Iter votivum in Syriam Henrici Leonis* potentissimi Saxoniæ Ducis.

ANDREAS LEUCANDER, aliàs *Witbeman*, inquit Lelandus, exteri corruptè *Lernandum* vocant, Abbas Ramesiensis tertius, mirè inflammatus desiderio videndi loca sancta urbis Jerosolymitanæ, eò peregrinatus est; ut ad animæ consolationem illa corporis oculis lustraret, quæ priùs non nisi mentis lumine, & intuitu spirituali, in piis meditationibus & sacrarum Scripturarum lectione eminùs quodammodò contemplatus fuerat. Postquàm autem piè reverentérque Christum adorâsset in loco, ubi steterunt pedes ejus, in patriam reversus scripsit circa annum 1020. *De sua peregrinatione lib. un.* Pitseus æt. 11. pag. 183.

GUILIELMI MALMESBURIENSIS Itinerarium de laboriosa Abbatis Meldunensis profectione versùs Romam, multis planè memorabilibus rebus refertum, inquit Lelandus Collectaneorum vol. 2.

JOANNES, Italus, Perusius, Monachus è Congr. Casin. conscripsit *Itinerarium Terræ Sanctæ*, in quam anno 1500. profectus est. Vid. Vossium de Hist. Lat. lib. 3. pag. 109. edit. Lugdun. Batav. an. 1651. Armell. Bibl. part. 2. pag. 16.

JOANNES TRITHEMIUS an. 1507. in Epistola ad P. Eberhardum Campis data, & in alia ad Jacobum Siberti scribit, se rerum suarum *Hodæporicon* libris II. complexum fuisse. Utraque Epistola inter Opera ejus Pia & Spiri-

Spiritualia habetur. Prima pag. 913. altera 978.

CASPAR DE BAVINCOURT, ex Equite Hierosolymitano Monachus, primùm Aquiscinctinus, tum Audenburgensis Abbas scripsit peregrinationem suam Hierosolymitanam ad montem Sinai, & sepulchrum S. Catharinæ. Claruit c. an. 1576. Vide Bucelin. in Bened. Rediv. pag. 111. & Foppens Bibl. Belg. part. 1. p. 63.

WOLFGANGI DE STYRA, Benedictini Mellicensis *Itinerarium* publici juris fecit Hieronymus Pezius Scriptorum Rerum Austriacarum Tom. II. à col. 445. ad 457.

ANTONII DE YEPES, celebris Auctoris Chronici Generalis Ord. S. B. *Itinerarium*, seu *relatio* expeditionis suæ philohistoricæ per omnes Hispaniæ provincias. Priùs enim quàm conscribendo manum admoveret, præcipuas cùm Regni totius tum Ordinis nostri bibliothecas & archiva pio apparatu comparando sibi perlustranda putavit. Nic. Ant. Bibl. Hisp. nov. Tom. I. pag. 103.

REGINBALDI MOHNERI, Monachi San-Udalricani Aug. Vindelicorum, Sec. XVII. Viri in rebus Heraldicis ac Genealogicis perscrutandis industrii *Itinerarium Bavaricum*, *Austriacum*, *Moravicum*, *Silesium*, *Belgicum* &c. quod in Bibliotheca ejusdem Monasterii asservatur Codice Chart. 4.

VICTORINUS AURELLUS, vel *Aucellus*, Siculus, Messanensis, ex Panormitano Cœnobio S. Martini de Scalis anno 1642. piissimè defunctus, ætatis 80. Theologus doctissimus, Poëta egregius, Orator eximius, ac super omnia Asceta piissimus, Italiam perlustravit, ac memorabilia hujus regionis descripsit anno 1616. ut ait *Petrus Antonius Tornamira* in Origin. & Progressu Congreg. Casin. tom. 1. lib. 2. cap. 1. pag. 137. qui ex ejus *Itinerario de Italia* varia excribens fragmenta, testatur autographum ejusdem Itinerarii extare mſ. in eadem Bibliotheca S. Martini. Ant. Mongitore Bibl. Sicul part. 2. pag. 272. & Mar. Armell. Bibl. Casin. part. 2. lit. V. pag. 9.

VIAGGI DI SANOLFO PILAIO, id est, *Iter Literarium Alfonsi Paioli*, Itali, Ferrariensis, è Congr. Pisan. Postquàm enim è Jurisperito, & Judice variis in locis factus esset monachus, & apud Lirinenses Philosophiam & Theologiam, nec non Mathematicas Institutiones ingenti cum laude exposuisset, sapientum more rariores doctrinas exteris in regionibus acquisiturus, præcipuas Europæ regiones, Galliam præsertim & Hispanias peragravit, linguarum peritiam exactissimam, præter reconditas eruditiones, secum referens; in patriam demum regressus, quæ longo didicerat tempore, variis libris in medium protulit. Sed nec in extrema quidem senectute iter agendi cupidinem deposuit; nam anno 1707. media hyeme Romam Mediolano, ubi tunc degebat, venit, ut inde sacrum Casinense Archisterium atque Neapolim inviseret. Vivere desiit Ferrariæ anno 1711. Vid. Armell. l. c. part. 2. pag. 50. Author è facto fonte *Alphonsi* nomen tulit, quod in sacra Professione in *Anselmi* commutavit.

JOANNIS MABILLONII *Iter Germanicum*, quod extat Veterum Analectorum Tomo I. Parisiis anno 1675. ibid. in fol. in eorundem Analectorum nova editione an. 1723. & Hamburgi ex editione Jo. Alb. Fabricii an. 1717. in 8. typis Christiani Liebzeit.

– EJUSDEM *Iter Literarium Italicum*, quod Tomo I. Musei Italici Parisiis anno 1687. impressi habetur. Illud Christianus Gryphius cap. IIX. de Script. pag. 418. *elegans omnino atque eruditum* vocat. Aliud est de eo judicium Coleri in Analect. ad Struvii Introductionem in notitiam rei literariæ cap. III. pag. 267. „ Equidem non nego, inquit, multa in „ illo reperiri vana, unde B. Tenzelius „ in Colloq. Menstr. An. 1689. pag. „ 150. non veritus est liberè pronuntiare: *Diese Reiss-Beschreibung wird wegen vielen vanitäten mr verlacht*: *Hoc Itinerarium ob multas „ suas ineptias exploditur*; interim tamen illud fatendum quoque est, subinde varia lectu admodùm digna „ occurrere, quæ alibi vix reperias. „ Hæc Colerus. Miror tamen, quòd vir doctus testimonio Tenzelii, ceu Delphico utatur oraculo, cujus multas in te literaria ineptas censuras Christianus Thomasius abundè ostendit, atque aliorum risui propinavit. Confer Cl. Köhlerum in *Münzbelustigungen* in vita Tenzelii. Magna quorundam ex Acatholicis Criticorum vanitas, quòd quæ ad eorum palatum non sunt, continuò vanitatis accusent, & condemnent. Ea Mabillonii in omnibus Scriptis suis est magnitudo, eruditio, & doctrina,

pari

pari cum prudentia conjuncta, ut non modò extra teli jactum posita sit, sed ii, qui eam allatrare præsumunt, canum lunam allatrantium similes esse videantur.

– EJUSDEM *Itinerarium Burgundicum*, quod extat Operum posth. tom. 2. pag. 1 - 33. de quo ipsum audire juvat: „Cùm multa, inquit, in variis itineribus, quæ vel in Belgium, vel in Lotharingiam, aliásque Galliarum partes rei literariæ causâ ab aliquot annis confecimus, à nobis conservata sint, quæ vel scripta in adversariis resident, defectu occasionis, qua proferantur, vel non scripta è memoria identidem excidunt, in animum induxi ea, quæ in Burgundico itinere ante biennium (1682.) observatione digna vidimus & legimus, in commentarios digerere, tum in qualecunque subsidium rei literariæ, tum ad reddendam literarum cultoribus itineris nostri rationem. „

THEODORICI RUINART *Iter Literarium* in Alsatiam & Lotharingiam. extat Operum ejus & Mabill. posth. tom. 3. pag. 411.

BERNARDI MONTFAUCON è Congr. S. Mauri *Diarium Italicum*. 4. Parisiis apud Joan. Anisson an. 1702. cum fig. Quod *Colerus* præ Mabilloniano Itinerario velut multo doctius, diligentius, & limatius dilaudat. *Franciscus* verò *Ficoronus* Romæ an. 1709. Observationes edidit in antiquitates Romanas in Diario Italico descriptas, in quibus nonnulla ipsi digna visa fuerunt, quæ obelisco notaret. Responsionem autem ad hasce observationes exhibet *Journal des Savans* an. 1709. Mens. Nov. pag. 320. *Ficoronum* etiam confutavit *Romualdus Riccobaldi* peculiari Apologia Venet. 1710. in 4. apud Antonium Bartoli: Qui quidem *Romualdus Riccobaldi*, gratis omnino dicitur in fronte libri Monachus Casinensis, cùm revera ejus Author fuerit Paulus Alexander Maffejus, Eques S. Stephani ob singularem eruditionem, ac Opera typis vulgata satis celebris, qui obiit Romæ an. 1716. mense Julio. Patri autem D. Guilielmo Gallo, Monachorum S. Mauri in Urbe Procuratori Generali, quorum impensis editus fuit liber, visum est nomen confictum Casinensis Monachi illi apponere, honoris, ut Armellinus Bibl. Scriptorum Congr. Casin. part. 2. pag. 167. opinatur, gratiâ. Cæterùm *Riccobaldi* seu *Maffeii* liber quamvis valde eruditus, dignúsque sit *curiositate*, & *attentione doctorum Virorum*, ut asserunt Authores Ephemeridum Literatorum Italiæ ejusdem anni 1710. tom. 2. in fine, ob nimiam tamen in *Ficoronum* acrimoniam & mordacitatem prohibitus fuit.

EDMUNDUS MARTENE, & URSINUS DURAND è Congr. S. Mauri Itineris literarii, quod anno hujus Seculi octavo & nono per Germaniam & Galliam instituerunt, descriptionem dederunt, edito libro in 4. Paris. an. 1724. hoc titulo: *Voyage literaire de deux Religieux Benedictins.*

BERNARDUS PEZIUS Dissertatione Isagogica in Tom. I. Thesauri Novissimi Anecdotorum describit fusè & eruditè Iter suum literarium, quod cum *Hieronymo*, fratre germano, per Austriam, Bavariam, & Sueviam emensus est.

SIMPERTI NICKEL, Abbatis Neresheimensis in Suevia *Diarium*, seu *Relatio* Legationis Cæsareæ ab Excellentiss. Wolfgango S. R. I. Comite de Oettingen, Plenipotentiario Aug. Imp. Leopoldi I. post pacem Carolovicensem an. 1699. Constantinopolim ad Portam Ottomannicam susceptæ. Germanicè. Aug. Vindel. in 8. per Georgium Schlütter an. 1701. Author in hac Legatione munus Prælati Domestici obivit.

MAGNUS SCHLEIR, Imperialis Monasterii Elchingani in Suevia Cœnobita pretium operæ se facturum existimavit, si *Balthasari Schmidii*, in eadem provincia rusticani, ejúsque obscurissimi hominis, ac planè terræ filii, hoc seculo in Palæstinam semel atque iterum profecti, atque ex eadem reducis *Itinerarium* literis mandaret, atque Ulmæ anno 1723. in 8. typis imprimi curaret.

SECTIO II.

SCRIPTORES HISTORIÆ UNIVERSALIS.

NOvi virum eruditum, qui negat, universalem dari historiam. Quis enim res omnes totius orbis terrarum literarum monumentis unquam consignavit, aut consignare potuit? Non hoc humanæ, sed divinæ est potesta-

tis. Quô sensu ultrò concedimus,non dari historiam universalem. At enim nos hoc loco Historiæ Universalis nomine eam tantùm cum aliis viris doctis intelligimus, quæ res ecclesiasticas simul & prophanas, si non omnes, complures tamen, eásque præcipuas complectitur.

§. I.

Qui Historiam rerum sacrarum simul & profanarum ab Orbe condito in literas retulerunt.

M. AURELII CASSIODORI Chronicon desinens in annum 519. Est illud Chronicon (inquit Vossius *de Hist. Lat.*) non inutile quidem propter Consulum annos, quos digessit; ut & Sigebertus annotavit in Catalogo CXL. Sed tamen nec nimis est magnæ rei. Sanè pene nunquam ei cum Eusebio convenit. Sed Cassiodori Chronicon tantùm farrago est, quam temulentiæ comparat *Onuphrius Panvinus*, approbante etiam *Josepho Scaligero* in Animadverf. Eusebianis. Utrumque verò impotentiùs in hoc Cassiodori Chronicon exarsisse ostendunt Bucherius & Garetius. Quòd enim Cassiodorus, Eusebio duce, Consulatum Junii Bruti una integra Olimpiade superiorem fecerit, lapsus hic, etiam si esset certus & verus, sine supercilio condonandus erat viro de literis meritissimo, majoribus curis obsito, totius Regni Gothici Atlanti, & gravissimum sententiæ suæ testem citanti, maximè cùm alii minùs distracti peccent citra famæ dispendium, & nemine sugillante. Vide Garet. in vita.

BEDÆ VEN. *De sex Ætatibus Mundi*, sive Chronicon à rerum Origine usque ad nonum annum Leonis Isauri, Mundi 4680. (Christi 726.) pag. 103. Appendix è diversis authoribus, quæ in Basileensi editione subjecta legitur, à Coloniensi abest. Prodierat hoc Chronicon Parisiis apud Joannem Petitum 1507. in 4. & cum Scholiis Joannis Bronchorstii, Coloniæ an. 1537. Conferendum quoque Chronicon breve, quod continuatum usque ad annum 810. ex MS. Codice edidit Andreas du Chesne Tom. III. Scriptor. Franc. pag. 125 - 129.

FRECULPHUS, Monachus priùs Fuldensis, pòst Lexoviensis in Gallia Episcopus, Chronicon scripsit Sigeberto etiam celebratum in Caral. Cap. XCI, estque id opus bipartitum, Ejus parte priori ab initio mundi progreditur usque ad nativitatem Christi: altera ab Servatore nato usque ad Francorum, & Longobardorum Reges. Posteriorem partem dicavit Judithæ Augustæ conjugi Ludovici Imperatoris, Caroli M. filii. Freculphum hunc inter præcipua Galliæ lumina numerandum esse, ex Demstero dicit Vossius de Hist. Lat. l. 2. cap. 28. pag. 304.

ADONIS ex Monacho Ferrariensi Viennensis in Gallia Archiepiscopi *Breviarium Chronicorum de sex Mundi Ætatibus* à mundi initio ad annum 879. perductum. Prima verò ætas est ab orbe condito usque ad diluvium: altera à diluvio usque ad Abrahami nativitatem: tertia ab Abrahamo usque ad Davidem: quarta à Davide usque ad transmigrationem Babylonicam; quinta inde ad Christum natum: sexta & ultima omne illud tempus complectitur, quod deinceps consequitur. Ita *Vossius*. Extremam verò partem Chronici in editis, ubi agitur de divisione Regni, quam inter filios suos fecit *Ludovicus Rex Noricorum*, ex Mabillonii sententia, cui adstipulatur *Nat. Alexander*, alterius esse authoris intelligimus. Prodiit verò Adonis Chronicon seorsim Parisiis an. 1522. conjunctim cum Gregorio Turonensi an. 1512. 1567. Basileæ an. 1568. & in Laurentii Barii Historia Christiana Veterum Patrum Parisiis 1589. 1644. 1654. Tom. VII. Colon. 1618. Tomo IX. & Lugduni 1677. Tomo XVI. In his omnibus editionibus purum & integrum Adonis Chronicon desideratur.

CHRONICA REGIA Monachorum Coloniensium S. Pantaleonis ab orbe condito post primum Collectorem, qui tempore Ottonum Sæculo X. scripsit, continuata usque ad an. 1162. atque edita à Jo. Georgio Eccardo Tomo I. Scriptorum medii ævi pag. 683 - 944. qui etiam versionem veterem Germanicam ejusdem Chronici ab Henrico Aucupe usque ad captum an. 1162. Mediolanum subjunxit, pag. 945-1006. *Godofredus* Monachus Pantaleonita hoc Chronicon ab anno 1162. ad an. 1237. continuavit. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. V. pag. 577.

MARIANUS SCOTUS, Monachus Fuldensis, vir ætate sua admodùm disertus, ut de eo tradit Sigebertus in Catalogo S. E. cap. 13. Chronicon perduxit ab O. C. usque ad annum

ML.

MLXXXIII. quod Joanne Heroldo curante prodiit Basil. 1559. fol. & in tomo uno Joannis Pistorii Francof. 1613. fol.

HERMANNI CONTRACTI Comitis de Veringen in Suevia & Monachi Divitis Augiæ Chronicon ab O. C. usque ad A. C. 1054. Oeconomiam totius hujus sanè quàm præclari Operis propriis ipsius Hermanni verbis hic subjicere juvat. „Prima est mundi hujus ætas ab Adam usque ad „Noë, continens annos juxta Hebraicam veritatem MDCLVI, juxta „LXX interpretes M.MCCXLII, generationes juxta utramque editionem numero X. Quæ universali „deleta est diluvio: sicut primam „cujusque hominis oblivio demergere consuevit ætatem. Quotus enim „quisque est, qui suam recordetur infantiam? Secunda ætas à Noë usque ad Abraham generationes juxta „Hebraicam veritatem complexa X, „annos autem CCXCII: porrò juxta „LXX interpretes an. MLXXII, generationes verò XI. Hæc quasi pueritia fuit generis populi Dei, & „ideo in ea lingua inventa est, id est, „Hebræa. A pueritia namque homo „incipit loqui nosse post infantiam, „quæ hinc appellata est, quòd fari „non potest. Tertia ab Abraham „usque ad David generationes juxta utramque authoritatem XIV, „annos verò DCCCXLII complectens. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Evangelista generationum ex Abraham sumpsit exordium: qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit. Quarta à „David usque ad transmigrationem „Babylonis, habens annos juxta Hebraicam veritatem CCCCLXXIII, „juxta LXX translationem XII amplius, generationes juxta utrosque „Codices XVII; quas tamen Evangelista Matthæus certi mysterii gratia XIV ponit. A qua velut juvenili ætate in populo Dei regum „tempora cœperunt. Hæc namque „in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno. Quinta „quasi senilis ætas à transmigratione „Babylonis usque in adventum Domini salvatoris est, generationibus „& ipsa XIV, porro añis DLXXXIX. „extenta: in qua ut gravi senectute „fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. Sexta, quæ nunc „agitur, ætas nulla generationum „vel temporum serie certa, sed ut „ætas decrepita ipsa totius seculi „morte consummanda. Has ærumnosas plenásque laboribus mundi „ætates sancti quique felici morte vicerunt, septima jam sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ „resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.„ Ita *Hermannus* de Opere suo præfatur, quod *Chronicon de VI. Mundi Ætatibus* inscripsit; è quibus primæ V. Ætates ab O. C. ad Christum natum usque Historiam Veteris Testamenti complectuntur. Neutiquam verò sunt hæ quinque Ætates, à quibus Hermanni Chronico singulare pretium statuimus; in iis siquidem haud alia ferè continentur, quàm quæ ex Ven. Beda transscribens, bona fide nobiscum communicavit. Ubi verò Bedæ Chronicon desinit, minimùm CCCCXXVIII. anni superant, quorum historiam Hermannus proprio marte contexuit. Etenim *Bedæ Chronicon de VI. Mundi Ætatibus à rerum origine usque ad IX. annum Leonis Isauri* seu *ad annum DCCXXVI. Æræ Christianæ* pertingit, & in anno post Christum natum septingentesimo vigesimo septimo finit. Atque in horum trecentorum & triginta circiter annorum historia scribenda Hermannus sinceri, prudentis, & diligentis Historici partes egregiè implevit. Habet verò Hermanni Chronicon *variantes lectiones*, quasdam continuationes, & plures editiones, de quibus infrà Sectione VI. §. III. sermonem instituemus.

ALBERTUS Monachus S. Symphoriani Metensis Sæc. XI. Chronicon ab initio mundi ad an. 1038. scripsisse à Possevino memoratur, quod adhuc ineditum existimat Fabric. Bibl. med. Lat. l. 1. pag. 123.

ECKARDUS ex Monacho Hirsaugiensi primus Abbas Uraugiensis Chronicon ab origine mundi ad annum usque Dominicæ Incarnationis MCXXIV. inclusivè volumen insigne composuit, in quo Gesta Regum & Imperatorum in Germania & extra, ordine satis congruo digessit. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 1118. pag. 367. Edmundus Martene & Ursinus Durand amplissimum & eximium vocant Chronicon. Hoc insigne opus, inquiunt, insignis plagiarius *Conradus Abbas Urspergensis* sibi ipsi attribuere

buere non est veritus, debitámque Ekkardo gloriam ingenti furto in se transmovit. Nam si decem fortè primas paginas excipias, & quæ Ekkeardi nostri ætatem sequuntur, atque brevissima quædam, eáque rarissima assumenta sunt, integrum Abbatis Urspergensis Chronicon, ne vel minimo quidem apice prætermisso, parentem habuit Ekkeardum. *Vid. Collect. Ampliss. Tom. V. Observ. præv. in Ekkeardi libellum de Expugnat. Jerosol. pag.* 508. Et verò Conradum Urspergensem non esse hujus Chronici Auctorem, suspicari jam priùs Caspari Sagittario Introductione in Hist. Eccl. pag. 63. XVI. sec. XIII. in mentem venerat. „ Enimverò, inquit, si „ Abbas Cunradus Chronici auctor „ foret, cur non immutâsset ea, quæ „ ita jam sunt comparata, ut ad hunc „ auctorem nequeant referri? Nem„ pe cùm ait, se interfuisse expedi„ tioni Godofredi Bullionei in Palæ„ stina anno CIƆXCIX. & Romæ „ fuisse, quando Paschalis II. excom„ municaret Henricum Quintum Im„ peratorem: Et quæ sunt hujus ge„ neris plura alia, quæ uti Cunra„ do anno MCCXL. mortuo conve„ nire non possunt, ita Ekkardo Ab„ bati tunc temporis ætatem agenti „ optimè conveniunt. Qui primus „ Ekkardi Chronicon sub Cunradi „ Abbatis Urspergensis nomine vulga„ vit, Petrus Perna fuit, teste Simle„ ro in Gesneriana Bibliotheca pag. „ 143. „ Hoc concedendum est Conrado, quòd Ekkardi Chronico sua quædam addiderit usque ad annum CIƆCCXXXX. Quare à crimine plagii absolvi potest, nunquam fortè opinatus vel monasterii sui monachos, vel alios, ad quos pervenerit volumen, sibi ea omnia tributuros, quæ is saltem observationibus, & appendice auxerit. Eckardi Chronicon desiderat novam editionem, in qua paralipomena Casparis Hedionis ab anno 1130. usque ad an. 1537. à Censoribus Tridentinis meritò damnata rescindenda sunt.

RICHARDI PICTAVIENSIS, monachi Cluniacensis Historia ab Imperio Caroli M. sive ab anno Chr. DCC. usque ad annum MCLXII. quam Platina hisce verbis laudat: *Horum autem temporum Historiam scripsit satis eleganti stylo & oratione Richardus Cluniacensis monachus, quem alii Scriptores non parùm laudant.* Platina in vit. Pontif. in Adriano VI. Publica luce non ita pridem donavit V. C. Lud. Ant. Muratorius Antiqq. Italic. tom. IV. pag. 1075. ex MS.to Codice Bibl. Vaticanæ. Confer Oudinum, qui tamen in præfatione à Muratorio emendatur. Schœtgen. Bibl. med. Lat. l. 17. pag. 212.

LAMBERTI SCHAFNABURGENSIS Monachi Hirschfeldensis in Hassia Historia prodiit seorsim curâ Ludovici Schradini Tubingæ an. 1533. in 8. inter quatuor Chronographos Schardii Francofurti an. 1566. in fol. Culto ac veraci stylo scripta est ab O. C. ad annum 1077. Exordium capit ab Adamo & VI. Ætatibus Mundi. Verùm quæ usque ad Pipini & Carolingica tempora Lambertus in medium profert, ea ferè haud aliud sunt, atque Summaria ex Bedæ Chronico. In seculis verò proximè consequutis ab anno DCCXL. suam ipse plerumque texit telam. Sunt equidem brevia iterùm assumenta, & quasi marginalia solùm & contenta dicendorum. Nihilominus ad plerosque annos aliquid memoratu dignum author adjecit: v. g. „ An. DCCXXXVI. Beda Nobilis & „ præclarus Doctor obiit. Initium „ Herveldensis Monasterii. Anno „ DCCXCII. & XCIII. Conjuratio „ *Pipini* contra patrem suum, quæ „ per Fardolfum publicata est. Unde „ Pipinus attonitus in monasterium „ mittitur, cæterique omnes perditi, „ alii decollati, alii suspensi, misera„ biliter sunt mortui. Et ipsi Fardol„ fo datum est cœnobium S. Diony„ sii. „ Et hunc in modum Lamb. rtus sensim diductior fit, quo propiùs ad primarium suum accedit scopum, v. g. An. CIƆXLVIII. „ Imperator „ Natalem Domini Polethæ celebra„ vit. Ibi Legati aderant Romano„ rum, Suitgeri Papæ obitum nunci„ antes, eique successorem postulan„ tes: quibus Imperator Bopponem „ Prisnensem Episcupum assignavit, „ Babenbergensem verò episcopatum „ Hezechin Cancellario tradidit. Fe„ stum sancti Michaëlis Imperator „ iterùm Polethæ celebravit: ibi po„ stero die *Dietmarus* Comes, frater „ Ducis Bernhardi, cùm à milite suo „ Arnoldo accusatus fuisset, ab ini„ to contra Imperatorem consilio, „ congressus cum eo, ut objectum „ crimen manu propria purgaret, vi„ ctus & occisus est. Ecbertus Ful„ densis Abbas factus, statim post Na„ talem Domini. „ Quæ causa est, quòd totum Lamberti Chronicon ab

O. C.

O. C. usque ad an. ML. haud pluribus quàm sex foliis à pagina 306. ad 319. absolvatur. Cùm econtra in postremis viginti quinque aut septem annis ab anno ML. ad an. MLXXVII. velut vastum ingressus æquor vela historiæ latissimè pandat, prout dicturi sumus, quando *Scriptores Rerum Germanicarum* recensebimus.

GUILLELMUS de NANGIS, seu *Nangiaco*, natione Gallus Cœnobii San-Dionysiani prope Parisios Monachus scripsit Chronicon ab initio mundi usque ad annum 1300. quod nunquam tamen integrè editum fuit. Ab anno duntaxat 1113. editum est à Luca Acherio Tom. XI. Spicilegii.

ALBERTUS STADENSIS, cùm Abbas adhuc esset Benedictinus, nequedum in castra Franciscanorum transiisset, scripsit Chronicon ab O. C. usque ad an. 1256. quod edidit Reinerus Reineccius Helmstadii an. 1587. in 4. extat etiam inter Scriptores Kulpisianos pag. 123. Freher. in Direct. Hist. pag. 7.

Chronicon Antissiodorense, sive *Autissiodorense* Monachi Anonymi S. Mariani Antissiodorensis (*Auxerre* in Gallia Lugdunensi) ab O. C. ad annum 1212. cum Appendice ad annum 1223. editum à Nicolao Camusæo Trecis 1608. in 4.

FLORENTIUS WIGORNIENSIS seu Bravonius Anglus, & in Anglia in Wigornensi Monasterio S. Benedicti regulam professus, religiosæ disciplinæ, pietati, & bonis literis sedulam operam navavit, evasítque tandem in sacris & profanis literis eruditus, & historiarum tum lectione, tum scriptione clarus. Has enim & similes laudes ei tribuunt ejus imitatores Gualterus Conventriensis, Ranulphus Higdenus, & Joannes Rossus Warwicensis. Scripsit Chronicon ab O. C. usque ad annum MCXIX. ex Mariano Scoto ut plurimùm desumptum. Operi titulum indidit, ut scripsit ejus continuator:

Chronicon Chronicorum, *Librum unum*.

Ad ejus autem historiam, eo defuncto, quidam Monachus Wigorniensis, cujus nescitur nomen, adjecit annos plus minùs quinquaginta. Porrò Florentius scribendi simul & vivendi finem fecit Nonis Julii anno mundi per Christum redempti 1191. dum Anglicani Regni sceptrum teneret Henricus primus. Ejus Chronicon editum est à Guillelmo Howardo, postea Comite Notthamptoniensi Londini an. 1592. in 4. exinde cum Mathæo Westmonasteriensi excusum Francof. 1601. in folio. Hoc Chronicon eò majoris duci convenit, inquit Oudinus Tom. II. pag. 1011. quòd ei Latinè suis locis interserantur antiqui Anglo-Saxonum Annales. Vid. Leland. Bale. & Pitf. de Ill. Angl. Scriptor.

MATHÆUS, à floribus Historiarum, quos accuratè collegit, *Florilegus* cognominatus, Monachus Anglus, in cœnobio Westmonasteriensi, Vir scientiis melioribus benè instructus, & suo seculo Scriptor non vulgaris. In historiis, præsertim Britannicis & Anglicis peritissimus. Flores Chronicorum à creatione mundi, in sex ætates divisos, in unum magnum congessit volumen, tribus libris distinctum. In quorum primo de rebus insignioribus agit ab orbe condito usque ad Christum natum. In secundo à Nativitate Christi usque ad Normannorum in Angliam adventum. In tertio agit de imperio Normannorum in Anglos, usque ad initia regni Edwardi secundi. Hoc autem loco seu Paragrapho Mathæus proptet librum primum duntaxat recensendus venit; propter librum enim secundū & tertium ei locus inter Scriptores Rerum Anglicarum debetur. Laudatur verò à Pitseo, quòd omnia sua scripserit tanta fide, ut vix unquam vel latum unguem à vero aberraverit, quæ est præcipua laus boni Historici. Ejus *Flores*, sive Annales ab O. C. ad an. Christi editos habemus curâ Mathæi Parkeri Londini an. 1567. recus. Francof. 1601. in fol. Vide Pitseum de Illust. Angl. Scriptor. æt. 14. pag. 518. ubi se Mathæi Flores & habere & legisse testatur.

ANONYMUS Anglus, Monachus Malmesburiensis, Historicus verax, & & antiquitatum scrutator diligentissimus, de quo Joannes Capgravius testatur in libro suo de sequacibus S. Augustini capite X. quòd anno Domini 1361. scripserit, magnum Opus in quinque libros distributum. Quorum primus tractat rerum seriem ab exordio mundi usque ad Christi ascensionem. Secundus agit de prædicatione Apostolorum, & de passionibus Martyrum. Tertius de primis Italiæ incolis, & de rebus gestis Imperatorum. Quartus de mundi divisione, & de ritibus regnorum. Quintus de primis inhabitatoribus Britanniæ, de Regibus post Brutum, & de infortuniis potissimùm incendiorum, quæ sub illis contigerunt. Harum rerum narra-

tionem perduxit usque ad an. Dom. 1366. Operi toti titulum præfixit *Eulogium Historiarum*, *Libros quinque*. Incip. Forma vivendi probitatis. Claruit dicto anno salutis comunis 1366. Edwardo tertio feliciter in Anglia regnante. Ita Pitseus æt. 14. pag. 498. Hunc Anonymum vocat Oudinus *Nimianum*, & ex eo facit Monachum Cantuariensem Tom. III. de S. E. pag. 1089.

JOANNES CASTORIUS, qui etiam *Fiber*, & vulgò *Bever* dicitur, natione Anglus, Monachus Westmonasteriensis, claruit anno redemptionis humanæ 1306. Hunc Joannes Lelandus tanquam bonum & veracem historicum commendat, ejúsque auctoritatem plurimi facit. Scripsit Chronicon ab Ænea ad Regem Henricum, id est, ad annum 1216. extat in Bibl. Cotton. sub effigie Vittellius Lit. E. Cod. XVII. Vid. Pitf. l. c. p. 390.

RICHARDI HAGULSTADENSIS in Anglia Monachi breve Chronicon ab Ada usque ad Henricum I. Imp. plura §. seq.

JOANNES TEXTOR Monachus S. Edmundi Buriensis in Anglia, Sec. XIV. clarus, Historiam ab Orbe condito usque ad an. 1357. perduxit, quæ extat in multis Angliæ Bibliothecis. *Oudin. l. c. p.* 1089.

EDMUNDUS de HADENHAM, natione Anglus, cœnobii Roffensis in agro Cantuariensi Monachus claruit anno MCCCVII. scripsit Annales ab O. C. ad annum Christi MCCCVII. quos auctor anonymus stylo minùs diducto usque ad an. MCCCLXXVII. produxit. Cæterùm hi Annales, si ea excipias, quæ ad Roffensis Ecclesiæ historiam attinent, ab historia sub Mathæi Westmonasteriensis nomine olim publicata haud magnoperè dissident; unde alterum in alterius vitula arâsse, necessariò consequitur. *Additamenta Roffensia*, utpote antehac publici juris nondum facta, ex Codice Mſ. Cottoniano sub Neronis effigie Lit. D. n. 11. Whartonus eruit, ac literario cum orbe communicavit Angl. Sac. Tom. I. pag. 341. Vid. Cav. Hist. Lit. ad an. 1307.

RANULPHI HIGDENI Monachi Cestrensis in Anglia *Polychronicon*, seu Universalis Historia ab O. C. ad an. 1357. quod, si Seldeno in fine Præfat. ad Scriptores Anglicos, & Caveo Hist. Lit. ad an. 1357. fidem adhibemus, Joannes de Trevisa Anglicè versum ad annum usque 1398. continuavit; Wilhelmus Caxtonus ad an. 1440. profecutus Londini an. 1482. typis vulgavit: sed uterque hallucinatur. Qui versionem enim Polychronici primus edidit Caxtonus, continuationem ejus non à *Trevisa*, sed à *semetipso* conscriptam fuisse dilucidis verbis affirmat. Est verò versio non magnæ frugis, quam passim emendare, & pro lubitu murare Caxtonus in se recepit, quod in præfatione editionis suæ fatetur. Higdeni Polychronicon Latinum edidit Thomas Gale è Theatro Scheldoniano in fol. 1601. Vid. Placc. de Anonym. cap. 5. p. 299. n. 1175. & quos allegat Vossium de Hist. Lat. lib. 3. c. 2. Henr. Whartonum auctarii Histor. Dogmat. Jac. Usserii. Jo. Pitseum de Script. Angl. pag. 306. 307.

JOANNES de NOUELLES, *de Guisia* vulgò nuncupatus Abbas S. Vincentii Laudunensis an. 1376. egregiè literis excultus, Collectarium Historiæ Universalis libris octo, qui quattuor voluminibus comprehenduntur, elucubravit. Luc. Acher. in edit. Operum V. Guiberti Abbatis de Novigento pag. 652.

ANONYMUS Monachus Monasterii Brunsvicensis scripsit circa annum 1460. Chronicon ex diversis Chronicis excerptum Sumorum Pontificum & Imperatorum ab initio Mundi usque ad annum Christi MCCCCLXXIV. extat inter Scriptores Germanicos à Joanne Pistorio Niddano collectos Tomo I. pag. 705-754.

CONRADI SCHYRENSIS *Catalogus* (Historia Generalis) *Pontificum Romanorum*, & *Rom. Imperatorum*, & *omnium Regum*, *qui fuerunt ab initio Mundi usque ad Papam Honorium IV. & usque ad Imp. Fridericum*, *qui & Rex Siciliæ*, & *Henricum filium ejus*. Opus necdum publico exhibitum, ex quo tamen excerpta videiis apud Hier. Pez. Tom. II. Script. Rer. Austr. pag. 406.

ANIANUS *Couffere* Casletensis ex Monacho & Præposito Winocibergensi Flander, in Belgio, Abbas Monasterii S. Petri Oudeburgensis Congr. Clun. anno 1451. electus, vir doctus & pius, ut ejus monimenta & instauratio ædis Benedictinorum prodiderunt, quam ipsis kal. Maji an. 1454. per Guilielmum Episcopum Sareptanum, Joannis Episcopi Tornacensis Suffraganeum, præsentibus Abbatibus octo, & aliis Ecclesiæ dignis viris consecrari curavit, grande volumen composuit,

posuit, quod res gestas à mundo condito usque ad sua tempora breviter complectens prænotatur *Chronicon Universale ab origine mundi usque ad an.* 1457. Extabat in Bibliotheca Benedictinorum msſ. in membranis, & scitissimis picturis ornatum; sed depopulantibus omnia & ipsum monasterium anno 1578. hæreticis, fuit asportatum, aut assumptum. Possev. in Apparatu Sacro ex Arnoldo Wion pag. 90. Foppens Bibl. Belg. part. 1. pag. 63. ubi Anianum Abbatem ad meliorem migrâsse vitam an. 1462. asserit.

CORNELIUS SANTFLIET Monachus in Cœnobio S. Joannis Leodiensis ingens Chronicon ab initio mundi exorsus ad annum Christi 1461. perduxit. Vide Edmundi Martene & Ursini Durand Collect. ampliss. Tom. V. Præfat.

CLEMENTIS SÜNDER, vel *Sender*, Monachi Sanct - Udalricani Chronographia ab Orbe condito usque ad annum 1540. circiter conscripta, & undecim voluminibus comprehensa. Periit eheu! ex his illud, quò res memoratu digniores ab anno 1315. usque ad an. 1440. enarrabantur. Atque hæc ipsa *Sünderi* collectio est, ex qua Relatio de Ortu & Progressu hæresum in Germania excerpta & Ingolstadii typis Georgii Hænlin anno 1654. in 4. in lucem emissa fuit. Pez Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Noviss. Anecdot. pag. 33.

CHRISTOPHORI HOFMANNI San-Emmeramensis Chronicon quoddam Generale cœptum à Julio Cæsare, & usque ad Seculum XVI. productum, cujus tamen (sunt verba Cl. Hieron. Pezii) priorem duntaxat partem, quæ in anno Christi DCCCCL. desinit, vidimus, cùm Emeramensem Bibliothecam paucis abhinc annis lustraremus: éstque causa suspicandi, posteriorem omnino deperiisse. Observat. præv. ad Chron. Bohem. Tom. II. pag. 1043. Sed vide Bibl. San-Emmeram. Præfat. ad Tom. 2. n. 28. p. 84.

NICOLAUS BASELIUS Monachus Hirsaugiensis claruit laude eruditionis ineunte sec. XVI. ac Chronographiam *Joannis Naucleri* ab anno MDI. in annum MDXIIII. continuavit.

GABRIELIS BUCELINI *Weingartensis* Nucleus Historiæ Universalis tum sacræ tum profanæ in 12. Partes III. Ulmæ 1654. Aug. Vindel. 1658. Francof. 1664. Translatus verò in Germanicum prodiit Aug. Vindel. an. 1657. Novissimè Benedictus Schmier illum Apparatui suo ad Theologiam Scholastico - Polemico - Practicam inseruit, atque ab anno 1650. in quo Bucelinus desinit, ad annum 1735. deduxit. Opus Eruditis primæ etiam classis perutile, maximè illis, qui antiquas Chartas, Instrumenta, Bullas, & Diplomata excutiunt. Leibnitium, Schannatum, Eccardum, aliósque id genus Diplomatarios insignis hujus Operis usus minimè præteriit, unde rarò Archiva perlustrârunt, nisi Bucelinus ad manum esset. Vid. *Correspondance des Savans* an. 1743. p. 137.

– EJUSDEM *Auctarium Nuclei Historiæ Universalis*. Augustæ Vindel. typis Jo. Prætorii an. 1658. in 12.

OTTONIS AICHER ex Congr. Bavarica ad S. Vitum cis Rotham in Alma & Archiepiscopali Universitate Salisburgensi Philosophiæ Moralis, ac Historiarum Professoris Ordinarii *Epitome Chronologica Historiæ Sacræ & Profanæ ab Orbe Condito usque ad Christi ortum.* Coloniæ, sumpt. & typis Wilhelmi Metternich an. 1706.

– EJUSDEM *Auctarium* exhibens seriem & successionem Illustrium Familiarum, & Regnorum ab Orbe Condito ad Christum. Coloniæ typis iisdem anno & loc. cit.

MICHAELIS LANGBARTNER Michaëlburani in Archidiœcesi Salisburgensi, Viri impensè docti, qui Ethicam, Historiam, Fidei controversias, & Theologiam in Universitate Salisburgensi docuit, & anno 1715. devixit: *Historia Universalis in tabulas & periodos compendiosè divisa an.* 1708. Locum editionis & formam libri Author Historiæ Univers. Salisburg. uti hîc non expressit, ita etiam in cæterorum Scriptorum Operibus recensendis plerumque omittit; id quod Eruditis nonnihil molestiæ affert.

ANSELMI DESING, Ensdorffensis è Congr. Bavarica Monasterii Prioris, nunc verò Convictûs Religiosorum in Academia Salisburgensi Regentis, *Compendium Eruditionis*, Historiam Sacram, Profanámque, Politicen, Geographiam, Ritus Veterum, & Chronologiam ad captum juventutis & usum Historiophilorum contentum. Sumptibus Jo. Andr. de la Haye Bibliopolæ Academici, Ingolstadii, typis verò Mariæ Magdalenæ Riedlin Monachii an. 1728. & Ingolstadii an. 1733. apud cit. de la Haye. Author celebre hoc suum Opus elucubravit, quo tempore literas elegantiores Frisingæ

fingæ in Episcopali Lycæo magno applausu, & frequenti discipulorum numero docuit.

-- EJUSDEM *Universalis Historia Brevissima*, eum in modum concinnata, ut quæ ordine temporum in orbe sunt gesta, mox etiam sub imagine signóve nonnullo in Mappa Geographica ab Authore tum sculpta oculis usurpari possint, & suus cuique historiæ locus, quo re vera gesta est, tribuatur. Prodiit Frisingæ an. 1731. apud Carolum Immel in 12. sub titulo: *Kurzishe Universal - Histori nach der Geographia zu lernen auf einer Landcharten &c.* Is libellus bis recusus est Campidonæ 1732. & 1733. Quartò editus est multò auctior Solisbaci apud Christianum Holst, & Augustæ Vindel. an. 1735. Ultimò iterum ptodüt non nisi tabulis chronologicis auctus, Augustæ & Pedeponti apud Maximil. Heifs. Nunc ad sextam editionem ptoperat in forma 8. Opus utique utilissimum, quod opetas typósque toties fatigat.

CASIMIRI FRESCHOTT Burgundi, Vesontini, è Congr. Casin. *Supplementum ad Annales Mundi, sive ad Chronicon Universale Philippi Brietii Abbavillæi Soc. Jesu ab anno 1660. ad 1692.* Venetiis apud Hertz anno 1692. quod supplementum à Freschotto concinnatum, non autem ab alio Societatis Jesu Sacerdote, ut falsò, & per Typographi mendacium in fronte libri dicitur, clarè demonstrat Benedictus Bacchinus Ephem. Lit. tom. 6. pag. 378.

AUGUSTINI CALMET Historia Universalis Sacra & Profana ab Orbe condito ad nostra usque tempora Gallicè. Argentorati an. 1735. usque 1747. 8. vol. in 4.

EDMUNDI POCK Ettalensis in Bavaria percelebris Monasterii Bibliothecarii, & Illustris Athenæi ejusdem Monasterii Historiarum Professoris Ordinarii, Historico - Chronologico - Geographicæ Tabellæ, ab Orbe condito usque ad annum 1736. quæ non tantùm Gentis Judaicæ, Quatuor Monarchiarum, Imperatorum, & cum his connexam Historiam Ecclesiasticam, sed in adjuncto etiam Synchronismo res memoratu dignissimas omnium Regum, Electorū, Ducum &c. complectuntut: deinde globi terrestris descriptionem tum secundùm naturalem ejus in terram & aquas, tum politicam in præcipuos hodiernum florentes, nobisque cognitos Status & Respublicas divisionē ob oculos constituunt: ex Historicis, Chronologis, Geographis, Criticis, & Politicis omnium maximè idoneis Authoribus collectæ, & in synopsin redactæ. fol. Augustæ Vindelicorum an. 1736. Sumptibus Mathiæ Wolff. Opus Germanico idiomate scriptum recusum est an. 1750. quo præstantius in re historica universali vix aliud habent Germani, quódq; omnibus absolutū numeris dici posset, nisi viri eruditi non nihil plus majoris notitiæ de re literaria desiderâssent; quod Cl. Auctor in alterâ editione procul dubio facturus fuisset, nisi Deus & mors ejus conatus intercepissent.

§. II.

Qui Historiam ejusmodi à Christo Nato condiderunt.

PAULI DIACONI *Historia Miscella*, magnam enim sui partem hæc Historia Paulo debet. Nam priores undecim libri sunt iidem ac decem libri EUTROPII, nisi quòd aliqua subinde de suo Paulus addat: Eutropium exinde continuat Paulus, cujus sunt libri quinque sequentes, à tempore Juliani Apostatæ usque ad tempora prima Justiniani. Cæteri, nempe decimus septimus, & qui consequitur, à *Landulpho Sagace* additi sunt, potissimùm ex Theophane, sive ex Anastasio Bibliothecario, qui Theopbanem ex Græco Latinè vertit. De Historiæ Miscellæ editionibus, quæ ex Canisii recensione etiam extat Tomo XIII. Bibl. PP. Lugdun. pag. 201. seq. Vid. Fabric. in Bibl. Latina lib. III. cap. IX.

RHEGINONIS Abbatis Prumiensis *Chronica temporum*, quæ, dudum est, quòd in deperditis numerentur; neque enim ad Trithemii, ut ipse nos docet, notitiam pervenerunt. Extat verò ejusdem *Chronicon ad Adalberonem Trevir. Episcopum*, quod duobus libris absolvitur. Liber I. incipit à primo anno Incarnationis Dominicæ, & pertingit ad annum Christi DCCXL. seu ad Caroli Martelli tempora. Liber II. inchoat ab obitu Caroli Martelli, seu ab anno DCCLI. *Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLI. Carolus* (Martellus) *filius Pipini, Major Domus, & bellicosissimus Dux Francorum defunctus est.* Finem Chronico suo non anno 906. ut Pistorius & alii volunt, sed anno 908. ut Sigebertus & Trithemius tradunt, Rhegino imposuit,

posuit, cujus utique verbis standum est, cùm scribit: *Ea autem* (Chronica) *in duos libellos distinxi, exordium capiens à primo Incarnationis Dominicæ anno, & consummans cæptum opus usque in præsentem annum, qui computatur à præfata Incarnatione Domini nongentesimus octavus.* De continuatione Chronici, & iteratis ejusdem editionibus plura sumus infra dicturi. Vid. Palignesum in Monitis Genealogicis pag. 46.

MEGENFREDUS, sive MEGENFRIDUS, Scholasticus Fuldensis longè doctissimus an. 986. & postea Præpositus Magdeburgensis scripsit *libros XXIV. historiarum de temporibus gratiæ*, Joanni Trithemio, & Joanni Latomo summoperè laudatos, quos tamen nemo hactenus in lucem protulit. Utrique Trithemio & Latomo usui fuisse, ex eorum testimoniis apertè discimus: prioris verba differo; posterioris apud Menkenium Tomo III. Scriptorum Rerum Germanicarum hæc sunt: *Sed in contrarium ut ego sententiam*, MEGINFRIDI, *solidissimæ authoritatis viri, me compellit ad amussim exquisita diligentia, qui temporibus Ottonis secundi & tertii Imperatorum monachus Fuldæ vivens in humanis, libros XXIV. Historiarum de temporibus Gratiæ composuit, in quibus aliter multo sensit ac scripsit, quàm auctores incerti omnes memorati.* Opus adeò illustre, ut è situ & squallore (si tamen, quod lugendum, non omnino excidit) tandem aliquando eruatur, quis eruditorum non in optatis habeat:

WITTICHINDI Monachi Corbeiensis in Saxonia, Annalium libri III. ab anno Christi 451. prodierunt per Martinum Frechtum typis Herwagianis an. 1532. fol. collati cum codice Mſto per Reiner. Reineccium 1578. fol. emendatiores & auctiores cum Notis Meibomii sen. Francof. 1621. & inter Scriptores Rer. Germ. Tom. I. p. 621. adhuc emendatiores ex Mſto Cod. Casinensi apud Leibnit. Tom. I. Scriptor. Brunswic.

ADEMARUS ex nobili familia Chabannensi Monachus in sancti Eparchii Cœnobio, *Engolismensis*, auctor Chronici Aquitani à principio Monarchiæ Francorum ad annum, quo scripsit, 1029. Ex hoc fragmentum de S. *Adalberto* & de S. *Brunone* ejus Coapostolo, temporibus Ottonis III. Imperatoris, post an. 1000. quod vulgaverat Canisius Tomo II. antiqq. Lect. pag. 45. (edit. novæ Tom. III. pag. 66.) Locum *de Concilio Aquisgranensi* an. 816. Sirmondus Tomo IV. Operum pag. 647. ex ineditis Ademari Collectaneis Historicis. Alia ex hoc Chronico edita à Pithœo, du Chesnio, sed præcipuam partem ab anno 829. ad 1029. dedit Labbeus Tom. II. Bibliothecæ novæ MSS. pag. 151. seqq. De cæteris vide Vossium III. de Histor. Latin. pag. 773. & Jacobum le Long. pag. 777. & p. 341. ubi etiam de Epitome Petri à S. Romualdo. Hæc ex Fabricii Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 35.

ODORANNUS Monachus S. Petri Vivi Senonensis an. 1045. lucubravit Chronicon ab an. 675. ad 1032. quod Andreas du Chesne edidit Tom. 2. Rer. Franc.

Chronicon brevissimum Monasterii S. *Galli* ab an. DCXCI. ad an. DCCLXXXII. vulgavit Baluzius Miscell. Tom. I. pag. 492 - 496.

Chronicon Augiense ab an. DCCIX. ad an. DCCCCLIV. Baluz. Tom. I. Miscell. p. 496 - 500.

Chronicon Mellicense ab anno primo Æræ Christi ad annum ejusdem MDLXIV. ab Anonymo vel Abbate vel Cœnobita ejusdem loci an. Christi MCXXIII. scribi cœptum, & deinceps ab aliis coætaneis Annonymis Mellicensibus ad finem usque productum, nunc primùm typis editum ex codice autographo ab Hier. Pez. Tom. I. Script. Rerum Austriac. pag. 166.

HUGONIS primùm Monachi Abbatiæ S. Vitonis Virdunensis, ac postea Abbatis sancti Petri *Flaviniacensis* Chronicon ab Incarnatione Dominica in Labbei nova Bibliotheca MSS. Tom. I. Sect. II. num. 4. pag. 45. dispescitur in duas partes, quarum prima desinit anno Christi 1002. altera 1102.

MONACHI WEINGARTENSIS Chronicon à Nativitate Christi in Canisii Tom. I. antiqq. Lect. collatum verò cum codice Augustano à Leibnitio Tomo I. Scriptor. Brunswic. Desinit an. 1197.

SIGEBERTI Gemblacensis in Brabantia Cœnobitæ, anno 1112. defuncti *Chronographia*, seu *Chronicon*, de quo nemo meliùs, atque ipse nos informare potest: *Imitatus*, inquit, EUSEBIUM PAMPHILI, *qui primus apud Græcos Chronica à tempore Abrahæ digessit; ipse quoque à loco intermissionis ejus usque ad annum* CIↃCXI. *om-*

omnem consequentiam temporum & rerum gestarum, quanta potui, styli temperantia ordinavi &c. His verbis Chronicon suum eo loco auspicatur, quo Chronicon Eusebii à S. Hieronymo continuatum desinit. Secundum Calvisii supputationem id in annum CCCLXXIX. incidit; Sigebertus verò annum habet CCCLXXXI. Finem Chronico imponit anno MCXII. regnante Henrico V. Imperatore. Omnes igitur anni, quibus totum Chronicon absolvitur, sunt triginta supra septingentos. Sigeberto propositum erat *de contemporalitate Regnorum* scribere, veluti ipse ad Opus suum præfatur: *Dicturi aliquid, juvante Deo, de contemporalitate regnorum, primùm pauca dicamus de origine singularum gentium, quatenus sequi poterimus vestigia majorum, ducti per semitas historiarum. Ponemus igitur in prima linea regnum* ROMANORUM, *in secunda* PERSARUM, *in tertia* FRANCORUM, *in quarta* ANGLORUM, *in quinta* WANDALORUM, *in sexta* LONGOBARDORUM, *in septima* WISIGOTHORUM, *in octava* OSTROGOTHORUM, *in nona* HUNNORUM. Præcipuè igitur Sigebertus ad synchronismum historicum animum intendens operam dedit, ut Successiones & Historias præcipuorum in Europa Statuum ac Regnorum in parallelismo exhiberet. Ea causa brevem Isagogen de origine Romani, Francici, Anglici, Vandalici, Gothici, Lombardici, Hungarici, & aliorum plurium Regnorum præmittit: Postea singulis lineis seu columnis nomina istarum gentium ac populorum inscribit, numero annorum, quibus eorum tenuére imperia, inferiùs annotato. Quando autem ordo & status Regnorum mutatur, ipse quoque inscriptionem columnarum immutat, lectore hac de re priùs admonito, v. g. ad an. DCCCI. *Immutato ordine Regnorum immutandus est etiam ordo titulorum, quia abhinc sub uno comprehendendum est Regnum Francorum, & Regnum Romanorum. Et Constantinopolitanum Regnum distinguendum est à Regno Romanorum.* Quæ omnia procul dubio utilitate sua haud carerent, usúmque adhuc majorem præstare possent, modò Computus, temporúmque supputatio aliquantum accuratior esset. Sed fatendum est, Sigebertum plerasque res gestas, maximè, quæ antiquiore ævo ante Carolum M. evenerunt, duobos annis seriùs non modò referre, sed sæpiùs in scientiam temporum, quæ accuratè determinat, quid quoque tempore factum sit, haud leviter peccare. Quin ipsum Initium Sigebertini Chronici, ubi Chronicon Eusebii à S. Hieronymo continuatum finem habet, in annum trecentesimum septuagesimum nonum secundùm accuratam chronologiam incidit, Sigebertus verò annum trecentesimum octogesimum primum statuit. Unde Francisco Harræo in Añalibus Ducum Brabantiæ Sigebertus his verbis notatur: *in temporum supputatione non adeò accuratus est.* Propterea tamen illius Chronicon minimè in contemptu ponendum est, sed pretinm eidem præ multis aliis statuendum. Nam primò quis inficias eat, nullum ejus ævi Historicum esse, qui similium in chronologia errorum immunis scripserit? deinde Sigebertus suorum temporum unicus coævus est, qui Chronico suo historiam literariam intexuerit: adhæc quàm diligens est in rebus Liturgicis, earúmque mutationibus, decretis, ac statutis pontificiis annotandis? denique quod ad res Germanicas spectat, molta peculiaria habet, quæ frustra apud alios quæsiveris. Quæ omnia suis locis diductiùs ostendemus. Nunc verò de hujus Chronici *Editionibus*, atque *Continuatoribus* nobis agendum est.

Habuit *Sigebertus* duos vel tres Continuatores; quorum primus ab anno CIↃCXII. orsus, continuationem suam ad an. CIↃCCX. deducit, quod tempus est 58. annorum. Quo nomine verò primus hic Continuator vocatur? *Robertus Abbas de Monte.* Negat hoc Jo. Gottfridus Olearius in sua Bibliotheca Scriptor. Ecclesiast. pag. 163. „ *Et Sigebertus*, inquit, quoque „ suos nactus continuatores, *Anselmum Gemblacensem Abbatem*, Ano„ nimum deinde quendam, falso ha„ ctenus creditum *Robertum Abbatem* „ *de Monte S. Michaëlis*, sub cujus „ nomine Parisiis ex officina Henr. „ Stephani & Jo. Parvi 1513. in 4. „ prodiit; cùm potiùs *Religiosus ali*„ *quis Ordinis Præmonstratensis* in Di„ œcesi Laudunensi fuisse videatur, „ & *Robertum de Torinneio* Abbatem „ S. Michaëlis &c.„ Ita Olearius.

At enim *Robertus de Torinneio* seu de *Torigny*, & *Robertus de Monte* non duo, sed unus est Author: & satis in comperto est, quòd Abbas Robertus de Torigny etiam Roberti Mon-

Montensis seu Roberti de Monte nomen tulerit, cùm Abbas Montis S. Michaëlis in Normannia fuerit. Erat antea Prior Monasterii Beccensis, fato functus an. 1186. qui præter Continuationem Chronographiæ Sigeberti plura alia literis mandavit, quæ in Spicilegio Dacherii reperies. Nolim hic in testes vocare eundem Dacherium l. c. Fratres Sammarthanos in Gallia Christiana, Caveum in Historia Literaria, & alios, cùm ipse Robertus, cui utique fides non deneganda, hujus Continuationis auctorem se perhibeat anno 1170. pag. 917. *Robertus, Abbas Montis, scriptor horum temporum, pergens in Angliam &c.* & anno 1180. pag. 925. *Tempore ipsius* (Rogerii Abbatis scilicet Beccensis; de hoc enim, ejúsque obitu, qui anno 1180. contigit, loquitur) *assumpti sunt de Beccensi Ecclesia XII. Abbates ad regimen Ecclesiarum, quorum ego, qui hæc scribo, secundus fui &c.* Quis verò ex his Roberti verbis non intelligit, eum Continuationis Authorem esse?

Difficilior non nihil quæstio est, à quo anno ordiatur, & in quo desinat ejusdem continuatio. Ab anno 1113. Continuator Anonymus suam telam auspicatur. SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *Monachus, descriptor præcedentium in hoc libro temporum, obiit, cui nos illa, quæ sequuntur, fideli narratione subjecimus.* Et ab anno MCLVI. non obscura laboris Abbatis Roberti vestigia se produnt. Quid? quòd se ipse sæpiùs appellet *horum Scriptorem, ego qui hæc scribo &c.* ad an. 1162. 1170. 1176. 1177. & ad an. 1180. Tota Continuatio ad annum MCCX. pertingit. Cùm verò Abbas Robertus jam anno MCLXXXVI. diem supremum obierit, opinari licet, quòd scribendo & continuando annum 1085. inclusivè haud excesserit.

Equidem Mathæus Parisiensis ad an. 1157. author est, Robertum suam Continuationem ultra hunc annum haud produxisse. Verùm hæc assertio ex ipsius Roberti verbis revincitur, v. g. anno 1162. „ Regina Alienora filiam peperit, quam Henricus Presbyter Cardinalis, & Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizavit, & Achardus, Episcopus Abrincensis, & Robertus, Abbas de monte sancti Michaëlis de periculo maris, cum multis aliis de fonte susceperunt & vocata est Alienora, de nomine matris suæ. „ Et ex loco allegato ad an. MCLXXX. ubi conceptis verbis de se loquitur: *Quorum ego, qui hæc scripsi, secundus fui.* Quin igitur Robertus laborem suum usque ad annum 1185. inclusivè continuaverit, nihil dubitandum. De toto autem anno sequenti 1186. nihil certi nobis constat. Continuationem verò ab anno 1187. usque 1210. ab alio authore profectam esse, res ipsa & stylus indicio sunt; quis verò ille fuerit, nondum in comperto est.

Continuator secundus Sigeberti est *Anselmus* Abbas Gemblacensis, cujus Continuatio ad summum años XXIV. complectitur ab anno 1113. ad 1136. nam anno 1137. Abbas Anselmus fatis concessit. Unde Miræus sua in editione Chronico seu potiùs Continuationi Anselmi quatuor alias Continuationes sive Auctaria à Monachis Benedictinis Anonymis scripta usque ad annum 1225. subjecit. Eorum

Primum est *Auctarium Gemblacense* ita nominatum usque ad an. MCXLIX. de quo Miræus hæc notavit: *Explicit Chronicon Anselmi Abbatis Gemblacensis.* „ Quæ subnectuntur ad annum usque Christi 1149. ex MS.^to^ potissimùm Codice Gemblacensi desumsimus; súntque à Monacho, ut equidem existimo, Gemblacensi illorum ferè temporum æquali subjuncta. „

Secundum est *Affligemense Auctarium* ab anno 1149. ad an. 1164. De quo Miræus: *Explicit Codex MS.^tus^ Gemblacensis.* „ Quæ sequuntur ad annum Christi usque 1164. ex MS.^to^ Codice Lipsiano potissimùm transcripsimus; súntque ab Affligemensi, ut equidem arbitror, monacho in Brabantia Benedictino, horum temporum æquali, in posterorum gratiam, literis consignata. Datur id colligi ex iis, quæ anno 1152. itémque an. 1154. & alibi commemorantur. „

Tertium est *Auctarium Aquicinctinum* ab anno 1164. ad 1200. de quæ Miræus: *Explicit Auctarium Affligemense,* itémque codex MS. *Ortelianus.* De Auctarii Affligemensis scriptore dixi suprà ad an. 1148. Cæterum Orteliani Codicis Appendicem scripsit monachus quidam Valcellensis Instituti Cisterciensis, in agro Cameracensi: quem his ipsis temporibus vixisse crediderim. Quæ subjunguntur, ex MS. codice Aquicinctino excerpsi-

cerpsimus. Sunt autem literis mandata à monacho ejus, nisi fallor, loci Benedictino, idque hortatu *Simonis* ejusdem cœnobii Abbatis: de quo infrà sub finem hujus Auctarii dicemus. Ex quo liquet, quando Appendicis hujus Aquicinctinæ auctor vixerit. „

Quartum *Auctarium* denuò est *Aquicinctinum*: Miræus enim in memorato Codice Aquicinctino Appendicem reperit ab anno 1200. usque ad an. 1225. de quo ita scribit: „Quæ sequuntur, recentiori charactere Codici Aquicinctino leguntur ab ejus loci monacho adscripta. In gratiam tamen Lectoris hæc ipsa, quamquam minuta, visum fuit publicare. „

Atque hæc sunt Auctaria ex Miræana editione, de quibus etiam legi meretur *Disquisitio in Supplementum Chronologicum*, quod Chronico Sigeberti subjici solet sub nomine Roberti de Monte, Auctore Conrado Janningo è Societate Jesu. Typis excusa habetur in Actis Sanctorum Tom. VI. Junii part. 2. pag. 173. Ex cujus sententia Robertus orditur Chronicon suum, seu Appendicem ad Sigebertum ab anno primo Seculi XII. (non ab anno ejus *duodecimo*, uti scribit Oudinus, quamvis eò perduxerit Chronicon suum Sigebertus) & continuat usque ad extremum vitæ suæ, quà functus est anno MCLXXXVI. Quod verò ab anno MC. exordium capiat, ipse fidem facit in Prologo ad Appendicem suam his verbis: *Ego exinde* (ab anno MC. Sigeberti) *usque ad MCLXXXII. annum, ea quæ in diversis provinciis, & maximè in Normannia & Anglia evenerunt, sub annis Dominicæ Incarnationis colligere adgrediar*, licèt ulteriùs deinde continuaverit, uti monstrat codex Montensis, qui ultra dictum annum procedit.

Ad varias *Sigeberti Gemblacensis* editiones quod attinet, earum omnino septem vel octo habentur. Semel iterùm atque tertiò separatim typis excusus est. Cæteræ quinque editiones variorum Scriptorum Collectionibus insertæ sunt. Omnium antiquissima editio est, quæ in 4. Paris. ex Officina Henrici Stephani unà cum Roberti à Monte Continuatione an. 1513. prodiit; quæ tamen à Miræo nullis laudibus ornatur, sed pro interpolata & inquinata proclamatur. „ Multa, *inquit*, recenti manu agglutinata, ut culpam præstare alienam „ Sigebertus haud teneatur. Qualia „ sunt, quæ à racematoribus plerumque indoctis adjecta, aut ex nugis „ ac quisquiliis Galfridi Monumetensis, seu Asaphensis inspersa leguntur. Quomodo primum typis „ *Henrici Stephani* Lutetiæ Parisiorum „ an. 1513. inquinatum hoc Sigeberti Chronicon exiit: quod & inscriptio ac prooemium ibidem ingenuè „ profitentur, bis verbis &c. „

Altera editio Simoni Schardio debetur; is enim *Chronicon* Sigeberti, omissa tamen Continuatione Roberti de Monte, Collectioni suæ celebriorum rerum Germanicarum Chronographorum Francofurti anno 1566. in fol. intexuit, in qua secundum locum eidem attribuit. De hac Schardii editione, & prima Parisiensi Henrici Stephani idem fert judicium Freherus in Directorio Historico, quod Miræus de Parisiensi tulit; nempe *in his duabus editionibus quædam interpolata & rejecta sunt.*

Ab hac editione decimus septimus agebatur annus, cùm *Joannes Pistorius*, Collectionem Scriptorum Rerum Germanicarum anno 1583. in fol. prælo subjecit; in cujus Tomo I. Sigeberti Chronicon unà cum Continuatione Roberti à Monte denuò publicæ luci datum est. Cùm verò hæc Pistoriana editio cum Parisiensi scilicet Henrici Stephani planè conveniat, omnibus numeris minimè absoluta est.

Quartam editionem exhibet Margarini de la Bigne, Doctoris Sorbonici Bibliotheca Patrum Tomo VII. quæ à Pistorii editione nihil admodùm ferè differt, nisi quòd Roberti à Monte Continuationem prætermiserit.

Denique, ut dubiam *Renati Laurentii de la Barre* editionem silentio præteream, *Aubertus Miræus*, celebris Historicus, Theologus & Decanus Antverpiensis, ut bene de Sigeberto mereretur, ejus antiquissimum & optimæ notæ codicem, in Gemblacensi Bibliotheca asservatum, cum tribus aliis veteribus & probis codicibus MS^tis contulit; ad quorum fidem anno 1598. elegantem editionem typis Antverpianis publico exhibuit sub hac epigraphe: *Chronicon* SIGEBERTI *Gemblacensis Monachi, ad Autographum veterésque Codices MSS.tos comparatum. Accessit Anselmi Gemblacensis Abbatis Chronicon, cum Auctario Gemblacensi, Affligemensi, Valcellensi, & Aquicinctino, primum typis*

pis nunc editum studio Auberti Miræi, Bruxell. Canonici & Bibliothecarii Antverp. Antverpiæ apud Hieronymum Verdussen, anno MDCVII. Quod verò Miræus Codicem Gemblacensem vocet autographum, ejus rei in præfatione reddit rationem; *Gemblacensis Codex ut domesticus sic & antiquissimus, ipsius nimirum autographum.* ibid.

Roberti à Monte Continuationem abesse voluit. Cæterùm, inquit, Ap„ pendicem Roberti, Abbatis Mon„ tis S.Michaëlis in Normannia stu„ dio prætermisi: cùm quòd mendis „ scateat, tum quòd manuscriptam „ videre nondum contigerit. Hujus „ autem loco Anselmum Abbatem „ Gemblacensem hactenus non vi„ sum cum Auctariis in lucem adspe„ ctúmque profero. „ De quibus superiùs dicta hîc repetere nolim. Quòd verò nonnulli Miræum insimulent, ac si *Sigebertum* hinc inde corruperit, nihil dicunt, nisi etiam hujus rei argumenta afferant. Intereà fides Miræo à nobis habenda est, cùm in præfatione de bona sua fide in edendo Sigeberti Chronico certos nos esse his verbis jubet. „Cæterùm semel id mo„ nuisse satis sit, quæ minori claria„ ctere excudenda curavimus, ea aut „ Gemblacensi in Codice, uti dixi„ mus, domestico non reperiri, aut „ si quæ erant, recenti manu esse ag„ glutinata; ut culpam præstare „ alienam Sigebertus haud quaquam „ teneatur. „

Ad extremum, postquàm V.C.*Burcardus Struvius* novam editionem Scriptorum Pistorii an. 1726. Ratisbonæ in fol. III. Vol. accuravit, editio Chronici Sigeberti Tomo I. pag. 689-1017. inserta facilè præstantissima erit, cùm ea omnia contineat, quæ universa cæterarum nulla habet; nempe Roberti à Monte Continuationem, Anselmi Chronicon cum omnibus apud Miræum extantibus Auctariis, & præter hæc Samsonis Rhemensis Archiepiscopi brevem Appendicem. Vide *Teutsche Republic der Gelehrten IV. Stuck* pag. 147. & seq. le Long Biblioth. Historique de la France num. 6964. pag. 345. seq.

ROBERTI Fiscanensis Monachi c. a. 1180. Chronicon à nato Christo ad an. 1220. edidit Labbeus Bibl. nova MSs. Tom. I. pag. 325.

DODECHINI natione Germani, Abbatis Cœnobii S.Dysibodi ad Chronica Mariani Scoti continuatæ historiæ ab anno 1081. usque ad an. 1200. appendix apud Pistor. Script. R. G. Tom. I. pag. 957.

OTTONIS de S. BLASIO ad Librum VII. Chronici Ottonis Frisingensis Episcopi continuatæ historiæ appendix, deducta ab anno 1145. in annum partæ salutis 1210. primùm è tenebris in lucem eruta ac typis mandata ab Urstisio inter Scriptores Rer. Germ. Tom. I. pag. 195.

CLARIUS FLORIACENSIS primùm, deinde Abbatiæ S. Petri Vivi Senonensis Monachus, Gaofridi à Colone judicio *valdè bene literatus* scripsit Chronicon ab anno Christi 446. ad an. 1184. editum à Dacherio Tom. II. Spicilegii pag. 705. (editionis novæ Tomo II. pag. 463. 486.) qui notat vestigiis ejus libenter insistere Robertum Autissiodorensem, ubi res Senonenses persequitur. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. III. pag. 1073.

ELIAS de TRICKINGHAM, Anglus, Monachus Petriburgensis auctor *Chronici*, quod MS.tum in Bibliotheca illustris Clarendonii Comitis desinit in anno 1268. ut testatur Wilh. Nichols in Bibliotheca Historicorum Angliæ pag. 63. apud Fabric. l. c. lib. 5. pag. 276.

Monachi Anonymi Cantuariensis Annales ab Incarnato Christo ad annum 1325. asservantur mst.ti in Bibl. Cotton. sub effigie Vitellius Lit. A. Cod. XI.

JOANNES TRITHEMIUS Chronico Hirsaugiensi ab anno Christi 830. usque ad an. 1514. res plurimas cùm sacras tum profanas scitu apprimè dignas inseruit, ut inter hujus §. Auctores planè locus illi debeatur.

IGNATII BRENTANI CIMAROLI Banthensis in Franconia Cœnobitæ *Epitome Chronologica* Mundi Christiani, seu ab año Nativitatis Christi usque ad seculi XVIII. annum vigesimum sextum inclusivè deducta; exhibens Status Civilis, & Ecclesiastici Fata, Sanctorum Vitas, Eruditorum Scripta, Naturæ Portenta, Personarum Illustrium Ortum, Belli Pacisque vicissitudines, cæteráque plura, in fol. Augustæ Vindel. impensis Georgii Schlütter, & Martini Happach an. 1727.

WILLELMI Egmondani Monachi & Procuratoris Chronicon ab anno DCXLVII. usque ad an. CIƆCCCXXX. Quô & quæ contigerunt toto terrarum Orbe, & sui imprimis temporis historiam persequitur. Edidit & notis illustravit Math. Antonius Ana-

lect. tom. iv. editionis primæ in 8. novæ in 4. tom. 2. pag. 425. De Autore Operis agit Editor in Dedicatione.

CHRONOGRAPHUS SAXO ex Leibnitii opinione fuit Monachus Magdeburgi in Monasterio S. Joannis, suámque historiam à Christo nato orsus usque ad annum 1188. perduxit. Lucem publicam aspexit in laudati *Leibnitii Accessionibus Historicis*. Ex sententia verò Joan. Georgii Eccard *Annalista Saxo* fuit *Eggebardus* Abbas Uraugiensis. Vide Eccardi præfationem ad Tom. I. Scriptorum medii ævi.

§. III.

Qui res sui temporis annotârunt.

FLODOARDUS Abbas Remensis edidit Chronicon ætatis suæ accuratissimum, quod inchoavit ab anno DCCCLXXVII. quo Carolus Calvus vitâ excessit. Sed nunc non extat integrum, cùm, deperditâ priorum annorum serie, solùm incipiat ab anno nongentesimo decimo nono, & terminetur ad annum nongentesimum sexagesimum sextum, quo anno Flodoardus Chronico suo simul & vitæ finem imposuit. Hoc Flodoardi Chronicon *Pithœus* & *Duchesnius* inter Scriptores Historiæ Francorum ediderunt, quamvis Pithœus dubitet, absque ullo tamen fundamento, ut asserunt omnes alii periti Critici, num istud Chronicon sit illius Flodoardi, qui historiam Ecclesiæ Remensis descripsit. Graveson Hist. Eccl. Sec. x. Colloq. v. pag. mihi 96. edit. in 4. Vide etiam Oudin. de S. E. Tom. II. pag. 446.

NITHARDUS, Caroli M. nepos, Abbas Centulensis S. Richarii scripsit, teste Hariulfo in Chronico Centulensi, quatuor libros de Dissensionibus filiorum Ludovici Pii Imp. ad annum usque DCCCXLIII. jubente Carolo Calvo Francorum Rege, cui & illud Opus nuncupavit, quod extat inter *Scriptores Pithœi* in 8. pag. 433. inter Scriptores Kulpisianos pag. 83. emendatiùs apud du Chesne Tom. III. pag. 359.

RADULPHUS GLABER erat seculo XI. Monachus Cluniacensis ac discipulus S. Odilonis Abbatis, cujus mandato historiam rerum sui temporis ab anno circiter 900. ad an. 1046. quinque libris scripsit, eidémque nuncupavit (*Mabill. Annal. Tom. IV. pag.* 463.) quam in lucem edidit Franciscus Duchesnius inter antiquos Scriptores Historiæ Francorum Tom. IV. Alexander Natalis Hist. Eccl. Sec. xi. cap. 5. art. 1. Tom. VI. pag. 501. *Glabrum* in cœnobio S. Germani Autissiodorensis monachum fuisse, & sub Regibus Francorum Roberto & Henrico I. vixisse testatur. Illud verò notatu dignum, quòd Radulphus in vita S. Guillelmi Abbatis Divionensis etiam à se literis consignata, memoriæ prodidit: se nempe hunc sanctum Præsulem habuisse conspicuum, à quo monitus fuerit, ut historiam, quam susceperat scribendam, haud indiligenter perficeret. Adeò Sanctis etiam res historica curæ est.

ALBERTUS Monachus (S. Symphoriani) Metensis seculo XI. circa an. 1030. scripsit ad Episcopum suum historiam *de Gestis sui temporis*, etsi brevem, tamen utilem, ut ex Sigeberti Gemblacensis cap. 143. Trithemius cap. 329. de S. E. & Vir. Illust. O. S. B. l. 2. c. 78. refert. Hoc esse putat Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 123. Alberti, sive, ut titulus habet, *Alperti* de diversitate temporum ab Ottonis III. obitu an. 1002. ad annum 1018. ad Burchardum Episcopum Wormatiensem, quod extat in Jo. Georg. Eccardi Corpore historico medii ævi pag. 91 - 132.

BAVO, *Bovo*, seu *Bono* Abbas Corbeiæ novæ in Saxonia, vir præclarè eruditus, magnáque studiorum diligentiâ, & variâ librorum lectione industrius, nec non ob singularem erga subditos suos affectum titulo *Amatoris Fratrum* decoratus scripsit *Acta sui temporis*, uti testatur Adamus Bremensis Hist. Eccl. cap. 35. ubi ex iis fragmentum aliquod profert; cùm ab obitu authoris, teste Leznero, integra historia interciderit. Vid. *Hern. Meibom. Rer. Germ. Tom. I. in Notis ad Chronicon Corbeiense* pag. 759.

HARTMANNUS, & HERMANNUS Abbas S. Galli ab anno 921. composuit historiam sui temporis, quæ tamen intercidit. Ejus meminit Ekkeardus Junior Lib. de Cas. Mon. S. Galli cap. iv. & Burchardus libro etiam de Cas. ejusdem Monasterii post initium.

MEINRADUS San-Gallensis Monachus brevia sui temporis chronica conscripsit. Extant manuscripta, inquit Jodocus Mezlerus de Vir. Illust. San-Gall. lib. 1. c. 52. verùm quo tempore vixerit, non exponit.

BRUNONIS, Germani Benedictini an. 1080. doctrina & eruditione conspicui *Historia Belli Saxonici* suo tempore

pore gesti, ad Werhinerum Episcopum Merseburgensem. Tractat in hoc Opere de adolescentia Henrici IV. Imper. ac bellis, quæ cum Saxonibus gessit: itémque de Rudolpho & Hermanno Regibus in schismate electis. Orditur ab anno 1073. desinitque anno 1082. Hanc historiam primus edidit Marquardus Freherus Francofurti Tom. I. Veterum de Rebus Germanicis Scriptorum. Oudin. Tom. II. pag. 731. Arguitur Bruno à Jo. Alb. Fabricio Bibl. med. & inf. Lat. l. 2. pag. 795. quòd non minùs infestus fuerit Henrici IV. Imper. memoriæ, quàm Gregorio VII. faventes alii, Anselmus Lucensis, Lambertus Schafnaburg. Marianus Scotus, & alii Scriptores Benedictini.

GODOFRIDUS Monachus Hispanus circa annum 1096. historiam sui temporis in literas retulit, quam Hieronymus Surita typis excusam Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi nuncupavit. *Godofridus* iste vocatur Miræo in Mantissa pag. 303. *Gaufredus.*

DAVID *Monachus Cœnobii S. Jacobi in suburbio Herbipolensi.* Anno MCIX. in fine mensis Augusti Heinricus Rex quintus cum magno suorum exercitu in Italiam profectus est, habens in comitatu suo plures Episcopos, Abbates, Duces, Comites, &. Nobiles, aliis secum per montem Jovis, aliis verò per vallem Tridentinam alpes transcendentibus. Providè autem dispofuit Rex viros non solùm armis peritos, sed etiam in omni varietate scripturarum doctissimos in suo comitatu plurimos habere, ut si quid Romæ forsitan oriretur quæstionis, non Italorum fraudibus, sed suorum potiùs fidelium consiliis agnosceret veritatem. Inter quos fuit Magister scholarum Ecclesiæ Herbipolensis natione Scotus, nomine David, vir excellenter doctus, ingenio promptus, sermone scholasticus, qui jussus à Rege totam hujus expeditionis historiam, rerúmque in illa gestarum, stilo tam facili, qui parùm à communi loquela differat, in tribus libris digessit. Voluit enim Rex, quòd faciliori sermone Latino series rerum ab eo gestarum scriberetur, quatenus legi à pluribus etiam minùs doctis potuisset. Iste *David* postea monachus factus est sub S. Machario primo Abbate Cœnobii S. Jacobi Apostoli Majoris in suburbano Herbipolensis urbis. Trithem. in Chron. Hirsaug. ad an. MCIX. pag. 349.

EADMERI Monachi Cantuariensis, & fidissimi Achatis S. Anselmi Archiepiscopi *Historia Novorum*, sex libris distincta, quæ tempore Baronii necdum prodierat, & quam Gabriel Gerberonius è Congr. S. Mauri cum S. Anselmi Operibus edidit. In hac *Historia Novorum* describit Eadmerus rerum mutationes, quæ suis temporibus in Anglia contigerunt, & in hoc potissimùm versatur, ut ea, quæ inter Reges Angliæ, & S. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum gesta sunt, inconcussa veritate designet. *Graveson H. E. Sec. XII. pag.* 248. Igitur historici hujus Operis intentio præcipua erat, ut designato, qualiter Anselmus Beccensis Cœnobii Abbas fuerit Cantuariensis Archiepiscopus factus, describatur, quam ob rem orto inter Reges Anglorum, & illum discidio totiens & tamdiu exulaverit à regno, & quem eventum ipsa discidii causa inter eos sortita sit. Ipsa denique causa nova res illis temporibus esse videbatur, & à tempore, quo in Anglia Normanni regnare cœperunt (non dico priùs) Anglis inaudita. Ex eo quippe tempore, quo Wilhelmus Normaniæ Comes terram illam debellando sibi subegit, nemo in ea Episcopus, vel Abbas ante Anselmum factus est, qui non primò fuerit *Homo Regis*, ac de manu illius Episcopatûs vel Abbatiæ Investituram per dationem virgæ pastoralis susceperit, exceptis duobus Episcopis, Ernesto scilicet atque Gundulfo. Hi námque, unus post unum, Roffensi Ecclesiæ præsidentes, ex more à venerandæ memoriæ Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, in Capitulo Fratrum Cantuariæ, ipso Episcopatu investiti fuerunt. Hunc ergò morem quasi Deo sacrísque Canonibus contrarium Anselmus abolere, ac per hoc injustitias inde manantes resecare desiderans, Regibus ipsis invisus effectus est, & patriam exire coactus. Hæc ipse *Eadmerus* in suam *Historiam Novorum* præfatur.

Alium prætereà librum *de Gestis sui temporis*, & *Historiarum Collectanea* scripsit, quæ tamen hactenus lucem non viderunt, Nat. Alex. H. E. Sec. XI. Tom. VI. c. VI. art. II. pag. 513. A Wilhelmo Malmesburiensi lib. IV. Eadmerus hoc ornatur elogio: *Eadmerus nostrorum temporum Historicus sinceritate veritatis laudandus.*

VEN.

VEN. PETRUS MAURITIUS Abbas Cluniacensis *de Miraculis sui temporis* libros duos conscripsit. Legendus est utriusque libri Prologus, in quo Author non immeritò conqueritur, quòd nemo sit, qui miracula sui temporis ad roborandam fidem & mores instruendos gesta literis consignet. Indignari, inquit in Prologo libri I. sæpe soleo, cur ea, quæ nostris temporibus proveniunt, cùm non sit, qui ad illa scribenda animum applicet, quæ prodesse legentibus manifestata poterant, infructuoso silentio dispereant. Quam justam querimoniam diductiùs in Prologo libri II. prosequitur. Extant verò duo hi libri inter ejus Opera junctim edita, & in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XXII. Seorsim editae etiam fuere in 12. Duaci an. 1595.

BENEDICTUS, natione Anglus, fuit primùm Secretarius Richardi Archiepiscopi Cantuariensis, tum Prior in monasterio Cantuariensi S. Salvatoris, ac demum in Abbatem Petroburgensem anno 1177. electus scripsit Chronicon ab anno 1170. ad mortem Regis Richardi anno 1199. quod nondum typis descriptum fuit, sed MS.tum in Bibl. Cottoniana asservatur. Leland cap. 189. Pitseus pag. 271.

WILHELMUS Malmesburiensis in Anglia Cœnobii Bibliothecarius scripsit sui temporis historiam, quam ad annum 1142. perductam *Novellam* appellans libris duobus complexus est. Ideò verò NOVELLAM indigitavit, quia rerum gestarum testis partim ipse fuit, partim à viris fide dignis audivit. Quæ verò de Historia veteri scripsit, eorum fidem esse vult penes antiquiores Auctores, quos secutus est. Ita enim scribit in Prologo: *Si quis hæc quoque captus amore leget, sciat me nihil de retroactis, præter cohærentiam annorum, pro vero pacisci: fides dictorum penes Auctores erit. Quidquid verò de recentioribus ætatibus apposui, vel ipse vidi, vel à viris fide dignis audivi. Cæterùm in utramvis partem præsentium non magni pendo judicium, habiturus, ut spero, apud posteros, post decessum amoris & livoris, si non eloquentiæ titulum, saltem industriæ testimonium.* Nat. Alex. l.c. Tom. V. pag. 524.

JACOBI CLERICI, Abbatis Vedastini, an. 1462. vitâ functi *Commentaria* sive *Diarium earum rerum, quæ Atrebati & locis finitimis contigerunt.* MSS. in Bibliotheca Vedastina teste Valerio Andrea pag. 406.

ARNOLDUS Monasterii S. Albani prope Moguntiam Cœnobita, vir sua ætate, id est, Seculo XIV. magnæ opinionis atque doctrinæ scripsit inter alia de calamitatibus suorum temporũ non spernendum opusculum, in quo non solùm illustriora Regni Germanici, sed Ecclesiæ quoque universalis, & maximè sui Ordinis miserabilem deplorat inclinationem. Trithem. Chron. Hirs. Tom. II. ad an. 1317. pag. 143.

RICHARDUS Hagulstadensis in Anglia Monasterii Prior res sui temporis in literas retulit, sed cùm illæ ad gentem Anglicam præcipuè spectent, *Richardum* ad §. de *Scriptoribus Rerum Anglicarum* differimus; quo loco plura de illo in medium proferemus.

ÆGIDIUS MUCIDUS, Gallicè *Muisis*, Abbas Tornacensis S. Martini *Tractatum*, ut Valerius Andreas perhibet, edidit, *de his, quæ temporibus suis ante & post promotionem suam in dicto Cœnobio Martiniano acciderunt.* Item *de rebus gestis* ab an. 1349. ad an. 1352. ubi prolixa narratione *de destructione Judæorum, de secta Flagellantium* &c.

JOANNES FABER Parisiensis in patria Decretorum Doctor, & ex Monacho Tornusiano Diœcesis Cabillonensis anno 1379. Abbas S. Vedasti Atrebatensis, ac denique Carnotensis Episcopus ab anno 1379. ad an. 1390. scripsit *Diarium rerum gestarum* ab anno 1381. ad 1388. Gallicè, ex quo passim quædam affert Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenionensium. Item *Expositionem rerum in Gallia tum gestarum* editam à Bulæo in Historia Academiæ Paris. Tom. IV. pag. 523. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. tom. 2. l. 6. p. 415.

ANONYMI *Rotensis* in Bavaria Monachi breve Chronicon sui temporis ab an. 1482. ad 1485. extat in Hier. Pezii Tom. II. Script. Rer. Austr. pag. 467.

APOLLO DE VILBEL, Fuldensis Ecclesiæ primariæ Decanus, vir præstans sui temporis (vixit autem circa an. 1513.) memoranda quædam literis privatim consignavit, quæ *Browero* in Fuld. Antiqq. usum præstiterunt. l. 4. pag. 331.

MAURUS Abbas Andecensis in Bavaria doctissimus scripsit *Historiam sui temporis* duobus libris comprehensam ab anno 1627. ad an. 1640. quo in Abbatem electus fuit. Hist. Uni-

Univers. Salisburg. lib. 2. cap. 3. n. 140. pag. 219.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Præsentium calamitatum origo* &c. Ingolstadii in 12. an. 1610.

STEPHANUS DE CONTY, Monachus Corbeiensis, scripsit *Historiam sui temporis*, quæ extat Mf.^ta in Bibliotheca San - Germanensi, teste Montfauconio in Bibl. Mss. Codd. pag. 1131. Claruit Stephanus anno 1400.

WOLFGANGUS DE STYRA, Prior S. Petri Salisburgi, circa finem Sec. xv. scripsit *Itinerarium*, seu Historiam sui temporis, præsertim magna accuratione obsidionem, qua Viennenses Fridericum III. concluserunt. Edidit Pezius Scriptor. Rer. Austr. tom. 2.

JACOBUS MAJORICA, patria Neapolitanus, origine Hispanus in S. Severini Cœnobio Neapoli Professus anno 1605. cùm otii ac torporis perpetuus, atque juratus esset hostis, quæcunque tam in Monasterio S. Severini, quàm in Urbe Neapolitana, ac propinquis, dissitisque regionibus suis temporibus acciderunt, quæque digna memoria videbantur, simplici quidem, sed veridico, fidelique stylo Italicè descripsit plurimis voluminibus, quæ diligenter asservantur in Bibliotheca S. Severini, quorum titulus refertur Italico sermone conscriptus ab Armellino in Bibl. Casin. part. 2. pag. 8.

VICTORINUS SIRI è Congreg. Casin. Abbas Tit. Monachus S. Joan. Evang. Parmensis ab anno seculi XVII. 40. usque ad annum 1652. cùm justæ historiæ opus sub titulo: *Il Mercurio ovvero historia de correnti tempi*, quindecim non exiguæ molis voluminibus in 4. ut vocant, maximam partem non Casali, ut prima librorum pagina præsefert, sed Lutetiæ in ipsa Lupara typis regiis excusis contexuisset, ne quoque priores anni vacarent, ab initio seculi usque ad illum, quo *Mercurium* inchoat, annum, Memorias arcanas (*Memoire recondite*) octo ejusdem molis voluminibus Lutetiæ evulgavit. Enimverò quamvis nec huic Herodoto sui desint Plutarchi, & censores, qui inter alia nimii enm in Gallos studii arguunt; concedendum tamen est, neminem hucusque extitisse, qui ex actis, quæ vocant, publicis, legatorúmque & ministrorum regiorum commentariis ac epistolis plura & selectiora protulerit; unde tanto magis dolendum est, tam rarò his in oris & *Mercurium* & *Memorias* inveniri. Nec mea tamen est de hoc *Sirii* labore sententia, inquit Chr. Gryphius de Scriptor. Sec. XVII. cap. 1. §. 3. p. 16. sed cordatissimi quique, summíque in hac orchestra viri nobis adstipulantur. Audiamus ex multis unicum tantùm Bœclerum, qui Dissertatione de Historia Universali pag. 151. *Hic vir est*, inquit, *qui veras artes historicas edoctus Italico sermone Operis æternam famam habituri, illustre specimen dedit.*

VALERIANUS CASTILLIONÆUS, Italus, Mediolanensis, è Congreg. Casin. scripsit superiore seculo *Historias suorum temporum*, prout fidem facit Author libri *le glorie degl' Incogniti*, id est, Virorum Illustrium Academiæ Venetæ *Incognitorum* [cui Valerianus adscriptus fuerat] impress. Venetiis anno 1647. apud Valvasensem. Hæc historia tamen in elencho Operum Castillionei omissa est. Vid. Armell. l. c. part. 2.

BERNARDUS Abbas Monasterii SS. Udalrici & Afræ Aug. Vind. scripsit *Exegesin rerum Augustanarum*, quæ suo tempore, ardente in Germania bello tricennali, ab an. 1620. ad an. 1646. eadem Augustana in urbe contigerunt. Hæc Exegesis lectu digna est, præcipuè Pars 4. Operis, cui titulus: *Basilica SS. Udalrici & Afræ.*

FRANCISCUS RANSPERG antiquissimi Familiæ Benedictinæ in Germania Monasterii Augiæ Brigantinæ ad Lacum Podamicum in Suevia Prior, vir admodùm literatus, scripsit *Historiam Belli Suecici*, cujus calamitates & vidit, & tulit. Author post bellum anno 1648. finitum, vitam ad annum 1670. protraxit, quo piè, multis aliis mf.^tis operibus post se relictis, in Domino decessit. Dionys. Sammarth. Gall. Chr. Tom. v. col. 919.

OTTONIS AICHER, Professoris Historiarum in Universitate Salisburgensi, *Ephemerides Ecclesiasticæ, Astronomicæ, Historicæ, Ethico - politicæ* ab an. 1687. usque ad annum 1699. in 4. Salisburgi.



SECTIO III.

SCRIPTORES HISTORIÆ SACRÆ ET ECCLESIASTICÆ.

Etsi Historia Sacra etiam Historia Ecclesiæ dici soleat, à nobis hìc tamen per priorem ea tantùm intelligitur, quæ sub utroque fœdere Gesta in sacris Bibliis contenta persequitur.

§. I.

Scriptores Historiæ Biblicæ.

ÆLFRICI, seu ALFRICI, Angli, ex Abbate Abendoniensi Archiepiscopi Cantuariensis *Compendium historicū veteris & novi Testamenti*, quo enumeratis sigillatim utriusq; voluminibus, ac rebus sub utroque fœdere gestis ordine enarratis *Historiam Sacram* usque ad Hierosolymam à Tito expugnatam Saxonicè deducit. Typis vulgavit Guillelmus Lisle in 8. Londini an. 1638. Librum verò Geneseos, cæterásque Historias sacras de Gestis Mosis & Josue, partim ex libris Mosaicis & Josue, partim ex Josepho Anglo Saxonicè com brevibus scholiis & annotationibus Latinis Saxonicísque, interprete Ælfrico nostro, falsò tribui *Cædmoni Withbeiensi*, observat Thomas Smith in Catalogo Bibl. Cottonianæ, de quo vid. Acta Erudit. Lips. an. 1696. pag. 441. &c. In ea extare Codicem hunc notat Jac. le Long. & pag. 71. libri Geneseos fragmentum, hoc est, à cap. 37. ad finem, Saxonicè, continens historiam Josephi Patriarchæ ex *Ælfrici* versione: ac in Bibl. Cantabrig. Cod. 2438. hujus libri capita 24. priora, quibus præmittitur Epistola ad Æthelwardum; Codex membr. in 4. longè post conquisitionem Angliæ scriptus litteris Normanno - Saxonicis. Vid. M. B. E. pag. 128. & 130. Floruit *Ælfricus* sub finem seculi decimi, & obiit 1006.

OLBERTUS, sive *Obbertus*, aliis *Albertus* ex Laubiensi Monacho quartus Abbas Gemblacensis, ac postea primus S. Jacobi Leodiensis, erat natione Belga, natus in Lederna villa Sambrensi pago contermina. A Sigeberto de Script. Eccl cap. 142. vocatur *Vir humanæ & Ecclesiasticæ scientiæ studio, & Religionis fervore insignis*: scripsit *Historiam veteris & novi Testamenti*, quam memorat præter *Sweertium Valerius Andreas* pag. 706. Bibl. Belg. & Miræus ad Sigebertum. Vide le Long. Bibl. Sac. pag. 884. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. XIV. pag. 472. Obiit anno 1048.

THEODERICUS Abbas S. Trudonis in Episcopatu Leodiensi an. 1099. 3. Cal. Febr. consecratus *Historias veteris & novi Testamenti* versu heroico scripsisse dicitur. Vid. Vossius de Hist. Lat. lib. 2. c. 48. Cav. Hist. Lit. pag. 558.

S. ANSELMUS MANTUANUS, Episcopus Lucensis, deinde Benedictinæ Familiæ alumnus, anno 1086. ad superos translatus scripsit de Domini nostri J. C. Gestis libros duos rithmicè, seu versibus Leoninis, teste Arnoldo Wion Ligno vitæ pag. 610. quos Anselmo tamen indignos censet Oudinus.

AMATUS, Italus, Campanus, Monachus Casinensis, & sedis incertæ Episcopus claruit anno 1070. & scripsit *libros IV. de Gestis Apostolorum Petri & Pauli*, carminicè, ad Gregorium VII. Papam ab anno 1073. ad 1085. *Joan. Mar. in Not. ad Pet. Diac. de Script. Casin. c.* 20.

LAURENTII DUNELMENSIS *Hypomnesticon de veteri & novo Testamento*: versibus: libris novem, hoc est, de Historiis sacris utriusque Testamenti mſ.tum asservatur in Bibl. Cotton. sub effigie Vespasiani Lit. D. Cod. XI. n. 2. Obiit Laurentius Ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis in Anglia Prior ex itinere Romano in Gallia an. 1154.

MATHÆI VINDOCINENSIS *Tobialis*, seu *Historia Tobiæ senioris & junioris* carmine elegiaco non invenusto, ut tempora illa ferebant, conscripta, quæ prælo subjecta Lugduni an. 1505. Basileæ 1563. Romæ an. 1642. lucem aspexit.

JOANNES DE HIDA, natione Anglus, Monachus Wintoniensis in cœnobio suburbii Septentrionalis, quod Hida dicebatur, unde & cognomen accepit. Vir, qui bonarum literarum & virtutum studiis multùm enituit. Præprimis Historiis Sacris se totum con-

consecravit. Præter alia doctè composuit ad Episcopum Wintoniensem *Vitam patientis Jobi, lib. un.* Venerabili Patri & amico speciali. flor. circa an. 1284. ut Pitseo videtur æt. 14. pag. 365.

PETRUS PICTAVIENSIS, cognomento *de S. Joanne*, Bibliothecarius Cluniacensis, Theologiæ Professor, & Cancellarius Universitatis Parisiensis, obiit 1205. Ejus *Summa Historica Biblica*, quæ Hudalrici Zwinglii Chronologiæ inserta fuit; seu Genealogia & Chronologia Sanctorum Patrum ab Adamo ad Christum continuata per Hulricum Zwinglium juniorem, in fol. Tiguri 1591. *le Long. Bibl. Sac. pag.* 901. Cæterùm Petrus noster distinguendus est à Petro de Premontré, qui Chronicon sub titulo *Biblia Pauperum* edidit.

OTTONIS A S. BLASIO in Sylva Nigra Diœcesis Constantiensis in Suevia *Chronica prima*, in qua omnes sacræ historiæ Genealogias ad Timotheum, Titúmque Pauli discipulos usque describit, teste Heroldo apud Fabric. Bibl. med. & inf. Latin. lib. 2. pag. 678. Incipit: *Considerans historiæ sacræ prolixitatem, nec non difficultatem.*

PETRI BERCHORII, Galli, Pictaviensis, Monachi Cluniacensis, *Epitome*, seu *Breviarium Historiarum Bibliæ*, quod cum cæteris ejus Operibus sæpiùs editum fuit. *Norimbergæ* 1489. *Basileæ* 1515. *Lugduni* 1520. Parisiis 1521. *Venetiis* 1583. *Coloniæ* 1560. & 1730. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 15. pag. 728. pro Mſ.to habet necdum edito, quod in Bibl. San - Germanensi Codice 687. asservatur.

JOANNIS CALCEATI, Galli, è Congr. Casalis Benedicti *Historia de Passione Christi* expressa ex IV. Evangeliſtis in 8. Parisiis 1531. Lugduni 1538. le Long. B. S. pag. 660.

JOACHIMUS PERIONIUS, Gallus, Foresius, Monachus Cormœriacensis, trium linguarum peritus, Professor Regius Parisiensis, obiit 1559. Multa lectu digna literis commisit; quæ verò huc spectant, sunt

1.) De rebus gestis ac Vitis Patriarcharum, in 4. Parisiis an. 1555. Eodem anno recusus Coloniæ apud hæredes Arnoldi Birckmanni.

2.) De Vitis Prophetarum, & sanctarum mulierum Veteris Testamenti, in 8. Parisiis 1557. 1565.

3.) De Vita Christi, B. Mariæ Virginis, S. Joannis Baptistæ & SS. Apostolorum, *Parisiis* apud Carolum Périer in vico Bellovaco sub Bellerophonte anno 1561. Coloniæ 1571. in 12. quæ fuit altera editio. Scribendi genus elegans, nitidum, tersum, & apprimè Latinum si quis requirit, aut in his Vitis, aut nullibi reperiet. Eas ex Latio in Italicum sermonem convertit *Bartholomæus da Fano* Venetiis impressas typis Joannis Guerigli in fol. an. 1592.

LUDOVICI BLOSII Abbatis Lætiensis *Epitome Vitæ Christi ex quatuor Evangelistis concinnata: cum appendice ex Actis Apostolorum*, quam Author piissimus, cujus summum studium fuit in vita Jesu Christi meditari, in usum suum concinnavit, ac deinde, ut alios etiam ad amorem illius accenderet, juris publici fecit anno 1540. in *Paradiso animæ* per Guilielmum Montanum Antuerpiæ in 8. & longè copiosior in *Margarito Spirituali* Lovanii anno 1555. per Joannem Waem.

EUTYTIUS CORDES, Belga, Antuerpiensis, Patavii in Asceterio S. Justinæ Monachus factus an. 1540. egregius Epistolarum D. Pauli interpres, *Historias è veteri, ac novo Testamento* sedibus choralibus cælandas distribuit Riccardo Gallo eximio artifici, additis pluribus mystici sensus in subselliis; quod opus etiam nunc ibidem omnium admirationi patet. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 161. ex Jac. Cavacii Hist. S. Justinæ Monasterii lib. 6. p. 277.

GILBERTI GENEBRARDI *Notæ Chronicæ* Parisiis apud Ægid. Corbinum an. 1584. Methodus sunt ad Chronologiam & Historiam universam, *è qua*, inquit Ant. Possevinus Bibl. Select. tom. 1. lib. 1. cap. 58. p. 90. *facilè tota sacræ Historiæ series* (licèt breviter) incurret in oculos.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Christologia de Genealogia Christi, & de Patriarchis in ea contentis, vita, miraculis, & morte Christi.* Opus ineditum, quod sciam, asservatur in San - Udalricana Bibliothecâ Augustæ Vindelicorum. Vide ejus Mantissam Rer. Aug. pag. 97.

— EJUSDEM *Historia Passionis Domini nostri Jesu Christi ex IV. Evangelistis, sanctis Patribus, & probatissimis Scriptoribus paraphrasticè enarrata, & explicata* in 4. Augustæ Vindel. anno 1622. apud Saram Mangiam.

— *Vita S. Josephi* cum fig. Sadelerianis, Monachii in 12. an. 1616.

— *Historia de S. Petro*, Principe Apostolorum, Augustæ in 4. an. 1620.

— *Vita S. Magdalenæ* cum figuris æneis in 12. anno 1621.

— *Vita S. Joannis* Evangelistæ, typis, quod sciam, nunquam exscripta fuit, licèt iis, ut cætera omnia eximii hujus Auctoris, digna.

— *De Familiaribus Christi*, quod Opus adhuc est in Manuscripto.

— *De septem Machabæis* MS.tum

— *Vita SS. Joachimi & Annæ* cum figuris æneis in 8. Aug. an. 1617.

PAULI MEZGER è Domo S. Petri Salisburgi Sacrarum Literarum Professoris in Universitate Salisburgensi *Sacra Historia de Gentis Hebraicæ Ortu, progressu, benè & malè gestis, variâque fortuna, sub Patriarchis, Ducibus, Judicibus, Regibus ab Abrahamo & cap. 11. Genesis usque ad ultimum Regem, & captivitatem Babylonicam* in fol. Aug. Vindel. & Dilingæ apud Jo. Casp. Bencard anno 1700. Quod Opus cùm ob insignem doctrinam & eruditionem summoperè mihi arrideret, adhuc juvenis totum perlegi. Sed etiam aliis me longè doctioribus laudatur.

FLAVII JOSEPHI *Antiquitates Judaicæ* ex editione Gilberti Genebrardi, 2. vol. in 8. Parisiis an. 1573. 1588. 1604. in fol. ibidem an. 1578. 1616. 1639. De nova editione, quam *Martinus Bouquet* è Congregatione S. Mauri adorsus est, ut Philippus le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 47. certos nos esse jussit, spem omnem abjiciendam puto, cùm interea temporis nondum prælo subjecta fuerit, hodie verò Domnus Martinus Bouquet in Collectione amplissima Scriptorum Rerum Francicarum adornanda calamum occupatissimum habeat. Erit tamen fors alius ex eadem celeberrima Congregatione, qui hoc bellum in gratiam Orbis literarii, atque adeò totius Ecclesiæ militabit.

CASIMIRI FRESCHOTT, Sequani, Vesontini è Congreg. Casin. *Exarata gemilitio D. Pauli gladio ejusdem Apostoli Vitæ synopsis.* Romæ typis Michaëlis Herculis 1675. in 4. Opusculum tum prosa, tum vario carminis genere compositum. Vid. Armell. part. 1. pag. 113.

ANTONII JOSEPHI MEGE è Congregatione S. Mauri *Vita Regis David*, quæ apprimè commodat ad facilitatem rerum historicarum intelligentiam, quæ in sacris Psalmis occurrunt. Præmissa verò est hæc Vita Explicationi seu Paraphrasi Psalmorum David, quam Auctor Gallicè composuit, & Parisiis vulgavit an. 1675. apud Lud. Billaine.

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri *La Verité de l' Histoire de Judith*, id est: *Veritas Historiæ Judithæ asserta.* in 12. Paris. an. 1690. apud Simon Langronne. Lutherus, Grotius, Wittakerus, & alii Sectarii Historiam Judithæ inter figmenta recensent. Montfauconius ab illis dissentiens, totus in eo est, ut ostendat, veram esse historiam. Ex illius ergò sententia Assyrii irruptione in Palæstinam facta ante tempus captivitatis Babylonicæ Bethuliam obsidione cinxerunt, sub Rege Manasse &c. Dissertationem hanc historicam celebris Abbas Langlet du Fresnoy his verbis commendat: *Dissertation faite avec un grand soin, & digne du P. de Montfaucon, le Religieux le plus savant, & le plus modeste, qu' il y ait aujourd'huy dans l' Ordre de S. Benoist*, id est: *Dissertatio magna cum diligentia elaborata, & digna Patre Montfauconio uno omnium doctissimo juxtà ac modestissimo Scriptore, qui hodiedum in Congregatione S. Mauri floret.* De raritate verò hujus libelli alio loco dicturi sumus.

AUGUSTINI CALMET *Histoire sainte de l' Ancien & du Nouveau Testament, & des Juifs*, i. e. *Historia Sancta Veteris & Novi Testamenti cum Historia Judaica præmittendo Historiæ Ecclesiasticæ à Claudio Fleury concinnatæ.* V. vol. in 4. Parisiis anno 1715. 1718. in 12. ibid. 1725. volum. 5 Editio in 4. præferenda est, cùm illa in 12. innumeris scateat mendis. Vid. Langlet du Fresnoy Catal. Histor. Tom. 3. pag. 91. Nunc ex Gallico in Germanicum transfertur idioma.

— EJUSDEM *Dictionarium Historicum Sacræ Scripturæ* cum Supplementis, quod Gallicè scriptum prodiit Parisiis 2. vol. in fol. Latinè versum Lucæ 1725. & 1731. Opus percelebre, nec minùs utile.

— EJUSDEM Prolegomena & Dissertationes in omnes & singulos S. Scripturæ libros, ubi præter Tabulam Chronologicam Generalem Historiæ Biblicæ enodantur præcipuæ difficultates Historicæ & Geographicæ. De loco & anno editionis jam aliàs sermo nobis fuit.

— EJUSDEM Historia Vitæ & Miracu-

raculorum Christi ex Historia Novi Testamenti desumpta cum figuris in 12. Parisiis an. 1720.

ANGELI MARIÆ QUIRINI Sacrarum Literarum Professoris in Abbatia S. Mariæ Florentiæ P.P. Casinensium, nunc S. R. E. Cardinalis *Oratio de Mosaicæ Historiæ præstantia.* Cæsenæ typis Petri Pauli Recupiti an. 1705. Recusa Veronæ typis Seminarii Episcopalis anno 1741. Hanc Orationem quantoperè admiratus fuerit Vir inter Heterodoxos valdè eruditus *Henricus Newton* Florentiæ id temporis Britannicus ad Cosmam III. Ablegatus, constat ex hujus Epistola, quæ legitur inter Miscellanea ejusdem Lucæ edita anno 1710. Ita in ea habet ipse ad celeberrimum Antonium Magliabechium: *Nunc Quirinum viventis eruditionis, pietatis, ac comitatis specimen, Te socio, inter libros convenio, suspiciòque, propriis aliquando, suisque ingenii fœtibus augendos, Venuet ipse in numerum Auctorum. Veniet, dixero? quasi in Mose suo non etiam nunc legeretur, semperque legendus sit.* Vid. Præfat. secundæ editionis, quam accuravit V. C. Dominicus Pius Rosinus, Presbyter, ac Rector Seminarii Veronensis.

GODEFRIDI KRÖLL è S. Petro Salisburgi, Professoris Sacræ Scripturæ in Alma Universitate

Monotessaron Evangelicum, sive Historia Evangelica ex quatuor Evangelistis in unum Volumen collecta, ac Evangelica Mysteria usque ad salutiferam Christi Nativitatem literaliter & mysticè ex utriusque Testamenti paginis explanans. Tractatus tertius editus Salisburgi in 4. apud Hæredes Mayrianos anno 1728.

MATHÆI PETITDIDIER Abbatis S. Petri Senonensis, & Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Præsidis *Dissertationes* Historicæ, Criticæ, Chronologicæ in S. Scripturam Veteris Testamenti. (*Tulii Leucorum*) *Parisiis Pet. Emery an.* 1699. *in* 4.

DAVIDIS GREGORII CORNERI Abbatis Gottwicensis *Vita D. N. Jesu Christi* Divino-Humana, ejùsque Virgineæ Matris MARIÆ Commentariis Asceticis, ex SS. Literis, SS. Patribus, & Doctoribus Ecclesiasticis Libris xxxIII. elucidatum, quibus totius Asceticæ Theologiæ Medulla continetur. Viennæ Austriæ in officina Gregorii Gelbhaar an. 1642. in 8. maj. Opos cedro auróque dignom, in quo eximiæ doctrinæ soliditas & copia cum ingenti pietate & perspicuitate conjungitur.

§. II.
Historiæ Ecclesiasticæ Universalis Scriptores.

CASSIODORI *Historia Ecclesiastica*, quæ tripartita dicitur, quam ex Græcis Authoribus Socrate, Sozomeno, ac Theodoreto per amicum suum *Epiphanium Scholasticum* Latinè redditis concinnavit. Quæ verò præfationem in hanc Historiam obsignant verba: *Cassiodori Senatoris, jam Domino præstante conversi explicit præfatio*, nulli argumento sunt, Cassiodorum ex Ethico factum fuisse Christianum, sed terminus Regulæ Benedictinæ sunt cap. 58. quam postremis vitæ annis, rerum aulicarum pertæsus professus fuit Cassiodorus, ut Joannes Garetius in ejus vita commonstrat, quam novæ ejusdem Operum editioni præmisit. Cassiodorum continuavit Sigebertus, & hunc excepit Robertus à Monte.

ANASTASII Abbatis Romani, Monasterii sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Virginis trans Tyberim, S. R. E. Cardinalis HISTORIA ECCLESIASTICA, seu Chronologia tripartita ex tribus Authoribus Græcis, Nicephoro Patriarcha CP. Georgio Syncello, & Theophane Abbate contexta circa annum 872. prodiit inter Scriptores Historiæ Byzantinæ, cùm jam anno 1649. Parisiis à Carolo Fabrotto vulgata fuisset. Nobis Anastasius, inquit Possevinus Bibl. Select. tom. 2. lib. 16. c. 25. pag. 333. valde charus esse debet, quòd ea, quæ nec meliores, nec pejores Scriptores habeant, literarum monumentis tradiderit. Confer etiam ejusdem Possevini Apparatum Sacrum v. *Anastasius.*

HAYMONIS ex Monacho Fuldensi Abbatis Hersfeldensis, demùm anno 841. Episcopi Halberstadensis *Breviarium Historiæ Ecclesiasticæ*, sive *de Christianarum rerum memoria libri X.* Hagenoæ an. 1531. in 8. Coloniæ eodem anno, atque eadem forma, & an. 1573. 1600. in 12. Romæ 1564. cum Petri Galesinii notis, Lugduni Batav. 1560. in 16. correctiùs atque emendatiùs cura Joachimi Maderi Helmstadii 1671. Et Gallicè Claudio Espencæo interprete Paris. 1572. in 8. Tot editiones ac versiones præstantiæ hujus Historiæ sat magno argumento sunt. Quædam tamen obelisco digna judi-

judicavit Galesinius in suis notationibus. Antonius Possevinus Haymoni nulli laudi tribuit, quòd in præfatione, quâ Eusebii libros tanquam in compendium tedegisse scribit, Eusebium (virum alioquin Arianæ factionis) Beatum nominet, quódque plus est, addat hæc verba: *Itaque Divino Operi tuo meum non confero, sed teipsum refero, te inspiciens, te adorans, quem penè penitus è vestigio sequor, sed omnia breviore. Sit igitur liber ille tuus exemplar, hic exemplum: sit ille forma expressior, hic repræsentatio & imago; sit ille rerum notitia, iste memoria. Nam quod ille ducit ad notitiam, iste reducit ad memoriam.* Nimirùm Haymo non perpenderat altiùs, quæ in aliis Operibus Eusebii digna notatu scripsimus, ubi de eodem Eusebio, quæ omnino videnda sunt. Porrò quadriennium prædicationis Christi, quod ille ponit, non convenit cum Luca cap. 3. nec cum Nicephoro lib. 1. cap. 18. Vide autem Galesinium etiam de aliis quibusdam. Possev. Appar. Sac. tom. 2. pag. 6.

Orderici Vitalis ex Anglia in Galliam translati *Historia Ecclesiastica*, rerum diversitate, & delectu amplissima, uberrima, & accuratissima, tredecim libris comprehensa, à Natali Christi Domini usque ad annum 1142. quos in volumine Historicorum Normanniæ Andreas du Chesne Parisiis 1619. in fol. pag. 319--925. publica luce donavit. Cl. *Antonius Pagi* ad annum 1141. n. 7. ita de hac Historia loquitur: *Ex Orderici Historia multa ad supplendos Annales Ecclesiasticos mutuati sumus; nam licèt hic Auctor non rarò in Chronologiam peccet, multa tamen scitu dignissima in medium profert, & sincerè narrat.* Quæ verò ipse Ordericus ad calcem suæ historiæ de conversione sua ac vita monastica literis consignavit, ejusmodi sunt, ut cùm Religiosorum animos compungere ac fincero Dei amore inflamare possint, mihi hoc loco, tametsi prolixiora nonnihil, nullatenus omittenda videantur. Sic verò loquitur: „ Ecce senio & infirmitate fatigatus „ librum hunc finire cupio, & hoc „ ut fiat, pluribus ex causis manife- „ sta exposcit ratio. Nam sexagesi- „ mum septimum ætatis meæ annum „ in cultu Domini mei Jesu Christi „ perago: & dum Optimates hujus „ seculi gravibus infortuniis sibique „ valde contrariis comprimi video, gratiâ Dei roboratus securitate sub- „ jectionis & paupertatis tripudio. „ En *Stephanus* Rex Anglorum in car- „ cere (à Mathilde Andegavensi „ Comitissa) gemens detinetur, & „ *Ludovicus* Rex Francorum expedi- „ tionem agens contra *Gothos & Guascones*, pluribus curis crebrò anxia- „ tur. En præsule defuncto Luxo- „ viensis cathedra caret Episcopo, & „ quando vel qualem habitura sit „ Pontificem, nescio. Quid ampliùs „ dicam? Inter hæc Omnipotens „ Deus, colloquium meum ad Te „ converto, & clementiam Tuam, „ ut mei miserearis, dupliciter oro. „ Tibi gratias ago summe Rex, qui „ me gratis fecisti, & annos meos „ secundùm beneplacitam volunta- „ tem tuam disposuisti. Tu es enim „ Rex meus, & Deus meus, & ego „ sum servus Tuus, & ancillæ Tuæ „ filius, qui pro posse meo à primis „ Tibi vitæ meæ servivi diebus. Nam „ sabbatho Paschæ apud *Attingesham* baptizatus sum, qui vicus in „ Anglia situs est super *Sabrinam* in- „ gentem fluvium. Ibi per ministe- „ rium *Ordrici* Presbyteri, ex aqua & „ Spiritu sancto me regenerâsti, & „ mihi ejusdem sacerdotis, patrini „ scilicet mei, nomen indidisti. De- „ inde cùm quinque essem annorum, „ apud urbem *Scrobesburiam* scholæ „ traditus sum, & prima tibi servi- „ tia Clericatûs obtuli in basilica san- „ ctorum Petri & Pauli Apostolorum. „ Illic *Siguardus* insignis Presbyter „ per quinque annos Carmentis Ni- „ costratæ literas me docuit, ac psal- „ mis & hymnis, aliisque necessariis „ instructionibus mancipavit me. In- „ tereà prædictam basilicam super „ *Molam* flumen sitam, quæ patris „ mei erat, sublimâsti, & per piam „ devotionem *Rogerii* Comitis venera- „ bile cœnobium construxisti. Non „ tibi placuit, ut illic diutiùs milita- „ rem, ne inter *parentes*, qui servis „ tuis multoties oneri sunt & impe- „ dimento, paterer inquietudinem, „ vel aliquod detrimentum in obser- „ vatione legis Tuæ, per *parentum* „ carnalem affectum incurrerem. Id- „ circò gloriose Deus, qui Abraham „ de terra, patrísque domo & cogna- „ tione egredi jussisti, *Odelerium* pa- „ trem meum aspirâsti, ut me sibi pe- „ nitus abdicaret, & Tibi omnimo- „ dis subjugaret. *Rainaldo* igitur Mo- „ nacho plorans plorantem me tra- „ didit, & pro amore Tuo in exilium „ destinavit, nec me unquam postea „ vidit.

„ vidit. Decennis itaque Britannicum mare transfretavi, exul in „ *Normanniam* veni, cunctis ignotus „ neminem cognovi. Linguam, ut „ Joseph in Ægypto, quam non noveram, audivi: suffragante tamen „ gratia tua, inter exteros omnem „ mansuetudinem & familiaritatem „ reperi. A venerabili *Mainerio* Abbate in Monasterio *Uticensi* undecimo ætatis meæ anno ad monachatum susceptus sum, undecimóque kal. Octobris, Dominica, clericali ritu tonsoratus sum. Nomen „ quoque *Vitalis* pro Anglico vocamine, quod Normannis absonum „ censebatur, mihi impositum est, „ quod ab uno sodalium S. Mauritii, „ cujus tunc martyrium celebratur, „ mutuatum est. In præfato cœnobio LVI. annis Te favente conversatus sum, & à cunctis fratribus & „ contubernalibus multò plus, quàm „ merui, amatus & honoratus sum. „ Sex Abbates, quia Tui fuerunt vicarii, ut patres & magistros reveritus sum, *Mainerum*, & *Serlonem*, „ *Rogerium*, & *Guarinum*, *Riccardum*, & *Ranulfum*. Idibus Martii „ cùm XVI. essem annorum, jussu Serlonis electi, Gislebertus Lexoviensis Antistes mihi stolam imposuit „ *Diaconi*: in quo gradu XV. annis „ Tibi libenter ministravi. Denique „ XXXIII. ætatis meæ anno Guillelmus „ Archiepiscopus Rotomagi XII. kal. „ Januarii oneravit me sacerdotio. „ Eodem verò die CCXLIV Diaconos „ & CXX consecravit sacerdotes, „ cum quibus ad sanctum altare Tuum in Spiritu S. devotus accessi, „ jámque XXXIV. annis cum alacritate mentis Tibi sacra ministeria fideliter persolvi. „ Hæc *Ordericus Vitalis*, qui vitam demum in Monasterio religiosissimè actam absolvit anno, nisi fallor, 1140.

HUGONIS de S. MARIA, Monachi Floriacensis, seculo XII. *Historia Ecclesiastica*, quatuor libris comprehensa, quæ tamen absque divisione in libros typis exscripta est Monasterii in Westphalia an. 1638. in 4. præmisso post epistolam ad Ivonem prologo metrico ad Ludovicum Regem, cognomento *Crassum*. Ex hac Historia Andreas Duchesnius excerpta quædam edidit Tomo I. Scriptorum Franciæ. Vid. Mabill. Annal. O. S. B. Tom. V. pag. 545. ad an. 1110. Cæterùm *Hugonis* Historia libris annumeratur rarissimis. Vide infrà §. de Scriptoribus, quorum libri rariores.

HUGONIS, primùm Monachi S. Vitoni *Virdunensis*, tum Abbatis S. Petri *Flaviniacensis* in Burgundia, *Chronicon Virdunense*, à quibusdam dictum *Flaviniacense*, typis verò vulgatum à Philippo Labbeo Soc. Jesu (qui illud *Historiæ Ecclesiasticæ*, undecimi præsertim seculi, *thesaurum incomparabilem* vocat) ex ipso Authoris autographo MS. quod servatur in Bibliotheca Collegii Claromontani Parisiensis Soc. Jesu in nova Bibl. Mss. Tom. I pag. 75 - 272. Prima pars ab anno primo Æræ Christi ad annum ejusdem millesimum secundum, seclusis consultò quàm plurimis vulgaribus & inutilibus laciniis aliunde transcriptis, quas nemo cordatus, atque industrius Historiæ Ecclesiasticæ indagator meritò unquam desiderabit. Pars altera ab anno Æræ Christianæ millesimo secundo ad ejusdem annum millesimum centesimum secundum.

GULIELMUS de HIERACI, Siculus, Panormitanus, Monasterii ad S. Martinum de Scalis Abbas perdoctus an. 1502. in Mstis reliquit

Historiam Sacram à Mundi constitutione ad sua usque tempora; quæ asservatur in Bibliotheca Monasterii Sublacensis, Armell. part. 1. p. 195.

VICTORINI MANSO Abbatis è Congr. Casin. tum Episcopi Arianensis *De Ecclesiasticis Magistratibus*, eorúmque antiquitate, dignitate, officiis, cæterísque ad eos pertinentibus, lib. 7. Romæ apud Carolum Vullietum anno 1608. in 4. Deprompti fuerunt hi libri ex Authoris *Harmonia Theologica*.

AUGUSTINI REDING Abbatis & Principis Einsidlensis in Helvetia *Vindex Veritas Centuriæ primæ Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Baronii S. R. E. Cardinalis contra Jo. Henr. Ottium* Typis Monasterii Einsidlensis in fol. an. 1680.

ANDREAS MAROCQUIN Gisleniani in Hannonia Cœnobii Monachus *Annales Ecclesiasticos*, sive *Gesta SS. Martyrum à Notariis S. R. E. Summorum Pontificum jussu conscripta* variis è Bibl. collegit, & in Tomos IV. digessit: déque *Gestis SS. Confessorum* Tomos duos conscripsit: Extant Mss.ta in Monasterio S. Gisleni. Author vivebat an. 1606. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 54.

OTTONIS AICHER *Epitome Chronologica Historiæ Sacræ & Ecclesiasticæ* à Chri-

à Christo Nato ad restitutum Occidentis Imperium per Leonem III. Pontif. Rom. Tom. I. Pats I. cum serie Romanorum Pontificum, Patriatcharum, & Conciliorum. *Coloniæ* apud Wilhelm. Metternich an. 1706.

EJUSDEM *Epitome Chronologica Historiæ Ecclesiasticæ* ab Occidentis Imperio restaurato usque ad annum 1702. cum serie Sac. Rom. Imp. Electorum, atque Archiepiscoporum Salisburgensium. Coloniæ apud eundem eodem anno.

BENEDICTI BACCHINI è Congreg. Casin. Abbatis plurium successivè Monasteriorum longè doctissimi *Dissertatio de Hierarchiæ Ecclesiasticæ originibus.* Mutinæ 1703. in 4. typis Antonii Capponi. Divisum est opus in tres partes: in primâ examinat & rejicit illorum sententiam, qui putant, Apostolos in fundanda Ecclesiæ hierarchia Imperii Romani statum pro norma habuisse, & tandem in causas inquirit, ob quas seriùs in Occidente Hierarchiam Ecclesiæ ad recentiorem Imperii fotmam componere tentatum fuerit. In secunda parte ad Italicarum Metropoles, origines descendit, quas demum seculo IV. natas asserit. Tandem in tertia de Ravennatensis Ecclesiæ Metropolitanæ jure, ejúsque initiis agit. *Struv. Bibl. Jur. cap.* 15. *pag.* 497. Aliam magisque deductam recensionem magna cum Authoris laude exhibent Acta Erudit. Lips. anno 1705. pag. 330. Cl. V. Joan. Albertus Fabricius Antiqq. Eccl. tom. v. n. 20. non dubitavit literis consignate, tantæ eruditionis ac doctrinæ opus nunquam in publico comparuisse. Cùm verò Dupinius Tomo ultimo Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ quædam opponeret, Bacchinius tacito nomine ejus objectis respondit, Ephemeridum verò Venet. Literatorum Italiæ Authores tomo XXII. pag. 28. suo sub nomine intexuerunt. Quid pluta? Opus eruditissimum, & ab omnibus summoperè commendatum.

EJUSDEM *Manuductio ad Philologiam Ecclesiasticam* MS.ta tom. 2. in folio, in qua præmittuntur necessaria ad Chronologiam, inde singulis annis Æræ Christianæ Crisis philologica exercitii causa adhibetur, per tria priora Secula. Utebatur Author hac Manuductione ad instituendos Ecclesiasticæ Philologiæ Candidatos, apud quos ejusdem Manuductionis plura exemplaria inveniuntur. *Armell. Bibl. Casin. part.* 1. *p.* 81.

GREGORIUS DE ARGAIZ, Lucronio Castellæ veteris urbe vulgò *Logronno* oriundus, Ord. S. B. Monachus in Monasterio primò sancti Salvatoris Onnensi, dein in illo sanctæ Mariæ Naiarensi, Ss. Theologiæ Magister, & Ordinis sui Historiographus, Vir fabulatum, si quisquam alius, amantissimus, & auctorum suppostitiorum parastates, ac hyperaspistes acerrimus, coacervavit inepta plurima figmenta in operoso octo voluminum opere, cui magnificum præfixit titulum: *Poblacion Ecclesiastica de Espanna, y notitia de sus primeras honras ballada en los escritos de San Gregorio Obispo de Granada, y en el Chronicon de Hauberto monge de San Benito, y continuada en los escritos y Chronicon de Hauberto Hispalense*, id est, *Populatio Ecclesiastica Hispaniarum, & notitia ejusdem primarum prærogativarum reperta in Scriptis S. Gregorii Episcopi Granatensis, nec non in Chronico Hauberti Monachi S. B. & continuata in Scriptis & Chronico Hauberti Hispalensis.*

Quatuor ex octo illis voluminibus jam lucem aspexêre publicam typis Matritensibus Gregorii Rodriquez annis 1667. 1668. sequentibus in folio, successere dein alia similis farinæ molísque Opera *Corona Real de Espanna fundada en eberedito* * *de los muertos, y vida de S. Hierotheo, Obispo de Athenas y Segovia*, id est, *Corona Regia Hispaniæ* . . . . *nec non vita S. Hierothei Episcopi Atheniensis & Segoviensis.* Ibidem apud eundem 1668. in folio, item *La Solodad Laureada per San Benito y sus biios en las Iglesias de Espanna*, sive Annales Ordinis Benedictini Hispaniæ. ibidem 1675. in fol. 7. voll. porrò *Instruction bistorica y apologetica para Religiosos Ecclesiasticos y seglares*, id est: Instructio historica & apologetica pro Religiosis, Ecclesiasticis, & Sæcularibus, ibidem 1678. in fol. tandem *La Perla de Catalauna* i. e. *Margarita Cataloniæ*, ibid. anno 1677. in folio. Prolixi nimis essemus, si ad Incudem opus hoc & Auctores suppositicios pro genuinis Antiquitatum monumentis orbi erudito venditos revocaremus, præsertim, cùm post Josephum Pellicerium, & Nicolaum Antonium, quorum ille plura eo de argumento opuscula in veritatis fulcimentum edidit, hic ex-

* mendum typographicum.

actè

actè idem executus est in veteri sua Hispana Bibliotheca lib. VI. cap. 22. pag. 400. seq. actum agere videremur. Ita verbatim Gerhard. Ernest. de Franckenau in sua Bibliotheca Hispaniæ Genealogico-Heraldica p. 166. Qui illustris Eques quòd Argaizium vocet Virum Fabularum amantissimum, nullam ipsi injuriam imponit; cùm verò Ordinis Benedictini Historiographum salutat, honoris gradû illum dignatur, ad quem nemo ex Benedictina Familia ipsum evexit. Quid?, quòd Superiores diu ac multùm scripturientem, (ut libro superiore à nobis narratum) sæpiùs monuerint, ut à malè scribendo calamum tandem abstineret. Si quid Argaizius peccavit, uti multa fanè in Historia Ecclesiastica peccavit, majori simplicitate aut pervicacia id fecit, quàm malâ fide, in fraudem ab aliis, quos nominare nolo, inductus.

CORNELIUS MARGARINUS, Italus, Romanus, S. Pauli de Urbe Monachus, Abbas Titularis, ut vocant, è Congr. Casin. laudatur ab Equite Prospero Mandosio in Bibl. Rom Tom. I. Cent. 5. pag. 332. excellenti doctrina Vir, ac Religiosarum virtutum ornamentis meritò venerandus, atque in rebus antiquis evolvendis, dilucidandísque curiosus, sedulus, eruditus, & summoperè exercitatus. Ejus est

Thesaurus Historicus sacræ & politicæ Veritatis in Sac. Rom. Ecclesiæ agro ipsis autographis monumentis à vetustissimis Antiquitatis latibulis per diuturna secula absconditus, in tomos octo distributus, ad certam chronologiæ normam juxta Indictionum rationem expositus, & ad pedes Innocentii XI. Pont. Max. eâ, quâ decet, veneratione & alacritate humillimè depositus anno 1680. Msc. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 142.

VINCENTIUS THUILLIERIUS è Congr. S. Mauri Historiam Constitutionis *Unigenitus* à SS.mo Patre Clemente XI. promulgatæ, approbantibus tribus Gallicanis Cardinalibus suscepit conscribendam; opus imensum, quod intra paucos tamen annos, diu noctúque vigilans confecit, Jámque ei ultimam manum imposuerat, & patronis suis obtulerat, cùm ecce Deus, qui vitæ hominum momenta omnia gubernat, *Thuillierium* pleurisi correptum ex humanis eripuit XII. Jan. an. MDCCXXXVI. Ejus frater *Antonius Thuillier* Monachus S. Dionysii in Francia in Latinum ex Gallico sermone transtulit *Historiam Ecclesiasticam de M. l'Abé Fleuri*; jámque anno 1725. quatuor volumina prælo parata habuit, quæ Notis & criticis Observationibus augmentavit; ubi à contemptu, aliísque inofficiosis censuris Authorem vindicat. Nullus dubito, quin interea temporis universi operis versioni, si tamen, quod me latet, eam prosequutus est, supremam manum addiderit.

Domnus DUSSOT è Congreg S. Mauri inpræsentiarum novam editionem *Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii* apparat, quæ à Dissertationibus eruditis, Notis ac Criticis Observationibus minimè inops est futura.

Historia eorum, quæ à temporibus Vitaliani Papæ usque ad Henrici & Alexii Imperatorum evenerunt, quam jussu R.mi Casinensis Archimandritæ Rainaldi, Petrus Diaconus Casinensis ex Cosmographio Theophanis, & Chronographia Romanorum Pontificum excerpens, dictæ Historiæ adjunxit annos 1131. Asservatur Romæ in Bibliotheca S. Pauli de Urbe. Vid. Armell. part. 1. pag. 172.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *Hierologia*, sive *Temporum Historia* &c. Opus Msc. cujus ipse meminit in Catalogo Scriptorum suorum.

§. III.

Scriptores Historiæ Pontificiæ.

S. GREGORIUS M. scripsit Epistolas quasdam ad Historiam Pontificiam pertinentes, teste Carolo à S. Jacobo in Bibliotheca Pontificia part. 2. pag. 326. Quænam potissimum verò illæ sint, non expressit. Mihi ad illas cumprimis referri posse videntur, quas dedit ad Mauritium Imperatorem, qui Gregorio in controversia cum Johanne Constantinopolitano Patriarcha, Oecumenici titulum usurpante adversatus fuerat. Igitur *Lib. V. Epistola XX.* juxta editionem Dionysii Sanmarthani *al. XXXII.* titulum Episcopi *Universalis*, quo Joannes vocari velit, ægerrime ferens, „Ecce, *exclamat*, claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi ac „solvendi tribuitur, cura ei totius „Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen *Universalis* Apostolus non vocatur: & vir sanctissimus „consacerdos meus Joannes vocari uni-

„ universalis Episcopus conatur. Ex- „ clamare compellor ac dicere : *O* „ *tempora ! ó mores !* „ Tum verò Gregorius multis argumentis hanc novam appellationem concutit. 1. cadente universali Episcopo universa ruit Ecclesia. 2. Nullus Romanorum Pontificum hoc nomen assumpsit. 3. Honore debito universi Sacerdotes privarentur, si quis etiam Romanus Pontifex hoc appellaretur nomine. 4. Præceptis canonicis adversatur ista appellatio. 5. Omnes hac de re scandalum patiuntur. Hujus argumenti etiam est *Lib. V. Epistola XXI. al. XXXIV.* ad Constantiam Augustam Mauritii conjugem, in qua eandem, ut Johannis ambitioni se opponere pergat, hortatur. Perstringit illius hypocrisim, perversitatem, ac superbiam. Conqueritur Imperatorem illi patrocinari. *Epistola XLIII.* ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopum, in qua eos hortatur enixè, ut communi consilio atque uno spiritu Joannis Constantinopolitani titulum *Universalis* sibi arrogantis superbiam insequantur. *Lib. VII. Epistola XXVII. al. XXIV. Universalis* vocabulum à Constantinopolitano Episcopo usurpari, non magni interesse sentiebat cum Imperatore Anastasius. Gregorius hocce vocabulo universam Ecclesiæ fidem corrumpi contendit. *Lib. VIII. Epistola XXX. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum*, in qua eidem de Anglorum conversione scribit. *Universalis* Papæ titulum à Synodo Chalcedonensi suis decessoribus oblatum, sed rejectum respuit. *Lib. X. Epist. XXXVI.* factas indicat cum Longobardorum Rege inducias.

ANASTASII, Abbatis Romani, Monasterii S. Dei Genitricis MARIÆ Virginis trans Tyberim S. R. E. Cardinalis Presbyteri Tit. S. Marcelli vulgò Bibliothecarii *Historia de Vitis Romanorum Pontificum* à Petro usque ad Stephanum VI. inclusivè, vel usque ad Papam Formosum, & annum Christi 890. edita primùm à Joanne Busæo S. J. Moguntiæ in 4. an. 1602. Verùm, ut jam alibi dictum, nostræ ætatis Critici repugnant, integram illam historiam usque ad *Stephanum VI.* vel Papam *Formosum* rudi stylo, imò semilatino planéque barbaro ab Anastasio fuisse profectam, ut quæ virum eruditum & eloquentem, cujusmodi noster Anastasius erat, neutiquam referat. Unde *Anastasii* Historia (ut *Jacobi Sirmondi* senioris editionem Parisiis 1620. omittam) à *Car. Annib. Fabroto* cum Notis 1649. Parisiis vulgata fuit, sed à Petro ad Nicolaum I. duntaxat. Prodiit etiam ibidem cum Notis & Observationibus *Ant. Dandini Alteserræ* U. J. Professoris & Decani in Academia Tolosana. *Joannes Ciampinus* hujus libri Pontificalis examen instituit, in cujus recensione Acta Erudit. Lips. Supplem. Sect. IV. p. 167. octo diversas de hujus Pontificiæ Historiæ compositione sententias producunt. Editiones novissimæ sunt Franc. Blanchini Romæ 1718. & 1723. Joaonis Vigoolii iterum Romæ an. 1724. Lud. Muratorii Rer. Italic. Scriptorum Tom. III. anno 1723. Præter Acta Erud. Lips. l. c. vide Journal des Savans. Tom. 8. pag. 379. Bibliotheque Universelle de an. 1688. pag. 162. Placc. de Pseudon. p. 50. num. 163.

FRODOARDI, Remensis Abbatis, Fragmenta de Romanis Pontificibus à Mabillonio jam diu vulgata, denuo à Cl. Muratorio recusa fuerunt Tomi III. Scriptorum Rerum Italicarum Parte II. ubi præterea extant ex eodem *Frodoardo* Gregorii II. vita cum notis Joannis Mabillonii. Gregorii III. vita. Zachariæ vita cum notis Mabillonii. Stephanii II. vita cum notis Mabillonii. Pauli vita cum notis Mabillonii. Stephani III. vita. Adriani I. vita cum notis Mabillonii. Leonis III. vita cum notis Mabillonii. Stephani IV. vita cum notis Mabillonii. Paschalis I. vita cum notis Mabillonii. De S. Eugenio II. Valentino, Gregorio IV. & Sergio Papa cum notis Mabillonii. De Quarto Leone Papa & actibus ejus, sanctóque Benedicto Papa cum notis Mabillonii. De S. Nicolao Papa, & Benedicto Papa, & Joanne Ravennate. De S. Adriano Papa, & Hincmaro Præsule Remensi, Carolo quoque Rege cum notis Mabillonii. De Joanne Papa VIII. & Martino ejus successore cum notis Mabillonii. De tertio Adriano, & Fulcone Remensi Præsule, Carolo quoque Augusto, & de Stephano V. De Stephano & Formoso. Translatione quoque S. Calisti ad urbem Remensem. De Bonifacio Papa. De Sanctis Joanne, Sergio, Benedicto, Leone, atque Christophoro. De Sergio & cæteris ad Leonem VII. cum notis Mabillonii.

AMA-

AMATUS ex Monacho Casinate Episcopus Oleronensis scripsit

De Gestis Apostolorum Petri & Pauli ad Gregorium VII. Pontif. Max.

De laudibus Gregorii VII. Pontif. Max.

Vid. Jo. Bernardin. Tafuri in Continuat. Partis I. Seriei Chronologicæ Scriptorum Neapolit. Cl. Amatus an. 1070.

NONANTULANUS Monachus veteris ævi à Muratorio in Histor. Ital. ad an. 898. laudatur, quòd vitam Hadriani I. egregii Pontificis literis mandârit.

BERNONIS Abbatis Augiæ Divitis *Epistolæ in causa Formosi Papæ*, quas ad manum habuit Mabillonius, eásque in Analectis edere voluit, nisi volumen jam in suam excrevisset molem. Schœttgenius Bibl. med. Lat. lib. 17. pag. 68.

ABBO Monasterii Floriacensis Abbas & Martyr, utpote in Vasconiæ partibus martyrii sanguine laureatus scripsit Epitomen de Vitis Romanorum Pontificum XCI. à Petro usque ad Gregorium II. ex Anastasio Bibliothecario excerptam. Prodiit unà cum Luitprando curâ Joannis Busæi S. J. Moguntiæ in 4. an. 1602. Quod verò ad *Luitprandum*, Episcopum Cremonensem attinet, huic à Busæo suppositum esse librum *de Pontificum Romanorum gestis à S. Petro usque ad tempora Formosi Papæ* docent Miræus Histor. Eccles. pag. 234. Vossius de Historiis Latinis lib. II. cap. XL. pag. 345. & ex hoc Teisserius in Catalogo Auctorum & Bibliothecarum pag. 226. à Monacho quodam Germano *Corbeiensi* aut Hirsfeldensi concinnatum suspicantes, tempore Papæ Formosi, in quo desiit, eis, quæ de Formoso in fine habentur, ex Luitprandi lib. 1. Rerum per Europam gestarum c. VIII. suppletis. Vide Vossium loc. cit. adde *Sagittarium* Introduct. in Histor. Eccles. pag. 48. & præprimis Viencent. Placcium, cui hæc debemus, de Scriptor. Pseudonymis, pag. 425.

B. PETRI DAMIANI Opusculum de *brevitate Vitæ Pontificum Romanorum, & de Divina Providentia* extat inter cætera ejus Opuscula LX. ordine XXIII. quæ Operum tomo III. continentur.

B. BRUNO Signiensis Episcopus Leonis IX. P. M. vitam scripsit, quam vide apud Cl. Muratorium Script. Rer. Italic. Tom. III. part. 2.

PETRUS DIACONUS Monachus & Bibliothecarius Casin. scripsit S. *Leonis Papæ vitam.* Item *De rebus gestis Paschalis II. & quorundam aliorum Romanorum Pontificum.* Ita Carolus à S. Jacobo in Bibl. Pontific. qui Petrum an. Domini 1115. sub Paschali II. Papa floruisse scribit. Sed fallitur vir doctus; anno enim 1115. Petrus annum ætatis octavum modò agebat, anno autem 1118. quo Paschalis II. mortuus est, undecennis erat. Non igitur sub Paschali II. claruit, sed sub Innocentio II. ab anno 1130. ad an. 1143. Romano Pontifice, cui vitam S. Leonis Papæ nuncupavit. Quô locô alium ejusdem Authoris errorem advertere licet, quem Bibliothecæ suæ Pontificiæ libro II. pag. 331. his verbis erravit: *Guilielmus Malmesburiensis, Anglus, Monachus Congr. Cluniacensis scripsit Chronicon Romanorum Pontificum libris V. distinctum.* Quæ à vero longè remota sunt. Scripsit equidem Guilielmus noster libros V. de Gestis Pontificum, sed non Romanorum, verùm Anglorum Episcoporum, quos Pontifices appellavit, quo nomine, nunc unis Romanis Pontificibus ferè proprio, in errorem forsan Author inductus fuit. Nos de hoc Guilielmi Malmesburiensis opere §. sequenti plura dicemus.

ANSELMUS LUCENSIS res gestas Gregorii VII. adversùs Henricum Imp. & Clementem Antipapam memoriæ prodidisse fertur à Cl. Eggs Purp. Doct. lib. 1. pag. 43. Vitam sanctissimè actam terminavit anno Christi 1086.

JOANNES DIACONUS ex Monacho Casinensi S. R. E. Cardinalis Gesta S. Clementis Primi, Papæ & Martyris in literas retulit, Eggs l. c. ex Bibl. Pontif. Caroli à S. Jacobo.

BOSO natione Anglus, ex Monacho S. R. E. Cardinalis Tit. S. Pudentianæ ac Legatus in Lusitania, Hadriani IV. nepos scripsit *Hadriani IV. Rom. Pont. vitam.* Obiit Romæ circa an. Chr. 1181. sub Lucio III. Papa, ibidémque sepultus. Carol. à. S. Jac. in Bibl. Pontif. pag. 284.

RICHARDI CLUNIACENSIS (floruit Seculo XII. extremis Friderici I. temporibus) Historiam laudat *Platina*; Opusculum enim de Romanis Pontificibus composuit usque ad Innocentium III. seu ad annum 1198. quo die VIII. Januarii Romanus Pontifex electus est, quod suo Chronico inse-

ruit *Guillelmus Rhede* Cicestrensis Episcopus *de Romanis Pontificibus*, & continuavit usque ad Gregorium XI. hoc est, annum Christi 1367. Fuit autem *Guillelmus Rhede* sacræ Theologiæ Doctor, Episcopus factus anno 1368. sub Urbano V. qui dictum Chronicon Richardi Cluniacensis ab anno 1198. ad annum 1367. notis continuavit, atque in Opere suo conservavit. Nec Chronicon istud *Richardi* Monachi Cluniacensis de Rom. Pontificibus veteres Scriptores latuisse credendum est; quorum plurimi mentionem illius fecerunt. Nam Martinus Polonus, qui ejusdem ætatis est cum Vincentio Bellovacensi, in præfatione sui Chronici non diffitetur, se ex hoc Richardo, ut & Vincentio, aliisque congessisse suam historiam. Idem asserit *Albertus Sigebergensis* in vita Romanorum Pontificum, quem posteà recensebimus. Bartholomæus Platina in Adriano IV. pag. 175. Raphaël Volaterranus lib. XXI. Antropologiæ, & alii, quos allegat Oudinus de S.E. Tom. II. pag. 1599. Sunt, qui dicant, Martinum Polonum verba de Joanne Papissa ex Richardi Chronico, quod mſ.tum in Bibliotheca asservetur, exscripsisse. Docet hoc Hermannus Witekindus, Professor Heidelbergensis in libello, quo tradit, *Papam Joannem VIII. fuisse mulierem.* Vid. Schoettgenius Bibl. med. Lat. lib. 17. p. 213.

ANDROINUS Abbas S. Sequani Confessoris, Diœcesis Lingoniensis, posteà Cœnoblarcha Cluniacensis, ac demùm S. R. E. Cardinalis, ac Innocentii VI. Avenione residentis in Italia Legatus insignem Relationem *de Statu rerum Sedis Apostolicæ* compilâsse, & Innocentio VI. nuncupâsse memoratur à Josepho Maria Suaresio, Episcopo Vasionensi. Quod ex illo etiam Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium affirmat. *Eggs in Purp. Doct. lib. 2. pag.* 408.

JOANNES BIRCHINGTON Ecclesiæ Cantuariensis Metropolitanæ Monachus, composuit seculo XIV. *Historiam de Pontificibus Romanis*, quæ Mſc. in archiepiscopali Bibliotheca Lambethana, teste Henrico Whartono in Angliæ Sacræ Tomo I. asservatur.

PETRI BOERII Abbatis S. Aniani, & Urbevetani Episcopi Commentarius in Vitas Romanorum Pontificum, quem se vidisse Mſ.tum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Canonicorum D. Augustini Regularium; itémque in Colbertina testatur *Oudinus* Tom. III. pag. 1125. Dedicatur ille Carolo VI. Francorum Regi, post exortum schisma inter Clementem VII. & Urbanum VI. cujus hic titulus est: *Carolo Christianissimo Principi, Dei gratiâ Francorum Regi, Petrus Boberius Serenitatis tuæ humilis Sacellanus, tuúsque Orator, minùs idoneus pacificare militantem Ecclesiam, mererísque meritis triumphantem. Dignus es Domine, mi Rex, accipere librum, & solvere signacula ejus* &c. Mortuus est Sacellanus Regius anno 1380. Vid. Oudin. Tom. III. pag. 1125. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. pag. 686.

AYMERICI de PEYRACO Abbatis in Gallia Moyssiacensis circa an. 1400. Vita Urbani V. Papæ, quam cum Notis edidit Baluzius in Papis Avenionensibus Tom. 1. pag. 415.

ALBERTI SIGEBERGENSIS Monachi apud Coloniam Agrippinam circa an. 1450. *Historia Romanorum Pontificum*, potissimùm à Gregorio XI. ad Nicolaum V. continuata: quam, ut ipse in vita Innocentii Papæ VII. testatur, fideli narratione scripsit. Hujus historiæ codex habetur inter mſs. codices Historicos Latinos arcis Ambrasianæ num. 61. Bibl. Cæſ. Vindebon. teste Petro Lambecio Tom. II. Comment. cap. 8. pag. 871. Inscribitur *Historia Pontificum & Imperatorum Romanorum* ex S. Hieronymi, Isidori Hispalensis, Ven. Bedæ, Sigeberti Gemblac. Richardi Monachi Cluniac. Sicardi Episcopi Cremonensis, Martini Poloni, & recentiorum aliquot Authorum Chronicis collecta. Vide M. B. E. verb. *Albertus Sigeberg.* pag. 222. Lambec. Tom. 2. Bibl. Vindobon. pag. 871. atque Oudinum de S. E. Tom. III. pag. 2186.

ROSTANGUS Monachus Cluniacensis scripsit

Exceptiones capitis S. Clementis Papæ & Martyris à Constantinopoli in Cluniacum translati, tempore Hugonis Abbatis XVI. Cluniacensis tractatum mſc. Cluniaci. Extat etiam typis datus in Bibliotheca Cluniaci à pag. 1481. Carol. à S. Jacob. in Bibl. Pontific. lib. I. qui cùm pag. 436. *Sigebertum* nostrum *Gemblacensem* Romanorum Pontificū Vitas, quæ Mſ.tæ Pisauri in Bibliotheca Ducali habeantur, literis mandâsse perhibet, illum cum *Alberto Sigebergensi*, de quo paulò antea, confudisse videtur; neque enim in duobus Catalogis Operum *Sigeberti*, quorum primum ipse libro suo de *Viris Illustribus* subjecit, alterum

rum Trithemius in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* contexuit, Vitas Romanorum Pontificum scripsisse memoratur.

ULTRENUS BOLTONUS (Pitseo & aliis *Utredus*) Monachus Dunelmensis Sec. XIV. scripsit *de Donatione Constantini Ecclesiæ factâ*, CaroLà S. Jacob. l. c. pag. 451. An *Ultrenus* hanc donationem pro vera habuerit, me præterit, cùm opus illius mihi nunquam visum, nedum lectum fuerit: Suppostitium esse jam dudum cum Cæsare Baronio nullus peritorum diffitetur.

JOANNES TRITHEMIUS à Carolo à S. Jacobo l. c. pag. 376. de *S. Petro Apostolo Rosarium* scripsisse memoratur, qui Abbas à sectariis notatur, quòd in Annalibus suis Hirsaugiensibus se Romanis Pontificibus contra Imperatores non rarò æquiorem justo præstet, utpote qui Tomo II. pag. 236. confiteatur publicè, *se cum Romana sentire sacrosancta Ecclesia, & authoritatem Summi Pontificis velle pro viribus defensare.* Vid. Act. Erudit. Lips. Supplem. II. pag. 86. Unde in Henricum ejus nominis IV. Imperatorem Auctor admodùm iniquus esse, justissimásque Majestatis Cæsareæ vindicias adversùs Gregorii VII. machinationes mirè traducere ab iisdem novatoribus dicitur. Contrà verò magnæ landi Trithemio à Catholicis tribuitur, quòd se pro muro Pontificiæ authoritatis opposuerit.

Idem TRITHEMIUS vitam Æneæ Sylvii, pòst Pii Papæ II. scripsisse dicitur in Buderi Bibl. Hist. pag. 8. penes quem sit fides.

GUNDISALVUS ILLESCAS Hispanus, Abbas ad S. Frontonem, *Vitas Pontificum Romanorum* ad sua usque tempora deducens, quæ domi in Hispania, forísque in Ecclesia ac Republica facta sint, sermone vernaculo tomis duobus consignavit. E vita migravit anno 1580. Gundisalvi scriptionem eadem lingua Hispanica non pauci continuârunt. Miræus Bibl. Eccl. part. 2. pag. 115. sæpiùs typis excusa fuit Salmanticæ in Hispania anno 1574. Cæsaraugustæ an. 1583. Brugis in Belgio apud Martinum Victorinum an. 1583. Barcinonæ anno 1606.

CONSTANTINUS CAJETANUS, Abbas S. Baronti è Congr. Casin. vitam Gelasii II. Papæ à Pandulpho Pisano ejus familiari conscriptam amplissimis Commentariis illustravit, atque Romæ typis vulgavit ex Typographia Caballina anno 1638. in 4. ad Urbanum VIII. Commentariis autem hisce in Gelasii vitam additamenta plura subjecit ad calcem à pag. 137. usque ad pag. 160. Muratorius verò Collectioni suæ Scriptorum Rer. Italic. Tom. III. pag. 367. intexuit. Scripsit etiam Cajetanus Acta S. Gregorii Papæ, Petri Cœlestini, & Bonifacii VIII. de quibus aliàs.

HIERONYMUS BENDANDUS, Italus, Ravennas, è Congr. Casin. in Universitate Bononiensi ac Pictavina Ss. Theologiæ Professor scripsit *L' Istoria della Guerra del Papa contro i Prencipi Collegati.* i. e. *Historia belli Summi Pontificis contra Principes Confœderatos.* Ejus nimirùm Belli, quod Baptista Nani describit Lib. XII. suarum Historiarum. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 209.

THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Vita B. Urbani Papæ II.* extat inter ejus & Mabillonii Opera posthuma Tom. III. Opus Illustre, ab eruditis expetitum sæpè, exspectatum diu, & enixè flagitatum typis publicavit Vincentius Thuillier Parisiis in 4. an. 1724. Illius verò synopsin suppeditat le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 441. seq. Hic certè Lector totum Ruinartum inveniet. Idem labor, idem in investigandis veteribus monumentis studium, eadem in dijudicandis sagacitas, eadem in explanandis simulque componendis industria, ut etiamsi suum codici non præfixisset nomen, ipsa operis ratio nomen indicâsset.

RHEGINO Abbas Prumiensis Libro I. Chronici sui accuratam texit seriem omnium Romanorum Pontificum à Petro usque ad Zachariam anno 752. morte sublatum, quo ordine unus alteri successerit. Libro I. pag. 26. in noviss. edit. Struvii *Beatus Petrus Apostolus, Romæ in Episcopali cathedra sedit annos XXV. menses II. dies 2 - - -* & pag. 28. *Zacharias sedit annos X. menses III. dies XIV.* Ubi, inquit vir doctus, sed Acatholicus, optandum esset, ut Rhegino istam seriem in libro II. Chronici sui continuâsset, quò ex coævo Scriptore non magnæ tantùm prudentiæ, sed eximii etiam candoris in famosa & decantata illa contoversia *de Joanna Papissa* seu pro vel contra fortissimum peti posset argumentum. Verùm circa annum DCCCLIV. & DCCCLVI. nec verbo uno Romanorum Pontificum meminit. Unde utraque pars ad Rheginonis silentium ad sen-

tentiam suam confirmandam provocat. *Marianum Scotum*, & *Sigebertum Gemblacensem*, Scriptores Benedictinos, qui fabulæ hujus præcipui Authores apud multos audiunt, superiote libro cum Antonio Pagio, & Autberto Miræo ita vindicavimus, ut dicta hîc repetere haud necesse habeatur.

BENEDICTUS BACCHINUS historicas labes, quibus *Agnellus* in *Libro Pontificali*, sive Vitis Pontificum Ravennatum, impudenter Historiam Romanorum Pontificum aspersit, magnâ curâ & eruditione detersit. Nec *Hieronymum Rubeum*, clarissimi aliàs nominis Scriptorem prætermisit, quin ejus in Ravennate Historia celebre commentum de præstito per Valentinianum III. Privilegio, quo scribitur *Augustum* Ravennati Ecclesiæ *duodecim Episcopos subjecisse*, & prættereà *Pallio* uti in sacris dedisse, validissimis rationibus confutaret. Vid. Præfat. Not. & Observationes ad *Agnelli* librum.

CAROLUS STENGELIUS Abbas Anhusanus edidit anno 1620. Augustæ Vindel. in 4. amplum *Commentarium rerum à S. Petro gestarum, è sacris Literis, sanctis Patribus, & probatissimis Scriptoribus.* Opus sanè præclarum in Capita plusquàm LX. distinctum, & dignum omnino, ut Paulo V. Pont. Max. ab Autore dedicaretur.

MABILLONIUS Musei Italici Tomo II. Num. XVII. condit Historiam de Electione Romanorum Pontificum, Onuphrium citans, qui hac de re Libros X. conscripserit. Ipse verò sex tantùm Periodis rem absolvit. Prima à sancto Petro ad Constantinum Augustum: secunda à Constantino ad Justinianum: tertia à Justiniano ad Carolum M. quarta inde ad Formosi creationem: quinta à Formoso ad Ottonem M: sexta denique ab hoc Ottone ad Fredericum Ænobarbum, seu ad Alexandrum tertium Papam, cujus tempore & cura electio ad solos Cardinales devoluta est.

Num. XVIII. Mabillonius exponit historiam texendo *ritus in consecratione Pontificis olim servatos.* Electioni Pontificis succedit ejusdem institutio, quæ duabus tebus peragitur, ordinatione videlicet & inthronizatione. Ordinatio in Vaticana S. Petri basilica, Inthronizatio In Lateranensi fieri consuevit. In his non constans ordo: nam etsi inthronizationem consecratio sæpiùs præcedere solebat, nonnunquã tamen inthronizatio præmittebatur, quemadmodùm ex mox dicendis constabit. Quinam ritus cum in inthronizatione, tum io ordinatione ante seculum XI. observati sint, ex Anastasio & ex Ord. Rom. libellis discimus. Pag. CXVI. seq.

VINCENTII THUILLIER è Congr. S. Mauri *Historia Constitutionis Unigenitus* sex voluminibus in 4. conscripta, nondum edita, sed Eminent. Cardinalis de Rohan manibus ab Autbore consignata, quæ quòd nondum publicam aspexerit lucem, in causa procul dubio est, quòd ejus doctissimus Author rebus humanis exemptus fuerit.

REMIGIUS CELLIER è Congr. Lotharingica *in Historia Generali Auctorum Sacrorum* notitiam de compluribus Romanis Pontificibus egregiam suppeditat. Sic *Tomo I. Cap. XI.* de S. Clemente Papa & Martyre disquirens, ejus non primam solùm, sed & alteram ad Corinthios Epistolam genuinam asserit, Canones verò Apostolorum, Libros decem Recognitionum, Homilias, & quæ præterea Clementi tribuuntur; item Acta Martyrii ipsius inter supposititia rejicit. *Tom. II. Cap. VII.* de S. Sotere Papa, mortuo an. 176. *Cap. XVII.* de S. Victore Papa agens, eum primò pacificas Montanistis dedisse, deinde autem à *Praxea* meliora monitum, revocâsse ait; quòd Ecclesias Asiaticas in celebrando Paschate cum reliquis consentire nolentes, communione ecclesiastica excluserit, id plerisque displicuisse, horum autem saniora monita, & consilia secutum *Victorem* Asiaticis non amplius gravem fuisse. Cæterùm de martyrio Victoris, quod nonnulli asserunt, tacet, atque an. 202. eum obiisse ait. *C.* 37. de S. Cornelio Papa, ejúsque Epistolis & martyrio sub Decio an. 242. tractat. *Tom. III. Cap. XI.* de S. Stephano Papa & Martyre, ejúsque Epistolis. *Cap. XIV.* de S. Sixto Papa & Martyre, ejúsque Scriptis supposititiis. *Cap. XVIII.* de S. Dionysio Papa Romano an. 299. orthodoxæ fidei strenuo defensore. *Tom. IV. Cap. XII.* de S. *Julio* Papa, Actisque ab eo in causa *Athanasii* contra Eusebianos in Concilio, quod postulaverant, Romæ comparere abnuentes, habitóque ibidem an. 341. Concilio, in quo *Athanasius* & *Marcellus* Ancyranus innocentes declarati sunt, commemorat. Addita est analysis præclaræ, ut ait Au-

Autor, ejusdem Papæ Julii ad Orientales Epistolæ, & reliqua, quæ hac in causa sub eo contigerunt, enarrata; adjecta etiam disquisitio de Epistolis *Julio* suppositis.

ANGELUS MARIA QUIRINUS Vitam Pauli II. præmissis Gestorum ejus vindiciis publicavit Romæ in fol. anno 1740.

-- EJUSDEM Eminent. Cardinalis Opus est, cujus titulus:

IMAGO *Optimi Sapientissimíque Pontificis expressa in Gestis Pauli III. Farnesii ad primos tantùm quinque annos ejus Pontificatûs spectantibus, quos nimirùm exhibent Monumenta in primo & altero Cardinalis Reginaldi Poli Epistolarum Collectionis Volumine comprehensa. Authore Eminent. S. R. E. Card. Angelo Maria Quirino. Brixiæ excudebat Jo. Maria Rizzardi an.* 1745.

§. IV.

Historias Episcopatuum, Vitásque ac Gesta Episcoporum qui conscripserint.

PAULUS DIACONUS, filius Warnefridi & Theodelindæ natus erat Aquileiæ. Magnum gratiæ locum obtinuit apud Desiderium Longobardorum Regem, in cujus aula fuerat educatus: erat enim ei à consiliis & secretis. Principe suo capto Carolum M. in Franciam sequutus fuit. Cùm Metis ageret, rogatu Angelramni Episcopi Gesta primorum hujus Ecclesiæ Antistitum in literas retulit. Sæpiùs ea typis data fuerunt, nempe à Marquardo *Frebero* anno 1613. in Corpore Histor. Franciæ, Andrea *du Chesne* inter Scriptores Rer. Franc. & *Lud. Muratorio* tom. 1. Script. Rer. Italic. Novissimè D. Abbas *Calmet* ea ex Codice perquàm vetusto S. Arnulphi Metensis Codici probationum Historiæ Lotharingicæ pag. 51 - 59. inseruit. Paulus Diaconus subinde in leges & jura D. Benedicti in Monte Casino concessit, ubi Historiam Longobardorum elaboravit, & Eutropium continuavit. E vivis excessit 799. Carolus Magnus non minimi illum fecit. Si Galesio credimus, Historiam quoque Episcoporum Parisiensium reliquit. At Galesium, inquit Muratorius l. c. tanti non facio, ut eundem in hac re judicem idoneum putem. Interea Muratorio ipsius Pauli testimonium respuere haud licet; sub finem enim libri VI. de Gestis Longobardorum, ubi Petrum Episcopum Papiensem laudat, hanc historiam se scripturum promisit. Gattola Hist. Cas. Sec. XIII. pag. 25. Fabric. B bl. med. Lat. vol. 5. pag. 620.

FLODOARDI, seu, ut alii scribunt, FRODOARDI, ex Remensis Ecclesiæ Presbytero & Canonico Monachi & Abbatis Cœnobii S. Remigii Remensis *Historia Ecclesiæ Remensis* quatuor libris comprehensa, quem ex vetustis illius Ecclesiæ Archivis, Conciliorum Actis, Gestis Martyrum, aliorúmque Sanctorum, Epistolis Pontificum. & ex aliis probatæ fidei monumentis eruit, ac concinnavit. Hanc à Flodoardo scriptam Ecclesiæ Remensis historiam vulgârunt Sirmondus Parisiis anno MDCXI. & Colvonerius Duaci anno MDCXVII. Graveson Hist. Eccl. Sec. x. Colloq. v. pag. 96. extat etiam in Bibliotheca Patrum.

HEIRICUS, seu *Hericus*, vel *Ericus* S. Germani Autissiodorensis Monachus scripsit Gesta Episcoporum Autissiodorensium, collaborantibus *Rainogala*, & *Alago*, Canonicis. ut patet ex cap. 39. ubi Hericus Theosophus simul & Monachus appellatur. Nat. Alex. H. E. tom. 6. c. 3. pag. 67.

HUGO, Abbas Engolismensis, Sec. XI. scripsit Historiam *de Gestis Pontificum Engolismensium*, cujus fragmentum du Chesne affert in Nonnannicis pag. 19.

Historiam Episcoporum Trajectensium, seu *Leodiensium* (sedes enim Trajectensis Leodium posteà translata est) plures è nostris condiderunt. *Notkerus* ex Monacho San-Gallensi Episcopus Leodiensis, & *Herigerus* Lobiensis in Episcopatu Leodiensi Abbas, conjuncta opera, ut Oudino videtur, eam scripserunt, qui hac de re legendus est Tom. II. pag. 484. Hanc historiam verò sub nomine *Herigeri* Lobiensis Abbatis edendam curavit Leodii in 4. anno 1612. *Joannes Chapeaville* inter Scriptores Rerum Leodiensium. *Joannes Stabulanus* Cœnobii S. Laurentii apud Leodienses Abbas elucubravit Chronicon Leodiense à S. Materno, ad annum Christi MCCCCXLIV. quod subinde editum esse à *Joanne Chapeaville* inter Scriptores Rerum Leodiensium Tomo III. Leodii anno 1613. in 4. scribunt Swertius, Vossius, Miræus: sed in Chapeavillii tribus tomis Gesta Pontificum Leodiensium complexis, qui lucem viderunt Leodii an. 1613. frustra Stabulanum Lossensémque quæsiveris, inquit Fabric. Bibl. med. Lat. lib. IX.

lib. IX. pag. 429. *Joannes*, Abbas Lossensis, quemadmodùm Joanni Stabulano in Abbatia S. Laurentii successus est, ita ei quoque in officio Historici successit, describens accurato calamo *Res Gestas in Episcopatu Leodiensi* ab anno 1449. ad an. 1459. quod Opus Msc. extat in S. Laurentii cœnobio asservatum, atque editum videtur loc. cit. à *Joanne Chapeavillio* Collectione Scriptorum *De rebus Leodiensibus*. Oud. Tom. 3. pag. 2564. & quos citat. *Cornelii Santfliet* Monachi in Cœnobio S. Joannis Leodiensis liber *De Gestis Episcoporum Leodiensium*, quem passim laudat Chapeavillius in Notis & Observ. ad Historicos Leodienses. Andreas Valerius in Bibl. Belg. n. 63. Oudin. l. c. p. 2567. *Ægidius* Aureæ-Vallis Monachus Leodiensium Pontificum Gesta ab Anselmo Leodiensi Canonico descripta additamentis pluribus adornavit. Jo. Launoius de Schol. celebr. cap. 33. pag. mihi 40. *Adrianus de veteri Busco*, Monachus S. Laurentii res Leodienses sub Johanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio gestas memoriæ prodidit egregio opere, quod in Edmundi Martene & Ursini Durand Collectione amplissima tomo IV. p. 1100. exhibetur; quorum etiam *Observationes de Episcopis Leodiensibus* Præfat. in cit. Tom. IV. §. II. legi merentur.

ADSONIS ex Monacho Luxoviensi Abbatis Dervensis circa an. 971. *Historia Episcoporum Tullensium*, quam ex vetusto Msto Codice Abbatiæ S. Mansueti, &, ut apparet, apographo ipsius autographi Adsonis, Abbas Clamet Codici probationum Historiæ Lotharingicæ tom. 1. pag. 83. intexuit; cùm jam priùs ejus partem Edmundus Martene Thesauri Anecdot. pag. 989. vulgâsset: cùm verò isthæc Historia magni sit momenti pro Diœcesi Tullensi, laudatus Abbas integram edidit: cui etiam *Epitaphia Episcoporum Tullensium*, seu *Cedulas cujuslibet Episcopi* à S. Leone IX. usque ad Hectorem de Rupe forti sexagesimum nonum hujus Sedis Episcopum an. 1532. defunctum subjecit.

THEODERICI, Monachi S. Mathiæ Treviris, qui vivebat circa an. 1012. *Gesta Trevirorum*, seu *Historia Trevirensis*, quā continuavit Gloscherus ejusdem Abbatiæ monachus, qui non ita diu post in vivis agebat, & ad an. 1152. perduxit. Lucas Acherius hanc Episcoporum Trevirensium historiam vulgavit Tom. XII. Spicilegii vet. edit. pag. 196. Tom. II. nov. ed. pag. 208. sub nomine *Historia Trevirensis*, depromptam ex Bibliotheca Monasterii S. Cornelii Compendiensis. D. Abbas Calmetus eandem Historiam ex autographo, quo ipse Theodericus videtur usus fuisse, Codici probationum Historiæ Lotharingicæ tom. 1. p. 2-50. inseruit, omissis tamen consultò primis novendecim Capitibus, & deinde 22. 23. 24. & 25. quibus res satis incertæ continentur, quæque apud alios meliùs legi poterunt, cùm præcipuus ipsius scopus tantùm fuerit, Gesta primorum Trevirensium Archiepiscoporum lectori exhibere.

BALDRICUS ex *Burguliensi* apud Andegavos Abbate *Dolensis* in Aremorica Archiepiscopi an. 1114. scripsit *Pontificum Dolensium Gesta*. Nat. Alex. Hist. Eccl. Sæc. XII. cap. VI. art. IV. Tom. VI. p. 516.

THEODERICUS, Monachus & Scholasticus Cœnobii S. Albani prope Moguntiam Seculo X. circa an. 985. claruit, atque *Successiones & Gesta Archipræsulum Moguntinensium usque ad sua tempora brevi & utili compendio continuavit.* Trith. in Annal. Hirs. ad an. 985. pag. 127. Georg. Helwich in Chronico Monasterii S. Albani cap. IX.

JOANNES S. Albani Monachus prope Moguntiam doctissimus, qui circa an. 925. floruit, sed ante *Theodericum* modò laudatum: scripsit ad Hildebertum Archiepiscopum Moguntinum Chronicon, sive Historiam Archiepiscoporum Moguntinensium libros duos, quorum primus continet successiones & gesta tredecim Episcoporum Moguntinensium à sancto Crescente, qui fuit primus, inclusivè usque ad Gerliebum, qui Episcoporum extitit ultimus. Secundus verò continet successiones & acta duodecim Archiepiscoporum à sancto Bonifacio, qui primus extitit, usque ad ipsum Hildebertum, qui duodecimus fuit. Trith. l. c. ad an. 925. *Joannis* igitur Historiam in compendium redegisse videtur *Theodericus*.

Historiam Episcoporum Virdunensium à *Bertario* seu *Bercario* Ecclesiæ Virdunensis Presbytero scribi cœptam plures Benedictini continuarunt; è quibus primus fuit Cœnobita Monasterii S. Vitoni, cujus nomen ignoratur, qui vivebat sub Theoderio XL. Episcopo Virdunensi, & a quo habemus vitas octo præcedentium

Epi-

Episcoporum. Alter est *Laurentius Leodiensis*, qui primitùs fuit Monachus ad S. Laurentium ejusdem civitatis, postea verò in Monasterium S. Vitonis Virdunensis commigravit. Hic vitas Episcoporum Virdunensium à Theoderico XL. Episcopo usque ad Alberonem XLVI. Episcopum prædictæ urbis conscripsit. Tertius est iterum Monachus S. Vitoni, qui historiam Laurentii Leodiensis prosequutus est usque ad Guidonem de Melloto Episcopum LV. Virdunensem. Hos Authores cum literario otbe comunicavit D. Abbas Calmet in Codice Probationum Histor. Lothar. tom. 1. pag. 149. Quibus accedere potest Hugo Flaviniacensis, cujus Chronicon Virdunense optimi commatis jam lucem vidit in Nova Bibl. Labbe.

Gesta Trevirensium Archiepiscoporum ab an. DCCLXXX. ad annum MCCCCLV. edidit ex mſ. codice insignis Monasterii S. Maximini Edmundus Martene Collect. Ampliss. Tom. IV. ubi in præfatione, haud sibi de eorum scriptore constare profitetur; illud tamen se pro comperto habere subjicit, plures S. Mathiæ Monachos, *Florbertum*, *Eberhardum*, *Adelbertum*, *Theodericum*, *Golcherum*, *Joannem* &c. hanc olim in se provinciam suscepisse; unde non immeritò eos pro authoribus Gestorum à se edendorum haberi posse existimat.

ALCUINUS, teste Caveo, scripsit carmine heroico librum de *Pontificibus & Sanctis Ecclesiæ Eboracensis*. Hoc Poëma versus 1658. continens, ex codicibus MSS. Remensi, & S. Theoderici propè Remos à *Joan. Mabillonio* ad se transmissum, publici juris fecit *Tomas Galeus*, *Rer. Anglic.* tom. III. pag. 703. Vid. M. B. E. *v. Alcuinus* pag. 242.

SIMEON, vel SIMON Monachus & Præcentor Dunelmensis, qui studio rerum historicarum celebre per universam Angliam sibi nomen acquisivit, sub annum 1130. *Historiam*, Pitseus *Epistolam* vocat, scripsit *De Archiepiscopis Eboracensibus ad Decanum Eboracensem*, cui Richardus Hagulstadensis Prior libros duos *de Statu & Episcopis Ecclesiæ Hagulstadensis* annexuit.

GERVASII MELKELAIA Monachi Cantuariensis sub annum 1190. *Vitæ Pontificum Cantuariensis Ecclesiæ*, quæ in Seldeni Collectaneo Historicorum Angliæ continentur.

Catalogus Episcoporum Hildenesheimensium sumptus de Chronico Eggehardi Uragiensis Abbatis ad Egbertum Corbeiensem Abbatem, prodiit in lucem in Leibnitii Tomo I. Scriptor. Rer. Brunsv. pag. 772. eum etiam jam ediderat Browerus. Idem Leibnizius verò ejusdem Eggehardi Chronicon Episcoporum Hildesheimensium Tomo II. Scriptorum Rer. Brunsv. pag. 742.-762. inseruit. Obiit Eggehardus anno 1136.

ADEMARI Monachi Engolismensis in S. Eparchi Cœnobio circa annum 1030. clari *Historia de Gestis Pontificum & Comitum Engolismensium*, cujus fragmentum edidit Duchesnius in Normannicis pag. 19. sed illa in MSS *Hugoni* Abbati Engolismensi tribuitur, è qua etiam loca produci à Joanne Beslyo in Historia Comitum Pictaviensium pag. 391. 417. 442. 460. 475. 476. notavit Jacobus le Long in Bibl. Hist. Franc. pag. 157. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 36.

GOTSELINUS ex Bertiniano Monachus Cantuariensis Historiam, ut vocant, *minorem*, de vita, *majorem* de miraculis S. Augustini Anglorum Apostoli & primi Cantuar. Archiep. literis tradidit. *Majorem* edidit Mabillonius in Actis Benedictin. Sec. I. pag. 535. *Minorem* Dacherius in appendice ad Lanfranci Opera Parif. 1648. pag. 57. sed nomine authoris & integro xxxvi. Capitulo destitutam. Whartoni Critica Præfat. ad Tom. 2. Angliæ Sacræ pag. vii. miracula pro fabulis explodit, sed hoc facit more Acatholicorum Scriptorum.

S. ANSHARIUS, Septentrionis Apostolus, scripsit vitam S. *Willehadi* primi Bremensium Episcopi; Vitam verò S. *Anscharii* scripsit S. *Rembertus*, Episc. Hamburgensis. Vide Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 1. p. 292.

WILHELMI Monachi & Bibliothecarii Malmesburiensis Libri III. de vita S. Wulstani Episcopi Wigorniensis extant Angl. Sac. pag. 239-276.

OSBERNI Præcentoris & Supprioris Ecclesiæ Christi Cantuariensis Libri de Vita S. Bregwini Archiepiscopi Cantuariensis Angliæ Sacræ Tom. II. pag. 75-77. Judice tamen Whartono hæc vita rectiùs Joanni Tinmuthensi etiam Benedictino tribuitur. Etsi enim ab Osberno scriptam fuisse antea censuerit, postea tamen in præfatione notavit, se Bregwini vitam in

in Joannis Tinmuth Sanctilogio invenisse, & deprehendisse, quòd Joannes ille Tinmuth hanc vitam ex uberiori Eadmeri commentario, retentis ut plurimùm ejusdem verbis hauserit.

EADMERI Præcentoris Ecclesiæ Christi Cantuar. & Episcopi electi Santandreani in Scotia

Vita S. *Anselmi* Archiepiscopi Cantuariensis in Actis Sanctorum Tomo II. Aprilis pag. 866. & alibi, quæ verò huic vitæ desunt in vulgatis exemplaribus, supplevit Whartonus Angl. Sac. tom. 2. p. 181-183.

-- Vita S. *Bregwini* Archiepiscopi Cantuariensis ibid. p. 184-190.

-- Vita S. *Oswaldi* Episcopi Wigorniensis p. 191-210.

-- Vita S. *Dunstani* Archiepiscopi Cantuar. pag. 211. Criticam vide apud Wharton in Præfat. Angl. Sac. tom. 2.

-- Vita *Gundulfi* Episcopi *Roffensis*, authore Monacho Roffensi coætaneo, vixit autem Gundulfus Sec. XII. S. Anselmi fidissimus amicus. Extat Angl. Sac. tom. 2. p. 273-292.

-- Vita S. *Dubricii*, Archiepiscopi Urbis Legionum authore Benedicto Monacho Claudiocestrensi, l. c. pag. 654-666.

STEPHANUS EDDIUS, sive *Heddius*, Monachus Cantuariensis scripsit circa an. 720. Vitam S. Wilfridi I. Eboracensis, atque inde Hagulstadensis Episcopi defuncti an. 709. Edita est ex Mf.to Sarisburiensi à Thoma Galeo inter Scriptores quindecim Oxoniæ 1691. fol. pag. 40. cùm minùs integram è Mf.to Cottoniano vulgasset Mabillonius Sec. IV. Benedictini part. 1. pag. 671. & part. 2. p. 550. supplementum nactus ex Codice Sarisburiensi ab Eduardo Bernardo. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 5. pag. 243.

ALEMANNUS, Monachus Altivallerensis, circa an. 868. scripsit vitas S. Nivardi, Archiepiscopi Remensis, *Memmii*, primi Episcopi Catalaunensis. Vid. Jo. Mabillonii observationem ad Alemanni Epistolam ad Theudoinum Præpositum Catalanensem Tom. II. Analect. pag. 94. edit. novæ in fol. pag. 425.

SIGEBERTUS Gemblacensis, author est vitæ S. Theoderici Episcopi Metensis, quam Leibnitius edidit Tomo I. Scriptor. Rer. Brunsw. pag. 293. *Acta* etiam S. *Theoderici* Episcopi Leodiensis si non primus conscripsit, ea tamen mutato stylo retulit, quæ Ægidio in vita hujus S. Episcopi insignem præstiterunt usum, attestante Chapeavillio tom. 1. Scriptor. Rer. Leod. p. 102.

ANONYMUS Admontensis Monachus in Styria scripsit vitam S. Eberhardi Salisburgensis Archiepiscopi.

BERNO Augiæ Divitis Abbas scripsit vitam S. *Udalrici*, Episcopi Augustani, obviam apud Laurentium Surium, Socios Bollandianos in Actis Sanctorum IV. Julii, & in Velseri Operibus pag. 596.

NORBERTUS secundus Abbas Iburgensis vitam Bennonis, secundi ejus nominis Episcopi Osnabrugensis, Fundatoris Monasterii Iburgensis O. S. B. in literas redegit, quam J. G. Eccard tom. II. Corp. Hist. med. ævi inseruit.

CAROLUS STENGELIUS scripsit ac edidit vitam S. *Wicterpi*, Episcopi Augustani, Augustæ in 8. an. 1607. Item vitam S. *Simperti* Ep. Aug. ibid. an. 1615. in 8.

ANONYMI *Benedictini* Disquisitiones in vitam & miracula S. Vitalis, Episcopi Salisburg. & Confessoris ex antiquis Monumentis collectæ Salisburgi 1663. in 4.

-- EJUSDEM Historia de Translatione Traject. & Martini Turon. Epp. Salisburgum. an. 1664. in 4.

At enim non vacat modò omnes eos Authores hìc recensere, qui vitas SS. Episcoporum sigillatim in literas retulerunt. Qui verò Benedictini de Episcopis & Archiepiscopis Moguntinis speciatim scripserint, vide Georgium Christianum Joannis in Præfat. Vol. I. Rer. Mogunt. §. 4. Invenies ibi *Goswinum*, *Sigehardum*, *Wilibaldum*, *Othlonum*, *Ruthardum*, *Meginfridum*, *Rudolfum*, *Trithemium* &c. omnes ex Ordine S. Benedicti, qui unius alteriúsque Episcopi vel Archiepiscopi Gesta scriptis tradiderunt.

GUILELMUS SOMERSET, Monachus & Bibliothecarius Malmesburiensis in Anglia scripsit *De Gestis Pontificum Anglorum* ad annum circiter 1125. libros IV. quorum *primus* est de Cantuariensibus, Roffensibúsque. *Secundus* de Londinensibus, atque Orientalium Anglorum, Occidentaliúmque Saxonum Episcopis & Monasteriis. *Tertius* de Eboracensibus, Hagulstadensibus, & Witternensibus, Candidæ Casæ, Lindisfarnensibus, Legecestrensibus, Dorcestrensibus, sive Lincolniensibus, atque Eliensibus.

Hæc

Hæc scripta Guilielmi prodiere in Collectione Historicorum Angliæ post Bedam præcipuorum, curante Henrico Savilio Lond. 1596. & Francof. typis Wechelianis 1601. fol.

Librum V. de Pontificibus Anglorum primus edidit Henr. Whartonus in limine Tomi II. Angliæ Sac. Lond. 1691. fol. & sub idem tempus Thomas Galeus inter Scriptores XV. Oxon. fol. 1691. pag. 337. in eo præter plures *de Antiquitatibus Malmesburiæ* chartas continetur Vita S. *Aldhelmi* Schireburnensis Episcopi, cujus solam epitomen Baleus viderat, edideràtque Mabillonius Sec. Benedictini IV. pag. 726. Fabr. Bibl. med. & inf. Lat. lib. vii. p. 452.

STEPHANUS BIRCHINGTON, Ecclesiæ Cantuariensis Metropolitanæ Monachus fuit, vico de *Birchington*, in insula Taneto oriundus. Scripsit *Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium usque ad Guilhelmum Curcæum.* Duplicem verò historiæ suæ editionem adornavit. Prima, quæ in an. 1368. desiit, edita fuit à Whartono Angliæ Sacræ Tomo I. pag. 1 - 48. ex codice Bibliothecæ Lambethanæ. Altera editio auctior, & ad annum circiter 1382. deducta Whartono frustra quæsita fuit, cujus copiam tamen aliquando Jocelinus habuit. Præterea *Birchingtonus* scripsit *Catalogum Episcoporum Eliensium.* Claruit circa an. Dom. 1380. Pitseus æt. 14.

BARTHOLOMÆI COTTON, Monachi Norwicensis, circa a. 1300. Historia *de Episcopis Norwicensibus* ab Henrico. Wharton vulgata Angliæ Sacræ tomo 1. pag. 403. quam Historiam Monachus Norwicensis anonymus continuavit, cujus continuatio ibidem l. c. p. 413. quo loco Whartonus etiam intexuit excerpta ex *Cottoni* Historiæ Anglicanæ libro tertio *de Episcopis & Archiepiscopis Angliæ.*

BERNARDI NORICI, Cœnobitæ Cremifanensis, seu Crembsmünsteriensis in superiore Austria Chronicon de Laureacensibus, & Pataviensibus Pontificibus ab Hieronymo Pezio editum tomo I. Scriptorum Rer. Austr. à col. 1297. ad 1310.

CHRONICON SALISBURGENSE à S. Rudberto usque ad annum Christi MCCCCXCV. Authore anonymo San-Petrensi Cœnobita, nunc primùm vulgatum ex codice Seculi XV. Monasterii ad S. Petrum Salisburg. ab Hieron. Pezio tom. 2. Script. Rer. Austr. pag. 427.

JOANNES TRITHEMIUS vitas & res gestas Episcoporum Herbipolensium libro suo *de Origine Francorum* inseruit. Quo in vitulo, inquit Illust. Ludewigius de Script. Wirzeburg. Præfat. §. xiv. Casparus Bruschius, aliique succedente tempore Scriptores rerum Herbipolensium strenuè araverunt.

PAULUS LANGIUS, Cygnæus, Monachus Bozaviensis, Trithemii discipulus, Chronica Numbergensis Ecclesiæ omnium Episcoporum à tempore Ottonis M. ad Carolum V. seu ab anno 968. ad 1515. elucubravit. Extant apud Pistor. R. G. Scriptor. Tom. I. pag. 1117. Novissimè J. B. Menckenius Collectioni suæ Scriptor. R. B. tomo 1. inseruit. Eadem Chronica Germanicè cum Authoris Dedic. ad Jo. Wellenecker Civem Citicensem, & Philippi Episc. Frising. & Numburg. Palatini Rheni & Duc. Bav. Consiliarium data Posaviæ an. 1536. in. 4.

CHRISTOPHORI HOFFMANN, Monachi ad S. Emeramum Historia de Episcopis Ratisbon. Extat inter Mss. Codd. Bibliothecæ ejusdem Monasterii N. 522. Vid. Bibl. San-Emmeram. tom. 2. pag. 53.

MATHIAS DIEFFNBACH, Monachus in Cœnobio D. Jacobi, quod Moguntiæ in Monte speciofo est, Catalogo Abbatum hujus Monasterii *Episcoporum & Archiepiscoporum seriem* usque ad sua tempora præmisit. Manuscriptum est, quod se tractasse, *Joannis Cratonis Hegell*, Poliatri Confluentini, beneficio testatur Georg. Christ. Joannis præfat. ad Vol. I. Rer. Mogunt. pag. 4.

MONACHI ANONYMI *San-Sulpitiani* in Suburbio Bituricæ Civitatis *Historia Patriarcharum*, *Archiepiscoporum Bituricensium*, *Primatum totius Aquitaniæ à S. Ursino ad Jacobum Regium XCV. Archiepiscopum.* Vulgata fuit à Philippo Labbeo S. J. in Bibliotheca Mss. Tom. II. pag. 3-150. ex Codice Ms.to, ipsóque, ut Editor existimabat, Scriptoris autographo, quem nonnulli fuisse contendunt *Benedictum Vernier*, sed non satis firma conjectura.

GOLSCHERUS S. Mathiæ prope Trevirim Monachus, *Gesta Trevirorum* literis tradidit, quæ *Lucas Acherius* Tomo XI. Spicilegii, principio & fine truncata vulgavit. Perfectiorem editionem Petr. Franc. Chiffletius in Triade Dissertationum Paris.

anno 1677. in lucem emissa his verbis pollicitus est: „Ne mirare, hæc non „ reperiri apud Lucam Dacherium, „ qui Tomo II. sui Spicilegii hoc „ ipsum Opus edidit, non modò ano- „ nymum, sed etiam à capite & à cal- „ ce truncatum, immò & plurimis „ spoliatum Ecclesiæ Trevirensis Di- „ plomatibus, quæ Golscherus libro „ suo intexuerat. Dolui certè sic de- „ formatum priùs prodiisse, quàm de „ illo edendo cogitari intelligerem; „ alioquì meum exemplar viro de „ Christiana republica benè merito, „ mihíque amicissimo libentissimè ex- „ hibiturus: quamvis (ut verum fa- „ tear) non paucis mendis scateat. „ Dabo autem ego ipse illud in lu- „ cem, si Deus faverit, cùm ex Mss. „ aliquot Codicibus illud emacula- „ vero, & ad autoris non indiserti „ mentem atq; ingenium restituero.„ Hæc Chiffletius, cujus promissa editio an subinde lucem publicam aspexerit, parùm compertum habeo.

Novam etiam editionem meditatus est Joannes Udalricus Pregizer Seren. Ducis Wirtenberg. Consiliarius, & in Academia Tubingensi Historiarum Professor, de qua ad D. Tenzelium (vide hujus Colloq. Menstr. an. 1698. m. Febr. pag. 101.) anno 1692. 4. Martii hæc perscripsit: „Petri Fran- „ cisci Chiffletii Triadem Dissertatio- „ num ad manum non habeo, sed „ videbo, an comparare possim. Au- „ ctor Trevirorum Historiæ, de qua „ ad Paullinum scripsi, est Canonicus „ quidam Trevirensis, sed cujus no- „ men necdum rescíscere potui. Lu- „ cam Dacherium non habeo in mea „ Bibliotheca, ut conferre cum illo „ exemplar manuscriptum istius Hi- „ storiæ possem: est autem illud inte- „ grum initio & fine, atque incipit „ ab illo famosissimo Trebeta, & de- „ finit in anno post Christum natum „ MCXXXII. scriptúmque adeò est „ sub Meginhero & Adelberto Archi- „ Episcopis Trevirensibus. Exemplar „ quod habeo, caret mendis, sed „ multa superstitiosa quoque, prout „ genius est illius religionis & seculi, „ in se continet. An Chiffletius pro- „ missis steterit in edendo isto Opere „ de Gestis Trevirorum, nec ipse scio. „ Interea gratias ago, quod certiorem „ me de quibusdam ad hoc argumen- „ tum pertinentibus facere voluisti. „ Acquisivit Codicem membrana- „ ceum, de quo ad Paullinum retuli, „ in peregrinationibus suis perdoctus „ quondam Joannes Ludovicus Guth „ à Sulz, Consiliarius Wirtembergi- „ cus, & Gynecæi in Aula Magister, „ Stipendii cujusdam pro Theologiæ „ Studiosis Fundator, & Bibliothecæ „ atque Cimeliarchii instructissimi col- „ lector. Ab hoc per Testamentum „ cum parte quadam Bibliothecam „ Consilii Superioris Justitiæ, quod est „ Stugardiæ, in qua illum neglectum „ diligentiùs habui, & totum meâ „ manu descripsi. Deprehendi au- „ tem ex Descriptione Bibliothecæ „ Vindobonensis auctore Lambecio „ Lib. II. pag. 977.) hunc Codicem „ in Augusta illa Bibliotheca asserva- „ ri quoque, & in manus quondam „ celeberrimi Bruschii venisse, qui in „ animo habuit, illum suis Notis il- „ lustratum edere. Invenio quoque „ hoc Codice usos fuisse Scriptores „ alios Rerum Trevirensium, Browe- „ rum, Masenium, & Kyriandrum. „ Hunc Codicem ita descriptum à me „ obtuli biennio abhinc Eminentissi- „ mo Electori Trevirensi Augustæ „ Vindelicorum, dicens, me in ani- „ mo habere illum Codicem publicè „ edere, ut ita initium quoddam Hi- „ storiæ Germaniæ à Collegio Impe- „ riali perscribendæ fieri posset ab illa „ Historia Trevirensi, quæ omnium „ non in Germania tantùm, sed to- „ ta Celtica videtur esse antiquissima. „ Placuit & manuscriptum meum ex- „ emplar, & animus Eminentissimo „ Principi Electori, qui dixit se sen- „ tentiam suam de edendo isto Codi- „ ce, cum primùm illum perlegerit, „ mihi iterùm significaturum per Can- „ cellarium Aulæ; sed intereà nihil „ hujus rei gratia ex ista aula, forsan „ ob belli impedimenta & mala, ad „ me perscriptum est: id tamen ut „ fiat, monebo proximè congruo lo- „ co. „ Hæc Pregizerus, qui, quæ in *Golschero*, quem Canonicum perperàm vocat, ad Lutheranorum salivam non esse advertit, superstitiones vocat.

In Bibliotheca Gymnasii Francofurtensis ad Mœnum habentur GOLSCHERI *Gesta Trevirorum* usque ad annum 1259. cum Appendice multorum Diplomatum. Codex membr. optimæ Notæ, adeóque dignissimus, qui cum accessionibus Historicis Leibnizianis conferatur. Vid. Tenzel in Colloq. Menstr. anno 1698. in Junio pag. 497.

JOANNIS SCHECKMANNI, Cœnobitæ S. Maximini Treviris, *Dissertatio*

in

in laudem Ecclesiæ Trevirensis, quæ MS.ta habetur, an etiam impressa? in Bibliotheca Monasterii S.Martini Majoris Coloniæ Agrippinæ.

GABRIEL BUCELINUS in Germaniæ Topo-Chrono-Stemmato-graphicæ Parte I. recenset ex ordine Cathedralium Ecclesiarum Præsules, & ab illis præclarè gesta. Aug. Vindel. anno 1655.

GREGORIUS de ARGAIZ, Lucroniensis, in Monasterio S. Salvatoris de Onna professus monachum, ac in Triciense seu Naxarense Deiparæ Virginis translatus scripsisse dicitur, ut ex relatione domestica se didicisse testatur *Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. Nov. pag.* 416. *Theatro Monastico y Obispos de Espanna*, i.e. *Theatrum Monasticum & Episcoporum Hispaniæ*, octo voluminibus; quorum tria legitimis approbationibus munita, atque editioni parata, sed utique absoluta omnia, superiore anno MDCLVIII. jam eum habere, ad eundem Nicolaum Antonium scriptum fuit. Quàm exigua verò fide Argaizii Opera digna sint, luculenter ex Cardinali de Aguirre alibi diximus. Author, qui ex simplicitate magis, quàm ex fraude & fallacia peccavit, naturæ debitum solvit anno circiter 1683.

JOANNIS FRANCISCI POMMERAYE è Congr. S. Mauri *Histoire des Archevêques de Roüen*, id est: *Historia Archiepiscoporum Rotomagensium*, fol. Rotomagi anno 1667. apud Laurentium Mauri. Ad calcem libri subjecta est Allocutio ad Regem, quæ an. 1658. à Francisco de Harlai hujus nominis III. in favorem trium Normanniæ Statuum habita fuit.

CLAUDII HUGONIS MATHOUD è Congr. S. Mauri *Catalogus Archiepiscoporum Senonensium ad fontes historiæ noviter accuratus in* 4. *Parisiis an.* 1688. Est quasi synopsis vitæ Archiepiscoporum. In fine Operis exhibetur apologia admodùm succincta pro Leotherico, seu Leutherico Archiepiscopo Senonensi, quem perniciosis iis erroribus, quos postea Berengarius evomuit, fuisse infectum, Baronius contendit. Vid. le Cerf. pag. 345.

FORTUNATI ULMI, Veneti, è Congr. Casin. in nobilissimo S. Georgii Majoris Asceterio Professi *Chronicon Patriarcharum Aquileiensium*, quod in Bibliotheca ejusdem Monasterii inter Codd. Mss. asservatur. Armell. B. C. part. 1. pag. 174.

VINCENTII BORGHINI, Itali, Florentini, Hospitalarii Innocentium in Urbe Florentiæ Prioris

Trattato della Chiesa, & Vescovi Fiorentini, i. e. *Tractatus de Ecclesia & Episcopis Florentinis*. Florentiæ ex Officina Giuntina an. 1585. Armell. l. c. part. 2.

PLACIDI PUCCINELLI, Abbatis Titularis è Congr. Casin. *Vita di S. Barnaba Apostolo, primo Pastore di Milano.* Impress. Mediolani anno 1684. in cujus fine edidit etiam Epistolam ejusdem S. Barnabæ, Vossianam editionem Epistolæ ejusdem sequutus, ut *Ittigius* (cujus verba inferiùs referemus) ex Actis Sanctorum Junii tomo II. pag. 458. animadvertit:

- Il Zodiaco della Chiesa Milanese, continente le Vite dei primi dodici Santi Arcivescovi suoi Pastori, distinto in tre parti. In Milano per il Malatesta l'anno 1650. in 4. pag. 409. Hic quoque in fine Vitæ S. Barnabæ, quæ ordine prima est in eodem Zodiaco, Epistola ejusdem S. Barnabæ impressa legitur. In fine verò vitæ *S. Ambrosii* adfertur Oratio, seu Epistola Symmachi ad Arcadium & Theodosium pro Ara Victoriæ, & ejusdem S. Ambrosii Responsio in Italicam linguam translatæ. *Vita di S. Simpliciano* decimo terzo Pastore di Milano. In Milano l'anno 1650. in 4. pag. 112. *Vita di S. Senatore Settala* vigesimo secondo Pastore di Milano. Ibidem eodem anno in 4. pag. 36. Ex Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 154.

HISTORIA SALISBURGENSIS, hoc est, *Vitæ Episcoporum & Archiepiscoporum Salisburgensium*: ac quæ per illos ab anno Domini 582. per XI. continua secula, usque ad annum 1687. gesta fuêre, historica relatione proposita: intermixtis insuper rebus memorabilibus, quæ illorum temporibus passim in orbe terrarum contigerunt. Auctore *Josepho Mezger*, San-Petrensi Monacho; Quo, cùm ad Ernesti Archiepiscopi tempora pervenisset, fatis intercepto, reliquam Operis partem ad finem perduxerunt germani fratres, Franciscus & Paulus Mezgeri, doctissimi pariter Monachi San-Petrenses. Salisburgi ex Typographeo Jo. Bapt. Mayer an. 1692. in fol.

BENEDICTUS BACCHINIUS *Agnelli* Abbatis primùm S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi Ravenatis, subinde verò Episcopi Ravenatium *Librum Pontificalem* sive *Vitas Pontificum Ravenatū* ex Bibliotheca Estensi eruit, eruditis Dissertationibus & Observatio-

nibus, nec non Appendice monimentorum illustravit, & auxit. Mutinæ typis Antonii Capponil an. 1708. in 4. Cl. Muratorius Tomo II. Scriptorum Rer. Italic. inseruit Mediolani 1723.

CORBINIANI KHAMM, San-Udalricani Cœnobitæ Augustæ Vindel. *Hierarchia Augustana Chronologica*, id est: *Series & Descriptio Augustanorum Episcoporum*, Augustæ typis Jo. Mich. Labhart an. 1712. in 4. cum supplemento anno 1717. in 4. Ætate *Khammiuin* antecessit

CAROLUS STENGELIUS, ejusdem inclyti Monasterii Professus, & Abbas Anhusanus, qui in Commentario Rerum Augustanarum anno 1647. typis in 4. dato Vitas Episcoporum Augustanorum scripto complexus est. Singulorum verò Descriptiones singulis Capitibus absolvit, incipiens à S. *Dionysio* primo Episcopo, & finiens in *Henrico* V. hujus nominis, LX Episcopo.

CAROLI MEICHELBECK, Benedicto-Burani è Congr. Bavarica *Historia Frisingensis*, i. e. Episcoporum Frisingensium, jussu, & auspiciis R.mi ac Celsiss. S. R. I. Principis ac Domini D.ni Jo. Franc. Episcopi Frisingensis, intermixtis, quantum opus videbatur, publicis Ecclesiæ atque Imperii Actis cum erudito Orbe communicata. Augustæ Vindel. an. 1724. sumptibus Fratrum Veithiorum Tomi II. in fol.

-- EJUSDEM *Breve Frisingense Chronicon*. Frisingæ an. 1724. in 4. Germanicè.

AUGUSTINI CALMET *Dissertationes*. I. De primis Episcopis Ecclesiæ Trevirensis cum syllabo chronologico Archiepiscoporum Trevirensium. II. De Episcopis primis Ecclesiæ Metensis cum syllabo chronologico Episcoporum Metensium. III. De primis Episcopis Ecclesiæ Tullensis cum syllabo chronologico Episcoporum Tullensium. IV. De primis Episcopis Virdunensis Ecclesiæ cum syllabo Episcoporum Virdunensium. Has Dissertationes R.mus Abbas Historiæ suæ Ecclesiasticæ & Civili Lotharingiæ Tomo I. à pag. II - XLVII. præmisit.

REMIGIUS CELLIER in Historia Generali Auctorum sacrorum de quàm multis celeberrimi nominis Episcopis notitiam tradit. Sic Tomo I. *Cap. XI.* de S. *Ignatio*, Episcopo Antiocheno. *Cap. XIII.* de S. *Polycarpo* Smirnensi. *Cap. XIV.* de S. *Papia* Hierapolitano. *Cap. XV.* de S. *Quadrato* Atheniensi, Episcopis exponit. Tom. II. *Cap. II.* de S. *Aberco*, Episcopo Hierapolitano. *Cap. III.* de S. *Melitone*, Episcopo Sardensi. *Cap. IV.* de S. *Dionysio*, Corinthiorum Episcopo. *Cap. V.* de S. *Claudio Apollinari*, Episcopo Hierapolitano. *Cap. XII.* de *Theophilo* Alexandrino. *Cap. XXVII.* de S. *Hippolyto* Episcopo, sed incertum cujus Ecclesiæ, Martyre, & Doctore insigni. Tom. II. *Cap. I.* de S. *Cypriano* Episcopo Carthaginensi. *Cap. IX.* de S. *Dionysio* Episcopo Alexandrino. *Cap. X.* de *Beryllo*, Episcopo Bostrensi, ab Origene à Sabellianismo revocato. *Cap. XV.* de S. *Anatolio*, Episcopo Laodicensi. *Cap. XVI.* de S. *Firmiliano*, Episcopo Cæsareæ Capadociæ, acri Pauli Samosateni adversario. *Cap. XVII.* de S. *Gregorio* Thavmaturgo, Episcopo Neo-Cæsariensi, ejúsque Vitâ per duos Articulos. *Cap. XX.* de *Archelao*, Episcopo Cæsareensi in Mesopotamia. *Cap. XXI.* de S. *Victorino*, Episcopo Petavionensi in Syria, Martyre, ejúsque Scriptis. Tomo IV. *Cap. I. Art. V.* de S. Methodio Episcopo, Doctore Ecclesiæ & Martyre, ejúsque libello *Convivium Virginum* inscripto. *Cap. II.* de S. *Alexandro*, Archiepiscopo Alexandrino, ejúsque certamine cum *Ario*, habitóque contra eum Alexandriæ an. 321. Concilio, & superstitibus duabus Epistolis ad Episcopos fusè tractat, *Cap. III.* de S. *Eustathio*, Episcopo Antiocheno, Confessore nominis & divinitatis Jesu Christi, ejúsque scriptis contra Arium. *Cap. VIII.* omnium amplissimo Articulis XXI. à pag. 154. ad 445 agit de Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo, cui Arianismi dicam impingendam esse negat, cùm subscripserit Concilio Nicæno, & expressis verbis præcipuos errores *Arii* in scriptis suis damnaverit; intereà amicitiam cum capitibus factionis Arianæ, violentiam adversùs Athanasium, Eustathium, aliósque Episcopos, & alia pro Arianis acta, minùs excusari posse fatetur. *Cap. XI.* de S. *Jacobo*, Episcopo Nisibensi, è vita anachoretica ad Episcopatum illum evecto, inque cultu & victu austeritatem anachoretarum retinente. *Cap. XIV.* de *Hosio*, sive *Osio*, Episc. Cordubensi & Confess. cujus studium in sopienda controversia paschali, compescenda hæresi Ariana, consilium Constantino M. datum de convocando Nicææ Concilio, auctoritas in eodem, Præsidis in Concilio Sardicensi an. 347. partes, firmitas adversùs Constantium Imperatorem in partes Arianas ipsum pertrahere nitentem, Epistola gravissima ad eum scripta, lapsus in Concilio Sirmiensi

per

per decrepitæ ætatis infirmitatem &c. commemorantur. „ Hæc pro specimine de quibusdam Episcopis sufficiant, qui plures nôsse cupit, Ceillerii Tomos evolvat.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Olomucium Sacrum*, sive *Historia Episcoporum Olomucensium* Tomis II. in fol. comprehensa, & prælo parata, post authoris obitum ab Ill. Comite de Giannini Cathedralis illius Ecclesiæ Scholastico, & ad S. Mauritium Præposito est subducta.

OLIVERII LEGIPONT Hierarchia Ecclesiastica Coloniensis Opere quadripartito illustrata, in obsidione Pragensi an. 1744. furto sublata interiit. Id tamen Operis denuò elucubrandum suscepit author. Ejus verò ichnographia typis vulgata hæc est: PARS I. *Veteres Ubiorum origines, rerúmque Civilium vicissitudines, fata & incrementa repræsentat.* PARS II. *Jura, prærogativas, dignitates & ornamenta Ecclesiæ Coloniensis exhibet.* PARS III. *Coloniensium Antistitum seriem Chronologico - historicè deductam complectitur.* PARS IV. *Dabit Bullas, Diplomata, Chartas, & alia probationum instrumenta, ad quorum amussim exasciata est Historia.*

§. V.

Scriptores Historiæ Conciliorum & Synodorum.

SMARAGDUS, natione Germanus, Abbas S. Michaëlis ad Mosam in Diœcesi Virdunensi scripsit *Acta Collationis Romanæ de Symbolo Constantinopolitano*. Anno octingentesimo nono Quæstio Romæ habita est inter Leonem III. & Bernarium Wormatiensem, ac Jesse Ambianensem Episcopos, nec non Adalardum Abbatem Corbeiæ veteris, Imperatoris Legatos de Symbolo Constantinopolitano, cum additione *Filióque* in Missarum solenniis cantando. Cantandi licentiam dederat Pontifex, non addendi. Unde Symboli cantum cum additione improbavit, & argenteas duas tabulas ad Confessionem S. Petri affigendas curavit, in quarum una Symbolum Latinè, in altera Græcè scriptum legeretur, absque ullo additamento, quò documentum daret posteris, Ecclesiam Romanam tesseræ fidei addere nihil voluisse. *Acta Collationis* à *Smaragdo* scripta Sirmondus Tomo II. Conciliorum Galliæ inseruit pag. 256. Labbeus tom. 7. pag. 1194. pag. 4. Harduin. V. pag. 969.

GERBERTI *Acta Synodi Remensis*. Anno Domini 991. in Gallia celebrata est Synodus Remensis, in qua Arnulphus Archiepiscopus Remensis injuste exauctoratus est, subrogato in ejus locum *Gerberto*, Monacho Floriacensi, Roberti Regis Præceptore, qui etiam paucis post annis creatus est Pontifex Maximus, & *Sylvester secundus* vocari voluit. Hic Gerbertus synodi illius historiam in literas retulit, quæ ex vetustissimo codice Micianensis quondam monasterii accepta, & typis vulgata est Francofurti anno Domini 1600. ediderunt etiam Centuriatores Magdeburgenses Centuria X. cap. 9. pag. 246. sed à Baronio ad an. 992. num. 9. seq. acritet oppugnata.

ANSELMUS, Monachus Remensis, scripsit de Conciliis, quæ S. Leo IX. Papa ab an. 1049. ad 1054. tum Remis tum in aliis Galliæ locis habnit. Baronius Acta hæc ceu fidelissimè scripta laudat, eáque Tom. XI. Annalium Ecclesiasticorum ad annum 1049. intexuit; nullo tamen Auctoris nomine præfixo, quia in codice, quo usus erat manuscripto, nomen illius desiderabatur. Goillelmus Marlottus Tom. 2. Metropolis Remensis Acta hæc ex alio Mſ. Codice emendatiùs publicavit.

EADMERUS, Monachns Cantuariensis, Historiam Concilii Rochinghamiæ in Anglia quinto Id. Martii an. Domini 1094. celebrati, in quo fermè totius Regni Nobilitas (præter Episcopos & Clerum) convenerat ad ventilationem hujus quæstionis, viz.

Utrùm salva reverentia & obedientia Sedis Apostolicæ posset (Archiepiscopus Anselmus) *fidem terreno Regi servare, an non?* inseruit suæ Historiæ Novorum, & ex illo Spelmannus tomo II. Conciliorum Angliæ p. 16.

ALANI ALBRETI, Angli, Abbatis Teukesburiensis, ex Monacho Cantuariensi an. 1201. defuncti *Acta Clarendonensia* Baleus memorat Lib. seu Centur. III. de Script. Brit. cap. 46. sive, ut Lelandus cap. 191. *De rebus gestis in Clarodunensi Concilio, ac post.*

LAMBERTI de STIPITE, *Prioris Conventualis de Bertreia*, Congr. Cluniac. Leodiensis diœceseos, Decretorum Doctoris, Legati Constantiensis Concilii *Epistola Historica* Dertusiæ in Hispa-

Hispania Constantiam perscripta die 22. Jan. ad Johannem Ostiensem Cardinalem Vivariensem de fatis citati Paniscolæ Papæ Benedicti XIII. h. an. 1417. d. 7. Martii Constantiam perlata, in sequenti Sessione oblata. Ejus Conlegatus fuit *Bernardus de Blancha*, natione Anglus, Sacrista Monasterii S. Crucis Burdegalensis, Decretorum Doctor. Memorabile sanè & festivum erat primum colloquium, quod hi duo Legati, JCti, Monachi Nigri, hic Anglus, ille Germanus, Paniscolæ ad Pseudo-Papam admissi, cum eodem instituerunt, ut ex Poggio Florentino memorant Spondanus & Bzovius. Quamprimùm scilicet Papa duos istos Legatos Monachos nigros ad se accedere vidit, *Synodales*, inquit, *corvos audiamus*. Illi æquè promptè, falis haud immemores, authoritati Concilii tuendæ imminentes, *Minimè*, inquiunt, *mirum videri debet, si corvi ad dejectum cadaver accedimus*. Eorum Epistolam historicam publicavit van der Hardt Concil. Constant. Tom. IV. col. 1124. & seq.

JOANNES TRENBEKIUS, Abbas Lunælacensis, Historiam Concilii Constantiensis, cui Alberti Rom. Regis & Henrici Bojoariæ Ducis Legatus intererat, literis mandavit, quæ Mf.ta in hujus Monasterii Bibliotheca asservatur. Vide Chron. Lunælac. p. 198.

ANONYMUS Cœnobita Monasterii Augiensis, vulgò Augiæ Divitis ad Lacum Acronianum, Sermones Latino idiomate habitos in Concilio Constantiensi, à variis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque præcipuis Ecclesiæ Patribus de diversis argumentis & casibus collegit, conscripsit, & in duos Mf.tos Codices redegit. Frontem libri exornant duæ aquilæ cum hac epigraphe: *Aquila Bohemiæ, Aquila Hungariæ*. Qui status verò Ecclesiæ & Reipublicæ id temporis fuerit, à Monacho Augiensi, qui Concilio Constantiensi præsens adfuit, his ipsis verbis descriptus est: *Recessit Lex à Sacerdotibus, Justitia à Principibus, Consilium à Senioribus, fides à populo, à filiis reverentia, à subjectis charitas, à Prælatis religio, à Monachis devotio, à Monialibus honestas, à Juvenibus disciplina, à Clericis doctrina, à Magistris studium, à Scholaribus timor, à Servitoribus æquitas, à Judicibus integritas, à militibus fidelitas, concordia à civibus, communitas à rusticis, bonitas ab artificibus, veritas à mercatoribus, largitas à divitibus, munditia & fiducia à Conjugatis. Et nunc quid fratres, nisi venite ante Christum, Amen. Christus quasi nullus habetur, & à potentibus hujus seculi velut peregrinus reputatur*. Vid. Pregizer in Itinerario Helvetico pro lustrandis Constantiensis Concilii Mf.tis Codd. apud Hermanum von der Hardt in Prolegom. ad Concil. Constant. pag. 3.

JOANNES STOWE, vel *Stonus*, Monachus Nordwicensis interfuit, teste Roberto Talboto, Concilio Basileensi, quod ab anno 1431. incœptum, per octodecim annos usque ad annum 1448. continuatum est, & ejus historiam atque Acta conscripsit. Vid. Baleus XI. 44. & Pitseus æt. 15. pag. 628.

LEANDRI à S. MARTINO, Viri doctissimi, ac Præsidis Congregationis Anglicanæ *Historia & Harmonia Conciliorum*, Francof. an. 1618. in fol.

ALEXIUS LOBINEAU è Congr. S. Mauri Historiæ suæ Minoris Britanniæ an. 1707. Parisiis in publicam lucem datæ multa passim de Conciliis & Synodis inspergit, v. g. *Turonensi* an. 461. 566. & 1096. *Venetico* anno 468. *Nannetensi* an. 658. 1105. 1110. & 1121. *Parisiensi* an. 849. *Tullensi* an. 859. *Trecensi* an. 867. *Santonensi* an. 871. & 1080. *Remensi* an. 1048. 1119. & 1148. *Rhedonensi* an. 1079. 1133. 1175. 1209. & 1273. *Pictaviensi* an. 1079. & 1100. *Incolismensi* an. 1118. *Dolensi* an. 1128. *Senonensi* an. 1140. *Clermontano* an. 1094. *Abrincensi* an. 1172. *Melodunensi* an. 1216. *Bituricensi* an. 1226. *Castrogonteriensi* an. 1299. *Constantiensi* an. 1414. *Basileensi* an. 1442. & *Pisano* an. 1510. quorum nullius historiam intactam reliquit. Vid. Act. Erud. Lipf. an. 1710. pag. 20.

JOANNIS ROBERTI QUATREMAIRES è Congr. S. Mauri *Concilii Remensis*, quod in causa *Godefridi* Ambianensis Episcopi celebratum fertur, falsitas demonstrata. in 8. Paris. anno 1663.

ALEXANDRI LELLI è Congreg. Casin. *Lectiones Conciliares*, quas Romæ in Academia Conciliorum apud SS. Cosmam & Damianum instituta, olim habuerat. Opus Msc. Vid. Armell. part. 1. pag. 4.

JOSEPHI SAENZ, Cardinalis de Aguirre *Notitia Conciliorum Hispaniæ*, Salmanticæ an. 1686. Vide recensionem Operis in Actis Erud. Lipf. an. 1688. pag. 71. & 1694. p. 447.

EJUS-

-- EJUSDEM *Collectio Maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis* &c. Vide suprà Cap. 2. Sect. 1. §. 7.

AUGUSTINI REDING, Abbatis & Principis Einsidlensis *Veritas inextincta Concilii Tridentini.* Tomi V. in fol. typis Monasterii Einsidlensis an. 1684.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND *Observationes Historicæ* de celebratis ab Eugenio III. Papa *Treviris* & *Remis* Conciliis. Collect. ampl. tom. 2. præfat. §. IV.

-- EORUNDEM *Observationes Historicæ* de Conciliis Perpinianensi, Aquilegiensi, & Pisano. Collect. ampl. tom. 7. §. 9. *Constantiensi* ibid. §. x.

-- *Acta* varia ad Concilium Basileense pertinentia. Præfatione prolixa in Tom. VIII. Collect. ampl. Accessionibus etiam non contemnendis Acta Concilii Constantiensis ornavêre.

MATHÆI PETITDIDIER, Episcopi Macranensis, & Abbatis S. Petri Senoniensis *Dissertatio Historico-Theologica, in qua examinatur quænam meus fuerit Concilii Constantiensis, præcipuorúmque, qui eidem interfuerunt, Theologorum, circa Auctoritatem & infallibilitatem Summorum Pontificum.* Hæc Dissertatio ab Auctore Gallicè scripta, Luxemburgi apud Andream Chevalier in 12. an. 1724. excusa fuit; Latinitate verò à R. P. Gallo Cartier in Monasterio D. Ettonis prope S. Landelinum, vulgò *Ettenheimmünster* dicto in Brisgoja Ss. Theologiæ Professore, & Priore. Augustæ Vindel. in 4. typis Ant. Maximil. Heiss impressa fuit an. 1738.

OLIVERII LEGIPONT *Abregé de l'histoire du Concile de Trente* &c. i. e. *Epitome Historiæ Concilii Tridentini*, conflata ex variis Scriptoribus, viz. Palavicino, Paulo Suavi, L'Amelot; Dupin, anno 1725. Opus MS. quod in Bibliotheca S. Martini Maj. Coloniæ asservatur. Gratulandum Auctori, si veritatem ex tot Scriptorum tantoperè inter se dissentientium conflictu magis patefecit. Idem prælo paratum habet *Selectum Actorum Ecclesiæ Coloniensis*. . .

REMIGIUS CEILLIER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi *Tomo III. Historiæ Generalis Autorum Sacrorum, & Ecclesiasticorum*, Capite XXXI. de Conciliis, primis tribus Seculis in Ecclesia habitis amplè & eruditè tradit. In his *Articulo I.* agit de Concilio Apostolorum, A. C. 50. aut 51. Hierosolymæ habito, quod exemplar aliorum Conciliorum dicit. Concilium autem Apostolorum Antiochenum, & alia, quæ nonnulli fingunt, rejicit. *Art. II.* de Concilio contra Montanistas, an. 171. aut 172. incertum, in qua Asiæ urbe, habito. *Art. III.* de Conciliis in controversia Paschali Cæsareæ circa an. 196. Romæ eodem anno à Papa *Victore*, in Ponto, in Gallia, Ephesi, & alibi, habitis; déque *Victore* Ecclesias Asiaticas ob diversam Paschatis celebrationem excomunicante; *Art. IV.* de Conciliis Carthagine, Iconii, & alibi, ob quæstionem de baptismo hæreticorum, habitis. *Art. V.* de Conciliis Alexandriæ in Numidia, Arabia, Asia, & Achaja, contra *Origenem* habitis; *Art. VI.* de Conciliis Carthagine an. 249. & 251. maximè in causa lapsorum, Romæ an. 251. & Antiochiæ an. 252. contra *Novatianum*, item *Carthagine* an. 252. ob lapsos in persecutione, habitis. *Art. VII.* de Conciliis, quæ Narbone & Romæ an. 263. habita, incerta fide feruntur: déque Concilio Antiocheno I. an. 264. 269. & 270. contra *Paulum Samosatenum* habito, diligenter agit. Sub finem Capitis non dubitat Autor falsum & fictum pronuntiare Concilium, quod Baronius, ex verbis *Athanasii* perperàm intellectis, sub Papa Dionysio contra *Paulum Samosatenum* statuit.

Cap. XXXIV. Concilia Seculi IV. percenset. *Art. I.* de Concilio Elvirensi in Boëtia an. 300. aut 301. habito, cujus Canones LXXX. recenset, & obscuriores explicat. *Art. II.* de Concilio Alexandrino in causa *Meletii*, quem circa an. 301. Episcopatu Lycopolitano in Ægypto ob crimina dejectum, atque eapropter, non autem ob dissensionem de receptione lapsorum, utì *Epiphanius*, fortè à sectatoribus Meletii deceptus, narrat, schisma excitâsse dicit. *Art. III.* de falso Concilio Sinuessano tractans, quod in causa *Marcelli* Papæ deponendi, quod idolis sacrificaverit, habitum fingitur, quódque à *Somiero*, scriptore *Historiæ dogmaticæ S. Sedis*, sine dubio ob canonem ei adscriptum: *Prima sedes non judicatur à quoquam* pro vero defendi miratur Autor, illud ab homine insulso confictum, aliquot argumentis ostendit; objectionémque, historiam lapsûs *Marcellini*, & Concilii Sinuessani, tamen autoritate Breviarii Romani confirmari, responsione vix dignam censet; cùm omnes

hodie parùm modò in arte critica versati, agnoscant falsitatem multarum narrationum, è quibus lectiones Breviarii Romani sint compositæ, e. g. illius de baptismo & donatione *Constantini M.* Consentit itaque *Coutantio, in Append. Tomi I. Epistol. decretal. Pontif.* statuenti, circa an. 502. tempore Concilii Romæ in causa Papæ Symmachi habiti; fortè ad stabiliendum, quod pro eo factum erat, Decretum, à quodam semilatino Gotho totum illud Concilium Sinuessanum fuisse confictum. *Art. IV.* de Concilio Cirthæ. in Numidia an. 305. habito contra Episcopos traditores. *Art. V.* de Conciliabulo Carthaginiensi, à Schismaticis contra *Cæcilianum* Episcopum an. 311. vel 312. habito, unde origo Donatistarum repetenda. *Art. VI.* de Concilio Romæ in causa *Cæciliani*, jussu Constantini Imperatoris, in palatio *Faustæ*, oxoris ejus, dicto domus Lateranensis, habito, quo *Cæcilianus* absolutus, & *Donatus* condemnatus est, rescissáque sunt Acta Conciliabuli Carthaginiensis. *Art. VII.* de Concilio Arelatensi in causa Donatistarum, de Concilii Romani Decretis conqoerentium, auspiciis *Constantini M.* an. 314. habito, cujus & Canones XXII. recenset, fusiúsque de Africanarum Ecclesiarum more rebaptizandi hæreticos agit; ipsúmqoe hoc Concilium præ omnibus eousque in Ecclesia habitis illustre & venerandum appellat. *Art. VIII.* de Concilio Ancyrano in Galatia, anno, ut vulgò fertur, 314. certè ante annum 319. habito; cujus Canones XXV. maximè ad lapsos in persecutione pertinentes, recenset. *Art. IX.* de Concilio Neo-Cæsariensi, circa an. 315. habito, ejúsque Canonibus XIV. refert; item de Concilio Romano fictitio anno 315. in quo *Helena Constantini M.* mater, Judaismi fuerit accusata, & cum Judæis disputatum, citato in Actis *S. Sylvestri*, in Decreto *Gelasii*, in Epistola Papæ *Hadriani* ad Carolum M. & alibi; cujus Acta absurditatibus plena nullam fidem mereri ait, pancisque refutat.

Tomo IV. Cap. XVI. de Conciliis Alexandriæ, & in Phrygia habitis contra *Arium*, cujus vitæ & plenior hæreseos historia simul enarratur. Cap. XVIII. de Concilio Nicæno disserit, in cujus Actis pleniùs enarrandis, asserit, S. Sylvestrum Papam per suos Legatos, quorum princeps fuerit *Hosius* Cordubensis, præsedisse, uti & præsederit in tribus sequentibus Conciliis Generalibus, id quod bona fide agnoverint Orientales, Constantinopoli an. 552. congregati.

[Eruditi Lipsienses, quorum utimur recensione, cùm ipsum Auctoris Opus ad manum nobis non sit, Cl. *Cellierio* succensent, quòd à Theologia Italica cætera alienus, turpi adulatione erga Rom. Pontificem asserat, Hosium nomine S. Sylvestri Concilio præsedisse. At verò pace horum Eruditorum dixerim, *Cellierium* Romano Pontifici turpiter adulatum minimè fuisse, sed in ea esse sententia, quam doctissimi quique Catholici tuentur. Unius Antonii Pagii in Critica Historico-Chronologica in Annales C. Baronii ad an. Ch. 325. n. XI. pag. 406. verba adscribo: „ Nicæno Concilio „ præfuerunt *Hosius* Cordubensis „ Episcopus, *Vitus* & *Vincentius* Presbyteri, Sylvestri Pontificis Romani, cujus Legati erant, nomine, ut „ liquet ex Gelasio Cyziceno lib. 2. „ Historiæ Concilii Nicæni cap. 5. ubi „ ex tertio libro Eusebii de Vita Constantini cap. 7. se ista transcripsisse „ profitetur. *Ipse etiam Hosius ex Hispaniis, nominis & famæ celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris, Vitone & Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit. Urbis autem illius, penes quam Imperium est Episcopus, Metrophanes nomine, ingravescente ætate præpeditus abfuit; sed Presbyteri ejus qui aderant, illius locum suppleverunt.* Eadem re„fert Photius cap. 88. Verum est, „Eusebii textum nunc ea non habe„re, quæ ex eo Cyzicenus refert; „sic enim solùm apud ipsum legitor lo„co laudato: *Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus, unà cum reliquis aliis consedit. Aberat quidem Regiæ urbis Antistes ob senilem ætatem: sed præstò erant Presbyteri, qui vices ejus implerent.* Ita etiam „hunc locum refert ad verbum Socra„tes lib. 1. cap. 5. sed mutilum esse in „vulgatis editionibus Eusebii notavit „Marca. Quis enim erit Hispanus ille, „quamvis famæ celebritate conspicu„us, si nomen ejus silentio damnetur? „Porrò si consulatur Gelasii Codex, sta„tim lacuna illa detegitur; verbis enim „illis generalibus Eusebii statim subji„citur *Hosii* nomen & Legatio: cujus „nisi jam meminisset Eusebius, sco„pum suum non attigisset. Recen„sere nàmque voluit Provincias, quæ „Epi-

„Episcopos suos ad Nicænam Synodum miserunt, & nihilominus in illa „tam accurata relatione Italiam & „urbem Romam omisisset. Itaque „non tantùm ex Cyziceno, sed ex „Eusebio constat, *Hosium* cum Ro„manis Presbyteris Vitone & Vincen„tio, S. Silvestri nomine, Concilio „Nicæno præfuisse. „ Hactenus *Pagii* verba, quæ sufficere existimo ad detergendam turpis adulationis labem, quam *Ceillerio* Eruditi Lipsienses aspersèrunt; quorum recensione uti pergamus.]

Canones etiam Ceillerius hujus Nicæni Concilii XX. genuinos exponit: eos autem, quos Ecclesiæ quædam Orientales, nec non *Turrianus*, & *Abrab. Ecckellensis*, pro genuinis venditant, quíque Arabici dicuntur, numero LXXX. quibus ipsi genuini Canones XX. intermixti, rejicit. Denique de *Constantini M.* Epistolis synodalibus, déque Epistola suppositia, & Actis suppositiis Concilii Nicæni disputat. Cap. XVIII. De Conciliabulis *Arianorum* Antiochiæ contra S. *Eustathium* an. 331. Cæfareæ contra *Athanasium* an. 333. Tyri an. 335. Hierosolymis an. 335. Constantinopoli contra *Marcellum* Ancyranum an. 336. item contra *Paulum*, Episcopum Constantinopolitanum an. 338. & Antiochiæ contra *Athanasium* an. 339. & Romæ an. 341. pro *Athanasio* habitis. Cap. XX. de Concilio Antiocheno, quod Dedicatio dicitur, congregato quippe auspiciis Imp. *Constantii* an. 341. ad dedicandum templum magnificentissimum, quod *Constantinus M.* Antiochiæ ante decennium exstruere cœperat, formulis fidei ibidem concinnatis, & Canonibus XXV. disciplinam Ecclesiasticam dirigentibus, pérque Epistolam synodalem ad Ecclesias missis. Cap. XXI. de Concilio Antiochiæ an. 345. ab *Eusebianis*, novam & sat amplam formulam publicantibus; Mediolani an. 345. aut 346. pro formula illa Ecclesiis Occidentalibus obtrudenda, & Coloniæ an. 346. contra *Euphratam*, Episcopum Coloniensem, habitis: cujus Acta Autor suppositia dicit; Cap. XXII. de Concilio Sardicensi tradit, an. 347. consensu fratrum Impp. *Constantii* & *Constantis* in causa *Athanasii* & *Eusebianorum* convocato, in quo *Hosium* Cordubensem (quem suprà in Concilio Nicæno Legatum Pontificis Rom. fuisse ostenderat) & post illum Legatos *Julii* Papæ præsedisse, Autor haud dissimulat: & *Eusebianorum*, malè sibi consciorum, & comparere detrectantium, artes ac violentiam, & turpem denique fugam, Actáque Concilii in absolvendo *Athanasio* communione sacra excludendis *Eusebianis*, & Canonibus XIII. sanciendis, pérque literas synodales publicandis, enarrat. Cap. XXIII. de Concilio falso dicto Sardicensi, sive Conciliabulo *Eusebianorum* Philippolitano, eorúmque Epistola, quam Sardicæ datam finxerunt, genuinum Concilium Sardicense impugnante. Cap. XXIV. de Conciliis Mediolani an. 347. & 351. contra *Photinum*, cujus inseritur historia, déque Conciliis Carthagine an. 348. aut 349. contra Donatistas & Circumcelliones, habitis, hujúsque posterioris Canonibus, item de Conciliis, Hierosolymitano & Alexandrino an. 349. pro *Athanasio*; alteróque Mediolanensi an. 349. contra Photinum; Sirmiensi Ariano, an. 350. Sirmiensi orthodoxo, an. 351. celebrato, quo sede dejectus, & in exilium actus *Photinus*, atque celebris formula condita, quæ tota inseritur; Cap. XXV. de Concilio Laodiceno, cujus incerta, at intra annum 341. & 381. incidens, epocha: quod ante Concilium Nicænum *Baronius* ponit, à *Ceillerio* refutatus; ejúsque Canonibus LX, quos cum explicatione inserit; Cap. XXVI. de Concilio Gangrensi, cujus itidem epocha incerta, ad annum circiter 380. ex sententia Autoris, quam argumentis quibosdam contra *Socratem* & *Sozomenum* probare satagit, referenda; ubi simul *Eustathii* Sebastensis historia, & hujus Concilii Canones XXI. enarrantur; Cap. XXVII. de Conciliis Romæ an. 352. quo Papa *Liberius*, & congregati aliquot Italiæ Episcopi, pro *Athanasio* responderunt Orientalibus; Arelati, anno eodem, quod verè fuit conciliabulum *Arianorum*, quibus in condemnationem *Athanasii* turpiter consensit *Victor* Capuanus, Pontificis *Liberii* Legatus; Mediolani an. 355. Imp. *Constantio* *Arianorum* partes tyranicè tuente, habitis, exponit. Quod ultimum Autor, æquè ac Ephesinum 499. jure meritóque ληστρικόν appellandum censet.

SECTIO IV.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PARTICULARIS SCRIPTORES.

§. I.

Scriptores Historiæ Ecclesiarum Nationalium.

VENERABILIS BEDÆ *Presbyteri Anglo-Saxonis*, *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum ad Ceolulfum Regem libri V.* Opp. Tom. III. pag. 1. à primo Julii Cæsaris in Britaniam adventu usque ad annum Christi 731. & ab adventu Anglorum in Britanniam 285. Opus illustre, frustra Montacutio 2. Origin. pag. 210. cum aliis Novatoribus nodum quærente in scirpo, Bedámque arguente, quòd rebus notatu dignioribus omissis fabulas inficetas quandoque fuerit sectatus. *Pauca*, inquit Melchior Canus, Vir doctissimus, Lib. XI. de locis Theologicis cap. 6. *pauca in eo possis arguere, quamvis Historiam Ecclesiasticam revocare ad severiora judicia contendas. Ac si necesse est, in alteram peccari partem, omnia ejus probari legentibus, quàm multa reprobari malo.* Post editiones veteres *Argentorat.* 1500. 1514. *Hagan.* 1506. *Antv.* 1550. *Lovan.* 1566. & *Colon.* 1601. in 8. & in *Commeliana* Scriptorum de Rebus Anglicis sylloge an. 1587. cum continuatione Anonymi libris III. ab an. 731. ad an. 1100. & sine illa inter Bedæ Opera: commemorandæ tres recentiores, *Cantabrigiensis* cum Saxonica Alfredi Regis versione, sive paraphrasi, & *Abrahami Wheloci* notis 1644. fol. *Parisiensis* locupletior notis & dissertationibus *Petri Francisci Chifletii* S. J. 1671. in 4. & *Londinensis* 1722. fol. cum vita Cuthberti utraque, Chronico, Historia Abbatum Wiramuth & Girum, Libro de locis sanctis, Vita S. Felicis, & Martyrologio, ex recensione *Joannis Schmith* S. T. P. in Ecclesia Dunelmensi, non ita pridem Canonici Cantabrigiæ typis Academicis 1722. Vid. Act. Erud. Lips. an. 1724. pag. 124.

– EJUSDEM *Epitome*, sive *Breviarium Historiæ Anglorum* pag. 147. Hanc oportet, ut rectè advertit Cl. Fabricius in Bibl. med. & inf. Lat. lib. II. pag. 504. ab aliis post Bedam deductam esse usque ad annum 766. nam in antiquissimo codice, quem evolvit Mabillonius, non excedit annum 731. maximè cùm Beda anno 735. è humanis excesserit.

S. GREGORII TURONENSIS Episcopi, qui A. C. 595. ad Superos migravit, *Historia de rebus tum aliis tum Ecclesiasticis Francorum libri X.* qui in A. C. 591. desinunt. Hujus Historiæ non ideò à me mentio fit, quòd Gregorium Instituta Benedictina professum fuisse existimem, sed quòd ejusdem Historiam luculentis, atque eruditis notis à se illostratam *Theodericus Ruinardus* Paris. an. 1700. in fol. in Operibus Gregorii Turonensis vulgârit.

HUGO CANDIDUS aliàs *Withe* Sec. XIII. clarus in Historia Burgensis Monasterii de primitiva Merciorum Ecclesia quædam à Beda ipso indicta refert. Vide Vossium lib. 2. de Hist. Lat. cap. 58. pag. 470.

ARNULFI, sive ERNULFI Belluacensis Monachi S. Symphoriani, inde Prioris Cantuariensis, hinc Petroburgensis Abbatis in Anglia, ac denique ab anno 1114. ad 1124. Roffensis Episcopi *Collectanea de Rebus Ecclesiæ Roffensis* à prima Sedis fundatione ad sua usque tempora, quæ extant in Whartoni Anglia Sacra Tom. I. pag. 329.-340. seq.

Annales Ecclesiæ Roffensis ex Historia Ecclesiastica *Edmundi de Hadenham*, Monachi Roffensis, ibid. pag. 341-355.

THOMÆ Monachi Eliensis circa an. 1107. *Historia Eliensis* à prima Ecclesiæ fundatione ad annum MCVII. vulgata à Whartono Angl. Sac. Tom. I. pag. 615. *Richardi* Prioris Eliensis continuatio Historiæ Eliensis ab anno MCVII. ad an. MCLXIX. pag. 615. Monachi *Eliensis* Anonymi continuatio Historiæ Eliensis ab an. MCLXIX. ad MCCCLXXXVIII. pag. 631. Monachi *Eliensis* Anonymi continuatio Historiæ Eliensis ab anno MCCCLXXXVIII. ad an. MCCCCLXXXVI. pag. 665. *Roberti Sterwarde* Prioris ultimi Eliensis, continuatio Historiæ

storiæ Eliensis ab anno MCCCCLXXXVI. ad annum MDLXIV. *Richardi Eliensis* Historia de conversione Abbatiæ Eliensis in Episcopatum pag. 678. De his Scriptotibus vide Whartonum in præfatione.

SIMEONIS Monachi *Dunelmensis Historia Ecclesiæ Dunelmensis*, & *Gervasii* Monachi Dorobornensis de combustione ac reparatione Cantuariensis Ecclesiæ Historia extant inter Scriptores decem Historiæ Anglicanæ à Rogerio Twysdeno & Joanne Seldeno Londini 1652. editos.

GUILIELMI MALMESBURIENSIS liber de antiquitate Ecclesiæ Glastoniensis extat inter Historiæ Britannicæ, Saxonicæ & Anglo-Danicæ Scriptores quindecim à Thoma Galeo Oxoniæ 1691. vulgatos.

THOMÆ RADBURNI cognomento *Junioris* Ecclesiæ Cathedralis S. Swituni Cœnobii Monachi circa a. 1457. *Historia Major* de fundatione & successione Ecclesiæ Wintoniensis. Eam neque Baleus nec Jocelinus, nec Lambardus viderant, qui tamen perlecta *Historia Minori* ejusmodi opus à Radburno adornatum fuisse collegerunt. Illam *Henricus Whartonus* ex codice Lambethano evulgavit Angl. Sac. Tom. I. pag. 177 - 286. Junior verò dictus est iste *Thomas*, ut à Thoma Radburno seniore, Episcopo Menevensi, qui sub ejusdem sæculi initium Chronicon de Rebus Anglicanis composuit, distingueretur. Quod verò ad *Historiam Minorem* attinet, ea inscribitur *Historia brevis de fundatione, incrementis, atque Episcopis Ecclesiæ Wintoniensis à Lucio Rege ad tempora Henrici VI.* quam Cl. Usserius in Opere suo de Antiquitatibus Britannicis sæpiùs laudavit, atque Whartonus *Epitomes Historiæ Majoris* nomine insignitam crebrò citavit, partésq; ejus primam ac postremam in Angl. Sac. Tom. I. pag. 179. 180. 181. 285. 286. exhibuit. Scripta fuit circa an. 1440. Nos hujus Historiæ Auctorem infrà Scriptoribus Rer. Anglic. etiam accensebimus, quia potiùs in Historia Civili quàm Sacra paginam utramque facit.

HEMMINGUS, Monachus Wigorniensis opus de Ecclesiæ Wigorniensis dotatione, privilegiis, & possessionibus contexuit libtis quinque; extat etiamnum exemplar autographum ab Ecclesia Wigorniensi ante centum annos surreptum, & in Bibliothecam Cottonianam denuò translatum sub effigie *Tiberius* Lit. A. Cod. 13. Vide Wharton in Præfat. Tom. I. Angl. Sac. pag. XXXVII. In ejusdem Angliæ Sacræ Tomo I. pag. 469. extant alii Anales de rebus Ecclesiæ Wigorniensis à Monacho Anonymo Wigorniensi scripti.

BARTHOLOMÆI de COTTON Annales Ecclesiæ Norwicensis deprompti ex ejus Historiæ Anglicanæ libro secundo ab an. 1042. ad. 1295. & typis vulgati ab Henrico Wharton in Tomo I. Angl. Sac. pag. 397-402.

SERENUS CRESSY è Congreg. Anglicana edidit Anglico sermone *Historiam Ecclesiasticam Britanniæ* f. 1668. Alia plura, quæ tamen huc non spectant, maximè in fidei orthodoxæ, & Ecclesiæ Romanæ defensionem. Pez. in Lit. Apolog. pag. 245. modò is non sit *Hugo Cressy*, cujus scripta eadem recenset D. Christianus Gottlieb Jöcher Historiarum Professor Lipsiensis in Lex. Erud. col. 829.

CASIMIRUS FRESCHOTT è Congreg. Casin. scripsit Italicè tractatum, cujus Latinus Titulus: *Successus fidei in Anglia cum historia ultimæ hæresis usque ad felicem libertatem Religioni Catholicæ datam à Regnante Jacobo II.* &c. Bononiæ 1687. Authori propositum est, ut omnem Christianæ religionis in Magna Britannia historiam in literas referat. Unde à Josepho ab Arimathia initium sumit, qui non diu post Resurrectionem Christi in hanc Insulam appulit, sacrúmque prædicando Evangelium primus fuit, qui Christianæ fidei luce eam collustravit. Succedentibus annis multi alii Episcopi operam dederunt, ut ne illa unquam extingueretur, quam ob rem gravissimas perpessi fuerunt persecutiones. Eadem luce S. Helena Constantini M. mater collustrata fuit. Verùm Anglo-Saxones durioris erant cervicis, quàm ut illam suavi Christi jugo submitterent. Tenuit hæc pertinacia usque in seculum sextum, vel septimi initium, quo labente S. Gregorius M. ex Ordine D. Benedicti Pontifex Maximus Abbatem Augustinum, aliósque Benedictinos in Angliam ablegavit, qui non absque magno labore & sudore hasce Gentes ad Christiana Sacra adducerent. Viguerunt hæc cùm in Anglia, tum in Scotia, & Hibernia usque ad Wiclefi tempora, qui excitatâ hæresi bellum Romano Pontifici movit, cujus authoritatem majori adhuc contemptu Henricus VIII. nihili fecit, in causa divortii irritam habuit, seque supremum Ecclesiæ Anglicanæ Caput constituit.

stituit. Ab ejus obitu Pontificia authoritas, invalescente hæresi, apud Anglos adhuc magis concidit; quam tamen Regina Maria iterum reverita est; sed hac brevi è vivis sublata, Elisabetha Henrici patris vestigia premens Ecclesiæ Caput se nominavit. Et quia ejus successores partes hæreseos fovebant, tantum orthodoxæ religionis odium Anglos cepit, ut illud ex eorum animis evellere ingentis laboris res erat. Carolus II. etsi occultè esset Catholicus, secúmque Religiosum Benedictinum sub Aulici amictu haberet, fratri tamen suo perficiendum reliquit, quod is ut Dux Eboracensis magno antea agebat conatu. Et verò hic Princeps ut primùm Rex creatus rebus Anglicanis præfuit, in restituenda Catholica religione nulli pepercit labori, quem Author diductiùs describit. Huic Historiæ Ecclesiæ Anglicanæ Scriptores Acatholici unguem imprimunt censorium, atque Josephi Arimathiensis Apostolatum in Magna Britannia pro fabula habent. Inter quos ferè præcipui sunt Usserius in Antiquitatibus Ecclesiasticis Britanniæ Cap. II. Stilingfletus in suis Originibus Cap. I. Vide Ernesti Tenzelii Colloquia Menstrua an. 1690. mense Aprili pag. 332. ubi Anglicanam Ecclesiam Romanâ antiquiorem esse hæretici Angli proclamant, quorum misera argumenta me adducere pudet.

GABRIELIS BUCELINI *Germaniæ Sacræ* Tomi IV. Aug. Vindel. variis annis, ut explicatiùs infra dicetur.

– EJUSDEM *Constantia Sacra*, & *Episcopatus* ejusdem nominis, Germaniæ & Europæ longæ omnium amplissima Descriptio. Francofurti an. 1667.

– EJUSDEM *Rhætia Sacra*. in 4. an. 1686. Augustæ Vindel. typis Joannis Prætorii, sumptibus Viduæ Joan. Gorlini.

JOANNIS FRANCISCI POMMERAYE è Congr. S. Mauri *Histoire de l'Eglise Cathedrale de Rouen*. i. e. *Historia Rothomagensis Ecclesiæ Cathedralis*. in 4. Rotomagi an. 1606.

THOMÆ WEISS, Neresheimensis, Basilicæ Metropolitanæ Salisburgensis Dedicatio, & SS. Ruperti & Virgilii in eandem Translatio compendio descripta. Salisburgi an. 1628.

S. GREGORII TURONENSIS Episcopi, qui A. C. 595. ad Superos migravit, *Historia de rebus tum aliis, tum Ecclesiasticis Francorum libri X.* qui in A. Chr. 591. desinunt. Hujus Historiæ non ideò à me mentio fit, quòd Gregorium Instituta Benedictina professum fuisse existimem, sed quòd ejusdem Historiam luculentis, atque eruditis notis à se illustratam *Theodoricus Ruinartus* è Congreg. S. Mauri Parisiis an. 1700. fol. in Operibus Gregorii Turon. vulgârit.

Descriptio Regiæ Ecclesiæ & Monasterii S. Mariæ Novæ Montis Regalis in Regno Siciliæ. Vitæ Archiepiscoporum, Abbatum, & Dominorum, unà cum Summario ejusdem Sanctæ Ecclesiæ, authore *Jo. Aloysio Lello* Romæ an. 1596. apud Zannetum in 4. recusa jussu Illustriss. & R.mi D. Archiepiscopi, Abbatis D. Joannis Ruani cum Observationibus supra Fabricam, & Opera Mosaica Ecclesiæ; Continuatione vitæ Archiepiscoporum, Tabula Chronologica ejusdem Historiæ & notitia præsentis status, atque una altera tabella Topograpbica Archiepiscopatus. Operâ D. *Michaëlis de Judice*, Prioris Casinensis. Italicè, Panormi in Regia Typographia Augustini Epiri an. 1702. Est ingens volumen in fol. quod Jo. *Aloysii Lelli* Opus (seu veriùs Cardinalis Ludovici de Torres Archiepiscopi (cui Lellus erat à Secretis) paginis 44. absolvitur, reliquum autem *Michaëlis de Judice* est labor, multa undique scatens religione. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 109.

OLIVERII LEGIPONT, Belgæ, Limburgensis, ad S. Martinum Coloniæ Professi *Sacræ Metropoleos Coloniensis Ecclesiæ origo, dignitas & prærogativæ, adversùs illius gloriæ æmulos asserta & propugnata; ac studio partium seposito eruditorum placitis exposita*. In hoc Opere Auctor fusè deducit omnes Archiepiscopi Coloniensis prærogativas hactenus penè ignotas, aut ex parte obliteratas. Hoc Manuscriptum magnæ eruditionis in Monasterio, cujus nomini parco, furto sublatum fuit; ita ut Cl. Autor conqueri jure potuerit verbis B. Petri Damiani l. 2. Ep. 6. *Tulit librum meum, quem velut filium unicum ulnis uterinæ dulcedinis amplectebar.* Me tamen adhortante Cl. Legipontius secundis curis Opus denuò elucubravit.

GUILLELMI MARLOT, Benedictini Galli, Ss. Theologiæ Doctoris, S. Nicasii Remensis Magni Prioris *Metropolis Remensis Historia* à Flodoardo primùm auctiùs digesta, nunc demum aliunde accersitis plurimùm aucta, &

ad

ad nostrum sæculum deducta, tomus primus, in quo Remorum Gentis origo, vetus dominium, Christianæ religionis per Provinciam initia, & incrementa, Archiepiscoporum vera successio, Basilicarum Natales, & in iis sacra Lipsana, publici Conventus, incolis aspersi sovores, & alia id genus quatuor libris distinctè referuntur. Insulis ex Officina Nicolai de Rache, sub Bibliis aureis MDCLXVI.

– EJUSDEM *Historiæ* tomus secundus, seu Supplementum Flodoardi, ab anno 970. productum, in quo præter seriem historicam Præsulum, Bullæ Pontificum, Regum Diplomata, Tituli Fundationum, à quinque summis Pontificibus Remis coacta Concilia, Ecclesiarum origines, ac in eis sacra Lipsana referuntur studio ejusdem *Guillelmi Marlot.* Opus posthumum, in fol. Remis, Le Loraini, an. 1679. Singuli Tomi in IV. libros distribuuntur. Et quidem in Tomi I. Libro I. post civilem gentis Remorum statum, qui ante Christi adventum, & sub Cæsaribus fuit, eruditè expositum, Author fidei natales aggreditur in S. Xysto, quem ab Apostolorum Principe ad Remos missum docet anno à partu Virginis 46. ubi is sedem Archiepiscopalem instituit, & Confessor decessit, non Martyr, uti Baronius in Martyrologio Romano minùs rectè scripsit, nixus solâ authoritate Democharis libro de Sacrificio Missæ, quasi in tabulis Ecclesiæ Remensis Martyris nomen S. Xysto inditum legatur, cùm tamen contrarium ex iis evidenter elucescat. Neque tamen Remensi Ecclesiæ sub ineuntis fidei crepusculum Martyres defuerunt, quorum sanguine fuit consecrata, ac triumphis insigniter redimita, Nerone in Christianos persecutionem exercente. Paginæ 75. Author corporum inserit iconismum, quæ ejus ævo, anno 1640. & 1650. juxtà Basilicam S. Xysti reperta fuerunt, quibúsque clavi ferrei erant impacti; de his, quid sentiendum sit, disquirit, ac licèt Martyrum numero haberi posse rationibus ostendat, nemini tamen pto certo persuadere vult, quòd Deus incognitum esse voluit: in iis enim, inquit, quæ ad cultum Sanctorum spectant, fides tardior esse debet, cùm S. Gregorius ad Augustinum Anglorum Episcopum scribat: *si corpus, quod à populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis ibi miraculis coruscat, locus observetur.* Scio complura etiam Sanctorum Corpora humi defossa tempore persecutionis postmodùm revelatione cognita fuisse, aut miraculis patratis ad tumulum: igitur cùm nihil tale contigerit in tumulorum apertione, nec ullus ibidem character Religionis appareat, doctioribus facilè, quid de iis sentiendum sit, relinquo, licèt Christianos fuisse, valde probabile sit, meritóque in locis sacris reponi debeant, donec veritas, Deo volente, clariùs enitescat. Postquàm Gallicanis Ecclesiis pax sub Constantino reddita fuit, incredibile dictu est, quantum incrementi sub tanto Principe illæ ceperint; unde auctor juxtà præscriptum sibi ordinem disserit de Ecclesiasticæ Remorum Metropolis origine, & quot sub eadem Episcopatus, & quis ordo inter eos fuerit, disquirit. Nec Urbes in ea, celebriores pagos, Abbatias & Prioratus omittit. Præ cæteris Archiepiscopis, quorum gesta describit, S. Nicasium XI. Remensem Archiepiscopum, laudibus ornat. Is enim fuit, qui suæ sedis basilicam Virgini Deiparæ dicavit, urbis totiúsque Provinciæ excidium ob fœdos Christianorum mores prædixit, ac concione ad Vandalos, gentem barbaram, habita, martyrium subiit. Denique Capite XL. quod libri I. postremum est, Cleri Remensis describuntur primordia, sacræque ædes, quibus urbs velut gemmis in diademate collucentibus exornata renitebat, & cingebatur ante S. Remigii pontificatum.

Liber II. ternas complexus centurias exordium capit à S. Remigio, qui Regem Clodoveum sacris undis ablutum cœlesti chrismate perunxit; cui ecclesiasticæ functioni Auctor Dissertatiunculam de chrismate cœlitùs per columbam allato annectens, antiquam tuetur traditionem. Statim verò ac felix lætúmque hoc nuntium summo Pontifici innotuit, Remigium aucta potestate novísque privilegiis amplificata Sedis Apostolicæ Vicarium constituit. Qui, Episcopatibus per Belgium restitutis, senio confectus, è vita sanctissimè decessit, cujus Testamentum propositis utrinque rationibus ab Authore excutitur, & probatur. Ut verò cœlum stellulis micat, harúmque luce perfunditur, cùm serenum est, sic Provincia Remensis discipulorum S. Remigii splen-

splendescit numero, & sanctitate decoratur: quos cùm author enumerâsset, de Successoribus S. Remigii in Archiepiscopatu sibi agendum existimavit. Nec viros sanctitate illustres, qui Provinciæ Remensis Episcopatibus præfuerunt, silentio prætermittit. In Gestis S. Rigoberti XXVIII. Archiepiscopi, à Carolo Martello ob ingressum in urbem Remorum denegatum à sua sede exturbati tecensendis de verenda ejusdem Martelli morte agit Author, atque ad Hadriani Valesii argumenta respondet, non eo animo, ut historiam condemnationis Caroli tueatur, sed ut Hincmarum, ceu fabulæ authorem, à convitiis vindicet, qui nimiæ credulitatis ad summum culpari possit, non verò mendacii & falsitatis. Postremo denique libri capite Author sermonem instituit de Canonicis Ecclesiæ Remensis, quot in ea Dignitates, Canonicatus & Præbendæ; quæ Præpositi sit Nomenclatura & Dignitas.

Tertium Librum Author auspicatur à Tilpino, viro illustri, ac S. Dionysii Monacho Benedictino, qui in sedem Archiepiscopalem sublatus, excusso tyrannidis jugo, oppressæ à Carolo Martello Remorum Ecclesiæ pristinum nitorem authoritate Adriani Pontificis restituit. Is ipse Archipræsul fuit, qui illustre Archicœnobium S. Remigii Remensis fundavit, cujus historiam author ab ipsius origine ad suam ætatem tribus supra decem capitibus deducit. Post Ebonis Archiepiscopi XXXII. qui conspirationis in Imperatorem aliorúmque criminum sibi conscius apud Theodonis villam propria sponte se abdicavit, tum benè tum malè gesta exposita, paginam authori utramque facit Hincmarus XXXIII. Archiepiscopus ex Monasterio S. Dionysii à Clero & populo expetitus. Ejus encomium his verbis pangit. „ Præsul celebri famâ, „ &, si jurisperitiam, quæ in eo ma„ gna fuit, promptam ejus & fluentem „ eloquentiam, studium ac invicti „ animi robur spectes, inter seculi „ istius præstantiores viros meritò „ connumerandus. Ingens Metro„ poleos regendæ in eo cura fuit, „ amor in patriam, ac in veteris disci„ plinæ violatores odium, cujus acri„ or ipse vindex semper fuit: unde „ quòd adeò propositi tenax, ac ju„ rium Metropoliticorum assertor, „ multos tam Romæ, quàm in Gallia „ æmulos sibi comparavit. Cæterùm „ scripta ejus æquè pietatem spirant „ ac eruditionem, horúmque varie„ tas, ingenii ubertatem arguit, ad„ huc caritatis ejus ac profusæ mu„ nificentiæ apud nos prostant moni„ menta, quæ tanti viri nomen æter„ nùm conservabunt. „

Liber IV. spatium octoginta annorum percurrit, plenum variis casibus, atrox Normannorum præliis, discors Odonis ambitione regnum usurpantis, ipsa etiam cum Normannis constituta pace sævum, quorum conversioni Herivæus XXXV. Archiepiscopus præ cæteris incubuit, antecessore ejus Fulcone, laudatissimo Præsule, à Sicariis trucidato, quòd Cœnobia, ne in profani Principis Balduini Flandriæ Comitis pervenirent, tegenda suscceperit. Illud memoratu indignum, quòd Hugo, filius Heriberti Comitis, puer quinquennis cleri suffragio infulas Remenses obtinuerit. Sic tum primùm contigit in Ecclesia Dei videri monstrum, nusquam hactenus visum, vel auditum, imò nec mente conceptum, ut loquitur E. C. Baronius, cùm prædictus Hugo puer nondum quinquennis esset, nondum alicujus inferioris ordinis capax, vixque loqui sciens. Ultimo libri capite quod est XXVIII. viri pietate & doctrina insignes, qui Remis sub Artaldo Archiepiscopo, in Hugonis exauctorati locum suffecto, floruerunt, recensentur. Præsul is fuit ingentis ac erecti animi, strenuus, acer, & variante fortunâ sibi semper similis, in Reges, quos unxerat, obsequio clarus, ac titulorum, Comitis scilicet, & summi Cancellarii prærogativâ sublimis, felix, si alio vixisset seculo, nec tot sibi infensos sensisset Principes, implicitósque successus in asserendis sui Episcopii prædiis, quæ tamen ab invasorum manibus fortiter erepta, suis reliquit successoribus. Guibertus (*Lib. 1. de vita sua c. 22.*) Abbas de Novigento illud veluti dignum miraculo refert de eodem Artaldo, quod à Manasse Archiepiscopo, vel certiùs à Monachis S. Remigii didicisse se asserit, nimirùm cum pro restauratione ædificiorum aggeres moverentur, inter rudera sepulchrum ejus tandem fuisse retectum, in quo de corpore ejus, seu vestibus nihil repertum est, præter planetam solam, quæ cùm illæsa oculis astantium apparuisset, manifestissimum indicium fuit, cum corpore non tabuisse, nam si corpus ejus ibidem putruisset, tabes utique casulam corrupis-

rupisset, unde corpus, quò Deo placuit, à suo loco exportatum opinatur Guibertus, ut sentit de quodam Monacho aliò pariter translato, cujus paulò antè memineràt.

Ad calcem Tomi I. subnectitur Epitome Chronicon celebris Monasterii S. Nicasii Remensis O. S. B. initia, dignitatem, successus, ac restaurationes ad nostrum hoc seculum continens.

Tomi II. Librum I. illustrant insignes aliquot Archipræsules. Primus eorum est Adalbero, Godefridi Comitis Arduennæ filius, qui ut Canonicos ad canonicæ disciplinæ observantiam revocaret, ad simul convivendum, & ut claustri ambitu horum habitacula coërcerentur, vehementer hortatus est. Cura deinde illi præcipua fuit de scholis Remensibus in pristinum splendorem restituendis, quibus Gerbertum, Monachum Floriacensem, sui seculi oraculum, & in Mathematicis nulli secundum præfecit. Franciæ creatus Archicancellarius perfidiæ ac infidelitatis insimulatus fuit, quòd Ottoni Imperatori faveret: de qua tamen labe se purgavit. Hugonem Capetum Remis unxit in Regem 5. Nonas Julii an. 987. qui Cancellariatûs dignitatem ei asseruit. Ex labore verò obsidionis Laudunensis urbis, cui cum Rege Hugone interfuit, in morbum conjectus, & Remos reductus in lectione S. Scripturæ & Boethii exhalavit animam. Successit Arnulfus Princeps regio stemmate ortus, cujus crimen de proditione Remensis civitatis cùm à *Gerberto*, qui eidem (ut quondam Adalberoni) erat ab epistolis, dolosè proditum fuisset, ab Episcopis & Rege exauctoratus fuit, Gerberto in ejus locum substituto. Hic verò non ampliùs tres annos Remensem Sedem occupavit. Postquàm enim Arnulphus authoritate Summi Pontificis sedi suæ restitutus fuit, Gerbertus relicto Francorum regno se totum Ottoni Germaniæ Regi addixit, comitatúsque est eum in Italiam, ubi cùm aliquantisper Ravennæ constitisset, mox ejusdem civitatis Archiepiscopus è vita migravit, in cujus locum, petente Clero & populo ac Regis consensu Gerbertus subrogatus est. Sed & hic statim post Gregorii V. obitum, cogente eodem Imperatore, apud quem gratiâ plurimùm valebat, summum adeptus est Pontificatum, mutatóque nomine Sylvester secundus dictus est, de quo Helgaldus in vita Roberti Regis tradit eum de se ita in *R.* litera lusisse: *Scandit ab R, Gerbertus in R, post Papa viget R.* Sub Guidone XLII. Archiepiscopo S. Leo IX. Pont. Max. in Ecclesia Archimonasterii S. Remigii à se dedicata Concilium celebravit, quo constituti Canones in Simoniacos, præsertim & incestuosos. De Gervasio autem Guidonis successore illud memorabile, quòd Philippum I. Remis unxerit in Regem.

Liber II. Gesta Remensium Archiepiscoporum ab excessu Gervasii ad Henricum Ludovici VI. Francorum Regis filium exponit. Oblivione potiùs, quàm memoriâ dignus est Manasses hujus nominis primus Archiepiscopus. Præterquàm enim, quòd fuerit Simoniacus, alia nefanda dixit, & fecit. Cujusmodi illud: *bonum esse Archiepiscopatum Remensem, si non inde Missas cantari oporteret*: quod impiè dictum in piorum animos grave scandalum ingeneravit, unde multi, inter quos sanctus Bruno Canonicus Remensis, mundum pertæsi, relictis opibus ac beneficiis ecclesiasticis in eremum secesserunt. Manasses verò in Concilio Augustodunensi primùm damnatus, tum in Lugdunensi exauctoratus, huc illúcque oberrans sine communione postremò defunctus est. Memoratu digniora sunt Gesta Urbani II. Summi Pontificis, tanquam Remensis olim Ecclesiæ sodalis, quæ cursim tamen author tantùm attingit. De Callisto verò secundo, Summo Pontifice commemorat, quòd Concilium Generale Remis coactum celebraverit, cujus seriem, apparatum, résque in eo discussas ex Orderico Vitale Lib. XII. Historiæ Ecclesiasticæ repræsentat, & graphicè depingit. Henricus Imperator indignè ferens, se in eodem Concilio, præsente Ludovico Francorum Rege, à Callisto Papa, ob sacrilegia turpiter à se perpetrata, fuisse excommunicatum, Remensem urbem solo æquare constituit, à cujus tamen obsidione vix inchoata à Ludovico Rege cum dedecore rejectus fuit. Aliud iterùm Concilium Remis sub Innocentio II. aliud sub Eugenio III. celebratum fuit, quid in utroque gestum sit, ab authore non tacetur.

Librum III. idem orditur ab Henrico Ludovici Grossi Galliæ Regis filio, & ex Monacho Cisterciensi Archiepiscopo Remensi; cujus insigne fuit studium in Schismaticos pro Alex-

andro III. Ejus successor Willelmus Philippum Ludovici filium inauguravit, à quo Dux & primus Par Franciæ nstitutus fuit. Romam verò ad Concilium Lateranense profectus Cardinalis creatus est. Post reditum ad regni ministerium anno 1183. à Rege admotus, Remensibus Archiepiscopis Reges inungendi prærogativam asseruit. Isemburgæ etiam Canuti Regis Daniæ sorori, quam Philippus Rex delegerat sibi uxorem, Ambiani regium diadema imposuit. Ab ejus obitu Guido Parè ex Monacho & Abbate Ordinis Cisterciensis Cardinalis Prænestinus Remensi Ecclesiæ ab Innocentio III. præfici meruit. Sub Guillelmo de Janivilla LIV. Archiepiscopo, Dominicani, Franciscani, & Clarissæ domicilium Remis collocârunt. Ipse verò Guillelmus cum his viris Religiosis, maximè Dominicanis, sumpta adversùs Albigenses cruce, conversioni eorum strenuè incubuit. Cùm subinde verò hi Religiosi mendicantes officiis Pastorum se immiscendo motus in Ecclesia concitâssent, eapropter Concilium Remense sub Petro Barbet LIX. Archiepiscopo habitum fuit.

Libri IV. initium est Roberti LX. Archiepiscopi Præsulatus, eo nomine etiam notandus, quòd illo durante Clemens V. Romanam Curiam in Galliam infaustis avibus traduxerit, perculso reliquo Christiano orbe, & indignante Italia, ubi septuaginta & ampliùs annos hæsisse dicitur, haud absque veteris disciplinæ jactura; inde enim Reservationes, Gratiæ-exspectativæ, & decimarum prorogationes in plures annos. Joannes verò de Vienna LXII. Archiepiscopus, primus Archiepiscoporum Papæ reservationibus sedem Remensem adeptus, ad Residentiam à Capitulo compulsus est. Sub Ludovico XI. Galliæ Rege, Pragmatica fanctione abrogata, altiores malum radices egit, Sacerdotiis & Abbatiis passim in comendam datis, de quibus pathetice Massonius Lib. IV. Hist. Franc. *O incestuosas Beneficiorum perpetuas commendationes! quo errore Gallia in funestum pæne morbum incidit; absentibus enim Episcopis, & Monasteriorum legitimis verisque Patribus, oves deglubi necesse est, templa dirui, disciplinam ruere, plurimos ab Ecclesia abigi, literarum studia deseri, quæ nola quotidie in Gallia videmus, & aulicos, corruptissimum hominum genus, pinguedine ecclesiastica inflatos tumescere, undique & emi passim sacerdotia, cùm simonia esset, hodie industria censetur. Sed ejusmodi homines immortalis Deus, & si serò, graviter tamen ulciscetur; nec intelligunt cæci Reges, cæcique Pontifices irrato Deo fieri hoc impune commercii genus, quod potiare an facias perinde est. Ii sunt mores hujus seculi, ut perinde sit Abbatem esse, ac profani cujusdam domini dominum.*

Primus Archiepiscoporum, quem vi Concordatorum Rex Galliæ ad infulas Remenses promovit, fuit Johannes à Lotharingia Cardinalis, qui aliquot post annis Archiepiscopatum abdicavit, quo Carolus à Lotharingia donatus omnes optimi & vigilantissimi Pastoris numeros implevit. Successorem habuit Ludovicum à Guisia, quem Henricus III. ob Caroli merita ex eadem Serenissima Domo Remensi Ecclesiæ Antistitem dedit, subinde verò Blesis immaniter trucidari curavit; non impunè tamen, Deo immeritam Ludovici necem violenta ac funesta Henrici morte post annum vix elapsum ulciscente.

Ad calcem præstantis hujus ac lectu dignissimæ Historiæ Compendium historicum quarundam Ord. Cisterc. & Præmonstrat. Abbatiarum subjicitur.

DIONYSII SAMMARTHANI, Presbyteri & Monachi è Congr. S. Mauri *Gallia Christiana in Provincias Ecclesiasticas distributa, qua series & Historia Archiepiscoporum, & Abbatum Franciæ, vicinorúmque Ditionum ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.* Opus tomis minimùm decem comprehendendum, quorum sex hactenus lucem viderunt: primus prodiit Parisiis ex Typographia Regia anno 1716. II. an. 1720. III. an. 1725. IV. an. 1728. V. an. 1731. VI. an. 1739. Operi universo docta præfatio præmittitur, in qua post expositam cùm utilitatem tum difficultatem Novæ Galliæ adornandæ Cl. Author de ordine, quem sibi in ea servandum præstituerit, in hæc verba disserit. „ Quadripartita „ fratrum Sammarthanorum Gallia „ Christiana primo Tomo Archiepi„ scopos exhibet: secundus & ter„ tius Tomus continent episcopos: „ quartus denique abbates & abba„ tissas. Archiepiscopatus, episcopa„ tus, & abbatiæ recensentur ordi„ ne alphabetico. Hunc quidem or„ dinem

„ dinem secuti sumus in archiepi-
„ scopatibus, ad vitandas controver-
„ sias, quæ inter plurimas metropo-
„ les de primatu motæ sunt, acriús-
„ que fuerunt agitatæ. At incon-
„ gruens visum est episcopatus à suis
„ metropolibus divellere; itémque
„ abbatias, nulla ratione habita diœ-
„ cesis, ad quam pertinent, seorsum ad
„ ultimum tomum amandare. Itaque
„ satius existimavimus unâ eadémque
„ serie de metropolitanis ecclesiis, &
„ de præsulibus, qui eas rexerunt, dis-
„ serere, tum de singulis episcopati-
„ bus cuique metropoli subjectis, eo-
„ rúmqne antistitibus; quibus etiam
„ addidimus, uti & archiepiscopis,
„ præpositos, decanos, seu eos, qui
„ alio nomine primam in capitulo ca-
„ thedralis ecclesiæ gerunt dignita-
„ tem. Tandem abbatiarum abba-
„ túmque & abbatissarum historiam
„ ad singulas revocamus diœceses.
„ Ita fit, ut uno eodémque conspectu,
„ quidquid ad metropolis historiam
„ pertinet, lector contempletur. Sin-
„ gulis provinciis præmisimus tabu-
„ lam geographicam, ex qua civita-
„ tis archiepiscopalis, episcopaliúm-
„ que urbium provinciæ, nec non
„ abbatiarum, & præcipuorum loco-
„ rum situs facilè dignoscatur. „ At-
que ex his perspicuum habetur, pru-
denter à Dionysio Sammarthano fa-
ctum fuisse, quòd ordinem ab eo di-
versum, quem Fratres Sammarthani
in antiqua Gallia Christiana tenue-
runt, instituerit. Ut ne verò sit, qui
dictis fidem abrogare, vel certè qui-
dem ea in dubium vocare ausit, instru-
menta in medium profert, quibus fi-
dem faciat. Uniuscujusque verò tomi
instrumenta ad calcem edi curavit, ut
ad manum sint consulere volenti. De
eorum authentica ita loquitur: „ Por-
„ rò invictum penè argumentum sin-
„ ceritatis plerarumque chartarum
„ duci potest à subscriptionum con-
„ venientia. Quippe cùm eas con-
„ stet non recens confictas, sed à plu-
„ timis seculis exaratas esse, quô tem-
„ pore nulli habebantur episcopo-
„ tum & abbatum indices simul col-
„ lecti; quî fieri potuisset, nt horum
„ instrumentorum fabricator subscri-
„ ptiones tot episcoporum, tot abba-
„ tum, qui in locis dissitis & parùm
„ notis sederunt, tam scitè finxisset,
„ ut singulorum ætati convenirent.
„ Exempli causa in Hugone episcopo
„ Nivernensi dabimus novum Con-
„ cilium Cabilonense an. 1604. cui
„ subscribunt multi episcopi sedium
„ ab invicem valdè dissitarum, Sedu-
„ nensis, Lutevensis, Meldensis; &
„ abbates Balmensis, Iciodorensis,
„ Ferrariensis &c. quos certò constat
„ hoc anno 1064. præsuisse. Quo
„ verò pacto hujus instrumenti auctor
„ tam sagaciter divinavit hos præsu-
„ les tunc vixisse, neque enim ad
„ manum habere potuit catalogos
„ episcoporum, & abbatum, ex qui-
„ bus hæc describere licuisset? „
Antequam verò Cl. Author præfatio-
nem clauderet, lectorem monitum es-
se voluit, nonnullos viros doctos,
post promissas suas animadversiones
in quædam Galliæ Christianæ Fra-
trum Sammarthanorum loca, spem
ipsius, quam diu verbis aluerant, re ipsa
tandem elusisse. Has forsitan obser-
vationes repositas sibi servant, ut iis
utantur, ad aliquos errores (inquit)
nostro in opere carpendos. Hunc
tametsi prorsùs incivilem agendi mo-
dum, minimè molestè feremus, dum-
modò veritas, quamvis per invidiam,
elucescat.

Et verò fuit, qui non tantùm in scirpo nodum quæreret, sed novæ Galliæ Christianæ à Benedictinis adornatæ haud majus statueret pretium, quàm quod antiquæ Fratrum Samarthanorum Galliæ attribuitur. Quâ verò censura vir ille vel livorem vel ignorantiam suam prodidit. Unde Benedictini Monitum Tomo VI. præmissum his verbis optimè concludunt: „ In summa qui lacessere nos non cessant precamur, ut quadripartitam Sammarthanorum Galliam à Clero sic prædicatam cum nostris qualibuscunque elucubrationibus conferre non graventur, attendant, nos quæ scimus loqui, non excogitare, sed ut plurimùm, ab aliis exscripta referre, & ad nos missa reddere, meminerintque illius Horatiani:

Sin melius quid habet, arcesse, vel imperium fer. Lib. 1. ep. v.

Moguntinæ Ecclesiæ in Germania Primariæ plures habemus Scriptores Benedictinos, eósque veteris ævi. Et quidem *De Præeminentia Ecclesiæ Moguntinæ* ad Petrum Archiepiscopum olim scripsit *Hugbertus*, cœnobii Blidenstadiensis, D. Ferrucio dicati, Monachus. Vid. Trithem. part. 2. Chron. Hirsaug. ad an. 1313. pag. 135. *De Episcopis & Archiepiscopis Moguntinis* generatim egêre, *Joannes* S. Albani Monachus, qui circa an. 925. claruit. Scripsit enim ad *Hildebertum* Archi-

Archiepiscopum *Chronicon*, sive *Historiam Antistitum Moguntinensium* Libris II. quorum *prior* continebat successiones, & gesta tredecim Episcoporum, à S. *Crescente*, qui primus fuit, usque ad *Gerliebum*, qui illorum extitit ultimus; *posterior* verò successiones & acta duodecim Archiepiscoporum, à S. *Bonifacio*, qui primus eorum fuit, usque ad dictum *Hildebertum*, qui illorum erat XII. *Trithemius* l. d. parte I. ad an. 925. p. 66. Similiter *Theodericus*, itidem S. Albani Monachus & Scholasticus, *Successiones & Gesta Archipræsulum Moguntinensium usque ad sua tempora brevi & utili compendio continuavit.* Vid. idem l. d. ad an. 925. pag. 127. *Mathias Dieffenbach*, Monachus in cœnobio D. *Jacobi*, quod Moguntiæ in monte specioso est, catalogo Abbatum hujus Monasterii Episcoporum, & Archiepiscoporum seriem usque ad sua tempora præmisit. Manuscr. est *Joanni Cratoni Hiegell*, Poliatro Confluentino; cujus beneficio sibi eam tractare licuisse scribit *Georg. Christian. Joannis* in præfat. ad Volumen I. Rer. Mogunt. *De uno alteróque speciatim*, & quidem S. *Aurei* miracula *Gosfwinus*, Moguntiæ ad D. Albani Monachus, libro peculiari recensuit. *Sigebardus*, in eodem cœnobio Monachus, ejusdem S. *Aurei*, & S. *Justinæ* historiam lectionibus seu Capitulis XX. absolvit. S. *Maximi* vitam Jo. Trithemius conscripsit, quam deinde Surius in tomum V. de Sanctis retulit. S. *Bonifacii* vitam dedere *Wilibaldus*, *Othlonus*, *Ruthardus*, & carminicè Lib. II. *Meginfridus* Fuldensis. S. *Lulli* vitam idem Meginfridus versu scripsit. Soluta verò *Anonymus* quidam in codice Gemblacensi, quem Mabillon *Sigebertum*, ejus loci Monachum fuisse suspicatur. Tandem ipse modò laudatus *Mabillonius* de S. *Lullo* Elogium historicum Actis Sanctorum Ord. S. B. inseruit Seculi III. Parte II. *B. Rabani* vitam consignavit *Rodulphus*, Fuldensis; S. *Sonderoldi* vitam & passionem aliquoties jam citatus *Meginfridus* descripsit. *Hildeberti* vitam idem *Meginfridus*. Vide plura apud laudatum *Georg. Christ. Joannis* l. d.

Joannis Mabillonii *Dissertatio de Germaniæ ad Fidem accessione, deque Ecclesiis Cathedralibus, & literarum Academiis in ea institutis, ac de cultu soli Germanici per Benedictinos.* Extat Præfat. ad Acta SS. Ord. S. B. Sec. III. Part. I. §. II. III. IV. V.

§. II.

Scriptores Historiæ Religiosorum Ordinum.

B. Petri Damiani Opusculum *De Ordine Eremitarum* & facultatibus Eremi Fontis Avellani. Extat Opp. Tom. III. inter ejusdem Opuscula ordine decimumquartum.

– Ejusdem Liber *De suæ Congregationis Institutis* ad Stephanum Monachum l. c. n. xv. Fuit S. Petrus Damiani Eremita Benedictini Instituti, & habuit Congregationem quandam Eremitarum, qui quidem exceptis quibusdam statutis strictioribus, addicti erant regulæ S. Benedicti, ut pervium erit legenti libros modò recensitos, ubi multa statuuntur juxtà præscriptum regulæ S. Benedicti, & cap. 18. de suæ Congregationis statutis hæc habet: *Enim verò nos omnia hujus institutionis præcepta minutius non describimus, sed multa, quæ & nobis passim occurrunt, ex studio præterimus. Quicquid enim nobis in divi Benedicti Regula, quicquid in Institutis, sive Collationibus Patrum est dictum, huic competere disciplinæ perpendimus.* Vid. Hug. Menard. in Menolog. Observat. lib. 1. p. 102.

Hermanni Monachi *Liber de Origine & incremento Præmonstratensis Ordinis* exat in Appendice ad Opera V. Guiberti de Novigento à Luca Acherio publici juris facta Parisiis 1651. Floruit Autor seculo xii. ad dignitatem abbatialem in Monasterio Tornacensi evectus, quà tamen, cùm gravi morbo ex apoplexia ægrotare cœpisset, se ipse abdicavit. Sanitati restitutus iter in terram sanctam instituit, ac in patriam redux varia elucubravit, à nobis suo loco commemoranda.

Godefridi *Abbatis Vindocinensis ad Robertum de Arbrissello Fundatorem Ord. Fontis Ebraldensis Epistola.* Etsi Robertus Ecclesiam vitæ sanctimonia illustrârit, & ab obitu suo miraculis claruerit, eum tamen amicum suum Godefridus Abbas in Epistola 47. his verbis redarguere non dubitavit: „Fœminarum quasdam, ut dicitur, „nimis familiariter tecum habitare „permittis: quibus privatim sæpiùs „loqueris: & cum ipsis etiam & in-„ter ipsas noctu frequenter cubare „non erubescis. Hinc tibi videris,

„ut

„ ut asseris, Domini Salvatoris dignè bajulare crucem, cùm extinguere conaris malè accensum carnis ardorem. Hoc si modo agis, vel quando egisti, novum & inauditum, sed infructuosum martyrii genus invenisti. „ Hanc epistolam à Roscelino hæretico confictam, & Godefrido suppositam peculiari dissertatione docet *P. de la Maniferme*, quam recenset *le Journal des Savans* die 22. Juin 1682. pag. 226. 227. 228. sed ejus rationes discutit *Natalis Alexander* Histor. Eccl. Tom. V. pag. 795. dissertatione peculiari, & nullius esse ponderis demonstrat, non sine gravi reprehensione, quòd *Jacobum Sirmondum*, qui eam Epistolam unà cum reliquis *Godefridi Vindocinensis* Operibus fideliter edidit, impietatis & imprudentiæ postulare minimè dubitaverit.

JOANNIS SCHLITTPACHER, Prioris Mellicensis in Austria, *Scriptum de Ordinibus*, qui militant sub regulà *S. Augustini, Benedicti, & S. Francisci*, eorúmque habitibus. Extat inter Mss. Codd. Bibl. Mellicensis, quam vide pag. 408.

JOHANNES BOSTONUS, Benedictinus Anglus, scripsit c. an. 1410. *Speculum Cœnobitarum* lib. III. quibus Monachorum initia & progressus ostendit, quósque Ant. Hallus Oxonii 1728. publicavit. Vide recensionem in Act. Erud. Lips. tom IX Supplem. p. 181.

JOHANNIS TRITHEMII Abbatis Spanheim. libri II. *de Carmelitis*, quorum primus agit *De laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum*, sive de *Ortu ejus, atque progressu*; secundus verò *Catalogum Virorum Illustrium* ejusdem Ordinis complectitur. Qui eodem anno (1493.) Moguntiæ impressi sunt ad instantiam Joannis Lapicidæ, Prioris Coloniensis, & *Jacobi Cuche*, Lectoris ejusdem Ordinis in Crucenacensi Collegio. Recusi deinde sæpiùs fuerunt, *Antverpiæ* 1570. in 8. *Florentiæ* 1593. in 4. cum notis Petri Lucii, Belgæ Carmelitæ, & sine illis inter Jo. Bapt. Mantuani Opera tomo IV. pag. 250. seq. *Coloniæ* 1614. in 8. *Lugduni* liber Primus 1619. in fol. in Antonii Alegre Paradiso Carmelitici decoris. Iterum Coloniæ 1643. in 8. cum Auberti Miræi & Joannis Carthegenæ scriptis ejusdem argumenti. Post tot verò editiones *Dorschæus* in suo *Syll. Sem. Miscell.* pag. 100. cum quibusdam aliis Trithemio hunc partum abjudicare sustinet. Sed actum agit. Trithemium enim de laudibus Ordinis Carmelitarum scripsisse, recepta apud eruditos opinio est, altísque adeò eorum in animis defixa radicibus, ut frustra *Dorschæi* argumentis labefactata fuerit. Unde Cl. Menkenius in sua Bibliotheca semel atque iterum (pag. 807. & 855.) Trithemium illius Operis Authorem esse perhibet. Mihi ne minimus dubitandi locus relictus est, postquàm Trithemii librum de Miraculis ad invocationem B. V. M. in Urticetano Carmelitarum Monasterio juxtà Helbrunense Oppidum legi. Extat verò inter ejus Opera Pia & Spiritualia, à Jo. Busæo S. J. edita Moguntiæ in fol. an. 1605.

PETRUS RICORDATUS, sive *Calzolarius*, Tuscus, Bugianus, sanctæ Mariæ Florentinæ primùm Monachus, tum Prior in Monasterio sancti Pauli extra mœnia Romæ, *Monasticam Historiam* Italicè conscripsit, eámque Florentiæ edidit apud Laurentium Torrentinum an. 1561. in 4. & iterum Romæ apud Vincentium Accolti anno 1575. in 4. Ad hoc autem opus conficiendum in nobilioribus Italiæ urbibus, Romæ, Venetiis, Patavii, Mediolani, Florentiæ, haud parvo tempore, viginti nimirum annorum spatio, est commoratus, ut reconditarum rerum cognitiones nullis parcens laboribus, undique colligeret. Itaque ab exordio nascentis Ecclesiæ repetita Monastici Ordinis institutione, Græcos, Latinósque celeberrimos Patres, ac Principes, qui sese Monasticæ Vitæ addixere, accuratè recenset, præcipuè verò ex Ordine D. Benedicti Viros sanctitate, ac literis illustres, Pontifices, Cæsares, Reges, aliósque Dynastas, qui nostrum Cucullum induerunt, singulari diligentia enumerat, atque lepidissimis digressionibus magna legentium voluptate describit, Urbium, Regionum, Populorum, Familiarum, Temporum, Monasteriorum, Principum, Antistitum, Historias, Genealogias, Origines, aliáque tum sacra, tum prophana documenta addit, ita ut quamvis hoc etiam Opus, ut cunctis ferè hominum lucubrationibus evenit, suis erroribus minimè careat, severioris nimirum critici examinis defectu, quod utique *Ricordati* tempore non adeò rigidum erat, sicut in præsens, attamen si argumenti nobilitatem, operis magnitudinem, & œconomiam, styli candorem, ferr onis ele-

elegantiam, & eruditionis copiam spectemus, plurima sanè laude illud minimè fraudabimus. Celebratum quidem fuit hoc Opus non solùm à Tito Prospero Martinengo, Laurentio Lucalberti, aliisque ejus ævi nobilibus Poëtis, sed etiam à celeberrimis Matronis ac Poëtriis, Livia nempe Martia de Placidis Senensi, & Laura Battifera de Ammanatis Urbinate, quod certè eò est præstantius, quò rarius. *Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 136.* Nec Joannes Mabillonius in Bibliotheca Ecclesiastica §. XXII. dubitavit, *Petrum Ricordatum* celebrioribus Historiæ Monasticæ Scriptoribus annumerare.

CAROLI FERNANDI è Congr. Casalis Benedicti *Laus Ordinis Patrum Carmelitarum* memoratur à Valerio Andrea in Bibl. Belg.

FRANCISCUS RADES de ANDRADA, Hispanus, Toletanus, si Thomæ Tamaio de Uargas fides, Theologiæ Licentiatus, & Ordinis Equestris Calatravensis Sacerdos, Prior dein Cœnobii O. S. B. in Urbe Giennensi, ac Sacellanus Philippi II. Regis, optimæ fidei & exacti judicii scriptor, insigne scripsit Ordinum Equestrium Opus *Chronica de la tres Ordenes y Cavallerias de Sant Jago, Calatrava, y Alcantara.* i. e. *Chronicon Ordinum trium Equestrium S. Jacobi, de Calatrava, & Alcantara* inscriptum, & Toleti anno 1572. in folio impressum. Præclara sunt elogia, quæ Radesio nostro in scriptis suis suspenderunt Duumviri Hispanarum antiquitatum, *Gundisalvus Argote Molina*, & *Ambrosius Morales*; Prioris (d) verba ita jacent: *El Licendiado Fr. Francisco aviendo en su Historia de las tres Ordenes descubierto mil lendezas con estilo muy decente à la narracion de su Historia, ha puesta à toda nuestra nacion en grande denda.* i. e. *Licentiatus Fr. Franciscus ostendit in sua Historia trium Ordinum mille elegantias, stylo narrationem suæ Historiæ condecente; omnem nostram nationem illustravit.*

Morales (e) autem sic de nostro censet: *Francisco Rades es autor, à quien ningun Escritor de las Cosas de Espanna excede en verdad y deligencia. Salazarius* etiam noster inter Ordinum Equestrium scriptores palmam Radesio deferre haud dubitat. Vid. Gerhard. de Franckenau Bibl. Hisp. Geneal. Herald. pag. 140.

FRANCISCUS LA BARR, Prior insignis Monasterii Aquiscinctini in Belgio scripsit sub an. 1640. *Historiam Monasticam* in partes octo & volumina tredecim digestam, eadem complexus *omnium ferè Ordinum Monasticorum institutiones, illustriúmque virorum, qui fuerunt ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad viros præclaros Instituti Cistercienſium, item plurimorum monasteriorum, & Primariorum nomina Abbatum.* Vastum illud Opus vidi ego, inquit Godefridus Henschenius, propriâ Collectoris manu descriptum in Aquicinctino Cœnobio: habeo autem totidem voluminibus in Musæo nostro transcriptum; neque enim auferri ipsum à se Aquiscinctini Monachi volebant; magni autem sua interesse credebat Rosweidus, ipsum habere integrum promptúmque ad manum, jam tum conceptum mente habens Opus, quod eo mortuo parturire Bollandus cœpit. Ita Henschenius in Cōmentario prævio de Scriptor. vitæ B. Odonis Abbat. Tornac. & Ep. Camerac. die 11. Junii Tom. III. pag. 911. col. 1. Nunquam verò vir doctissimus huic Operi locum suo in Musæo concessurus fuisset, nisi magna refertum eruditione cognovisset, quod cùm sibi tum aliis suis Sodalibus in illustrandis Sanctorum Actis non minimum præstare usum posset.

CONSTANTINI CAJETANI Abbatis S. Baronti, è Congr. Casin. *De Religiosa S. Ignatii, sive Enneconis, Fundatoris Soc. Jesu per Patres Benedictinos institutione* l. 1. Venetiis an. 1641. apud Christophorum Thomasinum. Contra hunc libellum scripsit P. Joannes Rho Soc. Jesu, edito libro, quem appellavit *Achates ad Constantinum Cajetanum*, sed utrumque legi Sac. Indicis Congregatio prohibuit. Verum quidem est Librum de S. Ignatii sive Enneconis religiosa Institutione adulteratum & corruptum ab aliquo nebulone, impressum fuisse. Quamobrem ipse Abbas Constantinus illum (sic impressum) respuit, tanquam Benedictino Monacho, eóque Præsule indignum, Casinensi Familiæ, quæ D. ipsum Ignatium in vivis agentem humanitate ac cultu maximo Casini, & apud Albanetam, alibíque prosequuta est, injurium, & denique venerationi, quæ Divo ipsi debetur Ignatio, haud satis congruum. Excerpta ex supplici libello, quem eade re

(d) In Præf. Operis sui Nobleza del Andalusia.
(e) Discurso de las antiguedades Lib. IX. Cap. 7. pag. 240. fin.

te Innocentio X. Pont. Max. & Eminentiss. S. R. E. Cardinalibus Cajetanus obtulit, affert Armellinus in Bibl. Scriptorum è Congr. Casin. part. 1. pag. 128. Cæterùm de Abbatis Cajetani & P. Rho libellis sic in Indice librorum prohibitorum habetur pag. 427. juxtà editionem Romanam an. 1711. „ *De Religiosa S. Ignatii sive Enneconis Fundatoris Soc. Jesu per PP. Benedictinos Institutione, quem ipse Abbas Constantinus tanquam suppositium, sive adulteratum pro suo non agnoscit.* „ Achates verò Joannis Rho absolutè & sine ullo additamento ibidem prohibetur.

-- EJUSDEM *De antiquitate Regulæ, & Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini Lib. I.* Qui liber extat etiam in Bibliotheca Monasterii Ordinis nostri S. Michaëlis Archangeli Montis Caveosi in Apulia cum hoc titulo: *De Antiquitate Canonicorum Regularium S. Augustini Commentarius Apologeticus ad SS. Patrem Benedictum omnium per Occidentem Monachorum Patriarcham & Legislatorem.* Constat triginta duobus capitibus, in quibus evincitur, ante annum millesimum Regulam Canonicorum Regularium, illósque Mundo ignotos omnino fuisse, & impugnatur præcipue Pennotus Canonicus Regularis in sua Hist. tripart. Hæc Constantinus, quæ quidem ego, ut meum est institutum, sincerè narro, inquit Marian. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 129. sed non ita tamen, ut satis agitatas ab utriusque partis Scriptoribus tum antiquis tum recentioribus hisce de rebus controversias, denuò refricari iterúmque suscitari velim. Utinam cœpissent nunquam, vel alia saltem ratione pertractatæ fuissent.

PETRUS PAULUS GINANNI scripsit Italicè *Historiam Canonicæ Portuensis* usque ad reformationem *Frisionariæ* nuncupatam an. 1420. perducítque Historiam ejus Cœnobii usque ad an. 1566. Vid. Armell. l. c. pag. 132.

JOANNES de MEDINA, Monachus Cœnobii Salmantinæ urbis Vincentio Martyri sacri edidit *De la Orden, que en algunos pueblos de España se à puesto en la limosna par el remedio de los verderados.* id est: *Ordo constitutus apud aliquos Hispaniæ populos ad elorgiendam pauperibus eleemosynam.* an. 1545. Salmanticæ apud Joannem Juntam in 4. Nic. Ant. Bibl. nov. Hispan. pag. 566. qui non satis explicat, an Ordo iste sit verè Religiosus, an pia tantùm Laicorum Sodalitas.

PLACIDUS PUCCINELLUS, Abbas Titularis è Congr. Casin. scripsit Italicè *Historiam Originis & Suppressionis Ordinis Humiliatorum.* Opus Ms. vide Armell. part. 2 p. 155.

VITALIS TERRA RUBEA è Congr. Casin. *Laudes V. P. Josephi à Matre Dei Fundatoris Patrum Piarum Scholarum* celebravit. Italicè. Oratio funebris Florentiæ habita, ibíque typis excusa, sed annus impressionis & impressoris nomen desideratur. Armell. Bibl. Casin. part. 2. Lit. V. p. 33.

LUDOVICI BULTEAU è Congreg. S. Mauri *Essai de l'Histoire monastique d'Orient.* Id est: *Specimen Historiæ Monasticæ Orientis in 8. Parisiis 1678. apud Petrum de Bats.* Authoris scopus eò collineat, ut originem atque incrementa Status Monastici ea in orbis regione, disciplinam primi cujusvis Instituti, fundationem celebrium magno numero communitatum, Vitas & Maximas Patrum Eremi, atque aliorum complurium Sanctorum Abbatum, & simplicium Conventualium describat: quæ universa ex veteribus, omniúmque maximè sinceris monumentis eruit. Non absimile vero est visum Domno Bulteau, quòd Monachi, quin etiam Monasteria primis Ecclesiæ tribus seculis extiterint: in exemplum Therapeutas adducit, quorum tamen in Christum fidem ipse in dubium vocat. Sunt, qui status Monastici antiquitatem testimonio S. Dionysii Areopagitæ comprobare volunt: is enim in libro de Hierarchia cæremoniarum meminit, quæ in susceptione Religiosorum observandæ veniunt: verùm cùm hujus Operis author non ab omnibus S. Dionysius agnoscatur, nequit ad tantæ vetustatis originem Ordo, utut cæteroquin inclytus referri. Enumerantur S. Thecla, S. Zenaris, & aliquæ aliæ operâ S. Pauli conversæ, veluti primæ inter Virgines, quæ religiosæ vitæ professionem emiserint. Exemplo S. Eugeniæ ostenditur, quòd in Ægypto monasteria altero jam seculo æræ Christianæ fuerint. Communior sententia est, quæ Monast cæ vitæ institutionem à S. Pachomio Abbate deducit. Le Cerf. Bibl. Hist. Crit. p. 54.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani *XIV. Ord. Fundatores* cum fig. Augustæ Vindel. in 8. an. 1614.

GERHARDI HAGEMANNI *Dissertatio de Ordinibus Militaribus*, præcipuè de

de Equitibus Rhodiis, hodie Melitensibus, Templariis, & Teutonicis. Extat in libro Authoris de *Nobilitate* lib. 2. tit. 20. p. 358. seq.

D. ANTONII JOSEPHI MEGE è Congr. S. Mauri *Dissertatio de origine Status Monastici, ac Regulis, quæ ante Regulam Benedictinam in usu fuerunt.* Habetur in præfatione ad Comment. in Regulam S. Benedicti. 4. Parisiis 1657. Idem Author multa scitu digna profert de Sanctimonialibus, & Abbatissis in Dissertatione de origine, prærogativis, & commodis Virginitatis. 12. Parisiis an. 1655. le Cerf. pag. 351.

JOANNES MABILLONIUS Præfat. in Tom. I. Actorum Ord. S. B. agit *de Monachorum Origine, statu, & Regulis in Occidente ante S. P. Benedictum.* In Præfat. verò in Sec. II. §. II. *de Monastici Status antiquitate in Belgio ejusdémque per S. Amandum propagatione.* §. III. *De Sanctimonialium & Canonicarum Virginum origine itidem in Belgio.* Præfat. II. in Sec. VI. §. VIII. De variis Congregationibus, & Ordinibus Monasticis Seculo XI. institutis. §. IX. *De Ordine Grandimontensi, ejusque Regula & Institutione* §. X. *De Institutione Sacri Ordinis Carthusiensis per S. Brunonem.* §. XI. *De origine & Instituto Fratrum Conversorum, & eorum, quos Donatos & Oblatos vocant.*

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri *Commentatio Historica de Ordine S. Spiritus recti desiderii, sive nodi.* Extat ad calcem Tomi II. Monumentorum Historiæ Franciæ pag. 327 - 342.

-- EJUSDEM *Descriptio Montis Atho*, in quo aliquot millia Græcorum Monachorum, hac nostra etiamnum ætate habitant; de horum institutione ac conversatione scripsit Montfauc. Palæographiæ Græcæ lib. VII. pag. 433 - 509.

CLAUDIUS MARTIN è Congreg. S. Mauri vitæ sanctimoniâ conspicuus vitam conscripsit pientissimæ suæ matris, quæ viro orbata, in Virginum Deo dicatarum, quas Ursulinas vocant, collegio, intra urbis Turonensis mœnia constituto, sacrum velum suscepit. Non multo post tempore in primam Superiorem Ursulinarum Quebeci in Canada, Americæ regno, electa, barbaras puellas Christianis rudimentis imbuit, tandémque incredibilibus laboribus pro Deo defuncta anno 1672. in opinione sanctitatis deseruit terras, ac in cœlum abiit. Vita typis data est Parisiis apud Lud. Billaine an. 1677. Vide Journal de Sçavans an. 1678. tom. 6. pag. 201.

La vie de la Venerable Mere Marie de l'Incarnation Superieure des Religieuses Ursulines en Canada. Id est: Vita Venerabilis Matris Mariæ de Incarnatione Superioris Religiosarum Virginum Ursulinarum in Canada. Parisiis in 4. an. 1677. apud Ludovicum Billaine. Vid. le Cerf pag. 325.

MICHAEL FELIBIEN è Congreg. S. Mauri literis consignavit vitam Dominæ *de Humieres*, Abbatissæ, ac Reformatricis Monasterii Muchiensis Ord. Cisterc. quæ decimo tertio Calandas Februarii obiit an. 1700. Parisiis 1711.

JOANNES MARTIANAY è Congr. S. Mauri Vitam Ven. Sororis Magdalenæ à Ss. Sacramento Ord. Carmel. unà cum Reflexionibus super virtutum illius excellentias luci publicæ dedit Parisiis 1712. in 12. Celebrior est vita S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, quam P. *Martianay* à se Gallicè scriptam an. 1706. in 4. vulgavit. In hujus Libro X. agit de Monachis *Hieronymitanis*, quorum Institutum præcipuè in Hispania ac Italia viget; non quòd eorum Fundator sit S. Hieronymus, ut qui primùm Seculo XIV. inclarescere cœperunt, sed quòd eorum Regula deprompta sit ex D. Hieronymi scriptis, præcipuè ex ejusdem Epistolis.

EDMUNDUS MARTENE & URSINUS DURAND è Congr. S. Mauri Vet. Script. Collect. amplis. Tom. VI. Præfat. §. I. agunt de Religiosis Ordinibus seu Congregationibus Seculo XI. & XII. exortis. I.) *De origine Camaldulensium*, quorum auctor fuit S. Romualdus circa an. MXXIII. multorum cùm cœnobitarum, tum eremitarum pater. II.) *De Congregatione Fontis Avellani* in Italia, cujus Fundator dicitur Ludolphus Episcopus Eugubinus, natione Germanus circa an. MXIX. Novi hi eremitæ à Camaldulensibus hoc ferè uno differunt, quòd bini in cellis degerent, atque etiam præter cæteras corporis macerationes utrisque communes, flagellorum, seu, ut vocant, disciplinarum usum invexerint. S. Petrus Damiani præcipuum ejus instituti ornamentum, & strenuissimus propagator fuit. III.) *De Ordine Vallis Umbrosæ*, quod alterius est religiosi Ordinis

dinis sub Regula S. Benedicti caput. Ejus auctor S. Joannes Gualbertus anno MXXXIX. habetur. IV.) *De origine Canonicorum Regularium*, quorum initium ad an. MXXXVIII. refertur; quo quatuor Canonici Ecclesiæ Avenionensis, Arnaldus, Odilo, Pontius, & Durandus, vitæ religiosæ studio accensi, in solitudinem se recepêre, favente Benedicto Episcopo, qui ipsis Sanctorum Justi & Rufi ecclesiam concessit. Et quia Canonicis priùs adscripti fuerant, quàm monasticis se institutis addicerent, ab omnibus deinceps appellati sunt *Canonici Regulares*. Regulam verò S. Augustini, seu eximiam illam ad Sanctimoniales Epistolam, olim 109. nunc 211. sibi pro vitæ norma adoptârunt. V.) *De Ordine Grandimontensium*, quem anno circiter millesimo centesimo S. Stephanus instituens nullam aliam discipulis suis regulam videtur præscripsisse, præter unius Evangelicæ perfectionis observationem. VI.) *De origine Carthusiensium*, quotùm odor sanctitatis suavissimus fidelium mentes ab annis amplùs sexcentis reficit & recreat. VII) *De origine Congregationis Aroasiensis*, quæ est novum Ordinis Canonicorum Regularium examen anno circiter millesimo & nonagesimo, nomen ferens ab *Aroasia*, loco in diœcesi Atrebatensi. VIII.) *De origine Ordinis Cisterciensis* apud Burgundos, toto orbe celeberrimi, auctore S. Roberto, Abbate Molismensi. IX.) *De origine Ordinis Fontis Ebraldi*, cujus author B. Robertus de Arbrisello, qui sibi adhærentes ad Regulam S. Augustini informavit tempore Urbani II. Est autem *Fons Ebraldi* locus in confinio Turonum & Andegavorum diœcesis Pictavensis. X.) De *Ordine Tironiensi*, qui potiùs dicendus est Congregatio O. S. B. authore Bernardo Abbate monasterii S. Cypriani in Aquitania propè Pictavim. XI.) *De Ordine Savigniacensi* sic dicto à *Savigniacensi* saltu, in quo primum monasterium à B. Vitale S. Roberti de Arbrisello discipulo conditum est. *Saviniacum* verò & monasteria ipsi subdita Cisterciensi Ordini adjuncta fuerunt. XII.) *De Congregatione S. Sulpitii* nomen sortita à monasterio sub S. Sulpitii patrocinio à Radulpho de Fusteia, Roberti de Arbrisello discipulo pro Monialibus fundato, quibus Religiosos monachos sub Priore viventes, ut apud Fontem Ebraldi, subjecit. XIII.) *De Congregatione Geraldi de Salis*, qui Salis in pago Petrocoricensi natus, fuit discipulus B. Roberti de Arbrisello. Hæc Congregatio Ordini Cisterciensi est attributa. XIV.) *De Congregatione S. Victoris*, celeberrimo Parisiis monasterio. XV.) *De Ordine Præmonstratensi* celeberrimo, cujus auctor S. Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis. XVI.) *De Ordine S. Gilberti de Simpringham* in Anglia, in quo viri S. Augustini, fœminæ S. Benedicti regulam servant. XVII.) *De Congregatione Calesiensi in Delphinatu* Ord. S. B. cujus memoria pene est obliterata. Denique §. II. toto eruditè differitur *De Fratrum Conversorum in Monasteriis origine.*

VITI DE AMICO è Congreg. Casin. Prioris S. Nicolai de Arenis *Notitiæ Abbatiarum*, quæ in Sicilia Sacra Pirri Rochi desiderantur. Venetiis an. 1733. in fol. & iterum Catanæ 1734 in fol.

REMIGIUS CEILLIER Historiæ Generalis Authorum Sacrorum *Tomo IV. Cap. X.* agit de S. *Pachomio*, primo Abbate Tabennensi, authore vitæ cœnobiticæ, ejúsque Regula monastica, aliísque scriptis. Capite XIII. de S. *Antonio*, primo Patre Anachoretarum in Ægypto, qui solitudinem circa an. 285. ingressus, per an. XX. in arce desolata vixisse, circa an. 305. demum discipulos admisisse, frustra martyrium Alexandriæ quæsivisse, multa miracula patrâsse, & an. 356. ætatis 105. obiisse traditur; déque ejus Epistolis ad *Constantinum M.* pro *Athanasio*, item de Epistolis ad diversa monasteria scriptis, déque suppositititiis, & editionibus.

REGINALDUS PERCKMAR San-Udalricanus Augustæ Vindelicorum ex Philosophiæ Professore Parochus, & Supprior, ingens à pluribus annis molitur opus de universis Ordinibus Religiosis utriusque sexûs, qui unquam in Ecclesia Catholica floruerunt, atque etiamnum florent. Anno 1731. cùm per Augustanam urbem iter facerem, vir doctus pro eximia suâ humanitate apparatum magnæ jam tum molis; & ostendit, & aliqua ex eo non obviæ eruditionis prælegit. Quo eodem adhuc labente anno Viennam Austriæ profectus est, ut in varios Religiosos Ordines, qui in eadem Austriacarum urbium principe ac regina domicilia collocârunt, propiùs ex eorum alumnis inquireret. Optandum Cl. Authori, ut exoratur Mæcenas, qui in vastum ac pretiosum

tiosum Opus, multis comprehendendum tomis, sumptus suppeditet, quò typis mandari possit.

JOANNIS SCHLITTPACHER, Prioris Mellicensis, Compendium Tractatûs cujusdam editi contra mendicitatem Religiosorum, & maximè Fratrum Minorum, qui incipit: *Primus homo positus &c.* Autogr. scriptum 1457.

Judicium de præmisso Tractatu. Inc. *Circa Tractatum, cujus initium: Primus homo &c.* Hoc egregium Opusculum dicavit, & misit Venerabili P. D. Thomæ Domus Carthusiensis in Axpach Priori, cui præfixa Epistola inscripta est. Joannes non exptimit nomen illius auctoris contra mendicantes Fratres Min. Tegernseenses Anonymi Carthusianum vocant. Fortè est P. Vincentius de Axpach homo severus & acer. Vide Bibl. Mellic. pag. 425.

§. III.

Scriptores Historiæ Sacrarum Expeditionnm ad tecuperandam Terram Sanctam.

SYlvester II. ex Benedictina Familia Pontifex Maximus, ptimus fuit, si Baronio credimus Annalium Eccl. tom. XI. ad annum 1003. qui sanctæ militiæ classicum occinuit. Abbas Florius Discursu VI. super Historiam Ecclesiasticam primas defert Gregorio VII. magni & imperterriti animi, atque ad gerendas tes magnas idoneo Pontifici. Is epistolam Lib. II. n. 31. ad Henricum Imperatorem scripsit, qua ipsum ad arma contra Saracenos, Terræ sanctæ injustos occupatores, capessenda exhortatur; quoque alacriores ipsi animos addat, certum eum esse jubet, jam quinquaginta atmatorum millia sub signis consistere, quibus ipse & viæ & militiæ Dux futurus sit. At cùm negotia subinde urgentiora instarent, à suo desistere proposito coactus est. Illud verò viginti post annis Urbanus II. Ordinis Benedictini alumnus, exequutus est, Christianis ex Occidente in Orientem, ingenti numeto ad Terram sanctam recuperandam profectis; quorum itinera & bella cum Satacenis gesta complures Benedictini in literas tetulerunt. Sunt verò sequentes.

ROBERTI *Monachi Historia Hierosolymitana.* Hoc nomine ipse illam inscripsit, à se, ut in præfatione Apologetica testatur, compositam, in claustro cujusdam cellæ S. Remigii constitutæ in Episcopatu Remensi, jussû Abbatis cujusdam, cujus tamen nomen non expressit, *Bernardum* verò fuisse vocatum ex veteri MS. Bongarsins etuit. Cùm enim hujus argumenti ab alio, nescio quo, conscripta narratio displiceret Abbati Bernardo, quòd erat & acephala, & stylo negligentiore composita, Roberto stimulos addidit, ut ipse ad eandem perscribendam in calamum incumberet. Paruit monitis Robertus, scripsitque hanc suam Historiam stylo satis eleganti, exorsus ab anno MXCV. desinens in victoria apud Ascelonam anno MXCIX. à Christianis reportata. Quæ eò maiori fide digna est, quò Author sacræ Expeditioni non propior modò, sed eidem etiam interfuit. Libris verò IX. illam complexus est, non verò X. prout Trithemius scribit; nam is exemplari forsan usus est, in quo liber unus in duos divisus fuit: quomodo in antiquioribus editionibus septimus & octavus in unum coaluerunt. Mihi tamen nulla editio visa est, quàm quæ à Joanne Bongarsio in *Collectione Gestorum Dei per Francos* Tom. I. in fol. Hanoviæ an. 1611. accurata fuit. Illud non prætereundum, quòd Possevinus Robertum nostrum, quem Auctor *Libri Principalis bellorum Domini pro tempore novæ Legis* Abbatem S. Remigii vocat, confundat cum Sigeberti Continuatore, *Roberto de Monte*, in Apparatu suo in *Robertus monachus*: quem antea distinxerat ex Arnoldo Wione in *Robertus Anglus*.

BALDRICI, Galli, primùm Monachi & Abbatis Burguliensis, dein Archiepiscopi Dolensis in Aremorica *Historia Hierosolymitana* IV. libris, non poëtica tamen methodo, ut Caveus & Oudinus erroneè scribunt, & qui illos secutus est Gravesonius. In hac Christianorum Latinotum tes gestas in Oriente ab anno primo susceptæ sacræ Expeditionis, seu ab anno MXCV. usque ad Hierosolymam à Latinis expugnatam, & Godefridi Bullionii Regis obitum, id est, ad an. MC. veraciter & eloquenter descripsit, teste *Orderico Vitali* libro IX. Historiæ Ecclesiasticæ: Qui sub ejusdem libri finem hanc de Baldrico notitiam nobis reliquit: „ Hucusque venera-„ bilis Baldtici persecutus sum vesti-„ gia,

„ gia, & veracem feci narrationem „ de famosa Christi militia, quæ, ju- „ vante Deo, insigniter debellavit „ in Eois partibus Ethnicorum agmi- „ na. Multis in locis Operi nostro „ inserui eadem verba Sophistæ, si- „ cut deprompserat ipse, non ausus „ aliter ejus dicta propalare, quæ „ non credebam me posse emendare. „ Quædam tamen, ne prolixitas ta- „ xationis nostræ fastidio legentes o- „ neraret, abbreviando recidi: non- „ nulla verò posteritati notificanda, „ quæ tacuerat, veraciter adjeci, pro- „ ut ab his, qui laboribus & periculis „ interfuerunt, edidici. Præfatum „ seniorem, quem bene agnovi, ve- „ neranter honorare decrevi. Hic „ civis fuit Aurelianensis, monachus „ & Abbas *Burguliensis*, liberalibus „ imbutus studiis, & religiosæ meri- „ tis vitæ venerabilis: inde pro reli- „ gione & sapientia, ad gradum Do- „ lensis Archiepiscopatus electione „ provectus est ecclesiastica: in epi- „ scopatu monachatum servavit, & „ cum monachis, prout sors dabat, „ plerumque habitabat. Indomitis „ enim Britonibus præerat, quorum „ perversitatem tolerare non pote- „ rat: unde protervos & exleges fre- „ quenter deserebat, & in Norman- „ niam fugiebat: ubi Dolensis eccle- „ sia, super Riselam fluvium, à tem- „ poribus S. Sampsonis, regnante „ *Hilderico* Rege Francorum, fundos „ habebat, & quietè possidebat. Ibi „ scriptis & dogmatibus suis, audi- „ tores suos ad cultum Dei incitabat, „ & vicina cœnobia, *Fiscannum* vi- „ delicet, & *Fontinellam* atque *Gem-* „ *meticum* aliáque plura visitabat, & „ in timore Dei sacris sermonibus „ confortabat. Tandem in senectu- „ te bona defunctus est, & *Pratellis* „ in basilica S. Petri Apostoli, ante „ Crucifixum sepultus est.„ Hæc Or- dericus Vitalis. Opus autem Baldri- ci typis mandatum fuit tomo I. pag. 84 - 138. Collectionis Gestorum Dei per Francos, Hanoviæ typis Weche- lianis apud hæredes Joan. Aubrii an. 1611. non autem inter Scriptores re- rum Francicarum ab Andrea Du- chesnio vulgatos, ut Caveus minùs peritè scripserat.

Fulcherius, Gallus, Monachus Carnotensis, qui cum cæteris Pere- grinis iens, postea quæ oculis vidit, diligenter, & sollicitè in memoriam posteris collegit. Iter ingressus est cum Roberto Normanniæ Duce, & Stephano Blesensi & Carnotensi Co- mite. Cùm propè abesset Antiochia Syriæ, Balduinum secutus est, Go- defridi Ducis fratrem, cujus tum erat Capellanus. Hic igitur Histori- am, cui nomen dedit: *Gesta Franco- rum Hierusalem peregrinantium*, ab anno MXCV. ad MCXXIV. deduxit. Publici juris facta est à Jacobo Bon- garsio Orientalis Historiæ Tomo I. pag. 381 - 440.

Guibertì gente Galli, domo no- bilis, & Abbatis Monasterii S. Mariæ Novigenti in pago Laudunensi, *Hi- storia Hierosolymitana*, cui titulum fe- cit: *Gesta Dei per Francos*. quo ex- cogitari alius nec aptior potest, nec verior, judice Jacobo Bongarsio; un- de ipse eundem titulum integræ suæ collectioni Scriptorum Sacrarum seu Orientalium Expeditionum imposuit. „ Ut *Deum*, inquit, in cœlis dici- „ mus, non quòd non & alibi, qui „ ubique: ita hæc Gesta Dei voca- „ mus, non quòd non alia omnia, „ maxima, minima, moveat, regat, „ & moderetur Deus: sed quòd his „ tam manifestus ac præsens inter- „ fuisse videatur, quàm cœlum ac „ sidera insidet: De mille unum ac- „ cipe. Admirationi Annibal fuit, „ quòd alieno in solo ex Afris, Hi- „ spanis, Gallis, Italis exercitum, „ ita uno veluti vinculo copulatum „ tenuerit, ut nulla inter ipsos, nec „ adversùs Ducem seditio extiterit: „ cùm & pecunia sæpe in stipendium, „ & commeatus in hostium agro de- „ essent. *Tit. Livius lib.* 28. Nu- „ gæ præ his nostris. Nam, neque „ ille tot in unum nationes diversas „ collectas habuit unquam, neque „ tam procul domo deduxit; neque „ tam alienis, infestis, barbaris, & „ numerosis gentibus, etiam diver- „ sitate Religionis inflammatis, con- „ currendum ei, cui cum unis Ro- „ manis, nondum certis Italiæ do- „ minis, res fuit: & quod unum „ servare varium corpus illud potuit, „ ipse tot membris caput & Impera- „ tor adfuit. Hic totius Occidentis „ populi omnes, quot recensere dif- „ ficile est, linguis, habitu, condi- „ tione, ingenio, fine diversi ex Oc- „ cidente in Orientem, tanquam „ alium in Orbem, peragrata Europa, „ per Germaniam, Hungariam, Bul- „ gariam, Thraciam in Asiam pe- „ netrant: ut Græcorum dolis, ira „ Turcorum armis invicti, superata „ Bithynia, Pisidia, Lycaonia, Ci- „ licia,

„ licia, Cappadocia, Syria, Palæstina, „ tandem expetitam Hierosolymam „ obtinent; conjuratis in eos, qui an- „ tea imperii æmulatione arma in „ se converterant, Turcis & Sarra- „ cenis, non unius aut provinciæ aut „ urbis, sed totius Orbis, certè Asiæ „ totius viribus succinctis, & præter „ cætera zelo superstitionis accensis: „ nullo stipendio, nullo Duce, nisi „ Dux, qui & Auctor fuit.

Quis casum meritis adscribere talibus ausit?
Quis neget auctorem hac constituisse Deum?

„ Qui Godefridum (Bullionium) im- „ peràsse volunt, viri magni, næ illi in „ hac historia ita negligenter versati „ sunt, ut lecta nec legisse videantur. „ PER FRANCOS autem Gesta dici- „ mus: quoniam cùm in regno Fran- „ corum captum expeditionis hujus „ consilium; & Principum, militúm- „ que longè maxima pars è Regno „ Francorum esset: Francorum ita „ seu virtus seu numerus excelluit, ut „ inde, toto Oriente, etiam hodie „ Franci dicantur, qui ad Occiden- „ tem habent Christiani omnes, Ger- „ mani, Itali, Angli, Dani (nam & „ hi in partem hujus gloriæ, meritò „ veniunt) Hispani.„ Hæc Bongar- sius pro elucidatione tituli: GESTA DEI PER FRANCOS.

Cæterùm Guibertus Historiam suam libris octo comprehensam ab ingressu nostrorum Occidentalium in Palæstinam ad Balduini I. regnum & annum Christi MCX. deduxit, ac Lisiardo Suessionensi Episcopo amicitiâ sibi juncto inscripsit. Interpretem se alienæ historiæ profitetur, cùm literis tradat, non quæ oculis usurpàrat ipse, pede è Gallia nunquam prolato, sed aliorum premat vestigia, ita tamen, ut quæ desiderentur, ex aliorum relatu, qui sacræ expeditioni præsentes fuissent, interserat. Ex eorum nunumero facilè præcipuus, & in vicinia quidem fuit Robertus olim S. Remigii Remensis Monachus, si non etiam, quod idonei authores habent, Abbas & Cœnobiarcha, cujus testis oculati libros de sacra Expeditione conscriptos paulò antè recensuimus. Opus Guiberti edidit Bongarsius l. c. Tomo I. pag. 1470 - 1559. in cujus tamen editione libri tantùm septem numerantur, quia septimum & octavum pro uno habet. Caspar Barthius hos libros notis illustravit, quas reperies in Jo. Pet. Ludewigii Reliquiis MSC.torum & Diplomatum Tom. 3. pag. 406 - 487.

EKKEARDI Abbatis primi Monasterii Uraugiensis in Diœcesi Herbipolensi libellus, qui dicitur *Jerosolymita de oppressione, liberatione, & restauratione Jerosolymitanæ Ecclesiæ*, seu breviùs *de Expugnatione Jerosolymitana*, cui, cùm author præsens adfuerit, uti ipse fidem facit, ejus historia præ multis aliis idonea est, quæ præcipuam fidem mereatur. Eam ex MS.to Bibliothecæ Regis Christianissimi ediderunt Martene & Durand Collect. Ampl. Tom. V. pag. 510. Hic libellus non magnæ molis, magni tamen est pretii, cùm singularia & hactenus inaudita habet, de quibus alii non meminere.

ODONIS de DIOGILO, Abbatis S. Dionysii in Francia anno 1153. electi *Descriptio Itineris transmarini Ludovici VII. Francorum Regis in Orientem*, extat MS. in Bibliotheca Pontigniacensi Ord. Cisterc. unde à Franc. Chiffletio eruta, & Divione in 4. an. 1660. publicata fuit.

GUNTHERI, Monachi Elnonensis in Belgio, celeberrimi Seculo XII. Historico - Poëtæ *Solymarius*; quo opere bellum sacrum, sive expeditionem Christianorum Regum, ac Principum in Terram sanctam adversùs Saracenos, auspiciis Cunradi Imperatoris factam, exsecutus fuerat. Ita *Rittershusius* in præfatione ad ejusdem Guntheri *Ligurinum*, quem *Justus Reuberus* inter veteres Scriptores Rer. Germ. edidit an. 1584. Francof. & Petrus Pithœus Basileæ an. 1569.

DODECHINUS, Germanus, Abbas Cœnobii S. Dysibodi scripsit Historiam sanctam, sive de peregrinatione in Palæstinam. Alex. Nat. H. E. Sec. XIII. cap. IV. art. I. p. 134.

GREGORII, Monachi Cassinensis, *Historia Belli sacri*, seu *de Via Hierosolymis, qualiter recuperata sit &c.* ad expugnationem Hierosolymorum, & mortem Boamundi Principis Antiocheni, id est, annum MC. perducta. Hanc historiam à nonnullis *Gregorio* nostro adscriptam Jo. Bapt. Marus in Not. ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Cas. c. 32. p. 55. in Bibliotheca Casinensi haberi testatur. Nec causa ita opinandi deest, cùm iste *Gregorius* rogatu Berardi Valvensis etiam versus de transitu peregrinorum ad Sepulchrum Domini & expugnatione Hierosolymitanæ Urbis ediderit. Vulgavit hanc historiam Mabillonius *Musæi Italici* Tom.

Tom. I. Part. II. p. 130. qui in præfatione monet, non deesse, qui auctorem gente Gallum vel Normannum & quidem Laicum fuisse, suadere videantur, quod tamen in medio relinquit. Quisquis sit, se αὐτόπτης esse, rebúsque gestis interfuisse, non uno loco testatur. *Cav. Hist. Lit. pag.* 560. Confer etiam Tenzelii Menstrua Colloquia an. 1690. p. 345. & 346.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND Observationes historicæ de sacra Expeditione à Ludovico VII. Francorum Rege, & Conrado Imp. susceptæ, extant Collect. ampl. Tom. II.

ARNOLDUS Abbas Lubecensis *Historiæ Slavicæ*, seu *Supplemento Derelictorum Helmoldi* intexuit præter Iter votivum Henrici Leonis Ducis Saxoniæ & Bavariæ sacras Expeditiones Friderici I. & Conradi III. Impp. Philippi Regis Galliæ & Richardi Regis Angliæ, Widonis Regis Hierosolymitani res infeliciter gestas cum Saladino &c.

§. IV.

Scriptores Sectarum, Hæresium, Schismatum, ac Persecutionum Ecclesiæ.

ANASTASII Bibliothecarii *Collectanea* de iis, quæ ad Historiam Monothelitarum spectant, ex editione *Jacobi Sirmondi*, atque *Combefisii*, Obvia etiam sunt Tom. XII. Bibl. Patrum Lugdunensium.

RATRAMNUS Monachus Corbeiæ veteris Sec. IX. de iis, quæ ad Græcorum schisma pertinent, longè fusiori ac feliciori calamo scripsit, quàm *Æneas* Episcopus Parisiensis, qui de eo nonnulla obiter tantùm ac compendiariò retulit, ut nimirum Græcorum argumenta dilueret. Utriusque Opera in primo & septimo Dacheriani Spicilegii tomo habentur. Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 2. p. 241.

ANONYMUS, vetus Monachus Benedictinus, qui anno 1088. scripsit de multiplici Berengarii damnatione, editus à Petro Francisco Chifletio inter alia scripta prisci ævi Divione an. 1656. in 4. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. pag. 573.

HUGO Archiepiscopus Rotomagensis de Hæresibus sui ævi, i. e. Seculi XII. à Luca Acher. in calce Operum *Guiberti* vulgatus.

GUITMUNDI ex Monacho S. Leutfredi Episcopi Aversani narratio de hæresi Berengariana, continetur in ejus libris tribus de Evcharistia.

PETRUS MAURITIUS Abbas Cluniacensis, cognomento Venerabilis, in Hispaniam iter susceperat, ut Congregationis suæ Monasteria visitaret: quo tempore nefandam Mahometis sectam, Mauris per multa loca rerum adhuc potientibus, oculis usurpare coactus erat; cujus insanam fœditatem detestatus, nullis pepercit sumptibus, quò præter alia Alcoranus Mahometis Arabicè scriptus Latinè redderetur: cujus versionis exemplar S. Bernardo misit cum literis, in quibus „Fuit hæc mea intentio, inquit, „ ut morem illum Patrum sequerer, „ quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam hæresim silentio præterirent, quin ei totis viribus resisterent, & scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem esse demonstrarent. Hoc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum, in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ confluxerunt, facere volui, ne, sicut lethali ejus peste dimidius pene orbis infectus agnoscitur, ita quàm sit execrandus, & conculcandus, detecta ejus stultitia & turpitudine à nescientibus agnoscatur. „ V. Petrus ad eandem versionem usus est operâ Roberti Kecenensis, Annani Dalmatæ, & Petri Toletani; & primus quidem Alcoranum in Epitomen redegit. Confer, quæ lib. 2. Cap. 1. Sect. III. diximus.

ACHERIANI SPICILEGII Tomi IV. pars maxima *Schismatis Avenionensis* continet monumenta; cujusmodi etiam plura de eodem schismate ediderunt Martene & Durand. *Thes. Nov. Anecd. Tom. II.*

JOANNES SCHLITTPACHER, Prior Mellicensis Sec. XV. scripsit *De numero Schismatum, quæ Ecclesiam laceraverunt ab an. Christi CCCXLII. usque MCCCCXXXIX.* Vid. Bibl. Mellic. pag. 409.

ÆGIDIUS MUCIDUS, Gallicè *Muisis*, Abbas Tornacensis S. Martini in Tractatu de rebus gestis ab an. 1349. ad 1352. prolixam narrationem instituit *de destructione Judæorum & de secta flagellantium.* Valer. Andr. in Bibl. Belg.

ANDREÆ de ESCOBAR, Hispani, ex Monacho Benedictino Episcopi Megarensis, deinde Civitatensis, hinc Ajacensis, &, ut quibusdam placet, S. R. E. Cardinalis, de quo Trithemius

mius l. 2. c. 136. de Vir. Illustr. Ord. S. B. *Chronica recollectio XXIV. Schismatum ab anno Christi 354. ad an.* 1407. Nic. Ant. Bibl. Hisp. vet. Tom. II. p. 155.

Relatio de Ortu & Progressu Hæresum in Germania; præsertim verò Augustæ Vindelicorum ex antiquis Annalibus MSs. cujusdam contemporanei feliciter descripta, & nunc publici juris facta anno 1654. Opus, ex quo hæc relatio deprompta fuit *Clementis Sünderi* vel *Senderi* San-Udalricani Monachi est, cujus suprà meminimus.

AMBROSIUS de RUSCONIBUS, Italus, Mediolanensis, Monachus Parmæ in Cœnobio S. Joannis Evangelistæ collegit vitas omnium Hæresiarcharum, quas edidit Venetiis anno 1619. in libro, cui titulum fecit: *Triumphus Catholicæ veritatis*, de quo suprà ex Armell. Bibl. Cas. part. 1. p. 15.

CASIMIRI FRESCHOTT, Burgundi, Vesontini, è Congr. Casin. *Successi della Fede in Inghilterra colla storia dell' ultime Eresie fino alla felice Libertà datta alla Religione Cattolica dal Regnante Giacomo II.* id est: *Fidei Successus in Anglia cum historia ultimæ hæresis usque ad felicem libertatem à Jacobo II. regnante Catholicæ Religioni indultam &c. unà cum vita & morte Ducis de Monmomth.* Bononiæ an. 1685. apud Montium; iterùmque ampliat. ibidem apud eundem Montium an. 1682. in 12. quem librum refert Bened. Bacchinus in Ephem. lit. an. 1687. pag. 127. & seq. & ex eo Armell. in Bibl. Cas. part. 1. pag. 113.

– EJUSDEM *L' Eresia estinta nella Francia*, i. e. *Hæresis extincta in Francia.* Bononiæ an. 1687.

THOMÆ BLAMPINI è Congreg. S. Mauri præfatio prolixa & historica ad Tom. X. Opp. S. Augustini *de Pelagio hæresiarcha ejus asseclis & Semipelagianis.* Exponitur verò §. *I. Pelagii* hæresiarchæ patria, vitæ institutum, & mores. §. *II.* Prima Pelagii scripta veneno hæreseos jam imbuta. §. *III.* Origo hæresis Pelagianæ. Hanc Pelagius Romæ proferre incipit, quæ brevì longè latèque diffunditur. §. *IV.* Cælestius Pelagii discipulus accusatur à Paulino, idémque à Carthaginensi Concilio anno 412. condemnatur. §. *V.* Pelagianos sacris concionibus primùm, tum postea scriptis libris impugnat S. Augustinus. Scribit in eosdem ad Marcellinum opuscula duo, aliud de baptismo parvulorum, aliud de Spiritu & litera: nec non inter id temporis epistolam ad Honoratum de gratia novi Testamenti. §. *VI.* S. Augustinus anno 413. Carthagine contra Pelagianos concionatur. Rescribit Pelagio. Doctrinam de gratia Dei contra ejus hæresim confirmat literis suis ad Anastasium & Paulinum. §. *VII.* Pelagius año 413. aut 414. Demetriadi virgini venenum suæ hæresis propinat. Hieronymum calumniis appetit, permoleste ferens errores ab eo suos consutari. Pelagianos Siculos refellit Augustinus. §. *VIII.* Augustinus anno 415. Timasium & Jacobum revocat ab erroribus Pelagii, cujus & librum ab iis sibi traditum refellit opere de natura & gratia. Aliud opus contra Pelagianas definitiones Cælestio triburas scribit, dictum de perfectione justitiæ hominis. §. *IX.* Confessus Jerosolymis anno 415. à Joanne Episcopo habitus, in quo cum Pelagio coràm disputat Orosius. Pelagio Joannes plus æquo favens, Orosium paulò pòst insimulat blasphemiæ: quam ille criminationem scripto apologetico ab se propulsat. De Hieronymi dialogis contra Pelagianos. §. *X.* Pelagius ab Herote & Lazaro perducitur ad Diospolitanæ Synodi judicium: illo judicio damnatur Pelagiana hæresis, hæresiarcha ipse Pelagius absolvitur. §. *XI.* Pelagius hæresis suæ post Diospolitanam synodum retinentissimus, varias scriptiones an. 416. pervulgat. Eandem hæresim adversùs Augustini & Hieronymi dissertationes tutatur Theodorus Mopsuestenus. Pelagiani cujusdam Romæ blasphemia. §. *XII.* Hieronymi scriptiones aliquot ab Orosio in Africam afferuntur, ac simul Herotis & Lazari literæ de caussa Pelagii. Carthaginensis synodus Innocentio contra Pelagianam hæresim scribit. Idem præstat Milevitana. Idem & quinque conjunctim Episcopi. De Augustini epistolis ad Hilarium & Joannem. §. *XIII.* Ineunte anno 417. Innocentius Africanis Episcopis respondens, Pelagium & Cælestium damnatâ eorum doctrinâ anathematizat. De Gestis Diospolitanæ synodi librum edit Augustinus, cujus extrema parte Pelagianorum in Hieronymum seditionem memorat. Idem epistolam contra Pelagianos scribit ad Paulinum. §. *XIV.* Romam venit Cælestius, & fidei suæ libellum Zosimo porrigit. Innocentem putat Zosimus, ac super ejus caussa ad Afros Antistites scribit, eundem tamen interim non absolvens. §. *XV.* Pelagii epistola & fidei professio, destinatæ qui-

quidem ad Innocentium, sed Zosimo redditæ. Hic Pelagii quoque ambiguis verbis sibi patitur imponi, ejusque gratiâ in Africam scribit. *§. XVI.* Africanum Concilium CCXIV. Episcoporum Carthagine habitum rescribit Zosimo. Innocentii sententiam in Pelagium & Cælestium dictam defendit, Zosimúmque, ut novum de Cælestio examen habeat, monet. §. *XVII.* Anno 418. Zosimus Africani Concilii Patribus respondet. Plenarium totius Africæ Concilium Carthagine rursùs habitum novem canones edit in Pelagianos. §. *XVIII.* Pelagianos sancita lege multat Honorius Imperator. Eosdem Zosimus decretoria tandem damnat sententia, quæ ab Ecclesia universa suscipitur. *§. XIX.* Pelagianorum damnationem subscribunt Episcopi omnes, præter octodecim, qui & depositi secessionem faciunt, ac generale Concilium postulant. *§. XX.* Pelagii fallacias libris de gratia Christi, & de peccato originali editis retegit Augustinus. Idem ad Optatum scribit, ad Mercatorem, & ad Sixtum. *§. XXI.* Augustinus librum de nuptiis & concupiscentia primum mittit Valerio. Episcopi anno 419. jubente Honorio Pelagianorum damnationem subscribunt. Augustino de jugulata Pelagiana hæresi gratulatur Hieronymus. Vincentii Victoris placita quædam Pelagiana, hisque deteriora confutantur. *§. XXII.* Augustinus anno 420. librum de Nuptiis & concupiscentia secundum, nec non quatuor ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum libros conscribit. *§. XXIII.* Memoraros libros in Italiam Alypius circa initium anni 421. defert. Constantius edictum dat in Pelagianos. Alios sex libros in Julianum Augustinus conscribit. *§. XXIV.* Pelagiani casso conatu Orientales Ecclesias pertentant. Pelagius in Syria, & Julianus in Cilicia damnantur. Quonam factiosi ad huc in hæresi pertinaces evaserint. *§. XXV.* Adrumetini monachi super quæstione de gratia & libero arbitrio inter se diffident circiter annum 426. Eos Augustinus libro in idem argumentum conscripto ad concordiam adducit. *§. XXVI.* Liber alius ad eosdem Adrumetinos mittitur, de correptione & gratia nuncupatus. §. *XXVII.* Leporius monachus Gallus ob dogmata fidei Incarnationis & divinæ gratiæ contraria exturbatus, per Augustinum in Africa ad emendationem adducitur. *§. XXVIII.* Contra Pelagiani erroris reliquias quasdam in Vitali deprehensas afferuntur sententiæ de gratia duodecim ad catholicam fidem pertinentes. *§. XXIX.* Augustini extrema ætate Semipelagiani Massilienses in dogma prædestinationis insurgunt. Id Augustinus propugnat libris ad Prosperum & Hilarium de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ.

Atque hæc sunt Summaria novem & viginti capitum, quibus a *Blampino* absolvitur historia hæreseos longè pessimæ, quæ Pelagiana & Cælestiana de auctorum ejus nomine dicta tanto lectu dignior est, quò magis ad primævos Scriptores improbo sanè labore nec minore doctrina ac eruditione recognita fuit.

Ejusdem Blampini Narratio rerum, quæ ad Donaristarum hæresim pertinent, exhibetur præfatione in Tomum IX. Operum S. Augustini.

Relatio de Ortu & Progressu hæresum in Germania excerpta ex *Clementis Sünderi*, Cœnobitæ San-Udalricani Augustæ Vindel. Historia Universali, Tomis 12. comprehensa, & Ingolstadii typis Georgii Hænlin anno 1654. in 4. in lucem data.

JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Cardinalis *Tractatus Historicus de Hæresibus circa Naturam & Gratiam*; in quo profertur historia hæreseon variarum, veterum & recentium circa naturam & gratiam; quarum quædam plus justo efferunt vires arbitrii in homine lapso: quædam nimium deprimunt, ut pene nihil ipsius superfit præter nomen aut umbram. Tractatus sex Disputationibus absolvitur, in quarum prima texitur Historia *Pelagii*, præcipui hostis divinæ gratiæ: præcursorem is habuit Origenem, cujus omnes lapsus, teste Vincentio Lirinensi in Commonitorio cap. 23. ex minori æstimatione gratiæ divinæ, & præfidentia ingenii sui duxerunt ortum. Illius patrocinium superiore seculo frustra suscepit Halloxius Jesuita, *Origene defenso* anno 1648. Leodii in folio typis vulgato. Sed is liber decreto Inquisitionis Universalis proscriptus fuit, donec corrigatur. Quare audiendus non est alter Jesuita Theophilus Rynaudus, qui in Apologia pro Valeriano Cemelensi cap. 9. Origenis *Catholicissimam de gratia sententiam* dicere non dubitavit contra tot Romanorum Pontificum & Patrum veterum testimonia.

Erto-

Errores verò suos Origenes derivavit in Rufinum Presbyterum & Monachum, qui ex Oriente, quò se contulit cum Melania seniore ad visendum Monachos sanctitatis opinione celeberrimos, eosdem primus in Occidentem intulit, cùm libros περὶ ἀρχῶν, in quibus ejusdem hæreseos semina continebantur, ex Græco Latinè reddidit. Fertur tamen Rufinus extremo ferè vitæ tempore errores abjurâsse. Certè quidem ejusdem palinodiam Henricus Norisius ex antiquis monumentis eruit. Quemadmodùm verò Pelagius Rufini sequax fuit, ita & Cœlestium Monachum, & Julianum Eclanensem Episcopum præcipuos sectatores habuit, qui ejus errores magna pervicacia palàm disseminârunt. Etsi verò nihil frequentius aut notius sit, quàm Pelagium fuisse juratum divinæ gratiæ hostem, ejúsque necessitatem ad salutaria opera negâsse; tamen non adeò pronum & in aperto est, quo sensu & quibus temporibus id docuerit. Unde Eminent. Auctor in altera Disputatione id examinans tradit, Pelagianos initio re ac nomine gratiæ intellexisse ipsum liberum arbitrium: deinde verò legem & præsidia externa, atque in iis doctrinam Christi, absque necessitate tamen gratiæ interioris. Non potuit verò hæresis Pelagii tot Pontificiis fulminibus ita absumi, ut non manerent aliquot ejus cineres vel reliquiæ, eò nocentiores, quò in sanctioribus & doctioribus viris præsidium invenêre. Præcipui eorum numerantur Massilienses, & in iis Joannes Cassianus: qui licèt palàm quà voce, quà scripto decertarent adversus præcipuas hæreses Pelagii damnatas ab Ecclesia; adhuc tamen nonnulla docuerunt, quibus plus justo extollebant vires arbitrii humani ad inchoandam salutem; ac propterea doctrinam Magni Augustini contrariam multipliciter rejecerunt, ut Eminentiss. Author Disputatione III. eruditè ostendit. Disputatione verò IV. hæreseos Semipelagianæ progressum, continuationem, & finem eorum dissidiorum enarrat.

Postquàm verò exposuit, quæ spectant ad hæresim Pelagianam inimicam gratiæ, & plus justo extollentem liberum hominis arbitrium, agendum sibi putavit, ita tamen ut intra historiæ limites se contineret, de hæresi contraria, quæ ita commendat divinam gratiam, ut humanum arbitrium penitus extinguat. Differuit verò inprimis de hæresi, quam Prædestinatianam appellat, & in qua examinanda plerique eruditorum hominum elapso seculo magna partium contentione laborârunt, laborántque adhuc, præsertim in Gallia & Belgio: quibusdam asserentibus, eam verè extitisse, quinto seculo potissimùm, quibusdam negantibus. Extitisse reipsa hanc hæresim quinto seculo testantur Hincmarus Remensis, Sigebertus Gemblacensis, Gilbertus Genebrardus, Alphonsus de Castro, Franc. Suarez, Cæsar Baronius, Henricus Spondanus, Ludovicus Cellotius, Dionysius Petavius, Stephanus Dechamps, Philippus Labbè, & uberrimè omnium Jacobus Sirmondus. Ex opposito Usserius Calvinista in Historia Gothescalci, ac post ipsum Jansenius in Historia Pelagiana passim, sed & alii docti atque eruditi Recentiores, præsertim in Gallia & Belgio, quibus subscribit Contensonus Tom. V. Differt. III. in appendice, & novissimè Cabassutius in Notitia Ecclesiastica seculi quinti contendunt, nullam ejusmodi hæresim seculo quinto extitisse, sed solùm fuisse fictam à sectatoribus Pelagii vel ex toto, vel ex parte: qui ut invidiam parerent doctrinæ S. Augustini ipsorum debellatoris, & exosam redderent, hæresim prædictam commenti sunt, tanquam in ejus Sanctiss. Doctoris lucubrationibus contentam: præsertim in iis, quibus exponit prædestinationem divinam secundùm propositum immutabile Dei non autem ex operibus, adhuc quoad initium justificationis. Eminent. Author re hinc inde discussa, utramque opinionem quodammodò veram arbitratur, & quodammodo à vero alienam. Assertio itaque illius est, Prædestinatianam hæresim non extitisse seculo illo, nec immediatè sequentibus, tanquam errorem aliquem communem in Natione aliqua aut Provincia Orbis Christiani, aut in certo quodam hominum statu, factionéve, instar aliarum hæreseon: stetisse tamen in quibusdam sequentium doctrinam S. Augustini sinistrè intellectam, & juxtà sensum alienissimum à S. Doctore.

Disputatione VI. & ultima occupatur Cardinalis circa historiam hæresium posteriorum Lutheri & aliorum, aut extinguentium, aut plus justo deprimentium liberum arbitrium. Ostendit igitur primò, Luthe-

rum

rum imitatione veterum hæreticorum negâsse liberum hominis arbitrium post peccatum, & quædam alia errorum corollaria addidisse. Tum Calvini errores ennumerat, in quibus Lutheri vestigia pressit. Nec silentio prætermittit post præcipuos Michaelis Baii, aliorúmque circa liberum arbitrium & gratiam recensitos errores, hæresim Jansenianam quinque articulis comprehensam; circa quam tamen non ita multa sibi dicenda putat, cùm jam antea id præstiterit in *Defensione Cathedræ S. Petri* Disput. XVIII. & tribus sequentibus. Tractatus verò Historicus intextus est Theologiæ S. Anselmi Tomo III. pag. 188-303.

Angeli Mariæ Quirini S. R. E. Card. *Diatriba, quâ illustrantur & vindicantur Gesta Cardinalis Gasparis Contareni in Conventu Ratisbonensi.* Inserta est Parti III. Epistolarum Reginaldi Poli, Brixiæ, typis Jo. Mar. Rizzardi anno 1748. Statuendæ in Religionis negotio inter Catholicos & Protestantes concordiæ studiosissimus Carolus V. Imperator, etsi plures ad eam rem in Germania Conventus à se habitos incassum cessisse expertus fuisset, de cogendo tamen Ratisbonensi an. MDXLI. cogitavit, nihilque in illo, ut vororum suorum compos evaderet, à se aptius fieri posse existimavit, quàm si de controversis articulis liber conscriberetur, Collocutores hinc inde ad eum expendendum deligerentur, colloquiorum exitus Principibus & Ordinibus tam Catholicis, quàm Protestantibus declararetur, ac tandem Acta omnia Pontificii Legati, quem Apostolica Sedes iis Comitiis præfecisset, judicio subjicerentur. Atque hæc quidem omnia præstare Cæsar minimè omisit. Quare ejus jussu compositus fuit liber complures articulos complectens, delecti Collocutores sex, videlicet ex parte Catholicorum Pflugius, Gropperus, Eckius, ex parte Protestantium Melanchton, Bucerus, Pistorius, examen inter hosce institutum, nonnulli articuli, de quibus ii convenisse ferebantur, cum Principibus & Ordinibus communicati, indéque ad ferendam de illis sententiam invitatus Cardinalis Contarenus Pontificius de Latere Legatus Responsum evulgavit. Quod cum subinde Protestantium Doctores, maximè Bucerus, vellicarent, morderent, reprehenderent, Cardinalis Quirinus præsenti Diatriba illud ab eorum criminationibus vindicavit.

Edidit etiam Cardinalis Quirinus Partes III. *Epistolarum Reginaldi Poli* S. R. E. Card. easque Diatribis, Notis & Observationibus historicis de Henrici VIII. Angliæ Regis Schismate & Apostasia eruditissimè illustravit.

Gilbertus Genebrardus in Chronico, posteriore tomo in titulo profitetur se Magdeburgensium Centuriatorum *impietatem, mendacia, imposturas coarguere, & doctrinæ Catholicæ continuationem ad singulorum sæculorum coronidem ostendere.* Quæ verò Acatholicis satis rhrasonicè dicta esse dicuntur. Vid. Fabricii Bibl. Græc. Vol. XI. lib. 6. c. 4. pag. 164.

Ejusdem Genebrardi Syllogen doctrinæ Pontificiæ per singula secula contra Magdeburgenses Libri hujus Capite I. Sectione IV. jam memoravimus.

Antonius Michael Fouquere è Congr. S. Mauri *Acta Synodi* contra Calvinistas Jerosolymis celebratæ de Græcis in Latinum vertit. Cùm hi enim sermones satis quidem constantes, sed falsos disseminarent, quòd Orientalis Ecclesia in eorum dogmata, quibus à Rom. Ecclesia dissident, concesserit, ac præcipuè illum articulum, qui ad realem Christi in Eucharistia præsentiam attinet, rejecerit, Synodus an. 1672. Jerosolymis sub Patriarcha Dositheo habita est. Ad calcem hujus Operis exhibetur attestatio Domini Marchionis de Noinrel, Regis Christianissimi ad Portam Ottomannicam Legati, quâ fidem facit, se Græcum illud Manuscriptum ex ipsius Patriarchæ manibus recepisse. Hanc attestationem excipit Scriptum Dionysii Patriarchæ Constantinopolitani per eandem occasionem anno 1672. typis impressum; atque à P. *Fouquére* literis æquè mandatum. Is liber P. Fouquére est in 8. cujus duæ habentur editiones. Prima 1676. hâc cum Inscriptione: *Synodus Bethlemitica*, atque altera cum titulo: *Synodus Jerosolymitana* præ priori multùm correctior.

Joannis Mabillonii *Dissertatio de Scotorum discidio circa Paschalis festi celebrationem per Benedictinos sublato.* Extat præfationis ad Acta Sanctorum O. S. B. Sec. III. Part. I. §. I.

EJUSDEM *Observationes historicæ de Hæresi Iconoclastarum*, ejus origine, progressu, ac interitu, in Præfat. Sec. III.

Item *de Hæresi Feliciana* seu *Adoptiva*. Præfat. I. in Sec. IV. §. I.

— *De Gothescalci*, Monachi Orbacensis, *fortunâ, & turbis ab eo excitatis*. Fuit is altero nomine *Fulgentius* appellatus, quòd suam de gemina prædestinatione, scilicet bonorum ad vitam, & malorum ad interitum, id est, ad damnationem, ad æternæ mortis supplicium, ut ejus verbis explicat Hincmarus in lib. de prædestinatione cap. v. maximè tueretur auctoritate Sancti Fulgentii ex libris de duplici Prædestinatione cap. 3. *De Gothescalco* etiam agit *Guillelmus Marlotus* S. Nicasii Remensis M. Prior in Historia Metropolis Remensis, ubi Tom. I. Lib. III. cap. 26. & 27. erroneæ ac hæreticæ doctrinæ illum arguit, ac meritas suæ perfidiæ pœnas solvisse scribit.

EJUSDEM MABILLONII Observationes Historicæ *De Schismate Græcorum, cujus Author Photius* l. c. *de multiplici Berengarii damnatione, fidei professione, & relapsu, ejúsque pœnitentia*. Tom. 2. Analect. pag. 477. Hanc posteriorem Dissertationem recudi curavit D. Joannes Vogtius in Fasciculo I. Bibliothecæ Historiæ hæreticæ Hamburgi an. 1723. in 8.

THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Historia persecutionis Vandalicæ in duas partes distincta. Prior complectitur libros V. Victoris Vitensis Episcopi, & alia antiqua monumenta ad Codices MSS. collata & emendata cum notis & observationibus. Posterior Commentarium Historicum de Persecutionis Vandalicæ progressu & fine. in 8. Parisiis apud Theodorum Muguet* 1694. Eam historiam descripsit Victor Vitensis Episcopus, cujus proinde aureum opusculum, cum variis codicibus accuratè collatum & emendatum, notísque & observationibus illustratum præmittitur. Sed quia Victor multa prætermiserat, & narrationem suam intra solius Africæ fines concluserat, quamvis ad longè plures provincias persecutionem Genserici pervasisse fateatur; omissa ab eo supplere studuit Ruinartus, rémque altiùs repetens totam historiam à tempore, quod à prima Vandalorum in Gallias impressione effluxit, usque ad exstinctum eorum in Africa imperium, id est, annos circiter centum & viginti octo persecutus est. Et ut major ei lux affulgeret, de imperii vicissitudinibus, ac de illis Principibus, qui tunc temporis imperârunt, breviter egit, veteráque nonnulla interseruit scripta, quæ historiam confirment & illustrent, filo tamen minimè interrupto. Addidit alia quædam antiqua opuscula hactenus nondum, vel imperfectiùs edita, quotum potissimum est notitia Ecclesiæ Africanæ, cui accedunt auctoris notæ, & observationes. *Ita Renatus Massuetus in vita Ruinarti.*

RENATI MASSUET è Congreg. S. Mauri *Dissertatio de Hæreticis, quos S. Irenæus libro I. recenset, eorúmque actibus, scriptis, & doctrina.* Agmen ducit *Valentinus*, qui Alexandriæ Græcorum artibus non mediocriter institutus, ingenio promptus, & in veterum Philosophorum ac Poëtarum lectione haud parùm versatus erat. Fidem Catholicam potiùs simulavit, quàm verè unquam suscepit. Romam venit sub initio Pontificatus Hygini, Catholici larvam indutus, quam sub Pio palam deposuit. Hinc agnitus hæreticus, & ab Ecclesia pulsus, in Cyprum Insulam, ut ait Epiphanius *Hæres.* 31. *§.* 7. fugit, *ubi ad extremum impietatis prolapsus est, seque in eam, quam tuetur, flagitiorum disciplinam altiùs immersit.* Ibi quod è vivis excesserit, satis probabile est, licèt quo præcisè anno non liqueat. Ejus discipulorum vita fuit scelestissima dogmatis impiissimis perfectè respondens. Etsi enim libidinibus parerent, concupiscentia tamen minimè se vinci dicebant, nec quidquam ex venereo congressu spurcitiei contrahere, quo ipsis aditus ad veritatem intercluderetur; quòd spirituales essent, & semina electionis, nec de mundo, quamvis in mundo degerent; reliquos autem, utpote animales, & spirituali semine destitutos, ac de mundo, inquinari, ac per concupiscentiam, à mulieribus, quibuscum rem haberent, victos ac velut constrictos sic teneri, ut ad veritatem pervenire non possent: his proinde necessarium esse continentiæ ac bonarum actionum studium, sibi autem minimè. Quâ autem libertate à suis magistris, *Simone Mago, Menandro, Saturnino, Basilide, Carpocrate, Cerintho, Ebionæis, Nicolaitis, Cerdone, Marcione, Tatiano*, veteribus Gnosticis, in pluribus discesserat Valentinus, eâdem ab ipso in mul-

multis secessere discipuli ejus, *Secundus*, *Epiphanes*, *Ptolomæus*, *Colorbasus*, *Marcus*, & alii, adeò ut Tertulliani ætate purus, & qualem excogitaverat ipse Valentinus, Valentinianismus jam nullibi terrarum, præterquàm Antiochiæ, sub Axionico vigeret. Cæteri omnes novâ susceptâ larvâ, obliterato etiam magistri nomine, suum quisque hæresi propriæ nomen imposuerunt, de quibus singulis narrantem audire Massuetum neminem tædeat. Extat verò ejus eruditissima Dissertatio ante Opera S. Irenæi, quorum editionem Parisiis in fol. an. 1710. accnravit.

NICOLAI NOURRII è Congreg.S. Mauri *Dissertationes duæ de hæresum primi & secundi sæculi ortu, progressu, & interitu, earúmque expugnatoribus.* Extant tomo I. Apparatûs ad Bibliotbecam Maximam Veterum Patrum. Et quidem prima Dissertatio lib. 1. pag. 4. ubi primùm agit de hæresi *Simonis magi*, tum de hæresi *Menandri*, *Cerinthi*, *Ebionis*, *Nazaræorum* & *Nicolaitarum*. Quæ verò ex hac hæreseon descriptione utilitas ad lectorem redundare possit, cap. IX. ostendit. Dissertatio II. habetur lib. 2. pag. 264. ubi primùm sententias *Millenariorum* hæreticorum exponit; neque enim una eadémque omnium fuit opinio: constat tamen *Millenarios*, quotquot exstiterunt, omnes magno unanimíque consensu statuisse, post cunctorum hominum resurrectionem Christum per mille annorum tempus cum iis in terra regnaturum. Postea narrationem texit de hæresibus Saturnini, Basilidis, Isidori, Carpocratis, Epiphanis, & aliorum quàm plurium. Ad finem verò Author cap. X. denuo utilitatem, quæ ex hæresum descriptione percipi possit, lectori proponit.

EJUSDEM NOURRII *Dissertatio in L. Cæcilii Lib. De Mortibus Persecutorum*, extat Apparatûs ejusdem tomo II. col. 1643. in hac Author more suo eruditam historiam texit de primis Ecclesiæ persecutionibus, quas ab ethnicis Imperatoribus perpessa est. Et licèt cum S. Augustino decem recenseat, quatuor tamen aut quinque tantùm generalium persecutionum descriptionem attingit, illarum nempe, quarum Cecilius meminit. Prima à Nerone Augusto excitata fuit, qui cùm animadvertisset, Petri, Apostolorum Principis, prædicatione magnam hominum multitudinem quotidie à cultu idolorum ad Christianam transire religionem, in Christianos debacchari cœpit. Secunda persecutio à Domitiano commota est, quem Tertullianus *portionem Neronis de crudelitate oppellat.* Decii Imperatoris persecutio ita fuit crudelis, ut eam Hilarius cum Neroniana præsertim comparaverit. Simili furore in Christianos correptus fuit Valerianus Imperator, qui *multum, quamvis brevi tempore, justi*, id est, Christiani *sanguinis fudit*, ut Eusebius loquitur. Quàm immanis & horrenda Diocletiani persecutio fuerit, haud facile est dictu. Non tam verò *Nourrius* immanitatem & acerbitatem, quâ isti Imperatores Ecclesiam vexarunt, ob oculos ponit, quàm in describendis mortibus, quibus omnes pessimis sublati è medio fuerunt, totus est, Cecilii nempe premens vestigia, cujus librum erudita commentatione illustrat. Quàm illud verò Dei omnipotentiam commendat, quòd operâ Licinii Imperatoris, falsorum numinum cultoris, usus, Maximinum, aliósque omnes, ex tyrannorum, crudelissimorúmque Ecclesiæ persecutorum gente oriundos ita oppresserit, ut nulla eorum stirps aut radix superstes fuerit.

REMIGIUS CEILLERIUS *Histor. Gener. Autor. Eccles.* Tom. 2. cap. 14. agit de *Tatiano*, Encratitarum antesignano. Capitis 28. copiosi, & in Articulos XXI. distincti hanc ponit epigraphen: *Tertullianus Presbyter & Doctor Ecclesiæ, deinde Montanista, denique Hæresiarcha.* Præmissa historia vitæ, in qua, cùm jam Presbyter esset, uxorem adhuc habuisse eum negat, Romæ autem Presbyterum fuisse, & circa an. 245. obiisse asserit, singulis ferè articulis ejus libros cum analysi recenset, in tempus, quo quilibet scriptus, inquirit, librum de anima inter eos, quos post lapsum, in annum ferè 206. incidentem, scripsit, primum facit, poëmata verò omnia, quæ sub nomine ejus circumferuntur, ipsi abjudicat, denique doctrina, in quibus capitibus sana & orthodoxa, in quibus perversa & erronea sit, disquirit, & editiones recenset. Cap. 29. inserta est historia Montani. In reliquis Tomis agit *Ceillerius* de aliis Hæresiarchis, hæreticis, & hæresibus; de quibus omnibus sigillatim agere à nostro abhorret instituto.

DIONYSII de SAINTE MARTHE è Congr. S. Mauri *Reponse aux plaintes des Protestans touchant la prétendüe persecution de France*, id est: *Responsio ad querelas Protestantium ob Francicam persecutionem, ut ipsi vocant.* Parisiis an. 1688. Authori Operis propositum est, ut conspicuum reddat, quòd persecutio ab ea crudelitate, cujus à Calvinistis insimulatur, multis absit parasangis, nimiúmque quantum ab ea Imperatorum severitate, quâ hæreticos ad supplicium mortis condemnârunt, remota sit. Cui veritati haud majus accedere posse testimonium, atque ipsius *Joannis Calvini Wilhelmi Farelli, & Petri Jurieu*, ut qui sectæ primipili & antesignani extiterint. Eorum nihilominus fuisse sententiam, quòd gladio in hæreticos animadverti possit. Nec illam Protestantium querimoniam, quâ Edicto eorum in gratiam emisso, vim fuisse illatam expostulant, plus habere æquitatis, cùm armatis manibus illud à Franciæ Regibus extorserint. Notatu dignum, quòd hoc Opus eodem tempore, quò *Edictum Nannetense* revocatum est, componi cœperit. R. P. Saint Marthe ad calcem subjicit excerpta ex libro cujusdam Angli Presbyterani, nomine *Guillelmi Priu* satis prolixa, ut quæ Operis dimidium exsuperant. Is verò Scriptor Anglus libro suo hunc titulum dedit: *L'apui & la defense de la puissance du glaive des Rois, où l'on prouve par des passages tirez de l'ancien & du nouveau Testament & le consentement des plus grands Docteurs de l'Eglise, qu'il est permis aux Magistrats de punir les Heretiques selon la grandeur des leurs crimes.* Id est: *Potestas gladii Regibus asserta; ubi probatur ex Testamenti tum novi tum veteris textibus, atque è præcipuorum Ecclesiæ Doctorum consensu, quod Magistratibus competat potestas puniendi hæreticos juxtà criminum, quibus se obstrinxêre mensuram.* Vide le Cerf Bibl. Histor. Crit. pag. 460.

PRUDENTII MARAN è Congreg. S. Mauri *Dissertation sur les Semi-Ariens* &c. id est: *Dissertatio de Semi-Arianis* Paris. an. 1722. apud Jacobum Vincen.

JOSEPHUS VAISSETE è Congreg. S. Mauri in *Historia Septimaniæ de Languedoc* res & hæresin Albigensium erudite exponit.

GABRIELIS GERBERON è Congr. S. Mauri *Historia Generalis Jansenismi* tribus voluminibus in 12. quibus continetur omne id, quod in Ecclesia contigit occasione libri, cujus titulus: *Cornelius Augustinus Jansenius* ab anno 1640. usque ad annum 1669. Amstelodami apud Claudium de Lorme an. 1700. Hæc Cerfius in Bibl. Hist. Crit. qui addere tamen debuisset, *Gerberonii* historiam Romæ fuisse confixam.

V.

Scriptores Historiæ Stationum Beatæ Virginis.

FLODOARDUS, Abbas Rhemensis, Sec. X. scripsit carmine miracula suo tempore facta in ecclesia B. Mariæ Virginis ab *Hincmaro*, Archiepiscopo Rhemensi, O. S. B. ædificata, uti ipse testis est Lib. III. Historiæ Ecclesiæ Rhemensis cap. VI. Alex. Nat. Hist. Eccl. Sec. X. c. IV. pag. 77.

HERMANNI sancti Martini Tornacensis Abbatis *Libri tres de Miraculis*, sive *de Reparatione Laudunensis Ecclesiæ*, quos clarissimo sui temporis Episcopo Laudunensis urbis *Bartholomæo* dedicavit, *Lucas* verò *Acherius* edidit in Appendice ad vitam V. Guiberti Abbatis B. Mariæ de Novigento. Parisiis an. 1651.

HUGONIS, Rothomagensis Episcopi, Epistola ad Theodericum, Episcopum Ambianensem, de constructione Ecclesiæ B. Mariæ Carnotensis, cujus meminit *Robertus de Monte* ad an. 1144. extat in Marthene & Durand Collect. ampliss. Tom. IX. Observat. præv. pag. 1185.

GAUTERII Monachi Cluniacensis *Historia de Miraculis B. V. Mariæ*, typis exscripta ex duobus Codd. calamo exaratis à Philippo Labbeo S. J. in Bibliotheca Mss. Tom. I. p. 650.

Monachi Anonymi DOLENSIS Liber de Miraculis B. Mariæ *Dolensis*, jam olim conscriptus, in quo, licèt initio careat, fractis audaculâ manu primoribus foliis, plusquàm ducenta reperias prodigia, Magnæ Matris erga sibi devotos amorem ac misericordiam haud dubiis argumentis contestantia, ex quibus nonnulla, quæ cæteris eminere videbantur, descripta Philippus Labbe S. J. vulgavit Nov. Bibl. Mss. tom. 1. pag. 319-322.

JOANNIS TRITHEMII Abbatis S. Jacobi apud Herbipolim de Miraculis Beatiss. Mariæ semper Virginis in Ecclesia nova propè Dittelbach Franciæ Orientalis oppidum factis Libri II. Extant inter ejusdem pia & spiritualia

lia Opera an. 1605. Moguntiæ apud Joan. Abin. impressa.

– EJUSDEM *De Miraculis in Urticeto juxtà Heilbrunnam* Wirtzburgensis Diœcesis oppidum ad invocationem B. V. Mariæ factis, Libri III. ibid. l. c.

GUNDISALVUS de SOIO, monachus inclytæ domus S. Mariæ Virginis de Monte Serrato in Catalonia edidit *Historia y milagros de Nuestra Sennora de Monte Serrato*, i.e. *Historiam & miracula Dominæ Nostræ Montis Serrati*. Barcinone an. 1594. in 8. post antiquiores editiones annorum 1556. 1568. & 1587. attamen prima conceptio hujus Operis facta est anno MDXIV. ad instantiam D. Joannis de Aragonia, Ducis de Luna, Comitis de Ribagorza, ut ex præambula innotescit epistola ejus ad Monasterii Abbatem. In Cæsarea Bibliotheca visa mihi fuit Editio de anno 1527. cum additione Miraculorum, Barcinone accurata. Prodiit etiam Germanicè Opusculum de Origine Montis Serrati in 8. Pragæ typis Archiepiscopalis Seminarii, authore Anonymo Benedictino, anno 1687. Vid. Nic. Ant. l. c. pag. 428.

BASILIUS ARZE, Hispanus, foras dedit *Historia del Origine de la maravillosa Imagen de la Casa de Nuestra Sennora de Sopetran*, id est, *Historia Originis miraculosæ Imaginis in sacra Æde Dominæ nostræ de Sopetran*. Matriti apud Alphonsum Martin, anno 1615. in 8. Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

GREGORIUS BRAVO de SOTO MAJOR, Monachus Hispanus elucubravit *Historia de la Imagen de Nuestra Sennora de Valvanera*, id est, *Historia Imaginis Dominæ Nostræ de Valvanera*. Lucronii an. 1610. in 4. typis Joannis Mongaston.

LUDOVICUS de ARGAIZ, Hispanus, ejusdem Thavmaturgæ Virginis Monserratensis Historiam patriâ edidit linguâ an. 1677. Matriti impressam. Sed uti alia ejus Opera, ita etiam hoc fabulis resperfum est.

JOANNES de CISNEROS, Abbas Monasterii Deiparæ Virginis del Espino librum scripsit *De la Antiguedad de la Sagra Imagen de Nuestra Sennora del Espino*, quam contendit sub advocatione Virginis immaculatè Conceptæ olim jam cultam, enumeratis inde Benedictinis Monachis CCXXXVI. Immaculatæ Conceptionis assertoribus. Pertulit de eo ad Petrum Alvam, qui meminit in Militia Conceptionis, D. Antonius Lupian Zapata. Vid. Nicol. Ant. l. c. p. 519.

PETRUS PAULUS GINANNI è Congreg. Casin. scripsit Italicè de Cultu, qui in *Canonia Portuensi* exhibetur Sacræ Imagini MARIÆ Virginis, *Græcæ* dictæ, quæ ex Constantinopoli mirabiliter per Adriaticum mare Ravennam appulit, exceptáque fuit à D. Petro de Honestis, ejusdem Canoniæ Fundatore in ulnas suas anno MC. Vid. Armell. part. 2 p. 132.

GREGORIUS RICCIARDETUS, Italus, Aretinus, è Congr. Casin. scripsit Italicè *Historiam Imaginis B. Virginis*, quæ Mediolani in facie templi S. Simpliciani visitur, & colitur; item *Historiam Imaginis B. V. de Balneo* in Territorio Perusino ad nostrum D. Petri Monasterium pertinentis. Utrumque Opus Mss. asservatur Aretii in Archivo Monasterii. Author claruit sub annum 1658. quo totius Congregationis Præses electus fuit. Obiit verò anno 1670.

JOANNIS BERNARDI PLANCHETTE è Congr. S. Mauri *Histoire des miracles, qui se sont fait par l'entremise de la Sainte Vierge en la première restauration de l'Eglise de l'Abbaïe de S. Pierre sur Dive environ l'an. 1140. tirée d'un ancien manuscrit de Haymon Abbé de la même Abbaïe, & traduite en François*. id est: *Miraculorum sanctæ Dei Genitricis Mariæ intercessione in prima restauratione Abbatialis Ecclesiæ sancti Petri ad Divum circa an. 1140. patratorum Historia desumpta ex antiquo libro manuscripto Hymonis ejusdem loci Abbatis, & in Francicum sermonem translata in 12. Cadomi anno 1671. apud Poisson.*

MICHAELIS GERMANI è Congr. S. Mauri *Histoire de l'Abbaïe royale de Nôtre Dame de Soisson*. id est; *Historia Regii Parthenonis S. Mariæ apud Augustam Suessionum*, in cujus libro IV. & ultimo recensentur prodigia, quæ interventu Ss. Deiparentis divinitùs edita fuerunt. Parisiis in 4. an. 1677. Vide le Cerf pag. 170.

CLAUDII BRETAGNE è Congreg. S. Mauri ac Prioris in Monasterio S. Germani à Pratis Opusculum, cui titulus: *Les merveilles de Nôtre Dame de Betleem Ferrierés*. id est, *Miracula Dominæ Nostræ, quæ colitur in Monasterio Ferrariensi, alio nomine de Bethleem dicto*. Opus an typis unquam exscriptum fuerit, non meminit le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 50.

JOANNIS JOSEPHI CLADIERE è Congr. S. Mauri *Histoire des miracles de Nôtre-Dame des Vaslinieres sous le mont d'or.* i. e. *Historia Miraculorum Dominæ Nostræ des Vastineres sub monte aureo.* Vid. le Cerf Bibl. Crit. p. 60.

ANTONII JOSEPHI MEGE è Congreg. S. Mauri Historia Gallico idiomate conscripta *De Monte sanctæ Mariæ de Rupe forti*, vulgò *Rochefort.* Pez Bibl. Maur. lib. 1. cap. 20. p. 58. Cerfius verò Patris *Mege* Opera recensens hanc Historiam silentio prætermisit.

VITUS Abbas Monasterii Superioris Quercus in Infer. Bavaria scripsit de Virgine Thavmaturga Pogenbergensi ejúsque Miraculis, Germanicè anno 1627. in 8.

THOMÆ WEISSII, Neresheimensis in Suevia Monachi ac Eloquentiæ Professoris in Universitate Salisburgensi *Diva Virgo Cellensis in Styria* in 16. an. 16... 1637. Post elapsos annos octo prodiit, anonymo authore, an Benedictino? *Benedicta Virgo Cellensis*, Græcii typis Widmanstadianis anno 1672. in 8. Historia à *Thoma Weissio* cùm stylo eleganti, nitido, ac mirè festivo, cujus lepores minùs literati non assequuntur, conscripta esset, alio de industria, humiliori, & ad captum lectoris magis accomodato, iterùm an. 1678. à *Christophoro Jæger* Professo ac Priore San-Lambertino edita fuit; maximè cum plura, eáque nova à primæ editionis tempore suppeterent Marianæ beneficentiæ exempla; quæ *Gerardus Bettschacher* etiam San-Lambertinus ab an. 1678. usque ad an. 1690. continuavit. Alia Continuatio sub titulo: *Puteus aquarum viventium* Cant. 4. ab anno 1690. usque 1700. *Khilianus Werlin* è S. Lamberto ab anno 1710. usque 1719. prosequutus fuit. Quam Continuatio ab anno 1719. ad finem usque 1729. excepit Styræ apud Jo. Jac. John an. 1737. Cæteræ si quæ fuerunt intermediæ Continuationes, notitiam meam prætereunt.

AUGUSTINUS Abbas & Princeps Einsidlensis de Origine Sacelli Eremitani B. V. à Christo consecrati scripsit Germanicè anno 1601.

PAULI BETSCHART Cœnobitæ Eremitani *D. Thavmaturga Einsidlensis*, sive de Admirandis & Magnis, quæ virtute divina & interveniente magnâ Deiparente, quæ in celeberrimo Heremitano O. S. B. in Helvetia Monasterio colitur, Miracula, & ad ejusdem divinitùs consecratum Sacellum sunt collata supplicibus beneficia, collecta, & descripta Typis Monasterii Einsidlensis per Jacobum Ammon an. 1665. in 12.

CONRADI HUNGER, Monachi & Notarii Eremitani Brevis Chronica, seu Historia de Origine antiquissimi, celeberrimi, & à Christo Domino benedicti Sacelli Virginis Deiparæ, Germanicè. Lucernæ apud Davidem Haut an. 1654. in 8.

PLACIDI RAUBER è Monacho San-Blasiano in Sylva Nigra, & Eloquentiæ Professore in Universitate Salisburgensi Abbatis Schwarzachensis anno 1640. *Historia Thavmaturgæ Virginis Totmosianæ* in 8. aliquoties recusa. Annum & locum editionis Author seu Editor Historiæ laudatæ Universitatis more suo reticet, tametsi Confratris sui historiam domi in Ascerio S. Blasii ad manum haberet.

VIRGILII FABRI Garstensis in superiore Austria Cœnobitæ Theologiæ Moralis in Universitate Salisburgensi ab anno 1691. ad an. 1695. Professoris *Malum granatum*, seu *Liber de Miraculis B. Virg. in Æde Plainensi propè Salisburgum.* Locum editionis, formam, annum, & typographum more suo reticet Editor Historiæ Univers. Salisburg. pag. 431. Nisi tamen fallor, Liber excusus est Salisburgi an. 1697. Originem sacræ hujus Stationis conscripsit etiam D. *Edmundus* Abbas ad S. Petrum Salisburgi, sed quæ in mf.to hactenus latet.

GOTTHARDUS FREYD, Cremifanensis, edidit libellum Germanicum in 16. an. 1664. de Thavmaturga Imagine B. V. quæ Passavii colitur apud Vestales Benedictinas Niderburgenses. Exiguæ molis libellus, sed rarus, infrequens, dignus tamen omnino, qui in omnium manibus versetur.

LUDOVICI BABENSTUBER *Fundatrix Ettalensis*, id est; Imago B.mæ Virginis à Ludovico IV. ex Ducibus Bavariæ Romanorum Imperatoris in Monasterio Ettalensi Ord. S. B. publico cultui exposita, & beneficiis in cultores miraculosè collatis inclyta in 8. Monachii typis Jo. Lucæ Straubii anno 1694.

Item Miracula & Beneficia B. V. Mariæ Ettalensis an. 1725. in 8.

ROMUALDUS, Abbas Ettalensis, anno 1708. vita functus, lingua scripsit vernacula *Historiam D. V. Ettalensis.* Vid. Hist. Univers. Salisburg. l. 2. c. 3. p. 228.

HEN-

HENRICI WISPAUER *Historia de Thaumaturga Imagine B. Virg.* apud Patres Scotenses Viennæ in Austria in 8. typis Andreæ Heynger Viennensis Typographi anno 1726. Primum miraculum est de *Melchiore Cleselio*, Episcopo Viennensi, & S. R. E. Cardinale, qui cùm in prima infantia exitiali lepra laboraret, voto à parentibus ad Divam Scotensem nuncupato, ejus intercessione ac precibus sanitatem à Deo recuperavit.

FELICIS EGGER è Domo S. Petri Constantiæ ad Rhenum *Liber de Origine B. Mariæ Clingencellensis in Turgovia* haud ita procul ab urbe Constantia. Vid. Hist. Univers. Salisburg. Hic Auctor in Idea Ord. Hier - Ben. Lib. III. à pag. 235 - 291. præcipuas B. V. Stationes apud Benedictinos recenset.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, *Hodæporicon Mariano - Benedictinum*, Augustæ Vindel. typis Veronicæ Apergerin Viduæ an. 1659. Historia de Imaginibus B. M. V. miraculis & peregrinationibus apud Patres Ordinis S. Benedicti celebratis. „ Subit animum, inquit Autor, illud „ quoque toto pectore gaudere ac „ gloriæ ducere, hanc cœli Reginam „ adeò Ordinem nostrum in deliciis „ habere, ut præcipuas per Orbem „ sedes ferè ejus in Monasteriis collocârit. At quæsumus te, si vacuus es, „ circumage caput, & lumina in „ *Montem Serratum* effer, defige in „ *Valvaneram*; Iberia relicta sublime „ caput iterùm in *Rupem Franciæ* attolle: inde *Eremum*, vulgò *Einsidel* in Helvetia adi: tum in *Cellam* „ beatæ Virginis carpe viam, in Styria ab humili Monacho erectam: „ *Totmosiam* in Hercynia Sylva visita, exinde Ottenburæ in *Eldern* „ perge: deinde in *Ettal*, ex Alpibus ascende Montem *Andecensem*, „ ac *Bogium*, ut *Oetingam* Bavariæ „ prætercam, quæ olim ad nos quoque spectabat. Tot publica Orbis „ Asyla uno in Ordine sita esse, profectò obstupesces.„ Hæc ille. *Georgius Geisserus* verò, Abbas Villinganus, in Thesibus Philosophicis de *Causis*, quas ad Virginem Parentem alludendo inscripsit CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ, author est, ad ducentas B. Virginis Stationes in sacro Ordine nostro numerari: unde cùm Stengelius perpaucas conscripserit, operæ pretium facturus est, quicunque ad ejus *Hodæporicon* novas fecerit accessiones.

PLACIDI ANGERMAYR, Wessofontani, Epitome sacræ Militiæ Wessofontanæ, seu Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis in Monasterio Wessofontano Ord. S. Benedicti. Monachii an. 1727. in 8. Hîc nobilis & celebris Statio est Virginis sine labe Conceptæ, quam peregrinantes in ejus Imagine affabrè picta piè deveneratur.

VI.

Scriptores Vitarum Virorum illustrium Statûs Ecclesiastici.

ROTGERUS, Monachus S. Pantaleonis Coloniæ Agrippinæ, Brunonis, Henrici Aucupis filii, Ottonis M. fratris, Archiepiscopi Coloniensis ab anno 953. ad 965. Ducis Lotharingiæ, Viri generis prosapia, vitæ merito, ac doctrinæ studio præstantissimi, vitam in literas accuratè ac disertè retulit. Fuit *Rotgerus* Brunonis æqualis ac synchronus, qui & ipse, judice Mabillonio, non inter extremos sui seculi homines censendus est, uti ejus lucubratio, sanè pro tempore diserta, & maturo judicio prædita testatur. Mabill. Præfat. in Sec. V. Ord. S. B. §. 2. n. 44.

RUDOLPHUS Abbas Monasterii S. Trudonis in Hasbania sub initium seculi XII. scripsit vitam Lieberti Episcopi Cameracensis, ut constat ex MS. Cod. Aquicinctensi, quæ absque auctoris nomine prodiit in Spicilegii Tomo IX. quam etiam Vossius, Mabillonius, Nat. Alex. & alii eidem tribuunt.

BALDRICUS ex Monacho Burgulensi Archiepiscopus Dolensis, anno 1114. vitam *Hugonis*, Archiepiscopi Rothomagensis scriptis tradidit, quæ extat in *Arturi du Monstier Neustria Pia*, Rothomagi an. 1663.

REINERUS Monachus S. Laurentii Leodiensis, scripsit vitam *Evracli Episcopi Leodiensis*, *nec non vitam Reginhardi Episcopi*. Vide quæ Libro superiore in vita *Reineri* diximus.

DOMNIZO Monachus Casinensis Sec. XII. scripsit de *Theodaldi* Episcopi Aretini castitate, aliísque præclaris virtutibus. Opus adhuc ineditum, teste *Sandio*.

GILBERTUS GENEBRARDUS dedit Collectionem *De Origenis vita*, *Operibus*, *Rebus*, & *Sententiis*, potissimùm ex S. Hieronymo, Epiphanio, Sixto

Sixto Senensi, Espencæo &c. quæ præmisit ejusdem Operibus in fol. Parisiis an. 1619. Frontem libri effigies *Origenis* exornat cum hac epigraphe: *Origenes Adamantius, patria Alexandrinus, Leonidæ Martyris filius, Clementii Alexandrini discipulus, & in Cathedra Catechetica successor; antiquissimus Ecclesiæ Magister, vixit usque ad Gallum & Volusianum, id est, ad annum LXVI. ætatis suæ, & Tyri sepultus est, is fuit an. Christi CCLVI.* Verùm hæc Vita nihil ferè est, si ad illam comparatur, quam *Carolus de la Rue* è Congr. S. Mauri novæ Operum Origenis editioni anno 1733. præmisit. Admodùm fusè etiam Cl. *Remigius Ceillier* in Historia Generali Autorum Sacr. Tom. II. Cap. 38. *De Origene* Presbytero & Confessore exponit. Art. I. ejus vitam enarrat. II. de Tetraplis, Hexaplis, Octaplis, quorum & specimen inserit, & Historiam *Aristeæ* de LXX. interpretibus confictam pronuntiat, déque Commentariis in libros V. T. III. de Commentariis in N. T. operosè disquirit, eorúmque epochas determinat. IV. de reliquis Scriptis *Origenis* eodem modo tractat; ex Epistola ad *Jul. Africanum* de historia Susannæ ostendit, quòd genuinam hanc, ipsúmque Prophetam Danielem ejus auctorem statuerit; librorum περὶ ἀρχῶν, qui non nisi ex versione *Ruffini* restant, quam ille ipsi scripto originario æquiparat, libri de oratione, item de martyrio, Librorum VIII. contra Celsum, analysin exhibet, operáque deperdita commemorat. V. Doctrinam per præcipua Theologiæ Capita, integris locis copiosè appositis, tecenset, inprimísque bene notat, quod divinitatem librorum Sapientiæ, *Siracidis*, & reliquorum apocryphorum etiam quarti libri Esdræ agnoverit Origenes. VI. Judicium de Scriptis ejus adjungit, ad excusandum eum, quàm ad accusandum ptonior, ex eo inprimis capite, quòd problematicè opiniones suas paradoxas proposuerit, & judicio Ecclesiæ submiserit. Denique & editiones Operum Origenis tecenset.

Ejusdem Tomi II. Capite xxv. *Ceillerius* agit de Cajo Presbytero Romano, deinde Episcopo Gentium, hoc est, ad prædicandam in partibus infidelium fidem ordinato & Doctore Ecclesiæ. *Cap. XXIX.* de *Asterio Urbano* Presbytero, authore trium librorum contra Montanistas, item de *Gemino* Presbytero Antiocheno, *Cap.* 34. de *S. Pionio* Presbytero Ecclesiæ Smyrnensis. *Tom. III. Cap. VIII.* Acta S. Felicis Presbyteri Nolani & Confessoris tradit. *Cap. X.* De Beryllo Episcopo Bostrensi, ab Origene à Sabellianismo revocato. *Cap. XIII.* de Novatiano Presbytero Romano Schismatico. *Cap. XIV.* De Nepote Episcopo Ægypti, Basilide, Episcopo Pentapoleos, & Malchione Presbytero Antiocheno, Paulum Samosatenum in Concilio Antiocheno erroris convincente. *Cap. XXI.* de *Pierio*, Presbytero Alexandrino. *Cap. XXIX.* de S. Pamphilo Presbytero Cæsaræensi. *Tom. IV.* de S. *Luciano* Presbytero Antiocheno & Martyre.

JOACHIMI PERIONII, Galli, Cormeriaceni, Oratio de laudibus Dionysii Briconeti, Episcopi Malcoviensis. Parisiis anno 1551.

GREGORIUS DE ALFARO, Cotdubensis, Abbas Monasterii S. Mariæ del Buesso scripsit *Vida del Illustrissimo Sennor Francisci de Remoso con la Geronimo de Remoso su sobrino Canonico de Palencia.* id est: *Vitam Illustrissimi D. Francisci de Reinoso unà cum vita Hieronymi de Reinoso nepotis sui Canonici Palentini*, ex relatione manuscripta Joannis Garsiæ Palentini Canonici, qui fuerat eidem Episcopo à secretis. Pinciæ 1617. in 4.

JOANNIS LIRON è Congreg. S. Mauri VITA VICTORIS, Episcopi Vitensis, qui historiam Persecutionis Vandalicæ contexuit. Quo idiomate, Gallico an Latino? hæc vita scripta sit, non meminit Philippus le Cerf. Hist. Ctit. pag. 200. apud quem etiam locus editionis non exprimitur, bene verò Typographus *Carolus Huguiner*, qui anno 1708. in 12. prælo subjecit. Gallicè verò fuisse vitam hanc perscriptam didici ex Catalogo Scriptorum è Congr. S. Mauri, quem Cl. Montfauconius mecum communicavit.

ANTONII BEAUGENDRE è Congr. S. Mauri *La Vie de Mr Joli Chanoine & Instituteur des Religieuses Hospitalieres de Dyon* 8. *Paris. chez Louis Guerin en.* 1700. id est, *Vita D. Benigni Jolii, Canonici & Institutoris Religiosorum Hospitalium.* Vid. le Cerf. l. c. pag. 15.

ANSELMUS PAIOLUS, Italus, Ferrariensis, è Congr. Casin. scripsit Italicè *Vitam Cardinalis Mazzarini*, Venetiis apud Valvasensem, & Bononiæ anno 1680.

THOMÆ BONET *Recherches curieuses sur quelques qualitez & actions heroi-*

roiques du Cardinal Mazarin, in 8. *Parisiis* 1645. i. e. *Disquisitiones Curiosæ in quasdam dotes & actiones heroicas Card. Mazarini*, in 8. *Paris.* 1645.

THEOPHILUS, nobilis Venetus, ex illustri Familia Michaëlia Congr. Casin. Præses anno 1425, electus exaravit Epistolam super obitu & mirandis virtutibus Patris & Domini Bartholomæi, Presbyteri & Canonici Romani ex Familia Columna. Vid. Armell. part. 2. pag. 197.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND Observationes Historicæ amplæ & eruditæ, de *Henrico*, Ludovici VI. Francorum Regis Fratre, & Archiepiscopo Remensi. Extant Collect. ampl. Tom. 2. p. 5.

ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Card. *Vitam & Gesta Reginaldi Poli* cum duabus Diatribis in Collectione ejus Epistolarum Brixiæ an. 1744. typis Jo. Mar. Rizzardi excusa mirifice illustravit. Vulgavit etiam Vitam Cardinalis Casparis Contareni Italicè scriptam. Brixiæ 1745. median. 4. Ejus verò Gesta peculiari Diatriba Tomo II. Collectionis Epistolarum Card. Poli præmissa vindicavit. Brixiæ an. 1740. fol.

§. VII.

Scriptores Dissertationum de rebus in Ecclesiastica Historia controversis.

HILDUINI Abbatis Monasterii S. Dionysii prope Parisios doctrina ac pietate insignis *Areopagitica*. Is cùm jussu Ludovici Pii Imp. vitam sancti Dionysii scribere aggressus fuisset, illam cùm prosa tum carmine composuit. Primus verò fuit, qui à bene multis (f) peccâsse existimatur, quòd S. Dionysium Episcopum Parisiensem cum sancto Dionysio Areopagita confundens ex duobus unum fecerit. Hoc enim nullus ante ipsum Latinus author, nullus Græcus ante finem octavi seculi dixerat, nullus Pontifex in suis diplomatibus usque ad Innocentium tertium. Præterea Hilduinus propugnat, quòd libri sub nomine Dionysii Areopagitæ vulgati, reverâ ab ipso fuerint elucubrati. Hæc Hilduini scripta, quæ anno 835. publicavit, *Areopagitica* vocantur. Superiore seculo magnâ Criticorum contentione de eisdem disceptatum fuit. PP. *Alloix, Chifflet, Menard, & Alexandre* ab Hilduino steterunt; contra verò alii ejus sententiam velut novam, exoticam, ac fanaticam exploserunt. Quorum in utramque partem argumenta si scire aveas, lege sis Dissertationē *Nicolai de Nourry*, Critici longè doctissimi è Congr. S. Mauri Tom. I. Apparat. ad Bibl. Max. Patrum, adde le Cerf Bibl. Histor. Crit. pag. 107.

PETRI ABÆLARDI, Monachi Regiæ Abbatiæ S. Dionysii in Francia *Epistola*, adversùs eos, qui ex authoritate Bedæ Presbyteri arguere conantur *Dionysium Areopagitam* fuisse *Dionysium Corinthiorum* Episcopum, & non magis fuisse Atheniensem Episcopum. Volens nolens scripsit author hanc Epistolam. Res sic ferè contigit. Petrus Abælardus sodalibus sui Monasterii privatim colloquutus, vero proximiorem dixerat sibi videri Bedæ quàm Hilduini sententiam. Beda autem scribit, Dionysium Areopagitam pro Corinthiorum potiùs, quàm Atheniensium Episcopo esse habendum. Ex quibus Bedæ verbis Abælardus inferebat, Dionysium Galliæ Apostolum, necquidquam esse Areopagitam; acta namque, quæ de eo circumferuntur, eum testantur fuisse Athenis Episcopum. Ubi verò hæc Abælardi sententia ad Adamum Monasterii San-Dionysiani Abbatem delata fuit, animo illam tulit periniquo; non modò enim honorem monasterii sui violatum, sed Regum etiam Franciæ, qui illud condidissent, authoritati injuriam fuisse illatam proclamavit. Quid? quòd Abælardum custodiæ datum apud Regium tribunal se accusaturum comminatus est. Sed is fugam circumspiciens custodes minùs cautos fefellit, atque è monasterio S. Dionysii evasit. Haud verò satis tutum futurum se credidit, nisi à præpotenti Magnate protegeretur. Unde ad Theobaldum Urbis Tricassinæ & Provini dominum se contulit. Hîc aliquamdiu apud Provinam in cella S. Arnulphi cum Monachis S. Petri Trecensis comoratus est. Non diu pòst supervenerunt literæ Adami Abbatis, quibus Abælardo excommunicationem, nisi ad monasterium S. Dionysii reverteretur, comminatus est. Ad hæc in mandatis dedit, ut ad abolendam injuriam Monasterio S. Dionysii irroga-

(f) Jure an injuria? vide Mabillon. in Notis ad Hincmari epistolam, De auctoritate vitæ S. Dionysii ab Anastasio translatæ, quam vet. Analect. tom. I. pag. 59. vulgavit.

rogatam cantet palinodiam, & Hilduini Historiæ de Dionysio Areopagita publico scripto suum quoque calculum adjiciat. Obtemperavit Abælardus, & sponte coactus epistolam suum ad Abbatem dedit cum inscriptione: *Adæ dilectissimo Patri suo, Abbati D. G. gloriosissimorum martyrum Dionysii, Rustici, Eleutherii ibidem corpore quiescentium, unaque fratribus & commonachis suis charissimis, Petrus habitu monachus, vita peccator.* Priùs tamen quàm Abælardus ad Monasterium S. Dionysii reversus fuerat, Adam Abbas extinctus est. Epistola Abælardi extat inter ejus Opera pag. 224. Paris. an. 1616.

SIMON GERMANUS MILLETUS è Congr. S. Mauri plenus etiam zeli pro gloria S. Dionysii Franciæ Apostoli anno 1638. in lucem Parisiis emisit contra P. *Sirmondum* Dissertationem, cui titulus: *Gloria Ecclesiæ Gallicanæ vindicatæ de suo Dionysio Areopagita*, quam Domino Seguierio Franciæ Cancellario inscripsit. *Joannes Launoius*, Universitatis Parisiensis Doctor, à multifaria eruditione celebratus, ut Milletum confutaret, aliam *Dissertationem* luci publicæ dedit. Is verò non magno interjecto tempore, an. nempe 1642. ut Adversario responderet, novum scriptum prælo subjecit hoc sub titulo: *Ad Dissertationem evulgatam de duobus Dionysiis Responsio, in qua evidentissimè demonstratur, unum & eundem esse Dionysium Areopagitam, & Parisiensem Episcopum.* Impressa fuit apud Dionysium Bechet. *Launoius*, cui christianæ modestiæ intra limites se continere, haud raro difficile accidebat, novam responsionem, quæ magnam verborum acerbitatem adjunctam habuit, *Milleto* objecit. Is verò amorem pacis præferens animi lætitiæ, quæ ex reportata victoria consequi nata est, ex arena, quin Antagonistæ verbum reponeret, discessit: in hanc verò, ut ejus partes defendendas susciperet, descendit

HUGO MENARDUS, cujus est *De unico Dionysio Areopagita, Athenarum & Parisiorum Episcopo Dissertatio seu Diatriba*, quam suppresso nomine adversùs Joannis Launoii discussionem Milletianæ responsionis vulgavit in 8. Parisiis 1644. Secundùm Dupin, 1643. Apud omnes in confesso est, hoc Menardi opus multa disquisitione ac eruditione ab eo elaboratum fuisse; nihilo tamen minùs fatendum est, quòd pauci admodùm, ac nulli ferè cum ipso sentiant; quandoquidem ipsa Parisiensis Ecclesia utriusque Sancti Episcopi festum non una eademque luce, sed diversis celebrat diebus. Qui verò post *Menardum* acriter contendit, S. Dionysium Areopagitam à S. Dionysio Parisiensi minimè distinguendum esse, fuit

JACOBUS DOUBLETIUS, Monasterii S. Dionysii in Francia Decanus, atque Author Operis an. 1646 impressi, *Histoire chronologique pour la verité de St. Denys Areopagite Apôtre de France.* id est: *Historia Chronologica pro veritate S. Dionysii Apostoli Franciæ.* Dominus *de Chevanes* eandem opinionem propugnavit in Opella an. 1679. Parisiis sub hac epigraphe typis data: *St. Denys l' Areopagite Evêque de Paris.* id est: *Sanctus Dionysius Areopagita Episcopus Parisiensis.* Ultimus è Benedictinis Gallis, quem sciam, inter Scriptores Areopagitas (ita vocantur, qui S. Dionysium Areopagitam cum S. Dionysio Parisiensi confundunt) fuit

CLAUDIUS DAVID è Congreg. S. Mauri, cujus extat *Dissertation sur les écrits de S. Denys l' Areopagite, ou l'on fait voir, que ce saint est l' auteur des ouvrages, qui portent son nom.* id est: *Dissertatio de Scriptis S. Dionysii Areopagitæ, in qua demonstratur, eum esse Authorem Operum, quibus nomen S. Dionysii Areopagitæ præfigitur.* in 8. Paris. 1702. Criticam vide apud le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 76.

ADEMARUS Monachus in S. Eparchi Cœnobio Engolismensis scripsit post Concilium Lemovicense an. 1029. habitum de *Apostolatu S. Martialis Lemovicensis* Epistolam satis celebrem ad Jordanum Episcopum urbis ejus, cæterósque Abbates & Clericos totius diœceseos, ad Arnulphum Rutenensem Episcopum, ad Theodericum Metensem, ad Kunigundam Henrici II. Imperat. viduam ad Conradum Imperatorem, ad Guilielmum Aquitaniæ Ducem, & ad Johannem XVIII. Papam, quem, ait, ut ferum hominem, iracundum & crudelem describi. Est verò argumentum Epistolæ quæstio, num S. Martialis Lemovicensis Episcopus jure in Apostolorum numero habeatur? Quod cùm negâsset Benedictus quidam, Abbatiæ S. Michaëlis Clusini in Pedemontio Prior, & Aquitanos affirmantes asinos & rerum ignaros esse publicè etiam pro concione dixisset;

set, Ademarus, qui assensum omnes sui monasterii monachos, excepto adhuc præter se unico, Benedicto præbuisse ægrè ferebat, Epistolam, quam diximus, acrem adversùs illum composuit, cujus excerpta apud *Pinium* Nov. Bibl. Aut. Eccl. Tom. VIII. pag. 108. legi merentur. Vide Acta Erud. Lips. an. 1698. pag. 23.

GREGORIUS CORTESIUS ex Abbate doctissimo S. Benedicti in agro Mantuano S. R. E. Cardinalis sub Paulo III. Tractatum edidit, quòd S. Petrus Romæ fuerit, quod à Sectariis in dubium vocari, imò inficias iri cœperat. Librum Hadriano VI. inscripsit, qui postea typis excusus fuit Venetiis apud Franciscum Senensem anno 1573. in 4.

ARNOLDI WION, Belgæ, Duaceni, è Congr. Casin. *De temporum, Familiarum, & aliorum in historiis dubiorum emendatione* magnum & immensum Opus, *quod propè diem, Deo favente* (ipsius Arnoldi sunt verba) *in lucem emittendum erat*; quod sanè utrum factum postea sit, se adhuc ignorare scribit Armellinus Bibl. Cas. part. 1. pag. 55.

Abbatis & Conventûs Monasterii S. Petri Salisburgi Assertio Antiquitatis Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgens. & Monasterii S. Petri ibidem, Salisburgi 1682.

MARTINUS ANASTASI, Siculus, Panormitanus, in monasterio S. Martini de Scalis Professus, omnium ferè in Sicilia Monasteriorum Prior multa scripsit, è quibus typis excudi meruit opus

De Monogamia B. Annæ Parentis Deiporæ, seu *Veritas vindicata*; Serenissimæ Claudiæ Austriæ dicata, Oeniponti apud Danielem Agricolam anno 1639. in 4. Armell. Bibl. Cas. part. 2. 95.

FLAMINII PATE, Siculi, Messanensis, Monachi in Cœnobio S. Placidi prope eandem urbem Messanam anno 1651. defuncti

Censura sopra d' un scritto promulgato dall' Abbate D. Rocco Pirro contro l' antica Tradizione della Sagra Lettera scritta dalla SS. Vergine alla Città di Messina. Id est; *Censura in lucubrationem editam ab Abbate D. Rocho Pirro contra veterem traditionem sacræ Epistolæ à SS. Virgine ad Civitatem Messanam scriptæ.* Opus posthumum typis traditum Venetiis apud Guerilios an. 1652. in 8. & iterum ibidem apud Franciscum Babba 1655. in 8. Armell. l. c. part. 1. p. 172.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

ELMERI, aliter *Edmeri*, *Eadmeri*, Cantuariensis Monachi Epistola ad Glastonienses Monachos, quo tempore hi posteriores asserebant, se corpus Patroni sui S. Dunstani, Archiepiscopi Cantuariensis habere. Extat Angliæ Sacræ tom. 2. pag. 222.

-- *Scrutinium factum* circa feretrum beatissimi Dunstani, Archiepiscopi, ex mandato R.mi Patris, ac Domini Domini Willelmi Warham Cantuar. Archiepiscopi & Domini Thomæ Goldston sacræ paginæ Professoris ejusdem Ecclesiæ Prioris anno Domini MDVIII. die xvii. April. loc. c. pag 227.

-- Exemplar literarum R.mi DD. Willelmi Warham Cantuar. Archiepiscopi ad Abbatem Glastoniensem an. 1508. l. c. pag. 229.

-- Exemplar literarum Glastoniæ Abbatis pag. 230.

-- Exemplar literarum D. Willelmi Warham Cant. Archiepiscopi ad Abbatem Glastoniensem missarum p. 232.

ANTONII YEPESII *Examen historiæ Traiani ex inferno, ut dicitur, liberati*, ad lapidem Lydium. Extat in ejus Chronico Generali O. S. B. Centuria seu Tomo II. ad an. Chr. 604. an. S. Benedicti 124. cap. 3. pag. 456. cui subjicienda venit

LUDOVICI BABENSTUBER *Disquisitio*, *Utrùm anima Trajani precibus S. Gregorii M. liberata fuerit ex inferno?* Extat Theologiæ Moralis Tract. VIII. part. IV. Disp. III. Art. IV. pag. 913.

GUILLELMI MARLOT S. Nicasii Remensis Magni Prioris *Brevis & ingenua Discussio*, *an Tornacensis Civitas, vel Balvacum, in Hannonia Nerviorum caput sit, ac primaria Sedes Episcopalis.* in 4. Insulis de Rache an. 1662.

AMANDI PACHLER Abbatis ad S. Petrum Salisburgi anno MDCLVII. electi *Disquisitio de S. Amando Episcopo Wormatiensi, déque S. Martini Episcopi Turonensis Salisburgum facta translatione.* Mentionem hujus Disquisitionis Historia Univers. Salisburg. l. 2. c. VII. n. CCXXIV. pag. 291. facit, sed num typis vulgata, an verò inter MS.ta etiamnum asservetur, memoriæ non prodit. Memini, me annis abhinc multis apud Antonium Yepesium in Chronico Generali Ord. S. Ben. legisse, quòd Calvinistæ sacras Reliquias Divi Martini, Turonensis Episcopi, flammis absumpserint,

quî ergo fieri potuit, ut ex Gallia translatæ Salisburgum fuerint; ant si hoc factum, qua ratione hæretici subdere illis ignem potuerunt? Hic verò Davus, quàm Oedipus esse malim.

ANGELI DE NUCE, Abbatis Casinensis *Dissertatio Historica*: *Num sacra Liturgia sermone vernaculo & vulgari apud Græcos & Latinos primis seculis celebraretur, an secretiori & vulgaribus ignoto?* Extat inter Notas, quibus Leonis Marsicani Chronicon Cassinense illustravit. Lib. I. cap. 32.

-- EJUSDEM *Dissertatio Historica*: *Utrum Sacerdotes & Episcopi Schismatici, Simoniaci, & Excommunicati sint in Ecclesia Orthodoxa habiti veri Sacerdotes.* Vid. l. c. lib. 4. c. 72.

-- EJUSDEM *Dissertatio Historico-Theologica, quo tempore particula* FILIOQUE *in Symbolo addita fuerit.* Vid. l. c. lib. IV. c. 116. pag. 584.

CLAUDII MARTIN è Congreg. S. Mauri *Dissertatio de Martyrio S. Ursulæ & Sacrarum Virginum*, ubi Author definit, quæ in hac historia fabulam sapiant, quæque pro certis, vel saltem vero similibus accipi possint. Variant sententiæ de numero Sodalium Divæ Martyris. Sunt, qui ex hisce characteribus XI. M. V. undecim duntaxat Virgines Martyres exsculpant. Fundamentum suæ opinionis ponunt in veteri catalogo Reliquiarum, qui tomo VII. *Spicilegii* extat, ubi hæc verba leguntur: *De Reliquiis sanctarum undecim Virginum.* Alii existimant, quòd inter sacras hasce Athlethas una extiterit, cujus nomen fuerit *Undecimilla*; ex cujus nomine undecim millium historiæ, an fabulæ ansam fuisse datam conjicit Sirmondus. Vide Hadriani Valesii Valesiana pag. 48. ubi hæc lectu non injucunda habet: Il y a eu une sainte Ursule Martyre suivant la commune opinion. On ignore neantmoins, de quel tems elle a été. Mais je suis trés-humble serviteur des onze milles Viergès. La fable est un peu trop manifeste, pour pouvoir la souffrir. Voicy sur quoi cette erreur est fondée, suivant la conjecture du savant Pere Sirmond. Ceux qui ont forgé cette belle histoire, aiant trouvé dans quelques Martyrologes manuscrits, SS. URSULA & UNDECIMILLA V. M. c'est à dire: *Sanctæ Ursula & Undecimilla Virgines Martyres*, & s'étant imaginez, qu' *Undecimilla* avec l' V. & l' M. qui suivoient, étoit un abregé pour *Undecim Millia Virginum*, ont fait là dessus ce roman, que nous avons aujourd'huy. Je ne comprens pas, comment les Docteurs de Sorbone, parmi les quels il y a tant d' habiles gens, ont bien voulu laisser pour Patrones tutelaires de leur Eglise cette troupe des Saintes de contrebande, pendant qu' ils en avoient à choisir tant d' autres de bon alloy. Id est: „Juxtà opinionem „communi consensu receptam fuit „aliqua S. Ursula Martyr. Nihilominus, quo vixerit tempore, pro comperto non habetur. Ego verò servus sum humillimus undecim millium Virginum. Fabula hæc crassiore filo contexta est, quàm ut figmentum non transpareat. Vin basim videre, cui error iste innititur? adverte animum ad ea, quæ P. Sirmondus Vir eximiæ tradit prudentiæ. Qui bellam hanc historiam procuderunt, cùm in Martyrologiis quibusdam MSS legissent, SS. URSULA & UNDECIMILLA Virgines Martyres, atque in animum induxissent, ut crederent, quod *Undecimilla* cum sequentibus literis V. M. esset abbreviatio loco *Undecim Millia Martyrum*, Romanensem hanc fabulam, quæ hodieomnium in ore versatur, exinde fabricarunt. Non satis assequor, quâ ratione Doctores Sorbonæ, quos inter quàm plurimi omni disciplinarum & liberalium artium genere sunt excultissimi, in suis ecclesiis hanc turbam Sanctarum, ut ita dicam prohibitarum, inter Tutelares reliquerint, cùm legitimæ neutiquam paucæ superessent." Ita Hadrianus Valesius. Pater *Martinus* eorum retinet sententiam, qui numerum undecim millium tuentur; maximè cum *Wandalbertus* in suo Martyrologio, quod sub annum 850. concinnavit, harum Virginum meminerit. Potuisset etiam P. *Martinus* allegare *V. Bedam*, *Alcuinum*, & *Usuardum*, qui pariter earum mentionem fecerunt. Quibus tamen, inquit Vir Illustris Johannes Philippus à Voorburg (g) historiæ cùm sacræ tum profanæ minimè imperitus, an fides supra *Eusebium*, *Tertullianum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Ruffinum*, *Orosium*, *Socratem*, *Sozomenum*, *Theodoretum*, *Severum Sulpitium*, *Sulpitium Alexandrum*, *Renatum Frigeridum*, *Profuturum*, *Salvianum*,

(g) Lib. 3. pag. 160. à Meibom. allegatus in Not. ad Gœbelin tom. 1. Scriptor. R. G. p. 351.

num, Prosperum Aquitanicum, Comitem Marcellinum, Prudentium, Sidonium Apollinarem, Cassiodorum, Jornandem, Historiæ Miscellæ Autorem, Anastasium, Gregorium Turonensem, & tot alios veteres Divorum Europæorum Actuarios, nullam Ursulæ, sociarum, & tantæ stragis, cui similis non extitit, mentionem facientes, habenda sit, apud Lectorem judicium esto. Arte proinde Critica in discutienda hac Historia ut cum maximè opus est. Audivi aliquando Ordinis nostri Abbatem, qui, cùm de hoc argumento sermo incidisset, inter alia dixit, se sciendi, quid Socii Bollandiani ad diem 21. Octobris in medium prolaturi sint, desiderio vexari. Opto, ut tanto tempore superstes id explere valeat. Intereà si Præsuli volupe est, aliquid anticipatè ex Bollandianis Hagiographis scire, legat Dissertationem eorum insertam Conatui Chronico-Historico de Romanis Pontificibus post S. Pontiani Pontificatum. Nec lectu indigna sunt, quæ Henricus Meibomius Junior Tom. I. Scriptor. R. G. pag. 352. ad Hermanni Crombachii Soc. Jesu *S. Ursulam Vindicatam* respondit. Addi poterit Pagius ad an. 383. n. 5. pag. 561. quo judice Crombachius Historiam Ursulinam erroribus potiùs novis implicuit, quàm iisdem evolvit. *Quam causam tuendam suscepit, magis incredibilem reddidit.* Launoius Part. 4. Epist. ult. Solerius in Notis ad Usuardi Martyrologium die 21. Octobr. & alii plures. Cæterùm D. Martini *Dissertatio* præmissa est Meditationibus pro festo S. Ursulæ prælo subjectis apud Lud. Billuine in 16. an. 1678.

GUILLELMUS BESSIN è Congreg. S. Mauri multis annis in variis monasteriis Philosophiæ ac Theologiæ Professoris eximii *Reflexions sur le nouveau systeme du R. P. Lami de l'Oratoire, touchant la derniere Pasque de N. S. Jesus Christ.* id est: *Animadversiones in novum Systema ultimi Paschatis D. N. Jesu Christi, à R. P. Lamio Presbytero Oratorii excogitatum.* Equidem id Systema jam anteà per Toinarum, Tillemontium, Vitassium, P. Manduitum è Congr. Oratorii, aliósque viros doctos primi ordinis fuit impugnatum; quorum tamen præclaræ Refutationes BESSINI animum admiratione suspensum non ita tenuêre, quin non & suas in systema illud animadversiones, velut copias in aciem educeret. Omissa singulorum recensione, quæ in iisdem continentur, annotâsse sufficiat, quòd, postquam P. *Bessinus* ex sacris Literis, & veterum Scriptorum, præcipuè Philonis, authoritate palàm fecit, Pascha Hebraicum à Servatore nostro Divino, vespero mortem suam præcedente, fuisse celebratum, dilucidè ostenderit, fieri haud potuisse, ut Paschalis Agnus in templo & in tabernaculo sit immolatus, obstante immenso victimarum numero, quæ eò loci imolandæ fuissent, id quod duas intra horas, quarum fermè spatio definita immolatio erat, perfici minimè potuisset. Huic alias id genus congruas adjecit rationes. Si argumenta illius à novitate commendari haud merentur; certè quidem lucem aliorum affundunt rationibus ad declarandam quæstionem, à viris doctis dudum agitatam; quæ qui benè capit, intimam difficultatis vim, & naturam nullo negotio penetrabit. Author annotationum in Tomum III. literarum selectarum RICHARDI SIMONII affirmare haud dubitavit, hanc *Systematis P. Lami* confutationem cæteris omnibus, quæ ista super controversia in lucem prodierunt, præferendam esse. Verùm alii aliter sentiunt, nec omnes viri docti in eadem cum ipso sunt sententia. P. *Lamius* satis habuit binas ad P. *Bessinum* exarare literas, quas iste catalogo virorum doctorum inserendas curavit: sunt illæ separatim etiam impressæ cum D. Dupinii approbatione. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 20.

JOANNIS LIRON è Congr. S. Mauri *L'Apologie pour les Armoricains, & pour les Eglises de Gaules, particulierement de la Province de Tours*, id est: *Apologia pro Armoricis & Ecclesiis Gallicanis, specialiter Provinciæ Turonensis.* Author ostendit, quòd Ecclesiæ Britanniæ sint priùs fundatæ, quàm Britones in Armoricam appulerint, & quòd ista Provincia luce Christianæ fidei labente Seculo IV. collustrata fuerit. Opus verò suum Archiepiscopo Turonensi nuncupavit. Vide le Cerf l. c. pag. 200. apud quem tamen annus & locus editionis desideratur.

CLAUDII MATHOUD è Congreg. S. Mauri *Dissertatio de vera Senonum origine Christiana* adversùs Joannis de Launoy, Theologi quondam Parisiensis Criticas Observationes. Parisiis apud Simonem la Gronne A. Christi 1687. in 4.

JOANNIS MABILLONII è Congr. S. Mauri *Differtatio de Pane Eucharistico, Azymo, & Fermentato* in 8. *Parisiis an.* 1674. Quæstio superiori sæculo agitari cœpit: *An perpetuus usus Fermentati in Ecclesia Græca, perpetuus item usus Azymorum in Latina viguerit?* Jacobus Sirmondus S. J. vir doctissimus, in Disquisitione de Azymo, contendit usum fermentati octingentis & ampliùs annis in Ecclesia Latina solennem fuisse; recepta autem azyma medio illo intervallo, quod à Schismate Photii usque ad turbas Michaelis Cerularii effluxit. Eandem propugnat opinionem doctissimus Cardinalis *Bona* Lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XXII. cùm hoc discrimine, quòd azyma non excludat omnino ab illorum seculorum usu, quæ Sirmondus excludit. P. Joannes Mabillonius Congr. S. Mauri Scriptor eruditissimus cùm in Præfatione Seculi III. Benedictini, tum in Differtatione singulari cit. contendit, perpetuum ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina fuisse Azymorum usum. Mabillonii sententiam tuetur *Christianus Lupus* Ord. S. Aug Lovaniensis Theologus, Tomo III, Scholiorum in Decreta & Canones Conciliorum, in Differtatione de Actis S. Leonis IX. Cap. VII. Utriusque opinionis argumenta refert Alexander Natalis Hist. Eccl. Differt. XI. Sec. XI. & XII. Tom. VI. pag. 869. P. *Franciscus Macedo* Minorita persuasum habebat, quòd sententia Cardinalis Bona hæresi affinis esset; unde Authorem ad palinodiam cantandam astringi volebat: id quod Mabillonio stimulos addidit, ut resumpto argumento suæ Differtationi novas illustrationes adjiceret, in quibus sententiæ Cardinalis Bona, tametsi à vero recederet, hæreticæ doctrinæ notam inuri posse negavit. Vide le Cerf pag. 248.

– EJUSDEM *Elenchus potiorum difficultatum*, in lectione *Conciliorum, Patrum, & Ecclesiasticæ Historiæ occurrentium juxta seculorum seriem.* Extat in Tractatu de Stud. Monast. parte altera post conclusionem Operis. Separatim verò typis excudi curavit *Hermannus Schenck* San-Gallensis Bibliothecarius. Quo uno elencho Mabillonius satis ostendit, se in Historiæ Ecclesiasticæ Critica longè omnium versatissimum esse.

THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Acta primorum Martyrum sincera & selecta ex libris tum editis, tum mst.tis collecta, eruta, & emendata, notisque & observationibus illustrata.* in 4. *Parisiis typis Francisci Muguet an.* 1689. & *fol. Amstelodami apud Wettstenium an.* 1713. Francicè vertit & edidit D. Drouet de Maupertuis in 8. Parisiis an. 1708. vol. duo. In hoc libro continentur authentica, quotquot reperiri potuerunt, primorum Martyrum Acta, eorum, qui prioribus quatuor Ecclesiæ seculis pro Christianæ fidei defensione passi sunt. Ea mirè illustrant exquisita eruditione refertæ admonitiones in singula, & notæ in difficiliora loca. Operi præmissa doctissima præfatio, in qua primùm recenset modos, quibus sincera Martyrum Acta ad nos pervenerint; tum invictè probat infinitos propemodùm Martyres extitisse, quorum acta vel perierint, vel descripta non fuerint; nec proinde Martyrum numerum ex actorum numero repetenda esse. Id quidem voluerat *Henricus Dodwellus* edita anno 1684. Oxonii inter Cyprianicas Differtatione de *Martyrum paucitate* inscripta, in qua contendebat, paucos admodùm Martyres in primævis persecutionibus passos fuisse, tantámque sanctorum Martyrum turbam, quam Ecclesia Catholica in Martyrologiis aut in officiis ecclesiasticis celebrat, nulla alia quàm fabulatorum aut monachorum otiosorum authoritate fulciri. Temerariam hominis sententiam, vanissimis conjecturis, ut solet, ac commentis potiùs, quàm argumentis fultam tam validè refellit *Ruinartius*, ut is ad incitas redactus ne mutire quidem deinceps ausus fuerit. Agit denique *Ruinartius* de honore, quo Martyres in Ecclesia afficiebantur, ostenditque, maximam semper, & ab omni ævo fuisse totius Ecclesiæ in eos reverentiam. Primus hic Ruinarti fœtus in pretio fuit apud eruditos, noménque fecit authori. Nihilominus laudatissima hæc Acta, Criticisque habita quasi pro norma, ad quam alia id genus scripta exigi par sit, suum habuerunt *Hypercriticum* R. P *Honorium de S. Maria Carmelitam Differtatione IV. meditationum de regulis & usu Critices,* qui tamen actum egit; nam Ruinarti *Acta primorum Martyrum* prælo anno 1713. iterùm subjecta ætatem ferunt, eáque à viro docto acatholico maximis ornari laudibus audivi, Ita quidem, ut ab hoc Opere Ruinartum supra Mabillonium, id est, discipulum supra magistrum extulerit.

–EJUS-

-- EJUSDEM *Disquisitio Historica de Pallio Archiepiscopali* edita ad calcem Tom. II. ejus ac Mabill. Opp. Posthum. pag. 397 - 554. Doctissima Dissertatio, in qua omnia, quæ ad Pallium Archiepiscopale spectant, criticè expenduntur.

BERNARDI de MONTFAUCON è Congr. S. Mauri *Liber Philonis de vita contemplativa, ex Græcis fontibus in Francicum traductus cum Observationibus ac Notis, in quibus ostenditur, Therapeutas, de quibus Philo loquitur, veros ac genuinos Christianos fuisse.* Gallicè in 12. Parisiis an. 1709. In confesso apud omnes est, hosce homines pro Christianis habitos fuisse, usque dum Scaliger & Blondellus eos in censum *Essæorum* redegerant. Contra Scaligerum scripsit Henricus Valesius, cujus sententia erat, eos nec Essæos nec Christianos fuisse: ast etiam hic adversarium nactus est, Brunonem, natione Anglum. Litem hanc à viris eruditis motam Montfauconius suam fecit, edito Philonis libro de vita contemplativa, in quo Therapeutas Christianis sacris addictos fuisse ostendere conatus est. Non probavit ejus conatum D. *Bobier de Savigni*, Supremi Senatûs Divionensis Præses ab eruditione & doctrina non incelebris, qui binis literis ad Montfauconium datis Therapeutas Judæis annumerat. Ratio ejus potissima fuit, quòd si Therapeutæ Christum coluissent, nunquam eos Philo Judæus laudibus celebrâsset. Quod argumentum Montfauconius, rescriptis ad authorem literis, ex eo revinci posse existimavit, quòd Philo, tametsi religionis suæ flagraret zelo, de morte tamen S. Jacobi, velut re indigna, sermonem injicere non dubitârit. Nec alia omisit exempla, quibus suam confirmaret sententiam. Ex Anglis nempe Protestantibus fuisse nonneminem, qui non Anglicanum modò Monasticon composuerit, sed in vitam etiam Monasticam tanta, támque præclara congesserit encomia, ut iis majora nullus monachus conferre potuisset. Alterum Anglum in additionibus ad hunc librum factis novas & majores accumulâsse laudes. Quid quòd Londini monasterium sit, in quo Virgines Catholicæ sub Protestantium protectione vitam colant monasticam. Ex utriusque D. de Savigny & P. de Montfaucon Epistolis collectio facta anno 1712. typis publicata fuit. Vide le Cerf pag. 383. & Bibliotheque des auteurs Ecclesiastiques du dix huitiéme Siecle pour servir de continuation à celle de M. du Pin. Tom. II. De hoc argumento legi etiam meretur *Augustinus Calmet* in Dictionario Historico, ejúsque Supplemento, ubi non contemnendis rationibus disceptatur, an *Therapeutæ fuerint Christiani.*

-- EJUSDEM MONTFAUCONII *Epistola ad *** an vera narratio Rufini de baptizatis pueris ab Athanasio puero?* Item de tempore mortis Alexandri Episcopi Alexandrini, ac de anno obitûs Athanasii Magni, in fol. & in 8. Parisiis an. 1710. Auctor probat, Alexandrum anno 326. & Athanasium an. 373. mortalitatem explevisse. Cùm verò hæc lucubratio rarescere cœpisset, Theodorus Hasius in Bibliotheca Historico - Philologicò - Theologica divis. 2. classis 4.ta recudi fecit.

JOANNIS LIRON è Congr. S. Mauri *Amœnitates Criticæ* seu *Dissertationes*, & *Observationes* in Historiam Ecclesiasticam & Profanam. Gallicè Parisiis an. 1717. vol. 2. in 12.

BERTHOLDI VOGEL, Cremifanensis, Theologiæ Professoris in Universitate Salisburgensi, hodie Rectoris *Disquisitio de Romano itinere atque Primatu S. Petri contra Sectarios & Dupinium.* Extat in Auctoris Tractatu Theologico, cujus titulus: *Ecclesia*, Salisburgi in 4. anno 1744. typis Jo. Josephi Mayr.

SECTIO V.

SCRIPTORES HISTORIÆ SANCTORUM.

COgnitio Historiæ Sanctorū, quàm pulchra; quàm jucunda, quàmque utilis sit, non est, ut multis hîc loci disseramus. Qui eam condiderunt, in quatuor potissimùm classes distribui possunt, in eos nempe, qui Vitas Sanctorum, qui Martyrologia, qui sacras, ut vocant, Legendas, ac denique qui de Sanctorum Reliquiis scripserunt. Exordium ducemus ab Hagio-

Hagiographis, non eos quidem omnes (quod peculiari libro ad regulas criticas agendum) sed singula secula more ac instituto nostro quasi per transennam percurrentes, unum alterúmve breviter recensebimus.

§. I.
HAGIOGRAPHI.

S. GREGORIUS M. Pontifex Max. S. P. Benedicti vitam virtutibus & miraculis gloriosam Lib. 2. Dialog. conscripsit; *divinitùs enim dispositum est*, inquit Wernerus Rolevinck Carthusianus in Fasciculo temporum anno Christi 504. *ut cùm idem Legislator excellentissimus in cæteris modis sit à Deo decoratus, etiam hinc majori authoritate, tam ipse, quàm Legislatio ejus roboretur: quòd eandem vitam Summus Apostolicæ Sedis Pontifex ordinavit.*

SEBASTIANUS, Monachus Casinensis, & S. P. Benedicti discipulus vitam scripsit S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris, ut ex mss. Bibliothecæ Casinensis codicibus signatis n. 147. & 148. constat, quæ etiam reperitur in MSS.tis Sublacensibus, & Reatensibus. Gattola Hist. Cas. Sec. I. §. IV. pag. 12. col. 2.

ÆIGRADUS, Vossio *Angradus*, Monachus in Normannia Fontanellensis scripsit Seculo VII. exeunte *Vitam S. Ansberti Rothomagensis Episcopi*, qui anno 695. die 5. mensis Februarii ad Superos migravit. Extat hæc vita quam author *Hilberto* Abbati suo nuncupavit, apud Laur. Surium & Joan. Bollandum ad diem 9. Februarii. Itémque apud Mabillonium Sec. II. Act. O. S. B. pag. 1048. Hugo Menardus in Menologio quinto Idus Febr. hæc breviter de S. Ansberto: *Gandavi in Blandinio monasterio, sancti Ansberti Rothomagensis Archiepiscopi, qui invidorum perfidia ad Pipinum delatus in Altomonte Hannoniæ exulavit, ubi & beato fine quievit.* Sunt tamen eruditi Critici, qui hanc vitam vel interpolatam, vel à juniore auctore scriptam esse ex eo conjiciunt, quòd cladis anno 737. à Saracenis illatæ in illa mentio fiat. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 80.

V. BEDA *Seculi VIII. Hagiographus.* Operum ejus Tomo III. plurium Sanctorum Vitæ continentur. 1.) Vita *S. Cuthberti*, Episcopi Lindisfarnensis. 2.) Vita *S. Felicis* Confessoris. 3.) S. *Vedasti* Episcopi Atrebatensis vita. 4.) Vita S. *Columbani* & *Attalæ* Abbatum. 5.) S. *Patricii* Hibernorum Apostoli vita, miracula, & transitus. 6.) Vita S. *Arnulphi* Metensis Episcopi. 7.) S. *Bertolfi* Abbatis Bobiensis. 8.) Vita S. *Eustasii*. 9.) S. *Burgundoforæ* vita. 10.) Passio S. *Justini* novennis pueruli sub Diocletiano & Maximiano. Quædam verò ex his vitis sint supposititæ, quænam Ven. Bedam habeant authorem, vide Criticos Labbeum, Caveum, Oudinum, Fabricium, & alios.

S. ADO Viennensis Episcopus Sec. IX. vitam S. Theuderii Abbatis, unius è discipulis Sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis, in literas retulit, eámque fratribus in cœnobio *Sancti Theuderii consistentibus* inscripsit, ut eos ejus exemplis ad amorem vitæ æternæ ampliùs invitaret. Mabill. Annal Ben. Tom. I. lib. IV. pag. 106. apud quem etiam extat in Actis Benedictinis Sec. I. pag. 678. Scripsit præterea *Ado* S. Desiderii, Viennensis Episcopi Martyrium, quod habetur in Canisii antiqq. Lect. Tom. VI. pag. 441. & Tom. II. edit. nov. Part. III. p. 1. & apud Surium & in Actis Sanctorum XI. Febr.

ANASTASIUS Abbas Romanus, Monasterii S. Dei Genitricis Mariæ Virginis trans Tyberim S. R. E. Cardinalis Seculo IX. sub Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. & fors sub aliis Pontificibus claruit. Ejus Opera feruntur esse Passio 10000. Martyrum sub Hadriano & Antonino, quæ extat in Actis Sanctorum 22. Junii Tom. IV. pag. 182. ubi legenda in prævio Commentario doctissima Critica in hæc SS. Achatii & Sociorum Martyrum Acta. *Vita S. Joannis Eleemosynarii* Patriarchæ Alex. apud Rosweidum lib. I. de Vitis Patrum, & in iisdem Sanctorum Actis 23. Januarii. *Passio S. Demetrii Martyris* apud Joannem Mabillonium Tom. I. Analect. pag. 65. & editionis novæ pag. 172. *Encomium S. Bartholomæi* Apostoli ex Græco Theodori Studitæ in Dacherii Spicilegio Tom. III. & editionis novæ Tom. II. pag. 123. atque in Combefisii Bibliotheca Concionatoria Tom. VII. *Vita S. Dionysii Areopagitæ* ex Græco Latinè versa. *Passio* 1480. Martyrum in Palæstina. *Miracula S. Basilii Cæsareensis. Passio SS. Cypri & Joannis.* Vita S. *Donati Episcopi* apud Euricon in Syria. Tribui-

buitur etiam illi versio *Historiæ de Josaphat & Barlaam* inter Joannis Damasceni Opera. *Vita S. Petri Alexandrini*, *Passio S. Agathi*, sociorúmque ejus; de quibus & aliis videsis Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 232. & quos allegat.

Seculo X. CHRISTANNUS de SCALA, Boleslai Sævi Bohemiæ Ducis filius, ac Boleslai Pii germanus frater, spreta amplissima hæreditate, monachum in Regio Brevnoviensi monasterio professus, magnâ eruditione, judicio, ac eloquentia *Sanctæ Ludmillæ & Sancti Wenceslai Regis* Aviæ & Patrui sui, Acta conscripsit. Libellus hic Christanni, quamvis luce dignissimus, nunquam lucem aspexit, neque Hagecio, neque Dubravio visus, quem Bohuslaus Balbinus S. J. singulari felicitate inter *Bibliothecæ Trebonensis Cœnobii*, *Canonicorum Regularium sancti Augustini in Regno Bohemiæ* manuscriptos codices inventum, quantum per difficillimum scripturæ genus licuit, ipse descripsit, & lib. I. cap. x. Epitomes Historiæ Rerum Bohemicarum typis vulgavit Pragæ an. 1677. Cùm verò *Christannus* vetustissimus Bohemiæ sit scriptor, & sibi compertissima (quippe ipsius Boleslai fratricidæ filius) afferat, sanctóque Adalberto, Pragensi Episcopo, nepoti suo ex sorore ea dedicet, majorem sine dubio attentionem, majorémque fidem quàm ii, qui multis post ætatibus vixerunt, meretur. Ex eo Religionis Christianæ apud Bohemos initia, sanctæ Ludmillæ & Borizovii Conjugum, ac S. Wenceslai Nepotis Acta cognosci possunt: illud tantùm maneat, non omnia eum uno libro complecti potuisse, itaque siquid ambiguè, obscurè, quódque ampliori luce egeat, dictum videbatur, Balbinus in loco *Notis*, in gratiam lectoris illustravit. *Balbin. l. c. Cap. IX. pag.* 39.

HUCBALDUS, seu *Hugbaldus* Elnonensis monachus Seculo X. celebris, & à bona fide commendatus Hagiographus præter plurium sanctarum Antistitum vitas v. g. *S. Rictrudis* Abbatissæ Marchianensis, S. *Adelgundis* Abbatissæ primæ Malmodiensis, S. *Madelbertæ* Virginis & Abbatissæ pariter Malmodiensis, scripsit etiam vitam S. *Lebuini* Presbyteri Daventriensis & Confessoris, vitam S. *Brigittæ*, Historiam S. *Cilmiæ* matris Francorum Apostoli. Oudin. Tom. II. pag. 417.

S. PETRUS DAMIANI inter Seculi XI. celeberrimos Hagiographos jure numeratur, qui permultas historias Sanctorum, seu vitas scripsit. 1.) Vitam S. *Odilonis* Abbatis. 2.) S. *Mauri* Episcopi Cæsenatis. 3.) S. *Romualdi* Camaldulensis Institutoris & Abbatis. 4.) S. *Rodulfi* Episcopi Eugubini. 5.) Passio Sanctarum Virginum & Martyrum *Floræ* & *Lucillæ*. 6.) Expositio Visionum SS. Martyrum Mariani & Jacobi. Præter hasce vitas, quæ Tomo II. Opp. ejus extant, à Gerardo Joanne Vossio lib. 2. de Hist. Lat. cap. 45. enumerantur & aliæ xi. ex Suriana Collectione selectæ vitæ: quæ in unum corpus congestæ justæ utique magnitudinis efficerent Legendam.

MARBODUS Sec. XII. ex Scholastico Andegavensi Episcopus Rhedonensis & ex hoc monachus ad S. Albinum scripsit plures Sanctorum vitas. 1.) Vitam S. Licini, Episcopi Andegavensis editam in Actis Sanctorum Tom. 2. Febr. pag. 682. 2.) Vitam S. Roberti Casæ Dei lib. II. in iisdem Actis Tom. 3. April. 24. pag. 317. & in Mabillonii Actis Benedictinis Sec. VI. part. 2. pag. 184. 3.) Vitam S. Magneboldi Confessoris à Cl. Ant. Beaugendre cum duobus prioribus ex manuscr. Mabilloniano vulgatam. Fabric. l. c. lib. XII.

GUILLELMUS de NANGIACO, Monachus S. Dionysii & Regius Historicus scripsit Sec. XIII. vitam S. Ludovici IX. Francorum Regis, quæ Tomo V. Collectionis Scriptorum Historiæ Franciæ coætaneorum, quam Andreas Duchesnius Parisiis in folio procuravit, continetur.

JOANNES de ERFORDIA oriundus, dictus de Luterbech, Presbyter Conventualis Monasterii S. Stephani Herbipoli, Capellanus Episcopi, circa annum 1350. Vitam SS. Kiliani & Sociorum MM. nec non S. Burchardi, primi Wirceburg. Episcopi metro descripsit, quam juris publici fecit Cl. Ignatius Groppius Tom. I. Scriptor. Rer. Wirceburg. pag. 795.

ÆGIDIUS de PONTISARA, Abbas S. Dionysii in Francia scripsit Sec. XIV. Latinè vitam S. Dionysii Areopag. Ecclesiæ suæ Patroni, dicatam Regi Francorum Philippo Longo, quæ Mſ.ta habetur in folio trecentorum añorum in Bibliotheca Galliarū Regia Cod 4298. Vid. Oudin. de S. E. Tom. 3. pag. 730.

ADELBERTUS, sive *Adilbertus*, vel ut in M. B. E. pag. 142. *Agilbertus*, Mo-

Monachus & Prior Auguſtani Monaſterii ad SS. Udalricum & Afram, ſcripſit ſub Maximiliano I. Imperatore, id eſt, Seculo xv. *vitam & Miracula S. Simperti*, Epiſcopi Auguſtæ Vindelicorum quondam, prodigiis autem usque hodiernam in diem clariſſimi. Edidit Bernardus Pezius Tom. II. Theſ. Noviſſ. Anecdot. part. III. pag. 355. Adelbertus ille vitam egit circa an. Chr. 1240. Plura Pezius Differt. Iſag. pag. LXI.

ALBERTUS BEMSTAT, Decanus Einſidlenſis Monaſterii, S. Geroldi Eremitæ ex Saxoniæ Duce Hiſtoriam vitæ primus collegit anno MCCCCIV. ex tradita per manus narratione, aut antiquioribus, & jam deperditis literarum vel picturarum monumentis, ſuóque & Palatino ſigillo obſignari curavit, reliquítque dicatam Erneſto Electori, & fratri ejus Alberto, Saxoniæ Ducibus, Thuringiæ Lantgraviis, & Marchionibus Miſniæ. Vid. Acta SS. tom 2. April. pag. 628.

CELSUS à FALCIBUS, Italus, Veronenſis, in Monaſterio SS. Nazarii & Celſi Profeſſus ſcripſit Seculo xvi. ineunte, anno 1505. Vitam Venerabilis *Euphroſynæ Vincenti* Venetæ, natæ anno 1407. quam Petro Dandulo Epiſcopo Vincentino dicavit. Eſt codex pergamenus in 8. & extans Venetiis in Bibl. FF. Prædicatorum S. Joannis.

JOANNES CHRISTOPHORUS, Abbas Lunælacenſis in Superiore Auſtria, Vitam S. Wolfgangi, Epiſcopi Ratisponenſis, Germanicè edidit an. 1599. in 12. Quod idem præſtitit *Simon*, ejusdem monaſterii Abbas, adjectis quàm plurimis miraculis, quibus idem Sanctus in dies coruſcat. Paſſavii apud Georgium Höller an. 1655. in 12.

PLACIDUS VIGELLIUS, Abbas Augiæ Majoris Brigantinæ in Suevia, Vitam S. Fidelis, Martiris ex ſacra Capucinorum Familia, ſui, cùm viveret, intimi amici, literis primùm tum typis, tacito ſuo nomine mandavit, quæ ſæpiùs deinde variis in locis recuſa eſt. Hanc Notis & Obſervationibus à V. C. *Apromano Huber*, ejusdem loci Priore, auctam, Bernardus Pezius, præfixo Authoris nomine, Tomo X. Bibliothecæ ſuæ Aſceticæ inſeruit.

VIRGINIUS VALSECCHIUS è Congreg. Caſin. typis Bernardi Paterini, typothetæ Florentini vulgavit Compendium Vitæ B. Catharinæ de Riccis, Virginis Sacræ & Venerabilis Cœnobii, quod S. Vincentio Pràtenſi ac tertiario Ordini S. Dominici ſacratum fuit, excerpta ex monumentis recenſitæ ipſus Beatificationis ad Excellentiſſimam Dominam Victoriam Altoviti Corſiniam, Principem Giſmanenſem, neptem Clementis Papæ XII. Vid. Supplem. ad Nova Acta Erud. Tom. 2. Sect. X. pag. 446.

PETRUS CUTANTIUS è Congreg. S. Mauri Vitam S. Hilarii Pictavorum Epiſcopi, cujus Operam novâ editione in lucem exire juſſit, ſcitiſſimè ſcriptam præmiſit, fol. Pariſiis typis Franciſci Muguet an. 1693.

Congregationi mox laudatæ immortali cedit gloriæ, quòd ejus doctiſſimi alumni Vitas Sanctorum Quatuor Eccleſiæ Latinæ Doctorum, ex illorum potiſſimùm Scriptis concinnatas, typis excudi curaverint. Sic authore *Dionyſio San - Marthano* Vita S. *Gregorii* cognomento *Magni*, Papæ & Eccleſiæ Doctoris Rotomagi anno 1697. prodiit, quæ libris iv. comprehenſa, & Latinè ex Gallico reddita iterum comparuit Tomo IV. novæ editionis Operum S. Gregorii M. Item Vita S. Ambroſii, authore *Jacobo Friſchio*, Operibus Mediolanenſis hujus Epiſcopi præfixa, & typis Johannis Baptiſtæ Coignard anno 1686. excuſa. Item Vita S. Auguſtini, Eccleſiæ Doctorum præcipui, ex monumentis D. Tillemontii Gallicè ſcriptis in Latinum traducta operâ & ſtudio Hugonis Vaillantii, & mox laudati Friſchii. Item Vita S. Hieronymi, Presbyteri & Monachi, Eccleſiæ Doctoris, authore Joanne Martianeo Pariſiis anno 1706. Quæ Vitæ Quatuor Eccleſiæ Romanæ Doctorum utique merentur, ut in unum corpus collectæ publico exhibeantur.

Parem operam iidem San - Mauriani Patres in Vitis SS. Quatuor Eccleſiæ Græcæ Doctorum concinnandis poſuerunt.

BERNARDUS MONTFAUCON Vitam S. Athanaſii, Alexandrini Epiſcopi, magno ſtudio adornatam publicæ luci dedit ante ejusdem S. Patris Opera noviter à ſe edita Pariſiis typis Joannis Aniſon 1698. Non pauca verò, neque hactenus, ut putat, obſervata attulit, totúmque vitæ ab Athanaſio transactæ curriculum Annalium in morem diſpoſitum accuratè & copioſè adumbravit. Vide recenſionem vitæ in Act. Erud. Lipſ. an. 1699. menſ. Mart. pag. 197. Ab eodem

eodem *Montfauconio* habemus Vitam S. Joannis Chrysostomi ad calcem Operum novissimæ editionis accuratè, quantum fas erat, adornatam. *Vitam S. Basilii Episcopi Cæsariensis* dedit *Julianus Garnier* in præclara ejus Operum editione an. 1723. *Vitam S. Gregorii Nazianzeni* exspectavimus à *Jacobo Frische*, qui ejus Operibus edendis manum admoverat, sed illo anno 1693. morte sublato Domnus *Franciscus Louvart*, editioni ad calcem perducendæ operam impendit; quæ quòd hactenus in publico nondum comparuerit, uti causa me præterit, ita nullus dubito, quin more aliarum editionum vitam S. Doctoris adjunctam sit habitura. Qua re fiet, ut non minùs Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ Quatuor præcipuorum Doctorum Vitas ex eorundem potissimùm Scriptis contextas doctissimis San-Maurianæ Congregationis Sodalibus in acceptis simus relaturi.

FRANCISCUS DE BERGANZA, Hispanus, ex Congreg. Vallisolet. scripsit de SS. CC. Martyribus Caradignensibus ex Ord. S. B. Opus inscribitur: *Antiquedades de Espanna propugnadas*. Matriti anno 1719. Vide Bolland. in Actis SS. die 6. Aug.

HIERONYMI PEZII Acta S. Colomanni Regis & Martyris Divi Tutelaris Austriæ, Dissertationibus & Notis Historico - Criticis illustrata &c. an. 1713. Crembsii Typis Jo. Jac. Kopiz. Hanc eandem vitam lingua vernacula fusè & exactè publicavit in fol. *Godefridus Deppisch*, Mellicensis an. 1743. Viennæ typis Franc. Andreæ Kirchberger.

BERNARDI PEZII Triumphus Castitatis, seu Acta & Vita Venerabilis Wilburgis, Virginis Reclusæ, Sanct-Florianensis in Superiore Austria, Aug. Vind. typis Martini Veith in 4. an. 1715.

IGNATII GROPPII Vita S. Bilhildis, Ducissæ Franciæ Orientalis, & Comitis Hochemii Natæ, Fundatricis ac primæ Abbatissæ veteris Monasterii Moguntiæ, quam ex mss. Codicibus duobus Autor edidit, atque notis illustravit. Wirceburgi typis Philippi Fuggert Bibliopolæ Aulici & Academici an. 1727. Inserta etiam habetur Tomo III. Scriptorum Rer. Moguntiac.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER Acta S. Stephani, Vitam, Excellentiam, & Cultum S. Protomartyris, primi ac præcipui Patroni Urbis Imperatoriæ Viennensis complexa. Vindobonæ sumptibus Jo. Adami Schmidii Bibliopolæ Norimbergensis anno 1736. in 8. Germanicè.

§. II.

Martyrologi.

VEN. BEDA Martyrologorum Caput cum Cl. Sollerio (h) à nobis statuitur; ídque adeò maximè, quoniam singulari ordine & stylo Martyrologium proprium, ut ut incompletum adornavit, quod primùm à *Floro* (i) nominatissimo Lugdunensis Ecclesiæ Subdiacono, ut laudato Sollerio videtur, vel, ut alii volunt, à *Floro* (i) Monacho S. Trudonis diœcesis Leodicensis auctum, inde ab aliis iterum novis additamentis locupletatum, pene dicerem, deformatum fuit. Verum, sincerum, non jam suppostitium, ut creditur, *Bedæ* Martyrologium Bollandi Continuatores in Prolegomenis ad tomum secundum Actorum Martii præmisere. Metricum ejusdem *Bedæ* Martyrologium in Spicilegii Acheriani tomo decimo vet. edit. novæ autem secundo pag. 24. vulgatum est. Notandum verò, quòd in Martyrologiis suis Sanctos etiam domesticos non infrequenter omiserit. Id verò ex mente Mabillonii (k) ea de causa factum verisimile est, quòd Beda suis fastis nominatissimos tantùm Sanctos adscripserit, & ferè ubique receptos, non quosvis particulares. Prodiit Ven. Bedæ Martyrologium ex officina Christophori Plantini an. 1564. in minori forma.

Locum primum à Ven. *Bedæ* Martyrologio tenet celebre aliud ab *Adone* nostro, Viennensi Episcopo, compositum. Nostrum quippe, nostrique instituti esse *Adonem*, quod antea haud notum erat, à Mabillonio ad oculum demonstratum est in ejus Elogio. In eo autem Martyrologio con-

(h) Præfat. ad novam Martyrologii Usuardini editionem cap. 1. §. V.

(i) Vide Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tomo 2. l. 4. pag. 194. quod verò Oudinus de S. E. Tom. I. p. 806. pugnet, hunc Florum à Trithemio esse confictum, eidem Fabricio l. c. lib. VI. pag. 521. non satis certis facere argumentis videtur. Vid. Possev. Apparat. Sac. pag. 488. Imo Florus Lugdunensis à Floro S. Trudonis juxtà alibi dicta non est distinguendus.

(k) Annal. tom. 1. pag. 589.

condendo usus est alio vetustiori *Ado*, quod Româ Aquileiam transmissum, & Ravennæ à quodam Monacho sibi præstitum mutuò ad scribendum acceperat. Vide plura apud Mabill. Præfat. II. In Sec. IV. O. S. B. Porrò Adonis Martyrologium ediderunt sec. XVI. Ludovicus Lipoman. Episcopus Veronensis, & Jacobus Mosander Coloniensis Carthusianus in Tomo VII. Surii Colon. 1581. Prodiit etiam ad calcem Martyrologii veteris Romani cum Notis Heriberti Rosweydi Antverp. an. 1613. in fol. Parisiis 1645. in fol. atque ex editione Rosweydiana in Tomo XVI. Bibliothecæ Patrum edit. Lugdun. an. 1677. Novissimè ope Codicum Bibliothecæ Vaticanæ recognitum & adnotationibus illustratum operâ & studio *Dominici Georgii* SS.mi D. N. Benedicti XIV. P. M. ab intimo Sacello. Romæ an. 1745. in fol. ex typographia Palladis, excudentibus Nicolao & Marco Palearinis.

WANDELBERTUS Monachus Prumiensis Abbatiæ & Diaconus, de quo Sigebertus & Trithemius, Seculo IX. sub Lothario Imp. Martyrologium versibus ferè bis mille composuit, quod à Bedæ Ephemeridibus mutuatum esse malè scribit Joannes Molanus; certum enim est, Wandelbertum non accepisse sua ex Ephemeridibus Bedæ adscriptis, quæ non sunt antiquiores seculo XII. sed auctorem harum Ephemeridum anonymum, utpote Wandelberto 400. annis recentiorem mutuatum esse ex Wandelberti Martyrologio antiquiore. Unde Operum Bedæ editores illud perperàm sub titulo *Ephemeridum Bedæ* Tomo I. inseruerunt. Nunc integrum & purum suo authori restitutum & nitori edidit Lucas Acherius Spicilegii vet. ed. Tom. V. pag. 305. Parisiis in 4. an. 1661. novæ verò edit. Tom. II.

Ordine & ætate sequitur præclarum Bedæ germen *Martyrologium* à B. Rhabano Mauro, ex Monacho Fuldensi Archiepiscopo Moguntino compositum circa annum (uti ex Castellani conjectura Sollerio (l) videtur) 845. tum nempe, cùm dimissa anno 842. Abbatiæ Fuldensis præfectura, privatus ibi degeret, anno 847. ad Archiepiscopatum Moguntinum assumptus. Martyrologium verò suum Ratleico Abbati Seligenstadiensi, Eginhardi quondam notario nuncupavit, præmissa epistola, quam in tomo IV. Analectorum Mabillonii editam reperies, professus se ejus hortatu hoc Opus suscepisse.

Rhabanum excepit B. Notkerus S. Galli Monachus an. 870. mortuus anno 912. Vide Papebrochium d. 6. April. pag. 576. Ejus Martyrologium Canisius in Antiquis Lectionibus publicavit, idque ipsum Florentinius sæpè secutus, diu nescius, quod id pene ex Adone Viennensi descripsisset; quòd si verò ille Hieronymianis, Rhabanianis, & Adoninis spolietur, ad nihilum propè redibunt, quæ ex ejus Martyrologio sunt reliqua. Quin etiam in Notkeri Martyrologio aliquot dies Octobris, & duo extremi menses desiderantur. Extat in Canisii Tom. VI. pag. 761. in nova editione Basnag. Tom. 2. part. 3. pag. 89.

Sub idem tempus vixit & scripsit *Usuardus* Martyrologium, quod tantæ authoritatis fuit, ut eo non modò Gallicanæ Ecclesiæ, sed etiam ipsa aliarum omnium caput & mater Romana Ecclesia ante Romanum recentius usa sit, uti post Molanum author est Sollerius. Quin adhuc in variis Galliarum Ecclesiis, attestante Gravesonio, Martyrologium Usuardi præ Romano legitur. Fuit verò *Usuardus* monachus presbyter in cœnobio S. Germani à Pratis. Martyrologium suum composuit, ut doctissimus Sollerius (m) ex Mabillonio, & ex Historia Ecclesiæ Parisiensis Dubois fidem facit, circiter annum DCCCLXXV.

Anno MDCCXVII. Domnus *Jacobus Bouillart* è Congr. S. Mauri verum ac genuinum Usuardi Martyrologium ex ipso Usuardi autographo expressum in lucem edidit. Asservatur verò illud in Monasterio S. Germani à Pratis, ubi monasticam Usuardus egit vitam. Editioni Patris *Bouillart* præmissa est præfatio, notas & animadversiones admodùm diffusas continens, quibus Editor P. Sollerii sæpiùs à nobis citati & laudati objectas difficultates revincit. Is enim sua in editione Martyrologii Usuardini anno 1714. formis excusi post Molanum & Bollandum contendit, quòd Manuscriptum Pratense nullatenus pro autographo Usuardi habendum sit; quòdque alia duo Manuscripta, quorum alterum, cujus character est seculi undecimi, ad Carthusiam Montis Dei juxtà Enghianum, alterum, cu-

(l) loc. cit. art. 5. §. 2.
(m) cap. 3. art. 3.

cujus character est seculi decimi tertii, ad Ecclesiam Cathedralem Tornacensem quondam spectabat, purum & sincerum Usuardi textum contineant, Pratensi longè præferendum, cui tamen ex ipsius Sollerii confessione uterque manu exaratus codex vetustatis palmam omnino cedit. P. Sollerius ex frequentibus lituris, queis Martyrologium Pratense conspersum est, suas trahit conjecturas. Etenim si Manuscriptum illud esset autographum, quid causæ est, ut quæ variationes in eo conspiciuntur, in descriptis exemplaribus non æquè se dent in conspectum, cùm hæc nihil aliud sint, quàm vel ec- vel apographa, quorum utique est, ut cum autographo usquequaque concordent.

Argumenta Patris Bouillart, quibus adstruit, authenticum & autographum Manuscriptum Martyrologii Usuardini penes solos Religiosos S. Germani à Pratis esse, hæc ferè sunt: Primum, quòd forma characteris indubiè est seculi noni. Alterum, quòd scriptum fuerit ante annum 877. cùm in Necrologio, quod illi adjunctum est, mors Caroli Calvi non sit annotata. Tertium: dedicatum illud est Carolo Regi etiamnum regni habenas moderanti, *Domino Regum piissimo*, prout legitur in Manuscripto Pratensi. Quartum: scriptum fuit in Cœnobio S. Germani, quia solennitates huic monasterio propriæ sunt in eo annotatæ. Quintum: erat in S. Germani asceterio usu receptum, per ista tria saltem secula; cùm solennitates, quæ eò loci post Usuardi tempora fuerunt institutæ, ad marginem sint annotatæ. Sextum; quòd à lapsu illius temporis Cœnobium nec incendio devastatum, nec hostium direptionibus expilatum fuerit. Quod ad lituras, correctiones, & additiones, quæ in Manuscripto reperiuntur, attinet, oppositæ huic difficultati, à P. Bouillart ea responsio reddita fuit, ut in ea desiderari planè ab illis nihil possit, qui, sepośito suo præjudicio, veritatis indagandæ studiosi, vel certè quidem non usque eò impotentes sunt Aristarchi, ut quæcunque ad eorum sententiam non faciunt, arrepta virgulâ censoria obliterare sustineant.

Martyrologium hoc dicatum & oblatum fuit *Carolo Calvo*: illud facilè meretur assensum, quòd Usuardus autographum ei non obtulerit, quod subinde ab ipso posterioribus curis emendatum est, insertis iis mutationibus, quas in illo videre est: interea omnia exemplaria ex Caroli Calvi Manuscripto transumpta fuerunt: quapropter, quòd à Pratensi discrepent, non est, ut quem admiratio incessat.

Præter Observationes in præfatione volumen hoc respersum est notis, quæ totidem declarationes sunt textus Martyrologii. Impressum (n) apud Franciscum Giffart anno 1718. definit in syllabum Alphabeticum omnium Sanctorum, de quibus in Martyrologio fit mentio. Videtur author in hoc Opere, quod per modum dialogi composuit, voluisse imitari stylum Terentii: genus tamen scribendæ dissertationis huic materiæ pertractandæ magis fuisset conveniens.

Si V. C. Joanni Pinio, Hagiographo Antverpiensi, accedimus, Bouillartus judicium Sollerii de Codice Usuardi Pratensi majori oppugnat vehementia ac iracundia, quàm rationum pondere. Et Sollerium, inquit, jam ante in præfatione sua cap. 3. art. 4. §. 1. ejus argumenta attentè considerâsse ac refutâsse. Misisse Bouillartum Opusculum suum ad Sollerium, qui nec illi quidem respondere dignatus sit, & meritò, cùm ipse Bouillartus fateatur, Sollerium, ubi recedit à codice Pratensi, Usuardi expressisse Martyrologium, sicut id ille Carolo Calvo obtulit. Denique Cl. Pinius post confirmata Sollerii argumenta concludit, sibi non libere vindicias scribere, quas Sollerius ipse sibi nequaquam putaverit necessaria. Plura tamen de his videri posse in Memoriis Trivoltianis in Majo anni MDCCXIX. & loca Sollerii oppugnata cum objectionibus adversarii. Ita ille Augusti tom. v. in Elogio Sollerii cap. 2. §. 2. p. 4. & seq.

His post Hieronymum Martyrologiorum, ut Cl. Sollerii phrasi utar, Patriarchis Benedictinis adjungere liceat beatum Ænguffium, cognomento *Keledeum*, Abbatem & Episcopum in Hibernia, qui Martyrologia duo, unum vetusto patrii idiomatis metro, alterum solutâ oratione composuisse memoratur. Primum appellat *Festilogium*, quod ad singulos dies non

Fff 3 con-

(n) Extat Martyrologium Usuardi vulgatum operâ Molani cum Notis in 8. Altera editio Rotomagi an. 1670. in fol. min. atque adhuc alia ad usum Cistercii Parisiis an. 1689. impressa. Antiquiores editiones à Cl. Sollerio recensentur cap. 3. art. 3. pag. 45. & à Schœttgenio Bibl. med. Lat. l. 20. pag. 561.

continet, nisi aliquot Sanctos è præcipuis: in secundo diffusiori recenset primò nomina Sanctorum aliarum gentium, quibus seorsim Sanctos Hibernicos adjungit. Hoc posterius *Tamlactense*, quòd in Tamlactensi monasterio conditum sit, vocat Colganus, qui Ænguſſii vitam ex antiquis monumentis concinnavit, eámque retulit ad seculum nonum, sed absque legitimis & idoneis argumentis. Hæc Mabillonius Annal. tom. 2. pag. 652. In cujus vita occurrit *Neuelo*, aliis *Novelo*, Corbeiensis monachus, qui sub finem Seculi XI. *Adonis* Martyrologium, sive à se, sive ab alio contractum, aliquot Sanctorum nominibus auxit, quale habetur in Bibliotheca Corbeiensi.

De Martyrologiis Hieronymianis minoribus, velut *Rhinoviensi*, sed mutilo, *Reichenoviensi* nitido, *Corbeiensi* brevi stylo, paucis Sanctis ornato, *Castellano* tamen magni habito, Casinensibus duobus, quorum priùs non satis parùm, alterum magis ad Hieronymi autographum accedit, sancti Maximini *Trevirensi* valdè contracto, aliísque vide Sollerium in præfatione ad Usuardi nostri Martyrologium. *Gelonense* verò Martyrologium, sive Monasterii S. Guillelmi de Deserto O. S. B. Diœcesis Lutevensis pervetustum, ineunte scilicet seculo IX. anno circiter 804. conscriptum edidit *Acherius* Spicilegii tom. II. nov. edit. pag. 25. veteris Tom. XIII. Novissimè etiam Martyrologia aliqua antiquissima edidit Cl. Martene Tom. VI. Collect. amplissimæ. Martyrologii *Tegernseensis*, in quo Sanctorum Acta fuse referuntur cum præfatione ad unumquemque mensem, meminit Mabillonius in Descriptione Itineris Germanici. Auctor Cœnobita Tegernseensis, ait, se jussu Patris Erchanpoldi id operis suscepisse. De *Mellicensi* Martyrologio pervetustæ ætatis legi potest Cl. Kropfius in Historia Bibl. Mellic. pag. 15.

DITMARI *Martyrologium*. Arbitrantur quidam & *Ditmarum*, Merseburgensem in Saxonia Episcopum, cujus extat insigne Chronicon, Martyrologium aliquod composuisse, quod ex ipsis verbis l. 7. Chronici confici putant, ubi eum, qui sibi successurus esset, multa monet, hæcque inter cætera: *Habes satis de libris, quos hic ab antecessoribus nostris collectos inveni, & insuper, quos contraxi. In his magisterium salubre reperies, ac bos exaudi, & tunc potes salvari. Sanctorum reliquias, & mundá eorum receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis, tam in prædiis, quàm in mancipiis ego acquisivi, & ne te forsan lateret, Martyrologio inscripsi meo.* Verùm id ne ipse confecerit Martyrologium, an ab alio descripserit, certò ex illis verbis concludi non potest, inquit Bollandus Præfat. Gener. in Vit. Sanctor. cap. 4. §. 8. pag. LII.

REMIGIUS CEILLIER Martyrologis accenseri meretur, ut qui in Historia Generali Autorum Sacrorum notitiam tradit de præcipuis Ecclesiæ Martyribus, eorúmque Actis, sic

Tomo I. Cap. XII. Acta Martyrii S. Ignatii Episcopi Antiocheni, S. Symphorosæ, ejúsque filiarum, S. Felicitatis, ejúsque filiorum examinat, & inter germana omnino refert. *Cap. XIII.* Acta S. Polycarpi excutiens, columbam è rogo ejus evolâsse negat. *Cap. XVIII.* de Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, S. Polycarpi martyrium, quod contigit an. 166. enarrante, & ipso hoc anno scripta, differens, eam, utpote unctione divina abundantem, eximiè laudat.

Tomo II. Cap. I. Vita S. Justini Martyris exponitur. *Cap. II.* S. Abercii Episcopi Hierapolitani Historia, quam Surius Actis suis inseruit, planè insulsa est judice Ceillierio. *Cap. IX.* Acta S. Alexandri & S. Epipodi, Martyrum Lugdunensium, originalia quidem esse negat, sed fide digna tamen censet, nec miracula, horum reliquiis tributa tacet. *Cap. X.* de Actis Martyrii S. Symphoriani, quæ Sec. V. conscripta statuit, & aliorum Martyrum Gallicorum Actis suppostitiis pauca delibat. *Cap. XVIII.* Acta martyrii S. Timothei à Sigeberto Polycrati Ephesio adscripta suppositia omnino censet. *Cap. XX.* Acta Martyrum XII. Scillitanorum, mense Jul. anno 200. à Saturnino Africæ Proconsule, capite plexorum, quæ à *Baronio*, & *Ruinarto* Martyrologiis suis, licèt cum aliqua discrepantia, inserta sunt, inspergit. *Cap. XXI.* Acta Martyrum SS. Perpetuæ & Felicitatis, & Sociorum Carthagine sub *Severo* exstinctorum, quæ optimè à Ruinarto edita dicit, in epitoma repræsentat. *Cap. XXII.* martyrium S. Leonidæ, patris Origenis, S. Plutarchi, S. Potamoniæ, & aliorum, in persecutione sub Severo, Alexandriæ in Ægypto trucidatorum, breviter enarrat. *Cap. XXXII.*

XXXII. de S. Apollonia, Virgine Martyre, aliísque Martyribus Alexandriæ sub Philippo circa finem an. 248. aut initium 249. passis. *Cap. XXXIII.* de S. Saturnino, primo Episcopo Tolosano, ejúsque martirio anno 250. sub Decio. *Cap. XXXV.* de Confessore seu martyrio S. Acacii Episcopi, & aliorum Martyrum. *Cap. XXXVI.* de S. Alexando Episcopo Hierosolymitano & Martyre, mortuo in carcere an. 251. *Cap. XXXVII.* de S. Cornelio Papa, ejúsque Epistolis & martyrio sub Decio an. 242. agit.

Tomo III. Cap. I. Vitam & martyrium S. Cypriani, Doctoris Ecclesiæ, Episcopi Carthaginensis & Martyris, & diversa Acta martyrii exactè examinat. *Cap. VI.* Acta martyrii S. Fructuosi, Episcopi Tarraconensis, S. Lucæ, Montani, & Sociorum, S. Jacobi Diaconi, & S. Mariani Lectoris refert. *Cap. VII.* Acta martyrii S. Nicephori, quæ à Ruinarto magis γνησίως, quàm à Surio repræsentata dicit; item Acta S. Cyrilli, S. Priscæ, & aliorum Martyrum Palæstinæ exhibet. *Cap. VIII.* Acta S. Felicis Presbyteri Confessoris mortui anno 254. *Cap. XI.* de S. Stephano Papa & CCC. Uticensium, an. 258. in grandi fornace calcaria exustorum, qui dicti sunt *Massa Candida.* *Cap. XXI.* de Athenogene Martyre, cujus Acta martyrii, Metaphrasti tributa, nullam veri speciem habere ait. *Cap. XXII.* de Actis (iísque proconsularibus, h. e. à Notariis Proconsulis consignatis, adeóque genuinis) SS. Martyrum fratrum, *Claudii*, *Asterii*, *Neonis*, an. 285. crudelissimis suppliciis exstinctorum. *Cap. XXIII.* quæ ab Eucherio, Episcopo Lugdunensi, medio seculo V. collecta, atque adeò fide digna, ea autem, quæ Surius exhibet, minùs genuina dicit. *Cap. XXIV.* de Actis S. Donatiani & S. Rogatiani, Martyrum Nannetensium, quæ originariis æquiparanda dicit, licet seculo demùm V. consignata videantur. *Cap. XXV.* de Actis martyrii S. Bonifacii & S. Victoris Romæ circa an. 290. passorum, quæ dubia, certè interpolata statuit, licèt ea Ruinartus in Actis Martirum sinceris, & Bollandus in Actis Sanctorum pro genuinis habeant; item de Actis S. Maximiliani Tebestæ in Numidia supplicio affecti, quæ genuina dicit. *Cap. XXVI.* de Actis S. Marcelli Centurionis, & S. Cassiani tabellionis in annum 298. incidentibus, quæ sincera agnoscit. *Cap. XXX.* admodùm copioso, & in Articulos XIX. distincto, de Actis variorum Martyrum sub Diocletiano.

Tom. IV. Cap. I. non parùm diffuso, & in Articulos XIII. diviso, continuata sub imperio *Galerii*, *Maximini*, & *Licinii*, persecutio, multorúmque Martyrum Acta enarrantur, & genuina à suppositititiis discernuntur. Speciatim autem Art. V. Acta Martyrii S. Petri, Patriarchæ Alexandrini & Martyris, quæ in an. 311. referuntur, supposititia pronuntiat Author. *Cap. IX.* de Actis martyrii S. Simonis, multorúmque aliorum Sanctorum sub Sapore, Rege Persarum, circa an. 344. *Cap. XV.* de Actis complurium Martirum in persecutione sub Juliano Apostata, præmissa narratione de hujus vita, institutione, hypocrisi ante apostasiam, prosographia, moribus, restitutione paganismi, & persecutione Ecclesiæ, Articulis VI. copiosè agit, ínque his Acta SS. Joannis & Pauli; item S. Gordiani, quæ sunt apud Surium, supposititia pronunciat. Vide plura in Actis Erud. Lipſ. quorum recensione usi fuimus, cùm Opus ipsum Ceillorii in promptu nobis non esset.

§. III.

Scriptores sacrarum, ut vocant, Legendarum.

HOc titulo eos complectimur Authores, qui non unius alteriúsve tantùm Cœlitis Gesta, sed quàm plurium Sanctorum Acta, pridem recepto loquendi more *Legendæ* vocari solita, laudatissimo labore conscripserunt. Quorum primus est jure optimo

S. GREGORIUS MAGNUS, cui libros IV. *Dialogorum* debemus, in quibus quàm multorum Sanctorum Gesta nobis suppeditavit. Hujus Operis præstantiam testantur tot ejusdem in alia idiomata traductiones, adeò ut inter cæteras & Arabica quædam in Colbertina asservetur Bibliotheca. Qui hosce libros S. Gregorio levissimis dicti rationibus abrogârunt, à *Mabillonio* egregiè revincuntur, quem vide Præfat. in Tom. I. Act. O. S.B. §. II. *Ludovicus Bulteau* è Congr. S. Mauri hosce Dialogos Gallico idiomate cum notis & dissertatione pro asserenda eorum fide anno 1689. publicavit. Et quidem nonullos refellit Sectarios (o), qui sua opinione abrepti, vim illam in-

(o) quos vide apud Vinc. Placcium de Scriptor. Pseudon. pag. 525.

ingentem miraculorum, de quibus in Dialogorum libris instituta est narratio, explodunt, quæque non à Gregorio I. sed II. memoriæ prodita esse contendunt. At enim non tam longa miraculorum series hæreticorum odia provocavit, quàm complura fidei orthodoxæ dogmata, quæ in his Dialogis explanantur & astruuntur, præcipuè in libro IV. ubi animarum immortalitas, æterna inferorum supplicia, & purgatorii transitoriæ pœnæ, efficacia sacrificii Eucharistici pro vivis atque defunctis asseritur. Irrepsisse tamen in hosce Dialogos nonnullo fabulis affinia, testatur *Lamindus Pritanius*, id est, *Lud. Ant. Muratorius de Ingeniorum Moderatione in Religionis negotio* lib I. pag. 146. Quæ illa verò sint, memoriæ non prodit. Quod ad varias horum Dialogorum versiones attinet, *Lud. Bulteau* affirmat, ex Operibus sanctorum Patrum non ullum esse, quod in plures transierit linguas, atque isti Dialogi, certè in Gallicum sermonem jam ante annum quadringentesimum supra millesimum erant conversi. Vid. le Cerf. Bib. Hist. Crit. Lud. du Mesnil Doctr. & Discipl. Eccl. lib. 30. tom. 3. pag. 327. Germanicè prodierunt per Joan. Walasser Dilingæ an. 1571. in 8. Latinè Coloniæ an. 1610. in 12.

FLODOARDUS, seu *Frodoardus*, Abbas Remensis Sec. X. Carminum libro XIX. de Vitis Sanctorum scripsit, eósque Rotgero Trevirensi Archiepiscopo, amicorum præcipuo nuncupavit: quæ poëmata hodiéque asservantur, teste Browero, in metropolitana bibliotheca Trevirensi. Ex illis undeviginti libris tres de triumphis sanctorum Italiæ agunt. Magna pars eorum, resectis scilicet tribus ferè prioribus libris, habetur in veteri codice bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum Parisiensium, qui codex olim fuit Monasterii S. Juliani Turonensis; ex quo ea carmina, quæ ad SS. Benedictum & Columbanum & ad Pontifices Romanos spectant, Mabillonius in lucem publicam asseruit; quem vide Annal. Tom. III. p. 397.

THEOFRIDUS Epternacensis in Ducatu Luxemburgico Abbas XXIV. claruit anno MCI. scripsit *Epitaphium Sanctorum libris IV.* Notis Joannis Roberti è Soc. Jesu adornatum prodiit Luxemburgi an. 1619. apud Hubertum Reulandt in 4.

WOLFHARDUS Monachus & Presbyter Cœnobii Hasenrietani in diœcesi Aichstettensi scripsit Sec. XI. *Vitas Sanctorum*, quorum plura volumina in diversis Germaniæ Bibliothecis extant. Præfationes ejus in singulos menses, excepto Februario, ediderunt Pez & Hueber Cod. diplom. part 1. p. 90. V. Schœtgen. Bibl. med. Lat. lib. 21. pag. 909.

JOANNES S. Mathiæ apud Treviros Seculo XI. Monachus & Scholasticus, vir doctissimus, *Gesta Sanctorum* in duodecim volumina secundùm totidem anni menses non sine maximo labore comportavit, quod opus à plerisque *Legenda Aurea* nominatur. Tritbem. in Chron. Hirs. ad an. 1047.

VICTOR III. ex Abbate Casin. Pontifex Max. exemplo S. Gregorii M. scripsit *libros III. Dialogorum* de Vitis Sanctorum, quos Jo. Bapt. Marus Romæ vulgavit.

ARNOULPHUS, Monachus Fuldensis Seculo XII. clarus *Vitas Sanctorum* scripsit memoratas Georgio Wicelio in proloquio ad Hagiologium, & Johanni Bollando in Præfatione Generali in Vit. SS. §. IV. pag. XIX. col. 1. sed quod sciam, nondum in lucem editas.

RUGGERUS, Monachus etiam Fuldensis, eodem seculo pietate ac doctrina præstantissimus sex ingentia volumina Vitas Sanctorum complexa elucubravit. Vixit circiter an. 1156. Wicelius & Bollandus ll. cc.

UDALSCHALCUS ex familia honesta nobilium virorum de Maysak natus, monachus ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum, anno verò 1126. in celeberrimi hujus monasterii Abbatem electus, præfuit prudenter & fideliter 25. annis Scripsit *Legendam*, seu Historiam multorum Sanctorum, inprimis verò S. Afræ, S. Udalrici, S. Mauritii, & S. Mariæ Magdalenæ varii generis versibus. Vide Brusch. in Monast. Germ. Chronol. pag. 137.

ADELBERDUS ejusdem Monasterii Prior scripsit *Sanctorum Legendas*, uti ipse in præfatione ad vitam S. Athanasii testatur. Vixit Seculo XIII. Vid. Acta SS. Bolland. tom. 6. pag. 548.

GOTSELINUS, seu *Goscelinus* S. Bertini in Artesia Monachus, tum S. Augustini Cantuariensis in Anglia, celeberrimus Hagiographus Seculo XII. & teste Wilhelmo Malmesbur. *in laudibus Sanctorum Angliæ nulli post*

Be-

Bedam secundus innumeras Sanctorum Vitas stilo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptiùs renovavit. In unum congestæ corpus meritò vocari possent *Gotselini Legenda Sanctorum.*

LIUTOLDUS, Monachus Lunælacensis, seu Monseensis in Superiore Austria, Seculo XII. claruit, ac *Passionale* assiduo labore & diligentia comportavit, quod vidit, & *egregium* vocavit *Pezius* Differt. Isagog. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. n. 7. pag. III. Ad illius calcem hi versus extant:

Scrutator rerum veniens in fine dierum
Advocat atque fugat, quos diligit atque recusat,
Nequam damnando, justis pia præmia dando.
Hoc formidavit, Christum precibúsque piavit
Liutoldus modicus: Sis, qui legis hæc, memor hujus
Ad regem Christum, ne durè judicet istum,
Et non damnetur, sed justis associetur
In regno Christi, quo præstetur locus isti,
Signifero cæli quia scripsit opus Michaeli
Hoc, quo Sanctorum recitantur scripta piorum,
Passio diversis, quæ noscitur acta figuris:
Hocque Patrum vita libro patet intitulata,
Qui persolverunt priùs in se, quod docuerunt,
Castè vivendum, Christum castísque colendum.
Hoc quoque virginei scriptus patet ordo trophæi,
Qui quasdam castas, quasdam tormentáque passas
Demonstrat vitam jam possedisse supernam.
Liutoldi memores sint hæc sua scripta legentes,
Intercessores Sanctos mereatur ut omnes,
Ut peccatorum solvantur vincla suorum.

ANONYMI MONACHI Monasterii S. Petri Altivillarensis vulgò Hautvilliers in Diœcesi Remensi complurium Sanctorum vitas literis consignarunt, quæ ab ipsis in unam Legendam congestæ nomen acceperunt *Passionarii Ecclesiæ Sancti Petri de Altvillari, in quo continentur* 130. *vitæ Sanctorum.* Liber scriptus fuit anno gratiæ 1282. tempore Reverendi Patris Thomæ ejusdem loci Abbatis. Manuscriptum in Bibliotheca Altivillarensis Monasterii asservatur, cujus meminit Ruinartus in Itin. Liter. in Alsat. & Lothar. p. 420.

GUIDO de CASTRIS S. Dionysii in Francia Abbas ab anno 1294. ad an. 1310. composuit *Sanctilogium*, seu *Opus Glossatum de Vitis Sanctorum* per anni circulum, quæ in Usuardi Martyrologio Glossato continentur. Extat MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium, EEE. 7. & 8. Item in variis Angliæ Bibliothecis. Vid. Oud. & Fabric.

JOANNES TINMOUTHENSIS (p) seu de *Tinmouth* oppido suo natalitio, quod situm est ad ostium Tinæ fluminis in Episcopatu Dunelmensi, in cujus oppidi Ecclesia dicitur post susceptum sacerdotium in obsequiis diviois sub pastore loci vicariam operam præstitisse. Postea factus est Ordinis S. Ben. Monachus ad S. Albanum. Vir omni virtutis ornatu, & multiplici melioris eruditionis supellectile instructissimus. Sacris Scripturis legendis, meditandis, explicandis impensè deditus, juxtà dictum Propheticum, in lege Domini meditabatur die ac nocte. Ecclesiasticas etiam & sacras historias quotidie pervolvebat, ut exempla virtutum, quæ imitari posset, semper ob oculos haberet. Vitas, res gestas, & miracula Sanctorum Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ ingenti volumine complexus est. Totum opus in duas partes distributum *Sanctilogium servorum Dei majus & minus* nominavit. In quo opere mirari est indefessam hominis in colligendo diligentiam, in corrigendo, ordinando, disponendo sagax ingenium, firmum judicium. Nam ex infinitis penè auctoribus res varias ita compaginavit, ut quæ deessent in aliis, ex aliis adjiceret, quæ redundarent, tam discretè resecaret, ut nihil in illa tota historia redundans aut superfluum, nihil etiam mancum videretur aut mutilum. Certè Joannis Tinmouthensis Opus, ut Guilielmus Cave in Historia Literaria ad an. 1366. nos docet, Usserio, Spelmanno, Dugdalo, Whartono, & aliis clarissimis Angliæ Scriptoribus, tametsi Acatholicis, sæpiùs nec obiter laudatum fuit. De hisce verò sequentibus Sanctis Auctor agit, viz.

1. De Sancto Eduardo Rege & Confessore.
2. De S. Wlsino, Episcopo & Confessore.
3. De S. Adriano Abbate.
4. De S. Drichtelmo.
5. De S. Alredo Abbate.
6. De S. Kentigerno Episcopo & Confessore.
7. De Furseo Abbate.
8. De Henrico Eremita.
9. De S. Wlstano Episcopo & Confessore.
10. De S. Cadodo Episcopo & Confessore.

11. De

(p) Pits. de Script. Angl. æt. 14. p. 566.

11. De S. Gilda Abbate & Confessore.
12. De S. Brigida Virgine.
13. De S. Werburga Virgine.
14. De S. Laurentio Archiepiscopo.
15. De S. Gilberto Confessore.
16. De S. Theliao Ep. & Confessore.
17. De S. Ermenilda Regina.
18. De S. Wlrico Conf. & Eremita.
19. De S. Ætheberto Rege & Conf.
20. De S. Aidano Abbate.
21. De S. Oswaldo Ep. & Confessore.
22. De S. Davide Ep. & Confessore.
23. De S. Cedda Episcopo & Conf.
24. De S. Cedd Episcopo & fratre S. Ceddæ Episcopi.
25. De S. Winwaldo Abbate.
26. De S. Pirano Episc. & Confessore.
27. De SS. Kyneswida, Kyneburga, & Tibba Virginibus.
28. De servo Dei Esterwino Abbate.
29. De S. Felice E. C.
30. De S. Patricio E. C.
31. De Purgatorio S. Patricii.
32. De pœnitentia Tundali.
33. De S. Edwardo Rege & Conf.
34. De S. Cuthberto Ep. & Conf.
35. De S. Hidelitha, Virgine & Abbatissa.
36. De S. Gundeleo, Rege & Conf.
37. De S. Ricardo Cicestrensi Ep. & Conf.
38. De S. Benaco Conf. & Abbate.
39. De S. Guthlaco C. & Heremita.
40. De S. Caradoco C. & Heremita.
41. De S. Guilielmo puero & Mart.
42. De S. Paterno Ep. & Confessore.
43. De S. Elphego Ep. & Martyre.
44. De viro Dei Anselmo Archiep.
45. De Egberto Monacho.
46. De S. Mellito Ep. & Confessore.
47. De S. Wilfrido Ep. & Conf.
48. De S. Erckenwaldo Ep. & Conf.
49. De S. Joanne Ep. & Confessore.
50. De S. Lethardo Ep. & Conf.
51. De S. Indracto, & Sociis ejus Martyribus.
52. De S. Fremundo R. &. M.
53. De S. Brithimo Abb. & Conf.
54. De S. Brendano A. & C. & de peregrinationibus ejus.
55. De S. Dunstano E. C.
56. De S. Ethelberto R. & M.
57. De Godrico, servo Dei & Herem.
58. De S. Aldhelmo E. C.
59. De S. Augustino E. C.
60. De Ven. Beda, Presbyt. & Doct.
61. De servo Dei Lanfranco Ep.
62. De S. Wistano R. & M.
63. De S. Odone Archiep. & Conf.
64. De S. Petroco Abb. & Conf.
65. De S. Bonifacio Ep. & Mart. glor.
66. De S. Gudwalo Ep. & Conf.
67. De servo Dei Roberto Abbate Ven.
68. De S. Willielmo E. C.
69. De S. Columba A. & C.
70. De S. Yvone E. C.
71. De S. Margareta Regina Scotiæ.
72. De S. Odulfo C.
73. De S. Rotulfo Abb. & Conf.
74. De S. Albano M.
75. De S. Ethelreda V.
76. De S. Bartholomæo servo Dei & monacho.
77. De S. Amphibalo M.
78. De S. Wilburga V.
79. De S. Swithino E. C.
80. De S. Modwena Virg.
81. De S. Sexburga Regina.
82. De S. Grimbaldo Abb.
83. De S. Withburga V.
84. De S. Wildreda V.
85. De S. Juthwara V.
86. De S. Deusdedit E. C.
87. De S. Kenelmo R. & M.
88. De S. Sampsone Ep. Confessore.
89. De S. Neoto Abb. & Conf.
90. De S. Ethelwoldo E. C.
91. De puero Hugone à Judæis crucifixo.
92. De S. Kenedo Conf.
93. De S. Walleno viro Dei & Abb.
94. De Thoma monacho à Gallis occiso.
95. De S. Oswaldo R. & M.
96. De S. Fiacro C.
97. De S. Oswino R. & M.
98. De S. Audoeno E. C.
99. De S. Ebba Virgine & Abbatissa.
100. De S. Bregwino E. C.
101. De S. Edwoldo C.
102. De S. Aidano E. C.
103. De S. Eanswida V. & A.
104. De S. Cuthurga V.
105. De S. Wlfhilde V.
106. De S. Osmanna V.
107. De S. Amiano E. C.
108. De S. Editha V. & A.
109. De S. Theodoro E. C.
110. De viro Dei Colfredo Abbate.
111. De S. Honorio E. C.
112. De S. Meloro Martyre.
113. De S. Thoma de Cantilupo, Episcopo Herefordensi.
114. De SS. Hedwaldis nigro & albo, Martyribus.
115. De S. Ositha V. M.
116. De S. Ywio M.
117. De S. Kegna V.
118. De S. Paulino E. C.
119. De S. Ethelburga V.
120. De S. Edwino R. & M.
121. De S. Ethelredo & Ethelberto MM.
122. De S. Frideswida V.

123. De

123. De S. Egbino Conf.&Monacho.
124. De undecim millibus Virginum Martyrum.
125. De S. Mellone Episcopo.
126. De S. Maglorio E. C.
127. De S. Foillano E. M.
128. De S. Malachia Ep. & Conf.
129. De S. Wenefreda V. & M.
130. De S. Benigno E. C.
131. De S. Clitauco R. M.
132. De S. Rumwoldo puero & Conf.
133. De S. Claro Presbytero & Mart.
134. De S. Iluto Abb. & Conf.
135. De S. Willebrordo E. C.
136. De S. Kebio E. C.
137. De S. Justo E. C.
138. De S. Dubricio E. C.
139. De S. Manuto E. C.
140. De S. Edmundo E. C.
141. De S. Hilda V. & A.
142. De S. Hugone E. C.
143. De S. Edmundo R. & M.
144. De S. Maxentia V. M.
145. De S. Columbano Abb. & Conf.
146. De S. Birino E. C.
147. De S. Justiniano Martyre & Monacho.
148. De S. Edburga Virg. & Abb.
149. De S. Thatheo C.
150. De S. Thoma Archiep. & Mart.
151. De S. Eguino E. & C.
152. De S. Finano Ep. & Conf. qui & Winninus dicitur.
153. De S. Eata E. C.
154. De S. Walburga V.
155. De S. Ythmaro E. C.
156. De S. Theodora V. quæ & Christina dicitur.

Adduntur plerisque vitis ad finem Collectæ, sive Orationes, interdum Antiphonæ, & subinde quoque in continua serie narrationis quædam, uti appellantur, incidentia. Opus, quod ego nihil aliud esse opinor, quàm Authoris *Historiam auream* circa annum 1360. ab ipso scriptam, asservatur Ms.tum in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii Lit. E. Cod. I. Vid. Smith. in Catal. pag. 28.

CHRISTOPHORUS LIEB, Cœnobita Mellicensis, Vitas Sanctorum per menses distributas quatuor magnis tomis elegantissimè descripsit; in tomo IV. ad calcem sequentia leguntur. *Explicit milleno quadrigenteno septuagesimo primo Christi Sanctorum Mellici completur in anno præsens quarta Legendarum pars, scriptáque per me Fratrem Mellicensem Christophorum Lieb pro cujus fine laus & honor Domino.* Vid. Hist. Bibl. Mellic. p. 317.

Vitæ Sanctorum & Beatorum Insulæ Siciliæ cum notis & animadversionibus, collectæ operâ Constantini Cajetani è Congr. Casin. & Octavii Cajetani è Soc. Jesu ejus fratris. Opus Ms. de quo vid. Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 130.

JACOBUS CAVACIUS elegans Scriptor è Monasterio D. Justinæ Patavii concinnavit *Illustrium Anachoretarum Elogia*, sive *Religiosi Viri Musæum*. 4. Venetiis ex Typographia Pinelliana an. 1625. in 4. deinde Romæ 1662. typis Jacobi Dragodelli. Opus posthumum, nec correctum, nec completum.

PLACIDI PUCCINELLI, Abbatis Titularis è Congr. Casinensi *Zodiacus Ecclesiæ Mediolanensis* continens priorum duodecim SS. Episcoporum vitas. Opus Italicè scriptum & in tres partes distributum prodiit Mediolani an. 1650. in 4. typis Malatesta. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 154.

ANDREAS MAROQUINUS, Monachus Belga, in Cœnobio S. Gisleni, apud Hannones tomos IV. de Gestis SS. Martyrum per Notarios S. Romanæ Ecclesiæ conscriptis, ordine temporum digestos, posteritati reliquit. *Opus est*, judice Auberto Miræo, *variæ & multæ lectionis*, hac inscriptione præfixa: *Registrum Historiarum Ecclesiasticarum, Gesta SS. Martyrum continens, per Notarios S. Romanæ Ecclesiæ conscripta, ex mandato B. Petri Apostolorum Principis, successorúmque ejus Romanorum Pontificum, prout suffragantur Clemens, Urbanus, Antherus, Fabianus, & Damasus, Tabulæ quoque Ecclesiasticæ, Patres & Majorum traditio.* Idem de Gestis SS. Confessorum tomos duos conscripsit. Quæ omnia exstant Mss. in eodem monasterio. Florebat Maroquinus anno 1605. Vid. Miræus de Scriptor. Sec. XVI. & XVII. pag. 182.

HILARION LAUTERIUS, Italus, Mediolanensis, è Congr. Casin. scripsit *Appendicem ad Vitas Sanctorum*, Jacobi de Voragine lib. 1. Mediolani apud Jacobum de la Ripa an. 1494. in 4. Extat Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana liber signatus n. 493. in cujus 1. pag. (nam libri prospectus deest) sic legitur 1571. Legendarium editum ab Hilarione Monacho Mediolanensi, intitulatum Supplementum Voraginis an. 1494. die 16. April. in 4. Post indicem autem Sanctorum hoc ibi subditur exastichon:

Multorum vitas, mores, & nomina lector
Sanctorum, nostri cerne laboris ope.
Non Musas, non falsa Deûm cunabula canto,
Nec vanas latebras hic Heliconis habet.
Nil ficti inseritur, tantùm observatio facti
Panditur, ut veterum pagina certa docet.

Ex Armell. Bibl. Scriptor. è Congreg. Casin. part. 1. pag. 223.

CAROLI STENGELII *Genealogia D. N. J. C.* id est: Memoratu dignæ historiæ de J. C. & de iis, qui, portando illius crucem, conformes eidem fieri desiderant, in unum collectæ, atque in singulos anni dies distributæ. Germanicè. Partes II. in 8. Monachii apud Johan Jæcklin an. 1668.

-- EJUSDEM *Liber de SS. XIV. Auxiliatoribus.* Augustæ in 16. an. 1620.

GUILLELMI VAILLANT è Congr. S. Mauri *Fasti Sacri*, sive Epigrammatum, quibus Sanctorum Elogia per totius anni dies canuntur, Libri duodecim. Parisiis 1674. apud Desprez.

JOACHIMI SAILER, Abbatis Fischingensis in Helvetia, *Sancta Turgovia*, sen *Vitæ Sanctorum, qui in Landgraviatu Turgoviensi vel primam lucem aspexerunt, vel ætatem egerunt.* Germanicè.

MARIÆ DE BLEMUR, Sanctimonialis, quemadmodùm piissimis moribus, ita & bonis literis ornatæ, è Congregatione perpetuæ adorationis SS. Sacramenti

Vitæ Sanctorum, Gallicè vol. IV. an. 1679.

-- EJUSDEM *Martyrologium historicum*, sen Vitæ compendiosæ in singulos anni dies an. 1682.

MARIANI SCHOTT, Einsidlensis, *Lusus Divinæ Sapientiæ in Actis & Vitis Sanctorum.* Constantiæ in 8.

THEODORICI RUINART è Congr. S. Mauri *Acta primorum Martyrum sincera & selecta* &c. Parisiis 1689. De hoc Opere agendum nobis erat Sectione præcedente §. VII. ubi Scriptores Dissertationum de rebus in Ecclesiastica Historia controversis recensuimus. Habet enim præfixam doctam præfationem, in qua præter alia de Actis, quæ vel perierint, vel descriptæ non fuerint, criticè disputatur. Cùm autem sit Compilatio Actorum SS. Martyrum eruditis Notis & admonitionibus in singula difficiliora loca prædives, etiam hoc Paragrapho, quo sacræ *Legendæ* à nostris Sodalibus concinnatæ breviter recensentur, locum sibi dari non immeritò postulat. Altera præstantis hujus Operis editio Amstelodami an. 1713. accurata fuit apud Wetsteinios. Tertia Veronæ ex Typographia Tumermanniana 1731. fol. Cui accesserunt Acta SS. *Firmi* & *Rustici* ex Historia Critica Diplomatica Marchionis Scipionis Maffei, ubi Italico sermone legebantur, hîc Latinè reddita cum notis ejusdem. Optandum, ut quemadmodum hoc Opus ob singularem suam præstantiam nec minorem utilitatem, à viro docto è Latino in Gallicum sermonem scitè conversum fuit, ita à quopiam Sodalium nostrorum in Germania in patrium idioma transferatur.

FRIDERICUS FALZEDER, celeberrimi Asceterii Cremisanensis in Superiore Austria Asceta, & p. t. Parochus zelosissimus in Eberstallzell, *Vitas Sanctorum* à R. P. *Francisco Giry*, Ordinis Minimorum Provinciali, Gallicè scriptas, Germanicè vertit, atque easdem non modò S. Scripturæ, SS. Patrum, Philosophorum, & aliorum cùm virtute tum doctrina celebrium virorum sententiis ac textibus locupletavit, sed moralibus etiam doctrinis auctiores reddidit, ac in Concionatorum usum utilissimo Indice instruxit. Partes II. in fol. *Augustæ Vindel. & Græcii* sumptibus Veithiorum anno 1730.

GUIDO ALEXIUS LOBINEAU è Congr. S. Mauri in Historia Sanctorum Minoris Britanniæ, aliorúmque virtute ac pietate illustrium hominum contexenda occupatus fuisse dicitur à Philippo le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 211. An typis intereà temporis sit vulgata, ignoramus. Subinde verò in Catalogo Scriptorum è Congreg. S. Mauri, quem Cl. Montfauconius pro sua singulari humanitate mecum ultrò communicavit, legi, eam historiam Rhedonibus in Britannia anno 1723. pridem fuisse typis exscriptam in fol.

BARTHOLOMÆUS KRAFFT Monachus Blaburensis non ita procul ab Ulma, Urbe Imperiali, scripsit circa annum MCCCCLXXX. *Passionale Sanctorum*, cujus fit mentio in Actis Sanctorum Bollandianis tom. VI. Maji pag. 548. col. 1.

§. IV.

Qui Historias de Sanctorum Reliquiis, Miraculis, ac Canonisatione scripserunt.

B. RHABANI MAURI Archiepiscopi Moguntini in Germania *Liber de Reliquiis Sanctorum*, extat ex codice

dice mſ. Eccleſiæ Fuldenſis apud Browerum Lib. III. Antiquitatum Fuldenſium cap. XIV. Author libri eſt *Rudolphus*, Monachus Fuldenſis, qui in vita B. Rhabani non tam vitam premit, quam operum, quæ Reliquiis transferendis, & inſtruendis Eccleſiis Rhabanus ſuſcepit, exequitur ſeriem.

ADREVALDUS, Monachus Floriacenſis, quem Ludovici Pii temporibus vixiſſe probat Ruinartus in apologia miſſionis S. Mauri Gallicè edita pag. 25. ſeqq. ſcripſit *Hiſtoriam Translationis S. Benedicti, & S. Scholaſticæ*, quæ habetur in Johannis à Boſco Bibliotheca Floriacenſi Pariſ. 1605. in 8. pag. 1. & in Actis Sanctorum 21. Martii, & in Mabillonii Sec. II. Actorum Benedictin. pag. 253. *Hiſtoriæ miraculorum S. Benedicti* librum *primum* hic *Adrevaldus*, appendicem ad eum *Adelerius*, Monachus ibidem Floriacenſis, librum *ſecundum* & *tertium Aimoinus Floriacenſis* An. Chr. 1005. *quartum* Anonymus compoſuit, obviæ apud eundem Joannem à Boſco pag. 13. & in Actis Sanctorum, & apud Mabill. pag. 80. & 369. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 43.

AIMOINUS, ſive *Aymonius*, Notarius & Monachus S. Germani de Pratis in ſuburbio Pariſienſi, qui ſubſcripſit diplomati dato A. C. 872. regni Caroli (Calvi) 32. Ejus libri II. ad Bernonem Abbatem de *Inventione, & Translatione corporis S. Vincentii* Levitæ & Martyris ex Valentia Hiſpaniæ an. 864. ad Monaſterium Caſtrum Diœceſis Albigenſis in Gallia, verſibus ſcripti hexametris unà cum *Epiſtola ad Theotgerum Monachum* & Carmine verſuum LX. heroicorum de eadem translatione exſtant, cum Breulii Aimoino Hiſtoriæ Franciceæ Scriptore, Pariſiis an. 1603. in fol. in Boſcii Bibliotheca Floriacenſi, Lugduni 1605. in 8. & in Actis Sanctorum Januarii Tom. II. pag. 405. nec non in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti Sec. IV. Part. I. pag. 652. Liber de S. *Germani Epiſcopi Pariſienſis* Miraculis ab an. 846. ad 874. ſcriptus an. 892. in Jacobi Moſandri Appendice ad Surium 25. Julii, in Actis Sanctorum 6. Maji pag. 801. & in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Bened. Sec. III. Part. II. pag. 104. *De translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii, & Nataliæ liber, & libri II. de eorum miraculis* apud eundem Mabillonium Sec. IV. Tom. II. pag. 45. Hæc ex Fabric. l. c. p. 85. apud quem tamen nullam prorsùs fidem merentur, qui huic Aimoino Seculi IX. Scriptori tribuunt inventionem corporum ſancti Placidi Abbatis & Martyris, ac Sociorum ejus triginta trium aliorum monachorum: in qua plurimi utriusque ſexûs fideles magno Dei munere, & Sanctorum interceſſione, quibus detinebantur languoribus, curati ſunt. Hæc enim inventio ſeculo primùm XVI. inclinante ad finem, anno nimirùm 1587. facta eſt; de qua Yepeſius in Chronico Generali O. S. B. Cent. I. & Gabriel Bucelinus in Annalibus Benedictinis. Cùm verò ſacrarum Reliquiarum pars quædam ab Urbe Meſſanâ ad Philippum III. in Hiſpaniam transmiſſa fuiſſet, in Oratorem delectus fuit

JACOBUS TRAMONTANA Siculus, Meſſanenſis, in Monaſterio S. Placidi extra urbem Profeſſus. Hunc enim, cùm eximia prudentia, ac in rebus agendis maximâ dexteritate præditus ab omnibus ſuſpiceretur, Meſſanenſis Senatus ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Oratorem miſit anno 1603. ut ſacras D. Placidi, & Sociorum MM. Reliquias, pretioſa pulcherrimâque theca incluſas, quam Meſſanenſis Urbis Icon, auro argentóque affabrè efformata manibus geſtabat, eidem Regi deferret. Quàm verò ipſi Regi jucunda, cunctiſque Magnatibus grata fuerit, nedum ſacrarum Reliquiarum oblatio, ſed etiam *Jacobi* religioſa urbanitas, ac eloquentia (cultiſſima enim oratione legationem obivit) regia munificentia declaravit, quæ non ſolùm in Patriæ commodum à Jacobo poſtulata benignè conceſſit, verùm ipſum quoque Oratorem annua ſeptingentorum aureorum penſione donavit. Ejus verò

De Sanctis Placido, & Sociis MM. ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Orationem Italicè verſam edidit Joſephus Bonfilius in Hiſt. Sicil. part. 5. l. 1. pag. 8 - 23.

-- EJUSDEM *Brevis & dilucida narratio ad Senatum Urbis Meſſanæ de Advectione & Oblatione Sacri Reliquiarii SS. Placidi & Sociorum MM. Philippo III. Regi Catholico, & Invictiſſimo.* Valliſoleti per Jo. Godinez de Millis an. 1605. Vid. Armell. part. 2. p. 9.

ANONYMI Monachi Augiæ Divitis Hiſtoria *de Translatione Sanguinis Chriſti ad Augiam.* Reperitur hæc hiſtoria manuſcripta in Bibliotheca Augien-

Augiensis eodem codice, quo vitæ B. Meginradi & Simeonis exaratæ inveniuntur. Jo. Egon de Vir. Ill. part. 2. c. 21. Mabillonius verò dignam habuit, quam Appendici ad Tom. II. Annal. O. S. B. n. XLVI. pag. 699. insereret. Quia verò Sanguis Domini cum Cruce, cui inclusus habetur, seculo proximè præterito ex Augiæ Monasterio elatus, & hoc labente (anno 1737.) recuperatus & relatus fuit, P. Magnoaldus Ziegelbauer, rogatu Augiensium, rei gestæ historiam condidit, ac in tres distribuit partes; quarum prima *Delatio*, altera *Elatio*, postrema *Relatio* describitur. Extat verò in Historia Didactica Cultûs S. Crucis in Ordine D. Benedicti pag. 83-120.

ANONYMI Monachi Augiensis *Historia Translationis Reliquiarum S. Marci Evangelistæ in Augiam.* Auctor, teste Joanne Egone de Vir. Ill. Aug. part. 2. cap. 22. floruit Sec. X. & historiam translationis S. Marci Evangelistæ, quum nempe A. C. 830. sacrum ejus corpus per Raroldum Episcopum est transvectum, aperto sermone concinnavit, qui cum præfati Auctoris Historiæ de Translatione Sanguinis Christi &c. in eodem msf.to vetusto codice hodiéque extat; publici verò juris facta est à Gabriële Bucelino in Compendio Historico de S. R. Imperii Sanctitate, Majestate &c. Francofurti an. 1680. in 12. hoc præfixo titulo: *Historia de Translatione S. Marci Evangelistæ ex Urbe Venetorum ad Monasterium Augiense; Visiones item, Revelationésque, atque aliquot ejusdem Sancti Miracula ad probandam ejus in Augia præsentiam* à pag. 39-54.

B. EGINHARDUS, Abbas Seligenstadiensis, reliquit libros IV. de inventione & miraculis SS. Martyrum, Marcellini, & Petri, quorum corpora non Gandavi, ut erroneè Vossius de Hist. Lat. l. 2. c. 28. p. 302. scribit, sed Seligenstadii quiescunt, & usque hodie prodigiis clarescunt. Vid. Jo. Weinkens in historia Translationis horum SS. Martyrum.

WOLFHARDUS, Monachus & Presbyter Cœnobii Hasenrietani, à Carolo M. conditi, ab Arnulpho autem Germaniæ Rege in Collegium Canonicorum subinde commutati, libris IV. consignavit vitam sanctæ Virginis & Abbatissæ Walpurgis, seu Walburgæ, ac inprimis miracula, quæ in Monasterio S. Salvatoris Monsheimensi contigêre. Horum librorum duos exhibet Canisius tom. IV. pag. 720. edit. novæ tom. II. part. 3. p. 262. stilo immutato Surius d. 25. Febr. integros Acta Sanct. tom. III. Febr. p. 523. & Mabillonius Sec. Bened. III. part. 2. p. 287. Vide Voss. de Hist. Lat. l. 3. c. 4. p. 761. Schoërgen. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 21. pag. 909.

BALDEWINUS, Remis in Monasterio S. Remigii Seculo XII. Monachus scripsit libros tres *De miraculis S. Gibriani* Presbyteri, qui in Actis Sanctorum ad diem VIII. Maji cum notis & elucidationibus Papebrochii extant.

GERHARDI Monachi S. Quintini de Insulis scribentis sub annum 1278. liber unus *de Historia Translationis Spineæ Coronæ Domini, & partis sanctæ Crucis* de Constantinopoli ad Galliam, quæ in regia Capella Parisiis asservatur. Trithem. Annal. Hirsaug. tom. 2. pag. 35.

GAUFREDUS de COLLONE, Monachus S. Petri vivi in suburbio Senonensi ante annos quinquaginta supra quadringentos libellum scripsit de Reliquiis Beatorum Sabiniani & Potentiani Martyrum, quorum lapis sepulchralis in crypta sub altari hodiedum ibidem visitur. *Mabill. in Itin. Burgund.*

CONRADUS de RODENBERG ex Priore S. Martini Majoris Coloniæ Agripprinæ Abbas S. Joannis in Rhingavia edidit librum de *Gestis & Translatione Trium Regum*, R.mo DD. Florentio Wevelkoven, Monasteriensi Episcopo, inscriptum. Annus & locus impressionis desideratur; Abbas Conradus verò anno 1486. defunctus est.

MELCHIORIS WEIXER, Prunveningensis propè Ratisbonam Cœnobitæ, *Miraculosa Dedicatio Sacelli S. Crucis in Bruggdorff supra Ratisbonam ad Laiarum.* Ingolstadii 1625.

CONSTANTINI CAJETANI Tractatus de Sanctorum Canonizatione. Mss. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. I. pag. 131.

CAROLI STENGELII *Thaumasia Benedictina*, in qua præcipua miracula à Sanctis Viris, Fœminisque Ord. S. P. Benedicti patrata describuntur. Aug. Vindel. an. 1650.

BERNARDI HERTFELDER, Abbatis ad SS. Udalricum & Afram Aug. Vindel. Historia sacrarum Reliquiarum, quibus amplissima Basilica San-Udalricana, ad omnium Germanica-

rum

rum Ecclesiarum invidiam condecorata est. Aug. Vindel. in fol. an. 1653. Hanc historiam in patrium idioma conversam, & ab se auctam (præsertim narratione multorum, eorúmque illustrium miraculorum, quibus S. Simpertus Episcopus Augustanus hodiedum claret) *Romanus Kistler* Ecclesiæ Custos anno Jubilæo MDCCXII. in publicum prodire jussit. fol. Augustæ Vindel. apud Jo. Michaëlem Labhart.

CÆLESTINI Abbatis ad S. Emmeramum Ratisbonæ *Mausolæum*, seu sepulchrum gloriosum Bajoariæ Apostoli & Martyris S. Emmerami condecoratum complurium aliorum Sanctorum, Beatorum, Episcoporum, Abbatum, Imperatorum, Regum, Reginarum, Principum, Comitum, & Magnatum sepulchris, quæ in ejusdem S. Emmerami Ecclesia conspiciuntur. Germanicè in 12. Straubingæ apud Simonem Haan an. 1661.

GABRIELIS BUCELLINI *Sacrarium* sive *Reliquiarium Benedictinum*, in quo magnus SS. Reliquiarum thesaurus describitur, eorum scilicet Sanctorum, qui cùm Ordinis ejusdem non fuerint, corpore tamen integro, sive magna ex parte in diversis toto terrarum orbe Divi Patris & Patriarchæ Benedicti Monasteriis religiosè coluntur, atque asservantur. Extat ad calcem Menologii Benedictini, quod typis excusum fuit Veldkirchii apud Henricum Bilium an. 1655.

– EJUSDEM Relatio Historica de Ss. Sanguine Lateris Christi in Weingarten, semel atque iterùm ab Authore edita; primùm in Manclpatu Mariano Venetiis typis vulgato, anno 1649. tum in Compendio Historico de S. Rom. Imperii Sanctitate, Majestate, Potentia, & Nobilitate. Francof. 1680. in 12. pag. 24. - 37.

SIMONIS GERMANI MILLET è Congreg. S. Mauri *le Tresor sacré de St. Denis*, id est: *Sacer Thesaurus Monasterii S. Dionysii*, in quo exhibetur historia & catalogus sacrarum Reliquiarum, quæ in regio hoc asceterio asservantur. Plures hujus Operis sunt editiones: prima anno 1638. & ultima an. 1646. apud Billaine. vide le Cerf pag. 362. In hoc vitulo strenuè aravit *Joannes Basilius Kuchelbecker*, è Galliis in Germaniam redux, emissa in lucem paucis ante annis descriptione Regiæ Abbatiæ S. Dionysii in Francia, in qua sacras Reliquias non sine cavillis & dicteriis quandoque recenset, ut nihil dicam de scabiosa in vitam Monasticam præfatione, de qua sicut cœcus de colore loquitur, cum illis nempe, qui quæcunque ignorant, blasphemant.

GABRIELIS GERBERON è Congr. S. Mauri *Histoire de la Robe sans couture de Nôtre-Seigneur, qui est gardée dans le monastere d' Argentevil.* id est: *Historia de Veste Domini Nostri Jesu Christi inconsutili, quæ servatur in monasterio Argentevillano.* in 12. Paris. an. 1677. Altera editio an. 1680. Tertia an. 1703. Quarta an. 1706. Belvaci. Quinta 1705. Parisiis. Author obiit an. 1711.

JOANNIS MABILLONII *Dissertatio Historica de prima elevatione & translatione Sacrarum Reliquiarum*, quæ cœpit seculo VII. extat in ejus præfat. in Sec. II. Act. Ord. S. B. Observat. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48.

– EJUSDEM *Historia de sacra Lacryma Vindocinensi*, quæ extat ad calcem epistolæ ad Illustriss. Episcopum Blesensem de veteribus Reliquiis discernendis. in 8. Parisiis an. 1700. & in 4. Tridenti an. 1724 apud Jo. Bapt. Paronum.

– EJUSDEM *Disquisitio*, quando Piorum nomina in Sanctorum classem Romani Pontificis authoritate referri cœperint. Extat §. VI. Præfationis in Sec. V. Benedictinum. Hanc verò quæstionem non dogmatica methodo, uti Bellarminus & alii, sed historica tractat.

JOANNES CASPAR BERRETA, Italus, Mediolanensis, publicus Philosophiæ Professor in percelebri Ticinensi Gymnasio historiæ cùm profanæ tum ecclesiasticæ summam habet cognitionem. Cùm autem an. 1695. fama percrebuisset, in urbe Ticinensi Corpus Ss. Ecclesiæ Doctoris Augustini repertum fuisse in perantiqua S. Petri in *Cælo aureo* Basilica, ubi olim à Luitprando Longobardorum Rege, ex Sardinia redemptum, collocatum fuerat; Ipséque *Jo. Gaspar* unà cum aliis Theologis, & eruditissimis Viris ad idem corpus examinandum, recognoscendúmque deputatis ab Illustriss. Episcopo Laurentio Trotto, verum id esse, ipsúmque corpus D. Augustini pronuntiâsset, insurrexerunt statim ex Canonicis Regularibus Lateranensibus nonnulli voce, ac scripto multa contra objicientes, ac corpus S. Doctoris illud esse infi-

inficiantes. Eos inter cùm *Joseph Maria Bellini* Canonicus Regularis *Dubia quædam* super Reliquiis proposuisset, typis consignata, in quibus Monachi Benedictini, qui eandem Divi Petri in Cœlo-aureo Ecclesiam antiquitùs incoluerant, totísque adeò Ordo Monasticus acriter à *Bellino* perstringebatur, *Jo. Gaspar* ad se potissimùm eorundem dubiorum solutionem pertinere arbitratus est, quod ea Monachi Benedictini vindicem calamum postulare omnino viderentur. Præstitit id sanè copiosè, eruditè, nervosè, numerísque omnibus, qui argumenti gravitatem ac severitatem decebant, libróque à se hac de re edito sequentem præfixit titulum:

D. Jo. Gasparis Beretta Benedictino-Casinensis Monachi Lychnus Chronologico-Juridicus ad discutiendas tenebras, sive dubia, quibus rationes pro tumulo & reliquiis nuper compertis die 1. Octobris anno 1695. in Confessione S. Petri in Cœlo aureo Papiæ ventilantur; expressa à P. D. Josepho Maria Bellini Patavino in Congregatione Lateranensi Canonico, & S. Theologiæ Lectore, eisdem iterùm editis ac ex integro hic ad Autographi fidem, pro Sacrorum Ossium M. D. Aurelii Augustini Ep. & Doct. ac Regii Ticini Protectoris identitate vindicanda atque illustranda, Idibus Augusti, an. 1700. deest locus impressionis. Sed impressus fuit Mediolani in Ducalis Palatii Typographia. Veram fuisse Jo. Gasparis, sociorúmque sententiam, rei eventus comprobavit: nam anno 1728. die 16. mensis Julii Illustriss. Franciscus Pertusatus, Episcopus Ticinensis, Delegatus Apostolicus, Juris ordine, cæterísque solemnitatibus servatis, definivit, ac declaravit = *Satis constare Corpus inventum in Confessione S. Petri in Cœlo aureo hujus Civitatis* (Papiæ) die primo Octobris añi 1695. & nuper per Nos recognitum ac Sigillo nostro munitum, esse Corpus *Sancti Augustini Ecclesiæ Doctoris*, ideóque pro tali esse *colendum, & publicæ Fidelium venerationi exponendum.* Signat. Don Franciscus Episcopus Papien. Quam definitionem, ut veritati conformem ipsi etiam Canonici Regulares publica significatione unanimi consensu amplexati sunt. Videsis plura apud Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 39.

DOMINICUS FOURNIER è Congr. S. Mauri texit historiam de sacris Reliquiis Divi Germani Autissiodotensis in libro, quem Autissiodori an. 1714. apud Troche publicavit sub titulo: *Les Saintes Grottes de l' Eglise de St. Germain d' Ausserre.* i. e. *Sacræ Cryptæ in Ecclesia S. Germani Autissiodorensis.* Vide recensionem apud le Cerf. pag. 133.

HISTORIA DE SACRIS RELIQUIIS, quæ in Monte Sancto Andecensi, Superioris Bavariæ celebri Monasterio ingenti numero asservantur, & innumeris miraculis, quibus claruerunt, texitur in ejusdem Cœnobii Chronico, quod editum fuit Germanicè in 4. Monachii an. 1625. per Nicolaum Henricum.

ÆGIDII KIBLER de tribus Sacris Hostiis in Monte S. Andechs miraculis claris, an. 1696. in 4.

BRUNO FEHLER, Cœnobita Schyrensis in Bavaria in Chronico ejusdem Monasterii nondum edito agit de S. Cruce ibidem religiosè asservata. Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Noviss. Anecd. pag. XXXI.

CONRADI DEMMELMAYR, Monachi Schyrensis, *Descriptio Crucis Christi, nec non S. Crucis Schyrensis.* Typis Monasterii Tegernsee an. 1736. in 8. De hac S. Cruce jam ante erudito egit calamo *Stephanus* Abbas Schyrensis in additionibus ad *Conradi* Schyrensis Chronicon.

ANONYMI ATTILENSIS Miraculosæ Imaginis Crucifixi in Exilio ad Oenum propè Monasterium Attilense Ord. S. B. Descriptio ejus originis. Germanicè Frisingæ in 12. an. 1708.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Historia Didactica de S. Crucis Cultu & Veneratione in Ordine Divi Benedicti.* Viennæ Austriæ typis Franc. Andreæ Kirchberger an. 1746. in 4. Absolvitur VI. *Capitibus*, quorum *primo* Monasteria, Templa, Oratoria, & Altaria in honorem S. Crucis fundata enumerantur. II. Monasteria & Ecclesiæ recensentur, in quibus insigniores S. Crucis particulæ asservantur. III. *Capite* narratio instituitur de S. Crucis imaginibus, & figuris, quæ suam etiam venerationem jure deposcunt, & quarum nonnullæ in Sacrariis Benedictinis asservantur. *Cap.* IV. S. Crucis Apparitiones Benedictinis factæ illustrant. *Capitis* V. argumentum sunt res à Sanctis Benedictinis per signum Dominicæ Crucis prodigiosè gestæ. Denique *Capite* VI. exhibentur Obsequia Benedictinæ Devotionis erga S. Crucem.

AN-

ANSELMI GOUDIN, San-Emmeramensis Theologi, *Benedictinum Mundi Miraculum in S. Walburge, Virgine & Abbatissa, cujus ex ossibus oleum salutiferum jugiter emanat. Germanicè, Ratisbonæ typis Joan. Bapt. Lang in 4. an. 1716.*

LUDOVICI LA TASTE ex Assistente Præpositi Generalis Congregationis S. Mauri, ac postea Episcopi Bethleem, Epistolæ xx. contra ficta miracula patrata ad sepulchrum Domini *Paris appellantis* in 4. Omnes comprehendi possunt 2. vol. in 4. Ultima prodiit anno 1739. Sunt hæ Epistolæ doctissimæ.

S. GREGORII M. *Librum Dialogorum*, quem cum Petro *Diacono suo de miraculis Sanctorum sui temporis habuit, ac Theodelindæ Longobardorum Reginæ pro munere misit*, pridem commemorâssem, nisi jam superiùs sermo uberior de illo à me institutus fuisset.

SECTIO VI.
SCRIPTORES HISTORIÆ PROPHANÆ.

§. I.
Qui Historiam prophanam universam à Christo nato scripserunt.

OTTONIS AICHER *Epitome Chronologica Universæ Historiæ Profanæ* à Christo nato usque ad restaurationem Occidentis Imperium sub Carolo M. cum serie Rom. Imperatorum, Regum Italiæ, Francorum, Hispaniarum, Britanniæ, Scotiæ, Daniæ, & Suecise. Tomi II. Pars I. Coloniæ apud Metternich an. 1706.

– EJUSDEM *Epitome Chronologica Universæ Historiæ Profanæ* ab initio Imperii Romano-Germanici usque ad præsentem annum 1702. cum serie Regum Hungariæ & Poloniæ, nec non Imperatorum, Turcarum, atque Venetæ Reipublicæ Ducum, Pars II. Coloniæ an. & typis citatis.

BUCELINUM, LANGBARTNERUM, DESINGIUM, POCKIUM, CIMAROLUM, qui historiam prophanam à reparata salute in Operibus suis historicis perscripserunt, silentio prætermitto, & solius *Othmari Goldasti*, Monachi San-Gallensis, memini, qui rerum in orbe gestarum Annales breves texuit. Habentur mss. in Bibliotheca San-Gallensi, teste Mezlero de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. cap. 5 r.

§. II.
Scriptores Historiæ Romanæ, ac Rerum Italicarum.

PAULUS DIACONUS, Monachus Casinas, *Eutropii Historiam Romanam* libris x. comprehensam, non tantùm multa inserendo auctiorem reddidit, ita ut in undecim excreceret libros, sed rogatû etiam Adelbergæ, Filiæ Desiderii Regis Longobardorum, Beneventanæ Ducis ab anno 364. quo finiit Eutropius, ad annum 725. quo Leo III. Isauricus, Græcorum Imperator, in sacras imagines edictum promulgavit, septem libris deduxit. Quibus alii sex accesserunt, auctore *Landulpho Sagaci* usque ad annum 803. quo *Leo Armenus* in Orientis Imperatorem electus est. Atque hi viginti quatuor libri, quorum primos decem *Eutropius*, medios octo *Paulus Diaconus*, sex ultimos *Landulphus Sagax* elucubrârunt, *Historiæ Miscellæ* nomen sortiuntur. Editio communissima est Basileensis anno 1569. in quam P. *Pithœus* ad Basilium Amerbachium præfatus est. Altera est Canisii anno 1603. in 8. Ingolstadii. Tertia *Jani Gruteri*, Professoris Heidelbergensis, qui Historiam Miscellam inter Scriptores Minores Historiæ Augustæ anno 1611. Hannoviæ in folio imprimi curavit. Præterea alias Editiones, præter novissimam Muratorii Tom. I. Scriptor. Rer. Ital. quem consule, si de Paulo, ejusque Historia plura noscendi animum versat cupido. In Historia Italiæ plus simplici vice fatetur, eam per ducentos annos summè obscuram futuram fuisse, nisi ipsi lux à Paulo Diacono affulsisset. Vid. etiam Voss. de Hist. Lat. l. 2. p. 292. Cav. Hist. Lit. S. E. pag. 348. Langlet du Fresnoy Cat. Hist. Tom. III. pag. 229. ubi varias recenset editiones.

LUPUS ABBAS FERRARIENSIS, *Romanorum Imperatorum Gesta* in brevem Synopsin redegit, uti certos nos ipse reddit Epistolâ 93. quâ *Carolum* Cal-

Calvum ad historiæ studium, tanquam Principe præcipuè dignum cohortatur. *Imperatorum Gesta brevissimè comprehensa vestræ Majestati offerenda curavi; ut facilè in eis inspiciatis, quæ vobis vel imitanda sunt, vel cavenda. Maximè autem Trajanum & Theodosium suggero contemplandos; quia ex eorum actibus multa utilissimè poteritis ad imitandum assumere.* Dudum verò est, quod Lupi Opus desideretur.

LAMBERTUS Herveldensis Monachus ex mente Cl. Maderi Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum Quintum res præclarè gestas literis consignavit. Fragmentum historiæ inseruit Leibnitius Tomo I. Scriptorum Rerum Brunsvic. ubi Monachum vocat Hamerslebiensem.

PETRI DIACONI CASSINENSIS *Chronica* Consulum, Dictatorum, & Imperatorum, quam ipse in syllabo suorum Operum se contexuisse testatur; forsan non est diversa à libro, in quo, teste Erasmo Gattola in Hist. Mon. Casin. describit fastos consulares & series Imperatorum, Pontificum, atque Abbatum Casinensium: asservatur inter cætera ejus Opuscula in Bibl. Casin. scamno primo ad lævam ingredientibus.

ENGELBERTI Abbatis Admontensis in Stiria celeberrimi monasterii anno 1331. vitâ piissimè defuncti Carmen Heroicum, seu Panegyris *de Electione Regis Rudolphi*, quod Casimirus Oudinus de S. E. Tom. III. p. 552. audacter scribit, haberi in *Collectionibus Germaniæ*, quas diversi ediderunt. Ast omnes Scriptorum Rerum Germanicarum Collectiones excutias, ne versum quidem, nec verbum Engelbertini Poëmatis reperies. Igitur quotquot Oudini verbis cœcam adhibuerunt fidem, à vero aberrarunt; quos inter sunt Pinius, Caveus, Olearius, & novissimè Gravesonius. Cl. Bernardus Pezius pro certo habet, hoc Engelberti Poëma iis accensendum esse, quæ lucem nondum aspexerunt, imò veretur, ne omnino exciderit. Vide ejus Thes. Noviss. Anecdot. Tom. I. in Dissert. Isag. pag. LXVI.

— EJUSDEM *Liber de ortu & fine Romani Imperii* cum præfatione Casparis Bruschii in 8. Basileæ 1553. plures editiones vide apud Pez. l. c. cujus verba jam aliàs retulimus.

ALBERTI SIGEBERGENSIS propè Coloniam Agrippinam Cœnobii Ascetæ anno 1450. clari *Historia Romanorum Imperatorum* ab Imp. Augusto usque ad Fridericum vulgò III. revera autem IV. Imperatoris Maximiliani patrem; quam Petrus Lambecius Tom. II. Comment. cap. 8. pag. 871. inter manuscriptos Codices Historicos Latinos Arcis Ambrosianæ num. 61. Bibl. Cæs. Vindobon. asservari scribit. Joanni Cuspiniano hujus historiæ codex in componendo opere de Imperatoribus Romanis olim usui fuisse fertur. Vid. M. B. E. pag. 222.

JOANNES à PASTURA Prior Gemblacensis in Brabantia Gallicè scripsit *la Chronique de l'Empereur Charle quint.* asservatur MS. in Bibliotheca Monasterii. Vid. Foppens Bibl. Belg.

OTTONIS AICHER è S. Vito Congregationis Bavaricæ, Historiarum Professoris in celebri Universitate Salisburgensi *Brevis institutio de Comitiis veterum Romanorum libellis tribus comprehensa, quibus accessit Liber IV. de Comitiis Imperii Romano-Germanici* in 12. Salisburgi. 1678.

— EJUSDEM *Historia Quartæ Monarchiæ sacra & prophana* exhibens gesta, dicta, & symbola Principum Romanorum unà cum observationibus & institutionibus Politicis. Partes II. in 8. typis S. Galli 1691.

— EJUSDEM *Infantia & adolescentia Romæ*: sive ortus & progressus Romani Imperii annexis Legibus Regiis, Consularibus ac Decemviralibus, unà cum Fastis Romanorum antiquis. in 12. Salisburgi 1691.

— EJUSDEM *Juventus & maturitas Romæ*: sive Romani Imperii incrementum & potentia tribus libris comprehensa, annexa serie Regum & Dictatorum. Herbipoli an. 1700.

INNOCENTII CÆSII, Mantuani, Padolyronensis Monachi è Congreg. Casin. antiquæ eruditionis studiosissimi *Tractatus de antiquis Romanorum Ritibus.* Bononiæ 1698. Typis Petri Mariæ de Montibus in 8.

CASSINENSIS Monachi *breve Chronicon rerum in regno Neapolitano gestarum* ab anno 1000. ad 1212. editum ab *Antonio Caracciolo* inter quatuor antiquos Chronologos unà cum Heremperto Longobardo, Lupo Protospatha, & Falcone Beneventano appendicibus Historicis, Neapoli an. 1626. in 4. Non unum illius esse auctorem putat *Camillus Peregrinus* in castigationibus, quas ad hocce Chronicon addidit, ibidem 1643. in 4. cum quibus illud recusum est in

Tomo primo Biblioth. Hist. regni Siciliæ, curante *Joanne Georgio Carusio* 1723. in fol. & in Tomo V. Thesauri Italiæ Muratoriani, à quo etiam idem Chronicon ex alio Codice: & pars quidem ab anno 1000. ad 1154. pag. 139. sub nomine Domini ALBERICI Monachi Cassinensis & Præpositi S. Mariæ de Albaneta: Altera ab anno 1191. ad 1208. p. 143. ex alio Codice. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. pag. 986. Armell. Bibl. Congreg. Casin. part. 1. pag. 47.

MONACHI PATAVINI *Chronicon de Rebus Gestis in Lombardia præcipuè & Marchia Tarvisina ab anno* 1207. *usque ad annum* 1270. Plures, eásque cùm veteres tum novas præclari hujus Operis habemus editiones. Prodiit *Francofurti* an. 1570. in fol. *Basileæ* an. 1585. operâ Christiani Urstisii, *Venetiis* 1636. accurante Felice Osio cum Historia Mussati atque Mantissa de civitate Padua. Nostra ætate editum fuit à Petro Burmanno in tomo VI. Thesauri Italiæ, Ludovico Muratorio Tomo VIII. Script. Rer. Italic. pag. 650. „ Si *Rolandinum* excipias (inquit ultimus hic „ Editor in præfatione) nemo luculentiùs ac nitidiùs facta crudelissimi „ Eccelini, cujus ævo & hic Scriptor „ vixit, literis commendavit. Prætera debemus illi brevem quoque „ eorum narrationem, quæ per universam ferè Marchiam & Lombardiam, „ immò & extra Italiam, iis contigere temporibus ab anno 1207. ad „ 1270. & singula suis annis alligata. „ Ingens autem in Historico candor, „ pietas, judicium. Res autem Principum Estensium eo studio persequitur, ut celeberrimam Familiam „ non parùm illustret, & præ oculis „ semper habere videatur.

NICOLAI DONATI à Camaiori Lucensium oppido, apud S. Eugenium Urbis Senarum Monachus factus anno 1514. Vir in bonis literis apprimè versatus, scripsit Latino sermone *Rerum à Senensibus gestarum librum I.* Item *Belli Etrusci* inter Carolum V. Cæsarem & Henricum II. Gallorum Regem libros duos. Wion Lig. Vit. part. 1. l. 2. c. 75. pag. 443. apud Armell. l. c. p. 113.

GREGORII CORTESII, ex Abbate Mantuano S. Benedicti S. R. E. Cardinalis *Liber de Direptione Urbis Genuensis.* Eggs Purp. Doct. lib. IV. pag. 590.

ALEXIUS UGONIUS, Brixiensis patriâ in S. Euphemiæ Cœnobio ejusdem Civitatis inter Benedictinos cooptatus anno 1526. die 26. Julii non ob generis modò nobilitatem, sed ob scientiarum etiam ornamenta valde commendatus est. Brevì ad Abbatis dignitatem evectus, egregias animi dotes, quibus præditus erat, in plurium Monasteriorum prudenti administratione patefecit. Obiit Abbas S. Petri Savilianensis in Pedemontio. Ejus Opera typorum beneficio publicam lucem aspexerunt. Huc spectat

De maximis Italiæ atque Græciæ calamitatibus, in quarto, Dialogus, Italia & Græcia interloquutoribus, Venetiis anno 1559. in Academia Veneta, Illustrissimo & Excellentissimo Sabaudiæ Duci à Philosophis moralibus ejusdem Academiæ Venetæ dicatus liber. V. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 6.

VINCENTIUS BURGINUS (Armellino *Borghinus*) ex Monacho Abbatiæ S. Mariæ Florentiæ Prior ejus pii atque opulenti Loci in eadem Civitate, qui dicitur *Innocentium*, scripsit suo idiomate

Opuscula quædam, quorum prima pars anno 1584. secunda anno 1585. prodiit è typographia Philippi & Jacobi Juntarum Florentiæ. In prima parte continentur, Opusculum *primum* De origine Civitatis Florentiæ. *Secundum* De Civitate Fesularum. *Tertium* ,De Ethruria, & hujus provinciæ Civitatibus. *Quartum* De Municipiis, ac Coloniis Romanis. *Quintum* De Coloniis Latinis. *Sextum* De Coloniis militaribus. *Septimum* De Fastis Romanorum, déque ratione annorum citandorum. In secunda parte extat

Primum, De Familiis Florentinis; Secundum De pecunia, seu Moneta Florentina; *Tertium*, num Florentia fuerit eversa ab Attila, & à Carolo M. instaurata; *Quartum*, num libertatem redemerit à Rudolpho I. Imp. *Quintum*, De Ecclesia & Episcopis Florentinæ Civitatis.

„ Dictio pura est, inquit Possevinus, ac sine fuco, ut hodieque perlegatur à cordatioribus avidiùs, „ quàm vel ipse Boccacii Decaëmeron. „ Ratio scribendi ac methodus exquisita; utilis autem noscendis non „ tam Ethnicæ, quàm Romanæ historiæ rebus. Et legentium mentes „ eo perlecto conquiescunt: sic enim „ plerique solvuntur nodi, eâ nimirum

„ rum perspicuitate atque diligentia, „ ut quantælibet objectiones evanescant, cùm primùm ab eo discussæ „ sunt, neque verò ullam omittit, „ quin ad amussim sua cum omni peristasi perpendat. Qua in te cùm in„ terdum videatur prolixior, deni„ que tamen intelligitut ea prolixitas „ fuisse necessaria ad veritatem liqui„ dò pernoscendam. Porrò judicium „ de aliis Scriptoribus ita fert candi„ dè, ut cùm nullum alios carpendi „ ptomat judicium, solo veritatis stu„ dio adductus videatur, qui de iis, „ quæ prorsùs dicenda essent, loque„ tetur. De Malespina, de Villano, „ de Leonardo Aretino, de Volater„ tano, qui Florentinam & Hetru„ riæ historiam texuerunt, magna ex „ hoc Auctore lux hauritur. Nam „ dilucidè ostendit, in plerisque eos „ aberrâsse à scopo, dum ant, quæ „ vulgò à majoribus acceperant, aut „ aliorum narrationes minùs solidis „ nixas fundamentis sunt secuti. Ne„ que adeò horum duntaxat scripta „ examinat, sed Plinii qnoque senio„ ris, Ptolomæi Geographi, in quo „ plura notat Flori, Frontini, sive „ Mipsi Agrimensoris, & aliorum, id „ quod de antiquis marmoribus at„ que inscriptionibus facit appositè, „ ac pereruditè. Quam ob tem non „ mentiar, opinor, si eum inter pri„ mos terum Hetruscarum Scriptores „ adnumerem. „ Ita de Burgini historicis lucubrationibus præclarè censet Possevinus Bibl. Select. tom. 2. lib. xiv. c. 49. p. 341. Confer etiam Armell. Bibl. Casin. part. 2.

BASILIUS PEROTRICHIUS, Abbas Congreg. Casin. claruit sub an. 1570. Ejus extant Venetiis in Bibliotheca S. Georgii-Majoris hæc tria Opuscula. 1.) *Historia Veneta à fundatione ad usque septimum bellum cum Tergestinis.* 2.) *De quatuor Turcarum irruptionibus in forum Julium.* 3.) *Synopsi. Belli maritimi Venetorum contra Turcas usque ad Victoriam anno 1571. reportatam*, quo Authot obiit, tom. 1. in 4. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 76.

JACOBUS CAVACIUS in celebri sua historia Monasterii D. Justinæ Patavinæ plurima ad urbem Patavium ac finitimos attinentia opportunè interseruit.

CONSTANTINUS CAJETANUS, Abbas S. Baronti, Congr. Casin. *de variis præclarè gestis Pisanorum* agit in amplissimis Notis ad vitam Gelasii II. Pont. Max. quæ extat Tom. III. Script. Rer. Italic.

AUGUSTINI VENERII, Neapolitani, Monachi Cavensis, è Congr. Casin. anno 1638. extincti *Historia Civitatum & Regionum Italiæ, ejúsque Populorum & Regum, quatuor partium Mundi, Imperii Romani Occidentalis;* Tractatut ibidem *de origine & servitute Italiæ*, cum serie Græcotum, Francorum, Langobardorum, Nortmannorum, Germanorum, Suevorum, Andegavensium, Arragonensium, Dyrrachensium, Hispanorum, aliisque de rebus notabilibus; Inter quæ, de Summorum Pontificum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporúmque Familiis, eorúmque consanguineis, Affinibus, ac Propinquis &c. omnia Mss. in folio Cavensis Archivi (cui Venerius præfectus fuit) & Classicorum Scriptorum anthoritate fulcita. Vid. Armell. part. 1. pag. 67.

FORTUNATI ULMI, Veneti, in nobilissimo S. Georgii Majoris Monasterio anno 1596. Professi, è Congr. Casinensi,

Istoria della venuta occultamente in Venezia di Papa Alessandro III. e della Vittoria ottenuta da Sebastiano Ziani Doge, contro Ottone figlio di Friderico primo Imperatore, id est: *Historia occulti adventûs Papæ Alexandri III. Venetias & victoriæ à Duce Sebastiano Ziano obtentæ contra Ottonem filium Friderici I. Imperatoris.* Venetiis an. 1629. per Jo. Evangel. Deuchinum in 4. Qui liber scriptus videtur contra Cardinalem Batonium, aliósque prædictum adventum, & cætera hac in te tradita inficiantes.

At contra hunc ejus librum insurtexit posteà Felix Contelotius Vaticanæ Bibliothecæ Custos, Vir sanè doctissimus, edito libro Parisiis an. 1633. cum hoc titulo: *Notæ & Animadversiones ad Fortunati Ulmi libellum de Alexandri III. occulto adventu Venetias anno* 1177. nec quidquam illum movit Vaticanæ, itémque Regiæ Aulæ pictura, quâ factum illud Alexandri olim exprimebatur, hodiéque exprimitur; At Ulmus ad Contelorii objecta alio libro tespondit, qui extat MS. in Bibliotheca S. Georgii M. tali titulo:

Alcuni punti proposti da D. Fortunato Olmo Abbate Casinense da considerarsi sopra il venire occulto à Venezia di Alexandro III. del 1177. e della Vittoria

Vittoria de' Veneti, scritti da lui doppo uscito il libro del Contelori contra il suo, della venuta &c. id est: *Quædam Puncta proposita à Domno Fortunato Ulmo Casinensi consideranda circa occultum adventum Alexandri III. Venetias anno* 1177. *nec non victoriam Venetorum, literis mandata post editum Librum Contelori adversùs suum de adventu &c.* Opus Mſ. Mabillonio memoratum.

-- EJUSDEM *Historia Veneta unà cum Historia S. Georgii M. tom.* 2. *in fol.* Mſ. in Bibl. Monasterii M. Vid. Armell. l. c. p. 174.

PLACIDI PUCCINELLI *Memoriæ antiquæ Urbis & Ducatûs Mediolanensis*, Italicè. Mediolani apud Malatestam an. 1650.

CÆSARIS GOTHO, Siculi, Messanensis, è Congregatione Casinensi *Presa di Portolongone*, id est: *Expugnatio Portûs Longi.* Messanæ apud hæredem Petri Brean an. 1647.

JO. ANDREAS ASTEZATUS è Bibliotheca Monasterii S. Euphemiæ in urbe Brixia Mſ.tum Evangelistæ Manelmi de quibusdam Gestis in bello Gallico ill. V. Franc. Barbari Brixiæ Præfecti, seu de Obsidione Brixiæ in lucem protraxit, ac doctis adnotationibus illustravit, in 4. an. 1728. Brixiæ.

ANSELMI PAIOLI, Itali, Ferrariensis, è Congr. Casin. *Istoria della rivoluzione di Messina*, id est: *Historia revolutionis Urbis Messinæ*, stylo perquàm nitido, magnoperè concinnata studio: locum impressionis cum Armellino Bibl. Casin. part. 1. pag. 50. ignoramus.

CASIMIRI FRESCHOTT, Burgundi, Vesontini, è Congr. Casin. *Relazione di Genova, suoi diversi stati, ultime differenze & aggiustamento colla Corona di Francia.* id est: *Relatio de Genua, vario ejusdem statu, & ultima dissensione cum Rege Galliæ, illiúsque compositione.* Bononiæ apud Montium an. 1685.

-- EJUSDEM *L' Imperio d'Occidente, sua fondazione dal Romano Pontefice, e le chose seguite trà Papi, ed Imperatori à caggione della Autorita.* id est: *Imperium Occidentale, ejus à Romano Pontifice fundatio, résque, quæ inter Papas & Imperatores ratione authoritatis subsequutæ fuerunt.* Recenset hoc Opus Armellinus in sua Bibl. Casin. sed an typis excusum, vel num in Mſ.tis adhuc lateat, non meminit.

MICHAELIS de JUDICE, Siculi, Panormitani, in Cœnobio S. Martini de Scalis Professi

Ad Dissertationem de dignitate Historiæ Siculæ extemporaneæ observationes, & auctarium (ad Opusculum scilicet Augustini Inveges, cui titulus, *Ad Annales Siculos præliminaris apparatus*) Panormi apud Jo. Napoli anno 1709. Vid. Armell. l. c. p. 209.

BENEDICTUS BACCHINUS, Abbas S. Mariæ de la Croma, Congreg. Casin. Librum Pontificalem, seu vitas Pontificum Ravennatum ab *Agnello* Abbate scriptas eruditissimo Comentario illustravit Mutinæ an. 1708. in 4. & in Muratorii Collectione Scriptor. Rer. Italic. tomo 2. pag. 1.

NICOLAI MARIÆ de TEDESCHIS, Siculi, Catanensis, in Monasterio S. Nicolai de Arenis Professi, Episcopi primùm Liparitani, tum Archiepiscopi Apamiensis &c.

Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia, id est: *Historia prætensæ Monarchiæ Siculæ*, Romæ anno 1715. in fol. quod Opus priùs Latinè compofuerat, sed jussu Clementis XI. Pont. Max. in Italicum sermonem versum typis mandavit. De hoc celebri Opere Gravesonius Hist. Eccl. tom. IV. part. 1. Colloq. 2. pag. 107. hæc habet: „ Hîc tantùm breviter annotabo, paucis abhinc annis gravem „ de hoc Urbani II. privilegio (*Monarchiæ nempe Siculæ*) exarsisse contentionem, & hinc inde hoc de argumento libros fuisse conscriptos, „ quos inter potissimùm à Viris eruditis commendatur liber Italico „ idiomate editus, cui titulus est: „ *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia*, Romæ anno 1715.

ANGELUS MARIA QUIRINUS in Notis ad præcellentem suam Dissertationem de conscribenda Italiæ monastica historia hæc habet pag. 92. Siculæ Monarchiæ comentum, quod pluries Sacerdotium & Imperium commisit, quódque nuperrimè Pontificio mucrone transfossum, extremos, ut speramus, halitus trahit, evidentissimè exsufflatur ex nota temporaria ad pseudo-Diploma Urbani II. appofita, quæ nulla ratione cum recta chronologia potest consistere. Legendum Caput VII. Operis, à Clarissimo & Doctissimo Auctore concinnati, cujus titulus: *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia.*

-- EJUSDEM EM. CARD. *Diatriba præliminaris in duas partes divisa ad Francisci Barbari, & aliorum ad ipsum epistolas ab anno Christi MCCCCXXV, usque ad ann. MCCCCLIII. nunc primum*

mùm editas ex duplici MS. Cod. Brixiano, & Vaticono uno. Has omnes alterum volumen complectetur; quin od ejus calcem aderit earundem montisso ex Forojuliensibus Bibl. Guarnerianæ MSS. In hac parte egregiè disseritur de belli & pacis artibus, quibus Franciscus Barbarus inter Venetos si quis alius excelluit.

PETRUS de GAZATA, Monachus primùm S. Prosperi Regiensis, posteà anno 1363. ab Urbano V. Pont. ejusdem monasterii Abbas constitutus, tum anno 1384. ab Urbano VI. subcollector Apostolicus ordinatus, denique anno 1391. in Vicarium Generalem assumptus ab Ugolino, Episcopo Regiensi, hócque munere non interrupta tredecim annorum serie perfunctus octogenarius ex hac vita migravit anno 1414. Continuavit *Sagocii de Gazata*, Patrui sui, *Chronicon Regiense* ab anno 1353. ad annum fortè 1414. (in anno 1388. deficit Codex Editoris Muratorii Scriptor. Rer. Italic. Tom. XVIII.) suis adjectis annotationibus & historia eorum, quæ à dicto anno usque ad annum obitûs sui in Regiensium Republica gesta fuerunt. Vid. Acta Erudit. Lips. anno 1732. pag. 559.

GABRIELIS BUCELINI, Weingartensis in Suevia, *Urbis Romanæ Consules ad Compendium relati, & Fasti triumphales ab Urbe condita ad annum usque ejusdem* DCCLXIV. Aug. Vind. typis Jo. Prætorii in 12. an. 1658.

ANSELMI BANDURII, Ragusini, Presbyteri ac Monachi è Congreg. Melitensi Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecarii *Vitæ Romanorum Imperatorum*, quas eorum Numismatibus à se illustrandis præmisit. In his nonnunquam errores D. Tillemontii & Ant. Pagii, quos in historia & chronologia admisere, corrigit: ubi verò ex eis profecit, savissam tacitam non reliquit. Opus prodiit Lutetiæ Parisiorum an. 1718.

-- EJUSDEM *Imperium Orientale, sive Antiquitates Constantinopolitanæ in IV. partes distributæ: quæ ex variis Scriptorum Græcorum Operibus, & præsertim ineditis adornatæ Commentariis, & Geographicis, Topographicis, aliisque quàm plurimis monumentorum ac numismatum tobellis illustrantur. Parisiis sumptibus Johannis Baptistæ Coignard an.* 1711. *in fol. ch. aug. Tom. II.* Opus multis ab eruditione Auctoris, & typorum splendore laudatum. Contra verò *Bandurii* eruditionem, atque Opus istud ab ipso concinnatum, quam parvi faceret *Justus Fontaninus* [rigidus Censor] & ipse, inquit Em. Card. *Quirinus* Comment. Vitæ suæ part. 1. ex hujus ore intellexi, & publicum modò extat documentum inter Claror. Venetor. ad Magliab. Epist.

JOANNIS GASPARIS BERRETA, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. *De Italia Medii Ævi Dissertatio Chorographica* pro usu Tabulæ Italiæ (ab eo pariter adornatæ) Græco-Longobardico-Francicæ, ut à Græcis & Longobardis ad Carolum M. translatæ: Medii Ævi nominibus Regionum, Urbium, Fluminum, & Montium opportunè appositis, atque illustratis, Isagoge ad Geographiam universalem ejusdem Ævi, antiquioribus originibus intermixtis. Prodiit hæc Dissertatio sub titulo *Auctoris Anonymi Mediolanensis* tomo 12. Scriptorum Rer. Italic. collectore Muratorio apud Socios Palatinos anno 1728. Etsi verò hæc *Berretæ* Dissertatio reconditæ eruditionis, atque doctrinæ refertissima esset, non tamen ab aliquot censuris immunis fuit, quibus ipse verò expeditè respondit, edito statim sequenti Opere:

In Dissertationem Italiæ Medii Ævi Censuræ III. Viterbiensis, Veneta, & Brixiana, cum Responsis III. pro Anonymo Mediolanensi, Belli Diplomatici Historia tertio præmissa, parváque Mantissa Emendationum & Additionum ad calcem subjecta. Palatinis Sociis cuncta accurantibus Mediolani an. 1729. ex Ædibus Societatis Palatinæ, Superiorum permissu. Cum Indice Rerum Latino-Italicarum pro commodiori usu promiscuo: & Epistola Philippi Argelati ad Lectorem. Est Volumen in 4. pagg. 314. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 42.

VITI de AMICO, Nobilis Catanensis, S. Nicolai de Arenis Alumni, nunc Prioris, Viri reconditæ eruditionis & antiquitatis, præsertim Archivorum studiis dediti *Catano Illustrata*, sive Sacra & Civilis Urbis Catanæ Historia. Pars prior Catanæ anno 1740. ex typographia Simonis Trento in fol. Pars II. & III. annis sequentibus.

§. III.

Rerum Germanicarum Scriptores.

EGINHARTI, Abbatis primi & Fundatoris Monasterii Seligenstadensis,

fis, antea Cancellarii Caroli M. *Historia temporum de Gestis Germanorum & Francorum*, quæ alia tamen ab Annalibus Francorum à Duchesnio sub nomine Eginharti publicatis haberi non debet. Quamvis *Corolus le Comte* hoc Opus contra *Tritbemium* & alios *Eginbarto* abjudicet, & Monacho Benedictino Lauresheimensi, sed Anonymo attribuat. Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. Tom. 6. cap. 3. art. 8. pag. 46. col. 2. Veriùs *Eginbartus* est auctor libri *De adventu, moribus, bellis, & superstitione Saxonum*, sed qui dudum in deperditis habetur; ex eo tamen videsis fragmenta quædam apud Adamum Bremensem lib. 1. Hist. Eccl. cap. 6. seqq. Vossius de Hist. Lat. l. 2. c. 28. *Eginbortum* vocat omnium Germaniæ Historicorum vetustissimum. Eóque, inqoit, Germanis charior esse debet, præsertim Francis Orientalibus, ut cui nemus Ottonium natale fuerit solum.

RHEGINO, Abbas Prumiensis cœnobii in diœcesi Trevirensi natione Germanus, scripsit Chronicon, præcipuè Gesta Francorum & Alemannorum continens, à Partu Virginis usque ad an. DCCCCVIII. Ea igitur, quæ ab hoc año usque ad non gentesimum sexagesimum septimum sequuntur, alterius cujusdam Monachi, fortè Romerii, ut Simlerus & Vossius conjiciunt, manu adjecta sunt. Multa peculiaria de Rebus Germanicis, præsertim bellis in Germania gestis, Rhegino habet, quæ apud alios coævos Scriptores frustra quæras. Ludovicus IV. Germaniæ Rex sæpiùs Adalbertum Babenbergensem Comitem, moneri jusserat, ut à cædibus, incendiis, & devastationibus provinciarum abstineret; sed cùm ille mandatis non obtemperaret, rebellem obsidione cinxit. At in quo munimento? nisi Rhegino nomen memoriæ prodidisset, ex nullo alio Scriptore coævo illud constaret. *Cernens itaque Rex*, inquit, *obduratum ejus animum, & in cœpta rebellionis malitia obstinatum, collecto undique exercitu Adalbertum in Castro, quod* TETRASSA *dicitur, obsidione cinxit.* Coñunis ac vulgaris opinio habet, quod ad extremum Adalbertus fraudulentis verbis Hattonis Archiepiscopi Moguntini in manus Regis Ludovici perveneriт. Sed Rhegino aliam, veróque magis similem, certè quidem magis rationabilem adducit causam. „ *Interea* EGINO, inquit, *qui Adalberti individuus comes in omni pravitate extiterat, ab ejus societate defecit, & cum omnibus suis ad Regis castra transiit. Protracta igitur paulò prolixiùs obsidione, fractus animo Adalbertus, ad callida consilia convertitur, & omni ingenio excogitare cœpit, qua arte obsidio solveretur. -- -- Portis itaque apertis à munitione exiens, cum perpaucis ultrò se Regi obtulit, supplex veniam de commissis exposcit, emendationem promittit &c.* Qui verba Rheginonis attentiùs perpenderit, culpam non in Hattonem, sed Eginonem conferet (si quæ tamen fuit) quòd Adalbertus Regis potestati se permiserit. Certe hic publicæ pacis perturbator spe sua non immeritò excidit. Nam eodem adhuc anno Regis jussu capite plexus est. *Rhegino ibidem: Sed -- custodiæ mancipatur, & in præsentia totius exercitûs vinctis manibus adductus, omnibus adjudicantibus, capitalem sententiam suscepit, quinto idus Septembris. Facultates & possessiones ejus in Fiscum redactæ sunt, & dono Regis inter Nobiliores quosque distributa.*

Editiones Chronici Rheginonis quatuor habemus. Primam Sebastianus de Rottenhan ex Equestri Franconiæ Familia ex m.s.to Codice Bibliothecæ Scotensis Monasterii Viennæ in Austria Moguntiæ anno 1521. in folio accuravit. Alteram Simon Schardius Francofurti anno 1565. etiam in folio. Tertiam Joannes Pistorius anno 1597. typis Wechelianis iterùm in fol. procuravit. Quarta prodiit Argentorati anno 1609. unà cum Annalibus Lamberti Schaffnaburg. & Chronico Abbatis Ursperg. Quibus addi potest novissima editio Burchardi Struvii, qui Rheginonem ex Paulo Diacono, ex Annalista Saxone per Jo. Georg. Eccardum edito, ex Fragmento Caoisiano, & aliis emendatum in nova editione Collectionis Pistorianæ Scriptorum Rerum Germanicarum literario Orbi exhibuit; ita ut jore dicere possit: „Singulæ hæ editiones, ex perversa „ Codd. lectione mendis scatebant, „ quorum pleraque ex collatis aliis „ Annalibus emendavi, emendationis „ rationes (in notis) subjeci, quæ ad „ medii ævi Geographiā faciunt, cum „ industria enodavi, variáque, quæ „ ad Historiæ faciunt intellectum, „ illustravi &c. *Struv. su. finem præfat. ad Rheginonem.* „ Equidem in edendo Rheginonis Chronico nulli Struvio m.s.ti Codices ad manum fuerunt

runt, velut ipse his verbis fatetur: *Manuscriptis quidem Codicibus destitutus sum, dum nec Reginonis Codice, qui in Anglia asservatur, uti licuerit. Nihilominus Reginonem antea corruptissimum ex aliis Scriptoribus, ex quibus sua deprompserat, puriorem induxi.* Interea manu exarati Codices Chronici Rheginonis non desunt, modò non deesset, qui illos inter se conferre, ac variantes lectiones in chartam referre vel posset, aut vellet. Ex Bibliothecæ Vindobonensis Catalogo, quem Petrus Lambecius confecit, duos mss. Codd. in eadem haberi intelligimus; duos alios asservat Anglia, unum Cantabrigiæ, alterum in Greshamensi Collegio, de illis verò, qui in Regis Galliarum Bibliotheca, & aliis custodiuntur, legi potest Cl. Montfauconius in Bibliotheca MS.torum.

WITIKINDUS, natione Germanus, Corbeiæ novæ in Saxonia Monachus, condendo Historiam Saxonicam insigne Rerum Saxonicarum monumentum reliquit. *Inscripsit Annales*, qui tribus continentur libris. Præcipuè Gesta Imperatorum ex Gente Saxonica, ac maximè Henrici Aucupis, ac Ottonis Magni persequitur. Brevitati ac veritati studuit in hoc suo opere, quod Mathildi Reginæ Imperatoris Ottonis filiæ dedicavit. Prodiit primùm Basileæ, curante Martino Frechto Suevo, apud Joannem Hervagium anno 1532. inter decem Rerum Germanicarum Scriptores primo loco. Tum Francofurti an. 1578. in fol. Iterum Francofurti 1621. in fol. inter alios quosdam Seculi X. Scriptores curâ Henrici Meibomii senioris, seu patris cum Dissertationibus diversi argumenti adjectis. Plures editiones si nosse cupis, adi Oudinum Tom. II. S. E. pag. 479.

ROSWITHA Monialis Gandershemensis in Saxonia Ottonis Magni Gesta versibus complexa est, bortatu Gerbirgæ Abbatissæ suæ, ut testatur in præfatione: in secundo carmine præliminari innuit, Ottonem II. Imp. poëma ipsum videre desideràsse. Conradus Celtes primus Germanorum laureatus Poëta Carmina hæc an. 1501. Norimbergæ prælo subjecit. Justus Reuberus cum triplici Roswithæ proloquio Collectioni suæ Scriptorum Rer. Germ. pag. 161. inseruit. Henricus Meibomius avus notis illustravit, & Witikindi Annalibus à se an. 1621. Francofurti in folio editis adjecit. Post hæc Meibomius junior seu prioris nepos illud Tomo I. Scriptor. R. G. intexuit. Denique Henric. Leonard. Schurzfleischius cum notis recudi fecit in 4. Wittenbergæ an. 1707.

DITHMARUS, natione Germanus, domo nobilis, illustri Comitum Saxoniæ familiâ ortus, natus an. 976. patrem habuit Sigefridum Saxoniæ Comitem, matrem Cunegundam filiam Henrici Comitis Stadensis, Ottoni Magno, cujus consanguineum eum vocat Dithmarus, valde chari, ab eóque torque aureo donati: Ex sacro fonte illum suscepit Hillebardus, Episcopus Halberstadensis; primùm Monachus Magdeburgensis, dein Præpositus Wallibicensis, tandem Episcopus Merseburgensis factus est anno MVIII. Quam dignitatem noctè, antequam hac de re nuntium accepit, ipse sibi per somnium præsagiit. Naturæ concessit Cal. Decemb. anno MXVIII. ætatis XLII. Condidit non infimæ notæ Chronicon quinque Imperatorum Saxonicorum, Henrici I. Ottonum trium, ac Henrici II. res gestas libris VII. complexum. Edidit hoc insigne opus *Reynerus Reineccius* Francofurti an. 1580. præfixa Dithmari vita, ex veteri Chronico desumpta, alteráque, quam ipse ex Dithmari Chronico contexuit. Ipsum Chronicon in libros VIII. divisum cum notis marginalibus, tabulis Genealogicis, & indice copioso recudit *Joh. Joach. Maderus* Helmstadii an. 1667. in 4. Sed etiam hæc editio imperfecta & mutila fuit. Unde huic vulneri medicam manum adhibuit Ill. *Leibnitius*, à quo Dithmarus inter Scriptores Rer. Brunsv. tom. I. quasi primùm *restitutus* & integer editus fuit. Sed quòd *Dithmarus* appellatione *Restituti* ad splendorem magis, quàm ex vero à Leibnitio fuerit donatus, ex iis patet, quæ Conradus Janningus tom. VI. Junii pag. 38. in Actis Sanctorum, & Jo. Bapt. Solerius tom. III. Julii pag. 724. indicarunt. Unde nova editio accuranda, ut egregium Chronicon jure possit vocari *Dithmarus restitutus & illustratus.* Hujus spem Gundlingius olim Jo. Georg. Eccardo fecit, sed non adimplevit. Notandum verò est pro nova editione, quòd *Annalista Saxo*, i. e. *Eggehardus*, Abbas Uraugiensis Dithmari narrationem confusam in ordinem chronologicum digesserit, atque facem ad intelligendum obscuriorè hunc Scriptorem accenderit. Vide Eccard in Præfat. ad Tom. I. Scriptor. medii ævi.

HER-

Hermanni Contracti Comitis à Veringen in Suevia, & Monachi, non ut Trithemius scribit, S. Galli, sed Augiæ Divitis, Chronicon de sex Mundi Ætatibus, Collectioni Scriptorum Rer. Germanic. inseruit Jo. Pistorius, quòd huic Chronico insint multa, quæ res veterum Germanorum, præsertim illius ævi, quo Hermannus vixit, illustrent. Etsi enim is consignandæ Historiæ Ecclesiasticæ, ceu primario suo scopo calamum maximè impenderit, tamen si quæ memoratu digna essent, quæ ad Statum Politicum præprimis Germaniæ, & ad historiam Imperatorum Germanorum attinerent, ab ipso nullatenus silentio prætermissa fuerunt. Præcipuæ curæ habuit, ut Gesta Conradi II. & Henrici III. literis non indiligenter mandaret. Natus est Hermannus an. 1013. Imperii habenas moderante Henrico II. seu Sancto, ætatem verò egit sub Impp. Conrado Salico & Henrico III. adeóque eorum, quæ sub duobus hisce Augustis in Germania evenerunt, testis præ multis aliis maximè idoneus habendus, quia coævus propriè sic dictus. Unde Anonymus Mellicensis lib. de Script. Eccl. cap. 91. Chronicon Hermanni vocare non dubitavit *Chronicam & Gesta Chunradi & Henrici.* Pertexitur autem ad an. 1054. quo author sub veris initium mortuus est. Ab eo anno Anonymus continuator Hermanni Chronicon ad annum 1066. inclusivè deduxit. Alius Continuator, quem Anonymus Mellicensis Bertholdum (Presbyterum Constantiensem) cap. 92. vocat, ad annum MC. persequutus est. Plures verò ac diversæ hujus Chronici habentur editiones. Prima est Basileensis in fol. ex Codice San-Gallensi an. 1529. & non anno 1536. quæ fuit altera editio Basileensis, accurante Joanne Sicardo. Postea Johannes Pistorius an. 1583. Hermanni Chronicon in sua Scriptorum R. G. Collectione vulgavit. Biennio post anno 1585. Christianus Urstisius novam editionem ex apographo veteris codicis in Bibliotheca Monasterii S. Georgii Hercyniæ Sylvæ accuravit. Demum Henricus Canisius JCtus & Professor Ingolstadiensis adhuc melioris notæ Codicem ex Bibliotheca San-Udalricana Augustæ Vindel. eruit, ex quo Hermanni Chronicon novis typis exscriptum Tomo I. suarum Lectionum Antiquarum in 4. Ingolstadii anno 1601. immisit. In nova editione curâ Jac. Basnagii in fol. Tom. III. pag. 193. seq. exhibetur. Illud etiam reperies in Tom. XI. Bibl. PP. Coloniensis & in Tom. XVIII. Lugdun. ex Canisiana editione, quæ hactenus omnium præstantissima habita fuit, nisi palmam illi jam præripiat, quam V. C. Burchardus Struvius in nova editione Collectionis Pistorianæ cum literario Orbe communicavit. In ea siquidem non prima tantùm editio ex San-Gallensi codice, & altera gemino contextu auctior Editio Urstisii in duabus columnis è regione positis, sed præterea etiam omnes Variantes Lectiones, Additiones, & Augmentationes ex Canisiana Editione conjunctim habentur.

Quod verò ad Variantes Lectiones, Additiones, & uno verbo MS.torum Codicum differentiam attinet, quidam ipsi Authori hanc varietatem tribuunt, cui usuvenerit, quod olim & hodie multis scriptoribus, qui fœtum lambendo formare, variare, & subinde augere solent. In hac sententia sunt *Urstisius* & *Struvius*, qui Hermannum fœtum hunc primum utcunque formatum, lambendo deinceps magis politum & exactum reddidisse, atque adeò exemplum illud (*S. Gallensis Codicis scilicet*) prioris, hoc verò (*novi Codicis Urstisiani*) posterioris manus esse censendum arbitrantur. Alii descriptoribus, quorum nonnulla alius adjecerit, alius resecuerit, pro suo quisque captu, inquit *Miræus* in Notis ad caput XIII. Honorii Augustodunensis de S. E. ubi Hermanni Contracti meminit. Ejus opinionis est Canisius. „Ego ferè, „inquiens, persuadeor, varietates à de„scriptoribus esse, quorum alius pro cu„jusque captu nonulla adjecerit, alius „resecuerit; id enim antiquitus ple„rumque fieri consuesse observo in il„lis libris, quos Monachi sibi quis„que privo usui describebant. Sanè „insunt huic, nusquam unquam an„tehac visa, quæ historiam illius ævi „illustrent.„ Priorum opinio verò magis similior Antonio Pagio videtur: nam cùm in illis Editionibus Hermannus se ipsum in prima persona nominans modò diem & annum suæ nativitatis, modò diem & annum, quo ad studia missus fuit, modò parentum suorum nomina, & quæ eis contigere, memoret, non video dubitandi locum, inquit celebris ille Criticus, quin ipsemet primum suum par-

tum uti imperfectiorem postea auxerit, vel correxerit, cùm illud olim hodieque aliis Scriptoribus in more positum fuerit. Pag. ad an. 1654. n. x. Tom. iv. p. 198.

Quod verò suprà dixerim, Hermannum Contractum non in Monasterio S. Galli, ut Trithemius habet, sed in Cœnobio Augiæ Divitis Monachum fuisse, nihil dixisse me opinor, cujus meritò me pœniteat. Primus fuit *Trithemius*, qui ex Hermanno Monachum fecit San-Gallensem, sed cùm suæ assertionis nec testem laudet, nec probationem ullam afferat, nudis ejus verbis nullam à me hîc haberi fidem, nemo indignè ferat; præsertim cùm Trithemius alia de Hermanno Contracto tradiderit, quæ à vero longè remota sunt. Quàm falsum enim illud, quòd Hermannus sub Helperico Monacho in Monasterio S. Galli literis operam navârit? cùm quo anno [MXIII.] Hermannus in vitales auras elatus fuit, Hilpericus jam octo annis antè, nempe anno MV. mortalitatem expleverit. An non luculentus dein Trithemii iterum error in libro II. de Vir. Illustr. O. S. B. cap. 84. ubi asserit, Hermannum Contractum anno CIↃLX. in vivis adhuc egisse, cùm in comperto sit, illum anno MLIV. humana absolvisse? Potior nobis esse debet authoritas Honorii Augustodunensis, eruditione & doctrina conspicui Presbyteri, qui Libro iv. cap. ii. de Luminaribus Ecclesiæ Hermannum Contractum disertis verbis Monachum Augiensem appellat. „Perperàm igi„tur, ut Cl. Struvii verbis ex ejus„dem præfatione ad novam editio„nem Chronici Hermanni utar, Per„peram ipsum Monachum S. Galli „facit Trithemius, cùm potiùs Mo„nachus fuerit Regalis Cœnobii *Au„giæ Majoris*, quod vulgus à divitiis „*Reichenau* adpellat; Quod in Insu„la lacus Cellensis, seu inferioris, qui „Acronii, vel Bodamici appendix est, „Ordinis Benedictini, in quod olim „non nisi Principum, Comitum at„que Magnatum liberi recipiebantur, „exclusis ingenuis, & humilioris gra„dus hominibus. Testatur illud non „solùm inscriptio hujus Codicis, quæ „illum *Augiensem* Monachum diser„tè testatur, sed etiam diversa loca „hujus Chronici, dum anno CIↃXL„VIII. ait: *Imperator Augiam no„stram ingressus*, & mox: *Festo S. „Michaëlis apud nos acto*. Et alibi „ad an. CIↃLIII. *Werinharius frater „meus, Augiensis Monachus.* „ Tria igitur magni ponderis argumenta, Hermannum Contractum ex cœtu Monachorum Augiensium extitisse, planè evincunt. Primum est testimonium Honorii Augustodunensis, qui diu ante Trithemium vixit & scripsit. Alterum est inscriptio MS.ti Codicis, quo in Chronico Hermanni edendo usus est Urstisius; hæc enim illum Augiensem Monachum disertè testatur. Tertium argumentum præbent diversa loca hujus Chronici &c. Atque hæc tria argumenta ita clara & dilucida sunt, ut, donec ab Adversariis, qui cum Trithemio sentiunt, revincantur, firmissima & invicti roboris à nobis haberi debeant. Authoritate verò Trithemii nituntur, vel ab eo potiùs in eorrorem abrepti fuerunt SICHARDUS v. g. in Nuncupatione suæ Editionis „ Præterea per nos adjectus est *Hermannus Contractus*, Comes Veringensis, quem Ephemerides suas ad annum ML. in *Cænobio Divi Galli* perduxisse constat. PISTORIUS in Catalogo Authorum, qui Scriptorum Tomo I. continentur Num. II. Hermannus Contractus Comes à Veringen, *Monachus ad S. Gallum*. VOSSIUS de Historicis Latinis Lib. II. Cap. XLIV. PETRUS CANISIUS Lib. de B.mâ Virg. Maria Ingolstadii 1577. aliique, quos Author Anonymus *Ideæ sacræ Congregationis Helveto-Benedictinæ* typis Monasterii S. Galli anno 1702. allegat. Confer. Joannes Egò de Viris illustribus Augiæ Divitis cap. 28. Tomo I. Anecdotorum Bern. Pezius pag. 689.

BRUNONIS Germani Monachi, incertum, cujus Monasterii, Seculo xi. circa annum 1080. ætatem agentis HISTORIA BELLI SAXONICI suo tempore gesti ad Werinherum Episcopum Merseburgensem. Tractat in hoc Opere de adolescentia Henrici IV. Imperatoris, ac bello, quod cum Saxonibus gessit: itémque de Rudolpho & Hermanno Regibus in schismate electis. Orditur ab anno 1073. definítque in anno 1082. Hanc historiam publicæ luci primus asseruit Marquardus Freherus tomo I. *Veterum de Rebus Germanicis Scriptorum.*

HEPIDANUS Monachus San-Gallensis circa annum 1072. breves gestarum in Alemannia rerum Annales scripsit. Incipit anno DCCVIII. finit an. ML. edidit Goldastus Tomo I. Rerum

Rerum Alemannicarum. Vid. Mezler de Vir. Illustr. San-Gall. lib. 1. c. 48.

MARIANUS SCOTUS, Monachus Fuldensis, natione Scotus, in Chronico suo, quod ab Orbe condito usque ad annum 1084. perduxit, res Germaniæ enarrat. Exinde Dodechinus Monasterii S. Disibodi monachus ejusdem continuationem suscepit usque ad annum 1200. Vide Pistorium Rer. Germ. Tom. I. ubi Mariani & Dodechini habebis Opera historica.

LAMBERTUS Schaffnaburgensis, seu Aschaffenburgensis ab urbe patria Aschaffenburg, in ditione Electoris Moguntini sita, sic dictus, erat Monachus celebratissimæ & Principalis Abbatiæ Hirschfeldensis in Inferiore Hassia, quæ, ultimo Abbate anno 1606. vita functo, à Landgravio Hassiæ occupata, in pacificatione Westphalica eidem relicta est. Scripsit, teste Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad a. 1058. *De Gestis Regum, Principum, & Imperatorum, à tempore Caroli Magni, usque ad annum Dominicæ Nativitatis millesimum septuagesimum septimum, Historiarum volumen unum, insigne, & jucundæ lectionis.* Ipse Lambertus Chronicon suum vocat *De Rebus Gestis Germanorum.* Nec titulus primæ & secundæ Editionis Tubingensis ab Authoris scopo & proposito abludere mihi videtur. Sic verò habet: *Germanorum res præclarè olim gestæ, Itémque rerum aliarum ferè memoratu dignissimarum perbrevis & admodùm jucunda quædam annotatio, ab exordio Mundi primum nascentis repetita &c.* Minimè verò prolixus est in rebus narrandis, donec tempora Henrici IV. quæ ultimos ferè Chronici annos viginti quinque vel septem absolvunt, attingit; tum enimverò altum ingressus historiæ vela latissimè pandit. Ea verò styli elegantia, civili sapientia, politico & ferè pragmatico scribendi genere utitur, ut antiquis multis non impar, recentioribus plurimis superior habeatur. Chronico finem imponit in anno MLXXVII. eodem ipso nempe, quo Henricus IV. Canossæ triduanam pœnitentiam ecclesiasticam subivit. Continuatorem nactus est Monachum Erphordiensem ignoti nominis, sed non contemnendæ diligentiæ, qui *Additiones* apposuit, in quibus res CCC. annis post Lambertum gestæ breviter explicantur. Ab anno MLXXVIII. suam continuationem exorsus, eam ad annum MCCCLII. deducit, qui anni ferè sunt trecenti. Continuatio admodùm brevis est, quæ haud plura quàm sex vel septem folia implet. Nec in ulla alia, quàm Pistoriana Collectione reperitur. Etsi verò hic Continuator præstanti scribendi genere Lambertum minimè assequatur, ejus tamen continuatio non omnino spernenda est.

Primam Chronici editionem procuravit Caspar Churerus bonarum artium apud Tubingenses Magister, præfixo titulo sanè quàm curioso, qui hic est: *Quisquis es Gloriæ Germanicæ & Majorum studiosus, hoc utere ceu Magistro libello. Tubingæ* 1528. *in* 8. *apud Hulderichum Morhardum.* Biennio post, anno 1530. altera editio in 8. iterum Tubingæ prodiit. Neutra editio nomen Authoris, de quo id temporis nondum constabat, præfixum habet; illud verò ex Chronico Hirsaugiensi eruit Ludovicus Schradinus, qui tertiam Chronici editionem sub hac epigraphe adornavit: *Germanorum res præclarè gestæ &c.* ut suprà. *Lamberto Schaffnaburgensi Authore. Cujus nomen hactenus delituit. Tubingæ* 1533. *in* 8. Postmodùm Simon Schardius duas hujus Chronici accuravit editiones, primam in Collectione IV. Chronographorum Francofurti anno 1566. alteram in Collectione Scriptorum Rerum Germanicarum Tomo I. pag. 693. seq. Basileæ an. 1574. cùm jam antea anno 1569. Joannes Jacobus Grynæus editionem quintam Basileæ, sed quod oppidò mireris, sine nomine Authoris, publico exhibuisset. Potuisset Grynæus nomen Authoris scire ex Tubingana editione de anno 1533. Quod etiam Simonem Schardium fugere non debuisset. Denique post decem ferè annos Pistorianæ Collectionis Scriptorum Rerum Germanicarum Tomus I. Francofurti an. 1583. in publico comparuit, in quo pag. 149. seq. Pistorius Lamberti Chronicon emendatius auctiúsque edidit. Quippe, inquit Struvius, non solùm Textui quædam ab an. DCCIII. ex MS.to adjecit, prout ipse in margine annotat, sed etiam *Erfurtensis Monachi Additiones ad annum* 1472. *usque.* De propria verò sua editione, quam idem Struvius in nova Collectionis Pistorianæ impressione concinnavit, ita loquitur: „In notis multa adjeci„ mus, quæ partim ad historiæ, par„ tim ad locorum, quibus singula gesta

„ fuerunt, faciunt illustrationem. „ Hoc etiam circa Lamberti historiam „ est monendum, quod, ubi Galliæ „ facit mentionem, ipse plerumque „ intelligat nostram Germaniam. „ Editio octava prodiit Argentorati an. 1609. in fol. Quæ verò Vincentius Placcius de variis Chronici Lambertini editionibus ex Thomasio & aliis affert in libro suo de Pseudonymis pag. 469. erroribus respersa sunt, Lambertum cum Bellarmino *insignem & veracem Historicum* ex merito compellat: cujus rei præclara testimonia adducit Autor anonymus *Teutscher Republic der Gelehrten &c.* pag. 112. tametsi & ipse à Romano - Catholica fide alienus sit.

ANNALISTA SAXO ab an. 741 - 1139. haud alius est, atque *Eggehardus* Abbas Uragiensis, uti ostendit Joh. Georg. Eccardus in Procem. Tom. 1. Corp. Histor. medii ævi; Cui accedit *Palignesius* in Monitis Genealogicis pag. 3. Quibus se opponit Theodorus Hasæus in Bibl. Bremensi Classe VII. pag. 911. afferens rationem, qua sententiam Eccardi non satis infirmari fatetur Schoëtgenius Bibl. med. Lat. l. 18. p. 428. Licèt ipse litem non satis decisam esse existimet. *Eggehardi* verò Chronicon MS.tum, quod in Regia Bibliotheca Parisiensi asservatur, descripsit Bernardus Pezius, teste Godefrido Deppisch Mellicensi in Actis S. Colomanni Martyris pag. 105. quod subinde Jo. Georgio Eccardo cessit, qui illud publici juris fecit Tom. I. pag. 134.

ANNALES BOSOVIENSES ab anno 1125. usque ad an. 1198. continuati à Monacho anonymo hujus monasterii, editi verò ab Eccardo Tomo I. Scriptor. medii ævi pag. 1007 - 1024.

CHRONICON LUNEBURGICUM à Monacho Monasterii S. Michaëlis confectum, ut putat Eccardus, qui illud publicavit l. c. p. 1315 - 1412.

WENCESLAUS Abbas Altahæ inferioris in Bavaria authoritate valuit apud Henricum IV. Imperatorem, à quo missus fuit ad Conventum Mantuanum, in quo de Cadaloi, antipapæ contra Alexandrum II. factione actum est. Scripsit *Annales Bajoariæ*, teste Hundio, apud Mabill. tom. IV. Annal. O. S. B. p. 510.

DAVIDIS, Monachi S. Jacobi Herbipolensis, viri perdocti, *De Gestis Henrici Regis V. per Italiam libri tres.* Fuit hujus Imperatoris Historiographus, velut alio loco à nobis dictum est. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 1137. p. 404. Vide etiam Mabillonium Annal. tom. V. p. 559. qui tres hosce libros de dissidiis Henrici V. cum Paschali II. scriptos esse perhibet.

BRUNWILERENSIS Monachus propè Coloniam circa annum 1053. de vita Comitum Palatinorum Rheni, Ehrenfridi, sive Ezonis, & Marhildis, eorúmque filiæ B. Richezæ Reginæ Poloniæ scripsit: quæ in Leibnitii Scriptor. Brunsv. tom. 1. pag. 313 - 322. habetur. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 11. p. 1796. anonymum hunc scriptorem *Wolfelmum* monachum esse existimat, qui contra Berengariom scripsit.

CONRADI de WIZENBERG, id nominis I. Abbatis Mellicensis ab anno Christi 1177. usque ad an. 1203. breve Chronicon veterum Austriæ Marchionum & Ducum Stirpis Babenbergicæ, scilicet à Leopoldo illustri usque ad Leopoldum VI. cognomento Virtuosum, in R. P. Hier. Pezii Tom. I. Script. Austriac. Hoc Chronicon jam anteà ediderat Anselmus Schramb Chronici Mellicensis part. 2. p. 92. sub nomine literarum *De Genealogia Principum Austriæ.*

WEINGARTENSIS Monachi Anonymi Chronicon, sive Historia de Guelphis ab anno 819. usque ad annum 1180. apud Leibnit. Tom. I. Script. Brunsv. pag. 781.

GUNTHERI, Monachi Elnonensis in Belgio & Poëtæ celeberrimi LIGURINUS, seu Opus de rebus gestis Imp. Cæs. Friderici I. Aug. Lib. X. absolutum, quod repertum à Conrado Celte primos edidit Conradus Peutingerus Aug. Vind. an. 1507. in fol. Cum scholiis Jac. Spiegelii prodiit Argentorati p. 1531. in fol. & insertum Corpori Script. Rer. Germ. à Reubero p. 272. multis locis restitutum, quinque editionibus inter se collatis, & luculentis notis, adjecto rerum & verborum indice, illustravit & edidit Conradus Ritterhusius Tubingæ an. 1598. in 8. Vid. Georg. Joannis in noviss. edit. Scriptorum veterum Justi Reuberi p. 408. & seq.

GODEFRIDI S. Pantaleonis Coloniensis Monachi Chronicon ab anno 1162. usque ad annum 1237. edidit Marquardus Freherus in suo Collectaneo Veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum tom. 1. p. 239. *Godefridus* Scriptor est, cui in exacto scribendi genere paucos conferas, præferas jure

re neminem: ejus Chronicon est exactissimè scriptum.

CONRADUS de SAXONIA, Monachus in monte S. Petri propè Halam condidit Historiam Seculo XIII. *de primis Marchionibus Misnensibus* intexram Chronico, quod ab A. C. 1124. ad 1225. deduxit, laudatum à Georgio Fabricio, promissum à Marquardo Frehero, editum verò à Joach. Joan. Madero Helmstadii an. 1665. in 4.

ANONYMUS Monachus de Kaldeborne vel Reinersborne scripsit historiam de Landgraviis Thuringiæ, ab an. 1029. ad an. 1253. quam edidit Pistorius Tom. I. Script. R. G. pag. 1366. - 1372. Noviss. edit. Ratispon. an. 1731.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS in Chronico suo, quod ab A. C. 381. ad annum 1112. usque pertexuit, varia ad Germaniæ historiam facientia, nec apud alios coævos Scriptores obvia proponit. *Reprehenditur in eo*, inquit Trithemius, *quòd Henrico Imperatori, Romanæ Ecclesiæ persecutori ac Rebelli adhærens, contra Hildebrandum, Gregorium VII. Papam, literas & opuscula scripserit, quæ suum propositum non decebant*: „ Quo circa, monet *Braschebellanus*, hæc ejus „ Chronographia cautè legenda; nam „ in gratiam Germanorum Imperatorum, & in odium Romanorum „ Pontificum *multa* interdum *mentitur*; cujus errores in Annalibus Ecclesiasticis passim revincuntur. Ipse „ sanè in Catalogo Virorum Illustrium, sua Scripta percensens impudenter profitetur, se adversùs „ Gregorium VII. & Paschalem II. „ scripsisse. „ Acriùs adhuc in Sigebertum velut complurium mendaciorum reum Baronius & Bellarminus invehuntur; qui econtra à Scriptoribus Acatholicis encomiis mactatur, quod sine partium studio res gestas posteritati tradiderit. Vid. Voss. Schurzfleisch, Becman, Bosium, Schwertium in Arnoldi Hist. Eccl. Tom. I. pag. 363.

AUBERTO MIRÆO, celebri Antverpiensi Decano, visum est, Sigeberti Chronicon à veteratoribus nescio quibus fuisse corruptum. Certè editionem *Henrici Stephani* typis anno 1513. Parisiis factam pro interpolata & inquinata habet, „ Multa, *inquit*, „ recenti manu agglutinata, ut culpam præstare alienam *Sigebertus* „ haud teneatur. Qualia sunt, quæ „ à racematoribus plerumque indoctis adjecta, aut ex nugis ac quisquiliis *Galfridi* Monumetensis seu „ Asaphensis inspersa leguntur. Quo „ modo primum typis *Henrici Stephani* Lutetiæ Parisiorum an. 1513. inquinatum hoc Sigeberti Chronicon „ exiit: quod & inscriptio ac procemium ibidem ingenuè profitentur „ his verbis &c. „ Ut ergò *Miræus* sincerum ederet, iis omissis an. 1608. Antverpiæ typis novis in majori Quarto exscribendum Sigeberti Chronicon curavit; adjectis nonnunquam marginalibus Glossis. At enim continuò editor à Protestantibus vapulavit, quod ipse fuerit, qui omnium maximè Sigeberto violentas manus intulerit, omnibus iis eliminatis, quæcunque in *Henrici Stephani* editione cùm ad ipsius tum Romanæ Aulæ palatum minùs facerent. Ita Caveus Hist. Lit. ad ao. 1113. Hulsemannus in Manual. August. Confess. contra Hagerum pag. m. 679. D. Ittig. de Bibliothecis & Catenis Patrum pag. 743. Caspar Loscher Dissert. de Latrociniis, quæ in Scriptores publicos commissa sunt, pag. 80. Arnold. Hist. Eccl. Part. I. lib. 12. p. 363. Reimanni Hist. Lit. lib. 2. pag. 366. & Leuchfeld de Antiq. Bursfeld. c. 3. p. 81. Verùm hi omnes aliique dicunt tantùm, non probant, à Miræo Sigeberti Chronicon fuisse corruptum: argumenta, non nuda verba desideramus. Confer authorem anonymum *der Teutschen Republic der Gelehrten IV. Stuck* pag. 188. qui etsi ipse fit è numero Acatholicorum, tamen quo est hic ingenuo candore, Miræum hujus latrocinii immeritò insimulari fatetur.

BERNARDI NORICI Cœnobitæ Cremifanensis in superiore Austria *Chronicon Austriacum* ab ejusdem gentis origine usque ad an. Chr. MCCCVIII. perductum ex Codice authographo Monasterii Cremifanensis editum ab Hieron. Pezio Tom. I. Scriptor. Austriac. pag. 686.

ANONYMI MELLICENSIS Breve Chronicon Austriæ extat in ejusdem Hier. Pezii Tom. II. Script. Rer. Austr. pag. 462.

ANONYMI TEGERNSEENSIS Breve Chronicon Austriæ ibid. p. 470.

ÆGIDIUS MUCIDUS, Gallicè *Muisis*, Abbas S. Martini Tornacensis scripsit Chronicon de Gestis Comitum Flandriæ inferioris Germaniæ Provinciæ ab an. 972. ad an. 1343.

EBERHARDI Altahensis Annales

de Ducibus Austriæ, Bavariæ, Sueviæ in Tomo I. antiq. Lect. Canisii, & Tomo I. Freher. editionis Struvianæ pag. 581. de quibus mox plura.

HENRICUS STERO, natione Germanus, in Altaicho Bavariæ Monasterio Cœnobita Seculo XIV. ineunte floruit. Chronicon *Altahense* scripsit ab anno primo Friderici Barbarossæ ad annum primum *Rudolphi Habspurgensis* Imperatoris, id est, ab anno MCLII. usque ad añum MCCLXXIII. Chronicon istud primus edidit *Marquardus Freherus* inter Scriptores R. G. Tom. I. pag. 384. sed illud auctius habetur in nova editione Struvii pag. 551. & in Canisii Tomo I. antiq. Lect. Basnagianæ editionis Tom. IV. quæ editio multò perfectior, quàm vetus vulgò jactatur: sed longè alterius opinionis est V. C. Marcus Hansizius S.J. in Germania Sacra Tom. 2. pag. 985. ubi Basnagium nihil omnino novæ lucis in Historiam intulisse, sed nævis haud paucis infecisse scribit: *Quærebam, scrutabar, sed reperi nibil: pronunciata sæpè minùs ad bilancem expensa: cavillos, ubi fert occasio, liberaliter expendit: quem viris eruditis, præcipuè Catholicis, quibus vacat, meritò temperandum relinquimus.* Scripsit etiam idem *Henricus Stero* Historiam de rebus gestis *Rudolphi Habspurgensis*, *Adolphi Nassavii*, & *Alberti Austriaci* Imperatorum ad annum usque MCCC. quod *Udalricus Wellingus*, & frater ejus *Conradus* Monachi Cœnobii SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. continuârunt. Eorum continuatio extat apud Freherum l. c. Tom. I. pag. 404. & in nova editione *Struvii* pag. 581. Ex hac *Henrici Sternonis* Historia, ut viri eruditi observant, *Eberhardus Altahensis* Cœnobii alumnus, qui seculo XIV. floruit, plurima hausit, quibus præcipuè Ducum Austriæ, Bavariæ, ac Sueviæ Gesta literis consignans suos Annales locupletavit. Initium ducunt hi Annales ab Imperatore Rudolpho Habspurgico, sive ab anno 1273. usque ad an. 1305. Vid. Nat. Alex. & ejus Epitomatorem Hyacinth. Graveson H. E. Sec. XIV. pag. mihi 157.

HENRICUS à KLINGENBERG Vir nobilis & Ord. S. B. atque Constantiensis Episcopus scripsit *Historiam Habspurgensium Comitum*, teste Possevino Appar. Sac. tom. 2. pag. 19.

VITI Monasterii Ebersperge̲nsis Ord. S. Bened. in Bavaria quondam Prioris, Seculo XV. clari *Chronicon Ducum Bavariæ* in quinque libros divisum adservatur in Cæsarea Bibliotheca Vindobonensi. Distinctum verò est à Chronico Bavarico *Viti Arnpekhii*, Presbyteri secularis, ac Sixti Frisingensis Episcopi Capellani, quod sub prioris nomine edendo se aberrâsse fatetur Bern. Pezius Observ. præv. in Part. III. Tom. III. Thes. Noviss. Anecdot. pag. XXII.

GEORGIUS UGO Cœnobita Monasterii inferioris Altaichensis, Philosophus & Procurator scripsit an. 1479. *Gesta Illustrium Ducum Wavariæ ad Generosissimum Principem Georgium Alte & Basse Bavariæ Ducem meritissimum.* Codex MS.^tus^ adservatur in Bibl. Cæsar. Vien. Class. Histor. prof. Num. DCCVIII. in 4. Vid. Palignesius in Monitis Genealogicis.

-- *Chronicon Ducum Bavariæ*, quod idem Hofmannus concinnavit, aut veriùs, ut ipse fatetur, exscripsit ex *Andreæ Ratisbonensis* Ord. S. August. Can. Reg. Opere ejusdem inscriptionis & argumenti. Illud enim adhuc integrum in Bibliotheca prædicta adservatur. Pez. l. c.

SIGISMUNDI MAISTERLIN, vulgò *Magistri*, eruditi Monachi SS. Udalrici & Afræ *Chronicon Augustanum*, quod inter Rerum Germanicarum Scriptores Pistorianos prodiit. Hoc Chronicon Cl. Christianus Gottlieb Jöcher in Lex. Doct. part. 1. col. 1290. *Sigismundi Gossenprot*, seu *Hossenprot*, Benedictino, qui seculo XV. circa an. 1483. claruerit, velut authori attribuit; sed fallitur; non enim Benedictinus, sed civis Augustanus, & præceptor Sigismundi Maisterlin erat, qui ejus rogatu chronicon suum Germanicè vertit; quæ versio extat in codice chartaceo in fol. Bibliothecæ San-Udalricanæ, quem se vidisse testatur Bern. Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Anecd. pag. XXIII.

JOANNIS TRITHEMII Abbatis Spanheimensis Opera Historica de Populis ac Rebus Germanicis

1.) *Annales de Origine Regum & Gentis Francorum*, quos se tribus tomis ex Hunibaldi XVIII. libris fuisse complexum scribit, nemo autem hactenus se vidisse testatur. Perierunt utique cum plerisque aliis libris, quos in Spanheimensem magnis sumptibus congessit Bibliothecam. Vide recensionem apud ipsum Trithemium Añal. Hirsaug. Tom. II. pag. 22. ubi quid in Hunibaldi XVIII. libris contineatur, perspicuè exponit.

2.)

2.) *Breviarium primi voluminis Annalium de Origine Regum & Gentis Francorum.* Trithemius Compendium isthoc primi Tomi Annalium an. 1514. ætatis suæ 52. absolvit. In dedicatione ad *Laurentium* Episcopum Herbipolensem pollicitus est, se reliquos duos Annalium suorum Tomos in synopsin redacturum esse: fidem verò, quò minùs solverit, mors, ut credibile est, tribus post annis obita intercessit. Primus juris publici fecit Moguntiæ Joannes Schöffer an. 1515. post hunc Christianus Wechelius Parisiis anno 1539. post quem Marquardus Freherus in collectione Operum Trithemii Tom. I. Francof. an. 1601.

3.) *Compendium de Origine Gentis Francorum* typis Joan. Schöfferi anno 1515. in fol. min. quod recentiores Historici passim ac quasi sine numero exscripserunt, non est idem atque *Breviarium*, sed oppidò diversum. Extat in *Freheri* Tom. I. Francof. an. 1601. in *Simonis Schard.* Collect. Rer. Germ. Tom. I. pag. 301. Basil. 1574. in fol. *Ludewig.* Script. Wirceburg. in fol. p. 1011 - 1046. Halæ Sax. anno 1713. in fol. Haud melioris farinæ est, atque *Breviarium*: unde illud ex nugacis Hunibaldi filis contexendo Trithemius celebritati nominis sui apud eruditos parùm bene consuluit; quem tamen excusat, si non omnino tuetur Cl. Oliverius Legipont in Vita, Num. LXVIII. Prodiit etiam Germanicè Chronica Francorum in 8. Francofurti an. 1605.

4.) *Chronicon Ducum Bavariæ, Principúmque Palatinorum*, seu *de Origine Gentis Principúmque Bavarorum.* Francofurti in 4. an. 1544. & 1549. & apud Marq. Freher. Tomo I. Operum Trithemii pag. 100. Auspicatur à primo Duce *Boiario*, quem ante Trojani belli tempora vixisse dicit, & desinit in *Georgio Divite*, qui sine virili stirpe inter vivos esse desiit anno 1503. Extat etiam Germanica versio Philippi Ernesti Vogelini Francof. anno 1616. in 4.

5.) *Historia Belli Bavarici*, quam Marquardus Freherus Scriptoribus Rer. Germ. Tom. III. pag. 97. intexuit. Hanoviæ an. 1611. & Argentorati ex revisione Struvii an. 1717. Hoc bellum Maximilianus I. Imp. Philippo Comiti Palatino, & Ruperto fratri ut inferret, justas habuit causas.

6.) *Res Gestæ Friderici Palatini* cognomento Victoriosi, quas quidem Trithemius nullo peculiari libello, sed variis locis in Chronico cùm Spanheimensi tum Hirsaugiensi perscripsit; *Marquardus* autem *Freherus* in unum volumen congestas cum notis edidit Tom. II. Scriptor. Rer. Germ. Prodierunt etiam seorsim Heidelbergæ in 4. anno 1602.

7.) *Excerptum de Imperii Germanici divisione & amplitudine*, protulit Goldastus Polit. Imp. Francofurti anno 1614.

8.) Opus *de Luminaribus, seu Viris Illustribus Germaniæ*, Moguntiæ impressum typis Petri Friedbergensis, anno 1494. Hoc Opus ab Impressoribus sæpiùs repetitum fuit, de quo videatur Struvius Introduct. lit. cap. VIII. §. x. ubi, *multum*, inquit, *notitiam virorum clarorum, eorum maximè, quorum statum vix aliàs reperimus descriptum, nobis præbet hic catalogus, & licèt vitæ descriptio prolixa non sit, singularia tamen quandoque sunt, quæ proponuntur.*

BONIFACIUS STRACHAN Monasterii Scotorum S. Jacobi Wirceburgi seculo superiori (XVI.) Professus librum conscripsit hactenus ineditum sub titulo: *Germania Christiana, sive de plantata & propagata Christiana Religione in Germania per Sanctos & Monachos Scoticæ nationis.* Ita Gropp. in Prob. & Not. in vitam S. Kiliani pag. 269.

ANGELI RUMPLERI in Abbatem Formbacensis Monasterii in Bavaria anno MDI. electi *Gestorum Bavariæ Libri VI.* Eos ferunt Monachium delatos haud dubiè in Bibliothecam Electoralem, in qua tamen nihil horum se invenisse scribit Bernardus Pezius de Mss. Rumpleri agens in Dissert. Isagog. in Tom. I. Thes. Anecd. part. III. n. VII. pag. LXXXVII. Vide etiam Bruschium Centur. 2. p. 108.

JOANNES BERTELIUS, Belga, Lovaniensis, Abbas Luxemburgensis, anno 1607. fato functus dedit Historiam Ducatûs Luxemburg. omnium eruditorum calculo probatam, adjecítque in fine *Commentarium de Diis ac Sacrificiis Gentilium*, qui in Luxemburgo aliquando culti fuêre. Coloniæ an. 1605. in 4. typis Britgenii. Vid. Andr. Val. Franc. Swert. & Foppen. Bibl. Belg.

CAROLUS STENGELIUS Abbas Anhusanus Commentarium *Rerum Augustanarum* ab urbe condita ad sua tempora, id est, annum 1647. typis vulgavit in 4. Ingolstadii anno eodem. Est varia eruditione plenus, magno labo-

labore, nec minore doctrina conscriptus. Eidem verò *Mantissam*, in qua amplior Diœcesis Augustanæ notitia continetur, adjecit, typis Andreæ Apergeri in 4. an. 1650. Aug. Vindel. exscriptam.

FRANCISCI RAMSPERG Prioris in Monasterio Augiæ Majoris Brigantinæ *Historia Belli Suecici*, quo Germania superiore seculo miserum in modum conflagravit. Opus in fol. Mſ.tum

Acta varia de Exauctoratione *Wenceslai* Imperatoris & *Ruperti* itidem Imperatoris Electione ediderunt Edmundus Martene & Ursinus Durand Collect. Ampl. tom. IV. col. 2-140. Accusationum capita præcipua refert Trithemius in Chronico Hirsaugiensi secundæ editionis.

GABRIEL BUCELINUS generatim præcognita *Historiæ Germanicæ* si non pertractâsse, minimùm attigisse videtur tum in *Romani Imperii Sanctitate, Majestate, Potentia, Nobilitate*. Francof. 1680. in 12. tum in longè majori opere *Germania* scilicet *Topo-chrono-stemmatographica Sacra & Prophana* IV. voluminibus digesta, & primùm Augustæ Vindel. 1655. secundùm Ulmæ 1662. tertiùm Francof. 1672. & quartùm Ulmæ 1678. in lucem emissa. „ Nunciabatur olim „ in recensionibus hebdomadariis, esse, qui novam hujus operis editionem molirentur, eóque fine nobilium & eruditorum hominum suppetias deposcerent. Sed vehementer metuendum est, ne pro eâ, qua „ Germani nostri laborant tenacitate, „ de qua alibi conqueritur illustris Valvassor, hæc spes ipsos destituat. „ Hæc ex Christiano Gryphio in suo apparatu de Scriptoribus Seculi XII. qui fallitur tamen, dum scribit *Gabrielem Bucelinum* Ulmæ in monasterio Weingartensi vixisse, cùm eâ in urbe nullum sit Benedictini Ordinis monasterium, sed Canonicorum Regularium Ord. S. A. vulgo *Wengen* appellatum. Vixit igitur Bucelinus in Monasterio *Imperiali* ad Vineas Altorfii, quod oppidum est ditionis Austriacæ in Suevia non longè à Ravenspurgo urbe Imperiali dissitum. Optaverat equidem vir eruditus Monachus esse (p) Casinas, jámque facultatem à Comitiis Congregationis Casinensis Generalibus Perusiæ coactis die 14. Maji 1650. obtinuerat, modò duarum partium Capituli Monachorum Casinensium suffragia accederent; cur verò executioni decretum hoc non sit demandatum, incompertum. *Bucelini* verba in epistola ad *Angelum de Nuce*, Abbatem Casinensem hæc sunt: *Nisi me ipsum placeat inter, & post ultimos Fratrum Conversorum suscipere, qui felicissimum me reputabo, si liceat singulis Cassinatum calceos tergere, & abjectissima quævis procurare, ubi revera toto corde cupio omnium vestrum minimus esse, donec me dignetur optimum Numen ergastulo corporis solvere.* Hæc ille. Qui in Ordinis nostri historia non omnino hospes est, multos & virtute & doctrina eximios viros ab uno monasterio ad aliud transiisse legerit, necesse est: nec difficulter recepti fuerunt: ut enim Mabillonius Annal. Benedictin. Tom. II. ad an. Chr. 841. pag. 630. scribit: *temporibus illis Monasteria omnia, etsi nullo communis regiminis vinculo connexa erant, facilè tamen Monachis ultro citróque commeantibus patebant propter ejusdem religionis unitatem.* Hodie uti alii sunt mores, ita alia observantia capitis LXI. quod S. Legislator Benedictus in Regula sua *De Monachis peregrinis suscipiendis* præscribit.

-- EJUSDEM BUCELINI *Rhætia Sacra & Prophana Topo-Chrono-Stemmatographica.* Ulmæ in 4. an. 1666. Vid. recensio in Journali des Savans mense Jul. an. 1666. pag. 319.

ADAMI ADAMI ***De S. Rom. Imp. Pacificatione Westphalica Libri Duo,*** *In quibus Acta & Tractatus Pacis inter Ferdinandum Secundum & Ferdinandum Tertium Romanorum Imperatores, Sacrúmque Romanum Imperium, & Gustavum Adolphum Regem, Christinam Reginam, Regnúmque Sueciæ: nec non inter eosdem Ferdinandum Secundum & Ferdinandum Tertium, Romanorum Imperatores, ac Imperium; & Ludovicum Decimumquartum Regem, Regnúmque Galliæ, eorúmque omnium Fœderatos & Adhærentes, Osnabrugæ & Monasterii Westphalorum, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, conclusæ demum concordiæ inter Catholicos & Protestantes S. Rom. Imperii Electores, Principes & Status, ibidem eodémque anno initæ: quicquid etiam inter omnes, ex universo Europæ orbe confluentes Legatos, memorabile illic locorum gestum fuit, exactè continentur, atque ubertim, & per modum Historicæ Relationis, recensentur.*

Verum

(p) Vid. Gallol. in Hist. Casin. Sec. XII. pag. 717.

Verum ac legitimum pulcherrimus hicce ingenii fœtus patrem agnoscit ac profitetur ADAMUM ADAMUM, *Ordinem Divi Benedicti in celeberrimo Monasterio S. Nicolai Episcopi propè Coloniam Agrippinam (vulgò Brauweiler) Professum, ejusdem Ordinis quondam Priorem in Murhardt, SS. Theologiæ Doctorem*, atque ad *Tractatus Pacis Universalis nomine ac vice Principis Corbeiensis quondam Legatum splendidissimum, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopum Hierapolitanum, Serenissimi & Reverendissimi Principis Maximiliani Henrici, Archiepiscopi & Electoris Coloniensis, Episcopi Hildesiensis &c. per Civitatem & Diœcesin Hildesiensem Suffraganeum, Consiliarium Intimum &c.* qui meritorum numero immortalitatem ipsemet, dum vixerat, sibi comparavit. De cujus adeò talis ac tanti Viri genere, vita, studiis, actionibus, quæ ex calamo V. C. *Joannis Godofredi de Meieren* comperta habuimus, tecum Lector benevole Partis hujus Specialis Libro II. cap. IV. jam jam communicavimus. Tantò verò majorem gratiam De Mejeren à Republica literaria inivit concinnando ex idoneis documentis *Adami* vitam, quantò majori oblivione ipsius nomen hucusque prorsus sepultum fuit, adeò ut non ista tantùm, quam auctoritate & consiliis suis egregiè per annos plures juvit atque ornavit, Civitas eundem planè ignoraverit, sed eruditi quoque & literati homines, tam magni negotii scriptorem fictis & personatis adnumeraverint Auctoribus, alii verò, qui cæteris sagaciores videri volunt, sub ADAMI larva, nescio quem Protestantium religioni addictum latitare, istúdque nomen ad speciem, & non nisi ad fucum faciendum, fictum esse, pro certo affirmare non dubitârint. Quid enim *Struvius*, ut hunc solum exempli loco adducam, *in Bibliotheca Juris cap. 14. pag. 607.* de Authore nostro, nisi omnia incerta, dubiisque involuta commemorat? „Inde, inquit, „prodierunt *Arcana Pacis* &c. Paulò „pòst Titulus ejusmodi fuit præfixus: „*Adami Adami Relatio &c.* Author „in Præfatione se dicit Episcopum, „quem Fabius Chisius de Siena, in „illa Pacificatione Innocentii X. P. R. „Nuncius vel testem sibi adsciverit, „vel adjutorem, qui à primis initiis „Pacis negotio ad finem usque interfuerit, & secretiora singula lite„ris mandaverit; plerique tamen „Protestantem eundem esse volunt. „Rem autem à primis initiis repetit, „à Transactione Passaviensi scilicet, „Bellum Germanicum exponit, & „demum, quæ in ipsa Pace consilia „fuerint agitata, tradit. Non omnem quidem Pacis Historiam expe„dit, ast multa proponit, quæ no„tatu digna, atque alibi haud repe„riuntur.„ Hæc Struvius.

Sequitur, ut de habitû libri, & quibus in orbe satis jactatus ille fuerit, exponentem audiamus *V. C. de Meieren*, qui novissimam illius adornavit editionem. „Dicaverat eum „Author Archiepiscopo ac Principi „Electori Coloniensi, apud quem „splendido, uti dictum est, Admi„nistri Statûs munere tunc fungeba„tur, totúmque, non parvæ, si scri„pturam spectes, molis librum, sua „manu elegantissimis literarum (q) „ductibus, quod quidem haud ad„modùm familiare est doctioribus, „qui ut plurimùm malè pingere so„lent, ipsemet descripserat, gravio„ribus aliis, queis obrutus erat ne„gotiis, nequidquam obstantibus: „inde viri industriam atque animum „laboribus induratum æstimes. Prin„ceps optimus opusculum, casta pia„que mente sibi oblatum, in cimeliis „statim reponebat, &, quod literis „ipsemet egregiè cultus erat, ex fre„quenti ejus lectione voluptatem ca„piebat maximam, miratus sæpe, „tam multa in eo esse singularia „de intentionis firmamentis ac de„pulsionis rationibus, quibus Ger„maniæ Proceres postulationes suas „causarúmque constitutiones expli„cassent. Eodem dein, uti pretio„sissimo quodam munere, donavit „Elector purpuratum suum ac Can„cellarium *Petrum Buschmannum* & „ipsum quondam suum ad tractatus „Pacis universalis Legatum, quibus „non minori quàm Adamus laude in„terfuerat. Cùm deinde in familiam „Buschmanni & cognationem venis„set vir multi nominis & famæ *Zimmermannus*, splendido iterum pur„purati

(q) Mihi & aliis *Adami* autographum inspicientibus aliter visum; etsi enim ejus character deformis haud dici debeat, ab elegantia tamen commendari non meretur.

„ purati Coloniensis & Cancellarii Hil- „ desiensis munere clarus, Adami au- „ tographum unà cum reliqua opu- „ lenta soceri hæreditate, in jus ac „ possessionem transiit generi tanto „ viro dignissimi, in cujus Bibliothe- „ ca, quam Hildesiæ post se reliquit „ instructissimam, illud hodieque stu- „ diosè, quantum scimus, custodi- „ tur. Cujus Bibliothecæ curam, „ quum aliquando haberet Reveren- „ dissimus Episcopus Helenopolita- „ nus ill. Leopoldus de Schoror, Pon- „ tificis Max. Clementis XII. Præla- „ tus domesticus, per Septentrionem „ & Saxoniam Vicarius Generalis Apo- „ stolicus, pro insigni, quo in literas „ fertur amore, id precibus dedit „ meis quàm humanissimè, ut librum „ ipsum tantisper utendum concede- „ ret, donec nova pararetur editio, „ ne vel præcipitanda esset, vel ob „ subitam festinationem imperfectior „ sistenda. Huic igitur literatissimo „ viro adscribendum est potissimùm, „ præsentem, quam in lucem profe- „ ro, editionem magis auctam, ma- „ gisque emendatam comparere: in „ qua quid præstitum sit, & quantum „ hæc distet ab illa, quæ ante hos „ triginta, & quod excedit, annos „ Francofurti parata est, inspectio do- „ cebit unumquemque, cui volupe „ fuerit, alteram cum altera confer- „ re. Integras sæpe paginas in Fran- „ cofurtensi omissas deprehendet, „ multa etiam diversa planè oratio- „ ne, aliisque ac diversis verbis expo- „ sita, ut in eam suspicionem deve- „ niam omnino, mutilatum aliquod „ in editoris manus exemplar venisse, „ eundémque lacunas & hiatus, qui „ occurrebant, ex ingenio supplevisse. „ Præterea *inscriptionem*, quam fron- „ te præfert liber, planè immutavit, „ aliam fictámque *Arcanorum Pacis*, „ in ejus locum substituens, *Episto-* „ *lam* insuper, qua opus suum Ele- „ ctori dicaverat Adamus, neglexit „ porsus editor Francofurtensis; & „ frustra quæsiveris apud eundem *bi-* „ *nas* urbium *descriptiones* elegantissi- „ mè adornatas, *Monasteriensis* nempe „ atque *Osnabrugensis*, quæ innumeris „ totius ferè Europæ Legatis hospiti- „ um, an satis commodum? non æ- „ què dixerim, per plures annos præ- „ buerant. *Omnia ista* in hac, quam „ paravi, editione, *restituta* videbis, „ L. B. cætera verò *aucta fideliter &* „ *correcta*. .... Cæterùm, id quod „ tertium est, de quo monendi sunt „ lectores, persuasum olim erat, duas „ hujus libri circumferri editiones, „ nunc quidem rarissimas, atque in „ tabernis librariis vix ampliùs obvias, „ quarum altera titulum præferat: „ *Arcana Pacis Westphalicæ, sive ple-* „ *nior & ex secretioribus Actis & Con-* „ *gressibus deprompta Relatio Historica* „ *de S. R. Imp. Pacificatione Osnabru-* „ *go-Monasteriensi, Auctore AA. Fran-* „ *cofurti ad Mœnum, Sumpt. Friderici* „ *Knochii Bibliop. An. MDCXCVIII.* „ Alterius autem editionis inscriptio „ ita habeat: *Adam Adami Relatio* „ *Historica, sive brevis atque succincta* „ *narratia eorum, quæ in Pacificatione* „ *Osnabrugo-Monasteriensi ex arcana* „ *ratione status, inter paciscentes gesta* „ *fuere, omnibus legentibus, cumpri-* „ *mis iis, qui in aulis Principum ver-* „ *santur, perutilis atque necessaria,* „ *Francofurti ad Mœnum, Sumpt. Fri-* „ *derici Knochii an. MDCCVII.* Sed „ aliam nullam præter primam, ad- „ ornatam fuisse unquam editionem, „ certum est, cùm in ea, quam se- „ cundam venditant, nonnisi titulus „ immutatus, & plagula tantùm pri- „ ma aliis, atque à prioribus quo- „ dammodo diversis, expressa sit for- „ mis, cæteris omnibus nequidem ta- „ ctis, adeò, ut copiosus satis errato- „ rum catalogus, ne minimâ quidem „ correctione adhibita, ad calcem „ libri utrobique idem visatur. Quo „ artificio callidum incautis bibliopo- „ lam imponere voluisse emtoribus, „ credibile est, quasi nova quadam „ pacis Westphalicæ historia rempu- „ blicam literariam auxisset, quum „ animus ipsi esset, exempla, quæ for- „ tè supererant, sub commentitio hoc „ tegmine eo faciliùs distrahendi. „ Ex iis pariter, quæ superiùs ex „ monumentis locupletibus adstruxi, „ unusquisque per se judicabit, qua „ fiducia editor Francofurtensis de „ auctore scripserit: *fuisse illum homi-* „ *nem Catholicæ communionis, sed il-* „ *lustrioris ordinis, Episcopum puta* „ *suo tempore celeberrimum, quem Fa-* „ *bius Chisius de Siena Cardinalis, in* „ *illa Pacificatione Pontificis Innocentii* „ *X. Legatus, vel testem sibi adscive-* „ *rit, vel adjutorem* &c. Sic fumum „ sæpe vendunt lectoribus, qui re- „ rum scientes videri cupiunt, quum „ earum prorsus sint ignari. „

Atque hæc hactenus ex præfatione V. C. *de Meiern*, qui novam suam, quæ secunda est, editionem sequenti titulo inscripsit: *Adami*

Adami

Adami Episcopi Hierapolitani, & ad Tractatus Pacis Westphalicæ quondam Legati Relatio Historica de Pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi ex Autographo Auctoris restituta, atque Actorum Pacis Westphalicæ testimoniis aucta & corroborata, accurante Joanne Godofredo de Meieren Regiæ Maj. Britann. & Elect. Brunsv. Luneburg. à Consiliis Aulicis & Archivi Præposito. Lipsiæ sumptibus Michaëlis Turpii, Bibliopolæ, prælo Schulziano anno MDCCXXXVII.

At enim quàm verè dixit Romanæ Eloquentiæ Princeps: *Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, atoratio sæpissimè.* Non hominum duntaxat, sed librorum etiam frontes ac præfationes haud parùm sæpè mentiuntur. Quàm speciosis verbis inscripta est frons Meierianæ editionis: *ex autographo Auctoris restituta.* Quis non Editorem omnem dedisse operam existimaret, ut nova sua Lipsiensis editio præ Francofurtensi non auctior modò, magísque emendata, sed numeris omnibus absoluta in publico compareret, ut nihil in ea omissum, nihil mutilatum, nihil inversum, nihil diversâ planè oratione, aliisq; ac immutatis verbis expositum, atque in Autographo legitur, vel à lynceis oculis deprehenderetur? Et verò Editor in præfatione conceptis testatur verbis, omnia ista in sua, quam paravit, editione, se emendâsse, restituisse, auxisse fideliter & correxisse. Nempe *Editia ex Autographo Auctoris restituta.* Quæ verò hac nostra ætate editio fidem magis fefellit, atque Editio Meieriana? in qoa uno loco quinquaginta folia in folio omissa, multa eliminata, multa in alium sensum distorta, multa longè alia oratione, aliisque ac diversis enarrata verbis, atque in autographo cernere est, passim reperiuntur. Hoccine est, sincera fide novam adornare editionem? Nempe eliminanda, exterminanda, atque ejicienda erant quæcunque pro Catholicis facere, minùs verò ad palatum Protestantium futura videbantur. Neque enim Editor *Adamum* partinm studiis abreptum à vero aliena scripsisse insimulat, quin imò à fidei integritate majorem in modum commendat. Plura non addo, quæ Lector ex Anonymo Benedictino cognoscere poterit, qui publico exhibuit

MEIERI EMBLEMATA sive *Loca quædam ex Adami Adami Episcopi Hierapolitani &c. &c. nuper ex Authentico Exemplari edita Relatione Historica de Pacificatione Westphalica à Dom. Joanne Godofreda de Meieren interpolata, vel amissa prorsus, hinc inde notata vel delibata potiùs.* Ratisponæ MDCCXXXIX. in 4. typis Joan. Casp. Memmel. Editor est P. Magnoaldus Ziegelbauer. Dominus *de Meieren* cùm Editorem Emblematum revincere non posset, Monachum, cujus res hasce intelligere non esset, contemptim appellavit. At audiat Dn. de Meieren, quid D. *Belius* Professur Historiarum Academiæ Lipsiensis in præclara sua Dissertatione de Maria Hungariæ Regina, non Rege, scripserit: Quòd si Historiam propterea respuimus, quia Monachus erat, *devoveamus oportet omnem medii ævi historiam, deleamúsque ponto aut igni,* quia ejus temporis Historici omnes ferè Monachi fuerunt. Et quis Adamus Adami fuit, nonne Monachus?

ANSELMI SCHRAMB *Chronicon Mellicense*, fol. Viennæ 1702. in quo Author universam historiam Austriacam unà cum celeberrimi sui Monasterii rebus erudito stylo persecutus est.

BERNARDI PEZII Mellicensis Bibliothecarii *De irruptione Bavarica in Tyralim an.* 1703. *à Gallis & Bavaris facta* libri III. in 12. Viennæ typis Joan. Georg. Schlegel an. 1709. Notandum hos libellos prodiisse sub nomine Bernardi Isipontani, seu *Ipsensis.* Veteres enim *Ipsium*, patriam Bernardi, *Pontem Isidis* vocabant. Historia, quæ ubique gentium tum ob styli elegantiam, tum ob doctum, quod elucet, ingenium omnium judicio probatur.

HIERONYMI PEZII, Bibliothecarii Mellicensis *Scriptorum Rerum Austriacarum* Tomi II. Lipsiæ sumptibus Joh. Frid. Gledischii an. 1721. & 1725. Præmittuntur Tomo I. Editoris Dissertationes Proœmiales sex sanè quàm eruditæ, in quibus de variis, & ad penitiùs cognoscendam Historiam Austriacam necessariis capitibus disseritur.

Dissertatio I. In qoa occasio, consilia, ratio, institutum, adminicula, ordo &c. totius Operis exponuntur.

Dissertatio II. De varia pro ratione temporum Austriæ nomenclatura.

Dissertatio III. De veteribus Austriæ Inquilinis.

Dissertatio IV. De iis, qui Chri-

ſtianam Religionem primùm in bas oras importârunt, aut importatam ſtudioſiùs propagârunt.

Diſſertatio V. Quo Æræ Chriſtianæ anno Leopoldus I. cognomento Illuſtris, veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum, ſtirpis Babenbergenſis, Pater & Auctor, Auſtriæ Principatum adierit: tum à quo Romanorum Imperatore eundem conſecutus fuerit? ubi & de Adelberto, ſeu Alberto Comite Babenbergenſi, juſſu Ludovici III. Imp. decollato.

Diſſertatio VI. Leopoldi V. Auſtriæ Marchionis, vulgò Pulchri, ejúsque fratris Alberti, cognomento Levis, flagitium inceſtum, quo ſcilicet alter alterius conjugem per vim polluerit, meram putam eſſe fabulam, ab imperitiſſimo Seculi XIV. bomine confictam perſpicuè demonſtratur.

Poſt *Diſſertationes* exhibentur Tomo I.

1.) Auctoris *incerti* breve Chronicon *Laureacenſium* & *Patavienſium* Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, f. 5. ad 8.

2.) Anonymi Poëtæ vetuſtiſſimi Verſus de Ordine Comprovincialium Pontificum, à f. 9. ad 10.

3.) Indiculus pervetuſtus eorundem Patavienſium Antiſtitum à Wivilone usque ad Conradum S. Leopoldi filium. f. 11.

4.) Alius Indiculus pervetuſtus eorundem Patavienſium Antiſtitum à Wiviloue usque ad Conradum S. Leopoldi filium, f. 11.

5.) Alius Indiculus itidem antiquus eorundem Epiſcoporum Patavienſium, à Wivilone usque ad Bernardum perductus. à col. 12. ad 14.

6.) Alius Recentior Catalogus ſæpe dictorum Laureacenſium & Patavienſium Pontificum à Wivilone usque ad Erneſtum. à f. 14. ad 20.

7.) Vita *S. Maximiliani* Laureacenſis Archiepiſcopi & Martyris, auctore anonymo. à f. 20. ad 34.

8.) Vita *S. Floriani*, Principis Officii & Martyris, auctore anonymo perantiquo. à f. 36. ad 37.

9.) Alia Vita *S. Floriani* M. ab anonymo quodam, ut videtur, Canonico San-Florianenſi compoſita. à f. 39. ad 50. acceſſerunt veteres duo Hymni cum totidem Collectis ſeu Orationibus de eodem Sancto. à f. 51. ad 53.

10.) Alia ejusdem S. Floriani Martyris vita ab incerto Auctore metricè compoſita. à f. 53. ad 61. acceſſit Ritmus pervetuſtus de eodē à f. 61. ad 62.

11.) Vita S. Severini Monachi & Noricorum Apoſtoli, Auctore Eugipiu ejus diſcipulo. à f. 64. ad 93.

12.) Vita S. Columanni Martyris, Auctore, ut creditur, Erchenfrido Abbate Mellicenſi. à f. 97. ad 104. Acceſſêre veteres Hymni, Sequentiæ, & Collectæ de eodem Colomanno. à f. 104. ad 106.

13.) Martyrium ejusdem *S. Colomanni* Sapphico Carmine à *Johanne Stabio* editum, & ab alio innominato Auctore continuatū. à f. 106. ad 109.

14.) Vita *B. Gothalmi* Peregrini, auctore Bernardo Dapiſero Cœnobita Mellicenſi. à f. 110. ad 112.

15.) Vita *B. Altmanni* Epiſcopi Patavienſis, Auctore Anonymo Cœnobita Gottwicenſi. à f. 115. ad 135.

16.) Alia Vita *B. Altmanni* Epiſcopi Patavienſis, auctore Ruberto Abbate Gottwicenſi. à f. 138. ad 163.

17.) Chronicon Monaſterii Mellicenſis ab anno primo Æræ Chriſtianæ ad an. MDLXIV. ab Anonymo vel Abbate vel Cœnobita ejusdem loci anno Chriſti MCXXIII. ſcribi cœptum, & deinceps ab aliis coætaneis Anonymis Mellicenſibus ad finem usque productum. à f. 166. ad 288.

18.) *Conradi de Wizenberg* I. Abbatis Mellicenſis breve Chronicon ſtemma résque geſtas veterum Auſtriæ Marchionum & Ducum ſtirpis Babenbergicæ à Leopoldo I. Illuſtri usque ad Leopoldum VI. Victorioſum complectens. f. 290. ad 294.

19.) Hiſtoria fundationis Monaſterii Mellicenſis, Auctore Anonymo ejusdem Cœnobii. à f. 297. ad 301.

20.) Vetus *Necrologium* ejusdem Monaſterii Mellicenſis. à f. 304. ad 312.

21.) Inſcriptio veteris lapidis ſepulchralis, quo antiquorum Auſtriæ Marchionum & Marchioniſſarum oſſa in Monaſterio Mellicenſi condita quondam tegebantur, additis utrorumque Epitaphiis. à f. 313. ad 314.

22.) Chronicon *Salisburgenſe* antiquum à primo Æræ Chriſtianæ ad MCCCXCVIII. longè diverſum ab eo, quod V. C. Henricus Caniſius Tom. VI. Lect. Antiq. vulgavit. à f. 317. ad 434.

23.) Chronicon *Clauſtro-Neoburgenſe* ab anno Chr. 218. ad an. 1348. à f. 436. ad 492.

24.) Excerpta ex perantiquo Necrologio Clauſtro-Neoburgenſi à f. 492. ad 494.

25.) Vita *B. Hartmanni* ex Præpoſito Clauſtro-Neoburgenſi Ordinis Can. Reg. S. Auguſtini Epiſcopi Brixinen-

xinensis, auctore Anonymo Canonico Claustro-Neoburgensi. à f. 497. ad 518.

26.) Chronicon *Zwetlense* vetustius ab anno Chr. 1075. ad 1169. à f. 520. ad 523. accessit Fragmentum Historicum Anonymi Zwetlensis de Fundatoribus Monasterii Zwetlensis Ord. Cisterc. à f. 524. ad 525.

27.) Chronicon *Zwetlense* Recentius à Christo nato ad annum usque 1349. auctore Anonymo vel Abbate vel Cœnobita Monasterii Zwetlensis à f. 527. ad 542. accesserunt additamenta ad prædictum Chronicon ab an. 1349. ad 1457. à fol. 542. ad 546.

28.) Auctoris incerti Chronicon Austriacum ab anno primo Æræ Christi ad annum ejusdem 1189. à f. 548. ad 567.

29.) Auctoris Anonymi Narratio historica de electione *Lotharii* Ducis Saxoniæ in Imperatorem Romanorum habita Moguntiæ A. C. 1125. ubi de S. Leopoldo Austriæ Marchione, delatam sibi Imperii dignitatem recusante. à f. 570. ad 573.

30.) Narratio Genealogica Posterorum S. Leopoldi Austriæ Marchionis, auctore Anonymo Cœoobita (ut videtur) Monasterii S. Crucis, Ord. Cisterc. in Austria. à f. 574. ad 576.

31.) *Francisci Patavi* Oratio de S. Leopoldo Austriæ Marchione, delatam sibi Imperii dignitatem recusante. à f. 577. ad 592.

32.) *Johannis Francisci de Pavinis de Padua* Sumarium Canonizationis S. Leopoldi à f. 593. ad 672.

33.) Bulla Canonizationis *S. Leopoldi* à f. 673. ad 678. accesserunt antiquæ Collectæ seo Orationes, Sequentia & Hymnus de eodem Sancto. à f. 679. ad 682.

34.) Auctoris incerti Breve Chronicon Aostriacum, res à veteribus Austriæ Marchionibus & Ducibus stirpis Babenbergensis gestas, usque ad Rudolfum I. Imperatorem, complectens. à f. 684. ad 687.

35.) Bernardi Norici Cœnobitæ Cremifanensis Chronicon Austriacum, ab ejusdem Gentis origine usque ad an. 1308. perductum. à f. 690. ad 696.

36.) Necrologium Monasterii B. Mariæ V. vulgò ad Scotos Viennæ Austriæ, à f. 699. ad 704.

37.) *Paltrami* seu Vatzonis Consulis Viennensis Chronicon Austriacum à primo Æræ Christianæ anno ad MCCCI. indéque à Nicolao Vischel Cœnobita San-Crucensi Ord. Cisterc. in Austria Inferiore usque ad an. MCCCX. deductum, denique ab Anonymo quodam Auctore ad anoum MCCCCLV. continuatum. à f. 707. ad 738.

38.) Historia Inventionis SS. Reliquiarum duorum Anonymorum Sanctorum apud S. Hippolytum, Austriæ Inferioris urbem, vulgò *S. Pœlten.* à f. 744. ad 750.

39.) Anonymi *Leobiensis* Chronicoo Libris sex comprehensum à Christo nato, usque ad an. 1343. à f. 755. ad 966. accessit brevis continuatio ab an. 1345. ad 1347. à f. 967. ad 972.

40.) Anonymi Cœnobitæ Zwetlensis Chronicon ab aono Christi 928. ad an. 1386. à f. 974. ad 1001.

41.) Anonymi Scriptoris Narratio de Prælio *Emphmgensi* inter *Fridericum Pulchrum* & *Ludovicum Bavarum* Impp. an. Chr. 1322. habito. à f. 1002. ad 1003.

42.) Tabulæ *Claustro-Neoburgenses* de primis *Austriæ* Marchionibus & Ducibus *Stirpis Babenbergensis* eorúmque Conjugibus & liberis, Auctoribus, *Ladislao Sunthaimio*, & *Jacobo* Præposito *Claustro-Neoburgensi*, à f. 1005. ad 1044.

43.) *Matthæi* cujosdam, vel *Gregorii Hageni* Germanicum Austriæ Chronicon, à condito Mundo usque ad an. C. 1398. à f. 1052. ad 1158.

44.) Appeodix ad Chronicon proximè præcedens ab A. C. 1365. ad 1493. à f. 1160. ad 1166.

45.) *Viti Arenpeckii* Presbyteri Secularis Chronicon Austriacum, à primordiis Gentis Austriacæ usque ad tempora Friderici Imp. III. à f. 1174. ad 1295.

Tomo II. offeruntur

1.) Vita *B. Adalberonis* Episcopi Herbipolensis & Fundatoris Cœnobii Lambacensis O. S. B. in Austria superiori, auctore Anonymo Benedictino Lambacensi, *à Columna* 1. ad 17.

2.) Miraculorum *B. Adalberonis* Episcopi Herbipolensis Libellus, *à col.* 17. ad 39.

3.) B. Adalberonis Episcopi Herbipolensis Vita Metrica, *à col.* 39. ad 43.

4.) Bulla Alexandri Papæ III. Monasterio Lambacensi concessa, *à col.* 43. ad 45.

5.) Catalogus Abbatum Lambacensium ab Ekkeberto usque ad Conradum, qui sub an. MCCLXXXIX. eidem loco præfuit, *à col.* 45. ad 51.

6.) Catalogus Abbatum Cremifanensium, authore Bernardo Norico ejusdem loci Cœnobita, *à col.* 51. ad 63.

7.) Ejusdem *Bernardi* Norici Chronicon Bavariæ, *à col.* 63. ad 73.

8.) Auctoris incerti Chronicon Bavaricum, *à col.* 73. ad 81.

9.) Vita *B. Bertholdi* I. Abbatis Cœnobii Garstensis Ord. S. B. in Austria superiore, autore Anonymo Garstensi subæquali, *à col.* 81. ad 130.

10.) Alia Vita *B. Bertholdi* Abbatis Garstensis, authore Anonymo Canonico Reg. San-Florianensi, *à col.* 130. ad 136.

11.) Epitaphia, Hymni, Orationes &c. de *B. Bertholdo* Abbate Garstensi, *à col.* 136. ad 141.

12.) Excerpta ex veteri Chronico Garstensi, *à col.* 141. ad 147.

13.) Chronicon Monasterii *Admontensis* à I. año Æræ Christianæ ad MCCL. ab Anonymo vel Abbate, vel Cœnobita loci ejusdem anno MCCV. conditum, ac posteà ab aliis Admontensibus contemporaneis ad calcem usque perductum, *à col.* 147. ad 198.

14.) Excerpta ex duobus pervetustis Necrologiis Admontensibus, *à col.* 198. ad 210.

15.) Anonymi vetus carmen de Cœnobii Admontensis Abbatibus, *col.* 210. ad 212.

16.) Vita Vener. *Wilbirgis* Virginis inclusæ San-Florianensis Ord. Can. Reg. S. Aug. auctore Eynwico Præposito San-Florianensi, *à col.* 212. ad 276.

17.) Vitæ ejusdem Ven. Wilbirgis Virg. reclusæ Compendium autore Anonymo Canonico San-Florianensi, *à col.* 276. ad 277.

18.) Catalogus Abbatum *Gottwicensium* ab Hartmanno usque ad *Michaëlem Herlich*, id est, ab anno MXCIV. ad MDCIV. *à col.* 278. ad 287.

19.) Anonymi Poëma Germanicum vetus de Historia fundationis Parthenonis S. Bernhardi, *à col.* 287. ad 301.

20.) Historia fundationis Monasterii *Seittenstettensis* Ord. S. B. in Aust. inf. Authore *Gundachero* ejusdem loci Abbate, *à col.* 301. ad 319.

21.) Catalogus Abbatum Altenburgensium ex recenti apographo ejusdem Monasterii, *à col.* 319. ad 323.

22.) Historia Fundationis Collegii Hospitalensis ad Pirum Montem, *à col.* 323. ad 328.

23.) Catalogus Abbatum Gluniensium, *à col.* 329. ad 334.

24.) Historia Carthusiæ Maurbacensis auctore Leopoldo Brennero Priore Maurbacensi, *à col.* 334. ad 370.

25.) Chronicon *Alberti* Ducis Austriæ II. vulgò *Contracti*, authore Anonymo Carthusiano Gemnicensi, *à col.* 370. ad 382.

26.) Fragmentum Historicum de IV. Albertis Austriæ Ducibus, *à col.* 382. ad 386.

27.) Historia de Particula Sanctæ Crucis Mellicensis authore Anonymo Mellicensi, *à col.* 386. ad 401.

28.) Excerpta ex vetustiori Chronico Cœnobii *Weichenstephanensis* O. S. Bened. in Bavaria, *à col.* 401. ad 407.

29.) Excerpta ex catalogo Romanorum Pontificum & Imperatorum Conradi Cœnobitæ Schyrensis, *à col.* 407. ad 415.

30.) Chronicon Ludovici IV. Imperatoris authore Anonymo æquali, *à col.* 415. ad 425.

31.) Breve Chronicon Bavaricum ab anno MCCCCXII. ad MCCCCLIV. *col.* 425

32.) Chronicon Salisburgense à S. Rudberto usque ad annum Christi MCCCCXCV. auctore Anonymo San-Petrensi Cœnobita, *à col.* 427. ad 445.

33.) Itinerarium Venerabilis Patris *Wolfgangi* de Styra Benedictini Mellicensis ab anno MCCCCXIV. ad MCCCCLXXXIV. *à col.* 445. ad 457.

34.) Breve Chronicon Monasterii *Stamsensis* in Tiroli auctore Anonymo ejusdem loci Cœnobita, *à col.* 457. ad 461.

35.) Anonymi Mellicensis Breve Chronicon Austriæ, *à col.* 461. ad 467.

36.) Anonymi Rotensis breve Chronicon ab an. MCCCCLXXXII. ad MCCCCLXXXV. *col.* 467.

37.) Anonymi Tegernseensis Breve Chronicon Austriæ, *col.* 469.

38.) Necrologium RR. PP. Minorum Conventualium Viennensium, *à col.* 471. ad 519.

39.) Statuta Synodi San-Hippolytensis in Austria anno MCCLXXIV. *à col.* 519. ad 533.

40.) Anonymi Auctoris brevis Narratio de nefanda Hæresi Adamitica in variis Austriæ locis Seculo XIV. grassante, *à col.* 533. ad 537.

41.) Excerpta ex Chronico Universali Joannis Enickelii, *à col.* 537. ad 547.

42.)

42.) Anonymi Viennensis Breve Chrooicon Austriacum ab an. MCCCCII. ad MCCCCXLIII. *à col.* 547. ad 551.

43.) Narratio Captivitatis Maximiliani I. Imp. apud Brugenses, *à col.* 551. ad 555.

44.) Fragmentum Historicum de Blanca altera Maximiliani I. Imper. Conjuge, *col.* 555.

45.) Instrumentum Compositionis inter Fridericum Imp. vulgò III. & Ungaros ac Austriacos, initæ anno MCCCCLIII. *à col.* 557. ad 561.

46.) Ordinatio Ingressûs Friderici vulgò III. in urbem, *à col.* 561. ad 569.

47.) Historia Desponsationis & Coronationis Friderici III. & Conjugis ipsius Eleonoræ, authore Nicolao Lanckmanno de Valckenstein, *à col.* 569. ad 607.

48.) Diploma Eleonoræ Augustæ pro Nicolao Lanckmaño de Valckenstein, *à col.* 607. ad 609.

49.) Descriptio adventûs Friderici Imp. ad Paulum Papam II. auctore Augustino Patricio Senensi, *à col.* 609. ad 623.

50.) Senatorium sive Dialogus Historicus *Martini* Abbatis Scotorum Viennæ Austriæ, *à col.* 623. ad 675.

51.) Anonymi æqualis historia de morte & eventibus felicis recordationis quodam illustrissimi Priocipis Domini Alberti Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ &c. Regis, nec non Austriæ, Styriæ &c. Ducis, Marchionisque Moraviæ, *à col.* 675. ad 679.

52.) Anonymi synchroni Lessus in obitum Ladislai Posthumi, *à col.* 679. ad 682.

53.) Thomæ Ebendorfferi de Haselbach Chronicon Austriacum Libris V. comprehensum, ab ejusdem Gentis origine ad annum usque MCCCCLXIII. perductum, *à col.* 682. ad 987.

54.) Narratio de Dissensione Provincialium Aûstriæ post obitum Maximiliani I. Cæsaris Augusti orta Viennæ, & quæ subsecuta sunt, Serenissimo Principe Ferdinando Austriæ Provincias moderante anno MDXXII. auctore Anooymo coævo, *à col.* 987. ad 1005.

55.) Chronicoo Bohemiæ ab ejus gentis origine usque ad tempora Caroli IV. Imp. authore Neplachone, Opatovicensis in Bohemia Monasterii Abbate O.S.B. *à col.* 1005. ad 1041.

56.) Christophori Hoffmanni Benedictini Emmeramensis Cbronicon Bohemiæ à Gentis Bohemicæ primordiis usque ad an. Christi MCCCXX. perductum. *à col.* 1041. ad 1112.

57.) Anonymi breve Chronicon Bohemiæ, *à col.* 1112. ad 1115.

Atque hæc est brevis recensio cùm veterum & sinceræ fidei Scriptorum, tum aotiquorum & originariorum monumentorum, quæ *Tomis II.* continentur. Quibus accessit post viginti annorum laborem & vigilias

TOMUS III. *quo Ottocari Hornekii Chronicon Austriacum Rhythmicum ab excessu Friderici II. Imp. id est, ab anno MCCL. ad annum usque MCCCIX. perductum continetur, ac potissimùm Rudolphi I. Alberti I. Imop. Rom. Friderici Pulchri Austriaci Gesta &c. denarrantur.* Accedit Glossarium, quo Germanicæ voces obscuriores ac obsoletæ in hujus Auctoris Opere occurrentes explanantur. fol. Ratisbonæ sumptibus Emerici Bader an. 1745.

MARTINI KROPFFII, Mellicensis Bibliothecarii *Dissertatio de Leopoldo Illustri, primo Austriæ Marchione.* Extat Bibliothecæ Benedictino-Mellicensis pag. 1. seqq.

Cbronicon ERFURTENSE *Sampetrinum* (post paucissima, quæ ab anno Christi 31. breviter perstringit) ab anno 1036. ad 1355. in Tomo III. Scriptorum Menkenii pag. 202-344. ex Codice, quo olim usus Petrus Albinus, cui Chrotucon Misoense debemus. Pars prior historiam potiùs universalem pertractat, posterior in rebus Thuringicis præcipuè versatur.

ALBERTI REICHART, Abbatis S. Pauli in Carinthia *Breviarium Historiæ Carinthiacæ*, res memoratu dignas continens, à Salvatore Mundi nato usque ad nostræ ætatis annum 1675. ex variis collectum auctoribus. Clagenfurti in min. 12. typis Georgii Dettelbacher an. 1675. Auctor Alchymiæ peritos imitatus, qui magnis ex corporibus rei substantiam in exiguam cogunt molem, *Megiseri* vasto comprehensam volumine, aliorúmque Auctorum Carinthiæ historiam in *Breviarium* collegit, quò Lector vel celeriùs in rerum gestarum notitiam penetret, vel notarum faciliùs memoriam juvet.

NICOLAUS KOLYN, Monachus Cœnobii Egmontani apud Harlemum, inter primos optimósqne Rerum Hollandicarum Scriptores jure meritò

merito annumerandus clar. an. 1170. scripsitque vetus *Chronicon Rythmicum* Belgico sermone compositum, hoc titulo: *Rym Kronyk, van ouds genaent, het geschichte Historiael-Rym, der eerste Graaven van Holland van Broeder Klaus Kolyn Monnink van Egmond*, usque ad an. 1156. Publicavit vir Clariss. Gerhardus Dumbar, Reipublicæ Daventriensi ab Actis, Tomo I. Analectorum suorum p. 247. Daventriæ 1719. in 8. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 913.

OTTONIS KOPTIK *Fama Tripudians de antiquitate, pietate, sapientia, industria, probitate, humilitate, incrementis Serenissimæ Domûs Seinsheimio-Schwarzenbergicæ.* Opus MS. tum asservatur Viennæ in Bibliotheca Serenissimi Principis à Schwarzenberg, paucis ante annis in venatione occisi, à quo Auctor non indonatus abiit.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Historica Relatio de Vexillo Sancti Georgii Equitis & Martyris, quod antiquis temporibus Germaniæ Nobilitas Equestris in Bello Sacro & Civili Imperii præferre consueverat.* Germanicè in 4. *Viennæ in Austria* 1735. *sumptibus Joan. Adami Schmidt Bibliopolæ Norimbergensis.* Author cap. XI. ex Limnæo scripsit, Gallos celeberrimum suum vexillum, quod *Oriflamme* vocant, in prælio, quod cum Flandris conseruerunt, amisisse; id quod si factum est, post annum 1596. factum esse oportuit, ut enim Cerfius in Bibl. Histor. Crit. pag. 124. testatur, *il étoit encore dans le trésor de St. Denis en* 1596. *mais à demi rongé des mittes.* id est, *anno adhuc* 1596. *in Thesauro Abbatiæ S. Dionysii asservabatur, at mediam ferè partem à tineis corrosum.*

IGNATII GROPII, Bibliothecarii ad S. Stephanum Wirceburgi Collectio Scriptorum & Rerum Wirceburgensium Tomi II. Lipsiæ 1744. in fol. quos subsequuti sunt Tomus III. Wirceburgi an. 1748. & Tomus IV. an. 1750. ibidem typis Marci Ant. Engmanni.

§. IV.

Scriptores Rerum Francicarum.

ANdreas *Quercetanus*, seu *du Chesne* Historiæ Francorum Scriptores coætaneos ab ipsius Gentis origine ad sua usque tempora quinque tomis comprehensa anno superioris seculi trigesimo sexto typis vulgavit. Quorum potissimi, ac omnium ferè præcipui cùm fuerint Benedictini, eorum recensionem hîc instituemus, ut quantùm ad illustrandam Historiam Francicam Majores nostri contulerint, juniores intelligant. Igitur ex

Tomo I.

Galliæ Situs ex libro III. Historiæ Ecclesiasticæ, quæ breviter est ab *Hugone de S. Maria*, Monacho S. Benedicti Floriacensis Monasterii deflorata anno ab Incarnatione Domini MCIX. pag. 1 Extat Historia hæc MS. in Bibliotheca Alex. Petavii Sen. Parisiis fol. 16.

Divisio Galliæ ex Chronico Roberti Monachi S. Mariani Autissiodorensis, quod desinit in an. MCCX. pag. 17.

Gesta domni Dagoberti Regis Francorum, filii Clotharii II. scripta à Monacho Cœnobii S. Dionysii, anonymo quidem, sed contemporaneo. pag. 572. V. C. *Burchard. Goth. Struvius* hæc Gesta ex MS. Codice Sec. XII. Bibl. Jenensis in fasciculo primo Actorum Literariorum Jenæ an. 1703. in 8. vulgavit.

Vita S. Leodegarii, Augustodunensis Episcopi & Majoris Domûs Franciæ Regum, in qua plurimæ res sub Childerico & Theoderico Regibus, Clodovei II. filiis fideliter describuntur.

Vita alia S. *Leodegarii*, Episcopi Augustodunensis, auctore *Ursino*, Monacho Lociciagensi, qui eam jubente Ansoaldo Pictavorum Pontifice scripsit, f. 617.

Fragmenta de Rebus piè gestis Dagoberti Regis, Filiorum ejus, ac Nepotum. Ex Historiis, sive Vitis Sanctorum Pontificum, Abbatum, & aliorum, qui tunc præcipuè in Palatio, sed & in aliis Regni partibus floruerunt. Porrò has Vitas cùm alii, tum varii Benedictini Monachi in literas retulerunt, quos enumerare longum foret. fol. 627.

Gesta Francorum, ab ipsius Gentis origine ad obitum usque Clodovei I. Regis, auctore *Roricone* Monacho. f. 759.

Historia Wambæ, Regis Hispaniæ ex gente Gothorum, conscripta à *Juliano* (r) ex Monacho Agaliensi Episcopo Toletano ab an. 680. ad an. 690. de expeditione & victoria, qua rebel-

(r) De Monachatu Juliani Benedictino vid. infra §. VIII.

rebellantem contra se Galliæ provinciam celebri triumpho perdomuit. fol. 821.

Judicium in perfidos ac rebelles promulgatum, eodem Juliano auctore. fol. 831.

Divisio terminorum Episcopatûum Provinciæ Narbonensis, dum Gothis parebat, ex Divisione Diœcesium & Parochiarum Hispaniæ à *Wamba* Rege facta, qui subinde posita regia purpura in monasterio S. Vincentii de Pampliega cucullum induit Benedictinum.

S. Gregorii M. Papæ I. Epistolæ ad Reges Francorum, Reginas, Patricios, Episcopos, & alios illustres in Gallia Viros. f. 889.

Tomo II.

Annales Francici Breves ab anno Christi DCVII. usque ad an. DCCXC. in monasterio S. Nazarii juxta Rhenum scripti. fol. 3.

Vita Caroli Magni Francorum Regis & Imperatoris descripta, ut videtur, magna ex parte à Monacho Cœnobii Egolismensis S. Eparchii ex alia Vita & Annalibus Francorum, nonnullis tamen interpolatis, quibusdam etiam additis, & à Pithœo primùm in lucem emissa. fol. 68.

Vita & conversatio gloriosissimi Imperatoris Caroli Regis Magni atque invictissimi Augusti, edita ab *Eginbardo Abbate Seligenstadensi*, Viro sui temporis impensè doctissimo, nec non liberalium artium experientissimo. fol. 93.

De Gestis Caroli M. Regis Francorum & Imperatoris Libri duo ad Carolum Crassum Imp. ejusdem Caroli pronepotem. Scripti à quodam *S. Galli monacho*, quem nonnulli *Notkerum Balbulum* fuisse putant ex relationibus Werimberti Sacerdotis, & Adelberti militis patris ejus. fol. 107.

Versus de *Geroldo* Comite, fratre Hildegardis Reginæ Caroli M. conjugis, qui in certamine contra Hunnos cæsus est anno 799. ex Poëmate *Walafridi Strabonis* Abbatis Augiensis. fol. 649.

Epitaphium ejusdem *Geroldi* Comitis, auctore eodem Walafrido. fol. 649.

De Carolo Magno Rege & Leonis Papæ ad eundem adventû Poëma, quod videtur esse majoris operis *Fragmentum*, & forsitan ipsius Caroli M. vitæ, quam ab *Alcuino* scriptam, nonnulli veterum annotârunt. f. 188.

Fragmentum de Caroli M. Regis Majoribus, ac ejusdem liberis ex Libro *Pauli Warnefridi*, de Episcopis Metensis Ecclesiæ. fol. 201.

De rebus Pippini & Caroli M. in Italia ex Lib. VI. Historiæ Longobardorum ejusdem Pauli Diaconi, cum appendice ab an. 776. ad annum usque 825. p. 205. 206.

Fragmenta alia de rebus Pippini & Caroli M. in Italia ex Historia Pontificia Anastasii Bibliothecarii f. 208.

De rebus Caroli M. Imp. cum Anglorum Regibus Fragmentum ex vitâ Ælfredi Anglo-Saxonum Regis, quam Asserus Menevensis scripsit, & Lib. I. de Gestis Regum Anglorum Willelmi Malmesburiensis. fol. 221. 222.

Annales Regum Francorum, Pippini, Caroli M. Ludovici Pii ab anno Christi DCCXLI, ad annum DCCCXXVIII. auctore *Eginhardo* ipsius Caroli M. Notario, postea Abbate Seligenstadensi pag. 233. Priusquàm Andreas Quercetanus hos Annales suæ Collectioni intexeret, jam sæpiùs typis excusi fuerunt: primùm à Comite Hermanno à Nuennare, qui eos Coloniæ an. 1521. sub hac epigraphe in 4. exire in publicum jussit: *Annales Regum Francorum Pippini, Caroli, Ludovici, ab anno post Christum Natum 741. usq; ad an. 828. collecti per quendam Benedictinæ Religionis Monachum, qui ipsas res gestas accuratè scriptis commendavit.* Secundò à Justo Reubero in Syntagmate Scriptorum veterum Rerum Germanicarum Francofurti an. 1584. fol. Tertiò a Petro Pithœo in Scriptoribus coætaneis, Francofurti 1594. in 8. Eosdem *Petrus* de *Marca* illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis sub nomine Eginhardi allegat, & Petrus Lambecius extra dubium ponit, quia vitæ Caroli, auctore Eginbardo, adjunctos in codice MS.to Bibliothecæ Vindobonensis invenit. Alii Critici hos Annales Eginhardo eam per causam abjudicant, quòd in iisdem ad an. 827. Eginhardus *sui temporis prudentissimus virorum* appelletur, atque in aliis locis eorum scriptor admodùm magnificè de se ipso loquatur, contra quàm Eginhardus soleat, qui in aliis suis scriptis modestè juxtà ac demissè de se verba facit. Nos litem hanc dirimendam relinquimus Claris-

ſimis Viris è Congr. S. Mauri, Mauro D' Antine, & Martino Bouquet, qui novam, eámque ampliſſimam Collectionem Scriptorum Rerum Francicarum inpræſentiarum adornant.

Fragmentum de Ludovico Pio Imp. ex *Einbardo* ſeu *Eginbardo* Abbate. fol. 650.

Fragmenta alia ex libris de translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri in Franciam, auctore eodem *Einbardo* Abbate. f. 651.

Walafridi Strabonis, Abbatis Augienſis Præfatio in librum *Thegani* Chorepiſcopi Trevirenſis de Geſtis Ludovici Pii Imp. f. 274.

Devotio & munificentia, quam Ludovicus Pius, erga S. Sebaſtianum Martyrem exhibuit, cùm in Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis à Lothario filio ſuo detineretur, auctore incerto Monacho S. Medardi, ſed contemporaneo. f. 334.

Walafridi Strabonis Abbatis Augienſis Poëma *de exilio Judith*, Imperatoris Ludovici Pii conjugis, ad Ruadbernum Laicum. f. 338.

De Conſtructione Monaſterii novæ Corbeiæ in Saxonia, quæ cum Imperio & voluntate Ludovici Pii Imp. facta eſt: & de Translatione S. Viti ad idem Monaſterium, Libellus antiqui Scriptoris.

Verſus antiqui de Translatione S. Viti in Saxoniam, per *Warinum* Abbatem. f. 350.

De *Adelhardo*, Abbate Corbeienſi, & de ejus fratribus ac ſororibus Caroli M. propinquis, Narratio auctore *Paſchaſio Radberto.*

Nithardi, Angilberti filii, Caroli M. ex Bertha F. nepotis de *Diſſertationibus filiorum Ludovici Pii* ad an. usque 843. Libri IV. ad Carolum Calvum Francorum Regem. f. 359.

Fragmentum de Bello Britannico inter Rainaldum, Caroli Calvi Ducem, & Lambertum Comitem; & de direptione Urbis Nanneticæ per Normannos, ex veteri Regiſtro Monaſterii S. Sergii Andegavenſis. f. 386.

Fragmentum Chronici Fontanellenſis S. Wandregiſili in Normañia ab an. Chr. 841. usque ad an. 856. f. 387.

Fragmenta de Rebus Lotharii & Ludovici II. Impp. in Italia ex Hiſtoria Pontificia Anaſtaſii Bibliothecarii. f. 394.

Epitaphia Lotharii Imp. & Irmingardis Auguſtæ, Auctore Rhabano Mauro. f. 398.

Qualiter *Normanni* civitatem Andegavenſem ceperunt, & ab ea per Carolum Calvum expulſi ſunt, ex Chronico Monaſterii S. Sergii Andegavenſis. f. 400.

Conſilium Hincmari, Archiepiſcopi Remenſis, de pœnitentia Pippini junioris, olim Regis Aquitaniæ. f. 414.

Excerptum Epiſtolæ Hincmari Remenſis ad Diœceſis Remenſis Epiſcopos, & Regni Primores, quâ, cùm Carolus Calvus in Italiam Coronæ Imperialis obtinendæ cauſa conceſſiſſet, & Ludovicus Rex Germaniæ, frater ejus, tentaret, eo abſente Regnum Franciæ invadere, quid in tanto diſcrimine facto opus eſſet, reſcribit. f. 456.

Herici Monachi S. Germani Autiſſiodorenſis, ad Carolum Calvum Epiſtola, quâ præcipuè multiplex ejusdem Caroli, erga quæque optimarum artium ac diſciplinarum ſtudia tum beneficiorum, tum auctoritatis fomentum commendat. f. 470.

Hincmari, Remorum Archiepiſcopi, *Epiſtola ad Ludovicum II.* Francorum Regem, dictum *Balbum*, quâ ſuum illi de adeunda pacifica Regni adminiſtratione conſilium ſuppeditat. fol. 475.

Ejusdem ad Carolum III. Craſſum Imp. *Epiſtola*, quâ illi inter alia commendat, ut Eccleſiam Gallicanam pene collapſam reſtituat, Regni diſſidia tollat, ac Ludovici Balbi liberis è Regni Primoribus idoneos inſtitutores & conſiliarios attribuat. f. 484.

Ejusdem ad Epiſcopos Franciæ Epiſtola, quam pro recta novi ac juvenis Regis Carolomanni inſtitutione ſcripſit, ac ex Adalhardi, Abbatis Corbeienſis, Libello accuratè expoſuit, quis ordo & modus non in Palatio ſolùm Regio, ſed toto etiam Regno pacificè adminiſtrando, deberet obſervari. f. 487.

De Regno Caroli Craſſi Imp. in Francia, & de diviſione Imperii Francici poſt ejus obitum, Fragmentum, ex vita Ælfredi Anglorum Regis, auctore Aſſerio Meneveníi. f. 497.

Abbonis Monachi S. Germani Pariſienſis, Libri duo, de Bellis Pariſiacæ Urbis & Odonis Comitis pòſt Regis adversùs Nortmannos, urbem ipſam obſidentes, ſub Carolo Craſſo Imperat. & Rege Francorum. f. 499.

Annales Francorum Fuldenſes fol. 531. Scripſit anonymus Fuldenſis Monachus, de quo plura vide ſis apud Gerardum Voſſium lib. 2. c. 37. de Hiſt. Lat. & Nat. Alex. Hiſt. Eccl.

Tom. VI. Sec. IX. c. 3. pag. 68. Browerus in suis ad carmina Rhabani annotationibus, horum Annalium auctorem judicat *Walafridum Strabonem*, Rhabani discipulum, quem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an. 847. Chronicon Fuldense inchoasse scribit, quod per alios succedentes continuatum non parvum in editione sui operis juvamen præstiterit. Verùm hoc Broweri argumentum tanti non est, ut in ejus concedamus sententiam. Quid enim? Walafridus Strabo Caroli Calvi encomiastes ac laudator est, quem in epigram. ad Carolum apud Canisium tom. 2. part. 2. p. 263. his exornat encomiis:

Forma decore nitens, animisque capacior ævo,
Et quod præcipuum est, zelus amórque Dei.

Quàm verò ab his laudibus Calvo attribuendis Annalium Fuldensium author aversus est, ut quem *Galliæ tyrannum, alterum Senacherib*, leporem galeatum, ac versutiarum plenum describit; *qui lepore timidior; cùm ferro fuerit decernendum, ad solitam semper calliditatem sit conversus.*

Frodoardi Presbyteri Ecclesiæ Remensis, ac postea Abbatis S. Remigii in eadem Civitate Chronicon ab an. 919. ad an. 966. pag. 590.

Odoranni Monachi S. Petri Vivi Senonensis Chronicon, quod ille jam sexagenarius cum aliis Opuscu-lis suis in unum corpus collegit anno 1045. p. 636.

Fragmentum de Normannorum Gestis circa Parisiacam urbem, & de divina in eos ultione tempore Caroli Calvi Regis Francorum ex libris Miraculorum S. Germani Episcopi Parisiensis, quos tunc scriptis mandavit *Aimoinus* Cœnobii S. Germani de Pratis Monachus. p. 655.

S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini Epistolæ Historicæ. f. 651. 854.

Albini Flacci Alcuini Abbatis Epistolæ Historicæ. f. 658.

Ejusdem Epitaphia Fulradi & Maginarii Abbatum S. Dionysii, & alii versus historici. f. 690. 691.

Eginhardi Abbatis Epistolæ, nunc primùm editæ. f. 695.

Lupi Abbatis Ferrariensis Epistolæ ex editione Papyrii Massoni. f. 726.

Gerberti, sive Sylvestri II. Epistolæ. f. 789.

Ejusdem Epistolæ aliæ ex MS.to in lucem editæ. f. 828.

Tom. III.

Aimoini Monachi Floriacensis Historiæ Francorum Lib. IV. f. 2. Nota Duchesnianam editionem in capite 42. Libri IV. desinere, adeóque esse incompletam. Quis illam continuaverit, infra dicemus.

Chronicon Breve à Mundi exordio usque ad annum Christi DCCCX. ex vetusto codice msf. *Bedæ De Ratione temporum*, qui fuit Ecclesiæ seu Monasterii S. Dionysii in Francia.

Annales Bertiniani. Quo nomine vocantur Añales Regum Francorum, qui à tempore, quo Carolo Martello defuncto Carolomannus & Pippinus Fratres Regnum adepti sunt, initium sumunt, & usque ad annum Christi DCCCLXXXIII. pertingunt. Quia verò ex codice vetustissimo Monasterii S. Bertini exscripti sunt, ab eodem nomen *Bertiniani* tulerunt. Etsi autem eorum autor non Monachus Benedictinus, sed *Prudentius Tricassinus* sit; ut ex Hincmari nostri, Archiepiscopi Remensis, Opusculo 24. discimus, hic tamen illorum nobis facienda fuit mentio, quia circa finem non pauca manû alienâ inserta sunt. Prudentius in iisdem perquàm atris coloribus depingitur. Hanc quidem criminationem *Hincmaro* quidam tribuunt, sed per calumniam, inquit V. C. Lud. du Mesnil Doct. & Discipl. Eccl. tom. 3. l. 38. p. 748. siquidem illius nullam afferunt probationem. Igitur cùm circa annum 860. *Prudentius* obierit, quis ejus Añales ad an. 882. continuaverit, pro comperto non habetur. Georgius Eccardus fuisse ipsum Hincmarum existimat, qui ultra hunc annum vitam non produxit. Eccardo adstipulatur R. P. Josephus Pichler S. J. in Augusta Quinque Carolorum Historia, Author quàm Artis Criticæ summè peritus, tam in ferendis judiciis solidus, modestus, atque toto opere insignis. Quisquis Annalium continuator fuerit, Hincmari studiosissimus fuit.

Anonymi Monachi S. Arnulphi Metensis *Annales rerum Francicarum* ab anno Christi DCLXXXVI. usque ad an. DCCCCIV. f. 262.

Fragmentum Chronici Hugonis Monachi Floriacensis Cœnobii, à Carolo Rege, dicto Simplice, usque ad Hugonem Capetum. p. 341.

Chronicon Floriacense. fol. 354.

De Gestis Ludovici Pii. Ex vita S. Benedicti Abbatis Anianæ, Indæ &c. quam S. Ardo, qui & Smaragdus dictus est, Monasterii Anianæ Monachus, ac

ac ejusdem S. Benedicti discipulus ad petitionem Monachorum Indani Monasterii conscripsit. fol. 388. Ex editione Hugonis Menardi è Congreg. S.Mauri.

De Gestis Caroli Calvi & Fratrum ejus ac Nepotum. Excerpta Libri Miraculorum Beati Mauri Abbatis discipuli S. Benedicti, quem Odo Cœnobii S. Mauri Abbas scripsit anno 868. Ex editione Jacobi du Breul Monachi S. Germani à Pratis. pag. 410.

Excerpta Historica ex libris Miraculorum S. Benedicti, quod *Adrevaldus*, *Adelerius*, & *Aimoinus*, Floriacenses Monachi scripserunt. A Carolo Martello, patre Pipini Regis usque ad Hugonem & Robertum Reges. pag. 439.

Chronicon breve in Monasterio *S.Galli* scriptum ab anno Chr. 748. usque ad an. 926. f. 466.

Hepidanni Monachi S.Galli Annales breves ab anno Chr. 709. usque ad an. 1044. f. 471.

Excerpta Librorum de Origine & diversis Casibus Monasterii S. Galli in Helvetia, auctore Ratperto juniore, S.Galli Monacho. f. 481.

Fragmentum Chronici Laureshamensis Monasterii, à prima ipsius loci fundatione per Cancronem Comitem Rhenensem sub Pipino, usque ad an. 920. f. 490.

Chronicon seu Annales *Hildesheimenses*, de quibus plura ad calcem hujus §.

Pars I. Chronici Abbatiæ S. Clementis *Casauriensis*, sive *Piscariensis*, à Ludovico II. Imp. anno 854. conditi in Aprutio, authore *Joanne Berardo* Monacho, cujus tamen nomen Andreas du Chesne non expressit. f. 544.

Fragmenta de Gestis Regum & Principum Francorum in Italia. Ex Libro I. Chronici Monasterii Casinensis, authore Leone Marsicano, Monacho Casin. & Episcopo Ostiensi. p. 644.

Excerpta alia Chronici Monasterii S. Vincentii propè Vulturnum fluv. in Provincia Capuana.

Epistolæ Summorum Pontificum Zachariæ I. & Stephani IV. ad Principes, & Reges Francorum. f. 703.

Tom. IV.

Glabri Rodulphi Cluniacensis Monachi, Historiarum sui temporis Libri quinque, ab electione potissimùm Hugonis Capeti in Regem ad annum usque MXLVI. pag. 1.

Helgaldi, sive *Helgaudi*, Floriacensis Monachi, Epitome vitæ Roberti Regis. pag. 59.

Vita Domini Burchardi, Venerabilis Comitis, qui sub Regibus Hugone Capeto, & ejus filio Roberto floruit; Authore *Odone* monacho Fossatensi, qui eam scripsit anno Incarnati Verbi MLVIII. fol. 1058. ex editione Jacobi Brolii Monachi S. Germani à Pratis in Supplem. Antiquit. Paris.

Pars vitæ S. Abbonis, Floriacensis Abbatis & Martyris, in qua res aliquot *Hugonis* & *Roberti* Regum exponuntur: auctore *Aimoino* Floriacensi monacho, qui eam petente Herveo Clerico, sancti Pontificis Martini Thesaurario conscripsit. f. 125.

Excerpta Historica de Gestis sub Hugone & Roberto Regibus: ex Libro III. Miraculorum S. Benedicti Abbatis, quem composuit *Aimoinus* Floriacensis monachus anno MV. f. 135.

Fragmentum Chronici Hugonis monachi Floriacensis ab an. Chr. 987. usque ad annum 1034. f. 142. ex codice mss. Bibliothecæ Regiæ.

Fulberti Episcopi Carnotensis Epistolæ Historicæ. pag. 172.

Gregorii VII. Epistolæ Historicæ. pag. 207.

Hildeberti Episcopi Cenomanensis Epistolæ Historicæ. f. 248.

Baldrici Andegavensis, Abbatis Burguliensis Carmina Historica. f. 251.

Vita Ludovici VI. Regis, Philippi filii, qui *Grossus* dictus, Auctore *Sugerio* Abbate beati Areopagitæ Dionysii. pag. 281.

Sugerii Abbatis S. Dionysii liber de rebus in administratione sua gestis, in quo multa ad historiam Ludovici Grossi & Ludovici Junioris pertinentia annotantur. f. 331.

Sugerii Abbatis S. Dionysii libellus alter de consecratione Ecclesiæ à se ædificatæ, & translatione corporum S. Dionysii ac Sociorum ejus facta anno MCXL. f. 350.

Chronicon Morigniacensis Monasterii ab anno Christi MCVIII. usque ad annum MCXLVII. quo Rex Ludovicus VII. in Terram sanctam profectus est, auctoribus *Teulfo* & aliis ejus loci Monachis. f. 359.

Fragmenta de Rebus Ludovici VII. Regis ex Historia MS. *Vizeliacensis* Monasterii, quam *Hugo Pictavinus* Monachus & Notarius Guillelmi Abbatis Vizeliacensis scribere aggressus est anno MCLVI. & sub ipso Guillelmo absolvit anno MCLXVII. pag. 424.

Epi-

Epistolæ Historicæ, quæ ad res Ludovici Grossi, & filii ejus Ludovici Junioris Regum illustrandas pertinent, ex Codice Mſ.to Epistolarum *Petri*, Prioris S Joannis Evangelistæ Senonensis. f. 445.

Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis Epistolæ Historicæ. pag. 458.

Petri Abbatis Cellensis Epistolæ. fol. 462.

Sugerii Abbatis S. Dionysii Epistolæ ad Eugenium III. Papam, Ludovicum VII. Regem, & alios Franciæ Majores, ipsorumque ad eundem, dum regnum administraret, de gravioribus negotiis conscriptæ. f. 491.

Ejusdem Constitutiones & Testamentum. f. 546.

Tomo V.

Gesta Philippi Augusti Francorum Regis, Ludovici junioris filii, descripta à Magistro Rigordo, seu Rigoto, ipsius Regis Chronographo, ab anno primo inunctionis ejusdem, usque ad vigesimum octavum Regni annum. *Editio Petri Pithæi collata cum codice mſ. S. Dionysii, & multis in locis emendata.* Fuit Rigordus San-Dionysianus Monachus. f. 1.

Gesta S. Ludovici Noni Francorum Regis, descripta per Guillelmum de Nangiaco Monachum S. Dionysii in Francia. *Editio Petri Pithæi collata cum codice mſ. ejusdem cœnobii.* f. 326.

Gesta alia S. Ludovici IX. Francorum Regis, authore Monacho S. Dionysii anonymo. *Ex cod. mſ. V. C. Alexandri Petavii Parisiensis, recens in lucem emissa.* f. 395.

Epistolæ Innocentii IV. Papæ super profectione Ludovici IX. Regis in subsidium Terræ sanctæ, & super ejus captione per Saracenos. f. 412.

Religiosissimi Viri, *Joannis Raulini*, Artium & Theologiæ Professoris scientissimi, Oratio ad laudem Divi Ludovici Francorum Regis. Habita in Regali Collegio Navarræ in solenni festo S. Ludovici per Thema: *Domine in virtute tua lætabitur Rex.* f. 439.

Gesta Philippi Tertii, Audacis dicti, Dei Gratia Regis Franciæ, filii sanctæ memoriæ Ludovici IX. Francorum Regis. Descripta per *Guillelmum de Nangiaco*, Monachum S. Dionysii in Francia. f. 516.

Atque isti potissimùm sunt *Rerum Francicarum Scriptores Benedictini*, quos ex Duchesniana Collectione totis quinque comprehensa festinatâ operâ excerpsi; cùm enim illa mihi paucis diebus, ne dicam horis, ad manum fuerit, instar canis ex Nilo haurientis aquam festinandum erat. Quis verò nescit, quòd canis festinans cæcos pariat catulos? Unde criticis notis & observationibus huic Paragrapho multùm adhuc lucis affundi non posse modò, sed debere etiam ultrò non diffiteor. Intereà mirari subit, quòd *Quercetanus*, vir longè eruditissimus, *Epitaphium*, seu *Historiam* Venerabilis *Walæ* Corbeiensis Abbatis à *Paschasio Radberto* scriptam silentio prætermiserit.

Hæc Historia duobus costat libris, quorum prior privatam Walæ vitam; posterior lugubrem exauthorationis Ludovici Augusti scenam repræsentat: adeò ut arcana hæc omnium ejus rei calamitatum historia, & velut ἀνέκδοτα dici possit. Totam autem istius facti causam rejicit Paschasius in Bernardi Septimaniæ Ducis ac Imperatoris Cubicularii obscœnos mores, feritatem, & nimiam cum Juditha Augusta consuetudinem. Qua in re Paschasio, auctori non minùs gravi, quàm pio, rerum gestarum plerumque testi oculato, nemo jure fidem abrogare potest. Is enim nulli parti favebat præter æquum; uti fidem facit Mabillonius, qui modestia scribendi, ac veritatis amore nemini cedit. Primùm, quia Walâ per hos motus apud Lemanum lacum exsulante, ut in ejus epitaphio legitur lib. 2. cap. 10. Paschasius legatione functus est pro Ludovico Augusto: cui proinde suspecta non erat ipsius fides. Deinde neque in Bernardum (quantumvis acrioribus eum verbis passim insectetur) prave affectus erat Paschasius, siquidem Wala, cui is adhærebat, Bernardi sororem in matrimonium duxerat. Certè Nithardus, regiæ familiæ scriptor, Ludovici Pii fororius, Carolo ejus filio addictissimus, non minùs acerbè invehitur in Bernardum in libro primo, ubi Bernardus *Republicâ abusus, quam solidare debuit, penitus evertisse* perhibetur, & sub initium lib. 2. idem Caroli Calvi mandatum insuper habere solitus, in ejus offensam incurrisse propter *seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat. Hinc grandia moliens, summisque inhians, majestatis reus, Francorum judicio, Caroli in Aquitania capitalem subiit sententiam anno DCCCXLIV.* ut tradunt Anna-

les Bertiniani, in quibus etiam tyranni nomine afficitur. Præterea neque à partibus Lotharii stabat Paschasius, Huic rei illud argumento est, quòd, cùm à Proceribus nonnullis Lothario monarchia deferretur, obstitit cum Wala Paschasius. Ad hæc Carolo Calvo, Judithæ Augustæ filio, acceptissimus fuit: à quo ejus electio in Abbatem Corbeiensem probata est: cui etiam librum de Sacramento Altaris, ab se olim compositum, obtulit in Natali Domini cum insigni Epistola, observantiæ in Carolum plena. „ Hæc Mabillonius. Contra verò V. C. *Josephus Pichler* S. J. in Historia Imperatorum Romano-Germanicorum Seculo I. Tract. II. cap. 4. n. 24. Paschasium Radbertum neque à modesto scribendi genere, neque ab æquitate in Juditham commendat, ut quem, inquit, plurimarum fallaciarum convincit *Natalis Alexander* Hist. Eccl. Tom. VI. Sec. IX. n. 12. toto, observátque, authorem calumniis in Juditham à malevolorum grege jactis nimiùm facilè credidisse, pejùs eas scriptis prodidisse; id quod in gratiam Walæ Abbatis, quem libro suo laudandum defendendúmque suscipit, agebat; qui & ipse, Lotharii olim præceptor, & partium ejus studiosus, quidquid in partis adversæ odium ab aulicis, & Episcopis Lotharianis jactabatur, nimiùm pronis auribus acceperat. „ En tibi de S. Paschasio Radberto duo judicia critica, toto, quod ajunt, cœlo diversa! Ego in animum inducere ægrè possum, ut credam, S. Paschasium, cùm plurimis & maximis virtutibus, tum præcipua quadam animi demissione, morum lenitate & mansuetudine cum singulari prudentia & pietate conjunctâ præditum Abbatem, ad calumniam usque aliorum, partes Walæ tuendas suscepisse; neque enim humilium ac sanctorum est, alios denigrare, ut alios dealbent. Mihi nullum est dubium, quin in novissima Scriptorum Rerum Francic. Collectione, quam doctissimi Congregationis San-Maurianæ Sodales publico proximè exhibebunt, *Epitaphium Walæ* nullatenus fit omittendum; ubi deinde censorium Editorum judicium legere licebit. Nos intereà veniamus ad illos Scriptores, qui extra Duchesnianam Collectionem res Francicas literis consignârunt. Quamquàm de *Aimoino*, cujus Historiam suprà memoravimus, nobis repetendus sit sermo.

Scripsit *Aimoinus* libros IV. Historiæ Francorum, quam ad Pipini Regis inaugurationem sive in annum Chr. 752. deducere voluit, sed substitit in fundatione Monasterii Floriacensis circa A. C. 650. vel 660. Cætera igitur à libri quarti capite 42. in quo du Chesnii editio desinit, & liber quintus usque annum 1165. addita à Monacho quodam S. Germani Paris. aliísque. Edita *Aimoini* Historia à Badio Paris. 1514. in fol. sub *Annonii* nomine, & restituta *Aimoino*, recensitáque à Joanne Nicotio, Paris. apud Andream Wechelum an. 1567. in 8. deinde à Jacobo Breulio ibid. 1603. in fol. & in Joannis à Bosco Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605. in 8. nec non in Scriptoribus Francicis Marquardi Freheri Hanov. an. 1613. in fol. Vide Labbei Diatribam de Aimoino Tom. II. de S. E. pag. 829. aliósque, quos allegat Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 83.

Andreas Silvius, gente Flander, professione Monachus Benedictinus, ac Prior Marchianensis Monasterii an. 1194. defunctus scripsit libros tres *de rebus gestis & successione Regum Francorum ex Familia Merovingica ad Petrum I.* ab an. 1180. ad 1203. Atrebatensem Episcopum, quos Mf.tos extare Tornaci aliísque in locis testatur Sanderus. Raphaël verò de *Beauchamp* Religiosus ejusdem Marcianensis cœnobii edidit Duaci an. 1633. in 4. 2. volum. sub titulo: *Synopsis Historiæ Franco-Merovingicæ* sive Historiæ succinctæ de gestis & successione Regum Francorum, qui Merovingici dicti ex Sigeberto, Anselmo Gemblacensi &c. unà cum editoris prolegomenis, appendicibus, notationibus, & paralipomenis. Vid. Fabric. l. 1. p. 237.

Gaufridus Vosiensis Cœnobii Prior in Diœcesi Lemovicensi scripsit an. 1184. Chronicon à *Roberto Francorū Rege ad sua tempora*, ut ipse in præfatione testatur, seu potiùs Chronicon de rebus in Gallia præsertim gestis ab anno 996. ad annum 1184. quod ex mf. codice edidit *Philippus Labbeus* tom. 2. p. 279. Bibliothecæ Novæ *Manuscriptorum Librorum*, quam Parisiis anno 1657. procuravit apud Sebastianum Cramoisy sub Ciconiis, ubi Opera multa, quæ nondum antehac edita fuerunt. *Oudin*. Tom. II. p. 1628. *Cav.* Hist. Lit. ad an. 1183.

Stephanus de Conty Corbeiæ veteris Monachus *Historiam Regum Francorum* scripsit; quæ, quod sciam, publi-

publici nondum facta est juris, sed in MS.tis adhuc habetur. Fuit verò *Stephanus* Decretorum Doctor, & vivebat anno 1400. teste Luca Acherio in Not. & Observ. ad V. Guiberti Opera. p. 563. col. 2. ubi ex ipsius historia ritus affert, quibus Francorum Reges in curando strumarum morbo usi olim fuerunt.

Anonymus S. Dionysii in Francia Monachus, vir magni judicii, necminùs veritatis amore ardens circa annum 1430. Historiam Regis Caroli VI. Francorum Latinè MS. in Regia Galliarum Bibliotheca conscripsit, Gesta hujus Regis præcipua per annos regni XLII. ab anno 1380. ad 1422. complexus, fideliter enarrans secretiora omnia, quæ ad Regni statum, & Ecclesiæ schisma perniciosissimum spectarent. Opus istud ex Latino in Gallicam linguam transtulit, & commentariis illustravit *Joannes de Laboureur*, quod cum historia Joannis Fabri de sancto Remigio ejusdem ætatis Scriptoris edendum curavit Parisiis 2. vol. in fol. an. 1663. apud Lud. Billainium. Oud. Tom. III. p. 2395.

Joannes Chartier Monachus S. Dionysii in Francia sub medium Seculi xv. *Chronicon Magnum Franciæ*, tribus voluminibus comprehensum scripsit, quod primis typographiæ temporibus sine nomine & anno impressum fuit. Vide plura apud Oudin. Tom. III. p. 2554.

Joannes Olivier, Monachus S. Dionysii propè Parisios, & ab anno 1510. Abbas S. Medardi usque ad annum 1532. quô ad Andegavensem Episcopatum evectus fuit. Vir erat magnæ doctrinæ, frater *Jacobi Olivier* Primi Præsidis in suprema Curia, atque avunculus *Francisci Olivier*, magni Franciæ Cancellarii. Vitam cum morte commutavit 12. Aprilis an. 1540. Literis consignavit res gestas Francisci I. Galliarum Regis in Chronico, cujus meminit *le Cerf* in sua Bibliotheca Hist. Crit. pag. 119.

ANDREAS VALLADIER Abbas Regularis S. Arnulphi Metensis an. 1615. Historiam Urbis Avenionensis scriptis tradidit. Mabill. Annal. Tom. V.

Jacobi du Breul in celeberrimo S. Germani à Pratis Monasterio Cœnobitæ, virtute juxtà ac doctrina eximii *Le Theatre des Antiquitez de Paris, où il est traité de la fondation des Eglises, & des Chapelles de la Cité, Université, Ville, & Diécese de Paris, comme aussi de l' institution du Parlement, fondation de l' Université, Colleges, & autres choses remarquables.* id est: *Theatrum Antiquitatum Parisiensium, ubi agitur de fundatione Ecclesiarum, & sacrarum Ædium civitatis, de Universitate, Urbe, & Diœcesi Parisiensi, veluti etiam de institutione supremi Senatûs, Fundatione Universitatis, Collegiis, rebúsque aliis memoratu dignis.* Parisiis anno 1612. 1618. 1639.

-- *Supplementum Antiquitatum Parisiensium*, eodem Authore an. 1614. quo etiam mortuus est. Prima præstantis hujus Operis editio aliis præfertur.

JOANNIS MABILLONII *Discours sur les anciennes sepultures de nos Rois.* id est: *Dissertatio de antiquis Sepulturis Regum Franciæ*, quam eruditissimus Abbas Bignonius magnis laudibus celebravit. Extat Opp. posthum. tom. 2. pag. 43 - 58.

GUILLELMI MARLOTI S. Nicasii Remensis Magni Prioris *Theatre d' Honneur, ou le Sacre de Rois.* id est: *Theatrum Honoris*, seu *Regum inauguratio.* in 4. Remis. an. 1643.

GUIDONIS ALEXII LOBINEAU è Congr. S. Mauri *Histoire de Bretagne, composée sur les titres, & les Auteurs originaux*, id est: *Historia Britanniæ Minoris, ex Tabulis & Autoribus autographis composita.* fol. Tom. II. Parisiis apud viduam Francisci Muguet. p. 1707.

--*Contre- Apologie, ou Reflexions sur l' Apologie des Armoricains.* id est: *Contra - Apologia, seu Animadversiones in Apologiam Armoricorum.* Nanneti an. 1712. in 12.

-- *Lêttre à M. de Brilhac prémier President du Parlement de Bretagne, pour servir de Reponse aux dissertations de la mouvance de Bretagne.* id est: *Epistola ad Dominum de Brilhac supremæ Curiæ Minoris Britanniæ Præsidem, quæ loco responsionis esse potest ad dissertationem de Britonum subjectione.* in 12. Nanneti an. 1712.

-- *Reponse au Traité de la mouvance de Bretagne.* id est: *Responsio ad Tractatum de subjectione Minoris Britanniæ.* Nanneti 1712. in 12. Vide le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 206. Nunc inpræsentiarum Domnus *Mauritius* ex eadem S. Mauri Congregatione novam historiam Britanniæ Minoris accuratiorem parat, necdum tamen, quod sciam, typographis dedit excudendam.

MICHAEL FELIBIEN è Congreg. S. Mauri *Historiam Lutetiæ Parisiorum,* unius

unius omnium tota Europa celeberrimæ urbis à prima ejus origine ad suam usque ætatem condidit, quam *Guido Alexius Lobineau* ejusdem Congregationis, recognitam, novis additionibus locupletatam, & quinque; voluminibus comprehensam in lucem emisit anno 1723. apud Guilielmum des Prez & Joannem des Essars. Recensio habetur in Journali des Savans anno 1726. m. Febr. pag. 116.

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri *Monumens de la Monarchie Françoise, qui comprennent l' histoire de France, avec les figures de chaque regne, que l' injure des tems a epargnées.* id est: *Monumenta Francicæ Monarchiæ, quæ ejusdem historiam complectuntur unà cum schematibus cujusque regni, quibus injuria temporum pepercit.* Tom. V. in fol. Parisiis. In Tomo I. qui anno 1729. luce donatus fuit, agitur de origine Francorum, atque eorum primis Regibus. In secundo de Wilhelmo Notho, Ludovico VI. & Regibus aliis usque ad Joannem II. In tertio usque ad Ludovicum XI. Author progreditur. In IV. tomo usque ad Franciscum I. telam historiæ deducit. Cùm verò plures & præsens opus, & illud de *Antiquitate illustrata* critico dente arrosissent, iis in præfatione respondet, quemadmodum etiam Illustrissimo Comiti Maffeio ad benignas ejus admonitiones satisfecit. Tomus V. & ultimus in Henrico IV. desinit. Vid. Journal des Savans, & Acta Erud. Lips. an. 1731. 1732. 1733. quo ultimo anno mense Junio dicitur Montfauconius Tomo IV. specimina viri doctrina præstantis, sed p. 169. & 256. documenta Monachi dedisse. Ad quod Acatholici Censoris judicium Cl. Author nec verbum respondere voluit, ut ex ejusdem literis didici. Otio enim & tempore abutitur, qui quæcunque à Sectariis in Catholicorum libris obelisco notantur, ab eorum censuris vindicare velit.

Edmundi Martene & *Ursini Durand* è Congr. S. Mauri Observationes Historicæ ad Regum Franciæ Historiam spectantes, continentur Collect. Ampliss. Tomo IV. §. I.

AUGUSTINI CALMET Abbatis S. Leopoldi Nancæi, Præsidis Congr. SS. Vitoni & Hidulphi &c. *Histoire Ecclesiastique & Civile de Lorraine*, qui comprend ce, qui s'est passé de plus memorable dans l' Archevêché de Tréves, & dans les Evêchez de Metz, Toul & Verdun, depuis l' entrée de Jules César dans les Gaules, jusqu' à la mort de Charles V. Duc de Lorraine, arrivée en 1696. avec les pieces justificatives à la fin. Le tout enrichi de Cartes Geographiques, de Plans de Villes & d' Eglises, de Sceaux de Monnoyes, de Medailles, de Monumens &c. Gravez en taille-donce. Id est: *Historia Ecclesiastica & Politica Lotharingiæ*, quâ continentur Gesta memoratu magis digna in Archiepiscopatû Trevirensi, & Episcopatibus Metensi, Tullensi, & Virdunensi, à Julii Cæsaris in Galliam adventu usque ad mortem Caroli V. Ducis Lotharingiæ, quam an. 1690. oppetiit, unà cum probationum instrumentis in fine. Omnia illustrantur chartis Geographicis, Urbium ac Ecclesiarum ichnographiis, Sigillis, Monetis, Numismatibus, Monumentis &c. æri incisis. Tomi III. in fol. Nancæi an. 1728.

-- Compendium ejusdem Historiæ in 12. Nancæi an. 1734.

-- EJUSDEM *Historia* Nobilis Familiæ *Comitum Duchatel* in fol. sub prælo tunc temporis, è quo illam interea fuisse liberatam credere fas est.

JOSEPHI VAISSETE è Congreg. S. Mauri *Dissertation sur l' origine des François.* Id est: *Dissertatio de origine Francorum.* Paris. apud Vincent. 1712 in 12.

-- *L' Histoire du Languedoc.* id est: *Historia Occitaniæ.* Vol. 5. in fol. è quibus jam tria publicam lucem aspexerunt Lutetiæ Parisiorum: supersunt duo alii tomi, qui nondum, quod sciam, sub prælo sudant. Est enim *Septimania* omnium Regni Galliæ provinciarum amplissima. In ea sunt Archiepiscopatus tres, Episcopatus novendecim. Opus D. *Vaisset* occulis nondum usurpavi, quod magna accuratione concinnatum tamen à viris eruditis audivi.

JACOBI MARTIN è Congr. S. Mauri *La Religion des Gaulois*, id est: *Religio Gallorũ*, 2. vol. in 4. Paris. 1737. apud Saugrain. Quo in opere nescias, quid magis admireris, reconditámne Gallicarum antiquitatum eruditionem, an tersissimum scribendi genus? certè hæ duæ res per omnes libri paginas plurimùm enitent, oculósque lectoris meritò perstringunt.

Urbani Plancher è Congreg. S. Mauri *l' Histoire de Bourgogne.* id est, *Historia Burgundiæ*, cujus tomus primus

mus in fol. Divione in Burgundia an. 1740. typis exſcriptus eſt; reliqui quatuor ſequentur.

Annales Francici Regni ex antiquis Scriptoribus, præcipuè Gregorio Turonenſi, Fredegario &c. congeſti à *Theodorico Ruinarto* è Congr. S. Mauri, extant poſt leges Salicas ab Eccardo editas pag. 256. Idem Ruinartus edidit, & Obſervationibus illuſtravit S. Gregorii Turonenſis Opera omnia, quæ ad elucidandam hiſtoriam Francicam multum adjumenti afferunt.

Annales Hildeneshemenſes ab anno Incarnationis Domini 714. *ad an. uſque* 1138. Cœptum eſt opus à Monacho Laureshamenſi (vid. an. 757.) continuatum à Monacho Fuldenſi (vid. poſt an. 800.) ſed pro maxima parte in Eccleſia Hildeshemenſi abſolutum. Hos Annales verò ex codice membranaceo manuſcripto Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi edidit Franciſcus Ducheſnius, ſive Quercetanus inter Scriptores Francorum Tomo III. Initia enim Francis Orientalibus & Occidentalibus communia ſunt: poſteriora in Rebus Germanicis occupantur, quantum ex ipſis locis conjectare licet. Vid. Leibnit. in Introduct. Script. Rer. Brunſv. n. xv. qui Tom. I. pag. 710. eosdem inſeruit.

§. V.

Scriptores Rerum Gothicarum, Vandalicarum, & Longobardicarum.

CASSIODORUS omnium primus *Gothorum originem atque hiſtoriam* in libros XII. diſtributam, ſub Rege Theodorico contexuit, ut in priore Præfatione *Variarum* ipſe monet. Excidit verò non modica literarum jacturâ iſtud Opus: fortunæ tamen beneficium debemus, quòd illius Epitomen *Jornandes*, ſive *Jordanes* Gothus, ex Notario Regis Alanorum Epiſcopus ab anno 552. Ravennas, concinnârit. Quod ab *Hugone Grotio* typis vulgatum fuit in hiſtoria Gothorum, Vandalorum, & Langobardorum partim verſâ, partim in ordinem digeſta in 8. Amſtelodami an. 1655. Quia verò iſte *Jornandes*, abdicato ſeculari faſtu, uti de ſe ipſe teſtatur, humilem Monachorum vitam elegit, Benedictinum inſtitutum, quod tunc temporis in Italia maximè florere cœpit, amplexus fuiſſe nonnemini viſus eſt. Sed in re incertiſſima de Jornandis monaſtico inſtituto mihi hîc diſputare animus non eſt, ne obtorto quaſi collo in numerum Familiæ noſtræ Scriptorum eum abripere videar. Etſi enim poſt mortem S. Benedicti, quam anno 543. oppetiit, illius Regula per totam Italiam propagata ſit, nondum tamen à S. Gregorio M. approbata, atque ab univerſis Monachis ſervari juſſa fuerat. Quisquis igitur Jornandes fuerit, accuratam Gothicæ hiſtoriæ notitiam habemus, inter Opera Caſſiodori collecta & edita à P. *Garetio* è Congr. S. Mauri, Rothomagi anno 1679. quam ſequutus eſt Cl. Muratorius Tom. I. Script. Rerum Italic. Vide ejus præfat. in *Jornandis* Chronicon, ubi hic alteram, ſed breviorem hiſtoriam de rebus Gothicis ſcripſiſſe dicitur.

Ejusdem Caſſiodori VARIARUM Libri XII. Epiſtolæ ſunt hiſtoricæ, in quibus multus ſermo eſt de rebus Geſtis Theodorici Gothorum Regis potentiſſimi, cujus ſupremus Cancellarius erat Caſſiodorus. Alias etiam epiſtolas ſub aliis Regibus *Athalrico*, *Theodato*, *Vittigio*, & eorum nomine ſcripſit.

Chronologia & ſeries Regum Gothorum, qui tam in Gothia Gallica, quàm in Hiſpaniis regnarunt uſque ad Caroli Martelli Francorum Principis tempora, ex Mſ.to Codice Chronici Monaſterii Moiſſiacenſis. Inter hos Reges enituit *Wamba*, qui Gothiam Gallicam, jugi impatientem, armis ſubegit, cujus expeditionem & victoriam Julianus ex Agalienſi Cœnobita (s) Toletanus Præſul literis mandavit. Ejus hiſtoriam leges apud Ducheſnium in Collectione Scriptor. Rer. Franc. tom. I. p. 821.

HIERONYMI ALLIOTI, Itali, Aretini, è Congr. Caſin. Abbatis, Viri apprimè docti, & Xyſto IV. aliquando ab epiſtolis *Hiſtoria de Gothis* aſſervatur inter alia ejus Opera Mſ.ta in Archivo Abbatiæ Aretinæ, Armellino teſte oculato, qui ea ſemel atque iterum cum cura & diligentia ſe luſtrâſſe aſſeverat Bibl. Caſin. part. I. pag. 201.

PAULI DIACONI *Hiſtoria* ſeu *ſex libri de Geſtis Langobardorum*, quos literis

(s) Juxta Wionium & Menardum; vero tamen propius eſt, quod voto tantùm non profeſſione fuerit Benedictinus. Vide infra §. VIII. de Script. Rer. Hiſpan.

literis consignavit, postquàm monasticam vitam professus fuit. *Egregium sanè Opus, quo sublato jejuna & manca nimis foret apud Italos Langobardici Regni & Populi historia*, inquit Cl. Muratorius præfat. in P. D. Hist. Langobard. Tom. I. Script. Rer. Italic. apud quem vid. Critic. l. c. de hac Hist. pag. 398. *Camillus* verò *Peregrinus* Histot. Princip. Longobard. Paulum callidè non produxisse historiam Langobardorum ad sua tempora observavit, sicut etiam nonnulla alia silentio obvelâsse. Quæ viro tamen vitio non vertenda sunt, si quis legit, quæ Leo Ostiensis in Cbronico Casinensi lib. 1. c. xv. memoriæ prodidit. Fidem enim in Regem Desiderium, cujus Cancellarius erat, vix non capite luete debuit. *Joan. Bapt. Marus* in Annot. ad cap. viij. Petri Diaconi de Vir. Illust. Casin. pag. 18. Eximium hoc opus post editiones veteres, Ascensianam, Augustanam an. 1515. cum Jornande, & Basileensem Sigismundi Gelenii an. 1532. cum Suetonio, & aliis in lucem datas, singulari studio tecensitum à *Bonav. Vulcanio* cum Jornande & aliis Rerum Gothicarum Scriptoribus Ludg. Batav. 1597. 1618. in 8. tum ab Hugone Grotio Amst. 1655. in 8. & à Joanne Grutero in Scriptoribus Latinis historiæ Augustæ minoribus Hanov. 1611. fol. Circa idem tempus *Fredericus Lindebrogius* Pauli libros hosce ad manuscriptos codices recognitos notis illustravit, addito supplemento insigni capitum postremorum Libri sexti LIX. LX. LXI. quod deinde in Freheti Scriptoribus Francicis ex Manuscr. Palatino, & in Bibliotheca Patrum edit. Lugdun. Tom. XIII. in quâ pag. 161. illi libri extant pag. 312. tecusum legitur. Præclara editio Lindebrogiana lucem vidit Hamburgi 1611. Denique hosce *Pauli* libros cum variis lectionibus Codicum Ambrosiani & *Modoitiensis* & notis Cl. Viri *Horatii Blanci* exhibuit laudatissimus Muratorius. Tom. I. Thes. Script. Ital. pag. 305. Mediolani 1723. fol. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. xv. pag. 626. Quædam alia leges apud Caveum in Hist. Liter. ad an. 774.

ERCHEMBERTUS è Longobardorum illustri stemmate, genus sumens è Beneventanis Ducibus, Monachus Casinensis, scripsit *Chronicon* sive *Historiam Longobardorum*, cujus prototypon putatur periisse; tempore tamen Desiderii Abbatis Casin. qui postea fuit *Victor* Papa III. exscriptum fuisse ita ipso mandante, testatur Petrus Diaconus in auctario Chron. Casin. Lib. III. cap. LXII. edit. Venet. Fusioris enim hujus historiæ epitomen, seu potiùs auctarium ad historiam *Pauli Diaconi* de Gestis Langobard. an. DCCCLXXXVIII. ab ipsomet Ercbemberto confectum, ut creditur, Vir. Clar. *Antonius Caracciolus* ex Ord. Cler. Reg. primùm ex MS. Codice Vaticano edidit, notísque illustravit, & typis Neapoli an. 1626. in 4. publicavit unà cum Chronico Lupi Protospatæ, Falconis Beneventani, aliorúmque. Verùm postremo loco eruditissimus *Camillus Peregrinus* suæ Langobard. historiæ prædictum Chronicon, seu Epitomen, scholiis ornatum solitâ diligentia ac eruditione attexuit: unde qui plura volet, apparatum, notásque ejusdem consulere poterit. Vide etiam Philippum Labbeum in nova Bibl. Mss. librorum part. 1. pag. 111. & 366. Denique *Leo Ostiensis* in Chron. Cassinensi sanè meminit Erchemperti, è quo plurima desumpsisse videtur, ut lib. 1. cap. 9. & 19. 46. Et Card. *Baron.* ex Ercbemperti historiâ multa pariter bausisse, atque in suos Annales inseruisse, facile videre est. Lege ipsum ad an. 871. 872. 874. & 912. vide *Marum* annot. ad c. 14. p. 27. Novissimè *Lud. Ant. Muratorius* Chronicon breve Erchemperti inter Scriptores Rer. Italic. Tom. II. pag. 237. recudi fecit. Item Eccardus Tom. I. Scriptot. med. ævi pag. 50 - 90. Consuli etiam potest *Cave* in Hist. Lit. & Angelus de Nuce in Notis ad Leon. Marsicani Cbtonicon Casin. Lib. 1. c. 46. pag. 321.

Casinensis Monachi, sed cujus nomen ignoratur, *Historia Rerum à Langobardis gestarum in Cis-Tiberina Italia* ab anno Christi 840. ad 875. à Camillo Peregrino in Historia Principum Longobardorum, Neapoli an. 1643. typis commissa, iisque in Burmanniani Thesauri Italiæ Tomo IX. & Script. Rer. Ital. Muratorianæ Collectionis secundo recusa.

Casinensis alius Monachus æquè ignotus elucubravit Chronicon Langobardorum, seu Monachorum de Monasterio sanctissimi Benedicti, Annorum collectiones, successiones tantùm continens, quibus Beneventi Dynastæ, & Abbates Casinenses præfuere à tempore Ducis Gregorii, & Abbatis

batis Petronacis, hoc est, ab anno DCCXX. ad ævum usque Abb. Bertharii. Edidit primus in lucem *Camillus Peregrinus* Neapoli an. 1643. inter Scriptores Historiæ Principum Longobardorum; Cl. verò Muratorius Tom. II. Script. Rerum Italic. intexuit pag. 270.

Joannis Abbatis Cassinensis, antea Archidiaconi Civitatis Capuanæ, Chronicon postremorum Comitum Capuæ vulgatum primitùs à *Camillo Peregrino*, à Muratorio autem l. c. iteratis typis impressum. pag. 272.

Salernitani Monachi Anonymi, vitæ instituto Benedictini, Desloratæ partes septem ex Historia Principum Langobardorum Beneventi. *Camillus Peregrinus* & *Lud. Ant. Muratorius* ediderunt l. c. pag. 287.

Monachi Anonymi Monasterii Benedictini sanctæ Sophiæ Beneventanæ Chronicon Ducum & Principum Langobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modò Regnum ferè est Neapolitanum. Iidem loc. cit. p. 320.

Pleniorem notitiam de hisce Historiæ Langobardicæ auctoribus suppeditabit *Camillus Peregrinus*, qui eorum lucubrationes, si Pauli Diaconi historiam demas, simul junctas recensuit, notis illustravit, atque publicâ luce donavit anno 1643. sub nomine *Historiæ Principum Langobardorum*. A quâ editione propemodùm se absterreri esset passus, nisi animum ejus *Constantinus Cajetanus* Abbas S. Baronti è Congr. Cas. confirmâsset. Id quod subinde Camillus gratâ mente recognoscens æternis literarum monumentis in hæc verba tradidit: „ At his dum cruciabar molestiis, adfuit V. C. Abbatis *Constantini Cajetani*, Monachi Casinensis, de me, immò de omni antiquitate bene promerendi consuetus amor, qui ultronea humanitate, literis Romæ datis, scriptum Chronicon communicavit, Ducum & Principum Beneventi ex antiquo Vaticano Codice olim à se exceptum: exemplúmque transmisit Chronici postremorum Comitum Capuæ, quod alterum à meo penes se esse intellexeram, ac petieram. Quibus opportunissimis acceptissimisque donis, ac si Tyndarides illuxissent mihi faces salutares, omnis sedata est mentis fluctuatio: agnovi enim laudato & cordato viro susceptam à me provinciam cordi, ac laudi fuisse, qui somenta præstitisset operi aliis improbato. „ Hæc ille.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

THEODERICUS RUINART è Congreg. S. Mauri anno 1694. *Historiam persecutionis Vandalicæ à Victore Vitensi Episcopo* olim conscriptam, à se autem notis & observationibus doctissimis illustratam juris publici fecit Parisiis in 8. apud Theodorum Muguet. Sed quia *Victor* multa prætermiserat, & narrationem suam intra solius Africæ fines concluserat, quamvis ad longè plures provincias persecutionem Genserici pervasisse fateatur; omissa ab eo supplere studuit Ruinartus, rémque altiùs repetens totam historiam à tempore, quod à prima Vandalorum in Gallias impressione effluxit, usque ad exstinctum eorum in Africa imperium, id est, annos circiter centum, & viginti octo persecutus est. Et ut major ei lux affulgeret, de imperii vicissitudinibus, ac de illis Principibus, qui tunc temporis imperârunt, breviter egit, veteráque nonnulla interseruit scripta, quæ historiam confirment & illustrent, filo tamen minimè interrupto. *P. Massuet in Elogio Ruinarti*, quo frontem Tomi V. Annalium Ord. S. B. condecoravit. Vid. etiam *le Cerf.* in Bibl. Hist. Crit. pag. 436.

§. VI.

Scriptores Rerum Normannicarum.

JUvat eos primùm Benedictinos recensere, quos *Andreas Duchesnius* inter Historiæ Normannicæ Authores in unum corpus collectos, & in ordinem digestos, anno 1619. Lutetiæ Parisiorum in publicum dedit.

1.) Chronici *Rheginonis* Abbatis Prumiensis Excerptum de Normannorum gestis. pag. 7.

2.) Annalium in Fuldensi Monasterio scriptorum Excerptum de Danis & Normannis. pag. 14.

3.) Alia variorum Chronicorum Excerpta de Normannis. pag. 19. inter quæ est Fragmentum ex Historia de Gestis Pontificum & Comitum Engolismensium, authore *Hugone* Abbare Engolismensi.

4.) *Abbonis* de obsessa à Normannis Lutetiâ Parisiorum libri duo. pag. 35.

5.) *Emmæ* Anglorum Reginæ, Richardi I. Ducis Normannorum filiæ encomium libris duobus compre-

 hen-

hensum, authore Monacho anonymo S. Bertini, qui sub annum 1004. vixit, atque opus suum Emmæ adhuc viventi nuncupavit.

6.) *Willelmi Calculi* Gemmeticensis Monachi Historiæ Normannorum Libri VIII. pag. 215.

7.) *Orderici Vitalis* Angligenæ, Cœnobii Uticensis, seu sancti Ebrulfi Presbyteri & Monachi Historiæ Ecclesiasticæ Libri XIII. pag. 320.

His septem Scriptoribus à Duchesnio in lucem datis alii plures adjungi volunt, nempe

AMATUS, Monachus Casinensis, & Episcopus, sed incertæ sedis, circa annum 1080. clarus; qui historiam Normannorum edidit, eandémque in libros VIII. divisam dicavit Desiderio Abbati, qui fuit Victor Papa III. teste Petro Diacono in auctario Chron. Casin. lib. 3. cap. 35. illam hodie non extare nisi MS. in Casinensi Bibliotheca affirmant aliqui, non exiguo sanè Historiæ Ecclesiasticæ, ac prophanæ bono, cùm in ea, multùm scitu accuratéque descripta legantur, præcipuéque verò Nortmannorum ritus ac res gestæ fideliter exaratæ explicentur. *Marus* in annot. ad c. 20. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caf. pag. 37.

GAUFREDUS agnomento *Malaterra* in Normannia Galliæ provincia natus, floruit circa annum 1099. Nomen suum posteris comendavit, scribendo res à Normannis in Apulia & Sicilia gestas. Exorditur autem à primo Normannorum adventu in Apuliam, suámque historiam deducit ad annum 1099. Scripsit Historiam hanc jussu ipsius Rogerii Siciliæ Comitis (qui Roberti Guiscardi frater fuit) ut intelligas, quanta in æstimatione fuerit apud Principem illum. Edita primùm fuit Gaufredi Historia à Hieronymo Surita, & dicata doctissimo Viro Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi. Tum Francofurti recusa est an. 1606. Tomo III. Hispaniæ illustratæ, curante Johanne Pistorio Viro Clar. Anno demùm 1723. iterùm in lucem prodiit aucta variantibus lectionibus à Cl. V. Jo. Baptista Carusio in sua Collectione Scriptorum Siculorum ope veterum Mss. quos ille in sua Præfatione tecenset. Anno sequenti inter Rer. Italic. Scriptores Tom. V. pag. 536.

ALEXANDER CELESINI, rectiùs TELESINI, in Campania Felice *Telesiæ* Cœnobii Abbas, Normannorum Principum res gestas in Regno Siciliæ & Neapoli prosequutus est libris IV. non verò sex, ut Oudinus habet. Exorditur Historiam suam à Guilielmi Ducis Apuliæ morte, quæ anno 1127. contigit, eámque perducit ad finem usque anni 1135. quô nempe Rogerius Rex *Amfulso filio suo Capuanum Principatum* tradidit, ut habet Anonymus Casinensis. Primus, qui Librum hunc in publicum protraxit, fuit Hieronymus Surita, cujus curâ editus est Cæsaraugustæ unà cum *Gaufredo Malaterra* anno 1578. typis Dominici Portonarii. Rursus verò excusa est eadem Historia Francofurti anno 1606. Tom. III. Scriptorum Hispaniæ illustratæ. Denique an. 1724. Tom. V. Scriptor. Rer. Italic. pag. 605. Legenda est præfatio Lud. Ant. Mutatorii, ubi Gerardi Johannis Vossii errata, circa Alexand Lib. 2. de Hist. Lat. cap. 53. ab eo admissa, corriguntur. Hanc editionem anno uno prævenit *Panormitana* Joannis Bapt. Carusii in Scriptoribus Siculis, & *Lugdunensis Batavorum* annis duobus in Tomo V. Thesauri Antiquitatum Siciliæ.

JOANNES Majotis Monasterii Monachus juxta urbem Turonensem anno 1154. florebat, qui scripsit *Acta Gaufridi Andegavensium Comitis & Normanniæ Ducis, Plantagenistæ rognominati*: quæ ex MS. codice Parisiis edidit Laurentius Bouchel, causarum in Parlamento Parisiensi Patronus, anno 1610. in 8. apud Petrum Chevallier. Non item impressa, utì debuerant, ab Andrea Duchesnio in collectione Scriptorum Rerum Normannicarum anno 1619. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Oudin. Tom. II. p. 1421.

THOMÆ WALSINGHAMI, Monachi ad S. Albanum in Anglia, *Hypodigma Neustriæ*, de quo Tindalii judicium, cùm breve ac bonum sit, audite juvat: Son *Hypodigma Neustriæ* comme il l'appelle, est une relation de ce, qui se passa en Normandie, depuis le tems, qu' elle tomba entre les mains de Rollo, & des Danois, dont il étoit le Chef, jusqu' à l' an sixieme du Regne d' Henri V. Les Lecteurs y peuvent trouver bien des évenemens, qu' on ne trouve point ailleurs. id est: *Hypodigma Neustriæ*, *uti ab eo appellatur*, *est Historia rerum gestarum in Normannia*, *ab eo tempore*, *quo à Rollone*, *Danorum Duce*, *armis subacta fuit*, *usque ad sextum annum Henrici V. Narrantur in ea varii eventus*

tus

tus, qui alios apud auctores frustra quæruntur. Juris publici fecit Parkerus an. 1574. unà cum ejusdem Walsinghami *Historia Brevi*. V. Remarques Historiques sur Rapin Thoyras par Mr. Tindal. pag. 138.

ROBERTI de MONTE *Tractatus de immutationibus Monachorum, de Abbatibus, & Abbatiis Normannorum, & ædificatoribus, ac dotatoribus earum.* Normanni; cùm ethnicæ adhuc superstitioni addicti essent, innumera per totam latè Galliam monasteria cædibus, rapinis, atque incendiis devastârunt: ubi verò Christiana sacra amplexi fuerunt, nihil illis liberalius, nihil in viros Religiosos magis beneficum. Author igitur de Ducum Normanniæ piis operibus in monasteriis vel novis exstruendis, vel excisis in pristinum statum restituendis breviter aliqua commemorat. Exordium capit à Rollone, qui è sacro Fonte Roberti nomen ferens, angustia temporis exclusus fuit, ut ante obitum suum nullum monasterium vel instituere vel renovare potuerit; multas tamen possessiones Ecclesiis & Monasteriis donavit. *Willelmus* filius ejus, cognomento *Longa Spata*, aliique posteri, & nobiles Normanni posteà recensentur. Extat verò *Roberti* Tractatus ad calcem Operum Ven. Guiberti de Novigento, quæ Lucas Acherius Parisiis edidit an. 1651.

ANONYMI Monachi Cathedralis Ecclesiæ Neritinæ *Chronicon breve Nortmannicum ab anno* 1041. *usque ad annum* 1085. *è Ms. Codice Neritinæ Ecclesiæ editum* Tomo V. Scriptorum Rer. Italic. Vid. Tafuri In Serie Chronol. Scriptor. Neapol. Part. I. Continuat.

§. VII.

Scriptores Rerum Anglicarum.

ÆTHELWOLPHUS, ETHELWOLFUS (*Lupus nobilis*) patriâ Bernicius, Anglo-Saxo, Monachus Lindisfarnensis circa an. 820. scripsit *de Regibus & Regnis, & Episcopatibus totius Angliæ*. Item *de tempore Regum Britannicorum*. Quæ Opera inter Codices Mss. Collegii S. Benedicti Cod. 1380. apud Cantabrigiam asservantur. S. Æthelwolphus vero elucescentibus ejus virtutibus ex Monacho non Lindisfarnensi sed Glasconiensi, ut Pitseus habet, primùm factus est Abbas Abindonensis, & tandem Episcopus Vintoniensis.

ASSERIUS MENEVENSIS, natione Anglus, inter primos Benedictinos Oxoniensis Academiæ Professores unus, tum Schireburnensis, vel ut hodie vocant, Sarisburiensis Episcopus, scripsit Saxonicè vitam *Alfredi*, Angliæ Regis, à Mathæo Parkero Latinè vulgatam Londini anno 1574. fol. unà cum Præfatione Saxonica, quæ iterùm edita literis Latinis per Guillelmum Cambdenum Francof. 1602. fol. hinc cum Notis Henrici Speelmanni prodiit Oxoniæ 1678. fol. denique edidit Thomas Hearne an. 1707. in 8. Codex autem Ms. quô usus est Parkerus, extat in Bibl. Cotton. Extant alii in Bibl. Bodl. nec non Jacobæa, sed Codex iste recenti admodùm manu scriptus est. Asserium veracem Regis Alfredi Historicum vocat *Joannes Bromptonus* in Chronico Jorvallensi col. 753. Twyni de illo judicium legeris in M. B. E. p. 658. col. 2. Ejusdem ASSERII *Chronicon* sive *Annales* à Julii Cæsaris in Britanniam adventu usque ad suam ætatem primus edidit Thomas Galeus inter Scriptores Rerũ Anglicarum, Londini an. 1691. in fol. pag. 141. unà cum paralipomeno alterius auctoris (quod additum jam memorat Baleus II. 25.) usque ad an. 914. Unde non valet argumentum, inquit Cl. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Lib. 1. p. 381. quo Annales hosce Asserio abjudicat Oudinus, quòd ad annum 909. legantur hæc verba: *Asserius Schireburnensis obiit, & Fritestanus suscepit Episcopatum Wintoniæ.* Annales illos Chronicon S. Neoti vocat Lelandus, quòd in Monasterio S. Neoti illos vidisset sine nomine auctoris. Idem cap. 118. 119. vitam Alfredi *Librum Annalium* appellat, in quo Regis Gesta *pro rei majestate tanquam rarus Apelles depinxerit*, cujus venustate captus Marianus Scotus ex ea selegerit, quibus suam historiam interpolaret.

SULCARDUS Westmonasteriensis Monachus & Chronographus Sec. XI. Chronicon de Rebus Angliæ condidit, quod inter *Britannicarum rerum Scriptores vetustiores*, Heidelbergæ apud Hieronymum Commelinum an. 1587. in folio *Bedæ* libris V. Historiæ Ecclesiasticæ proximè junctum prodiit sub nomine Anonymi cum hac inscriptione: Incerti Auctoris *de Gestis Anglorum Libri III. ab anno* 731. *ad an.* 1100.

TURGOTUS Monachus primùm Dunelmensis, tum sub Guillelmo Episcopo

scopo Dunelmensi in tota illa Diœcesi Vicarius Generalis, deinde Malcolmi Scotorum Regis, ac sanctæ ejus Conjugis Margarethæ Confessarius, ac denique Episcopus S. Andreæ in Scotia scripsit *eorundem Regum vitas*, *ac librum unum de Regibus Scotorum*, patrio quidem sermone, sed ornatissimo, ut Hector Boetius testatur. Obiit supremum diem an. 1115. Pitseus æt. 12. pag. 195.

INGULPHUS patriâ Londinensis, dignitate Croylandensis Abbas sui Monasterii historiam ab anno 664. ad annum circiter 1091. conscripsit, cui tamen varia Regum Anglorum Gesta hinc inde intexuit. Hæc Historia ab Henrico Savilio inter V. Scriptores Rer. Anglic. publici juris facta est Londini an. 1596. cui Fastos Regum & Episcoporum Angliæ usque ad Wilhelmum Conquæstorem subjecit. Sed locupletior, ac multò emendatior lucem aspexit Oxoniæ è Theatro Scheldoniano an. 1684. in fol. novam editionem accurante *Joanne Fello* Oxoniensi Episcopo.

EADMERI Monachi Cantuariensis, & discipuli S.Anselmi HISTORIA NOVORUM, sex libris distincta, ab anno 1066. ad annum 1122. quæ tempore Cæsaris Baronii, Annalium Ecclesiasticorum parentis, necdum vulgata fuerat, & quæ à Joanne Seldeno cum Notis & Spicilegio Londini an. 1623. à Gabriele Gerberonio Parisiis anno 1675. cum S. Anselmi Operibus prælo subjecta fuit. In hac *Historia Novorum* Eadmerus præcipuæ curæ habet, ut rerum immutationes, quæ suis temporibus in Anglia evenerunt, non accurato minùs, quàm sincero sermone exponat, ejúsque calamus iis narrandis, quæ inter Reges Angliæ & S. Anselmum Cantuariensem Episcopum gesta fuerunt, potissimùm occupatur. Antonius Pagius Eadmeri *Libros Novorum* magno Historicæ veritatis compendio in lucem prodiisse affirmat; est enim Author in Chronologia accuratus. Pagius ad an. 1122. n. IX. pag. 430. col. 2.

FLORENTII BRAVONII, Monachi Wigorniensis in Anglia Sec. XII. ineunte Chronicon ab initio Mundi usque ad annum 1118. ab altero autem ejusdem Cœnobii Monacho ad annum 1163. productum, inter *Rerum Anglicarum Scriptorum* Opera locum sortiri meretur, quia eidem Latinè suis locis interseruntur veteres Anglo-Saxonum Annales. *Guilielmus Howardus* hoc Chronicon ex propria Bibliotheca Londini anno 1592. in 4. vulgavit. Opus minimè obvium, quod in nulla Scriptorum Rer. Anglic. Collectione reperies, atque in Francofurtensi. Vitâ cessit Florentius an. 1119. de eo Tindalius in Notis ad Rapin Toyras: *Florent, Moin de Worcester, écrivit une Chronique, qui finit avec sa vie en 1119. & qui fut continuée cinquante ans de plus par un autre Moin du même Monastere. Il abrega ou copia* MARIANUS, *y ajoutant plusieurs recueils, qu' il tiroit de la Chronique Saxonne, & d' autres Ecrivains, avec beaucoup de soin, & de jugement. On le blâme de s'être attaché trop scrupuleusement à ses autorités, jusqu' à adopter leurs meprises.* id est: *Florentius Monachus Wigorniensis scripsit Chronicon, cui unà cum vita anno 1119. finem imposuit, & quod ab ejusdem cœnobii Monacho annis quinquaginta & pluribus continuatum fuit. Mariani Chronicon in synopsin redegit, annectendo plura eidem collectanea, quæ ex Chronico Saxonico, aliisque Scriptoribus insigni cum industria & judicio deprompsit.* Notatur tamen, quòd æquo scrupulosiùs eorum premat vestigia, ita, ut nec res eorum levidenses prætermittat.

WILHELMUS natione Anglus, patriâ *Somersetensis*, inde *Somerset* dictus, Cœnobii *Malmesburiensis* Monachus, Bibliothecarius & Scholiarcha, claruit an. 1130. Obiit an. 1143. De eo hæc Illustris Savilius (epist. ad Eliz Regin. Collectioni suæ præmissa) quo nemo judicium censorium ferre meliùs poterat: *Inter vetustissimos rerum nostrarum Authores, & narrationis fide & judicii maturitate principem locum tenet Guilielmus Malmesburiensis, homo, ut erant illa tempora, literatè doctus, qui septingentorum plus minus annorum res tantâ fide & diligentiâ pertexuit, ut è nostris propè solus Historici munus explêsse videatur.* Ejus Opera sunt

Libri V. Regalium, sive *de Rebus Gestis Regum Anglorum à primo Saxonum adventu ad vicesimum octavum Henrici I. Regis annum*, viz. ab anno 449. ad an. 1127. ad Robertum Glocestriæ Comitem, Henrici I. filium nothum.

Historiæ Novellæ Libri II. ab anno 1127. ad an. 1143. posteà additi, & eidem Roberto dicati.

De Rebus Gestis Pontificum Anglorum

rum Libri IV. à primo Augustini adventu ad suum usque tempus.

Historias istas de Rebus Anglicis in unum collegit, atque edi curavit Henricus Savilius Londini an. 1595. recusæ fuerunt Francofurti typis Wechelianis an. 1601. Vide Guil. Cav. Hist. Lit. pag. 577. Thom. Pope Blount in Cens. celebr. Autor. pag. 378.

SIMEONIS DUNELMENSIS Monachi ac Præcentoris *Historia de Obsidione Dunelmi*. Item *Historia de Gestis Regum Anglorum ab anno 716. ad annum* 1129. Quam historiam ad annum 1154. per annos xxv. *Joannes Hexbam* Prior Hagulstadensis Monasterii continuavit. Extat inter decem Scriptores Historiæ Anglicanæ Rogero Twisdeno & Joanne Seldeno curantibus editos Londini an. 1652. in fol. ad calcem Simeonis Dunelmensis Tom. I. pag. 157-282.

BENEDICTUS Abbas Petroburgensis in Anglia, Prior anteà Cathedralis Monasterii Cantuariensis elucubravit *Chronicon de Gestis Henrici II.* Angliæ Regis, qui Hiberniam Angliæ subjecit, & *Richardi* (qui post Henricum II. Regni gubernacula an. 1189. moderari cœpit) ab anno 1170. ad Richardi obitum an. 1199. Extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Julii Litera A Codice XI. n. 4. Hanc historiam ab Henrico Whartono Tomo I. Angliæ Sacræ pag. 169. laudatam, ob documenta & narrationes de consiliis politicis & ecclesiasticis illorum temporum, è qua multa Johannes Bromptonus & Rogerus Hovedenus exscripserint, magnifaciendam scribit Thomas Smith in Cat. Bibl. Cotton. pag. 3. cap. 1. quod etiam Guilielmus Nichelsonus in Bibliotheca Historica Angliæ edita Anglicè Londini an. 1714. fol. 77. notavit.

ROBERTUS à MONTE Abbas S. Michaëlis in Periculo Maris *Gesta Henrici II. Regis Anglorum* literis consignavit. Vid. Oudin. Tom. II. col. 1626.

CARADOCUS Monachus Lancarovanensis circa annum 1150. scripsit *Historiam Britonum*, sive *Britannorum successiones*, sive, ut est in disticho veteri apud Pitseum, Vossium aliósque,

Historiam Britonum doctus scripsit Caradocus
Post Cadwalladrum regia scripta notans.

Latinô non Britannicô sermone usum fuisse, Lelandus cap. 162. sibi persuasum habebat, qui in lucem emissurum etiam, si usquam repperturus fit, Opus illud recepit. Usque ad Cadwalladrum Regem Venedotarum, sive ab anno 676. historiam produxerat *Gualterus Calenius*, Archidiaconus Oxoniensis circa annum 1120. Cadwalladro Idwalla successit. Historia *Caradoci* MS. in variis Angliæ Bibliothecis extat, teste Fabric. Bibl. med. Lat. Lib. III. pag. 919.

OSBERNUS CLARENTIUS, Lelando cap. 158. CLARANUS, Anglus, Prior Monasterii S. Petri Londinensis, circa an. Chr. 1136. scripsit accurata diligentia, pari elegantia, nec dispari fide vitam & res gestas S. Eduardi Regis & Confessoris, & Alberico Sedis Apostolicæ apud Anglos pro Innocentio II. Papa Legato dedicavit. Item vitam S. Ethelberti, sive Athelberti Regis & Confessoris ad Gislibertum Episcopum Henefortensem. Claruit post annum 1136. uti Boltonus Buriensis in majore Catalogo testatur apud Pitseum æt. 12. p. 205.

RICHARDUS DIVISIENSIS, natione Anglus, Wintoniensis Monachus, Vir vere Religiosus, integer vitæ, & non vulgaris doctrinæ, claruit Seculo XII. exeunte sub annum 1150. Quibus nominibus apud suos magnæ fuit existimationis, sed parùm extra privatos parietes notus, quia totam ætatem in solitudine monastica exegit, strictissimæ disciplinæ se submittens. Cùm esset jam ætatis maturæ ne vacuas horas otiose elabi sineret, historias Angliæ diligenter pervolvit, in quibus magnam peritiam consecutus, ut suos labores faceret omnium fructus, scriptis plurima in eo genere laude digna commisit, & posteris ad utilitatem publicam reliquit. Scripsitque maximè ad Robertum aliquando suum Priorem, posteà Monachum Carthusianum

Tempora Regis Richardi, id est, Res sub hoc Rege gestas, *Lib. un.* Venerabili Patri & semper. Itémque

Epitomen Rerum Britannicarum. Lib. duos. Britannia insula est. Asservantur hæc Richardi Opera in variis Angliæ Bibliothecis; nominatim inter MSS. Codices Bibl. Cotton. sub effigie Domitiani literâ A. Cod. 13. num. 2. *Chronicon Richardi Divisiensis, Monachi Wintoniensis, de rebus tempore Regis Richardi I. & de Gestis ipsius in Palæstina, ad Robertum illius Ecclesiæ Priorem, qui se in Carthusiam receperat.* Pitf. æt. 12. p. 255.

RICHARDUS HAGULSTADENSIS, natione Anglus, patriâ Northumbranus, pro-

professus in *Hagulstadensi* cœnobio, ubi tandem factus est Prior. Nam illic in monasticis & literariis disciplinis, omníque genere pietatis ab adolescentia sollicitè institutus, *Joannem*, Priorem & Magistrum suum, tam diligenter imitatus est, ut ei in officio substitui, ejúsque loco docere dignus tandem haberetur. Cùm autem jam Prior constitutus esset, non minùs, quàm anteà, imò multò magis sui præceptoris vestigia secutus est, erátque prædecessori suo in sociorum regimine, in vita, moribus, studiis, modo docendi, & scribendi genere per omnia simillimus: adeò, ut dum discipulus viveret, in eo expressa Magistri imago semper vivere videretur. Nam & Richardus, licèt suos Confratres Philosophiam & Theologiam publicè doceret, privatim tamē historias legere solebat, & tandem res temporis & maximè suæ gentis accuratè perstrinxit. Nam præter illa, quæ ab initio mundi breviter ex aliis antiquis collegit, ætatis suæ Chronicon composuit, ab anno scilicet salutis 1134. usque ad annum 1192. quo forsan vitam simul & historiam finivit. Hanc autem historiam in tres libros, ut sequitur, distribuit:

De Gestis Regis Stephani, Lib. un. Anno Verbi Incarnati 1135. MS. Cantabrig. in Colleg. S. B.

De Gestis Henrici II. Lib. un. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1156.

De bello Standardii, Lib. un. Mox autem aliqui eorum. Tandem in Cœnobio suo mortuus est, & sepultus circa an. Dom. Incarn. 1192. *Pitseus* æt. 12. pag. 258.

GERVASIUS, natione Anglus, Monachus Cantuariensis claruit anno 1200. Erat tam diligens antiquitatum Britannicarum scrutatot, ut selectiores quosque auctores pervolverit, qui res tum Britonum tum Saxonum gestas ante eum tractaverant. Quod ad historiam civilem spectat, cujus Scriptores hoc loco recensemus, reliquit Chronicon retum in Anglia gestarum ab anno 1122. ad an. 1199. Cætera ejus Opera ad Historiam cùm Ecclesiasticam tum Monasticam spectant. Vid. Pitseum æt. 13. pag. 268. ubi quædam alia Opera de *Britonum origine*, de *regunculis Britanniæ*, de *Saxonibus & Normannis* historiam commemorat.

JOANNIS de WALLINGFORD, Angli, *Magistri de Cella* nuncupati, ex Priore Wallingfordiæ Abbatis S. Albani XXII. anno 1214. demortui Chronica ab an. 449. ad 1026. excerpta ex diversis Historiographis, qui de rebus Anglicis, & Regibus Angliæ scripserunt. *Thomas Galeus* inter Historiæ Britannicæ Scriptores quindecim loco undecimo edidit Oxonii an. 1691. in fol. à p. 525-550. sed mendosè, resectis, & obtruncatis multis, quod haud sinceri editoris est.

ROGERI de VENDOVERA, Monachi S. Albani in Anglia Historiographi Regii *Chronica Gentis Anglicanæ*, in qua seriem rerum in Anglia gestarum laudatissimo labore usque ad annum Christi 1235. deducit. *Pitseus* ætate 13. cap. 332. ex Mathæo Westmonasteriensi.

MATHÆI PARISIENSIS *Historia major* à Wilhelmo Conquæstore ad ultimum annum Henrici III. fol. Londini an. 1571. sæpiùs recusa, Tiguri 1606. it. Londini 1640. Paris. 1644. Ultima editio, quæ in folio etiam Londini an. 1684. prodiit, primas obtinere dicitur: ejus titulus est: MATHÆI PARIS *Historia major*, *juxta Exemplar Londinense* 1640. *verbatim recusa.* Accedit ejusdem Vita duorum Offarum, sive Offanorum, Merciorum Regum, & XXIII. Abbatum S. Albani, cum libro additamentorum, Editore Willielmo Wats, qui & varias Lectiones, Adversaria, Glossariúmque adjecit, fol. Lond. 1684. Excelluit *Mathæus Parisiensis* suo ævo tantoperè in arte pictoria, architectonica, Mathesi, Poësi, Oratoria, Theologia, & Historia, ut se superiorem non ullum habere crederetur. Dominus *Tindalus* de eodem in hæc verba Gallicè scribit: „ *Matthieu Paris*, Moine de S. *Alban*, un des plus renommés Historiens d' Angleterre. Son *Historia Major* contient au long les Annales de huit Rois d' Angleterre, depuis *Guillaume le Conquerant*, jusqu' à Henri III. Elle fut publiée premierement à Londres en 1571. & reimprimée avec des additions & des differentes Leçons par le Dr. *Wats à Londres* en 1640. De puis l' année 1259. dans la quelle M. *Paris* mourut, jusqu' à la mort d' Henri III. Cette Histoire fut continuée par *Guillaume Rishanger*, Moine de la même Confrerie. Tout l' Ouvrage de M. Paris fait voir beaucoup de candeur, & d' exactitude de la part de l' Auteur, qui

„ tacon-

„ raconte si bien en particulier la courageuse resistance de quelques Souverains d' Angleterre aux usurpations du Siege Romain, que c'est une merveille, qu'une histoire si heretique ait pû parvenir jusqu' à nous.

„ On en voit une belle *Copie*, qu' on croit écrite de la propre main de l' Auteur, dans la Bibliotheque du Roi à S. *James*. M. *Paris* écrivit un Extrait de son Histoire que *Lambard* appelle son *Historia minor*, à cause qu' il y a passé sous silence plusieurs particularités de remarque, qui sont dans son *Historia Major*. On pretend, que M. Paris, a eu peu de part à toute cette histoire, ayant commencé seulement en l' année 1235. & ayant trouvé le reste tout fait par un nommé *Roger de Windlesbore*, ou Windhor (ou de *Wendover*, Prieur de *Bealvair*) comme il se voit dans la Copie MSS.[te], qui est dans la Bibliotheque du Chevalier *Cotton*. Ce Prieur a étoit un des Predécesseurs de M. Paris, dans le même Monastere. V. *Remarques* sur Rapin Thoyras par M. Tindal. p. 99. seq.

Parem in modum *Casaubonus*, *Caveus*, cæterique ferè omnes Acatholici à candore & studio veritatis mirificè *Mathæum Parisium* commendant, allatis *Krantzii* verbis, qui eum vocat apud Conringium in notis de Scriptoribus XVI. Seculorum p. 128. *doctum, diligentem, & candidum Historicum, nihil dissimulantem, Regi Henrico III. charissimum &c.* Contrà verò inquit *Gravesonius* Hist. Eccl. Sec. XIII. pag. 157. *Mathæum Parisium* nullam mereri fidem in his, quæ scripsit de Ecclesia Romana, & de Summis Pontificibus, quos passim injuriatum plaustris onerat, & canino dente carpit, mordet, & exagitat. Hinc Henricus Spondanus in Continuatione Baronii ad annum MCCXXV. num. VI. ait, se nullam adhibere fidem *Mathæo Parisio in rebus Pontificum & Ecclesiæ Romanæ mentiri assueto.* Adducit Gravesonius etiam Baronii testimonium ad annum nonagesimum sextum his verbis: *Quàm fuerit animo infensissimo erga Apostolicam Sedem, quivis facilè poterit intelligere: nisi probra illa fuerint additamenta ejus, qui edidit. Quæ si quis demat, aureum sanè dixeris Commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregiè contextum & coagmentatum inveniatur.* Alia Mathæi vitia & virtutes legi possunt apud Oudinum Tom. III. pag. 2040. & seq. ubi Operum ejus texit Catalogum. Excusatur iis Parisius, qui ejus Opera ab hæreticis interpolata & corrupta fuisse putant.

– EJUSDEM *Historia Minor*, *quæ est Epitome Majoris.* Liber unus. Inc. Considerans prolixitatem Chronicorum Angliæ. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item in privata Bibliotheca Comitis Arundelii. Pits. æt. 13. pag. 339.

GUILLELMUS RISCHANGER Monachus S. Albani & Historicus Regius ad *Joannem* ejusdem Monasterii Abbatem ab anno Domini ad suam usque ætatem (claruit ab anno 1270. usque ad annum 1312.) Chronicon insigni labore composuit. EJUSDEM *Chronicon de duobus bellis apud Lewes & Evesham in Regem Angliæ & Barones suos infra biennium commissis.* Item continuavit Mathæum Parisiensem ab anno 1260. usque ad ultimos annos Henrici tertii, hoc est, ad an. 1273. quô jam scribebat; quam habes ad calcem Historiæ *Mathæi* istius, in ultimis editionibus annorum 1640. & 1684. De his & aliis ejus Tractatibus Historicis vid. Oud. Tom. III. col. 525. & quos citat.

BARTHOLOMÆUS de COTTON, Monachus Norwicensis circa annum 1300. scripsit Historiam Anglicanam in tres libros divisam, quorum primus de *Rebus Anglicis*, alter de *Rebus sub Regibus Saxonicis & Normannicis gestis* tractans, huc ad profanam historiam spectat, tertius verò de *Episcopis & Archiepiscopis Angliæ* agens ad Paragraphum de Scriptoribus Historiæ Episcopatuum pertinet. Historia hæc asservatur in Codice Bibliothecæ. Cottonianæ, in quo tamen liber primus desideratur. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 476.

JOANNES de OXENEDES Monachus S. Benedicti de Hulmo sive Ulmo scripsit Chronicon ab adventu Horsæ & Hengisti Saxonum in Britanniam ad an. Chr. 1293. extat Manuscr. in Bibl. Cotton. sub effigie *Neronis* Lit. D. Cod. II. n. 3.

MATHÆI WESTMONASTERIENSIS *Flores Historiarum de Rebus Britannicis* ad an. 1307. editi à Mathæo Parkero fol. Lond. 1570. Author Ordini Benedictino se mancipaverat in Monasterio Westmonasteriensi, divite olim ac celebri Abbatia; unde etiam

etiam *Westmonasteriensis* dictus fuit. Vixit initio Seculi XIV. & præter *Historiarum Flores* alia Opera Historica, nempe *Annales monasteriorum Westmonasteriensis & S. Edmundi* composuit, quæ hactenus tamen inedita sunt; uti ex Caveo & Oudino discimus. Etsi verò *Mathæi Flores Historiarum* non omnium sint elegantissimi, & quoad primam partem ex *Mathæi Parisiensis* areolis collecti, nihilo tamen seciùs à raritate ipsis gratia accedit, cùm à prima Parkeri editione, centum & septuaginta intra annos, haud iteratis typis in lucem exire à quoquam jussi fuerint. Qui tamen *Mathæi Flores* anno 1573. Londini editi fuerunt, prohibentur in Indice Tridentino, nisi emendentur.

JOANNES LONDINENSIS, Monachus Ecclesiæ Cantuariensis scripsit Chronicon à Conquæstu Nortmannorum ad annum 1317. extat inter MS.tos Codices Bibliothecæ Bodleianæ.

GREGORIUS GLOCESTRENSIS Monachus circa an. 1290. in Chronico sui Monasterii (quod hujus Capitis Sect. VI. §. VI. recensebimus) multa de Regibus Merciorum, durante Heptarchia, tum postea de Regibus Anglorum, florente Monarchia, intexuit.

ROGERUS CICESTRENSIS, Monachus Westmonasterii, scripsit *Polycraticon*, seu *Chronicon Anglo-Saxonum*. Habetur integrum in Bibliotheca Cantabrigiæ. Vid. Oudin. Tom. III. col. 930. à quo Possevinus, Vossius, & alii, qui Balæum & Pitseum perperàm de hoc Historico scribentes sequuti sunt, corriguntur. Fabric. Bibl. med. Lat. Lib. III. p. 1062. Claruit an. 1340.

HENRICUS de ESTRIA Prior Cathedralis Monasterii Cantuariensis in suo Registro plurima intexuit, quæ historiam Anglicanam & antiquitates illustrant, notatu dignissima, & à nemine deflorata, quorum titulos in Catalogo Bibliothecæ Cottonianæ *Thomas Smithus* apposuit; uti ipse fidem facit in ejusdem Bibliothecæ historia. pag. 38. v. g. Nomina Regum Angliæ I. ad R. Edwardum III. Juramentum Regis Angliæ die coronationis suæ. Nomina Comitatuum Angliæ & Walliæ. Feodum Comitis Gloucestriæ die inthronizationis Archiepiscopi pro officio Senescalliæ, & pincernariæ faciendo.

PETRI HENHAM, natione Angli, Monachi in Cœnobio, ut Pitseus opinatur, Waldensi

Chronicon Anglorum. Lib. un.

In hoc ab Hengisto, primo inter Anglos Rege per septingentos & septuaginta circiter annos, usque ad suum tempus, an. 1224. narrationem & seriem rerum continuam deduxit. In qua relatione res Anglicas stylo quidem simplici, sed optima fide tractavit: Cl. an. gratiæ 1224. *Pits.* æt. 13. pag. 297.

Annales ab anno 28. R. Richardi I. ad annum 41. R. Edwardi III. hoc est, ab anno 1299. ad an. 1367. nempe per *Robertum de Reading* S. Petri Westmonast. ad an. 1325. cum continuatione per Merimouth ad an. 1345. & inde per Joannem de R. Monachum Westmonast. ad an. 1367. asservantur mf.ti in Bibl. Cotton. sub effigie *Cleopatræ* lit. A. Cod. xvi. n. 10. Vid. Smith in Catal. Bibl. Cotton.

GUILLELMUS SCHEPSEVED, Monachus Abbatiæ de Crokysden in Comitatu Staffordiensi scripsit Annales de rebus præcipuè Anglicis ab anno 1066. ad an. 1374. quos Mss. Bibliotheca Cottoniana asservat sub effigie *Faustinæ* Lit. B. Cod. vi. n. 6.

JOANNES de TAXTON Monachus de Bury post annum MCCLXVII. quo tempore habitum monachalem susceperat, ut patet ex ejusdem hac de re adnotatione temporis pag. 376. scripsit Chronicon ab Orbe condito ad Edwardum I. Angliæ Regem inclusivè. *Thomæ Smitho* videtur esse non inaccuratus temporum supputator, & rerum memorabilium in Anglia gestarum diligens collector. Vid. ejus Catal. Bibl. Cotton. pag. 1. *Julius* A.

RANULPHUS HIGDENUS, Anglus, Monachus Cestrensis, in Cœnobio ad D. Werburgam nominato, Congregationis Cluniacensis, Vir sacra & profana eruditione clarus, pietate etiam & religiosa vitâ conspicuus: Historiarum lectione vehementer delectatus, antiquitates maximè suæ gentis curiosissimè investigavit; & ut suos labores faceret posterorum utilitates, mira industria collegit ex vetustissimis auctotibus historiam ab initio Mundi, usque ad sua tempora, in qua *Res Britannicas* accuratissima diligentia descripsit. Guilhelmus Caxtonus, quem penes se

se habuit Pitseus, compilavit ex variis auctoribus, & maximè ex isto Ranulpho, omnem illam suam Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ descriptionem. Eodem Pitseo teste Ranulphi *Polychronicon* (hoc enim modestum nomen historiæ indidit suæ) est *Opus nobilissimum*, eáque propter in quàm plurimis Angliæ Bibliothecis studiosè asservatur. *Joannes Malvernæus* Benedictinus Vigorniensis ab anno 1357. ad quem Ranulphus adduxerat, Polychronicon continuavit sub hac epigraphe: *Chronica Joannis de Malverne de continuatione Polychronici.* Vid. Pitf. æt. 14. p. 516.

JOANNES de BURGO, Anglus, è Congreg. Cluniacensi, Abbas Petroburgensis circa annum 1390. qui, teste Pitseo, inter celebriores sui temporis historicos meritò reputatus fuit, scripsit *Annales Anglorum*, hoc est, *Chronicon Petroburgense* ab an. 654. quo tempore Monasterium de Burgo S.Petri à Ceada Rege Merciorum fundatum erat, ad an. 1368. MS. in Bibliotheca Cotton. Vid. Pitf. æt. 14. pag. 448. Oudin. Tom. III. p. 1088.

ANONYMI MONACHI PETROBURGENSIS *De Norfolciensium moribus*, seu descriptio Norfolciæ, Rythmicè. MS. in Bibl. Cotton. sub essig. *Titi.* Lit. A. Cod. xx. n. 43.

THOMAS WALSINGHAMUS, Monachus ad S. Albanum circa annum 1440. scripsit multo labore ac industria *de rebus Anglicis duplicem historiam*, breviorem unam, alteram prolixiorem. Prior ab anno 1273. usque ad annum 1422. vulgata fuit à Parkero Londini 1574. & à Cambdeno inter cæteros Rerum Anglicarum Scriptores Francofurti an. 1602. recusæ. Præter hæc *Auctarium Polychronici Ranulphi Hygdeni* elaboravit, nec non *res gestas Henrici V. Angliæ Regis.* A Tindalio sequenti mactatur elogio; „ Thomas Walsingham „ Moine Benedictin de S. Albans. Son „ *Historia Brevis* commençe à la fin „ du Regne d' Henri III. ou Mathieu „ Paris avoit fini la sienne. Sa mani„ ere de raconter est assez bonne, & „ nous lui devons plusieurs choses, „ que tous les Ecrivains du même „ tems ont passé sous silence. „ id est: „ *Thomas Walsinghamus* erat Mona„ chus Benedictinus. Ejus *Historia* „ *Brevis* incipit à fine Regni Henrici „ Tertii, ubi Mathæus Parisiensis suæ „ finem fecit. Scribendi genere satis „ bono utitur, nósque ab eo de mul„ tis rebus, quæ alii coævi Scriptores „ silentio prætermisere, erudimur. „

THOMAS RADBURNUS Ecclesiæ Cathedralis S. Swithuni Monachus præter cætera sub an. 1460. scripsit justam *De rebus Anglicis Historiam* à Bruto ad annum 18. Henrici III. Regis, viz. Christi 1234. cui *Breviarium Chronicorum* titulum fecit. Henricus Whartonus verò *Historiam Minorem* eam passim appellat. In eâ Regnum Britonum à Bruto ad Cadwalladrum describit; Saxonum etiam in unaquaque Heptarchia successionem & res gestas enarrat. Totus est in Historia Civili. Extat in Bibliotheca Cottoniana *Nero* A. 17. cujus copiam sibi factam fuisse Henr. Wharton testatur Angl. Sac. præfat. Tom. I. pag. xxvii. qui eam passim, ut dicebam, *Historiam Minorem* appellat, cùm Radburnus *Historiam* etiam *Majorem* composuerit.

DAVIDIS Angli, Londinensis, è Congr. Casin. *Parricidii* ubivis gentium alibi hactenus inauditi in M. Regem Britanniæ Augustissimum Carolum, ejus nominis I. ad Carolum Filium M. Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem nuno Augustissimum *Deploratio parenetica.* Venetiis anno 1649. Item Italicè.

MAURI CORKER, Angli, Abbatis Lambspringensis, multis annis Missionarii in Anglia

The Roman Catholik principalis, id est: *Catholicorum principia erga Deum & Regem* &c. 4. anno 1680. Londini.

ANDREAS ASTONE Monachus Monasterii S. Edmundi de Bury compilavit Registrum Hostlariæ, sive Monasterii sui de diversis evidendiis An. Dom. MCCCCXXVI. cui multa historica alius generis, serie continua intexuit. Inter alia

1.) *Declaratio justitiæ Regis Angliæ ad Walliam.*

2.) *Quomodo Ducatus Aquitaniæ & Normanniæ est ad Reges Angliæ devolutus.*

3.) *Quomodo Dominium Hiberniæ est ad Regem Angliæ devolutum.*

4.) *De justitia Regis Angliæ ad Regnum Scotiæ.*

Quæ omnia mf.ta asservantur in Bibl. Cotton. sub Effigie *Tiberius* Lit. A. Cod. xii. n. 19. vid. Thom. Smith in Catalogo hujus Bibliothecæ pag. 39. col. 1.

JOANNES MERYLINCH, Monachus Anglus Glastoniensis, cujus *Historiam*

storiam rerum in Anglia speciatim & & Hibernia gestarum primis novem annis Johannis XXII. Pontificis (A. Chr. 1316. ad 1325.) edere instituit paullò ante obitum suum hoc ipso anno 1735. Vir meritissimus de bonis literis & de patriæ suæ historia Thomas Hearne. Ita verbatim D. Schœtgenius. Vol. 6. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 12. p. 218.

§. VIII.
Scriptores Rerum Hispanicarum.

S. JULIANUS Toletanus Antistes *Librum*, inquit in ejus elogio Felix & ipse Præsul ejusdem sedis, scripsit *de eo, quod Wambæ Principis tempore in Galliis exstitit gestum.* Fuit verò Wamba Gothorum Rex. Julianum autem inter Benedictinos recensent Arnaldus Wion in Ligno Vitæ, Menardus Lib. I. Observat. ad Martyrolog. Benedictinum fol. 206. At enim, judice Nicolao Antonio Bibliothecæ Vet. Hispan. pag. 304. n. 380. falluntur. „Julianus enim, inquit, natus, baptizatus, & educatus Toleti, tam literarum, quàm veræ sapientiæ studiis, sub Eugenio secundo Ildephonsi decessore, unà cum Gudila diacono, quem arctissimo amicitiæ vinculo habuit obstrictum, mirè profecit. Avebant ambo sese addicere monasticæ vitæ; sed frustratam fuisse eorum devotionem apertissimis verbis ait Felix. Quare impotentia quadam favendi rebus suis actos jure dixeris, qui Catalogo Benedictinorum Julianum adscribunt.„ Vero igitur propius est, quòd *S. Julianus* voto tantùm, non professione fuerit Benedictinus.

Benedictus de Penalosa scripsit *De las quatro Excellencias de la Espanna.* id est: *De quatuor Excellentiis Hispaniæ* in 4. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov.

BERNARDUS de BRAGA, Bracharæ, aut in ejus Ecclesiæ diœcesi natus, Ordinis nostri Chronographus scripsit *De Præcedentia inter Legatos Regnorum Portugalliæ, & Neapolis tractatum*, quem laudat Gaspar Statius in Antiquitatibus. Nic. Ant. l. c.

JOANNES BENEDICTUS de GUARDIOLA, Monachus Monasterii S. Facundi, vulgò Sanagun scripsit *Tratado de los Titulos, que oy tienen los Varones claros, y Grandes de Espanna,* id est: *Tractatus Titulorum, quibus Barones & Magnates Hispaniæ insigniuntur.* Matriti apud Viduam Alphonsi Gomez an. 1591. in 4. Nic. Ant. l. c.

JOANNES BRIS MARTINEZ, Cæsaraugustanus, in alma hujus magnæ urbis Metropolitanæ sancti Salvatoris Ecclesia Portionarius, deinde Benedictina sub Regula Canonicus Regularis, Præfectusque Monasteriorum, cùm Deiparæ Virginis de Alao nuncupatæ, tum sancti Joannis de la Penna in Pyrenæis montibus scripsit accuratè Aragonensis Regni origines in eo libro, quem tali insignem titulo emisit in lucem:

Historia de la fundacion y antiquedades de S. Juan de la Penna y de los Reyes de Sobrarbe, Arragon, y Navarra, id est: *Historia fundationis & antiquitatum S. Joannis de la Penna, & Regum Asturiæ, Arragoniæ, & Navarræ* quinque libris, Cæsaraugustæ apud Joannem de Lanaia & Quartanet an. 1620. in fol. 10. circiter Alphabet. mole.

- - *Las Exequias funerales del Rey Felipe Primero de Arragon*, id est: *Exequiæ funebres Regis Philippi I. Arragoniæ* anno 1599.

- - *Carta, que escriviò al Doctor Bartolme Leonardo de Argensola de algunos desengannos para una nueva Historia del Reino de Navarra*, id est: *Epistola scripta ad Doctorem Bartholomæum Leonardum, in qua errorum animadversiones exhibentur, quæ ad condendam novam historiam Regni Navarræ conducere possunt.* Pampelonæ anno 1628. Ea est, quam Garsia de Gongora & Torreblanca in lucem emisit Nic. Ant. l. c.

ANTONII de S. ROMANO Palentini in S. Zoili Monasterio Professi *Jornada y muerte del Rey Sebastien de Portugal.* id est: *Expeditio bellica, & mors Sebastiani Regis Lusitaniæ.* Pinciæ anno 1603. in 4. apud Joan. Iniquez.

JOANNIS de SALAZAR, Naxarensis, Hispanæ Congregationis in Curia apud Pontificem *Agentis* olim, *Politica Espanola, que contiene uno discurso de su Monarquia, materias de estado, aumento y perpetuidad*, id est: *Politica Hispana, quæ complectitur discursum de ejusdem Monarchia, ratione status, incremento, & perpetuitate.* Lucronii anno 1619. in 4. apud Didacum Mares Nic. Ant. l. c. p. 594.

JOSEPHUS de SALZEDO, Monachus, & Arlanzæ celebris in Castella veteri Monasterii Abbas, conscripsit:

Historia

Historia del Conde Fernan Gonzalez, y succession suya hasta la Reina Catolica Donna Margarita de Austria. id est: *Historia Comitis Ferdinandi Gonzalez, & suæ successionis usque ad tempora Reginæ Catholicæ Margarethæ Austriacæ.* quam libris IV. comprehensam, in Archivo prædicti Monasterii ineditam asservari vidit, qui laudat Dn. Thomas Tamaius de Vargas en la iunta mayor de libros Castellanos an. 1622. Msc. apud Nic. Ant. l. c. p. 624. Frankenau Bibl. Hispan. Geneal-Heraldica pag. 270.

GUNDISALVUS de ARREDONDO & ALVARADO Abbas illustris Monasterii S. Petri de Arlanza, Regum Catholicorum Ferdinandi V. & Isabellæ Historiographus circa initium Seculi decimi sexti absolutum dedit Opus *Historia del Conde Fernan Gonzalez de Castilla* inscriptum, & hactenus ineditum: quæ à viris magnis magni habetur, singulariáque Hispanæ Nobilitatis monumenta conservat, uti Thomas Tamaius ait in Notis ad Luitprandum æra DCCCCXXI. Laudant & hoc Opus Prudentius de Sandoval in ejusdem Comitis Historia, Athanasius Lobera, Gutherius de Trexo, Josephus Pellicerius, qui exemplar ejus manuscriptum (æquè ac Thomas Tamaius) se servare in scriniis suis fatetur; Petrus item de Escalera Guevarra, Rodrigo Mendez Silva, aliique innumeri. Nic. Ant. l. c. p. 422. Frankenau p. 173.

JOANNES de ARREVALO, Religiosus Monasterii S. Petri de Cardena, Burgensis Diœcesis, scripsit *Vida de los dos Castellanos Martes, & Cid Rui Diaz, y el Conde Fernan Gonzalez.* id est: *Vita Heroum Castellæ & Magni Domini Roderici Diaz, & Comitis Fernandi Gonzalez.* Author obiit in eadem Domo anno MDCXL. Nic. Ant. l. c. pag. 483.

JOANNES de BELORADO, Abbas Monasterii S. Petri de Cardena, scripsit *Choronich del famoso Cavallero Cid Ruy Diaz de Vivar.* id est: *Chronicon Famigerati Equitis, Magni Domini Roderici Diaz de Vivar,* Burgos an. 1593. in fol. Heros iste celeberrimæ famæ tumulo illatus est in Ecclesia Monasterii S. Petri de Cardennas. *Cid* lingua Arabica *Magnus Dominus* sonat, quo nomine à Maurorum, seu Æthiopum quinque Regibus, quos sub jugum misit, salutatus fuit. Nic. Ant. l. c. p. 499.

LUDOVICUS de ARIZ, Joannis filius, Navarræ, ut videtur, nobili stirpe satus, sub Francisco Manriquio Auriensi Episcopo, cui œconomus erat Joannes parens, canonicum ejus Ecclesiæ sacerdotium, cui sacræ supellectilis custodia commissa est, obtinuit. Benedictinus deinde factus Valis-venariæ domus, sive, ut vulgaris appellatio est, Valvaneræ sodalis, religiosi instituti professione maluit censeri. Ejus est *Historia de las Grandezas de la Ciudad de Avila*, id est: *Historia Prærogativarum Civitatis Abulensis.* Compluti an. 1607. in fol. apud Dom. Martinez Grande.

PRUDENTIUS de SANDOVAL, Pinciæ natus, uti Nicolaus Antonius credidit, vel, ut ipse videtur indigitare in vita sua, (t) Zamorensi ex Episcopatu, ut minimùm Legionensi ex Regno oriundus, S. Benedicti Patriarchæ instituto nomen dedit in S. Mariæ de Naxera Regio & amplissimo nostræ Familiæ Monasterio. Ordinis munera quædam gessit, Concionator, & Abbas aliquamdiu Monasterii sui, ac Theologiæ Magister. Historicæ autem rei studio allectus, quò invitabat eum veterum instrumentorum thesaurus, quem divitem imprimis & copiosum tabularia Monasteriorum istius Familiæ antiquissimorum continent, in eam curam se totum ferè impendit, ut rerum & hominum oblivione jam quasi sepultorum memoriam pro viribus sua è tenebris suscitaret; quod magna intentione animi urgere nunquam destitit, in publicum expositis quàm pluribus hujus rei testimoniis, adeò ut Philippus III. idoneum ante alios eum æstimaverit, cui describendarum Regum Hispaniæ rerum pace belloque gestarum, continuandæque *Floriani Decampi*, & *Ambrosii Morales* Historiæ, sexcentorum ferè annorum supplemento munus injungeret. Sed hac dignitate mactum ejusdem Regis nutu Paulus V. Pont. Max. ad Pontificales honores evexit, primúmque Tudensi Ecclesiæ die Martii x. anno MDCVIII. deinde hinc translatum Pampilonensi XVII. Februarii MDCXII. Antistitem dedit. Amplexamur, inquit *Nicolaus Antonius*, hodie nos viri docti ac diligentis non vulgarem industriam in relictis ab eo historicis lucubrationibus, quibus planè antiquis Gentis nostræ rebus non exignum lumen accensum fuisse, rectè sentientium

(t) Obispos de Pampelona fol. 137. col. 1.

tium animis jam diu sedet. Hæ illæ sunt

Chronica del inclyto Emperador de Espanna Don Alfonso VII. deste nombre, Rey de Castilla y Leon, hijo de Don Ramon de Borgonna y de Donna Hurraca Reyna proprietaria de Castilla, sacada de un libro mui antiguo escrito de mano con letras de los Godos, id est: *Chronicon Inclyti Imperatoris Hispaniæ, Alfonsi VII. bujus nominis, Regis Castellæ & Legionis, filii Donni Henrici Burgundi, & Donnæ Urracæ Reginæ proprietariæ Castellæ, excerpta ex libro perantiquo msf.to literis Gothicis.* Edidit Sandovalius Chronicon istud in novam à se formam redactum, elegantíque illustratum Cõmenrario Matriti apud Ludovicum Sanchez 1600. in folio; eidémque in fine adjici curavit

Origen y decendencias de muchas casas antiquas y nobles de Espanna, seu Nobiliarium illustrium antiqui generis splendore prosapiarum, videlicet Sandoval, Osorio, Acunna, Velasco, Castro, Zunniga, Guzman, Haro, Mendoza, Manrique, Padilla, Ponce de Leon, Quinnones, Toledo, & Tovar ad sua usque tempora per propagines deductum; Opus, quod in remotiori quidem originum antiquitate cautè legendum, optimum tamen omnium hoc in argumento typis editorum habendum esse censet Ludovicus de Salazar & Castro apud illustrem Equitem Gerhardum Ernestum de Franckenau in Bibl. Hisp. Geneal. Herald. pag. 369. n. 1327.

-- *Vida y hechos del Emperador Carlos V. en dos partes.* id est: *Vita & Gesta Caroli V. Imperatoris, in duas partes divisa.* Pars prior Operis hujus excusa est Pinciæ apud Sebastianum de Cannas anno 1604. in folio, posterior verò itidem in folio ibidem anno 1606. Utraque deinde pars simul recusa Pampilonæ anno 1614. in folio 2. voll. Anglicè vertit J. Stevens 8. Londini 1713. Hæc *Carolina* historia non est ad Gallorum palatum scripta; unde acriter in Authorem invecti sunt, præcipuè Franciscus de la Mothe le Vayer in peculiari libello *Discours de l'Histoire* inscripto, & Richelio Cardinali oblato Sandovallium falsè perstrinxit. Quin & nimiæ credulitatis eundem arguere solitus est quandoque Ludovicus de Salazar & Castro apud laudatum Equitem de Frankenau loc. cit. p. 371. Latinitate Dominus *Ebertus* donavit; typis verò duntaxat excusa fuit Historia Captivitatis Francisci I. nec non Vitæ Caroli V. Imperatoris in Monasterio. in 8. *Mediolani* anno 1715. veriùs *Amstelodami.*

-- *Antiquedad de la Ciudad de Tuy*, id est: *Antiquitas Civitatis de Tuy.* Bragæ apud Fructuosum Laurentium de Basto 1610. in quarto minore.

-- *Catalogo de los Reyes de Navarra*, id est: *Catalogus Regum Navarræ*, Pampilonæ apud Nicolaum de Assiayn an. 1614. in fol. min. Adjecit eidem Auctor varia diplomata pervetusta eorundem Navarræ Regum.

-- *Historia de los cinco Reyes de Castilla y de Leon, Don Fernando el Magno I. deste nombre, Infant de Navarra, Don Sancho, que murio sobre Gamorra, Don Alfonso VI. deste nombre, Donna Urraca hija de Don Alfonso VI. y Don Alfonso VII. Emperador de las Espannas.* i. e.: *Historia Quinq; Regum Castellæ & Legionis, Ferdinandi Magni, ac Primi hujus nominis, Infantis Navarræ, Sanctii, qui mortuus est supra Comorra, Alfonsi VI. Urracæ filiæ Alfonsi VI. & Alfonsi VII. Imperatoris Hispaniarum.* quæ ultima Historia multò locupletior est, quàm olim hîc data fuit, ad eundem Catholicum Regem *Pampelonæ*, an. 1615. in fol. & an. 1634. Hæc continuatio est Historiæ *Ambrosii Morales*, quam in manus resumere, diligentem, atque eruditum è nostris aliquem, inquit *Nicolaus Antonius*, & usque ad ulteriora tempora eodem stylo pertexere, atque eodem ex instrumentis publicis, uti hactenus, proficiendi proposito, magnum planè operæ pretium fuerit. Adversarium, ut inter æmulos fieri amat, nactus est Sandovallius *Franciscum Diago* ex Ordine S. Dominici Virum doctum, & supremum Regni Arragoniæ à Philippo III. constitutum Historiographum. Obiit tandem Prudentius noster Stellæ, vulgò Estella, Diœceseos suæ Pampilonensis oppido anno MDCXX. sepultus in Cathedralis ædis Pampilonensis Sacello reliquiarum, quâ in æde ipse, dum adhuc in vivis supererat, sex Capellanias, uti vocant, fundârat; teste Ægidio Gonsalez Davila *Teatro de la Iglesia de Tuy Tom. III. p.* 452. Vid. Nic. Ant. & Frankenau loc. cit.

PETRI de VALENCINA, Hispani, Naxariensis Monachi, *Historia de los Reges de Navarra.* De Authore & Opere Stephanus de Garibay Lib. XXI. Compendii Historici Hispaniarum cap. 1. hæc habet: „ Regum Navar-

„ ræ vidi & habui in mea potestate „ eodem tempore, quo hoc Opus „ emendabam, historiam quandam „ scriptam in pergameno à Patre Pe- „ tro de Valenciua, Monacho Mo- „ nasterii S.Mariæ de Naxerra, cujus „ nomen non est expressum. Succes- „ sionem Regum habet continuatam, „ sicut reliqui; neque optima ipsi „ deest chronologia, temporúmque „ supputatio, sed est admodùm suc- „ cincta; & pro certo habendum, „ istum auctorem nesciisse uti instru- „ mentis & scripturis antiquis illius „ Regiæ domûs; quibus non sine „ magna nominis sui existimatione le- „ ctoribus prodesse potuisset. „ Hæc ille, sed idiomate Hispano. Meminit quoque *Petri* Josephus Moretus Jesuita in Investigationibus ad Historiam Regni Navarræ Lib. III. cap. IX. pag. 691.

FRANCISCUS SOTA, Hispanus Benedictinus, Prædicator, & Regius Caroli II. Historiographus, præter alia scripsit *Chronica de los Principes de Asturias y Cantabria.* Matriti, excusa typis Joannis Garsiæ Insanzon anno 1681. in fol. septem Alphabetorum mole. Liber est fabulis, dum antiquissima repetit tempora, refertissimus, & quàm sæpissimè Pseudo-Historicorum, Hauberti, Juliani, Luitprandi, aliorúmque similis farinæ testimoniis superstructus, unde meritò judicium historicum in auctore desideratur; non interim inficiamus, multa quoque tum de antiquorum Comitum, Ducúmque Cantabriæ & Asturiarum serie & stemmatibus, tum & de Castellæ veterum Comitum, plurimarúmque nobilium Hispaniæ Familiarum inibi contineri haud proletaria; appendicem item operi adjectam, & quàm plurima eáque pervetusta Diplomata (quæ utinam genuinæ omnia & singula essent antiquitatis) exhibentem multum lucis tum Historiæ, tum rei Genealogicæ Hispanicæ fœnerari. Immortuus est auctor Operis hujus editioni, eodem quippe anno MDCLXXXI. defunctus, & ut ex eodem (*fol.* 471. *col.* 1. §. 22. *in fine*) discimus, ipse promiserat, se brevì luci publicæ daturum *Chronica de los Condes de Castilla*; quem librum dubio procul mors præveniens intercepit. Meminit cæterùm Josephus Pellicerius (*Bibliotheca de sus escritos fol.* 147. *in fine*) Sotam nostrum authenticum Chronicorum Alphonsi VII. Imperatoris, quæ *Historia Toletana* vulgò Hispanis audiunt, Codicem, quem ipse dein Pellicerius possedit, propria manu descripsisse, & suis illustratum additionibus in lucem publicam edendi in animum sibi induxisse propositum. V. Franckenau l. c. p. 145.

JOANNIS LIRON, Galli, è Congreg. S.Mauri *Question curieuse, si l'Histoire des deux conquêtes de l'Espagne par Abulcaim Taris-Abenturique est un Roman?* id est: *Quæstio curiosa, an Historia Hispaniæ semel atque iterùm per Abulc. &c. occupatæ sit Romanensis Historia*, fabulis nempe accensenda. Paris. apud Carolum Huguier in 12. anno 1708.

GUIDONIS ALEXII LOBINEAU, Galli, Redonensis è Congr. S. Mauri *Histoire des deux Conquêtes de l'Espagne par les Maures traduite de l'Arabe en 1589. par Miguel de Luna, & mise de nouveau en François*, id est: *Historia Hispaniæ bis à Mauris armis subactæ, ex Arabico in Francicum idioma à Michaële de Luna an. 1589. translata, & nunc de integro in eundem sermonem conversa. in* 12. *Parisiis* an. 1708. Uterque Author, hic & præcedens, est ex una Congregatione, sed non in eadem sententia. Prior pro fabula, posterior pro vera habet historia. Eorum argumenta & rationes vide apud le Cerf in Bibliotheca Hist. Crit. pag. 200.

MARTINI MARTINEZ, Benedictini, & Qualificatoris Officii Sac. Inquisit. scripsit patrio sermone pro S. Æmiliano Apologiam, quâ eum Hispaniæ Patronum esse asserit. Prodiit Opus in 4. in Civitate de Aro typis Joannis de Mongaston.

§. IX.
Scriptores Rerum Bohemicarum.

BOhemi hodierni Terram Germaniam inhabitant; tametsi origine non sint Germani, sed Slavi, quarum res etiam nonnulli Benedictini literis consignârunt.

Christannus de Scala, Boleslai Pii, Bohemiæ Ducis germanus, sed natu minor frater, Benedictinus Brevnoviensis, scripsit vitam SS. *Ludmillæ & Wenceslai*, in qua religionis Christianæ principia in Bohemia non indiligenter exequitur. Juris publici fecit Bohuslaus Balbinus Epitomes Rer. Bohem. Lib. I. cap. IX. p. 41. seqq. cui deinde Notas historicas, eásque

more

more suo eruditas subjecit. Vide plura in Bibliotheca nostra Bohemica.

RADIMILIUS, Abbas Monasterii ad S. Laurentium Clatoviæ ex nobilissima stirpe Heskia ortus an. 1149. texuit historiam, seu Origines Urbis Clatoviensis in Regno Bohemiæ. Opus asservatur inter libros Mss. Bibliothecæ S. Viti Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, idque in contexenda historica Epitome rerum Bohemicarum usui fuit Bohuslao Balbino, uti ipse nos certiores reddit Lib. 2. cap. XIV. pag. 155. & Lib. III. cap. X. p. 227. In eadem historia legitur, à prima hujus Clatoviensis Cœnobii fundatione sub annum 1158. facta, lege sancitum esse, ne quis equestri aut altiori loco natus in cœnobium admittatur. Quod si à verò non deflectit, qui ergo factum est, ut *Radimilius* loco perquàm illustri natus non in monasterium modò admissus, sed ejusdem etiam Abbas creatus fuerit? Id est, quod non satis capio. Hodie in ruinis tantùm Cœnobium stat, Ziskianis bellis incensum.

NEPLACHO fuit Abbas Opatovicensis in Bohemia Monasterii an. 1370. Reliquit *Chronicon Bohemiæ* ab ejus Gentis origine usque ad tempora Caroli IV. Imperatoris, publici juris factum ex mſ. cod. Bibliothecæ Canoniæ S. Dorotheæ Viennæ in Austria ab Hier. Pez. Tom. II. Script. Rer. Austr. pag. 1007. Fallitur ergo V. C. Jo. Thomas Berghauer in Vita S. Joannis Nepomuceni M. cap. 7. pag. 270. ubi Neplachonis Chronicon excidisse scribit.

CHRISTOPHORI HOFFMANNI Benedictini Emmeramensis Ratisbonæ *Chronicon Bohemiæ à Gentis Bohemicæ primordiis usque ad annum Christi MCCCXX. perductum.* Edidit ex autographo Cod. MS. Bibliothecæ Inclyti ac Imper. Principalis Monasterii Sanct-Emmeramensis Hieronymus Pezius Tomo II. Scriptorum Rerum Austriacarum à col. 1044. ad 1111.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER Epitome Historica Regii, Liberi, Exempti, in Regno Bohemiæ antiquissimi, celeberrimi ac amplissimi Monasterii Brevnoviensis, vulgò S. Margarethæ propè Pragam. fol. Coloniæ apud Gotthard Joannem Püttner an. 1740.

— EJUSDEM *Bibliotheca Bohemica*, in qua traditur Notitia Autorum, qui scripsere de Rebus Bohemicis. Huic Collectioni insertus est Conspectus Novæ Collectionis Scriptorum Rerum Bohemicarum Tomis IX. comprehensæ. Hujus Operis autographum MS. post Authoris obitum sibi vendicavit Cl. V. D. *de Schwandtner*, quo obstetricante in lucem brevì proditurum speramus.

§. X.

Scriptores Historiæ peregrinæ, variæ, & exoticæ.

S. ALcuinus vitam Antichristi scripsit ad Imperatorem Karolum Magnum. „ Hoc autem, inquit paulò post initium, obtestor „ in Christo, quod dicturus sum, ex „ proprio sensu non fingo; sed in libris authenticis relegendo hæc omnia scripta invenio. „ Facta hac obtestatione exponit, ex quo populo & quo in loco Antichristus sit nasciturus, quos ministros habiturus, quas res gesturus, quémque finem habiturus. Extat inter ejus Opera Parisiis edita in fol. anno 1617. col. 1210-1217.

B. RHABANUS MAURUS vitam Antichristi literis etiam tradidit, vel potiùs ab Alcuino scriptam abbreviavit. Extat Opp. tom. VI. pag. 177-179. ubi verò apud Rhabanum legitur: Antichristus *dæmonum curam in mundum revocabit*; puto ex Alcuino legendum esse: *dæmonum culturam in mundum revocabit.* Finem verò historiæ Rhabanus his verbis imponit: „Debetis autem scire, quia postquàm fuerit Antichristus occisus, non statim erit dies judicii, nec statim veniet Dominus ad judicium, sed exspectabit Dominus quosdam, sicut ex libro Danielis intelleximus, qui seducti sunt, ut ad pœnitentiam revertantur. Postquàm verò pœnitentiam expleverint, quantùm temporis sit, quousque Dominus veniat, nemo est, qui sciat, sed in dispositione Dei manet: quia eâ horâ seculum judicabit, qua ante secula judicandum esse præfixit.„

DITHMARUS ex Monacho Magdeburgensi Episcopus Merseburgensis in Chronico suo (quod supra §. III. *De Rer. Germ. Scriptor.* recensuimus) de Sclavicis, Polonicis, Hungaricisque rebus ita copiosè agit, ut teste Illustri Leibnitio in prævio Commentario ad Dithmari Chronicon, Historia vetus earum gentium sine Dithmaro manca foret. Et de his, quæ ille

ille ſubdidit, nihili ſunt, quæcunque de ſuo afferre poſſunt Poloni ſerius Scriptores nacti.

HERMANNUS CONTRACTUS compoſuit *Rythmum de Triumpho Petri Hungariæ Regis in Regnum reſtituti*. Albericus in Chronico ad an. 1045. Quam verò narrationem idem *Hermannus* de eodem *Petro* Hungarorum Rege ſuo intexuit Chronico, lacinia etſi tantùm ſit peregrinæ atque exteræ hiſtoriæ, memoratu tamen inprimis digna eſt, cùm Scriptores Rerum Hungaricarum, ut Gentis ſuæ honori atque exiſtimationi conſulant, aut multa ſilentio involvant, aut ſecùs, quàm res geſta eſt, in literas referre ſoleant; ut nihil dicam, quòd iidem Scriptores ævi recentioris plerique, & aliquot annorum centuriis Hermanno Contracto poſteriores habeantur.

Hungari Henrico III. Imperatori multis annis non minimas dederunt turbas. Anno 1041. Petrum Regem ſuum throno dejectum vertere ſolum coëgerunt. Erat illis inviſus, non per eam tantùm cauſam, quòd peregrè in regnum accitus fuerit, ſed quòd, ut ajebant, crudelis juxtà ac libidinibus deditus eſſet, quibus vitiis omnes in ſui odium adduxiſſet. Unde verò Petrus domo fuerit, nodus in hiſtoria ita intricatus eſt, ut in eo ſolvendo plures operam luſerint. Alii Principem vocant Burgundiæ, alii in Italia natum aſſerunt. Nonnullis audit *Rex Petrus frater Reginæ Giſlæ*, vel *Princeps Burgundus*, *& Giſlæ ſororis filius*. Hermannus verò Contractus omnium antiquiſſimus author eſt, & ex coævis unicus, qui rem in aperto conſtituit: *Hoc ipſo anno*, inquit ad an. 1038. *Stephanus -- Petrum ſororis ſuæ filium de Venetia natum pro ſe Regem conſtituens obiit*. Erat itaque Petrus Burgundus Princeps, natus patre Wilhelmo Duce Burgundiæ, cui Giſla, ſoror Stephani Hungariæ Regis nupſerat. Et cùm hunc Wilhelmum Imperator urbi Venetæ præfeciſſet, Petrus diverſos apud Anthores Princeps Italus à patria & nativitatis loco vocatur, quòd Venetiis in lucem editus fuiſſet. Poſteaquàm verò Stephanus Rex ſine virili ſtirpe anno 1038. deceſſerat, variis Giſlæ artibus factum, ut Petrus in Hungariæ ſolium eveheretur. Cùm autem anno 1041. ab Hungaris regno pulſus fuiſſet, in Germaniam confugit, ſupplex Imperatori factus, ne ſe ejusdem ſanguinis Principem, extorrem, egentem, ex tanto modò regno perire ſineret: quòd ſi Imperatoris ope ac auxilio in regnum reſtituendus eſſet, illud ſe eidem in clientelam offerre. Queis precibus victus Imperatur ſemel, iterum, atque tertio in Hungariam movit, quoad tandem in tertia expeditione an. 1044. Aba ſeu Ovone Rege acie victo Petrum ſolio reſtituit. Rem geſtam Hermannus his verbis narrat: „ *Ovo* „ Rex, cùm jus jurandùm pactúmque „ infregiſſet, Henricus Rex cum per- „ paucis copiis Pannonias petiit; „ quem *Ovo*, qui maximum parave- „ rat exercitum, in tantum deſpe- „ xit, ut eum quaſi facilè occiden- „ dum, ſeu capiendum, provinciam „ ingredi ſineret. Sed Henricus cum „ parte copiarum Rabam fluvium fe- „ ſtinè, in divino confiſus auxilio „ transvadavit; pugnam cunctis mi- „ litibus paſſim feſtinantibus iniit, & „ in prima congregatione innumera- „ bilem Hungarorum exercitum fuga- „ vit, atque proſtravit: Et pauciſſi- „ mis ſuorum amiſſis ipſemet fortiſſimè „ pugnans glorioſiſſimâ victoriam ad- „ eptus eſt, III. Nonas Julias: Et „ Ovone Rege vix fuga elapſo, om- „ nes Hungari ad deditionem Henri- „ co Regi catervatim concurrerunt, „ ſubjectionem ſervitiúmque promit- „ tunt. Ipſe verò, ut erat per omnia „ piiſſimus, Petrum Regem dudum „ expulſum regno ſuo reſtituit. - - *Et* „ *ad an.* 1045. Petrus Rex Henricum „ Regem in feſtivitate Pentecoſtes ad „ ſe invitatum, magno apparatu ſu- „ ſcepit, & maximis muneribus do- „ navit; Eique regnum Pannonia- „ rum, Principibus Hungarorum fi- „ delitatem illi & ſucceſſoribus ejus „ juramento firmantibus reddidit: „ Quod tamen ab eo, ipſe dum viveret, poſſidendum recepit. Hæc Hermannus, cujus Rythmum, ſeu Panegyrim de Petrō in Regnum reſtituto alio loco commemorabimus.

ADELBOLDUS, Monachus Laubienſis, ſeu Lobienſis in Hannonia, & ab anno 1008. Epiſcopus Ultrajectinus usque ad an. 1027. quo vita ceſſit, librum de Danis Turoniam invadere conantibus conſcripſit. Poſſev. in Appar. pag. 16.

ERCHEMBERTI, ſeu *Heremberti*, & *Eremberti*, Monachi Caſinatis circa an. 889. *Hiſtoriam de Iſmaelitarum* in-

incursione commemorat Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. & Jo. Bapt. Marus in Notis.

LEO MARSICANUS, Monachus Casinas, Episcopus Ostiensis, & S. R.E. Cardinalis, reliquit præter Chronicon Casinense alia opuscula, inter quæ, si Joan. Bapt. Maro, inquit Cl. Muratorius, acquiescendum est, numeratur etiam *Historia Peregrinorum*. Vid. Murat. in Præfat. ad Chron. Leon. Marſ. quod tomo IV. Script. Rer. Ital. intexuit.

ISIBORDI ab AMELUNXEN, & ALEXANDRI de INSULA *Monachorum Corbeiæ Saxonicæ Breviarium rerum memorabilium, complectens varias historias curiosas, non minùs jucundas, quàm utiles nunc primùm è MSS. erutas & scholiis illustratas* à D. Christiano Francisco Paullini anno 1686.

Sunt Historiæ numero LXVI. è quibus sexagesimam secundam *de Psittaci cujusdam astutia* in gratiam Lectoris afferre juvat. „A. C. MCC. alebat Abbas noster astutissimum psittacum, & ad mira quævis ingeniosè eruditum. Singulis matutinis, jussû domini sui, distinctè, promptéque recitabat *Pater noster* &c. cum annexo *Gloria Patri* &c. Si quando Fratres juniores, Musices nostræ nondum satis gnari in decantandis psalmis fortè errarent, statim animadvertebat iste nequam, & inclinato capite, rostróque ad pectus presso, alta voce cantbat: *O mea culpa! mea maxima culpa!* Cùm verò, agnito errore, rectà procederent, tunc iste cum cachinno; *Deo gratias!* Prælatus in vicinia aliquando in Conventu volebat, ut recitaret *Pater noster*. Sed cùm non nôsset bonum virum, parere noluit, aliàs domino suo obsequentissimus. Interim Abbas iste semper præibat dicens: *Pater noster*, & cum adhuc repugnaret, repetens verba ista subdidit: *Ey bette du Schelm.* Tunc avis clara voce: *Qui es.* Proh! quantus inde cachinnus! Intererat Missæ nobilis, at fastuosa mulier, quam cùm videret, capiti ejus insedit, faciens opus naturæ, & clamans: *Pulvis & umbra sumus.*

Florebant *Isibordus* & *Alexander* Sec. XII. Eorum verò *Breviarium* exhibent Miscellanea, seu Ephemerides Naturæ Curiosorum ad annum 1685.

ADELPHI, Abbatis circa an. 1118. liber contra *Saracenos*, cujus meminit Trithemius cap. 383. de S. E. & lib. 2. c. 16. de Vir. Ill. O. S. B.

OTHLONIS, Monachi San-Emmeramensis Sec. XI. *Liber Visionum.* In hoc variæ referuntur historiæ, quæ Seculi XI. historiam ecclesiasticam illustrant, nec facilè alibi reperiuntur. Edidit Pezius Anecd. Thes. tom 3. part. 2. à col. 546.

GALFREDUS, an GUALTERUS? *Hemlingtonus*, Monachus S. Albani in Anglia circa an. 1150. libris V. complexus fertur *Historiam Alexandri Magni* ad Radulphum Abbatem. Pitseus æt. 12. pag. 215. Baleus X. 50. vocat Opus *de Gestis Macedonum*. Vid. Voss. de Hist. Lat. l. 2. c. 5. p. 414.

ARNOLDUS ex Monacho S. Ægidii Brunswicensis primus Abbas Lubecensis monasterii S. Joannis Evangelistæ scripsit *derelictorum Helmoldi supplementum Historiæ Slavorum* ab anno 1171. ad 1209. libris VI. ad Philippum, Episcopum Ratzburgensem, qui Helmoldi libris Chronici Slavorum duobus solent subjici, constitutúntque in Bangertiana editione libri III. qui primum & secundum Arnoldi complectitur, & lib. IV. V. VI. VII. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 370. & infra in *Helmoldo.*

ANONYMUS Monachus Benedicto-Buranus Seculo XII. scripsit *Historiam thermarum Heilbrunensium.* Est *Heilbruna* locus hora ferè à Monasterio Benedicto-Burano distans, sic dictus à thermis, quæ paralysi affectis remedio, salutíque sunt. Pez. Differt. Isag. in Tom. I. Anecd. n. XXXI. pag. XVI.

JOANNIS FAY, Abbatis S. Bavonis, *Manipulus Exemplorum*, qui *Magni Speculi* est Tomus II. virtutum vitiorúmque serie digestus, indicatis ex fide singulorum auctoribus, & titulorum copiosissimo Indice. Editus nunc primùm in lucem è Belgicis mss. IIII. perantiquis Benedictinorum Bibliothecis, Vedastina, Elnonensi, S. Amandi, & Hasnoiensi.

JOANNES de LYDGATE, Monachus Anglus circa an. 1440. *Historiam Belli Thebani* carmine Anglico panxit. Edita fuit Londini ad calcem Chauceri Operum an. 1678. Vid. Guil. Cav. in Hist. Lit. ad an. cit.

ANONYMI Monachi Cantuariensis *Elogium*, id est, liber prophetias cum illarum explicationibus soluta & ligata oratione continens; cujus

cujus excerpta inter Mſ.tos Codices Bibliothecæ Cottonianæ aſſervantur, uti in ejusdem Catalogo Smithus p. 40. col. 1. nos docet.

MARTINI, Abbatis Scotorum Viennæ Auſtriæ *Senatorium*, ſive *Dialogus Hiſtoricus*. Author opus ſuum in ſeptem Capita diviſit. In prioribus III. ea refert, quæ ſibi à puero ad ſupremam usque ſenectutem evenerunt. In IV. Acta Generalis Viſitationis Monaſteriorum O. S. B. an. 1451. à ſe ſuſceptæ diffusè narrat. In V. hiſtoriam Monaſterii Scotorum Viennenſium, ſimúlque Principum Auſtriacorum primæ ſtirpis exponit. In VI. hiſtoriam eorundem Principum continuat, Geſtáque Ducum, ac Imperatorum Auſtriacorum ſecundæ ſtirpis adjungit. In VII. de Sanctis Ordinis S. Benedicti, Auſtriæ quoque ac finitimarum regionum agit. Cætera, quibus totum opus concludit, alterius iterum ac diverſi ſunt argumenti. Author obiit circa an. 1470. non de Cœnobio Scotorum Viennæ ſolùm, ſed de univerſo Ordine Benedictino in Germania optimè meritus Præſul. Hujus *Senatorii*, ſeu *Dialogi* quartum duntaxat caput, nonnullis ex Cap. III. adjectis ex coævo Cod. MS. Mellicenſi nunc Lit. L. N. 59. ſignato primus publicavit Anſelmus Schrambius, ſuóque Chronico Mellicenſi à pag. 470- ad 493. intexuit. Integrum verò protulit Hier. Pezius Tom. II. Script. Rer. Auſtr. Opus ſcitu, lectúque non injucundum.

JOANNES de BERGHES, Belga, Abbas Monaſterii S. Bertini, ſcripſit circa an. 1470. Gallicè Opus ingens *De origine, progreſſu & Conſtitutionibus Equitum aurei velleris*, quorum perpetuus eſt Cancellarius Abbas S. Bertini pro tempore. Excuſum autem fuit Pariſiis, teſte Poſſevino in Appart. Sac. pag. 121. ubi tamen formam & locum editionis non expreſſit. Vide etiam Foppenium in Bibl. Belg.

CHRISTOPHORUS HOFFMANNUS, San-Emmeramenſis Cœnobita Ratisbonæ ſcripſit *Hiſtoriam Expulſionis Judæorum* ex urbe Ratisbonenſi à Burchardo Gotthelfio Struvio in Actis Literariis Tomo II. faſciculo I. publicæ utilitati vindicatam. Ob. Auctor 1534.

CAROLUS BLENDEQUE, Monachus Marchianenſis lucubravit *Hiſtoriam Quinquepartitam de Energumenis*, alias item Hiſtorias memoratû dignas. Bucelinus in Bened. Rediv. pag. 121. Cl. circa an. 1582.

GUILIELMUS JACOBI, Egmontanus in Hollandia deſcripſit *Hiſtoriam Alexandri M.* teſte Bunderio apud Foppenium in Bibl. Belg. pag. 408.

BENEDICTINI PROFESSORES, Collegii Vedaſtini, quod eſt in urbe Duaco, novam editionem Speculi Hiſtorialis *Vincentii Belluacenſis* cum Notis & Obſervationibus accurârunt. Hæſten. in Commentar. in vit. S. B. addit. ad cap. 16. p. 122.

WALAFRIDI STRABONIS, Abbatis Augiæ Divitis, *Hiſtoria*, ſeu *Tractatus de Subverſione Jeruſalem in Cap. XIX.* Evangelii S. Lucæ, ex membranis San-Gallenſis Bibliothecæ primùm erutus à Jodoco Mezlero, editus verò à Caniſio antiqq. Lect. tom. 2. part. 2. p. 275. nov. edit. Baſnag.

RUPERTI, Abbatis Tuitienſis, *de incendio Oppidi Tuitii ſua ætate viſo Hiſtoria* cum præclariſſimis moralis doctrinæ ſtricturis, unde non immeritò *liber aureus* vocatur. Extat Operum tomo 2. pag. 852.

OLIVERIUS LANGHE, ſive *Longus*, Prior Monaſterii ſancti Bavonis propè Gandavum, ſcripſit circa annum 1450. *De reditibus ad vitam*, ſeu hiſtorias eorum, qui poſt mortem in vitam redierunt. Opus nondum typis exſcriptum, ſed aſſervatur mſ.tum in Bibliothecis Lovanienſibus & Gandav. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. 706. Swertius Athen. Belg. pag. 588.

GUNDISALVUS de ARREDONDO & ALVARADO, Abbas S. Petri de Arlanza, Regum Catholicorum Chronographus Sec. XVI. conſtruxit *Caſtello inexpugnabile de la Fee*, i. e. *Caſtellum inexpugnabile Fidei*, ſeu de *Origine Turcarum* ſcilicet, gerendoque adversùs eos bello. Burgis apud Jo. Juntam an. 1528. & 1564. in 8. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. nov. pag. 412.

THOMAS DIACONUS, Monachus Bergenſis S. Winoci deſcripſit *Bergenſis oppidi an. 1388. à Gallis direpti, & accenſi, ac Cœnobii calamitatem.* Vide Meterum Annal. Flandr. l. 5. & Foppens Bibl. Belg. p. 1132.

HIERONYMI ALLIOTI è Congreg. Caſin. Abbatis an. 1460. Opuſculum *De ſtatu Eccleſiæ futuræ*. In hoc præſenſit calamitates, quæ univerſum Clerum, exortis Lutheri, Calvini, aliorúmque Sectis & hæreſibus exce-

perunt. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 207.

CONSTANTINI CAJETANI, Abbatis S.Baronti è Congr. Caſ. *Hiſtoria Chriſtophori Columbi, novi Orbis inventoris*, in qua manifeſtis rationibus, probatur, Domnum Bernardum de Bueill, Montis Serrati, Monachum, Indiarum primum Patriarcham, Romanique Pontificis Vicarium, unà cum duodecim Religioſis Sociis novo Orbi fidem fœliciter primò invexiſſe; quæ quidem fortunata expeditio, Bueillii, Sociorúmque conſecrata ſanguine, ſuſcepta fuit ab Apoſtolicis viris anno 1491. Hunc librum inter Opera Cajetani typis exſcripta memorat Marian. Armell. Bibl. Caſin. part. 1. pag. 126. ſed locum & annum editionis tacet.

CASPARIS PLAUTII, Abbatis Seitenſtadienſis in Auſtria Inferiori, *Nova Typis tranſacta Navigatio*, ſeu *Novi Orbis per Chriſtophorum Columbum detectio*. in fol. cum fig. an. 1621. non expreſſo loco editionis.

CAROLUS STENGELIUS, Abbas Anhuſanus, ſcripſit *Hiſtoriam Peſtis*, quæ typis tranſcripta fuit Auguſtæ Vindel. in 8. an. 1612. Deſcribuntur in ea Peſtis cauſæ, diræ graſſationes, ac remedia divinitùs collata.

AUGUSTINUS LAMPUGNANUS Congreg. Caſin. Abbas ſcripſit Italicè *Hiſtoriam Peſtis*, quæ Mediolani anno 1630. magna mortalium ſtrage ſæviit. Impreſſa fuit Mediolani per Carolum Ferrendi an. 1634. in 12.

ANGELUS MARIA QUIRINUS, S. R. E. Cardinalis, ex reconditæ antiquitatis fontibus Inſulæ Corcyræ initia deducens, complurium eruditiſſimorum virorum hallucinationes criticè perſtrinxit, ut optandum eſſet ex ſententia Eruditorum Lipſienſium, ut is liber integer Theſauro alicui Antiquitatum, vel Theſauri Supplemento inſeratur, ac poſteritati commendetur. Titulus Operis eſt: *Primordia Corcyræ, poſt Editionem Lycienſem* anni MDCCXXV. ab Authore nuperrimè recognita, & multis partibus adaucta. Brixiæ typis Joan. Mariæ Rizzardi an. 1738. in 4. maj. Vid. Recenſio in Actis Erud. Lipſ. an. 1739. in Nov. pag. 631.

GREGORIUS BERTHELET è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi Tractatus *Hiſtoricus & Moralis* de abſtinentia à carnibus ab initio Mundi ad noſtra uſque tempora in 4. an. 1731. Rothomagi. Gallicè.

ANONYMI è Monaſterio S. Petri Salisburgi Brevis Hiſtoria de Origine, Conſecratione, & reparatione ſpeluncæ, ſeu Eremitorii ejúſque Capellæ propè Cœmeterium Monaſterii S. Petri Salisburgi. ibidem an. 1661. in 4.

HUBERTI ab ASSON LE VILLE Prioris Monaſterii Altimontenſis in Belgio *Promptuarium Curioſitatis Alphabeticum*, feſtivo (ut ipſe indigitat) Exemplorum atque Sententiarum apparatu exornatum. Duaci an. 1625. Vid. Andr. Valerium in Bibl. Belg. ubi authorem *à vitæ integritate, morum ſinceritate, rigore diſciplinæ monaſticæ* non parùm commendat.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimenſis, juſſu Bertholdi, Archiepiſcopi Moguntini, ſcripſit de Crucibus, quæ in lineis veſtibus hominum ſuo apparuerunt tempore in diverſis locis, quid portendant, futurum ſignificantes. Hoc Opus ſic incipit: *Cruces in veſtimentis hominum apparuiſſe frequenter*. Vide ejus Nepiachum apud Eccardum in Corp. Hiſt. med. ævi. tom. 2. col. 1832.

MAURUS ORBINI, patriâ Raguſinus, Abbas S. Mariæ de Backe Congreg. Melitenſis ſcripſit Italicè *Hiſtoriam Slavicam*, quæ impreſſa fuit Piſauri anno 1601. in fol. in qua de origine Slavorum, déque ab ipſis, eorúmque Regibus rebus geſtis, uſque ad annum trecenteſimum ſeptuageſimum ſupra milleſimum fuſiſſimè agitur. Liber autem non ſolùm cuſus, ſed ſcriptus eſt etiam Piſauri, ubi Auctor aliquamdiu moratus fuit, ut in celeberrima per id temporis Ducis Urbinatis Bibliotheca, ad idem Opus conficiendum, hiſtoricis ſtudiis vacaret; cujus libri meminit Author Catalogi præcipuorum Hiſtoricorum impreſſi Pariſiis anno 1713. tom. 2. Claſſ. 45. p. 277. Vid. Armell, part. 2. pag. 103.

ANTONIUS de S. ROMANO, Hiſpanus, Palentinus Monachus in D. Zoili Monaſterio, quod ſitum eſt in Carrionenſi nobili municipio, ſcripſit Hiſpano ſermone *Hiſtoriam Generalem Indiæ Orientalis*; *provinciæ à Luſitanis detectæ eorúmque armis occupatæ in Braſiliâ, & in aliis partibus Aſiæ, & Africæ, ab ineunte prima expeditione uſque ad annum MDCLVII*. Pinciæ anno 1663. in fol. per Didacum Perez.

LAURENTII MASSOLI, nobilis Veneti, Abbatis è Congr. Caſin. *Hiſtoria de Victoria ad Echinadas Inſulas reportata*, Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 71.

Her-

HERMANNI SCHENCK, San-Gallensis Bibliothecarii, viri apprimè docti *Centuria selectarum Historiarum* ex variis Authoribus, & linguis Latinè edita typis San-Gallensibus in 4.

-- EJUSDEM *Epitome*, seu *Historia fœderum Helvetiæ*. in 4.

CASIMIRI FRESCHOTT, Burgundi, Vesontini, è Congr. Casin. *Idea Generalis Regni Hungariæ, ejusdem descriptio, mores, Reges & bella, & rationes postremæ seditionis, invasionis Turcarum, obsidionis & liberationis urbis Viennæ, & progressus armorum Christianorum*. Opus Italicè sciptum prodiit primùm Venetiis, deinde novis accessionibus auctum Bononiæ an. 1684. apud Josephum Longum, & iteratis typis ibidem apud Montium an. 1686.

JOANNIS LIRON è Congr. S. Mauri *Dissertation sur l' etablissement des Juifs en France*. id est: *Dissertatio de Judæorum stabilita receptione in Gallia. an.* 1708.

-- *Singularitez historiques*. id est: *Singularia monumenta historica*, quorum le Cerf in Bibl. Hist. Crit. non meminit, sed Cl. Montfauconius in Catalogo Scriptorum Congr. S. Mauri mecum communicato. Sunt verò 2. vol. in 12. an. 1738.

ANTONIUS VINCENTIUS THUILLIER è Congr. S. Mauri *Historiam Polybii ex Græco Gallicè versam* typis imprimendam dedit in 4. anno 1727. 1728. Parisiis. Videsis, inquit D. Abbas *Langlet du Fresnoy*, quæ nos diximus de excellenti hoc Opere Capite XV. Tomi I. hujus Methodi. Vidi, ut opinor, non indiligenter, sed, quod pace D. Abbatis dixerim, loco citato nec jota, nec apicem inveni. Unde audire præstat, quid *D. Philippus le Cerf in Bibl. Hist. Crit.* de hoc Opere sentiat. „ Sapientes, inquit, „ nostri Reformatores nequicquam „ animo prævidérant, fore aliquando, ut vir Religiosus illius Congregationis, de cujus virtute ac doctrina tot támque eximia affulserant auguria, librum ex Græco in Gallicum verteret idioma, quò Christiani, quorum præcipuum officium in peragendis salutaris pœnitentiæ operibus versatur, ad castra sectanda, in quibus nulla fides pietásque, animi adderentur. Fierine potest, ut Religioso, qui ad scribendum se sat habere facultatis existimat, nullum aliud suppeditet argumentum? Et si ad res sacras scribendas parùm se idoneum existimat, cur non in iis elucubrandis studium consumit, quæ Criticorum dentibus ac cavillis minùs obnoxia habentur? „ Hæc ille pag. 474. Cæterùm à militiæ peritis & præfectis hunc librum in Germania magni fieri, sollicitéque apud Bibliopolas inquiri audio. Quid verò Hannibal, si superviveret, dicturus esset, si non Philosophum modò Gentilem, sed monasticæ vitæ cultorem de belli artibus disputantem audiret, equidem nescio. Mihi hujus Operis editor inter Scriptores historiæ exoticæ referendus est visus.

DOMINICI JACOBI ALEXANDRI è Congr. S. Mauri *Traité General des Horologes &c.* hoc est: *Tractatus Generalis Horologiorum*. Parisiis, apud Hippolytum Ludovicum, & Jacobum Guerin an. 1734. in 8. chart. aug. In hoc Opere non tantùm exacta Horologiorum descriptio, quæ nulla hactenus habita fuit, sed brevis etiam & curiosa eorum historia exhibetur. Vid. recensio in Act. Erud. Lips. an. 1736. pag. 224.

ANSELMI DESING Historia Gentis Græcæ patrio sermone scripta, tanquam paralella historiæ modernæ præsertim Germanicæ. Opus Ms. sed luce, ut cætera omnia præclari hujus Authoris, dignum.

MAGNOALDI ZIEGELBAUR *Dissertatio Historica de Hungaria & Austria MARIÆ Virgini Deiparæ dicatis, Turcarum tyrannide oppressis, ejusdem verò Divæ Virginis ope ac auxilio in libertatem vindicatis*. Opus typis nondum exscriptum, sed pto iis paratum.

-- EJUSDEM *Historiæ Venatoriæ Regum ac Imperatorum ex variis authoribus collectæ, ac in unum corpus congestæ, nec non moralis doctrinâ stricturis, & politico-Christianis admonitionibus de bono & malo venationis usu distinctæ*. Germanicè. Coloniæ sumptibus Christiani Martini Bibliopolæ Lipsiensis in 8. an. 1749.

§. XI.

Scriptores Vitarum Virorum ac Fœminarum Illustrium Statûs secularis ac Politici.

EGINHARDUS, primus Abbas & Fundator Monasterii Seligenstadiensis, anteà Notarius (*Secretaire d' Estat*)

Extat) Caroli M. Imperatoris vitam literis mandavit, quæ prodiit

Primùm an. 1561. Coloniæ in 4. curante Hermanno Comite à Nueñare.

Inter Scriptores Rer. Germ. Justi Reuberi JCti Francof. an. 1584. & 1726. recognoscente & curante Georgio Christiano Joannis.

In Corpore Hist. Franciæ Freheri pag. 433.

Inter Scriptores Franc. du Chesne Tom. II. pag. 93.

Inter Acta Sanctorum Bollandi Tom. II. Januarii.

Inter Scriptores Rer. Germ. Heineccii, pag. 122.

Ex editione Joh. Henrici Boecleri. in 4. Argentorati an. 1644.

Cum variorum notis & dissertationibus, curante Joh. Hermanno Sminckio, Trajecti ad Rhenum. 1711. in 4. Editio est omnium optima, ut benè judicârunt *Leuckfeldius* annot. ad cap. III. Antiquit. suarum Northeimensium pag. 263. ubi etiam Eginhardum à se anno 1707. editum fuisse testatur; *Burcardus* Parte II. Commentarii de fatis Linguæ Latinæ in Germania Cap. III. pag. 43. *Hechtius* Germaniæ sacræ & literatæ Parte II. lib. IV. cap. VII. §. II. pag. 163. Præmisit verò doctiss. Schminckius editioni suæ Dissertationem historicam de Vita & Scriptis Eginhardi, quam magna ex parte suas in areolas derivavit *Eginhardi illustrati & vindicati* Auctor *Joannes Weinkens* Coenobii Seligenstadiensis Prior.

De cætero non possum, inquit *Georg. Christ. Joannis*, quin moneam, *Claudio Arrhenio* tanti hunc de Vita Caroli M. comentarium seculo superiori visum fuisse, ut dignum judicârit, quem in Gothicum converteret sermonem, & cum annotationibus *Bejjelii*, *Emmanuelis Thesauri*, Comitis Itali, *de rebus Gothorum*, *Longobardorúmque in Italia* libris, ex Italico Latinè, Suecicè, & Germanicè ab se redditis adjiceret. Certè Eginhardus scripsit Caroli vitam, tantò meliori fide, quantò adhæsit ipsi familiarius, ut Sigebertus observat.

Eginhardus verò inclaruit, teste Lambecio Lib. II. de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi cap. V. §. XXXII. pag. 400. & seq. postremis Imperatoris Caroli M. temporibus, & licèt sub filio ipsius Ludovico Pio Imperatore multò etiam magis floruerit, suâ tamen sponte aulicam vitam deseruit, evasítque Monachus Benedictinus, atque primus Abbas Coenobii Seligenstadensis.

MONACHUS S. DIONYSII scripsit vitam Dagoberti I. Francorum Regis, quam Andr. du Chesne tom. I. Scriptor. Franc. & post ipsum Burc. Gotthelf Struvius in Actis literariis vol. I. vulgârunt.

ASSERIUS, seu *Asserus* Meneviæ in Monasterio *Dewi*, seu *Degwi*, sanctissimi olim ejus urbis Episcopi à teneris educatus, & sacris initiatus postea Episcopus Shireburnensis, *Alfredi* Magni, Anglorum Monarchæ, Rei Literariæ Benedictinæ Mæcenatis, ac Oxoniensis Academiæ Fundatoris vitam libro complexus est, quam edidit Mathæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis an. 1574. in fol. literis Saxonicis, sed linguâ Latinâ unà cum præfatione Saxonica, quæ iterùm edita Latinis literis per Camdenum Francof. anno 1602. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 305. & Oudin. Tom. II. pag. 405.

MONACHUS SAN-GALLENSIS ANONYMI Libri duo de Gestis Caroli M. ad Carolum Crassum Imperatorem, filium Ludovici Regis Germaniæ, pronepotem Caroli M. à Canisio Tom. I. vet. edit. pag. 360. edit. nov. Tom. II. part. III. pag. 57. primùm editi ex codice MS. Bibliothecæ Monacensis Serenissimi Electoris Bavariæ; tum ab Andrea du Chesne Tom. 2. Script. Rer. Franc. pag. 107. emendatiores à Friderico Hahnio. Cl. Fabricio Bibl. med. & inf. Lat. lib. XIII. pag. 422. author verus videtur esse *Notkerus Balbulus San-Gallensis*.

WITEKINDUS, sive *Wittikindus*, *Windekindus* Corbeiæ Novæ Monachus sub an. 955. celebris Historiographus, scripsit ad Mathildem filiam Ottonis I. Gesta Henrici I. Regis Librum unum. Ad eandem vitam & Gesta Mathildis Reginæ uxoris ejusdem Henrici Regis primi. Ottonis quoque primi Gesta ad eandem conscripsit. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 955. pag. 98.

ADELBOLDUS ex Duce Exercitûs Monachus Lobiensis, tum Episcopus Ultrajectinus scripsit vitam Henrici II. Rom. Imp. libris duobus. Obiit Henricus 14. Julii an. 1024.

HUGO Abbas Engolismensis scripsit Seculo XI. *de Comitibus Engolismensibus*, cujus fragmentum edidit du Chesne in Normannicis pag. 19.

ADEMARUS, Monachus Engolismensis S. Eparchii laborem insumpsit com-

componendâ Caroli Magni vitâ, à *Pithœo* & *Quercetano* in suis Scriptorum Rer. Franc. Collectionibus datâ, item vitâ Ludovici Pii. Claruit Ademarus circa an. 1030.

HELGALDUS, seu *Helgaudus*, Monachus Floriacensis circa añum 1050. vitam exposuit *Roberti Francorum Regis, filii Hugonis Capeti, seu Capetonis.* Edita illa primùm à Petro Pithœo Francof. an. 1596. posteà in Collectione Duchesniana. Scriptor. Rer. Franc. Tom. IV. pag. 59. recusa.

ODO Monachus Fossatensis anno 1058. auctor est vitæ *Domni Burchardi*, Comitis Melodunensis, qui apud Hugonem Capetum, ejùsque filium Robertum insigni gratia valuit, ac diem supremum an. 999. obiit. Primus illam typis exscribendam curavit *Jacobus du Breul*, Monachus S.Germani à Pratis in Supplemento Antiquitatum Parisiensium, Lutetiæ Paris. an. 1614. in 4. tum Andreas Duchesnius Tom. IV. Script. Rer. Franc. deinde in Gallicum idioma translatam Sebastianus Rouillardus in Historia civitatis Melodunensis, Paris. anno 1628. in 4.

DONIZONIS Presbyteri & Monachi Canusini Vita *Mathildis* Comitissæ celeberrimæ Principis Italiæ carmine scripta, quæ primùm luci publicæ data fuit à Sebastiano Tegnagelio Cæsareæ Bibliothecæ Præfecto, sive à Jacobo Gretsero Soc. Jesu Ingolstadii anno Christi 1612. *inter vetera monumenta contra Schismaticos* ab ipso collecta. Ad eam editionem usus est Tegnagelius Apogrypho ad se Româ misso. Tum Cl. Vir Godefridus Guilielmus Leibnitius in insigni Opere *Scriptor. Brunsv.* Tom. I. pag. 629. alteram ejusdem Poëmatis editionem an. 1707. nobis dedit præcedenti sanè accuratiorem; nam & antiquissimus Codex Romanus olim Sirleti Cardinalis cum edito collatus subsidium eidem tulit, & Vaticanæ Bibliothecæ custos Zaccagnius novâ collatione ipsum juvit. Prodivit nunc iterùm paucis ante annis curâ Sociorum Palatinorum Tom. V. Script. Rer. Italic. nec inutili fortasse studio, ut ipsis videtur, atque labore. Nam & doctissimus è Congr. Cas. Abbas Bacchinius *Donizonis* apographum è Padolironensis Bibliothecæ antiquissimo Codice Mf.^to^ desumptum commodavit. Qui Abbas Bacchinius, vir multiplicis doctrinæ in libro de celeberrimo Monasterio S. Benedicti ad Padolironem, quod à Majoribus Mathildis fundatum, ab ipsa ditatum est, res Mathildis novis auxiliis & tabulis illustravit, Leibniz in Introd. Script. Rer. Brunsv. Tom. I. pag. 4.

B. LANFRANCUS, Archiepiscopus Cantuariensis vitam *Guillelmi Conquæstoris*, Angliæ Regis, peculiari libro explicuit, testibus Sixto Senensi & Gesnero, quæ illa utique à multis desideratur. Acherius in Notis ad vitam B. Lanfranci pag. 41. col. 1.

Historia Vitæ & Regni Richardi II. Angliæ Regis ab *Elia* Monacho *de Evesham* scriptis mandata, in lucem vindicata fuit à *Thoma Hearnio* Oxonii è Theatro Scheldoniano an. 1729. in 8. Auctor cùm in Richardum haud iniquus sit, tantò majori in pretio habendus est, quantò magis suspecti sunt plerique ejus temporis Scriptores, perduellium cœtui addicti, qui optimum Principem & formosum, ceu animo & corpore deformem ac tyrannum nobis depinxerunt. Vid. Acta Erud. Lips. anno 1730. m. Octobr. pag. 477.

Emmæ Anglorum Reginæ, Richardi I. Ducis Normannorum filiæ encomium, auctore Monacho Anonymo S. Bertini. Extat in Duchesnii Collectione Scriptorum Rerum Normannicarum. pag. 161.

Excerptum ex Breviario Chronicorum *Thomæ Rudborn* Monachi Wintoniensis de *Mathilda*, filia Macolmi Regis Scotorum & Margaritæ, sororis Edgari Athelinn, uxore R. Henrici I. quod maledixit fructui ventris sui, cum refutatione istius mendacii asservatur in Bibl. Cotton. sub effigie *Tiberius* Lit. B. Cod. VII. n. 1. V. Smith in hujus Bibliothecæ Catalogo p. 39.

RADULPHUS Abbas S. Albani in Anglia scripsit *Historiam Alexandri Macedonis*, cujus Operis quidam Galfredum Henlingtonum auctorem faciunt, teste Fabricio Bibl. med. Lat. Vol. 6. pag. 84.

THOMELLUS Monachus S. Amandi, seu Monasterii Elnonensis in Flàndria circa annum 1080. clarus vitam conscripsit Balduini Pii, Comitis Flandriæ. Vossius de Hist. Latinis.

SUGERIUS Abbas Cœnobii S. Dionysii propè Parisios Ludovico VI. & VII. Galliarum Regibus ab intimis consiliis ac ministerio vitam Ludovici VI. cognomento Grossi peculiari commentario prosequutus est, quem Andreas du Chesne lib. IV. Script. Rer. Franc. exhibet.

RIGOR-

RIGORDUS, Monachus S. Dionysii, ac Christianissimi Regis Philippi Augusti Medicus & Chronographus, Gesta, seu Historiam ejusdem Philippi Augusti scripto libro complexus est, quem Ludovico VIII. Galliarum Regi nuncupatum Duchesnius Tomo V. Script. Rer. Franc. inseruit.

GUILLELMUS NANGIUS seu de *Nangiaco*, Monachus San-Dionysianus *Vitam & Gesta S. Ludovici* Galliarum Regis, & filiorum ejus *Philippi Audacis*, ac *Roberti Borbonianæ Familiæ Capitis* posteritati commendavit; quæ omnia continentur tomo v. Collectionis Duchesnianæ.

MATHÆUS PARISIENSIS, Monachus S. Albani in Anglia, & Historiographus Regius Vitas duorum *Offarum* seu *Offanorum* Angliæ Regum scriptas dedit; quæ inter ejus Opera historica continentur.

GUILIELMUS MALMESBURIENSIS Monachus in Anglia, & sui Monasterii Bibliothecarius elaboravit inter alia plura Opera historica *Vitam Indracti Hierberniæ Reguli*, qui fuit S. Dunstani discipulus. Leland de Script. Brit. cap. 166.

TRITHEMIUS scripsit Vitam & res gestas Friderici Palatini I. Electoris, quæ cum notis & additionibus variis prodiit in 4. Heidelbergæ an. 1602. Hæc Vita bene & admodum accuratè scripta est.

PRUDENTIUS SANDOVALLIUS Episcopus Pampelonensis Vitam Caroli V. Rom. Imp. & Regis Hispaniæ libro duas in partes distributo complexus, edidit Pinciæ apud Sebastianum de Cannas an. 1604. & 1606. in folio.

JACOBI du BREUL Monachi S. Germani à Pratis VIE de CHARLES *de Bourbon, jadis en le du Roy Henry IV. avec la Genealogie des Princes de Bourbon.* id est: *Vita Caroli Borbonii, olim Avunculi Henrici IV. unà cum Genealogia Principum Stirpis Borbonicæ.* 4. Paris. 1612.

ERARDUS NIGELLIUS Schyrensis Cœnobita in Bavaria ut bene de Ludovico IV. Rom. Imp. mereretur, ejusdem *Bona Opera* ex monumentis Bibliothecæ Schyrensis eruit, & in publicam lucem dedit Ingolstadii ex typographeo Gregorii Hænlin in 12. an. 1628. Tractatus absolvitur VI. Capitibus.

I. Ludovicus Catholicus, Liberalis.
II. Ludovicus IV. Rom. Imp. P. F. Orthodoxæ fidei fervidus zelator.
III. Ludovicus IV, Rom. Imp. Ecclesiæ sanctæ Dei, ministrorúmque ejus amator.
IV. Ludovicus IV. Rom. Imp. facilis injuriarum exceptor.
V. Ludovicus IV. Rom. Imp. in universa morum honestate præclarus, mansuetus, benignus, affabilis, Ecclesiæ S. R. I. defensor, fotor, & fautor piissimus.
VI. Ludovicus IV. Imp. Hospitalis, Pœnitens, Dei, Matrísque Virginis magnus cultor.

Tractatui præmittitur P. F. Abraham Bzovii Ord. Prædicat. de Electione Ludovici IV. palinodia.

Patris *Nigellii* Opus lectum fuit Cardinali Sfondrato, qui illud in *Regali Sacerdotio* non sine laude ipsius Ludovici IV. Imp. allegat lib. 1. §. 8. p. 227.

AIMERICUS de PEIRACO Abbas Moissiacensis *de Gestis Caroli Magni* scripsit ad Joannem Ducem Bituricensem. Usus est Cangius ex Codice Regio Paris. 1344. vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. p. 82.

JACOBUS CLERICUS, Abbas Vedastini in Belgio celeberrimi Monasterii, anno 1462. è vivis sublatus ætatis suæ an. 86. Author ab eruditis habetur *Historiæ Rerum gestarum Philippi Boni* Burgundiæ Ducis, quæ absque nomine authoris inter msc. Codd. Bibliothecæ Cæsareæ custoditur. Vide Lambecium Tomo II. pag. 956. Oudinum Tomo III. pag. 2624. Fabricium Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. pag. 1112.

THEODERICUS Monachus Cathedralis Monasterii Dunelmensis scripsit vitam Margarethæ Scotorum Reginæ, quæ postea Sanctorum Fastis adscripta fuit. Vide Acta Sanctorum Junii tom. 2. pag. 320. ubi S. Regina Theodericum propter ejus simplicitatem, innocentiam, & castitatem præ cæteris dilexisse dicitur, apud quem etiam noxas animi expiare solita erat.

HILARION à VERONA Monachus Cœnobii SS. Nazarii & Celsi scripsit Vitam Caroli M. ad Reverendiss. Patrem F. Cardinalem Senensem, quæ MS.ta habetur in Bibliotheca Magistratûs Lipsiæ. Vid. Tenzel Colloq. Menstr. an. 1698. in Nov. n. 935.

VINCENTIUS SQUALDUS Abbas è Congr. Casin. multæ eruditionis ac doctrinæ claruit circa medium seculi proximè elapsi, ac *Vitam Catonis Uticensis* inter alia plura elucubravit. Papadoli in Historia Gymnasii Patavini.

JOANNES de BELORADO Abbas Monasterii D. Petri de Cardeña edidit Roderici Diaz de Bivar vulgò *el Cid*, *Ma-*

Magni Domini, cognominati, Herois inclyti, de Stemmate, vita, rebúsque gestis ab anonymo authore compositum opus. Fecit id jussu Ferdinandi I. Imperatoris, Caroli V. fratris, qui librum in Monasterio S. Petri de Cardenna, ubi ipse Rodericus jacet sepultus, anno MDXII. delitescentem invenit. Editio accurata fuit Burgis 1593. & pòst Hispali 1611. in fol. sub titulo:

Historia del famoso Cavallero Cid Rui Diaz, con su Genealogia. Asserunt, quâ fide nescio, Auctorem operis hujus esse *Aben Alfange* Arabem, & ex Arabico in Hispanum fuisse translatum sermonem; Judice verò *Prudentio de Sandoval*, aliísque informe opus est, & Chronologiæ luce orbum, verísque millia fabularum miscens, ut verbis utar Nicolai Antonii, inquit illustris Eques de Frankenau in Bibl. Hisp. Geneal. Herald. pag. 77. quem miror, quòd non adverterit annum editionis in mendo cubare; qui fieri enim potuit, ut anno primùm 1593. Abbas editionem accuraverit, quô tempore mortalitatem dudum expleverat?

ANGELUS SANGRINUS, Abbas Casinensis, Poëta suo tempore nulli secundus Vitam & Gesta Caroli V. carminibus celebravit:

Dum Titan decus atheris, quadrigis
Invectus niveis.

Obiit Author piissimè an. 1593. Vid. Armell. Bibl. Casin. pag. 26.

LAURENTIUS de AGERBE, Hispanus, Monachus Cœnobii mihi nondum comperti, vixit circa an. Chr. MCDXL. & conscripsit librum

De La vida de Don Sancho Martinez de Leiva, namado Bracoos de hierro, id est: *Vita Domni Sanctii Martinez de Leiva cognominati Brachiaferrea.* Fuit iste heros manu fortissimus, strenuéque belligeravit sub Eduardo III. Angliæ Rege, cujus & filiam naturalem ex Isabella Suffolcia Northumbriæ Comitissa genitam, Isabellam nempe, circa an. MCCCLVI. duxit. Opus hoc inter manuscripta latet, & ab Auctore dedicatum fuit Petro de Zunniga & Leiva, primo Plasentiæ Comiti, Sanctii illius Martinez de Leiva abnepoti, cujus cum Stemmate Leiviano nexum prolixiùs videre licet; quare & laudatur Alphonso Lopez de Haro, & Josepho Pellicerio, aliísque Genealogis. Franckenau l. c. p. 274.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

BENEDICTUS GUIDI, Italus, Venetus, Monasterii S. Georgii Majoris Monachus, atque Abbas S. Nicolai de Littore, scientia & scriptis illustris obiit 1590. die 1. Augusti. Scripsit inter alia plura Italicè

Vitam Marci Danduli, Procuratoris, Doctoris, & Equitis Veneti, quam ms.tum se vidisse testatur Arnoldus Wion apud Armellinum Bibl. Scriptorum è Congr. Casin. part. 1. pag. 98.

HIPPOLYTUS à CREMONA in Cœnobio S. Benedicti Padolyronensis regulam Benedictinam professus anno 1588. concinnavit *Vitam Comitissæ Mathildis*, quæ ibi asservatur Ms. Armell. l. c. part. 1. pag. 229.

PLACIDUS PUCCINELLUS, Italus, ex Hetruriæ oppido *Pescia* dicto, Abbas Titularis Congreg. Casin Italico sermone narravit vitam seu historiam *Hugonis*, Principis Tusciæ, Ducis Spoletini, & Comitis Camerini; Venetiis anno 1643. apud Mathæum Leonem, & Joannem Vecellium in 4. quam correctam & auctam iterum prælo subjecit Mediolani in 4. apud Malatesta an. 1664. Item vitam *Willæ* Magnæ Principis & Matris prædicti *Hugonis* Fundatoris Abbatiæ Florentinæ. Venetiis an. 1643. in 4. & rursus Neapoli eodem anno ex typographia Francisci Savii. Armell. l. c. part. 2. pag. 153.

ANSELMUS PAIOLUS, Italus, Ferrariensis, è Congr. Casin. scripsit Italicè

1.) *Vitam Oliverii Cromwelli Protectoris*, seu, ut illum vocat Paiolus, *Tyranni Angliæ*. Venetiis per Valvasensem an. 1674. & Bononiæ anno 1680. iterúmque ibidem anno 1685. apud hæredem Berlierii, additis quibusdam lucubrationibus ad res Anglicanas pertinentibus.

2.) *Vitam Ducis Turenii, Regis Galliarum Exercitûs Generalissimi.* Niceæ in Provincia apud Joannem Ramesium anno 1677. & Parisiis anno 1678. & Bononiæ. 1680.

3.) *Vitam Guilielmi III. Regis Angliæ.* Ms.

4.) *Vitam Jacobi II. Regis Angliæ* Ms.

De doctrina, eruditione, ac pietate Authoris videsis Armellinum in Bibl. Ben-Casin. part. 1. p. 50.

VALERIANUS CASTILLIONEUS, Italus, Nobilis Mediolanensis, è Congreg. Casin. Ducis Sabaudiæ Historiographus scripsit Italicè

 1.) *Hi-*

1.) *Historiam Vitæ Ducis Caroli Emmanuelis I.* tom. 2.

2.) *Historiam Vitæ Ducis Victoris Amadei*, tom. 1. in 4.

3.) *Historiam Vitæ Christinæ Ducis Sabaudiæ, ac Sororis Ludovici XIII. Galliarum Regis.* Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. Lit. V. pag. 5.

ANONYMUS Monachus Pegavienfis fcripfit *Hiftoriam de Vita & Rebus geftis Viperti*, Marchionis Lufatiæ, Burggraffii Magdeburgenfis, Comitis Groicenfis. Prodiit Francofurti apud Andream Wechelium in fol. an. 1580.

CAROLUS VASSIMONT Prior Titularis Monafterii Flaviniacenfis fuper Mofam tribus milliaribus Nancæo diffiti fcripfit *Vitas Ducum Lotharingiæ*, quæ typis tamen datæ nondum fuerunt. Vid. Calmet in Catalogo Scriptorum de Domo Lotharingica, quem fuæ Hiftoriæ Eccl. & Civili Lotharingiæ præmifit.

MAURI CORKER, Angli, Abbatis Lambfpringenfis multis annis Miffionarii in Regno Angliæ *Staffords Memories*, id eft: Brevis & fincera Relatio nativitatis, qualitatis, incarcerationis, & piæ mortis Vicecomitis de Stafford. Londini an. 1682.

CLAUDII BRETAIGNE, Galli, Semurienfis, è Congregat. S. Mauri *La Vie de M. Bachelier de Gentes*, i. e. Vita Domini Bachelier de Gentes. in 8. Remis apud Potier an. 1680.

DAVIDIS PLACIDI PORCHERON, Galli, nati apud caftrum Rodulfi in diœcefi Bitaricenfi anno 1650. è Congreg. S. Mauri *Compendium Vitæ Bafilii Imp. Orientis, & filii Leonis*. anno 1690. apud Simonem Longrone Parifiis. Occafionem fcribendæ hujus Synopfis Authori præbuit alius liber, quo præcepta de bona educatione adolefcentum ftirpe nobilium continentur: elucubratus is fuit à nefcio quo feculi proximè elapfi Scriptore, & à Domino de *Loupre*, penes quem manufcriptus erat, Patri Porcheronio confignatus. Hunc cùm ftylus minùs afficeret, pluribus eum locis emendans majori elegantiæ reddidit. Adjecit præterea verfionem Inftructionis Imperatoris Bafilii cognomento *Macedonis* pro filio fuo *Leone*, dicto *Philofopho*, unà cum vita fynoptica utriusque hujus Cæfaris. Vide le Cerf. Bibl. Hift. Crit. pag. 313.

DOMNUS TOSSANUS DUPLESSIS è Congr. S. Mauri Vitam Jacobi II. Regis Angliæ paucis ante annis literis à fe mandatam edidit Parifiis.

REMIGIUS CEILLIER è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi in Hiftoria Generali Autorum Sacrorum Tom. IV. Cap. V. plures Articulos diftributo de *Conftantino M.* tractat. Et quidem Artic. I. *de Conftantini M.* primi Imperatoris Chriftiani vita, quem morti demum vicinum ab *Eufebio* Epifcopo Nicomedienfi, an. 337. baptizatum, & reliquis facramentis inftructum, ait; *Art. II.* de ejusdem orationibus facris; *Art. III.* de Epiftolis ad Epifcopos, Tomis Conciliorum partim infertis; *Artic. IV.* de Edictis pro religione Chriftiana promulgatis, fusè commentatur, donationémqne illam confutam explodit.

ANGELUS MARIA QUIRINUS, S. R. E. Card. duobus tomis *Gefta & Epiftolas Francifci Barbari*, Veneti Senatoris, Viri omnium Seculorum memoria digniffimi complexns edidit Brixiæ typis Jo. Mariæ Rizzardi anno 1741.

SECTIO VII.

SCRIPTORES QUINARUM HISTORIÆ IN COMMUNI APPENDICUM.

§. I.

Scriptores Hiftoriæ Gentilitiæ

HÆc cùm in Hiftoriam Genealogicam, & fcientiam Heraldicam dividatur, utriusque Scriptores veniunt recenfendi.

REINHARDI Abbatis Reinhufani an. MCI. defuncti Opufculum de familia Reinhardi Epifcopi Halberftadenfis edidit Leibnizius Tom. I. Script. Rerum Brunfv. pag. 703.

ERNULFI, five *Arnulfi* ex Monacho

cho Bellovacensi Roffensis in Anglia Episcopi ab an. 1114. ad 1124. Genealogia Edwardi Regis; item omnium Angliæ Heptarcharum Genealogia, Saxonicè. Vid. Oud. de S. E. Tom. II. pag. 1065.

FLORENTII BRAVONII, Monachi Wigorniensis in Anglia Seculo XII. admodùm celebris *Liber de Regali Anglorum Prosapia*, seu de *Regum Anglorum Genealogiis*, qui ad calcem editionis ejusdem *Florentii* Chronici, quod Guillelmus Howardus Londini anno 1592. juris publici fecit, habetur, in cæteris verò desideratur.

GUILIELMI MALMESBURIENSIS *Genealogia Henrici II.* Regis Angliæ, Leland.

PETRI de ICHAM, Cantuariensis in Anglia Monachi sub annum 1290. clari *Genealogia Regum Britanniæ*, quam cùm Parisiis circa an. 1280. studiis vacaret, ad instantiam Philippi Academiæ tunc temporis Cancellarii elucubravit, sed Gallicè, quia inter Gallos agebat. Postea in Latinum videtur sermonem transtulisse opus istud, quod orditur à fabulosi illius Bruti in Insulam adventu, atque ad Edwardum, primum post Conquæstorem ejus nominis Regem perducit. Extat Opus hoc Genealogicum in Cottoniana Bibliotheca, sub effigie *Domitiani* Lit. A. Cod. 3. num 2. Oudin. Tom. III. p. 611.

ROBERTUS WELLYS, aliàs *Stewarde*, Priorum Eliensis Cathedralis Ecclesiæ in Anglia ultimus, re proditâ Benedictina, primus Canonicorum Eliensium Decanus à Rege constitutus est. Decanatum adeptus nomen Gentilitium *Stewarde* homo ventosus deinceps adhibuit, & nobilitatis suæ opinione inflatus familiæ suæ *Genealogiam* scriptis commendavit, quam Henricus Wharton, Author Acatholicus, exigua cum Authoris laude, Angliæ Sacræ tomo I. p. 685. typis exscripsit. Vir vanissimus insignia sua Gentilitia in omnibus ferè libris, qui bene multi ipsi fuerant usui, depingi fecit. In Historia verò Episcopatus Eliensis uniuscujusque Episcopi arma gentilitia tam verbo quàm picturâ delineavit.

Genealogiam & successionem veterum Thuringiæ Landgraviorum ac Misniæ Marchionum accurato studio describit *Benedictinus Anonymus* ex monasterio de Kaldeborne vel Remesborne in Historia sua Erffordiensi à cap. 12. usque ad annum MCCCCXXVI. Extat verò hoc Chronicon Tom. I. Scriptorum Rerum Germ. quos Joan. Pistorius edendos curavit.

De Prosapia Regum Francorum usque ad Dagobertum Juniorem, filium Hildeberti II. Item de Genealogia Caroli M. Regis Francorum, & Imp. Romanorum. Iterum de Genealogia alia Regum Francorum. Denique de Genealogia Rollonis, primi Ducis Normanniæ scribit *Monachus Anonymus S. Medardi Suessionensis* in ejusdem Monasterii Chronico, quod habetur Spicilegii Tomo I. nov. edit.

HENRICI BASSE, Prioris in celebri olim, nunc verò ab Acatholicis extincto monasterio Ballenstadiensi *Panegyris Genealogiarum illustrium Principum Dominorum de Anhalt*, quæ anno 1519. in 4. typis excusa fuit. Cùm verò Scriptum hoc admodùm rarum esse cœpisset, illud nuper Cl. Jo. Christoph. Beccmannus variis notis locupletatum, & subinde castigatum recusum dedit in Accessionibus Historiæ Anhaltinæ pag. 126. Vogt in Catal. lib. rar. p. 74.

JOANNES TRITHEMIUS Annalibus suis Hirsaugiensibus Genealogiam Comitum Palatinorum, Ducum Bavariæ, Austriæ, Principúmque Wirtenbergicorum fusè satis immiscet. At non Trithemius est ille Geneographus, cui maxima in Genealogicis fides sit habenda, docente Eccardo de stemmate Witikindi M. cap. 1. *Author*, inquit, *omnium eorum (qui in Genealogia Saxonum Ducum assentationis, quàm veritatis studiosiores fuere) dúxque Trithemius fuit; qui ne falsi statim convinci posset, Hunibaldi, Clodov.ei Magni, si Diis placet, ætate celebrem scriptorem aliáque monumenta confinxit; illum deinde reliqui recentiores Crantius Spalatinus, Spangenbergius & cæteri cæcorum instar secuti sunt.*

FRANCISCUS RADES de ANDRADA, Hispanus, Prior Cœnobii S. Benedicti in urbe Giennensi scripsit

Nobiliario de España, seu, ut aliis citatur, *De los linages de España*, id est: *Stemmatographicus liber Nobilitatis Hispanæ*. Nunquam id in lucem prodiit publicam, sed in scriniis curiosorum mf.tum asservatur, rofsederúntque ejus apographa Fr. Thomas Herrera Augustinianus, ut ipse in Historia Conventûs S. Augustini Salmanticæ cap. 14. fatetur; Antonius Suarez de Alarcon, qui sæpius in suis Relationibus Genealogicis de Marchioni-

chionibus de Trocifal fol. 310. num. 22. &c. testimonio utitur; Rodericus Mendez Sylva, testante id Sanctio Doriga de Valdes in Memoriali Domûs Asturiæ fol. 44. &c. aliique. Elaboravit etiam *Radesius* noster Historiam celebris Pontiorum familiæ *Genealogia de los Ponces de Leon*, quam cum debito Authoris encomio citat modò citatus Sanctius Doriga de Valdes, ut & Thomas Tamaius de Vargas. Præterea *Radesius* in præclaro suo Chronico de tribus Ordinibus Equestribus, aliàs à nobis jam laudato, multa notatu perquàm digna circa nobilium Hispanorum stemata inseruit. Gerhard. Ernest. de Franckenau Bibl. Hisp. Hist - Geneal - Herald. n. 465. pag. 140.

ROMANI FEHLER, Monachi Schyrensis in Bavaria Gloriosissimæ, Serenissimæ, ac Antiquissimæ Domûs Bajoaricæ Origo, Stirps, & Propago cum variis anotationibus juxtà seriem temporum ac majorum omnium, & singulorum masculinâ, eadémque rectâ lineâ descendentium ordinem à duobus & ampliùs seculis. Opus prælo paratum, teste Bern. Pezio Diss. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. p. 31.

REGINBALDI MÖHNERI ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindel. Professi, rerum Genealogicarum longè scientissimi *Opera Genealogica Mf.ta* asservantur in ejusdem celeberrimi Monasterii Bibliotheca; & sunt

1.) *Series Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum &c. Europæ genealogicè deducta.* Huic Operi etiam inest Genealogia Marchionum & Ducum Austriæ, tam Babenbergensis, quàm Habspurgicæ stirpis.

2.) *Anhaldiæ Principes, & ex iisdem progredientes Brandenburgiæ Electores, Rectores, Saxoniæ Inferioris Duces moderni, dicti Lauenburgici.* Opus est Genealogicum accuratè confectum. Cod. chart. 4.

3.) *Genealogia Landgraviorum Hassiæ.* in 4.

4.) *Genealogia Fuggerorum.* Incipit Opus in Johanne Fugger an. 1330. & desinit cum anno 1614. Addita sunt & nomina, & insignia conjugum.

5.) *Hastiludium Genethliacum.* Cod. chart. 4.

Fuit verò Reginbaldus non minùs Stemmatographiæ, quàm artis Heraldicæ multò peritissimus. Superant ejus Opera mf.ta

1.) *Insignia & arma Imperatorum, Regum, Ducum, Episcoporum &c. Europæ*, elegantibus figuris & picturis ornata. Cod. Chart. in fol.

2.) *Insignia Episcoporum, Abbatum, Ordinum Equestrium & Academiarum.* Cod. Chart. 4. Opus meris imaginibus & picturis constat.

3.) *Omnium pene Regnorum, Provinciarum, Regum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium &c. arma Gentilitia.* Cod. Chart. 4.

4.) *Insignia & Stemmatographia Episcoporum, Præpositorum, Decanorum, Canonicorum, & Abbatum S. Udalrici in Urbe Augustana.*

5.) *Patritiorum Augustanæ Urbis connubia, & eorum insignia Chronologica ordine tractata.*

6.) *Consules*, seu *Duumviri Augustani usque ad annum 1548. cum singulorum armis Gentilitiis.* Cod. Chart. in 8. oblongo.

7.) *Opus Stematographicum de diversis Augustanæ urbis Patritiis, puta Rehlingiis, Welseris, Peutingeris &c. cum eorum insignibus.* Cod. Chart. 4. Vid. Pez. l. c.

ANNALISTA SAXO, sive *Ekehardus* Abbas Uragiensis in Chronico suo *Genealogicas Saxoniæ notitias* præclarè illustrat, quod eapropter maximi habendum est, teste Jo. Georgio Eccardo, qui illud tom. 1. Collectionis suæ f. 133. typis vulgavit.

ARNOLDI WION, Belgæ, Duaceni, è Congr. Casinensi *Dilucidatio*, *quomodo Principes Austriaci originem ducant ex Anicia Romana Familia, quæ erat D. Benedicti.* Præmissa est *Ligno Vitæ* Venetiis apud Georgium Angelerium an. 1595. in 4.

GEORGIUS GALLOPIN, Belga, Monachus S. Gisleni *Flandriam Generosam* seu compendiosam seriem Genealogicam Comitum Flandriæ cum eorum Gestis Heroicis ab an. 792. ad 1212. ex Mf.tis Monasterii S. Gisleni collecta typis dedit in 4. Montibus an. 1643. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 338.

JACOBI du BREUL, Prioris Monasterii S. Germani à Pratis *Genealogie des Princes de Bourbon, issus de Louis de Bourbon, Prince de Conde.* id est: *Genealogia Principum Stirpis Borbonicæ, qui descendunt à Ludovico Borbonio Principe Condæo.* Isthæc Genealogia unà cum vita Cardinalis Borbonii typis impressa fuit Parisiis in 4. anno 1612.

Anti-

Antiqua Fundatorum Murensis Monasterii Genealogia [quæ est Genealogia Comitum de Habsburg] In veteri Cod. MS. Actis fundationis, aliísque antiquioribus ejusdem ecclesiæ monumentis præfixa cum hoc titulo: *Ista est Genealogia Nostrorum Principum.*

Origo & Genealogia Gloriosissimorum Comitum de Habsburg Monasterii Murensis Ordinis S. Benedicti in Helvetia Fundatorum. Ex antiquis & authenticis ejusdem Cœnobii monumentis à Guntranno Divite usque ad Albertum Cæsarem rectâ & nunquam interruptâ lineâ, succinctè quidem, sed clarè demonstrata. Auctore R.mo D. Dominico dicti Monasterii Murensis quondam Abbate. Editio secunda. Typis veteribus Principalis Monasterii Murensis, per Joannem Carolum Roos, an. 1702. in 8.

Hoc & præcedens Opusculum de novo edidit Illustr. Jo. PETRUS de LUDEWIG ex Constantiensi editione de anno 1651. inter Scriptores Rer. Bamberg. Tom. II.

Vir verò Clarissimus MARQUARDUS HERGOTT *Prolegom. III. in Genealogiam Diplomaticam Augustæ Gentis Habsburgicæ* hisce Actis Murensibus fide adempta nullam eorum esse vim atque virtutem sine Diplomatum ope liberè contendit. Neque tamen omnes hactenus suam in sententiam pertraxit. Est Vir doctissimus atque rerum Genealogicarum apprimè peritus, qui *Acta Murensia* non cum aliis tantùm viris literatis magni facit, sed pro iis etiam *Vindicias* scripsit, quæ typis mandatæ ubi in publico comparuerint, eruditi judicium ferent, qui propiora vero scripserit.

GABRIELIS BUCELINI *Germaniæ Stemmato-graphia sacra & prophana, in qua Germanæ Nobilitatis eminentia commendatur, & tabulis variis stemtographicis, contra receptissimam multorum opinionem, & ex vetustissimis monumentis familiarum præcipuarum Origines docentur, & generationes deducuntur.* Operis in IV. Tomos distributi Tomus I. prodiit Aug. Vindel. an. 1655. in fol. cujus tertiâ parte continetur *Genealogica Germaniæ notitia,* quâ longè illustrissima vetustissimáque ejusdem inter Europæ populos nobilitas asseritur, & comprobatur. Potentissimarum Familiarum Origines, & in hanc usque diem certa Generationum serie deductiones è vetustissimis monimentis & comprobatissimæ fidei authoribus distinctissimè & compendiosissimè describuntur. Sed & exterarum aliquot & florentissimarum origo Germanica docetur. Legitimus denique modus astruendæ per Majorum conjugia, & puritatis & convenientis cujusque generi dignitatis variis probationum equestrium Tabulis proponitur.

Tomo II. ibidem anno 1662. exhibetur *Agilolfingicæ Familiæ Principum Guelphorum Veterum, & ex his oriundorum Nominis & Fortunæ heredum accuratior locupletiórque Generis deductio.* pag. 346. Est apud eruditos exiguæ authoritatis, cùm debilibus nitatur fundamentis.

Tomo III. in quo Pars III. totius Operis continetur, *Hæreditariorum Augustissimæ Domûs Austriacæ Provinciarum Nobilitas per Stemmata & Probationes Majorum obiter adumbrata. pag. 1.*

Hujus eruditissimi Viri Ephemerides Mss. extant in celeberrimo Monasterio Weingartensi, ubi ad annum 1644. hæc sua manu exaravit 8. Martii. „ Viennæ hodie apud Præfectum „ Ferdinandi IV. pransus splendidè, „ & amicè vixi, jussus post tertiam „ pomeridianam ad Sac. Cæs. Majestatem occurrere. Mox post quartam gratiosissimam audientiam, ut „ vocant, habui, & post Cœnobii mei „ negotia obtuli Cæsari *Majorum* probationem ultra mille progressam; „ ad quem ascendere in pegma sub „ baldachinum Imperiale jussus, nolens, volens, debui, ut rem omnem digito monstrarem, singula „ exponerem, ipso Imperatore chartas complicatas suâmet manu tenente, tractim evolvente, & cùm „ deprecarer, ne se fatigaret, & ut „ potiùs in mensa explicari sineret, „ mihi quasi pro servitio minstrante, „ ac dicente, & se distinctiùs rem „ intueri, & cognoscere, & me meliùs explicare posse. Multa gratiosissimè & dignantissimè mecum contulit, ea inter sciscitatus: utrùm „ cuicunque alteri Germaniæ Principi simili amplitudine probationem „ conficere possem? respondi, me „ per omnes tentâsse, nuspiam potuisse, præterquàm apud Serenissimos Brunswicenses, quorum probatio, etsi minimè tot Regum & „ Cæsarum nomina proferat, me tamen eandem duplo ampliore, quàm „ Austriacam, numero extendisse, & „ sanè Familiam incomparabilem es-

„ se, quæ sola semper Principum „ fuerit. „

Ad annum 1662. 26. Nov. ita scribit: „ Leopoldum Imp. veneratus „ sum primùm, cùm me pridiè frustra inquiri, hac autem die ultrò „ ad colloquium & audientiam evocari jussisset, & longè gratiosissimè compellâsset, & affatus esset. „ Istud supra omnem captum meum, „ nec citra admirationem maximorum in Aula magnatum fuit, quòd „ me altera mox die secum denuò habere voluerit, & præfixa hora pomerid. prima à supremo Camerario „ Illustriss. Com. Maximiliano Lambergio, Aurei Vell. Eq. ad se deduci jusserit, atque in seram usque „ noctem omnia thesauri sui pretiosa „ suamet augusta manu in manus „ porrexerit, digito singula connotârit, explicârit, è meis ad manus „ suas receperit, nonnulla tunc, postea plura dono miserit, plura etiam promiserit. Quin & effigiem „ postea suam, quàm vivacissimè in „ auro depictam, & tredecim circum „ ambitum adamantibus ad me Veldkirchium destinârit &c.

-- EJUSDEM *Rutiliæ Familiæ deductio.* in 4. Veldk. an. 1677.

AUGUSTINI LAMPUGNANI, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casinensi *Turrianæ propaginis arbor explicata.* Bononiæ anno 1643. in fol. apud Jacobum Montium.

PETRI ANTONII TORNAMIRA Siculi, Panormitani, in Monasterio S. Martini de Scalis Bibliothecarii *L'Albero della Reale, ed Imperial prosapia di santa Rosalia*, id est: *Arbor Genealogica Regiæ & Imperialis prosapiæ S. Rosaliæ.* Panormi an. 1652. in fol. expanso, & iterùm ibidem apud Campanam anno 1672. & tertiò ibidem apud Carolum Adamum anno 1674. in 4.

BENEDICTI LUCCHINI, Itali, Mantuani, Monachi in Cœnobio S. B. de Padolyrone *Opus Genealogicum de stirpe originaria celeberrimæ Comitissæ Mathildis* Italicè scriptum prodiit Mantuæ apud Franc. Osannam Impressorem Ducalem an. 1592. Vide plura apud Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 99.

EUGENII GAMURRINI, Itali, Aretini, è Congr. Casin. *Istoria Genealogica delle Famiglie nobili Toscane, & Umbre all' Altezza Sermā di Cosmo III. Prencipe di Toscana.* hoc est: *Historia Genealogica nobilium Familiarum in Tuscia & Umbria ad Serñum Cosmum III. Ducem Tusciæ.* 5. tom. in fol. quorum primus impressus est Florentiæ apud Franc. Honofrium an. 1668. Secundus verò anno 1671. Florentiæ apud Lucium Navesi. Tertius ibid. apud Franc. Livium an. 1673. Quartus item Florentiæ an. 1679. apud Jo. Gugliantini typis Seren. Celsitudinis Alla Condotrutta Ludovico XIV. Francorum Regi dicatus, cujus vitam in longissima Epistola nuncupatoria pag. 208. describit. Quintus ibidem apud eundem 1685. Francisco Nerlio Cardinali dicatus. Vid. Journal de Sçavans tom. 6. an. 1678. p. 57.

CASIMIRI FRESCHOTI, Burgundi, Vesontini, è Congreg. Casinensi *Pregj della Nobilità Veneta, ovvero l'origine di tutte le Case patritie colle loro armi, e Personaggi più cospicui, che ne sono usciti.* id est: *Prærogativæ Nobilitatis Venetæ, seu origo omnium Familiarum Illustrium cum earundem armis Gentilitiis, Personisque magis conspicuis, qui inde prodierunt.* Venetiis typis Andreæ Coletti anno 1686. in 12.

FRANCISCI RANSPERG Augiæ Majoris Brigantinæ Prioris *Stemmatographia Illustrium per Imperium Romano-Germanicum Familiarum.* Tom. I. Opus, quod sciam, ineditum. V. Gall. Chr. Tom. V. col. 919.

JOANNIS MABILLONII Observationes de Genere S. P. Benedicti, Monachorum in Occidente Patriarchæ, quas vide in append. alterâ ad Tom. I. Annal. Ord. S. B.

ALEXIUS LOBINEAU in Historia Minoris Britanniæ ducenta & octoginta sigilla exhibet, quibus nihil jucundius potest esse illis, qui ex ejusmodi monimentis *Heraldicis* illustrium Familiarum antiquitatem indagare satagunt. V. Act. Erud. Lips. an. 1710. pag. 22. In Tomo I. texuit etiam Genealogiam Ducum Minoris Britanniæ.

GASPAR RUIZ de MONTIANO, Monachus Hispanus in celeberrimo S. Dominici *de Silos* Cœnobio, Theologiæ, Mathematices, & Historiæ peritissimus, historiæ sui Monasterii magno cum studio circa an. 1630. elaboratæ, egregio operi inseruit sancti Dominici de Guzman, Dominicanorum Ordinis Patriarchæ Genealogiam, Guzmanicum imprimis nobile stemma, tum & plurimas alias illustres prosapias Hispanas fusiùs deducendo, unde sæpius Genealogis con-

consulendus venit, eóque nomine laudatur Francisco Sotæ, Asturiensium Chronographo (*Chronica de los Principes de Asturias Lib. III. cap.* 58. *fol.* 600. §. 8. qui Codicem Auctoris manu exaratum evolvit in Archivo dicti Monasterii S. Dominici *de Silos*. Franckenau in Bibl. Hisp. Geneal-Heraldica n. 550. p. 161. ubi annotat levem Nicolai Antonii prætervidentiam, qui Ruizium nostrum, Hispanum Senecæ libri de Beneficiis interpretem (cognomine forsan *Montiano* seductus) in duos eósque diversos distinxit Auctores, cùm nonnisi unus utriusque Operis sit Auctor.

BENEDICTUS BACCHINUS Abbas S. Mariæ de Lactoma Congr. Casin. accuratè exponit *Gallæ Placidiæ Augustæ Stemmata*, paternum ac maternum genus, in Observ. ad vit. Episcoporum Ravennæ num. IX. pag. 73. quas Muratorius Tom. II. Script. Rer. Italic. intexuit.

ROMANI SEDLMAYR San-Blasiani in Sylva Nigra Cœnobitæ, in Universitate verò Salisburgensi anno 1708. Philosophiæ primùm, tum Ethices & Historiarum Professotis *Gentis Harrochianæ Origines*, quæ extant in Libro, cui titulus *Philosophus Porphyrius* &c. in fol. Salisburgi an. 1711. Plures Nobilium, eorum maximè, qui in Academia Salisburgensi literis unquam vacarunt, Genealogias condere vir eruditus meditabatur, sed ab omnibus pene, quorum literis & auxilio juvari debuerat, destitutus, nunquam ea documenta impetrare potuit, quæ tantæ molis opus exigere videbatur. Obiit anno 1722. Vid. Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. c. 7. pag. 415.

DIONYSIUS SAMMARTHANUS Congr. S. Mauri Præpositus Generalis in *Gallia Christiana* nobilium Familiarum Genealogiæ magnam lucem accendit; dum tot támque certa monumenta protulit, ex quibus illustrium Familiarum Origines tanquam ex antiquiorum & remotiorum temporum adytis eruuntur, successiones processúsque asseruntur, affinitates explicantur.

BERNARDI PEZII, Mellicensis Bibliothecarii *de Etymo Nominis Habspurgici & Origine Domûs Austriacæ Epistola* Viennæ & Norimbergæ in 4. apud Petrum Conradum Monath, anno 1731.

HIER. PEZIUS Genealogiam Principum Austriacorum primæ seu Babenbergensis stirpis, quam Conradus Abbas Mellicensis primus omnium jussu petitionéve Leopoldi VI. conscripsit, atque à Leopoldo I. Austriæ Marchione usque ad Leopoldum VI. perduxit, Tomo I. Scriptorum Rer. Austr. inseruit.

OTTONIS KOPTIK ex Cœnobita Lib. & Exempti Monasterii ad S. Lambertum in Styria, Abbatis Titularis in Regno Hungariæ *Genesis Inclytæ Familiæ Schwarzenbergicæ, seu Probatissima, & nusquam interrupta Historico-Genealogica à primis Sicombriæ Regibus usque ad hodierna tempora deductio.* Opus in Partes VI. ita distribuitur:

Pars I. habet vitas Regum Sicambriæ ab Antenote Trojano ortorum. *Pars II.* continet vitas Regum Francorum ex sanguine Sicambrico. *Pars III.* comprehendit vitas Ducum Franconiæ Orientalis, & Regum Galliæ ex prioribus emanantium. *Pars IV.* enarrat Gesta Ducum Alemanniæ & Alsatiæ, à Ducibus primis Franconiæ Orientalis profectorum. *Pars V.* ab ultimo suæ lineæ Duce Alemanniæ Erchingero Generarcha genus Seinsheimium deducit. *Pars VI.* Familiam Schwarzenbergicam puram à Michaële Dynasta Seinsheimio profluentem celebrat. Opus in folio asservatur mstum Viennæ in Bibliotheca Schwarzenbergica; ubi à me visum, & perlustratum fuit. Ex Bibliothecæ autem Præfecto intellexi, non antea in lucem emittendum esse, quàm ad Archivi Schwarzenbergici monumenta exigatur; id quando futurum sit, divinare ego nolim. Usui fuisse videtur Auctori *Huniboldus*, ex cujus libris *Tritbemius* Annales de Origine Regum & Gentis Ftancorum contexuit.

GODEFRIDUS BESELIUS, Abbas Gottwicensis, in præfatione Tomi Prodromi ad Chronicon Monasterii sui pollicitus est, se in Tomo III. Mantissæ loco Sigillorum ecgrapha ad septingenta summa fide & cura in æs incisa, prolaturum esse, unde in Heraldicam Germaniæ universæ ac inprimis Austriæ, novam lucem redundaturam esse neutiquam dubitat. Utinam orbi literato priùs fidem, quàm naturæ debitum persolvisset.

IGNATII GROPPII ad S. Stephanum Herbipoli Bibliothecarii *Tabula Geneologica* exhibens Nobiles Familias & Personas in Historia Amorbacensis Monasterii anno 1736. Witzeburgi

zeburgi typis vulgata occurrentes, pag. 280 - 285.

ERASMUS GATTOLA in descriptione Asceterii Casinensis de ejusdem Insignibus ac Sigillis agit pag. xv.

D. JACOBUS du VAL & D. MAURITIUS N. è Congr. S. Mauri ad Genealogiam Familiæ de Rohan illustrandam se aliqnot ante annis accinxerunt, an verò etiam typis dederunt?

AUGUSTINI CALMET, Abbatis Monasterii Senonensis, *Origine de la Maison de Lorraine.* Verba R.mi Auctoris in Historia Lotharingica sunt: L' Antiquité & les illustrations de la Maison de Lorraine sont connuës de toute l' Europe. Je n'entre pas point de les prouver dans cet Ecrit; mon dessein est de faire voir les differens systêmes, que l'on a formez depuis cinq ou six siecles sur son origine, de refuter ceux, qui sont mal fondez, & de donner un nouveau jour à celui, qui est aujourduy le plus approuvé, & que nous suivons dans cette Histoire.

I.) Systême de Garin de Loherans.

II.) Systême. Les Ducs de Lorraine descendent des anciens Comtes de Metz.

III.) Systême, qui fait descendre les Ducs de Lorraine de Lother neveu de Jules Cesar.

IV.) Systême, qui fait venir les Ducs de Lorraine de S. Arnoû, & de Charles Magne par Charles de France, & Guillaume de Bouillon.

V.) Systême, selon la Généalogie tirée de l' Abbaye de Mury en Suisse.

VI.) Systême, qui fait descendre les Ducs de Lorraine des Princes de la Maison d' Alsace.

VII.) Systême de M. Eckard sur l'Origine de la Maison d'Alsace.

Author amplexus est Systema VI. cujus igitur est *Genealogie des Ducs de Lorraine accompagnée de ses preuves CXXXIX.*

Post hæc ab Auctore subjicitur

1.) Liste Genealogique des Comtes de Bar. pag. cxi.

2.) Liste Genealogique des Comtes de Vaudemont. p. cxcix.

3.) Liste Genealogique des Comtes de Salm de Vosge & des Comtes de Blamont sortis de la même Tige. p. ccvi.

4.) Liste Genealogique des Comtes de Blamont. p. ccxv.

5.) Genealogie de la Maison d' Apremont. p. ccxviii.

6.) Liste Genealogique des Comtes & Ducs de Luxembourg. p. ccxxvi.

7.) Liste Genealogique des Comtes de Chiny. p. ccxxx.

8.) Liste Genealogique des Seigneurs de Commercy.

– EJUSDEM *Dissertatio de Sigillis & armis Gentilitiis Domûs Lotharingicæ* extat Tomo III. Histor. Lothar. pag. xxxi. Tomo autem II. præmittit explicationem de Sigillis, quæ æri incidi fecit: sunt CI. numero. 1.) Ducum Lotharingiæ. 2.) Comitum Flandriæ ex Domo Lotharingica. 3.) Comitum Vadani Montis (de Vaudemont.) 4.) Comitum Barensium. 5.) Comitum & Ducum Luxemburg.

MARQUARDI HERRGOTT, *Congr. S. Blasii in Nigra Sylva Capitularis, & Magni Cellerarii, nec non S. Cæs. Reg. Cathol. Majestatis Consiliarii & Historiographi, Ordinúmque anterioris Austriæ per Brisgoiam apud Aulam Cæsaream Deputati, Genealogia Diplomatica* Augustæ Gentis *Habsburgicæ, quâ continentur vera Gentis hujus exordia, antiquitates, propagationes, possessiones, & prærogativæ, chartis ac diplomatibus N.° CMLIV. maxima parte hactenus ineditis, asserta; adjectis Sigillis, aliisque monumentis æri incisis, mappa item Geographica, & indicibus locupletissimis. Hæc verò res non modò Habsburgicas universè corroborant, sed aliis etiam pluribus illustrissimis Germaniæ nostræ familiis, & patriæ medii ævi historiæ lucem feneramtur. Viennæ apud Leopold. Joan. Kaliwoda. Fol. Tom. III. pag. 1737.*

Operis Tomi I. *Libro II.* agitur de Genealogia Habsburgica, in qua à Rudolpho I. Rom. Rege ad ejus Majores ascenditur. *Libro III.* De Genealogia Habsburgo - Austriaca, in qua à Rudolpho I. Romanorum Rege ad ejusdem posteros descenditur. *Lib. IV.* De Genealogia Lauffenburgo-Habsburgica, in qua à Rudolpho Comite de Habsburg. primi Alsatiæ Landgravii filio, natu secundo, ad ejus posteros Habsburgi Comites, dominos Lauffenburgi, dein & Rappers-wilæ, Rottenbergæ, & in Krenkingen, nec non Landgravios Cleggoviæ & Sisgoviæ, usque ad ultimum hujus stirpis Comitem Habsburgensem, stemma deducitur. *Lib. V.* De Genealogia Kyburgo - Habsburgica, seu

seu de Kyburgiis posterioribus, qui ex Lauffenburgo-Habsburgica stirpe descenderunt, *Lib. VI.* De consanguineis & affinibus Augustissimæ Domûs Habsburgicæ, quorum memoria in monumentis Operis celebratur. Recensionem præclari Operis Auctori perhonorificam lege sis in Actis Eruditorum Lipsiensium an. 1738. m. Jan. pag. 1. seqq. Laudatur etiam Domino Kohler, Historiarum Professori in Universitatibus Altorfina & Gottingana longè celeberrimo, & eruditissimo, *der Münzbelustigung* part. 17. pag. 195. Pares laudes à famigeratissimo Hallensis Academiæ Cancellario, Domino Ludewigio in hoc Opus collatas, primo Partis hujus secundæ Libro jam commemoravi.

Cæterùm cùm Gentium Doctor nascentis Ecclesiæ antistites commonitos voluerit, ut non finerent suos *attendere fabulis & Genealogiis interminatis, vel inexplicabilibus*, non confulendum opinor nostris, ut in illustrandis genealogiis multum operæ ponant. Ut in multiloquiis, sic in Genealogiis texendis nunquam ferè desunt mendacia. Multis Scriptoribus, modò splendidè de Nobilium prosapiis & stemmatibus mentiantur, hi fidem libentissimè habent, & quod volunt, credunt.

II.

Scriptores Historiæ Iconologicæ.

MARIANUS SCOTUS in Chronico ad annum Christi 39. ita scribit: *Quædam matrona nomine Veronica ipsius Salvatoris nostri aspectum, ipso exprimente, atque contradente ad evidentiam testificandæ veritatis & observandæ fidelitatis. . . . suo reconsignatum habuit &c.* Primus fuit Marianus Scotus, qui scriptis hanc Iconem celebravit. „Laudat ille quidem, „inquit V. C. Jac. Hyacinth. Serry „Exercit. Histor. Crit. Polem. LIII, „pag. 370. laudat ille quidem Me„thodium quendam, ex quo suam „illam Historiam hauserit: at quis „ille, cujúsve ætatis fuerit, ignora„tur. Certè non fuisse Magnum „Methodium Tyriorum Episcopum „res illa probat vel maximè, quòd „nihil hujusmodi in ejus Scriptis le„gere fit: fabulásque ex suo illo Me„thodio venditet Scotus, quas notæ „sanctitatis & eruditionis Episcopo „nemo tribuerit. Hæc ille. *Petrus Diaconus*, Monachus Casinas in libro mſ. de Locis sanctis de Christi sudario ita scribit: *Sudarium verò, cum quo Christus faciem suam extersit, quod ab aliis Veronica dicitur, tempore Tiberii Cæsaris Romam delatum est.* Ex quo intelligitur, *Veronicæ* vocabulum esse imaginis, non mulieris, tracto inde etymo, quasi diceretur *vera icon*, seu *iconia*. Hinc manavit consuetudo sacram Christi imaginem *Veronicam*, quasi veram iconicam appellandi; ut ex compluribus auctoribus probat noster Mabillonius *Itineris Italici* pag. 88. & 89. quam tamen vocem nonnulli mulieris esse nomen postea existimantes *Veronicam* finxerunt piam fœminam, quæ Christo ad Calvariæ montem ascendenti obviam occurrens, ejus sacræ faciei quam extersérat, effigiem in sudariolo impressam receperit. Unde nomen sanctæ *Veronicæ* in aliquot Martyrologia invectum est; sed ne in Romanum admitteretur, obstitit Baronius cum aliis viris eruditis. Hinc mirari subit (inquit Ruinartus noster in notis ad S. Greg. Turon. lib. I. de Glor. Martyr. cap. XXII. col. 745.) Bollandianis crimini datum fuisse à Carmelitis, quòd de *Veronica* muliere quasi dubitanter locuti fuerint. Et quidem Nicolaus, aliíque complures Pontifices Romani ipsam Christi Domini imaginem vulgò *Veronicam* appellari testati sunt. Vide Papebrochii Responsionem ad exhibitionem errorum per Sebastianum à S. Paulo. Item *Mabillonium* loc. cit. ubi tamen hanc cautelam subnectit: „Si tamen *Veronicæ* nomen „primùm mulieri, & ab hac imagini „tributum præfractè velint alii, per „nos licet, nam hic narrantis offici„um non disceptantis suscepimus."

B. RABANUS MAURUS celebri suo Operi *de Laudibus S. Crucis* figuras, sive Imagines XXVIII. inseruit. Eæ tametsi variæ sunt, ab Auctore tamen omnes in formam crucis redactæ subtiliter & ingeniosè explicantur. Vid. Opp. tom. I. pag. 273. seqq.

ACTO ex Monacho Casinate Episcopus circa annum 1070. scripsit *De Passione imaginis Christi Domini facta in Civitate Aternensi anno 1062.* Quam Historiam Ughellus Italiæ Sacræ tom. VI. col. 692. inseruit.

B. PETRI DAMIANI Opusculum, de *Picturis Principum Apostolorum*, cur

cur Paulus ad dextram, Petrus ad sinistram collocentur, ad Desiderium Abbatem Casinensem, est ordine XXXV. inter ejus LX. Opuscula, quæ Operum ejusdem Tomo III. continentur. Vide etiam Francisci Mucantii Tractatum de Imaginibus, & Joannis Molani Historiam Imaginum.

S. HILDEGARDIS, Abbatissa, miras imagines Commentario in Apocalypsin inseruisse dicitur à Wicelio apud Molanum in Historia de SS. Imag. lib. 4. c. 8. inter quas Ecclesia, forma Reginæ picturatæ, liberali perstat vultu, cum inscriptione: *Me oportet concipere, & parere.*

RICHARDUS PLUTO, Monachus Cantuariensis sub annum 1181. scripsit in *Icones Apostolorum*. Leland, cap. 212. Pitseus æt. 12. p. 246.

PETRUS BERCHORIUS, jussu Joannis, Galliæ Regis, Titum Livium ex Latino Gallicè reddidit. Codex mf.tus duobus voluminibus in folio asservatur in Bibliotheca Collegii Sorbonici; ubi in fronte cujusque libri variæ miniaturæ & elegantissimæ picturæ conspiciendas se præbent, teste V. C. Daniele Maichelio de Bibliothecis Parisiensibus pag. 79.

ANONYMI Monachi Mettensis in Bavaria variarum rerum & mysteriorum figuræ ac imagines calamo pictæ in codice mf. Bibliothecæ Mettensis asservantur. Præ primis videri meretur imago S. P. Benedicti cum cruce & sacris verbis, quæ æneis S. *Benedicti* Cruciculis & Numismatibus inscribuntur, & inciduntur. Hujus perantiquæ iconis ecgraphon accuratè confectum juris publici fecit Bernardus Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. pag. L.

APPARITIO S. P. BENEDICTI *cum Cruce* in vitâ Leonis IX. Pont. Max. descripta, curante R.mo D. *Bennone Löbelio*, Abbate Brevnoviensi, & totius Congregationis Benedictino-Bohemicæ Visitatore Generali Perpetuo in æs incisa & præfixa fuit *Disquisitioni sacræ Numismaticæ de Cruciculis, seu Numismatibus S. Benedicti*, quam prælo subjecit Viennæ Austriæ anno 1743.

LOTHARIUS Imperator cùm pretiosum Evangeliorum Codicem Ecclesiæ Monasterii S. Martini, quod Metis situm est, dono dedisset, *Sigislaus* Abbas Lotharii imaginem appingi jussit, quam exhibet Jo. Georg. Eccard Tom. 2. Rer. Franc. lib. 29. n. 12. pag. 352.

MODESTUS, Monachus Fuldensis, *Ratgari*, Abbatis sui Sec. VIII. feritatem, quâ erga suos usus est Cœnobitas, præclaro schemate depinxit; in quo Ratgarius ipse cum pedo pastorali absque monastico cucullo exhibetur, apposita monocerotis imagine, infesto cornu in oves incurrentis, quam videre licet apud Mabill. Annal. Bened. tom. 2. pag. 416. ex Fuld. Antiq. ni fallor transumptam.

PLACIDI, Monachi Altivillarensis, *Iconismi SS. Quatuor Evangeliorum.* Extat in Altivillarensi agri Remensis Monasterio veterrimus Evangeliorum codex, quem Petrus Abbas ab annis ferè nongentis, scilicet principatu Ludovici Pii, pontificatu Ebonis Archiepiscopi à *Placido* monacho literis aureis eleganter scribi curavit; quo in codice depicti exhibentur quatuor Evangelistæ scribentium in morem, cum penna in manu, in quibusdam ex illis quatuor sic expressa, ut de pennæ usu in scribendo illis temporibus recepto non liceat dubitare, quod viri quidam eruditi, nec pauci, nec infimi nominis in dubium vocaverunt, imò inficias iverunt. *Mabill. de Re Diplom. Supplem. Cap. XI. pag. 51.*

OTTONIS à S. BLASIO *Chronica prima*, quam Joannes Heroldus evolvit, quo teste, libri series omnes sacræ Historiæ Genealogias ad Timotheum, Titúmque, Pauli discipulos usque figuris pulchrè distinguit. Opus sanè elegans, & non contemnendum, inquit Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. II. pag. 679. Incipit: *Considerans historiæ sacræ prolixitatem, nec non difficultatem.*

CONRADUS PHILOSOPHUS, Monachus & Prior Monasterii Schyrensis in Bavaria, anno 1241. defunctus, in Historia Ecclesiastica à se descripta depinxit septem artes liberales, & ad Astronomiam quidem Ptolomæum, contemplantem astra & stellas per tubum opticum quatuor ductus habentem. Vid. Mabill. Iter. Germ. p. 54. editionis à Fabricio curatæ, qui in Bibl. med. & inf. Lat. lib. III. pag. 1180. inquirendum putat, constétne idoneo aliquo argumento, num tubus ille lenticularibus vitris instructus, an dioptra vitris vacua in margine illa signetur, ut jam notare

se

se meminit IV, 14. Bibl. Græcæ pag. 466.

JOANNES de WALLINGFORD, Monachus S. Albani in Anglia plura literis commisit opuscula, inter quæ ordine decimum est *Pictura fratris Joannis de Wallingford*, cui carmen subjicitur:

Tonsio larga coma, nigra vestis, bota rotunda,
Non faciunt monachum, sed mens à crimine munda.

Extat inter ejus Opuscula uno volumine collecta in Bibl. Cotton. sub effigie *Julii* Lit. D. cod. 7. Oudin. de S. E. tom. 3. p. 181.

BENEDICTI CHELIDONII, Monachi in Monasterio S. Ægidii Norimbergensis, & Poëtæ sub finem Seculi XV. & initia Seculi XVI. scripsit Poëma de Passione D. N. J. C. & aliud de vita B. V. Mariæ. Utrumque Norinbergæ anno 1511. fol. prodiit additis iconibus stylo scalptorio egregii viri *Alberti Dureri*. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. pag. 1037. Iste *Chelidonius* subinde in Abbatem Monasterii ad Scotos Viennæ postulatus fuit. Vide Bruschium Centur. 2. pag. 208.

ARNOLDUS WION, Belga, Duacensis, è Congreg. Casin. *Lignum Vitæ* in maximo folio, innumeris impressis figuris, pulcherrimè distinctis graphicè exhibuit, quod passim in Ordinis nostri monasteriis extat. Ibi arbor miræ magnitudinis assurgens, ramos, ac folia quaquaversùm diffundens, in imò stipite habet SS. Patriarcham Benedictum sedentem, Regulámque dexterâ tenentem manu, sinistrâ gladium, illam Cœnobiticarum Congregationum, hunc militarium Ordinum Institutoribus porrigentem; caput duodecim stellis coronatum fulget; sub pedibus legitur hæc inscriptio: *Ecce Confessor magnus, qui quasi stella matutina &c.* Eccl. cap. 50. In ramis verò, ac foliis hinc inde extensis, illustres ex Benedictino Ordine Heroes visuntur, singuli propria, vel sapientiæ, vel dignitatis, vel alicujus memorandi facinoris gestantes symbola; Ipse *Wion* infimo loco supplex genuflectit, cum hac precatione: *Suscipe servum tuum in bonum.* Hujus *Arboris Monastico-Benedictinæ* breves declarationes Italicè scripsit, ac Venetiis in 8. anno 1594. apud Georgium Angelerium edidit Wionis. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 55.

CONSTANTINI CAJETANI, Abbatis S. Baronti è Congr. Casin. *De Sacris Imaginibus Apostolorum Petri & Pauli, quos inter medius pictus est S. Benedictus Abbas, Dissertatio Apologetica*; extat Opusculorum ejus tomo 2. deinde etiam in Bibliotheca Romanæ Sapientiæ in tomo, cui præfixus est titulus: *P. D. Constantini Cajetani Opera MSS.* cum appendice ad concertationem prædictam; sed in hac re hallucinatum fuisse Cajetanum plerique sentiunt; uti Joannes Mabillonius Itineris Italici tom. 1. part. 1. pag. 131. n. 5. ubi diligentissima observatione adhibita, concludit imaginem illam mediam esse Beatissimæ Virginis, sicut etiam Benedictum illum, qui picturam efformandam curavit, non Benedictum Papam, PP, sed Presbyterum P. R. B. & Monachum legendum fuisse. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 131. Adde Jani Nicii Erythræi Epistolam acerbiore stylo adversùs Cajetanum ad Joannem Rho, Jesuitam, ejúsque adversarium scriptam. Extat ad calcem epistolarum Erythræi ad diversos.

FORTUNATUS ULMUS è Congr. Casin. S. Georgii Majoris Venetiis Cœnobita mendacissimam Venetorum picturam, quâ fabulam turpis inter Alexandrum III. P. M. & Fridericum I. Imp. concordiæ tradidére, post Jacobum Contarenum & Hieronymum Bardum, qui multa collegerunt, quæ ad faciendam illi historiæ fidem plurimùm valere arbitrati sunt, nova substructione sustinendam suscepit, editâ lucubratione: Pictura conspicitur in aula, in quam Venetæ Reip. Senatores coire solent, fabulámque refert hanc: *Pace inter Alexandrum III. Pont. Max. & Imperatorem Fridericum I. conciliata, ipsum Pontificem, dum Fridericus in sancti Marci porticu ejus vestigia exosculaturus humi devolutus esset, pede illius humeris impressisso, ea verba pronunciasse: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem; respondisséque Fridericum, non tibi, sed Petro; statímque Pontificem subjecisse, & mihi & Petro.* Monstrum traditionis, pro quo *Fortunatus Ulmus*, ut Venetorum gloriæ velificaretur, calamo certare non dubitavit; quod certè facturus non fuisset, si ejus memoriam subiisset, veram gloriam haud aliunde, quàm à veritate proficisci.

Vid. *Felix Contelorus de Concordia inter Alex. P. M. & Frid. Imp. fol. Edit. Parif. an.* 1632. *Palignefius in Monitis Genealogicis pag.* 305.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhufani, *Monasteriologia*, in qua infignium aliquot monasteriorum Ideæ æri incifæ oculis fubjiciuntur. Augustæ Vindel. an. 1619. in fol.

– EJUSDEM *Theatrum D. N. J. C. atrociorum cruciatuum* C. Lectori fpectatori propofitum, an. 1658. in 4. Autor ut Lectores Christianos ad hoc Opus evolvendum invitaret, neceffarium effe duxit, ut appofitis imaginibus elegantibus ab excellentiffimo artifice *Christophoro Suarzio*, Sereniff. Bavariæ Ducis Guilielmi Pictore inventis & depictis liber ipfe exornaretur.

– EJUSDEM *Delineata Christi Servatoris effigies*, quam cùm Alexandro VII. P. M. confecrâffet, adeò hic ferena fronte illam excepit, ut datis etiam literis Auctorem ad plures labores animare dignaretur. Quâ Pontificia cohortatione animatus paulò pòst elaborare aggreffus eft

– *Hodæporicon Mariano-Benedictinum*, in quo Icones B. Virginis celebrium quarundam Stationum confpiciendæ exhibentur. Aug. Vindel. typis Veronicæ Apergerin Viduæ an. 1659. Nuncupavit autem Flavio Chifio Alexandri VII. Nepoti.

JOANNIS NOVATI, Itali, Bergomenfis, è Congr. Cafinenfi *Iconographia*, feu defcriptio picturarum, aliorúmque ornatuum, tum ex opere plaftico, tum ex auro fornicis Templi S. Pauli de Argon. Armell. Bibl. Caf. part. 2. pag. 15.

Iconifmi Sac. Reliquiarum, quæ in S. Monte Andecenfi, celebri Bavariæ Monafterio, affervantur, fæpiùs æri incifi prodierunt.

CASPAR, Italus Paplenfis, Abbas S. Juftinæ Patavinæ dictavit Bernardo Parentino, egregio Pictori, Hiftorias novi & veteris Teftamenti, Hieroglyphica, Symbola, & Moralitates etiam ex fabulis Veterum in clauftro S. Juftinæ, quæ meridiem fpectant, pingendas; quod fanè fingularis ejus doctrinæ facræ, profanæque infigne eft monumentum. *Hieronymus à Potentia* verò ejusdem Monafterii alumnus iftarum picturarum declarationem Italico fcripfit fermone. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 179.

ANGELUS SANGRINUS, Abbas Cafinenfis, vitam S. P. Benedicti carminicè defcriptam, & elegantiffimis iconifmis in æs incifis exornatam oculis objecit. Opus prodiit Florentiæ apud Barthol. Sermartellium, & Romæ anno 1587. atque iterùm 1637. in 4.

GREGORIUS HELLER, Abbas Gottwicenfis inferioris Auftriæ cùm ante Abbatialem dignitatem an. 1618. in Univerfitate Salisburgenfi Philofophiam docere aggreffus fuiffet, biennio poft ex hiftoria naturali vulgavit *Peplum Palladis imaginibus phyficis exaratum in officina Univerfitatis Salisburgenfis in* 4. *Salisburgi an.* 1640.

Bafilicæ Imperialis, & celeberrimi Monafterii ad SS. Udal. & Afram Aug. Vind. hiftoria, unà cum facris Reliquiis, Aris, & argenteis fimulachris, quæ in eadem etiamnum affervantur, figuris æri incifis expreffa, & Latinis typis primùm vulgata ab ejusdem illuftris Cœnobii Abbate *Bernardo Hertfelder* anno 1653. tum Germanicè reddita, & acceffionibus aucta à R. P. *Romano Kiftler* San-Udalricano Cœnobita, & Cuftode an. 1712. Aug. Vindel. apud Jo. Mich. Labhart.

Iconifmi Agilolfingicæ Familiæ Principum Guelphorum veterum exhibentur à *Gabriele Bucelino* in Germaniæ Stemmatographiæ Tomo II.

LEONIS MATINA è Congr. Cafin. in Univerfitate Paduana Philofophiæ Profefforis *Ducalis Regiæ Lararium, feu Sereniffimorum Reipublicæ Venetæ Principum omnium Icones, & Elogia.* fol. Patavii anno 1659. typis Hertzianis. in fol.

ANGELI de NUCE ex Abbate Cafinenfi Archiepifcopi Roffanenfis *Differtatio de Caroli M. effigie*, extante in Codice Bibliorum affervato in archivo S. Pauli de urbe, cujus meminit Mabillonius in Itin. Italic. pag. 70. Vid. Armell. Bibl. Cafin. part. 1. pag. 39.

BENEDICTI HÆFTENI, Præpofiti Affligenienfis, *Via Regia Crucis* iconifmis illuftrata, quibus facro lepore exprimitur, quî nos homines immiffas à Deo cruces & afflictiones portare foleamus. Opus non minoris utilitatis, quàm elegantiæ, prodiit ex officina Plantiniana Antverpiæ anno 1635. in 8.

PARIDIS GILLE, Michaëlis-Burani, Oratoris & Poëtæ haud vulgaris in Univerfitate Salsburg. Humanio-

niorum Professoris circa annum 1655. *Judicium Paridis emblematicum cum figuris æneis.* fol. anno 1694. Salisburgi.

ÆGIDII RAMBECK, Schyrensis, *Calendarium Benedictinum*, seu *Vitæ Sanctorum O. S. B.* Tom. IV. cum pulcherrimis imaginibus ære descriptis. Opus elegantissimum magnis sumptibus & impensis R.morum Abbatum *Gregorii* & *Romani* ad SS. Udalricum & Afram luce publica donatum fuit anno 1675. Augustæ Vindel. apud Simonem Uzschneider.

Idea Sacræ Congregationis Helveto-Benedictinæ, in qua singulorum Monasteriorum prospectus æri eleganter incisus non sine animi voluptate conspicitur. fol. typis Monasterii S. Galli anno 1702.

JOANNES MABILLONIUS cùm in Itinere Literario per Italiam Eremum Camaldulensem oculis arbitratus fuisset, sacra ejus amœnitate captus ære describi curavit. Illius iconismum vide in Itinere Italico, & Annalibus Benedictinis, ubi plures aliorum in Italia & Gallia Monasteriorum iconismi.

JOSEPHI MEZGER è S. Petro Salisburgi *Annus Mariano-Benedictinus*, sive Sancti Illustres Ord. S. B. in singulos anni dies cum suis Iconibus & Vitæ elogiis distributi ab Alma Congregatione Academica, Titulo B. M. V. Assumptæ in celebri Universitate Salisburgensi Benedictina erecta, & à S. Pontif. confirmata, editi an. 1668. Typis Jo. Bapt. Mayer.

MICHAELIS FELIBIEN è Congr. S. Mauri Historia celeberrimæ Civitatis *Lutetiæ Parisiorum* Volum. V. comprehensa, & figuris æri incisis illustrata prodiit Parisiis in lucem an. 1723. apud Guillem. de Prez, & Joan. de Essars.

BONIFACII GALLNER, Mellicensis, artis pictoriæ non mediocriter periti *Regula S. P. Benedicti* 787. *Emblematibus pictis pulcherrimè expressa.* Manuscriptum in folio dignum omnino, ut ære incisum Sodalibus nostris ob oculos constituatur; meos certè aliquando visum mirè oblectavit.

MICHAELIS de JUDICE, Siculi, Panormitani, è Congr. Cas. *Regum Siciliæ Imagines, & Elogia* à Comite Rogerio ad invictissimum Imperatorem Augustum Carolum VI. inter Siciliæ Reges III. faustè regnantem. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 110.

BERNARDI de MONTFAUCON è Congr. S. Mauri *L' Antiquité expliquée & representée en figures.* id est: *Antiquitas explicatione, & schematibus illustrata.* Tom. V. Volumina X. Parisiis apud Florentinum de Laulne, & rel. 1719. fol. maj. Tabulæ æneæ sunt circiter mille centum & viginti, si illas duplices, quæ duas integras paginas faciunt, pro duabus numeres.

– EJUSDEM *Historia Iconologica Franciæ*, quæ non est opus quidem peculiare, sed in *Monumentis Franciciæ Monarchiæ* continetur, in qua statuas & imagines quàm plurimas in æs incidi curavit; ex quibus non solùm Francica Historia, sed & varii ritus consuetudinesq; Veterum explicari possunt. Vid. Recens. Hist. in Act. Erudit. Lipsi. an. 1731. mens. Febr. pag. 55. & mens. Novemb. pag. 495.

JACOBUS MARTIN è Congreg. S. Mauri in Opere perquàm erudito *de Religione Gallorum* quàm plures inseruit Deorum iconismos, quibus veteres Galli cultum olim adhibuerunt.

S. Benedictus Christiformis in charta augusta iconismis expressus, anno 1652. Ferdinando IV. Bohemiæ & Hungariæ Regi oblatus ab Abbare Emautino O. S. B. Neo-Pragæ, *Joanne Caramuele.*

GODEFRIDI BESELII, Amplissimi Abbatis Gotwicensis in Infer. Austria *Iconismi*, quibus Tomum Prodromum Chronici Gotwicensis condecoravit. Primus est ad frontem Ingressus ad Codices Manuscriptos collocatus; explicatio verò datur Lib. I. cap. VI. pag. 63. Alter Iconismus ad initium Libri secundi prostat, cujus declaratio datur pag. 438. Tertius est *Facies œconomiæ Germanorum veteris & medii ævi.* Lib. II. pag. 157.

OTTONIS KOPTIK *Genesis Iconologica Inclytæ Familiæ Schwarzenbergicæ.* Opus MS.tum in fol. asservatur Viennæ in Bibliotheca Schwarzenbergica. Vidi, sed de nullo Serenissimæ hujus Prosapiæ Heroe dicere ausim: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.* Omnes depicti sunt in vestitu Hispanico, quô sanè Antenoris primi nepotes ac posteri usi haud fuerunt.

Imago Christi Crucifixi, quæ extat in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pervetusto Codice ms.to membranaceo: ante annos 778. quo continetur *Otfridi Monachi Weissenburgensis*, qui Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini fuit

discipulus, volumen Evangeliorum antiquis rythmis Theodiscis compositum. Hanc imaginem Christi clavis quatuor in crucem suffixi ex archetypa pictura delineatam Pet. Lambec. Bibl. Cæs. Vindobon. lib. 2. inseruit pag. 432.

CÆLESTINUS MAYR Imperialis SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. Monasterii p. t. Abbas Ss. Theologiæ Doctor & in Universitate Salisburgensi olim Professor, subindéque Rector Magnificus, inter alia quæ publico dedit præclari ingenii monumenta, illud quoque hoc loco memorandum edidit anno 1713. in fol. cum figuris & symbolis elegantissimis, hoc titulo: *Hyperdulia Mariana seu Festa Deiparæ cultu symbolico, philosophico, & historico - morali celebrata.* Opus sanè quàm magnificum, tam eruditum & suo Auctore dignum, sed rarissimum.

§. III.
Scriptores Rei Diplomaticæ.

HI varias constituunt classes. Primum locum occupant, qui difficile ac nullis ad eam diem regulis ac legibus subjectum argumentum ad artem ac præcepta redegerunt. Id quod omnium primus scitè ac feliciter præstitit

JOANNES MABILLONIUS, cujus sunt *De Re Diplomatica Libri VI. in quibus, quidquid ad veterum instrumentorum antiquitatem, materiam, scripturam, & stylum; quidquid ad sigilla, monogrammata, subscriptiones, ac notas chronologicas; quidquid inde ad antiquariam, historicam, forensémque disciplinam pertinet, explicatur, & illustratur. Accedunt Commentarius de antiquis Regum Francorum Palatiis, Veterum scripturarum varia specimina, tabulis LX. comprehensa, Nova ducentorum & amplius monumentorum collectio, fol. maj. Parisiis an.* 1681. In hoc Opere, inquit R.mus Abbas *Beselius,* (u) Joannes Mabillonius concusso, ab eruditissimo Papebrochio præsertim, & vix non nutanti Orbi veteri, alter velut Atlas validissimos humeros supposuit, atque in tradenda recta via & ratione, atra & alba, genuina & spuria Diplomata discernendi proram & puppim absolvit.

-- *Librorum de Re Diplomatica Supplementum,* in quo archetypa in his libris pro regulis proposita, ipsæque regulæ denuò confirmantur, novisque speciminibus & argumentis illustrantur. Paris. 1704. fol. reg. c. fig. Utrumque Opus recusum fuit ibidem fol. maj. anno 1709. cum Theodorici Ruinarti præfatione in novam editionem. „Omnes viri eruditi in libris, „ quos Joannes Mabillonius edidit „ *de Re Diplomatica,* suspexerunt Au„ ctoris acumen, ingenii sagacitatem, „ profundam eruditionem, immen„ sam veterum & recentiorum Scri„ ptorum lectionem, atque miram „ industriam, quâ ad artem ac præ„ cepta tam scitè felicitérque redegit, „ nullis ad eam diem regulis ac legibus „ subjectum argumentum. Unus so„ lus Scriptor in Galliis *Germonius,* „ veterum codicum haud æquus æsti„ mator, in Mabillonium calamum „ acuit, sed eum Mabillonius in Sup„ plemento, addito ad libros *de Re Di„ plomatica,* egregiè confutavit. „ Ita *Gravefon Hist. Eccles. Tom. VIII. pag. mihi* 180.

BERNARDUS de MONTFAUCON *Palæographiæ Libro VI. rem diplomaticam Græcorum sigillatim tradidit, cúmque Orientem peragrare, Græcorúmque Diplomata in Monasteriis præsertim montis Atho investigare Autori non licuit, solis Neapolitani ac Siciliæ Regnorum, quibus olim Magnæ Græciæ nomen fuit, Diplomatibus utitur, Parisiis an.* 1708. *apud Ludovicum Guerinet, & Carolum Robustel.* in fol. „ Ex hoc egregio Opere, inquit cita„ tus doctissimus *de Gravefon,* eandem „ utilitatem Viri eruditi ad haben„ dam notitiam temporis, quo Diplo„ mata, Instrumenta, Tabularia, & „ Opera Græcorum scripta sunt, per„ cipere possunt, quàm hactenus Vi„ ri eruditi ad consequendam noti„ tiam temporis, quo Diplomata, In„ strumenta, Tabularia, & Opera „ MS. Latinorum exarata sunt, ex „ Libro *Joannis Mabillonii de Re Diplo„ matica* perceperunt. „ Hist. Eccl. Tom. VIII. pag. 183.

GODEFRIDI BESELII *Tomus prodromus Chronici Gotwicensis,* in quo Part. I. Lib. II. ea, quæ ad Cæsareorum, Regiorúmque Germaniæ Diplomatum antiquitatem, materiam, stylum, scripturam, monogrammata, sigilla, subscriptiones, notásque chronologicas pertinent, explicantur, & adjectis speciminibus, tabulísque æri incisis illustrantur. Atque sic Mabillonius, quoad eam Rei Diplomaticæ Germanorum partem, quæ tempora exce-

(u) Præfat. in Chron. Gotwic.

excepit Carolingica, suppletur, & Regum nostrorum, vel Imperatorum, inde à Conrado I. usque ad Fridericum II. ab anno DCCCCXIV. ad annum usque CIƆCCXXXVII. Diplomata declarantur. Restant autem Henricus VII. Conradus IV. & durante interregno *Alphonsus*, & *Richardus* Anglus, quorum Diplomata certè non minori, si non majori luce indigent, quàm reliqua superiorum temporum; cumprimis verò *Richardi*, & *Alphonsi*, de quorum genuitate maximè controvertitur; ut *Rudolphum I.* taceam, qui tamen per xx. annos hujus seculi fasces Imperii tenuit. Sunt igitur viri eruditi, quibus in optatis est, ut Reverendissimus Auctor post editionem Chronici celeberrimi sui Monasterii *Prodromo* ejusdem supplementum adjiciat. Sed quis omnia omnium eruditorum vota explere queat, vel etiam velit? Tametsi verò illud non futurum sit, fatendum tamen est, quòd Amplissimus Abbas post Mabillonii, Papebrochii, & Hickesii labores facem rei Diplomaticæ accenderit splendidissimam.

De Diplomatica Germanorum, inquit V. C. Lud. Ant. Muratorius Antiqq. Ital. Medii Ævi Tom. III. Dissert. 34. *egregiè nuper egit Clarissimus* P. GODEFRIDUS *Abbas Gottwicensis in Tomo I. Chronici Gottwicensis, cujus continuatio in desideriis est universæ Reipublicæ Literariæ.* JOANNES FRIDERICUS Joachims J. U. Doctor in peregregia sua Isagoge ad Diplomaticam Germanicam sponte ultrò, quo est ingenuo candore, fatetur, sibi in ea elucubranda Chronicon Gotwicense præcipuo usui fuisse. Iste doctus Abbas, inquit, nobis Germanicus Mabillonius est, à quo docti sumus, quam viam in legendis Diplomatis, iisque dijudicandis tenere nos oporteat: quâ re monumentum honoris & gloriæ sibi ipse erexit

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Hisce Duumviris succenturiandi sunt alii duo è Congregatione S. Mauri Cœnobitæ Anonymi, qui nuper novum de Re Diplomatica tractatum edidêre Parisiis hoc rubro: *Nouveau Traité de la Diplomatique, où l'on examine les fondemens de cet art, on etablit des regles sur le discernement des titres, & l'on expose historiquement les caractères des Bulles Pontificales, & des Diplomes donnés en chaque siecle...* Par deux Religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur... *A Paris chez Guillaume Deprez & Pierre Guill. Cavelier* A. 1750. Tomis pluribus in 4. maj.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND è Congr. S. Mauri *Supplementum de Regum Franciæ Notariis*, quos Mabillonius in libro de Re Diplomatica omisit. Extat in Præf. ad Collect. Vet. Script. §. I. pag. XI.

ANGELI de NUCE Abbatis Casinensis *Dissertatio Historica de Signaturis & Subscriptionibus.* Vid. ejusdem Notas, quibus illustravit Chronicon Cassinense *Leonis Marsicani* lib. 1. cap. XVI.

– EJUSDEM *Dissertatio Historica de Annulis Signatoriis & Sigillis.* Extat l. c. lib. 2. cap. 2.

JOSEPHI PEREZII S. Facundi in Hispania Monachi, ac sacrarum Linguarum in Academia Salmanticensi Professoris Ordinarii *Dissertationes Ecclesiasticæ*, in quibus pleraque etiam *ad rem Diplomaticam* spectantia accuratè discutiuntur. Salmanticæ apud Lucam Perez an. 1688. in 4.

BENEDICTI BACCHINI Abbatis Congr. Casin. *Tractatus de sinceritate & falsitate Diplomatum* ad Marchionem Scipionem Maffeium, quem authoris manu exaratum ille in cimeliis, ceu pignus charissimi amici servat, nec hucusqne ejus describendi copiam alicui fecit. Armell. part. 1. pag. 83.

• CLASSIS ALTERA eorum est, qui res à se literis consignatas, ne in dubium ac suspicionem vocentur, Diplomatibus illustrant. (x) Firmissima enim Actorum fundamenta producuntur ex archivis, ut malè Monasteriis suis, posterisque consulant, qui fundationum, & rerum gestarum tabulas, superstitiosè celant, & abscondunt; tum tineis, blattis, incendiis, furibus, militibus, cuncta per jocum scindentibus, negligenter impudentérque objiciunt. Quot Bullæ, Privilegia, Diplomata, antiquitatum monumenta sic pessum iverunt (bello præsertim Suecico, seu tricennali seculi proximè elapsi) quibus non alia res magis, quàm typis æternitatem præstare potuisset, quod aliis ab Ordinibus diligentissimè observatum est. Quid vis? litera scripta non manet, impressa manet. Ipsúmque tempus vel

(x) Thomas Weiss præfat. ad Cod. Prob. Antonii Yepesii in Chron. O. S. B. Centur. I.

vel solum absque aliâ injuria nihil non consumit. Sunt Monasteria, quorum si Fundatores & Benefactores exigas, incolæ scalpunt aures, tacent. Si causam ignorantiæ roges, archivum semel, bis, ter conflagrâsse: ab hæreticis direptum: à militibus dilaceratum: à blattis exesum: cum cæteris incautè communicatum non absque gemitu, non absque rubore respondent. Hujusmodi igitur monumenta servandi aptissimus est modus (quis neget?) typis mandare, quà nocere non possunt. Fecerunt hoc San-Gallenses nostri, à quibus omnia diplomata & instrumenta Monasterii sui in unum corpus superiore seculo redacta fuerunt, cujus collectionis unum exemplum in archivo Ecclesiæ Romanæ; alia quædam in celebrioribus aliquot Helvetiæ Monasteriis reposita sunt; cætera privatim in ipso monasterio sancti Galli reservantur ad documentum posterorum. Idem præstiterunt Einsidlenses nostri, ut si quo incendii vel belli casû ipsa primaria instrumenta perire contingat, jacturam utcunque sarciat hæc collectio. At enim recensendi sunt aliqui, qui Scripta sua Diplomatibus confirmârunt.

JOANNIS Monachi Farfensis circa an. 1140. Regestum Bullarum, & Diplomatum, à Pontificibus & Cæsaribus aliisque Principibus Viris Farfensi Monasterio concessorum. Est verò hoc *Regestum* Tomus IV. Chronici *Farfensis*, quod Tomis III. comprehensum *Gregorius Catinensis*, Monachus Farfensis, Joannis synchronus composuit. *Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 194.*

Corpus Traditionum, sive *Donationum Fuldensium* ab anno 744. ad finem Seculi XIII. prodiit in lucem opera & studio V. C. *Joannis Friderici Schannat.* Lipsiæ 1724. fol. A quo etiam typis vulgata fuit Clientela Fuldensis beneficiaria nobilis & Equestris Francofurti 1726. fol. cum elenchio clientum, & *Codice probationum*, in quo Diplomata DCXXXVI. Alius *Codex Probationum Historiæ Fuldensis* Francofurti 1729.

Codex Traditionum Corbeiensium notis criticis atque historicis ac tabulis geographicis & genealogicis illustratus, quibus antiquissimus Germaniæ inprimis autem *Saxoniæ* status à Carolo M. usque ad Conradum II. Imp. necnon origines multarum familiarum illustrium exhibentur. Accedunt præterea Diplomata adhuc inedita historiæ Imperatorum, Archiepiscoporum, Ducum, Episcoporum, Abbatum, Principum, Comitum & Dynastarum Germaniæ; ac etiam *Registrum* Abbatis *Sarachonis* de Bonis & proventibus Abbatiæ Corbeiensis, omnia ad Manuscriptorum fidem... E latebris in lucem protraxit & adnotationes varias ac figuras æri incisas addidit *Joannes Fridericus Falcke.* Lipsiæ & Guelpherbyti 1752. in fol...

LIBER *Probationum* sive *Bullæ summorum Pontificum*, Diplomata Imperatorum & Regum, aliæque Episcoporum, Ducum, Principum, Comitum &c. Literæ, quæ ad Historiam Monasterii & Principalis Ecclesiæ S. Emmerami Ratisbonæ maximè spectant, unà cum sigillis ad roborandam veritatem magis necessariis.... Accurante Celsissimo Principe JOANNE BAPTISTA... Ratisbonæ 1752. in 4.

ERASMI GATTOLA Historia Abbatiæ Casinensis multis Imp. Pontificúmque Diplomatibus, vetustisque documentis referta; quibus tamen fidem non adhibendam esse existimat BARINGIUS (de Script. Rei Diplom. pag. 5.) Quid ita verò? *Galloniut*, inquit, *demonstravit, quòd Monachi Benedictini sigillatim in monte Casinensi falsis diplomatibus abundent.* Miror, virum doctrinâ & eruditione eximium, uti *Gallonii & Richardi Simonis* levissimis testimoniis. Archivii Casinensis in Rotâ Romanâ tanta est authoritas, ut in contradictorio judicio secundùm illud decisiones fiant, atque sententiæ ferantur.

JOANNIS WEINCKENS Prioris Seligenstadiensis Collectio Diplomatum ejusdem Monasterii. Francof. anno 1714. fol. cum Historia Cœnobii.

ANTONII YEPESII Appendices ad *Chronicon Generale* Ord. S. B. in quibus extant quàm plurima Diplomata ex Archivis Regni Hispaniæ summâ fide deprompta.

MARTINI MARRIER, *Bibliotheca Cluniacensis*, in quâ præter alia, etiam Privilegia & Diplomata cum Notis Andreæ Quercetani continentur.

JOANNES MABILLONIUS in Actis Sanctorum, & Annalibus O. S. B. non parcâ manu Chartas, Privilegia, Diplomata &c. ad calcem subjecit.

MICHAEL FELIBIEN è Congreg. S. Mauri Presbyter insigni suæ Historiæ de Abbatia Regali S. Dionysii in

in Gallia corroborandæ exquisitam copiam Chartarum, Diplomatum, Privilegiorum bonam partem ineditorum subdidit. Quod etiam præstitit ex eâdem Congregatione

GUIDO ALEX. LOBINEAU è Congreg. S. Mauri Historiæ Minoris Britanniæ; nec non *Dionysius Sammarthanus* ejusdem florentissimæ Congregationis Præpositus Generalis in *Gallia Christiana* tomis x. comprehensa, Instrumenta uniuscujusque Tomi ad calcem edi curavit, ut ad manum sint consulere volenti.

MEZGERI tergemini Fratres doctissimi *Historiæ Salisburgensis* Librum V. & ultimum distinxerunt in tres classes: in primâ collocârunt documenta Archiepiscopatum Salisburgensem concernentia; in alterâ, quæ Cœnobium S. Petri, Nunbergense, & Universitatem contingunt.

CAROLI MEICHELBECK, Benedicto-Burani in Bavaria Ascetæ, Historiæ Frisingensis Tomi I. Pars altera Instrumentaria, in quâ plusquàm mille trecenta Instrumenta Traditionū, seu Donationum, ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, aliisque Fidelibus Frisingensi Ecclesiæ primis quingentis annis factarum, aliáque antiquissima monumenta, tum ex domesticis, tum extraneis chartariis deprompta, adjectis quantùm fieri potuit Notis variis cum erudito Orbe communicata.

— *Historiæ Frisingensis* Tom. II. Pars altera Instrumentaria, in quâ plus quàm quadringenta Instrumenta Pontificum, Cardinalium, Metropolitanorum, Episcoporum, Abbatum, Canonicorum: item Imperatorum, Regum, Archiducum, Ducum &c. ad hunc alterum Tomum pertinentia tecensentur. Augustæ Vindel. an. 1729.

CODEX PROBATIONUM Epitomes Historicæ Monasterii Brevnoviensis in Bohemia authore P. Magnoaldo Ziegelbauer, fol. Coloniæ anno 1740. Memoratu digna est Bulla Joannis XV. Pont. Max. de qua nonnemini in dubium vocata sermo infra tedibit.

Probationes Historiæ Monasterii Amorbacensis, sive varia Sum. Pontificum, Inperatorum, Regum, Archi- & Episcoporum, Comitum, Nobilium &c. Diplomata, Privilegia, Traditiones, Venditiones, Infeudationes, aliarúmque Chartarum, & Documentorum Monumenta complectens, ex quibus prædicta Historia plurimam partem eruitur, & probatur. Operâ & studio *Ignatii Gropp* Ord. S. B. in Monast. ad S. Steph. Wirceburgi Professi, & Bibliothecarii, SS. Theolog. Licentiati, Chronographi Amorbacensis. Francof. ex Officina Weidman. an. 1736.

MARQUARDI HERGOTT *San-Blasiani Opus Genealogico-Diplomaticum de August. Domo ac Gente Habsburgica*, cujus Tomus II. duobus voluminibus comprehensus Codicem Probationum exhibet, in quo Pontificum Rom. Bullæ, Imperatorum Regúmque Diplomata, Episcoporum, Ducum, ac Comitum Chartæ, aliaque plura monumenta authentica exhibentur. Opus illustre, ac reconditæ plenum eruditionis, prodiit Viennæ in Austria an. 1737. fol. max.

GODEFRIDI ABBATIS GOTWICENSIS *Chronici Gotwicensis Tomus III.* vices *Codicis Probationum* aget, Bullásque Pontificias, Imperatorum ac Regum Diplomata, Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum, aliorúmque diversorum ordinum illustrium hominum Chartas Pagenses, aliáque vetera Documenta plusquàm mille trecenta complectetur, quibus tanquam testibus omni exceptione majoribus ea, quæ in præcedentibus, & præsertim in Tomo II. adserta sunt, invictè corroborentur. Erit & alia voluptas, & in re omni veteris Germanici juris fructus amplissimus, qui ex annosis hujusmodi venerandæ antiquitatis reliquiis percipi poterit. Inde enim mos ille majorum nostrorum discetur, quô illi de rebus suis, quæ alicujus quidem momenti essent, transigere consueverunt. Neque alii limpidiores fontes sunt, ex quibus tot diversæ Germanicarum Gentium consuetudines, ritus, leges privatæ Provincialésque, ut vocant, explicari accuratiùs possunt, quàm hæc ipsa anterioris ævi Documenta, nonnisi singulari Numinis nutû ad nostram usque ætatem servata & propagata: In iisdem attentus Lector ea plerumque teperiet, quæ veteri jure ad actus inter vivos pertinebant, Personas tradentes, easque vel Ecclesiasticas vel Laicas, Res traditas, modum tradendi per varia signa: investituras (cur enim de juribus differentes verbis Jurisconsultorum non utamur?) varias formulas traditionum, & donationum, quarum quædam simpliciter fiebant,

aliæ certâ lege, cujusmodi sunt Precariæ, Præstariæ, pacto jure reluitionis, & his affines: Contractus emptionis, venditionis, & Comutationis: Constitutiones dotis, aliáque, quibus contractus hujusmodi constabant & perficiebantur. Præter actus verò inter vivos videre licebit ultimas etiam voluntates, testamenta, Codicillos, donationes mortis causâ, legata & his similia: Modum insuper, quô exortæ sæpiùs super prædictis controversiæ definitæ fuerunt; nempe transactiones, stilum judiciarium, diversa probationum genera per testes, instrumenta, remedium subsidiarium juramenta: ipsas denique judicum sententias, & inde consecutas, vel in possessionem missiones, vel ejus retinendæ remedia, plurimáque alia, quæ nulli non ipsius Tomi III. monumenta ingerunt, & inculcant. „Hæc R.mus Author in Præfatione Prodromi, sen Tomi I. uti sanctè pollicetur, ita ut brevì fidem solvat, eruditi quique exoptant. Ab eodem etiam Amplissimo Præsule evulgandus (nam similiter spem ejus fecit) speratur *Codex Traditionum Laurisheimensis Monasterii*, ex antiquissimo autographo Moguntino descriptus, adjuncto Chronico Laurisheimensi à Freheriano multis in locis diverso.

Testium post Cœnobii Persorensis in Anglia combustionem de loci privilegiis igne combustis examinatorum depositiones, lege sis, si placet, Monastici Anglicani Tomo I. pag. 205.

HUGO CANDIDUS, aliàs *Withe* in Historia sua Monasterii Petroburgensis in Anglia tractat de Chartis Regiis atque Episcopalibus &c. Vixit *Hugo* sub an. 1210. Oudin Tom. 2. pag. 9.

Ad Classem tertiam revocantur, qui ex instituto Diplomata collegerunt, eorúmq; catalogos confecerunt; sic

WILLELMUS, ejus nominis Abbas IV. Cameliacensis anno 708. electus, vir prudentissimus, cùm animadverteret, quàm necessaria sit veterum instrumentorum custodia ad asserendas Monasterii possessiones, omnes chartulas in unum codicis corpus redigi curavit per unum à suis monachis, qui breve chronicon eidem codici inseruit. Compilator ille, cujus nomen ignoratur, collectionem suam in duos libros distinguit, resecata verborum superfluitate quorundam instrumentorum, nec non imprecationibus adhiberi solitis, quas ex decretis Canonum & Romanorum Pontificum facilè suppleri posse dicit. Mabill. Annal. tom. v. p. 210.

PONTIUS Abbas Monasterii Saviniacensis S. Martini in agro Lugdunensi, ineunte seculo duodecimo, veterum diplomatum reliquias in unum corpus colligi, & Abbatum nomina, seriémque describi, quídve sub unoquoque Abbate gestum fuisset, adnotari per unum è suis curavit. Librum *Chartarium* appellat auctor anonymus, qui in prologo scribit *Saviniacense*, sic ille vocat, Cœnobium jam dudum ab *antiquis patribus* instructum claruisse, donec Hunnorum bestiali feritate, occulto Dei judicio, eversum, & in solitudinem redactum fuit, monachis, qui locum incolebant, effugatis, aut occisis. Idem Auctor ait, revolutis antiquis ejus Monasterii chartis & monumentis, se Abbates duntaxat novem ante Hunnorum tempestatem, ab eo verò tempore usque ad Pontium tredecim invenisse. Absque hoc Auctore, tametsi parùm accurato, nihil ferè de insigni illo Monasterio rescíremus. Eundem laborem prosecutus est ad suum tempus, id est, ad finem seculi quinti decimi *Benedictus Maillardi*, Decretorum Doctor, ejusque Monasterii Prior-Major: ex quibus ea, quæ de Saviniacensi Monasterio Mabillonius Annal. tom. 2 pag. 386. memoriæ prodidit, magnam partem mutuavit.

GUIDO Abbas S. Germani Autissiodorensis an. 1313. defunctus cùm adhuc esset Subdiaconus, collectionem Diplomatum, Bullarum, & veterum sui Monasterii chartarum instituit, quæ ab *Aymone de Bordis*, Vitæ Scriptore, & Monacho Autissiodorensi opus valde mirificum, & Monasterio quàm plurimùm fructuosum vocatur. En ejusdem verba! *O quàm noctes transiverit insomnes, ut nobis subditis suis quietem præpararet, legendo videlicet & studendo literas & chartas nostras, quæ à tantis & tam longinquis temporibus, & ex tam diversis figuris seu literis extraneis sunt formatæ & confectæ, quod vix aut nunquam possit nobis series referari, unde seriem prædictarum literarum seu chartarum post multos labores & angustias in quodam chartulari bene legibili fecit inscribi, & apponi.* Hæc Aymo in vitâ Guidonis, quam Labbeus in Bibl. nov. MSS. Tom. I. pag. 570. edidit.

Bul-

Bullarium Romanum Novissimum à B. Leone Magno usque ad S. D. N. Urbanum VIII. Opus absolutissimum *Laertii Cherubini*, præstantissimi Jurisconsulti Romani, tertiò editum à D. *Angelo Maria Cherubino*, Monacho Casinensi, qui ut in alterâ editione quartum Tomum perfecit, ita in tertia Constitutiones Urbani VIII. usque ad eam diem emanatis addidit. Romæ ex Typograph. R. Cameræ Apostol. anno 1638. Opus, quod tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis in universa Republica Christiana maximam semper attulit utilitatem.

MARGARINI CORNELII *Bullarium Casinense*, seu Constitutiones Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, & Decreta sacrarum Congregationum pro Congr. Casinensi. Venetiis in fol. an. 1613. Tomus unus.

R. P. OLIVERIUS LEGIPONT *Bullarium Casino-Bursfeldense* prælo paratum habet Mſ. Idem publico dedit Dissertationem *de Archivo in ordinem redigendo & diplomatum criterio*, Norimbergæ 1747. in 4.

ROMUALDUS SERRA à Cæsena, ibidem in Monasterio S. Mariæ an. 1704. Professus, atque subinde Bibliothecarius *Catalogum* concinnavit omnium Scripturarum, Privilegiorum, cæterorúmq; Instrumentorum, quæ in Archivo S. Mariæ de Cæsena reperiuntur, quorum transumpta recto ordine disponuntur; additis Notis Chronologicis, & Historicis, ad idem Monasterium spectantibus. Opus insigne, perutile, ac meritò laudatum Armellino Bibl. Casin. part. 2. p. 167.

EDMUNDI MARTENE, & URSINI DURAND è Congr. S. Mauri *Veterum Scriptorum & Monumentorum Collectio* quatuor in classes distributa est, quarum prima tres omnino tomos habens, miscellanea diplomatum supra duo millia complectitur. Parisiis apud Montalant an. 1724.

BERNARDUS PEZIUS tres insignes Codices publicam in lucem protraxit. Primus est *Ratisponensis*, *quo Diplomata Pontificia*, *Cæsarea*, *Regia*, *Chartæ Donationum*, *Concambiorum*, *Præstariarum &c. Episcopatum Ratisponensem & Imperiale ac Liberum Monasterium S. Emmeramni spectantia*, *à seculo Christi octavo usque ad duodecimum continentur.* Extat Thes. Noviss. Anecdot. Tom. I. Part. III. Alter *Codex* est *Anamodi Ratisponensis*, seu *Traditionum Emmeramensium Lib. II. quibus Chartæ Donationum*, *commutationum*, *commarcarum*, *concambiorum*, *& complacitationum ad Imperiale Monasterium Sanct-Emmeramense Ord. S. B. attinentium*, *& seculo Christi nono conditarum continentur.* l. c. pag. 192. Tertius *Codex*, quo *Diplomata* CLVIII. continentur, est celeberrimi & antiquissimi Monasterii *Admontensis* in Stiria. Thes. cit. Tom. III. Part. III. pag. 658-807.

-- EJUSDEM *Dissertatio Apologetico-Literaria* ad Perillustrem ac Eruditissimum Virum D. Jo. Benedictum Gentillotum ab Engelsbrunn Sac. Cæs. Majest. à Consiliis & Bibliotheca pro editione integri Codicis Historico-Diplomatico-Epistolaris *Udalrici Babenbergensis* impugnata nuper à V. Cl. D. *Angelo Fonteio Veronensi* in Epistola ad V. C. Jo. Burch. Menckenium &c. Viennæ in 4. an. 1717. Cæterùm *Angelus Fonteius* est personatus Auctor, & haud alius ab ipso *Gentilloto*.

HIERONYMI PEZII *Austria Diplomatica*, quam libenter ab eo exspectamus, inquit Cl. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Lib. I. pag. 426. sed non exspectare potuit, priùs fato functus, quàm voti factus compos.

Quartâ in Classe referuntur, qui Vetera Diplomata à sublestæ fidei, ac fraudis nota vindicant. Sic habemus à Domno *Joanne Roberto Quatremaires* è Congr. S. Mauri

Privilegium sancti Germani à Pratis adversùs Joannis Launoii inquisitionem propugnatam in 8. Parisiis 1657.

-- *Privilegium S. Medardi Suessionensis propugnatum.* in 8. Parisiis an. 1659. Cui palma, Lanoio an Quatremario debeatur, in dubio est. Imò sunt, qui priorem vicisse disertis affirmant verbis. Vid. Ernest. Tenzelii Colloq. Menstr. an. 1693. mense Majo pag. 387.

-- *Defense des droits de l' Abbaïe de S. Germain des Prez.* id est: *Vindiciæ Jurium Monasterii S. Germani Pratensis.* in 12. Parif. 1668. Hæc est validissima propugnatio.

THEODORICI RUINARTI è Congreg. S. Mauri *Ecclesia Parisiensis vindicata adversùs R. P. Bartholomæi Germon duas Dissertationes de antiquis Regum Francorum diplomatibus* in 12. Parif. 1706.

CASPARIS BERETTI è Congreg. Casin. Lectoris Publici in Academia Patavina *in Dissertationem Italiæ medii ævi Censuræ tres*, Viterbiensis, Veneta, Brixiana, cum Responsis III. pro Anonymo Mediolanensi: *Belli*

Diplomatici historia tertiò præmissa, parváque mantissa emendationum ac additionum ad calcem subjecta, Palatinis Sociis cuncta accurantibus, in 4. Mediol. 1729. Recensitus est hic liber à D. *von Meieren* in Præfat. Tom. III. Actorum Pacis Westphalicæ publicorum præmissa. Cæterùm in hoc Opere eâdem fideliâ immoderatioribus Jo. Pet. Ludewigii incusationibus, quas animus à Religiosis Ordinibus aversus viro huic, aliàs in justo constituendo veterum monumentorum pretio peracutùm cernenti, ac egregiè erudito suggessisse videtur, solidè non minùs, quàm modestè respondetur.

BENEDICTI BACCHINI, Abbatis è Congr. Casin. *Dissertatio in Chartam Opilonis*, non quidem autographam, sed apographam Sec. IX. vel X. quæ adservatur Patavii in Archivo Monasterii S. Justinæ. Dissertatio verò typis excusa habetur Opusc. scientif. tom. 3. pag. 463.

Defensio Bullæ Joannis XV. quâ Brevnoviensi in Bohemia Monasterio, totius Regni primario, multa privilegia indulgentur. Hujus Bullæ authentiam nemo quisquam unquam impugnavit, nostrâ tamen ætate in suspicionem malæ fidei vocata fuit. Cùm enim lis Abbatiæ Brevnoviensi de juribus & privilegiis mota fuisset, etiam Bullæ huic Pontificiæ nota falsitatis impacta fuit. Sed quo argumento Adversarius in arenam descendit? Tela petit ab auctoritate historica, qui Joannem Pontificem annos tantùm novem in Pontificatu exegisse tradunt, cùm tamen in Bulla annos XV. & menses VIII. sedisse dicatur. En Adversarii Achillem! errorem chronologicum in Data, quô pro adstruenda Privilegii falsitate decertatur. Sed quàm infirmum hoc sit telum, Bullæ *Defensio* ostendit, quæ Capiti III. Epitomes Historicæ Monasterii Brevnoviensis anno 1740. typis in fol. vulgatæ inserta fuit.

Ad *Classem quintam* revocari possunt, qui *Chartas*, ut vocant, priscis temporibus conscripserunt, vel earum composuerunt formulas; cujusmodi benè multas Goldastus in Alemannicis exhibet. Nos hìc eum deflorabimus, pro specimine paucos quospiam ex San-Gallensi Monasterio Chartarum scriptores adducturi.

MADAFREDUS composuit Chartam à Præposito Monasterii rogatus anno 847.

SINTPERTUS Monachus S. Galli scripsit CH. 2. circiter an. Dom. 912. sub Cunrado Imperatore.

WATO Diaconus S. Galli sub Grimaldo Abbate, & Cunrado Duce Suevorum scripsit CH. An. Dom. 842.

THEOTHARDUS, Præpositus S. Galli, scripsit CH. An. Dom. 849.

ISO Magister & Monachus S. Galli scripsit *Formulas scribendi chartas* pro discipulis suis, quas in primo codice Epigrammatum Walafridi Strabi, Abbatis Augiensis, ipsius *Isonis* manu scriptas habemus A. D. 913.

BERNHARDUS Subdiaconus S. Galli scripsit CH. An. Dom. 948.

B. NOTKERUS BALBULUS præter libros à se compositos scripsit etiam CH. An. Dom. 851. & 865. & anno 879. Obiit A. D. 912. homo summa senectute, & jam ætate pariter ac multis vigiliis cæcus, ut auctor est Ekkehardus junior. Scripsit & *Notkerus Piperisgranum Physicus aliquantas chartas*. Balbuli quidem coætaneus, sed discipulus scribendi peritia clarus.

RATPERTUS, Monachus & Magister Scholæ scripsit CH. A. D. 902.

SIGIBERTUS Presbyter S. Galli scripsit CH. An. Dom. 914. in vice *Nordperti*, qui & ipse S. Galli Monachus non inecelebris fuit.

HERIMOTUS, Monachus S. Galli, scripsit CH. An. Dom. 850. Ex literis apparet, Notarium fuisse non è multis, & scribendi peritissimum.

WARINGISUS, Monachus S. Galli & Notarius scripsit CH. An. D. 761. & 767. Primus nomen *Cancellarii* sibi attribuit.

MARCELLUS, Scholæ Magister celebris, collega B. Notkeri Balbuli scripsit CH. an. Dom. 851.

Atque hi Scriptores pro specimine sufficiant, quorum CHartas, qui legere cupit, reperiet illas apud Goldast. Alaman. Antiqq. tom. 2. part. 1. p. 35. & seq. Solum illud ex Vadiano anotare liceat, *Cancellarios*, *Scribas* & *Cartularios* vocatos fuisse Monachos, qui omne genus contractuum, aut donationum tabulas & chartas conficiebant, haud raro surrogaris, substitutisque, qui horum vicem gererent. Unde illud est, quod in antiquis Diplomatibus sæpè hæc & similia verba leguntur: *Ego Purgolfus indignus monachus ad vicem Ruodmi scripsi & subscripsi &c.* Non licebat enim passim & promiscuè scribere chartas, sed certi & delegari muneris ea facultas erat, quàm Abbates & Advocati Regii ea ætate non

nisi

nisi Monachis conferebant. Vid. Vadian. de Colleg. Monaster. pag. 31.

§. IV.
Scriptores Rei Nummariæ.

Cùm ad illustrandam Chronologiam, veterúmque Imperatorum, Regum, ac Principum historiam res nummaria non minimum adjumenti eruditorum judicio afferat, aliqui ejus Scriptores è nostris recensendi veniunt; quamvis ii perpauci habeantur, nec sine causa: hoc enim studium seculares magis quàm Religiosos viros decere videtur. Unde etiam Numismatum Musæa in paucissimis extant monasteriis; ne monachi scilicet in rebus plus æquo curiosi fiant, quibus ab utilioribus, proprióque instituto longè decentioribus studiis abstrahantur.

CONRADUS PHILOSOPHUS, Monachus, Custos, Prior Cœnobii Schyrensis in Bavaria *Versus* edidit, quòd triginta argentei, quibus à Juda venditus est Christus, tempore Nini, Assyriorum Regis, fabricati fuerint. Inc. *Denariis triginta Deum vendit Galilæus* &c. Opus MS. extat in Bibliotheca Scbyrensi, oculato teste Bernardo Pezio in Differt. Isag. ad Tom. I. Anecd. pag. xxx.

CONSTANTINI CAJETANI *De Nummis & Numismatibus*, atque iis præcipuè, quæ Virginis Deiparæ formâ & nomine obsignata sunt, libri duo, qui extant MS.ti Venetiis in Bibliotheca S. Georgii M. De his autem duobus libris mentionem facit Hypp. Maracc. Bibl. Mar. part. 1. pag. 295. & Philippus Labbe in Bibl. Nummaria, in calce Catal. Librorum Antonii Teisserii pag. 440. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 130.

BENEDICTI BACCHINII Abbatis S. Mariæ de la Croma Congr. Casin. *Epistola ad Antonium Magliabeccium de Nummo Scipionis Africani*, quæ & separatim typis impressa, & in Bacchinii Ephemeridum Tomo III. anno 1688. & D. Bayele Nouvelles de la republique des lettres vulgata fuit.

ANSELMI BANDURI, è Congreg. Melitensi, *Regiæ Magni Etruriæ Ducis Bibliothecæ Præfecti, & in Regia Academia Inscriptionum, & bonarum literarum Academici Honorarii Numismata Imperatorum Romanorum à Trajano Decio ad Palæologos, Latina, Græca, Ægyptiaca, omnis metalli ac moduli distincta per classes, & quàm diligentissimè descripta, ac notis brevioribus illustrata, ad quindecim fermè millia, & in iis quàm plurima inedita, ex quibus rariora ad tria millia in ære incisa repræsentantur, Christianissimo Francorum Regi Ludovico Magno, Optimo Principi, Tom. II. Lut. Paris. an.* 1718.

Postquàm enim ineunte, quo jam vivimus, seculo, Rev. Banduri auspicio jussúque Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis, cujus splendidissimæ Bibliothecæ præfectus est, studiorum causâ ex Italia Lutetiam migraverat, & aliquanto post duo Historiæ Orientalis Imperii, quæ *Acta Eruditorum Lipsiensium*, an. 1712. pag. 485. & an. 1713. p. 49. recensuerunt, volumina ediderat, tam magnam ea re apud Ludovicum XIV. Galliarum Regem iniit gratiam, ut ille ad opus, quod eo jam tempore inchoatum erat, feliciter absolvendum, non solùm suos ipsi aperiret rei nummariæ thesauros, sed etiam certa ex sacro ærario ad id constituta pecunia, auctorem in regia Inscriptionum & bonarum literarum Academia titulo Socii honorarii ornari juberet. Quam propensam in se, & bonas literas voluntatem, R. Auctor etiam in Serenissima Carlotta Elisabetha, Ducis Aurelianensis, qui pro Ludovico XV. adhuc infante Galliæ Regnum administrabat, matre expertus est, cujus singulari prorsus indulgentia factum, ut ex egregia numorum, gemarúmq; supellectile, quam ex omnibus ferè totius Europæ, Asiæq; divitiis incredibili cura congessit, plurima deprompta conspicere liceat, quæ magnum huic libro decus & splendorem conciliant. Atque eam ob causam R. Auctor Bibliothecam Numismaticam, quà præstantissimo Operi præludere quasi voluit, illustrissimo hujus Principis nomini inscripsit, & peculiari quadam epistola animum tanti beneficii memorem testatus est. Plura vide in Actis Erud. Lips. an. 1718. m. Sept. p. 385.

AUGUSTINI CALMET, Supputatio Monetarum Hebraicarum & Judaicarum ad pondus marchi. Extat tom. II. Dictionarii S. Scripturæ pag. 448 - 475.

-- EJUSDEM *Dissertatio Historica & Chronologica de Serie Numismatum Ducum & Ducissarum Lotharingiæ*, sculptore Ferdinando de S. Urbano, Gallicè scripta, & typis excusa anno 1736. in 4. locus editioni deest. Nec visa, nec lecta mihi fuit; suspicor tamen, haud esse diversam ab ea Au-

thoris explicatione Nummorum & Medalliorum æri inciforum CLXVI. quæ in ejusdem Historia Lotharingiæ tom. 2. p. XVIII. habetur.

VIRGINII VALSECHII, Itali, Brixiani, è Congr. Casin. Historiæ Ecclesiasticæ Professoris in Academia Pisana *Dissertatio de Nummo argenteo existente Senis apud laudatum nobilem & eruditissimum Virum, Ubertum Benvoglienti, in quo Monogramma Lotharii I. Imperatoris ex una, & Joannis Papæ ex altera parte conspicitur.* In qua Dissertatione, quæ est Epistola ad illustriss. Philippum Bonarotam, fabula quoque, alioquin satis jam cognita, Joannæ Papissæ ex eodem nummo validè exploditur, & quis is Joannes PP. fuerit, explicatur. Opus, quod sciam, adhuc ineditum. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 2.

EJUSDEM *Dissertatio de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Potestate V. Dissertatio Historico-Chronologica. Florentiæ* in 4. in qua demonstrare volebat initium Elagabali repetendum esse à cæde Caracallæ, nec aliter posse explicari nummos, in quibus TR. POTV. dicitur, aut nummos ejus uxorum, in quibus anni ejus imperii consignati sunt. Lectorem juvabit videre, quibus argumentis vel sententiam propugnavit, vel aliorum, ac præsertim Pagii & Ill. Philippi à Turre opiniones oppugnavit. Quæ quidem argumenta retractavit, ac novis firmare conatus est in altero Opere, in quo Cl. Vignolii novam de initio Imperii Severi Alexandri sententiam confutavit. Vid. Ansel. Bandor. Bibl. Nummar. edit. Hamburg. in 4. p. 211.

BERNARDUS MONTFAUCONIUS è Congr. S. Mauri in quibusdam Capitibus lib. 2. de Palæographia Græca eruditè disputat non solùm inscriptionum, sed etiam Numismatum ope, in quibus cùm monogrammata plurima sed lectu difficillima occurrant, eorum aliquot ad specimen interpretatur. Plura vide apud eundem in *Antiquitatis explicatione* Vol. 5. in fol.

GODEFRIDUS BESELIUS Abbas Gotwicensis comparavit multo studio, labore, atque etiam ære *Nummophylacium* in paucis insigne; ex quo Nummos à Carolo M. ac sequentibus Regibus, & Imperatoribus nostris usque ad Carolum VI. Aug. Imp. cusos æri incidendum se daturum, inter alia plura pollicitus est an. 1732. in præfat. ad Tomum Prodromum Chron. Gotwic. p. XXXV.

ALBERTI MAZZOLENI Abbatis è Congr. Casin. *Numismata ærea selectiora maximi moduli è Museo Pisano olim Corrario, æneis ex tabulis expressa, commentariisque, & animadversionibus illustrata. Venetiis & in Monasterio S. Jacobi Pontidæ Agri Bergomatis MDCCXLIV. Prostant Venetiis apud Jo. Baptistam Albritium. Hier. Fil.*

Hoc Opus non minùs magnificentia, quàm eruditione doctrináque nummaria conspicuum, quatuor constat in folio Tomis: quorum primus, post aliquot Romanæ Reip. monetas, numismata ærea maximi moduli, Italicè *Medaglioni*, Imperatorum, aliorúmque Augustæ Domûs Principum, Virorum atque Fœminarum, ab Augusto ad Gratianum, & ultra politissimè magnificentissiméque exhibet: secundus Commentarios continet, Serenissimo Venetiarum Duci Aloysio Pisano dicatus: tertius: & quartus Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus Quirino & Tamburino nuncupati Animadversiones exhibent.

In Commentariis singula quæque Musei hujus Pisani Numismata, breviter quidem, sed multa complexus, Auctor explicat, Historiam præsertim Chronologiámque persecutus. Quia verò gravioribus rei nummariæ difficultatibus de industria occurrere statuit, Quæstiones hujusmodi à Commentariis secernit, eas innuere heic satis habens, & in Animadversiones congerit. Sunt porrò hi Comentarii omnium, qui eos perlegerunt, judicio undequaque perfecti.

In Animadversionibus autem sublimiores difficilioresque Quæstiones, & quidem plana & facili pertractat methodo, ac, quod majoris, immò maximi momenti est, novam pæne in omnibus, quæ viginti & una sunt, statuit sententiam. Nec verò conjecturis aut levibus fundamentis, multóque minùs commentis nititur; sed melioribus rationibus, selectisque documentis rem agit. Ita etiam sua firmat, ut infirmet aliena. Promit namque & examinat præcipuas præcipuorum Virorum sententias, easque censuræ subdit, nec priùs ab eisdem se removet, quàm ad id adactum se quoque ostenderit. Tali autem tantáque moderatione, ac modestia tum in hac parte, tum ubique utitur, ut & suum unicuique Auctori decus servet, & aliorum judicium lubens ipse volensque subeat. Le-

ctorem quoque admonet, cur nummariis aliisque profanæ eruditionis studiis incubuerit. Hinc pro grati animi officio iis, per quos profecit, commendatis, rationem reddit instituti sui.

Nonnulla porrò ex plurimis, quæ docet, heic attingere operæ pretium erit. In prima itaque primi Tomi Animadversione, quæ de *Imperatore* est, observat & probat, Imperatorium ob victorias nomen, non prout hucusque creditum est, Loydio præcipuè, Norisio, Pagióque magistris, sed alia, quam Auctor noster tradit, ratione, iteratum multiplicatúmque ab Augustæ Domûs Principibus fuisse. Quod, quantum ad Historiam & Chronologiam conferat, doctos non latet. Aliam præterea heic ipse instituit Quæstionem, apud alios haud obviam, quo honoris ac potestatis gradu ii potirentur Augusti, qui simul ac semel creabantur Imperatores; tum illi, qui tanquam Fratres acciti ad imperium erant; ac demum ii, qui tanquam Filii sociabantur imperio. Quæ quæstio non tam novitate, quàm utilitate præstat, Augusteámque dignitatem, ac Pontificatum maximum similiter inlustrat. Secunda Animadversio de Cæsare est, ac de *Pontifice Maximo* Tertia; atque in hac novo examini subjicitur celebris illa nedum apud Antiquarios, sed etiam apud Theologos, & Historicos difficultas, utrùm Christiani Imperatores à Constantino M. ad Gratianum, Pontificis Maximi titulum admiserint. De *Augusto* Quarta inscribitur, déque *Principe Juventutis* Quinta; cui titulo explicando nova multa proponuntur. Sexta succedit *de Consule*, Historiæ perutilis atque necessaria: ibi enim & plurima docentur, & censuræ exponitur, quidquid alii, præsertim Pagius, de Regulis Consularibus tradiderunt. Docta sanè, & pereruditа Animadversio. Huic subnectitur Septima *de Proconsule*. In Octava contra sententiam multorum ostenditur, in nummis M. Antonii III-Viri, ab Oppio Capitone, tum etiam ab Atratino, Fonteio, Bibulóque cusis, non quidem Cleopatram & Antyllum, sed Cæsarem ejúsque sororem Octaviam, Marci conjugem exhiberi. Quæ sequuntur, Animadversiones numero sex, Græcam respiciunt eruditionem. Nona nempe in ordine de *Urbibus Populisque Neocoris* tractat; *de Primatu Urbium* Decima; déque *Asiarchis* Undecima; atque in his etiam aliorum producuntur opiniones, eísque examinatis novæ adferuntur. Titulum præfert Duodecima *de Pontificibus Græcorum & Acherontibus*; & in Tertiadecima de *Perperenorum Epocha* quæritur. Literas A. M. K. *in nummis Tarsi & Anazarbi* Quartadecima inlustrat. Demum Quintadecima *de Nummis Monetáque Romonorum* agit; ac numos omnes, etiam maximi moduli, locum in commercio, intérque monetas obtinuisse defendit. His omnibus aliqua adduntur occasione Notarum Illustr. Bimardi in Scientiam nummariam Patris Joberti; eáque spectant ad Animadversiones, VI. VIII. XIV. & XV. Sequitur Index, clauditúrque primus hic Animadversionum Tomus.

Alter Tomus minor est Animadversionum numero; quippe qui sex tantùm continet, non tamen utilitate minor, quin major fortassis est: duæ etenim, quas principio exhibet, Animadversiones, una *de Tribunicia Potestate Augustorum Cæsarúmque Romanorum*, altera *de Votis Decennalibus*, nulli alii, immo nec pluribus simul cedere videntur. Maxima ingenia maxima & ipsa *de Tribunicia Potestate* quæstio nedum exercuit, sed & hucusque torsit. Potior Chronologiæ regula Tribunicia ipsa Potestas; verùm nec ulla alia majoribus exposita difficultatibus. Conveniunt quidem ferè omnes Antiquarii in ea ita numeranda, ut eodem die, quo primùm accepta est, singulo quoque anno ipsam renovent, atque multiplicent; plurimas tamen maximásque offendunt difficultates: quibus superandis qui se impares senserunt, eas præterire satius duxerunt; qui verò eisdem occurrere voluerunt, minùs feliciter sese ab ipsis expediisse visi sunt.

Quapropter, ubi aliqua *Addenda & corrigendo in præcedenti Volumine de Principe Juventutis*, déque *Consule*, ac *de literis* A. M. K. in nummis *Tarsi & Anazarbi* adnotavit Præsul noster R.mus ad principem ipsam in re nummaria Quæstionem accedens, altiùs rem petit, ac *de ipsa Tribunitia Potestate* ab eo tempore, quo in Romanam invecta est Remp. differere exorsus, qualis primùm fuerit, quantúmque creverit, servato temporis ordine describit, delatámque sublata Rep. Imperatoribus ostendit. Inde Norisii, Pagii, Spanhemii, & Harduini circa ejusdem Potestatis termi-

nos-

nos sententias examinat; tum illas Panvinii, Pagii, & Harduini de tempore, quo conferri ipsa Potestas consuevit. Ad maximam verò illam, maximéque difficilem, de tempore, quo renovari Tribunicia Potestas soleret, progressus quæstionem, aliorum opiniones in medium adfert, Petavii primùm, Sigonii, & Harduini, ac rationes, quibus illæ impetuntur, edicit: hinc illam, quæ Toinardo adscribitur, impugnatúrque à Pagio, repræsentat. Communissimam postea receptissimámque sententiam exhibet, quæ ipso, quo primùm delata est, die Tribuniciam Potestatem quotannis renovat, & in hac quoque difficultates plurimas reperiri adnotat. Non levi quapropter examine sententiarum omnium repetito, quum omnes difficultatibus laborare rursum intellexerit, minores tamen in ea sententia deprehendisse se scribit, quæ Tribuniciam Pot. bifariàm dinumerat, à die scilicet anniversario, & à x. Decembris, quod & ostendit. Inter opiniones verò, quæ unicum renovandæ Tribuniciæ Pot. principium admittunt, ea probabilior ab Auctore nostro creditur, quæ die x. Decembris, quocunque infra annum tempore accepta primùm sit, Tribuniciam Pot. renovat, ac singulo quoque in posterum anno multiplicat. Hoc autem multis rationibus atque documentis, tum exemplis, usque ipso comprobat. Nonnulla imprimis de Consulibus, déque Consulatu huc facientia producit: ac, posteaquam observavit, Tribuniciam Pot. annosque Principatus eodem ordine parique gradu processisse, probandum sumit, ipsos Principatus annos juxta Tribuniciam Pot. dinumerari, sive ad normam Magistratus Tribunorum Plebis renovari consuevisse. Quod ut perficiat, idipsum de annis Imperatorum in nummis Ægyptiis monstrat. Epochas quoque Græcorum in gratiam Augustorum institutas, pari cum Tribunicia Pot. ordine cœpisse, paríque processisse docet. Quâ occasione Norisii & aliorum in statuendo aliquot Epocharum initio opiniones examinat. Et, quia res eò redit, ut omnes hujusmodi anni prima vice incompleti extiterint, nummis accenset quoque Scriptores, utpote apud quos haud infrequens est annorum incompletorum usurpatio, & quidem in designandis Imperatorum annis. Demum adserit, Tribuniciam Pot. eo, quem ipse tradit, modo renovatam multiplicatámque Chronologiæ & Historiæ meliùs congruere, tum etiam difficultatibus feliciùs occurri. Quod, ut probet, tempus omne percurrit, quo Tribunicia Pot. in nummis & Inscriptionibus habetur. Facto propterea à Cæsare Augusto initio, ad Gratianum usque procedit, consideratísque Tribuniciæ Pot. aliísque simul Chronologiæ characteribus, statuit cujúsque Principis ad imperium accessum atque ex eo decessum, tum etiam gesta eorum plurima.

In hanc rem, ejúsque confirmationem, alteram *de Votis X.* subtexit Animadversionem, ubi implicatissimum cæteroquin, omninóque incertum hucusque hujusmodi argumentum ita pertractat, ut nedum ipsum explicet atque stabiliat, verùm etiam de priori de Tribunicia Pot. argumento illud adstipulari, & pondus addere demonstret. Videre porrò heic etiam est, aliorum, Norisii maximè & Pagii expensas de Decennalibus & Quinquennalibus sententias, novúmque in re tanti momenti prolatum, probatúmque systema. Quantum studii ac laboris insumpserit hac ipsa re unus Pagius, produnt ejus Opera, quæ quidem, Votis hujusmodi referta, plurimorum oculos, animúmque adeò allexerunt, ut pedibus ierint in ejusdem sententiam. At contradicit, & in diversa Auctor noster abit. Qui Tertiam inde exhibet *de nomine Navarchidis* Animadversionem, in eáque novam pariter de ipso nomine firmat intelligentiam. In Quarta non eam, quam Plinius & Festus persuaserunt, diminutionem una eadémque vice passum apud Romanos Assem, sed paullatim imminutum docet. In quinta literas COL. A. A. P. in nummis conspicuas inlustrat. Ac demum in Sexta inscriptionem L. GAVIO. CAS. PERMIS. P. DOLABELLÆ PROCOS. CC. P. I. in nummo Tiberii exponit. atque ita Animadversiones suas concludit. Post Indicem *Addenda & Corrigenda in Animadversione de Tribunicia Potestate* subdit; quæ eò tendunt, ut abjecto, quod alibi suasisse videri poterat, duplici renovandæ Tribuniciæ Pot. principio, illud tantùm retineat, & stabiliat, quod die x. Decembris nititur. Demum *de Sulpicio Antonino* Haymii rursum inquirit, nonnullisque

que de eo additis conjecturis, Opus perficit.

Hæc nos cum Veneto Typographo ex Virorum doctrina, præsertim nummaria & historica inlustrium, judicio retulimus.

Cæterùm cùm in Ordine Benedictino non pauci utriusque sexûs Antistites & Monasteria jus monetandi ab Imperatoribus & Regibus Galliæ & Germaniæ acceperint, operam non malè collocaturus est, quicunq; hanc Ordinis Prærogativam Commentario vel Dissertatione illustrandam suscipiat. Jus verò monetæ cudendæ magis ex ipsis nummis, quàm impetratis eâ de re Privilegiis ac Diplomatibus confirmatur; quamvis nec ista sint tacita prætereunda. Notabo hîc solùm aliquos Authores, quorum Scipta lucem historicam huic argumento fœnerantur. Inprimis Mabillonius in celeberi Opere de Re Diplomatica; ex quâ refutari potest *Conringius in Censura Diplomatis Lindaviensis*, ubi negat, ulli Monasterio ante Carolum Simplicem in Gallia, & Henricum Aucupem in Germania jus monetandi fuisse concessum; cùm tamen Ludovicus Pius illud Monasterio S. Medardi indulsisse legatur. Extat hujus ipsius Imperatoris Diploma, quô idem jus Monasterio Corbeiensi anno 20. Imperii, Christi 834. impertitus est. Diploma exhibetur in Monumentis Paderbotnensibus pag. 131. 132. secundæ editionis, ex quo hæc tantùm verba affero: *Insuper etiam, quia locum mercationis ipsa regio indigebat, monetam nostræ auctoritatis publicam ultra ibi semper Christi militantibus proficuam statuimus.* Le *Blanc* in Tractatu de Gallicis Monetis [*Traité Historique des Monnoies de France depuis le commençement de la Monarchie jusqu' à present.*] Caroli Calvi nummos recensendo, de nonnullis meminit, qui in Monasteriis cusi fuerunt, v. g. in Monasterio S. Dionysii, S. Gauderici, Kalensi &c.

De jure monetandi Monasterio Augiæ Divitis ab Ottone III. concesso, hæc ex Annalibus Augiensibus annotata habeo:

A. C. 959. Alawicus II. primus Augiensium Abbatum ab Ottone III. privilegium, tam argenteas, quàm aureas cudendi monetas, consecutus est.

A. C. 1075. Egge hardus II. Abbas, interveniente Ottonis III. Imp. licentia, data Alawico II. Augiensi Abbati suisque Successoribus anno 999. vi cujus potestatem ac jus tribuit in villa Alenspach, quæcunque Monasterio profutura cognoscuntur, posse exerceri, fieri, construi, etiã mercatum in omni hebdomada in quinta feria, *etiam monetam omni tempore purissimi argenti haberi*, secundùm dicti Abbatis voluntatem & dispositionem ejusdem Successorum. Ea videlicet ratione, quatenus jam dicta *moneta* simul cum mercatu, & omni publica functione ibi pertinente sit sub regimine ejusdem Dei Ecclesiæ, & Abbatum, unà cum regali & publico banno, nullo contradicente. Insuper Imperiali potentiâ decretum est, ut quicunque & undecunque ad suprà dictum mercatum venire voluerit, securè & pacificè veniat, & quæ negotia rationabilia voluerit, exerceat, comparet, & vendat, atque ad propria cum omni pacis securitate redeat. Adjunctum est etiam, ut quicunq; prædictam *monetam* & mercatum infringere, vel condemnare præsumpserit, vel aliquem illuc venientem molestaverit, eandem pœnam & Imperiale bannum persolvat, quod solvere debet, qui Moguntinum & Wotmatiense aut Constantiense mercatum, aut *monetam* dissipare & annullare tentat &c. Itaque prædictus Abbas Egge hardus hanc regiam munificentiam omnibus ejusdem oppidi Villanis mercandi potestatem concessit &c. --- Quæ concessio facta est anno Domini I. C. 1075. Indict. 13. in die Saturni, luna 13. regnante Henrico Rege IV. anno regni ejus 22.

A. C. 1371. *Eberhardus de Brandis* Abbas Monetale Augiense pro tunc Ratholdicellæ constitutum, Henrico Jacobo Ratholdicellensi pro 108. libris monetæ Constantiensis pignori dedit.

Quod est ad Nummos Abbatum Hersfeldensium, S. R. I. Principum, de iisdem Apotelesma publico exhibuit *Christianus Schlegelius*, Seren. Ducis Saxo-Goth. à Secretis & Antiquitatibus Gothæ in 4. De Nummis Principalis Monasterii Corbeiensis in Saxonia legi potest *Christianus Franc. Paullinus* in Syntagmate Rer. & Antiquit. German. De Thaleris ejusdem Principalis Abbatiæ V. C. *Jo. David Khölerus in der Münz-Belustigung* Part. v. Præfat. §. xxii. pag. 25. ubi sequentium Abbatum Principum Thaleros enumerat:

I. *Francisci à Kettler*, in cujus anteriore parte consistit S. Vitus in totius corporis figurâ inter literas S. V. manu dextera avem expansis alis libro insidentem, sinistra palmam tenens, cum inscriptione: MONETA NOVA CIVITA. HOXER. Posterior continet quadratum clypeum, in quo Corbeiensia & Kettleriana Insignia cum infra scripta æra 1543. & literis circumscriptis: *Franciscus D. G. Abb. s Corbeiæ.*

II. *Reineri à Buchholz*, qui anno 1555. electus Abbas & 85. mortuus est. Cujus *Thalerus* describitur in Hamburg. Histor. Remarq. Part. VI. an. 1704. n. 48. p. 377.

III. *Arnoldi* Thalerus ab an. 1557. elucidatur à Domino de Gudenus Uncialæo Selecto n. 151. p. 31.

IV. *Christophori à Bellingkhausen* tres elegantes Thaleri ibidem reperiuntur n. 152. 53. 54. p. 31. Quemadmodum etiam

V. *Florentii*

VI. *Maximiliani*

VII. *Caroli* n. 155. pag. 31. n. 156. & 57. pag. 32. In hisce Thaleris illud ad D. Gudeni palatum non est, quòd S. Viti imago ob oculos constituatur, sed in optatis habet, ut Abbates Principes illius loco principalem suam effigiem incidi curent. Etsi Princeps *Christophorus* in prima parte Thaleri an. 1688. cusi Imperatoris Leopoldi dimidiatam effigiem poni jusserit cum hac singulari inscriptione: LEOPOLDUS I. ET MAGNUS D. G. ROM. IMP. SEMP. AUG. TURCARUM DOMITOR. & in altera parte Insignia cum tribus Galeis, illis tamen utut magnis, supereminet S. Vitus cum epigraphe: *S. Vitus Patr. Corbeiensis*. Vid. Hamburg. Hist. Remarq. Part. VIII. an. 1705. n. 31. p. 241. In alio tamen Thalero, qui an. 1694. cusus, & priori totus conformis est, prætermissus fuit.

Abbatum & Principum Fuldensium Thaleri sunt sequentes:

I. *Johannis*, Comitis ab Henneberg, cum dimidiata ejus effigie, Insignibus, epocha 1539. & lemmate: *Fiat voluntas Domini perpetuo.* Vid. Hamb. Hist. Remarq. Part. V. an. 1703. n. XIII. pag. 97.

II. *Philippi Schencken à Schweinsberg*, qui in antica parte monstrat effigiem S. Bonifacii dexterâ tenentis gladium, cui liber infixus est; sinistrâ pedum Episcopale cum inscriptione: *S. Bonifacius Archieps & Martyr.* Ex postica parte intra æram 1542. conspicitur quadratus Clypeus Insignium cum titulo: *Philippus Dei Gratia Abbas Fulden.*

III. *Bernhardi Gustavi*, Marchionis Badensis Thalerus anno 1672. de quo vide Hamburg. Hist. Remarq. P. IX. an. 1707. n. 17. pag. 129. & D. Köhleri Hist. *Münzbel.* Part. 1. an. 1729. n. 29. pag. 225. ubi lectu digna de *Bernardo* Abbate.

IV. *Placidi à Droste*, Thalerus de an. 1688. Vid. D. Khöleri *Münzbel.* part. 14. pag. 241. ubi in historica expositione multa scitu digna de jurisdictione Episcopali Abbatis Fuldensis in sua ditione.

V. *Abbatis & Principis Constantini:*

A. Ejusdem Insignia Principali Paludamento circumdata, & Ducali Pileo contecta: CONST. D. G. S. R. I. PR. ET AB. FULD. D. A. AR. P. GER. ET GAL. PR. 1718.

R. Ad dexteram Pharus, supra quem CONSILIO. Ad lævam Rupes, & super illam CONSTANTIA, per quorum medium Naves vela faciunt.

Marginalis inscriptio: CERTA SALUS DEUS EST MIHI ROBUR ET ARDUA RUPES. Ps. 62.

Ejusdem Ducatus

A. Dimidiata ipsius effigies cum superiore Inscriptione.

R. Principalia Insignia cum 3. Galeis, Principali paludamento & pileo: CONSILIO & CONSTANTIA. an. 1725.

VI. *Adolphi Abbatis & Principis:*

A. Ejus dimidiata effigies: ADOLPHUS D. G. S. R. I. PR. ET AB. FULD. D. A. P. G. G. P.

R. Insignia: CANDORE ET AMORE. 1726.

Ejusdem

A. Dimidiata effigies

R. Insignia: PRO LEGE ET GREGE. 1726.

Ejusdem Ducatus.

Aversa & Reversa sunt prioribus similes. De Thaleris hujus Principis vid. Gudenus l. c. n. 159. & 160. pag. 32.

VII. *Thaleri* cusi in memoriam fundati Ordinis Crucigeri.

A. *Charitas* & *Pallas* cor ardens in ara sustinent. Ad quas Virgo iride advecta Abbatiam Fuldensem repræsentat, & dextera Ordinis Crucem, læva Principalia gerit Insignia. E longinquo columbula ramum olivæ ferens apparet, quæ ad arcam Noë rupi

insi-

insidentem advolat; retrò quam Sol exoritur: HOC SIGNUM FOEDERIS DO INTER ME ET VOS. Gen. IX. 12.

R. PRINCIPALIS ECCLES. FULD. A. S. BONIFACIO M. FUNDATA DCCXLIV. A S. ZACHARIA PP. IMMEDIATA DCCLI. A SS. D. CLEMENTE XII. PER ADOLPHUM ABB. CONFIRMATA MDCCXXXII. Circa hanc Inscriptionem legitur: FLOS CANDORIS. DOS HONORIS. CRUX AUCTORIS. LUX AMORIS.

VIII. *In eandem Fundationem.*

A. Palma, è qua pendet Ordinis Crux, cum irradiante Oculo Dei; ad dexteram consistit S. Zacharias Papa cum ligone, adscriptis verbis: EGO PLANTAVI, & ad lævam S. Bonifacius, qui palmam aquâ perfundit: EGO IRRIGAVI. Supra palmam: DEUS INCREMENTUM DEDIT. Infra: DCCXLIV. 1. Cor. 3. v. 6.

R. CRUX NOVA CUM BENED. APOSTOL. A CLEMENTE PP. XII. PER ADOLPHUM ABB. PIUM ET D. D. DECANO PRÆPOSITIS ET CAPITULARIBUS PRINC. IMM. ECCL. FULD. COLLATA. MDCCXXXII.

IX. *In neo-erectam Fuldensem Academiam.*

A. Novum Universitatis ædificium, ad cujus dexterum latus consistit Pallas cum corona laurea; ad cujus pedes galea & hasta jacent; quæ altera manu Pontificia Insignia, altera Globum, aliáque Instrumenta sustinet Mathematica; ad lævam stat Apollo cum cythara & Cæsareis Insignibus; supernè alas agitat Mercurius volans cum Insignibus Principal. Fuld. Abbatiæ. ECCLESIÆ. PATRIÆ. IMPERIO.

In exergo: SAPIENTIA ÆDIFICAVIT DOMUM. Prov. 9.

R. ADOLPHINA FULDENSIUM ACADEMIA CUM PRIVILEGIIS CLEMENTIS XII. PONT. MAX. ET CAROLI VI. AUG. AB ADOLPHO PRINC. CONDITA ET FUNDATA MDCCXXXIV.

De Monetis Fuldensibus universim legenda est Schannati Historia Fuld. Tab. I. ad p. 90.

Numismata, quæ in Em. Card. Quirini honorem cusa fuerunt, duo habentur. In primi parte primaria conspicitur effigies dimidiata Cardinalis in suâ cæsarie, ac caput pileolo tecti. Circùm titulus incisus est: *Ang. M. S. R. E. Bibl. Card. Quirinus Ep. Brix.* Ex altera parte tres Nymphæ in oblongis vestibus. Repræsentant tres D. Cardinalis præcipuas virtutes. Pietas medium tenet, dextrâ ecclesiæ gestans delineationem, lævâ verò majorem Crucem. Ad dexteram consistit Beneficentia cornucopiæ effundens, ad lævam verò Scientia manu sinistra librum complexa, pedémque sinistrum quadrato imponens saxo. Circumscriptio est sequens: *Primum quævis sibi poscit honorem.* MDCCXLVI. Optima declaratio est, quam nobis *P. D. Fr. Bargnani* Brix. Congr. Soc. suppeditat, quæque Imagini D. Cardinalis subjecta est, quæ ex Decreto Urbis Brixiæ in aula majoris palatii suspensa fuit. Hoc verò carmine concepta est:

Patricia Venetum clara de gente Quirina
Angelus *hic ille est, morum qui nomine præfert*
Mirum candorem, Latio venerabilis ostro,
Omnigena pollens doctrina, Bibliotheca
Vaticanæ honor, atque tuus modò, Brixia, Præsul
Egregius, quondam Corcyræ gloria, justus,
Propositique tenax, sibi parcus, largus egenis,
Magnificus, nulli vera pietate secundus,
Quam structa ære suo tot templa loquuntur & ara.

Alterum Numisma itidem Brixiæ cusum est, in cujus una parte effigies Cardinalis, in altera iconismus novæ Ecclesiæ Cathedralis Brixiensis visitur. D. Köhler in *Münzbel.* part. 18. n. 42. & 43. utramque monetam cum historica expositione exhibet.

Ex Thaleris Abbatum & Principum Campidonensium

I. *Est Johannis Eucharii à Wolffurth.* In cujus priore parte exhibetur Imperialis Aquila cum Cæsareo titulo: *Ferdinandus II. Rom. Imp. semper Augustus.* Altera pars repræsentat S. Hildegardem, quæ dextera manu ecclesiam, sinistra duos clypeos sustinet, cum epigraphe: *B. Hildegardis Fund. Mo. Campidon.* 1623.

II. *Bernhardi Christophori*, Marchionis Badensis, qui unà etiam Abbas erat Fuldensis, de quo paulò antea.

III. *Ruperti à Bodman.* Cujus elegans Thalerus de anno 1694. describitur in Hist. *Münzbel.* part. IV. an. 1732. n. 13. p. 97.

Abbatum & Principum Murbacensium duo habentur.

I. Thalerus, in cujus primâ parte Aquila Imperii biceps cum inscriptione: *Carolus V. Rom. Imperator Aug.* In altera clypeus quadratus infulâ contectus cum titulo: *Joannes Rudolphus D. G. Murbac. & Lutrens.*

II. Archiducis Leopoldi, ceu Abbatis Murbacensis & Lutrensis Thale-

rus à Domino de Gudenus l. c. n. 163. pag. 34. describitur. Præfert effigiem S. Leodegarii.

Inter Abbates & Principes Stabulenses solus est *Christophorus*, cujus duo boni & egregii ponderis habentur Thaleri. Primus de anno 1567. in parte adversa ostentat Aquilam Imperii bicipitem, cum epigraphe: *Maximilianus II. Rom. Imp. semper Aug.* 1567. in adversa scutum cum quatuor areis, duobus galeis & inscriptione: *Christoph. à Mandsch. Abb. Stab. & P.*

Alter Thalerus repræsentat in præcipua parte Cæsaream effigiem adscripta æra an. 1570. In altera clypeum quadratum cum una tantùm galea. In circuitu legitur: *Christ. Co. à Mand. D. G. Abb. Stab. & Pr.*

De Abbatum Werdensium Thaleris notitiam tradit Dominus de Gudenus; & sunt

I. Abbatis Hugonis sub Imp. Ferdinando II. an. 1636. l. c. n. 164. p. 34. & Köhleri *Münzbel.* part. XIII. pag. 193.

II. Abbatis Henrici, cujus prior pars Aquilam Imperii & nomen Ferdinandi III. altera quadrata, & Infulata Insignia exhibet cum æra 1646. & Inscriptione: *Henricus D. G. Monast. Werdi. & Hel. Mon. Abb.*

III. Abbatis Adolphi cum effigie S. Ludgeri de an. 1670. apud D. de Gudenus n. 165. pag. 34.

IV. Abbatis Theodori de anno 1724.

V. Abbatis Benedicti de an. 1730. De utroque vid. Köhleri *Münzbel.* part. XIII. p. 193. seq. Privilegium autem cudendæ monetæ Abbas Folcmarus an. 974. ab Ottone II. Imp. consequutus est.

VI. Abbatis Benedicti de an. 1730. l. c. n. 771. p. 158.

De Imperialis Monasterii ad Vineas, vulgò *Weingarten* in Suevia Abbatibus sermo est D. Köhlero in *Münzbel.* part. 16. pag. 153. ubi *Gerwici Blareri à Girsperg*, Abbatis Weingartensis Thalerum de an. 1529. eruditè more suo elucidat. Antica pars exhibet Abbatis pileolo tecti effigiem dimidiatam cum inscriptione: *Gerwicus Abbas Weingartensis Ætatis suæ anno XXXIII.* Pars postica continet clypeum cum quatuor areis, & clypeum medium, Abbatiali Pedo insignitum. In clypeo principali sunt Insignia Virorum Nobilium Blarerer à Girsperg; in clypeo medio apparent Monasterii Insignia. In circuitu: *Insignia ejusdem Anno Domini MDXXIX.*

An jus cudendæ monetæ à Ludovico Pio acceperit Monasterium Lindaviense in Suevia, legi præprimis debent, qui hujus Parthenonis, olim Benedictini, Privilegium Fundationis defendendum vel impugnandum susceperunt, quorum complures sunt.

Principale Monasterium S. Galli jus cudendæ monetæ ab antiquissimis habere temporibus, testatur *Joachimus Vadianus*, Consul Urbis San-Gallensis *Lib. I. de Colleg. Monasteriis. Germ. vett. pag.* 40. 41. asserens, in Nummis antiquis agnum paschalem comparuisse, posteà verò huic ursum successisse, cujus imutationis causam affert D. Köhlerus in *Münzbel.* part. 6. p. 57. seq. ubi etiam Thalerum Monasterii San-Gallensis an. 1622. cusum cum erudita historica expositione exhibet.

Monasterio & Parthenoni in Quedlinburg jus monetandi Otto III. an. 994. concessit, quod Innocentius III. an. 1206. confirmavit. Percussurâ monetæ plures Abbatissæ usæ fuerunt, de quibus vid. Köhler in *Münzbel.* part. 8. pag. 9. Leuckfeld in Antiquitatibus Nummariis pag. 201. Jo. Christoph. Olearius in Anastasi Agnesæ Abbatissæ Quedlinburgensis an. 1699.

Priusquàm verò huic §pho finem imponam, non tacenda mihi videtur Clar. Viri P. *Oliverii Legipontii*, Bibliothecæ Præfecti in Monasterio S. Martini Maj. Coloniæ, *Dissertatio de rei nummariæ studio, curâque*; quæ extat ordine IV. inter Dissertationes V. quas de re Bibliothecaria an. 1747. Norimbergæ typis excudi curavit. Ipsus quoque in usum juventutis publico dedit *Introductionem ad studium rei Nummariæ*. Herbipoli anno 1747. in 8.

§. V.

Historiæ Literariæ Scriptores.

S. ILDEPHONSI Libellus de Viris Illustribus, aliàs de *Scriptoribus Ecclesiasticis*; sive additio ad ejusdem argumenti librum S. Isidori. Cujus in præfatione ipse se prodit auctor, successorem se alterius Eugenii in sede gloriosa Toletanæ urbis referens. Qui quidem editus est, atque edi semper solet cum laudato S. Isidori libello. MSS. ejus exempla habuére Romæ Cæsar Cardinalis Baronius, & Alphonsus

fus Ciacconius, apud quos vidit Arnoldus Wion in Ligno Vitæ lib. 5. cap. 63. vidit Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. vet. Ildephonsi libellus editus etiam fuit ab Auberto Miræo in Bibl. Eccl. pag. 3. Antverpiæ anno 1693. in fol. cum Notis, atque alibi sæpiùs, novissimè in Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Ecclesiastica.

S. NEOTI ex regia stirpe Hariustocensis in Anglia monachi an. 883. defuncti *Exhortationes* ad Regem Ælfredum pro Gymnasio Oxoniensi condendo anno 813. & ad Martinum II. pro ejusdem confirmatione memorat Baleus II. 23. & Pitseus pag. 167. seq.

WITTIKINDUS Corbeiæ Saxonicæ Monachus Seculo X. clarissimus, scripsit *de Studiis Veterum* librum unum, qui tamen, quod sciam, dudum in deperditis habetur. Vit. Nat. Alex. Hist. Eccl. Tom. vi. Sec. x.

ARNOLDI, seu *Arnolfi*, ex Comite Vohburgensi Monachi & Decani Monasterii Emmeramensis, quod celeberrimum Ratisbonæ extat, *Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quo se in perscribendo Annalium Bojorum Libro V. usum fuisse Aventinus profitetur, à Bernardo Bezio tota Bajoaria frustra perquisitus fuit. Vid. Thes. Anecd. Tom. iv. Dissert. Isag. pag. vi.

SIGEBERTUS Gemblacensis in Brabantia Monachus Sec. xii. librum edidit *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui separatim sæpiùs vulgatus fuit, junctim cum Scriptoribus sex aliis de eodem argumento tractantibus, prodiit in *Auberti Miræi Bibliotheca Ecclesiastica* Antverpiæ in fol. an. 1639. Quæ editio auctariis & scholiis locupletior est. Nec in novissima Fabricii Bibl. Eccl. desideratur.

HONORIUS Augustodunensis Ecclesiæ in Burgundia Scholasticus & Presbyter, libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* notissimus, à Bernardo Pezio post Arnoldum Wionium in Lig. Vit. l. 2. c. 69. ex Nicolao Aurificio, Melchiore Hittorpio Monachis Ord. S. B. accensetur. Quo autem fundamento nitatur, vide ejus Dissert. Isag. in Tom. 2. Thes. Anecd. pag. iv. Ego Benedictinorum albo vel non insero, vel timidè id facio.

ANONYMUS MELLICENSIS de Scriptoribus Ecclesiasticis CXVII. duodecimi Scriptor seculi. Qui datus à Bern. Pezio, Bibliothecario Mellicensi ad calcem Bibliothecæ Benedictinæ Maurianæ Augustæ Vindel. an. 1716. in 8. unde ei locum dedit Fabricius in Bibl. Eccles. Hamburgi an. 1718. in fol. Fuisse Monachum, & quidem Benedictinum, ex singulari quodam studio, quo Benedictinos Scriptores consectatur, & laudat, fortè quis colligat. At ne hoc satis firmum, fatetur Pezius. Cl. Kropfius pro Benedictino habet in Bibl. Bened-Mellic.

GUALTERUS, ignoto nomine, nonnunquam *Bibliothecarius*, nonnunquam *Cantor*, aliquando etiam *Albanensis* cognominari solet. Erat enim Ord. S. B. Monachus Anglus ad S. Albanum, ubi etiam fuit postea Cantor, & tandem ibi Bibliothecarius, quamvis forsan ab insigni, quam condidit Bibliotheca posterius hoc cognomen accepisse potuerit, potiùs quàm à cura custodiendæ publicæ Monasterii Bibliothecæ ei demandata. Erat certè vir doctus, & legendis antiquis auctoribus, & potissimùm Ecclesiasticis Scriptoribus multùm delectatus, & in iisdem non inutiliter versatus. Tandem ne posteritatem suorum laborum fructibus defraudaret, ad scribendum animum appulit, & egregiam congessit Bibliothecam, ut vocat, quod volumen hoc titulo insignivit:

De Libris Ecclesiæ Lib. un.

Prima Pars Bibliothecæ à beato Hieronymo. Vixit anno vivificati generis humani 1181. regnante apud Anglos Henrico IV. Pitseus ætate 12. ad an. 1181. pag. 247.

GUILHELMUS, Abbas Croilandensis, scripsit ad amicum suum Guthlacum *De legendis Ethnicorum Scriptis Librum unum.* Item *de vitis & moribus Philosophorum Lib. un.* Obiit anno 1180. Pits. l. c. pag. 241.

JOANNES BOSTONUS, Buriensis, id est, ad S. Edmundum in Suffolcia Monachus, Anglus, vir pius, literatus, & bonarum literarum fautor ac promotor singularis. Hic multo labore Angliam penè universam peragravit, omnes Bibliothecas incredibili diligentia invisit, libros pervolvit, singulorum titulos, & auctorum nomina mirâ sedulitate notavit, ordine Alphabetico omnia disposuit, & ex omnibus quasi Bibliothecam unam composuit. De cujusque auctoris vita breviter aliquid scripsit, tempus, quo quisque floruit, adnotavit, initium cujusque Operis adjunxit, in qua Bibliotheca quilibet liber inveniatur, signavit, non omittens cujusque voluminis sedem, & sub quo nu-

mero quilibet poneretur, omnia tam accuratè, imò tam curiosè usque ad minutiora quæque, ut hominis industriam quis mirari satis non possit. Deinde de variis auctoribus suam, non quidem ex se, sed ex aliis plerumque probatis auctoribus profert sententiam, dat censuram. Vir de rèpublica literaria, & de conservandis plurimis antiquitatis monumentis optimè meritus. Operi suo dedit titulum: *Catalogus Scriptorum Ecclesiæ Lib.I.* Omnis divina Scriptura in duob.

Extitit Catalogus iste MS^tus primùm apud Cl. *Usserium*, tum apud *Thomam Galeum*, qui ex illo *Joannem Lelandum de Scriptoribus Anglis* à se typis commissum illustravit. Illius cum literario Orbe comunicandi spes facta est an. 1723. à T. Tannero, cùm Antonius Hallus Oxonii an. 1722. vulgâsset BOSTONI *Speculum Cœnobitarum* Lib. III. Vid. Acta Erud. Lipsi. tom. IX. Supplem. pag. 181. Claruit *Joannes Bostonus* anno reconciliationis humanæ 1410. Pitsi. æt. 15. pag. 593.

JOANNIS WETHAMSTEDI, seu *Frumentarii*, Abbatis S. Albani in Anglia, varia eruditione exculti, anno circiter 1440. defuncti, Opus *de Viris Illustribus*, quod *Granarium* inscripsit, duabus partibus comprehensum. Pars I. quæ agit de Historiis, & Historiographis, & ad literam *L. Lapides pretiosi*, pertingit, asservatur in Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Neronis* Lit. C. Cod. VI. Pars II. de doctis Philosophis, eorúmque dictis & dogmatibus, extat in eadem Bibliotheca sub effigie *Tiberii* litera D. Codice 5. Vide Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 54. col. 2.

ENGELBERTI, Abbatis Admontensis, Sec. XIII. eruditione ac doctrina conspicui *Epistola de studiis & scriptis suis*, quam Bern. Pezius Thes. Anecd. tom. 1. part. 1. pag. 429. evulgavit.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *de Luminaribus Germaniæ liber unus*, seu *Catalogus illustrium Virorum in Germania*. Hunc librum Trithemius, cùm Abbas adhuc Spanheimensis esset, composuit, & *Jacobo Wimphelingo*, Theologo Slestadiensi, inscripsit, tametsi altera jam esset editio, uti author ipse in calce Operis haud dissimulat. *Multam sanè notitiam*, inquit Cl. Struvius, *Virorum clarorum, eorum maximè, quorum statum aliàs vix reperimus, nobis præbet hic catalogus. Et licèt vitæ descriptio prolixa non sit, singularia tamen quandoque sunt, quæ proponuntur.* Alii Trithemio vertunt vitio, quòd trecentos inter illustres viros, quos recenset, laude omnes mactaverit, neminem verò eorum malè verbis acceperit, neminem notaverit, reprehenderítque. Hoc enim morbo ætatis nostræ Critici laborant, ut minùs doctos se audituros existiment, si quempiam Scriptorum sine inusta nota à se abire patiantur. Quod verò Trithemius inter Germanos primus extiterit, uti Authores (y) Bibliothecæ Hamburgensis Historicæ volunt, qui Historiam condere literariam aggressus sit, existimo, illos in errore versari, cùm *Anonymus Mellicensis* à Cl. Pezio vulgatus, ut de *Sigeberto Gemblacensi* in Brabantia, inferioris Germaniæ provincia nihil dicam, eandem seculo duodecimo auspicatus fuerit. Denique inter Catalogi hujus Scriptores agmen claudit ipse Trithemius, ubi Operum suorum, quæ ad annum usque 1495. conscripsit, syllabum texit. *Marquardus Freherus* primus fuit, qui Tom. I. Collect. Opp. Trithem. cum Orbe literato communicavit.

EJUSDEM *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum*. Si titulo habenda fides, in hoc Catalogo nulli alii Scriptores, atque qui ex Ordine fuerunt Ecclesiastico, recensentur: at enim nonnulli etiam alii locum inter eos occupârunt. Circa utrorumque scripta Trithemius non tantùm est sollicitus, sed vitas etiam breviter describit. Sunt verò nongenti & septuaginta Auctores. Prima omnium editio anno 1492. produit, *Joanni à Dalberg* tum temporis Wormatiensi Episcopo nuncupata. Altera, eáque ab ipso *Trithemio* aucta, fuit Moguntina anno 1494. quam secuta est Parisiensis in 4. apud Rembolt an. 1512. vitis triginta tribus Scriptorum Ecclesiasticorum locupletata. Anno 1531. & 1546. Opus isthoc impressum fuit Coloniæ in 4. cum insigni *Balthasaris Werlini*, Dominicani Colmariensis apparatu. Similis editio est Basileensis an. 1594. eodem *Werlini* apparatu instructa. Posthæc Marq. Freberus Catalogum Trithemii inter Opera ejus historica Tom. I. Francofurti excudi curavit, secutus editionem Parisiensem de anno 1512. Denique Cl. Jo. Al-

(y) Cent. 2. art. 90. pag. 317.

Jo. Albert. Fabricius an. 1718. tam hunc, quàm superiorem Catalogum Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ inseruit. Vid. Bibl. Hamburg. Hist. Cent. 2. art. 91. pag. 318.

– EJUSDEM *Nepiachur*, i. e. Libellus de Studiis & Scriptis propriis à pueritia repetitis, quem vide apud Jo. Georg. Eccardum in Collect. Scriptor. R. G. tom. 2. p. 1826. Extat præterea ad calcem Chronici Hirsaug. editionis San-Gallensis. Item in Epistolis Familiaribus Lib. 2. Ep. 51. ad Rogerium Sicambrum.

ANONYMI WESSOFONTANI in Bajoaria Cœnobitæ *Collectaneus de Viris Illustribus*, quem in primo folio se cœpisse ait *die S. Magni* an. 1513. In eo Scriptores ordine Alphabetico recensentur usque ad Lit. G. nec constat, an auctor suum opus usque ad umbilicum perduxerit. Bern. Pez. in Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. xix.

MODESTUS PUTRER, seu *Putrar* Cœnobita Admontensis an. 1548. author est Operis Mf.ti, cui titulum fecit: *Catalogus Doctorum trium Ordinum, scilicet S. Benedicti, Cisterciensium, & Carthusiensium, in distinctione Psalmorum ad horas Canonicas secundùm regulam S. Benedicti convenientium.* Pez. Differt. Isag. in Tom. II. Thes. Anecd. pag. xvi.

WOLFGANGUS TREFFLERUS Monachus S. Jacobi Moguntiæ an. 1521. demortuus, scripsit libros duos de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos Trithemio usui fuisse, memoriæ prodit Oliverius Legipont in Vita Treffleri manuscripta.

ANGELI NUCEI, Abbatis Casinensis *Dissertatio Historica de Linguæ Latinæ casu, & interitu, & Italicæ ortu.* Vide ejus Notas, quibus Leonis Marsicani Chronicon Casinense illustravit lib. 1. cap. 32.

-- EJUSDEM *Bibliotheca Casinensis*, quæ manuscriptorum, & aliorum Codicum notitiam exhibet, quam typis destinaverat, antiquæ eruditionis plenissima. Armell. part. 1. p. 319.

OTTONIS AICHER è S. Vito, Congregationis Bavaricæ Monasterio, & in Universitate Salisburgensi Historiarum Professoris, *Collectio Auctorum, qui in S. Scripturam ligato stylo scripserunt.* in 8. Mf. Vid. Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. cap. 7. p. 401.

JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE Ludi Salmanticensis. *Salmant.* anno 1668.

JOANNIS BAPT. FERRETI, Itali, Vicentini, è Congr. Casin. an. 16 2. immaturâ morte è vivis sublati, cùm ætatis annum 36. vix absolvisset, *Bibliothecarum deperditarum Opus*, id est, perditorum operum, quorumcunque, tam Græcorum, quàm Latinorum series, in qua concenturiantur tot voluminum tituli cum notis, ut ascendant ferè ad centum millia, ubi videtur, quantum detrimenti acceperit Literaria Respublica. Hoc Opus propemodum ad coronidem perductum, authore inopinâ morte extincto, in cujus manus pervenerit, nescitur. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 23.

JOANNIS MABILLONII *Bibliotheca Ecclesiastica*, seu *Catalogus* selectiorum Operum, meliorúmque Editionum, *ad Bibliothecam ex materiis Ecclesiasticis comparandam.* Extat ad calcem Tractatus de Studiis Monasticis, ultimæ edit. Venet. an. 1729. in 4. maj. pag. 297. Absolvitur hic Catalogus paragraphis quinque supra viginti; quorum I. *Sacra Scriptura.* II. *Libri spectantes ad Sacram Scripturam.* III. *Interpretes totius Sacræ Scripturæ.* IV. *Interpretes Bibliorum in parte.* V. *Concilia, & Libri pro hac Materia.* VI. *Patres Græci.* VII. *Patres Latini, aliique Scriptores Ecclesiastici.* VIII *Collectiones variæ, seu Bibliothecæ Patrum.* IX. *Theologi dogmatici & plures Tractatus peculiares Theologici.* X. *Theologi Scholastici.* XI. *Auctores Controversiarum.* XII. *Casuum Conscientiæ Doctores.* XIII. *Doctrina Christiana, Catechismi, & Concionatores.* XIV. *Libri Ecclesiastici, Monastici, Rituales, Martyrologia &c. Rituales variarum Ecclesiarum.* XV. *Libri Spirituales.* XVI. *Libri Ascetici.* XVII. *Jus Canonicum.* XVIII. *Jus Civile.* XIX. *Philosophi Antiquiores, & Recentiores.* XX. *Libri Chronologici, Geographici, & alii pro notitia Historiæ generalis,* XXI. *Historia Sacra & Ecclesiastica.* XXII. *Historia Monastica.* XXIII. *Historia Civilis & profana.* XXIV. *Libri humaniorum literarum & eruditionum.* XXV. *Bibliothecarii, & Bibliothecarum Catalogi.* Cùm Abbas Trappensis hanc Bibliothecam, seu Catalogum legisset, Mabillonio vitio vertit, quòd tantum librorum syllabum contexuerit, qui monachis tamen minimè sint necessarii; respondit ille: „ Ingentem librorum numerum congessimus, ut eos, quando opus fuerit, adire liceat, non ut ad eorum „ omnium lectionem quoslibet in „ uni-

„ universum mittamus. Hinc est, „ quod in Bibliothecis Catholicis li„ bri hæreticorum servantur; nam „ usuvenit aliquando, ut illos evol„ vere debeamus. „ Tract. de Stud. Monast. vol. 2. art. xi. p. mihi 55.

BENEDICTI BACCHINII, Abbatis è Congr. Casin. *Diarium Literatorum Parmense, seu Il Giornale de Letterati per tutti l' anno 1686. in Parma, per Guiseppe dall' Oglio, & Ippolit Rosati, in 4.* Præter Abbatem Bacchinium hujus Diarii auctor etiam *Gaudentius Robertus* à Cl. Struvio asseritur. Autores, inquit, noti sunt eruditis, *Gaudentius Robertus*, & *Benedictus Bacchinus* (ille *Carmelita*, hic *Benedictinus*) ex aliis scriptis clari. Cœperunt autem 1686. & continuatæ usque ad finem anni 1690. Singuli anni constant duodecim ephemeridibus, usque ad ultimum, qui novem tantùm ephemerides continet. Causam sibi fuisse dicunt, quod Romanum ac Venetum desierint, quare ipsi has symbolas contulerint, ut inventa Italiæ cæteris ducis, & horum opera Italis mutuo commercio innotescerent. Inde non in nuda solùm recensione subsistunt, sed contrarias sæpe fovent opiniones, ita tamen, ut ab acri censurá abstineant. Non solùm autem libri recensentur, sed integri etiam discursus ab Academicis Italis habiti inferuntur, de multis antiquitatibus noviter repertis agitur, eædemque explicantur, variæ quoque observationes physicæ, medicæ, astronomicæ, atque mathematicæ insperguntur: de virorum eruditorum, qui obierunt, vita, & libris quædam adjiciuntur, & similia, quæ ad usum faciunt egregiè. Certè, multam laudem apud omnes eruditos promeruerunt hæ ephemerides, unum saltem nactæ adversarium Abbatem, *Michaëlem Benavugam*, cujus *Proteo Secretorio* recensetur 1690. p. 123, ubi inter alia ejus scripta, de ejus *Viaggio di Levante* dicitur, quod hocce Itinerarium stylo non satis convenienti sit exaratum. Quare singulari apologia se defendere conatus fuit Abbas, quæ integra inseritur anno eidem, nihil regerentibus authoribus Diarii. Anno 1691, nihil quidem publici juris est factum; ast redintegratus labor anno 1692. non Parmæ, sed Mutinæ, de quo Acta Eruditorum nos docent anni 1693. pag. 45. *redintegrârunt laborem illum anno superiori 1692. novùmque orsi sunt volumen, cujus sectiones septem jam ad nos pervenerunt, non Parmæ tamen, sed Mutinæ excusæ, quâ in urbe absolutum illud jam esse, aut absolutum certè iri propediem non dubitamus. Deinceps verò, ut ex illustris Mogliobecchii literis accepimus, Diarium istud Bononiæ continuabitur, postquàm in Academiam illam ad lecturam, quam vocant, seu professionem S. Scripturæ P. Benedictus vocatus est, ut vero simile est, multò locupletius, quandoquidem P. Bacchinus, quod universo operi per novam functionem haud sideret porem se futurum, laboris sibi socios Dominicum Gulielminum, Bernardinum Ramazinum, clarósque fortè viros olios adsciscere constituit, postquam Robertus Gaudentius ægrotare cœpit, otque anno 1695. Parmæ fato functus est.* Hoc igitur Diarium novem omnino voluminibus in 4. comprehensum est, quorum priora quinq; ab anno 1686. usque 1690. duo sequentia, sextum & septimum, ab an. 1692. & 1693. duo ultima an. 1696. & 1697. in lucem prodierunt. Hæc *Struvius Introduct. od Hist. Lit. cop. 6. de Ephemer. Erud. pag. 501.* Qui quòd *Diarii Parmensis* Auctorem faciat, seu fuisse credat *Goudentium Robertum*, remittendus est ad ea, quæ Marianus Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Casinensi part. 1, pag. 78. hac de re memoriæ prodit; nempe: „ Quamvis Ephemerides istæ „ Patris etiam Gaudentii Roberti „ Carmelitæ nomen, tanquam Socii „ laboris præferant, id tamen hono„ ris tantùm gratia ei contigit, cùm „ revera earum Auctor solus Bacchi„ nus fuerit, Pater verò Gaudentius „ non nihil libros à Bacchino referen„ dos comparaverit, & impensas sup„ peditaverit, ideóque ejusdem ope„ ris primum velut mobile, ac spiri„ tus jure ac ingenuè à Bacchino ipso „ vocatus sit in præfatione Epheme„ ridis anni 1692. &c.

Josephus Saenz de Aguirre S. R. E. Cardinalis amici sui Nicolai Antonii (postquam is Matriti, quorsum è Curia Romana à Carolo II. Rege ad obeundum Regii Senatus Cruciatæ Consiliarii munus evocatus, atque vehementi epilepsia abreptus anno 1684. obiisset) posthumum opus *Bibliothecam Hispanam veterem* duobus Tomis, quorum prior Scriptores ab Octaviani Augusti Imperio usque ad annum Christi millesimum; posterior reliquos ad annum usque Christi sesquimillesimum comprehendit, brevibus

bus notis ad marginem adjectis illustravit, ac typis Romæ nitida charta in folio edi curavit, anno 1696. Innocentio XII. Pontifici Romano idem nuncupans. *Franckenau in Bibl. Hispaniæ Geneal. Herald.* n. 968. pag. 269.

Catalogus Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ Manuscriptorum Latinorum, cui conficiendo *Michael Germanus, Placidus Porcheronus*, ac *Theodericus Ruinartus* Benedictini S. Germani de Pratis Monachi anno 1685. initium fecerunt. Cùm enim P. Philippi Labbei, viri doctissimi è Soc. Jesu catalogus Manuscriptorum, quem sub titulo *Nova Bibliotheca Mss.torum librorum*, seu *Specimen lectionum antiquarum Latinarum & Græcarum cum Supplementis* edidit Parisiis an. 1653. in 4. mancus adhuc atque mutilus videretur, anno 1685. de novo fuit actum. Quid de eo sperandum ex Bailleti Tom. II. pag. 251. habet Morhoffius Polyhist. lib. 1. cap. XVII. dum ait: *Primùm novus Catalogus Mss.torum Codicum conficietur, longè Labbeano plenior & accuratior, atque singulorum exactum, rigidùmque examen criticum instituetur: Addentur brevia eorum summaria recensione historica de cujuscunque Mss.ti Codicis fortuna & conditione. Quod cùm ab uno perfici opus non possit, duodecim vel tredecim viris doctrina & judicio singulari præditis totum committetur negotium, ut illud partitis inter se operis agant. In tria illi dispescentur collegia, quorum unum in Manuscriptis Hebraicis, aliisque Orientalibus, alterum in Mss.tis Græcis, tertium in Mss.tis Latinis versabitur.* Immò hoc ipsum institutum ad effectum fuisse deductum, se nosse scribit Struvius, ita ut Græca Mss.ta recenserent *Joannes Baptista Cotelerius*, & *Carolus du Fresne*: Latina verò *Michaël Germanus, Placidus Porcheronus*, & *Theodericus Ruinartus*, Benedictini è Congr. S. Mauri, atque jam Casimirus Oudinus se his Catalogis usum fuisse testatur. Optandum solummodò, ut publicæ utilitatis ergo evulgarentur. *Struv. Introd. in Not. Rei Liter. c. 3. §. VI. p.* 224.

ANSELMI BANDURI, Regiæ Magni Hetruriæ Ducis Bibliothecæ Præfecti, & in Regia Academia Inscriptionum ac bonarum literarum Academici honorarii *Bibliotheca Nummaria*, sive *Auctorum, qui de re Nummaria scripserunt.* Accessit hæc Bibliotheca authoris celebri Operi de *Numismatibus Impp. Rom.* Lutetiæ Parisiorum sumptibus Montalant an. 1718. fol. vol. 1. Fuit etiam hæc *Bibliotheca* sejunctim in 4. typis impressa; quamvis unum unicum duntaxat exemplar in usum Regiæ Principissæ, cujus Nomini inscripta fuit, typis fit exscripta. Auctoris scopus fuit, ut defectus *Bibliothecarum numismaticarum*, quæ hactenus lucem viderant, suppleret. Exordium facit ab historicis animadversionibus de origine atque ætate rei numismaticæ. Hæc Bibliotheca suam ob præstantiam recusa est in 4. Hamburgi an. 1719. cum notulis & Indicibus Jo. Alberti Fabricii, cujus præfatio legenda est.

JOANNIS LIRONII è Congreg. S. Mauri *Nouvelle Literaire adressée aux Savans de France.* id est: *Nova Literaria ad viros doctos in Francia scripta.* Parisiis 1707. in 12.

- EJUSDEM *Bibliotheque Generale des Auteurs de France. Livre premier, contenant la Bibliotheque Chartraine.* id est: *Bibliotheca Generalis Auctorum Franciæ; cujus liber primus est Commentatio de Authoribus, Virisque illustribus antiquæ Diœceseos Carnutensis, qui aliquod ingenii sui monumentum posteritati reliquerunt. Parisiis apud Jo. Mich. Garnier* 1719. *in* 4. Si Patris *Philippi le Cerf* judicium de hac Bibliotheca exquiramus, fieri admodùm ægrè poterit, ut magni illam faciamus. *Ouvrage assez mal ordonné, comme je l'ai remarqué dans son article,* inquit in Bibliotheca sua Hist. Crit. pag. 429.

REMIGII CEILLIER è Congreg. Lotharingica SS. Vitoni & Hidulphi Prioris titularis S. Firmini de Flaviniaco *Bibliotheca Generalis Authorum sacrorum & Ecclesiasticorum cum analysi & catalogo Operum eorum* in 4. Parisiis 9. vol. ab anno 1730. ad an. 1740. Ex hoc, ut conjicio, præstanti Opere nihil mihi oculis usurpatum fuit.

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri *Palæographia Græca, sive de ortu & progressu Literarum Græcarum, & de variis omnium sæculorum scriptionis Græcæ generibus, itémque de Abbreviationibus, & de Notis variarum Artium, ac Disciplinarum, additis figuris, & schematibus ad fidem manuscriptorum Codicum. fol. Parisiis* 1708. *apud Ludovicum Guerin & Carolum Robustel.* Vide recensionem Operis in Act. Erud. Lips. an. 1709. pag.

pag. 94. D. Reimannus, cui hoc opus minus satisfecit, in systemate historiæ literariæ de illo pronuntiat: *Gustum solum excitavit.* Contrà verò D. Stollius, quicum plures viri eruditi sentiunt, *opus præstantissimum* vocat. En varietatem, seu potiùs vanitatem humanæ Criticæ.

-- EJUSDEM *Dissertation sur la plante, appellée Papyrus, sur le papier d'Egypte, sur le papier de coton, & sur celui, dont on se sert aujourd'huy.* i. e. *Dissertatio de planta, quam Papyrum vocant, de Papyro Ægyptiaca, de Papyro ex Gossipio, & de illa, quæ hodiedum in usu est.* Hanc dissertationem Auctor habuit in Academia Inscriptionum Parisiis, cujus illustre est membrum. Nunquam tamen, quod sciam, peculiaribus typis exscripta fuit, tota tamen legitur in Memoriis Literariis, depromptis ex Registro Regiæ Academiæ Inscriptionum, & elegantiorum literarum ab anno 1718. usque ad annum 1725. inclusivè.

-- EJUSDEM *Bibliotheca Coisliniana, olim Segueriana, sive Manuscriptorum omnium Græcorum, quæ in ea continentur, accurata descriptio, ubi operum singulorum notitia datur, ætas cujusque Manuscripti indicatur, vetustiorum specimina exhibentur, aliáque multa annotantur, quæ ad Palæographiam Græcam pertinent. Accedunt anecdota bene multa ex eadem Bibliotheca desumpta cum interpretatione Latina, fol. Parisiis apud Lud. Guerin & Carolum Robustel* 1715. Ipsam Bibliothecam hanc magnis quondam sumptibus collegerat vir illustris *Petrus Seguerius*, Sigilli Custus, ac Franciæ Cancellarius; postea verò ex hæreditatis jure possedit Illustriss. *Henricus du Cambout de Coislin*, Dux & Par Franciæ, Episcopus Metensis, quam is integram Bibliothecæ Monasterii S. Germani à Patris legavit. Quare fallitur Struvius, dum affirmat, *Bibliothecam Seguerianam venditam esse.* quamvis autem laudata Bibliotheca non Latinis solùm & vernaculâ linguâ conscriptis, sed & Hebraicis, Syriacis, Arabicis, Copticis, & Slavicis quoque MSS. superbiat, Græci tamen præcipuè doctorum virorum attentione digni sunt habiti: Numerus eorum ad quadringentos pertingit, quos inter multi sunt ex monasterio montis Atho eruti. P. *Montfauconius* in Præfat. Palæograph. pag. xxvi. conqueritur, se ad Codices Græcos in Bibliotheca hac Segueriana semper valde difficiles aditus expertum esse, cùm postea idem Montfauconius, mutatâ fortunâ, ad concinnandum catalogum MSS. hujus Bibliothecæ adhibitus fuerit. Est autem dictus Catalogus à *Montfauconio* ad eum modum confectus, quo Lambecius Bibliothecam Vindobonensem recensuit, ita ut singulorum codicum ætas indicetur, folia numerentur, & ubi antea latuerint, aut à quonam librario exarata sint, & quæ alia fortè occurrunt, annotentur. Partibus constat tribus, quarum prima codices primæ magnitudinis in fol. Altera Codices in parvo folio & quarto; Tertia codices in octavo continet. Quævis pars in Capita VI. vel VII. dispescitur, ita ut 1.) Codices Biblici, & Catenæ. 2.) libri canonum & rituum. 3.) Patres & Scriptores Ecclesiastici. 4.) Historici sacri & prophani. 5.) Juris Canonici & Civilis Scriptores. 6.) Philosophi, Medici, Mathematici, Geographici. 7.) Poëtici, Grammatici, Lexicographi, Rhetores & Oratores numerentur. Unde patet, non nudam in hoc catalogo titulorum recensionem exhiberi, sed ad morem *Lambecii* multa moneri, tum quædam hactenus inedita, collationem item quorundam Codd. cum editis Authoribus reperiri. *Colerus in notis ad Struvii cap. I. de Hist. Lit. pag.* 118. Confer omnino Act. Erud. Lips. an. 1715. p. 481. seq. & Gab. Wilhelm. Gœtteo *in dem jezt lebenden gelehrten Europa dritten Theil ersten Stuck. p.* 51.

-- EJUSDEM *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum nova, ubi, quæ innumeris pene manuscriptorum Bibliothecis continentur, ad quodvis literaturæ genus spectantia, & notatu digna describuntur, & indicantur cum indicibus locupletissimis. Tomi II. in fol.* Parisiis an. 1739. 2. vol. in fol.

Montfauconius in suis literariis itineribus manuscriptos codices, quos in variis invenit Bibliothecis, ad suum usum annotaverat. Subinde Cosmus III. Magnus Dux Hetruriæ autographum catalogum Laurentianæ Bibliothecæ, decem annorum opus ipsi transmisit. *Joannes le Maitre*, Montfauconii socius, eundem descripsit, addito indice, cui extremam manum an. 1720. imposuit. Postmodùm syllabum manû exaratorum codicum, qui ad triginta millia in Parisiensi Regia Bibliotheca habentur, &

& ab amicis cum ipso communicati fuerant, adjecit. Ex quibus, aliisque plusquàm ducentarum & triginta totius Europæ Bibliothecarum annotatis codicibus, catalogus sanè quàm insignis existere cœpit. Si quis Scripta anecdota veteris auctoris typis exscribere vellet, opus tantùm erat illius nomen in Indice ultimæ hujus collectionis perquirere, tum videre statim poterat, in quanam Bibliotheca ejus Opera manuscripta asservantur. Cùm verò multi viri docti, qui iter facientes ad Montfauconium inviserant, quin ipse vir Clarissimus hac collectione in hunc modum utilissimè usi fuissent, maximis precibus fatigatus fuit, ut eam cum literato orbe communicaret, quibus ut tandem cederet, nova revisione catalogum denuò excusum in publicum exire jussit. Vid. etiam recensio, vel potiùs Nova Literaria de hac Bibliotheca in Act. Erud. Lips. anno 1735. pag. 285.

MICHAELIS de JUDICE, Siculi, in Cœnobio Panormitano S. Martini de Scalis Professi, *Additiones* ad Opusculum *Augustini Inveges*, cui titulus: *Ad Annales Siculos præliminaris apparatus.* Addidit primò Michaël IX. Auctores antiquos, quorum Opera deperdita sunt, qui de Rebus Siculis olim scripserant, ab *Inveges* prætermissos. Secundò XXI. Auctores extantes, & impressos de Rebus Siculis pariter ab *Inveges* omissos. 3. XXXIII. Auctores mss. de rebus Siculis pariter prætermissos, denique addidit LXXV. Auctores, qui de Rebus Siculis scripserunt, & post annum 1654. quo *Inveges* scripsit, editi sunt. Vid. Armell. in Bibl. Casin. part. 2. pag. 209.

MATHÆI PETITDIDIER, è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi, Abbatis, ejusdémque Præsidis Generalis *Remarques sur la Bibliotheque des Auteurs Ecclesiast. par Dupin.* id est: *Animadversiones in Bibliothecam Ecclesiasticam Dupinii,* Parisiis an. 1691. vol. 3. in 8.

BASILIUS PAYEN ex Congregatione S. Vitoni A. 1697. Professus, posteris consignavit, *Apparatum in omnes Auctores sacros tam veteris, quàm novi Testamenti* vol. 1. Item *Apparatum in Scriptores Ecclesiasticos quatuor priorum Ecclesiæ seculorum, Bibliothecam Sequanensem, Commentarios ad Historiam Virorum Illustrium Circuli Burgundici*, & alia in Calmeti Bibl. Lotharing. explicatiùs enumerata pag. 719.

VIRGINII VALSECHII è Congreg. Casin. Epistola de veteribus Pisanæ civitatis Constitutis. Editio prima in Italia accurata fuit, alteram in Germania dedit Christoph. Godofr. Hoffmannus Historicus Juris Romano-Justinianæi Vol. 1. Part. 2. Lipsiæ an. 1714. in Officina Grossiana.

JOACHIMUS REICHART, Augiæ Majoris Brigantinæ Alumnus Controversiam sub Summis PP. Clemente VIII. & Paulo V. Dominicanos & Jesuitas inter diutiùs Romæ agitatam historicè scripsit, cùm in illustri Lycæo Campidonensi Philosophiæ ageret Professorem, ibíque typis evulgavit anno 1736.

DIONYSII de SAINTE MARTHE è Congr. S. Mauri *Animadversiones in epistolam cujusdam in Germania Abbatis datam ad RR. PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri de ultimo tomo novæ editionis Operum S. Augustini.* in 12. an. 1699.

– EJUSDEM *Epistola ad quendam Sorbonæ Doctorem de libello cujusdam Theologiæ Doctoris Dominis Franciæ Prælatis inscripto adversùs Benedictinos.*

FRANCISCI LAMY è Congr. S. Mauri *Lêttre d' un Theologien à un de ses amis, sur un libelle, qui a pour titre:* Lêttre de l' Abbè *** aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur, sur le dernier tome de leur edition de S. Augustin. id est: *Epistola cujusdam Theologi ad amicum de quodam libello, cujus titulus:* Epistola Abbatis *** ad RR. PP. Benedictinos Congregationis sancti Mauri de ultimo tomo Operum S. Augustini ab eisdem editorum an. 1699.

– EJUSDEM Epistola ad quendam Sorbonæ Doctorem de libello cujusdam Theologiæ Doctoris Dominis Franciæ Prælatis inscripto adversùs Benedictinos. in 12. 1699.

ANGELI MARIÆ QUIRINI S.R.E. Card. Specimen variæ Literaturæ, quæ in Urbe Brixia, ejúsque ditione paulò post typographiæ incunabula florebat, scilicet vergente ad finem seculo XV. usque ad medietatem seculi XVI. Unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum series, quàm Historia Literaria temporis illius, quo bonarum Artium renata sunt studia, illustrantur. P. I. Poëtas Latinos aureæ & argenteæ ætatis, quos Brixiani Scriptores illustrârunt,

ſtrârunt, complectitur. Brixiæ excudebat Jo. Maria Rizzardi an. 1739. Pars II. Grammatica, Oratoria, Poëtica, Philoſophica complectitur. Ibid. 1739. in 4. maj.

– EJUSDEM Appendix ad Pauli II. P. M. Vitam, quâ comprobatur Pauli II. Pontificatûs felicitati deberi optimorum Scriptorum editiones, quæ Romæ primùm prodierunt poſt divinum Typographiæ inventum à Germanis Opificibus in eam Urbem advectum, pleriſque omnibus earum editionum, ſeu præfationibus, ſeu epiſtolis in medium allatis, cum brevibus Obſervationibus ad eaſdem rei typographicæ origini illuſtrandæ valdè opportunis. Romæ typis Antonii de Rubeis apud Pantheon MDCCXL, in fol.

– EJUSDEM *Monumenta Literaturæ Epiſcoporum Venetæ Ditionis, qui Francisci Barbari ætate* (Sec. xv. per viginti quinque circiter annos) *floruerunt*; partim ex ejuſdem Epiſtolis, partim ex teſtimoniis pleriſque nunc primùm editis deprompta. Opuſculum exquiſitæ eruditionis ac Critices extat in Em. Authoris Decade I. Epiſt. Latin. n. x. p. 5-67.

– EJUSDEM *Conſpectus Bibliothecæ Vaticanæ* ære inciſus appoſitis Notis Chronologicis de tempore, quo illius Præfecti ætatem egerunt. Eorum ſeriem etiam texit in Latin. Epiſt. Decad. vi. pag. 4.

– EJUSDEM Diſſertatio, ſeu Opuſculum de Hymnis Quadrageſimalibus Græcorum, eorúmque Auctoribus. Extat in Epiſtola longiſſima ad D. Renatum l' Annean Superiorem Generalem Congreg. S. Mauri. Vid. Dec. III. Epiſt. Lat. Epiſt. iv.

– EJUSDEM *Comparatio inſtituta inter Mediolanenſem & Brixianam tempore invecti in orbem typographici opificii*. Eſt eruditiſſima, uti cætera omnia Eminentiſſimi hujus Scriptoris. Habetur verò in Epiſtola I. Decadis iv. ad V. C. Joſeph. Ant Saxium Mediolanenſem Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectum data.

– EJUSDEM *Monumenta Literaturæ Epiſcoporum Venetæ Ditionis, qui Franciſci Barbari ætate* (Sec. XV. per viginti quinque circiter annos) *floruerunt, partim ex ejuſdem Epiſtolis, partim ex teſtimoniis pleriſque nunc primùm editis deprompta.* Opuſculum exquiſitæ eruditionis ac Critices extat in Em. Autoris Decade I. Epiſt. Latin. num. x. pag. 5-67.

– *Atti ſpettanti alla Fondazione, e Dotazione della Biblioteca Quiriniana à publico beneficio eretta in Brescia dall' Eminentiſſimo e Reverendiſſimo Signor Cardinale Angelo Maria Querini Veſcovo di eſſa Città, publicati per Decreto degl. Illuſtriſſimi Signori Deputati Publici in Breſcia MDCCXLVII. Dalle Stampe di Gian Maria Rizzardi in folio.*

Hiſtoria Generalis Auctorum Sacrorum & Eccleſiaſticorum; in qua non modò illorum vita, Operúmque Catalogus, Critice, Judicium, Chronologia, Analyſis, ac variarum Editionum enumeratio; ſed etiam quidquid illi magis memorandum de Dogmatica, de Morum, atque Eccleſiæ Diſciplina literis tradiderunt, continetur. Hiſtoria item Conciliorum tum Generalium, tum Provincialium, & Acta ſelecta Martyrum deſcribuntur. Auctore R. P. D. Remigio Ceillerio Monacho Benedictino, ex Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi, Coadjutore Flaviniacenſi. E Gallicis Latinè reddita Tomus I. Venetiis typis Marini Roſſeti. An. 1732. in fol. min.

Cùm Cl. Auctor perſpectum haberet, DUPINII *Bibliothecam Eccleſiaſticam* Opus perfectum, expletúmque, omnibus ſuis numeris & partibus neutiquam eſſe, novam Bibliothecam ſacram atque eccleſiaſticam adornare conſtituit, neque hàc tamen ratione Dupinii Opus omni ex parte delendum ſuſcepit, aut illius exiſtimationem egregii ingenii monumentis ſibi partam deterere, aut obſcurare voluit.

Gallicè verò ſuam hiſtoriam edidit, cujus rei rationem in præfatione ad Lectorem hanc affert. „ Porrò „ quum una ſtudioſorum omnium „ utilitas me ad id oneris ſuſcipien„ dum impuliſſet, Latine primò ad „ tertium uſque volumen hoc Opus „ conſcripſeram, exiſtimans fore, ut „ illud non modò in Gallia, ſed etiam „ apud exteras nationes ob commu„ nem Latinæ linguæ uſum omnium „ ſibi gratiam conciliaret. Deinde „ verò quum doctis quibuſdam viris „ conſentaneum eſſe videretur, ea„ dem me lingua ſcribere, quâ Du„ pinius, propereà quia id perficien„ dum ſuſceperam, quod ille, ut ita „ dicam, tantummodo adumbravit; „ hoc Opus Gallicis literis mandare „ conſtitui. „ Hæc ille.

Ut verò eximium hoc Opus uſum iis præſtare poſſet, qui Gallicæ linguæ

guæ haud sunt periti, Latinitate illud donavit V. C. *Joannes Baptista Casperi*, literis Latinis ac Græcis excultissimus. Primus Tomus Venetiis an. 1732. prodiit; alter prælo paratus propter Typographi arrestum lucem publicam nondum vidit. Supersunt plures Latinè vertendi, quibus Cl. Interpres publico admotus officio operam se navare posse negat. Legenda est ejus præfatio ad Lectorem, in qua quàm multis parasangis *Ceillerii* Historia Autorum Sacrorum & Ecclesiasticorum illam *Dupinii* antevertat, egregiè declarat; atque Opus inter ea, quotquot hactenus lucem vidêre, absolutissimum appellat.

Operis præclarissimi Recensionem adornârunt Eruditi Lipsienses in Supplementis ad hæc *Nova Acta*; & quidem Tomi I. Sect. xi. pag. 481. seq. Tomi II. Sect. I. pag. 7. Tomi III. ibid. Sect. III. p. 106. Tomi IV. ibid. Sect. V. p. 196. Tomi V. & reliquorum recensionem non legi.

ANTONII RIVET, & JOANNIS COULON è Congr. S. Mauri *Histoire Literaire de la France &c.* hoc est: *Historia Literaria Galliæ, in qua agitur de origine & progressu, decremento & instauratione scientiarum in Gallia & Franco-Gallia, de ingenio Gallorum, ac studio, quo in literas quovis seculo incubuerunt, de priscis scholis, de Academiarum in Gallia institutione, de primariis Collegiis, de Societatibus scientiarum, literarúmque elegantiorum, de præstantissimis Bibliothecis veteribus & recentioribus, de Typographiis celebrioribus, ac de rebus in universum omnibus, quæ ad literas spectant, unà cum Elogiis historicis Gallorum Franco-Gallorúmque, meritis in eas illustrium, enumeratione Chronologica Scriptorum, animadversionibus historicis ac criticis in alicujus momenti Opera, editionúmque recensione, Autoribus denique laudatis. Parisiis apud Osmont, Huart &c.* an. 1733. in 4. maj.

Cl. *Rivetus* equidem vir est indefessæ industriæ, magnæ accurationis, & insignis in arte Critica peritiæ, nihilo tamen seciùs ex mente *Philippi le Cerf in Bibl. Hist. Crit. Scriptorum ex Congreg. S. Mauri p.* 428. Operi immensæ molis, cui ferendo unius hominis vires minimè sufficiunt, humeros suppofuit. Unde rectiùs facturus fuisset *Rivetus*, si loco universalis Historiæ Literariæ totius Galliæ, unius tantùm Regni provinciæ historiæ literariæ scribendæ operam addixisset; neque enim à quopiam auspicandum esse Opus, cui priùs eum succumbere necesse sit, quàm ad finem illud perducere queat. Verùm non satis magnum, ut mihi quidem videtur, hoc *Cerfii* argumentum: aliàs nec Cæsar Baronius Annales Ecclesiasticos, nec Joannes Bollandus Acta Sanctorum, nec Joannes Mabillonius Annales Benedictinos auspicari debuissent, quorum nullus spem alere poterat, se Operi cœpto extremam manum impositurum; satis illis erat, quòd lampada aliis tradere possent. Et verò in Congregatione S. Mauri deficiente uno non deficit alter. Quòd si *Rivetus*, & quem in laboris societatem ascivit, *Coulonus*, naturæ debitum persolverint, non deerunt, qui historiam præclarè ab ipsis cœptam, & jam ultra seculum X. deductam prosequantur. Tomi I. recensionem vide in Actis Erud. Lipf. an. 1735. m. Aug. p. 312. qui magnum Opus vocant, atque arduum, stupendique planè laboris, cui manus admoverunt eruditissimi homines; ita tamen comparatum, ut si prosperos habeat successus, tum splendorem nominis *Benedictinæ Sodalitatis*, tum rei commoda literariæ multis omnino modis fit amplificaturum. Tomi II. & reliquorum vide de suis locis in iisdem Actis, quæ jam mihi hæc scribenti ad manum non sunt.

His suo quoque merito jungi debet celeberrimus polygraphus CALMETUS, qui nuper edidit insigne Opus de Viris Illustribus Lotharingiæ, hoc titulo: *Bibliotheque Lorraine, ou Histoire des Hommes illustres, qui ont fleuri en Lorraine, dans les trois Evêchés, dans l'Archevêché de Treves, dans le Duché de Luxembourg &c. à Nancy* 1751. *in fol.*

OLIVERII LEGIPONT, Cœnobitæ S. Martini Coloniensis, *Discursus Paræneticus ad æquos bonarum Artium Æstimatores, pro Bibliotheca Publica, & Societate Eruditorum in primaria Germaniæ Metropoli Urbe Moguntina, feliciter erigenda, promovenda, & stabilienda. Ibidem imprimebat Joannes Joachimus Franckenberg Typographus Academicus an.* 1737. *in fol. plag.* 4. *cum dimid.* Auctor, Vir desideriorum promovendæ rei literariæ, cumprimis Benedictinæ, hunc discursum in lucem edidit, quo tempore Ill. DD. Baronum de Dalberg Bibliothecæ instruendæ curam gessit. Quem cùm legissem, exclamare in mentem ve-

nit: *O Musæ! ô Pallas! quid enim nisi vota supersunt?* Hactenus qoidem nihil factum; Ast utinam illi, quorum maximè interest, saperent, & novissima prævidèrent! intereà videsis publicam instituti apprnbationem, & *Discursûs* sanè eruditissimi juxta ac politissimi recensionem in Actis Eruditorum Lipsiens. anno 1737. p. 541.

Idem *Legipontius* aliud Opus anno 1747. in lucem dedit, cujus titulus: *Dissertationes Philologico-Bibliographicæ; Norimbergæ impensis Pauli Lochneri & Mayeri* in 4. In his agit de Bibliothecarum origine, præstantia, utilitate, & ornamentis; tum verò methodum easdem in justum ordinem redigendi, condendique librorum catalogi normam perspicuâ brevitate exponit. Nunc verò totus est in elucubranda universali *Bibliographia Benedictina.*

ANDREAS GORDON, Scotus, Philosophiæ Professor in Academia Erfordensi in lucem anno 1749. dedit *Varia Philosophiæ Mutationem spectantia*, viz.

I. *Andreæ Gordon* O. S. B. Epistola ad Amicum Wirceburgi degentem, quâ loca quædam Dissertationum Wirceburgi editarum ad trutinam revocantur.

II. Ejusdem Oratio Philosophiam Novam Veteri præferendam suadens.

III. Ejusdem Oratio Philosophiam Novam utilitatis ergò amplectendam, & Scholasticam Philosophiam futilitatis causa eliminandam suadens.

IV. Apologia, quâ errores R. P. Andreæ Gordon O. S. B. contra Philosophiam Scholasticam in duplici schediasmate commissi proponuntur, & vindiciis petitis confutantur à P. Josepho Pfriemer S. J.

V. Andreæ Gordon O. S. B. Epistola altera ad Amicum Wirceburgi degentem scripta, qua Philosophia Nova ab iniquis Apologiæ præmissæ cavillationibus vindicatur.

VI. P. S. De Scripto R. P. Opffermann S. J. nuperrimè hìc edito ab *Andrea Gordon* O. S. B. prælo dato in 4. Superiorum facultate. Erfordiæ sumptibus I. H. Nonnij an. 1749.

SECTIO VIII.

SCRIPTORES HISTORIÆ BENEDICTINÆ.

SI rectè dictum est, pueros, si ipsis historia affulgeat, jam senes evadere: senes verò, si historiæ rudes sint, inter pueros censeri; nemo non intelligit, quòd Familiæ Benedictinæ alumni Sacri Ordinis sui scire historiam teneantur. Quis verò ritè illam addiscat, si authorum, à quibus pertractata fuit, nullam habeat cognitionem? nisi fontes, unde omnis cognitio promanat, probè cognitos habeas, in Historia Benedictina semper tibi hærebit aqua. Sit igitur

§. I.

Hagiographi, seu Scriptores Vitæ Sanctorum Ord. S. B.

UT Ordinis nostri Sodales Majorum suorum exempla in promptu haberent, suósque mores ad eorum normam componere studerent, fuerunt viri cùm pii tum docti, qui literarum monumentis ea consignarent, è quibus speciminis loco, singula percurrentes secula, unum alterúmve adducemus.

Seculo VI. S. GREGORIUS MAGNUS in Libro II. Dialogorum vitam S. P. Benedicti suppeditavit, quæ etiamsi præstantissimarum virtutum exemplis non usquequaque referta esset, excitare tamen legentium studia potest, propter ejus, à quo scripta est, summam auctoritatem. Hancipsam verò vitam à S. Gregorio scriptam Græcè vertit Zacharias Papa. Latinis annotationibus illustravit *Matthæus Lauretus*, Hispanus, Abbas de Castellis sancti Salvatoris, eásque recoguito à se Chronico Cassinensi præmisit, ditque Neapoli an. 1616. Gallicè locupletius idipsum præstitit *Simon Milletius* S. Germani à Pratis Religiosus in historicis suis ad sancti Gregorii Dialogos annotationibus, quæ lucem publicam Parisiis an. 1624. apud Josephum Cotereau viderunt. *Benedictus Hæftenus* Monasterii Affligeniensis Præpositus prolegomena amplissima in eandem condidit vitam, atque adeò integro eruditissimo Commentario illustravit, quem *Disquisitionibus Monasticis* Lib. XII. comprehensis

præ-

præmisit. *Angelus Nuceus* Chronico Casin. Leonis Marsic. à se Notis illustrato Spicilegium in Vitam S. P. B. præfixit. De editione Vitæ Latino-Græcæ S. P. B. per *Angelum Mariam Quirinum* Abbatem S. Mariæ Florentiæ, nunc S. R. E. Eminent. Cardinalem jam Libro primo Partis hujus II. mentionem fecimus.

SEBASTIANUS, discipulus S. Benedicti, & Monachus Casinas Sec. VI. Vitam S. Hieronymi scripsit, quæ nunquam typis data in Casinensi asservatur Bibliotheca. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. c. 2. & Gattol. in Chron. Casin.

Sec. VII. RAGINBERTUS Leuconanensis Abbas tertius, ferè coævus fuit S. Walarici Abbatis, cujus anno 622. ad Superos translati vitam scripsit.

AIGRADUS Monachus Fontanellensis in Normannia circa annum 699. scripsit *Vitam sancti Ansberti Rothomagensis Archiepiscopi*, qui anno 695. die 9. mensis Februarii ad Superos abivit. Extat hæc vita apud Laur. Surium & Joan. Bollandum ad diem 9. Februarii. Itémque Seculo 2. Sanctorum O. S. B. pag. 1048.

Sec. VIII. CUTHBERTUS Girwicensis in Anglia cœnobii Monachus, Ven. Bedæ discipulus, sub quo in bonis litetis non pœnitendos fecit progressus. Claruit anno 740. Præceptori suo, ingravescente ætate, à manu fuit, & ab eo dictata calamo excepit, illi etiam animam agenti adfuit, & postrema verba haud indiligenter annotavit. Scripsit de vita & obitu V. Bedæ libellum ad Cuthvinum Monachum, *quem libellum*, inquit Lelandus cap. 90. *cùm nuper reperissem in palatina illustrissimi Henrici VIII. Anglorum Regis, Bibliotheca, avidè semel legi, & majori voluptate relegi: multum diúque mecum considerans, quantus, & quàm non ullo esset virtutis titulo Beda cum nostræ ætatis monachis conferendus.* Edidit Mabillonius Tomo III. Sanctorum Otd. S. B. pag. 534. Atque hujus S. Doctoris vitam Familiæ nostræ alumnis, præsertim literarum studiosis attentè legendam suadeo: ex ea discent, quî exercitia monastica cum scientiarum disciplinis sanctè conjungi & possint, & debeant. Quis etenim omni studiotum generi præ Venerabili Beda magis operam dedit, cæterorúmque eruditioni? Ecquis interim pietatis ac religionis exercitiis diutiùs intentus? si eum vidisses orantem, arbitratus esses nunquam studentem; at si Operum, quæ scripsit, numerum inspexeris, ipsum nunquam non studuisse autumabis. Et tamen quamvis in dies singulos nedum proprio studio, sed & Confratrum suorum, imò & secularium instructioni esset addictus, præ aliis diligentior in explendis, quæ monasticæ conditionis erant, videbatur, adeò ut quemadmodùm ipsemet scribit: Inter observantias disciplinæ regularis, & quotidianam in ecclesia cantandi curam, vel (ut alibi inquit) innumera monasticæ vitæ retiacula, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habuerit. O utinam, exclamat Mabillonius Tract. de Stud. Mon. Part. I. cap. 13. pag. mihi 53. O utinam! in nostris cœnobiis etiamnum istorum aliquot literatorum adessent.

HEDDIUS STEPHANUS cognominatus, natione Anglus, Monachus Cantuariensis, vit omnium scientiarum genere instructissimus scripsit puro, terso, & eleganti stylo vitam S. Wilfridi Episcopi editam à Joanne Mabillonio ex MS. Bibliothecæ Cottonianæ in Anglia ad calcem primæ partis Seculi IV. Sanctorum Ord. Divi Benedicti pag. 671. Cujus variantes lectiones edidit ex ms. codice Sarensi ad finem secundæ partis ejusdem seculi pag. 550. *Oudin. S. E. Tom. I. pag.* 1674.

PAULUS WARNEFRIDUS, Aquileiensis Diaconus, posteà Monachus Casinas vitam S. Gregorii M. omnium primus literis mandavit, quam subinde longè diductiorem Johannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus Casinensis quondam Monachus concinnavit; denique Dionysius Sammarthanus è Congreg. S. Mauri Operum S. Gregorii ultimus editor eandem ex Scriptis Gregorianis scitè adornatam quatuor etiam libris complexus est; quæ oppidò digna est, ut publicè ad mensam, audientibus omnibus, in Refectorio legatur, quod etiam non sine sacra auscultantium voluptate factum alicubi scio.

Sec. IX. WALAFRIDUS STRABO, Augiensis Abbas, S. Galli Abbatis vitam prosaicè, non autem metricè, ut Sigebertus scribit, composuit, quam libris duobus prosâ habes apud Surium Tom. V. Octob. die 16.

– EJUSDEM Libet de vita S. Othmari Abbatis extat apud eundem Surium Tom. VI. ad diem 16. Novemb.

sed

sed longè emendatior apud Mabillonium Sec. III. Sanctorum Ord. S. B. pag. 153.

Sec. X. HUCBALDUS, seu *Hugbaldus* Elnonensis Monachus, non à bona fide magis, quàm eruditione atque doctrina commendatus Hagiographus præter complurium Sanctorum Vitas scripsit etiam Acta Sanctarum Antistitum v. g. S. Rictrudis Abbatissæ Marchianensis, S. Aldegundis Abbatissæ primæ Malmodiensis, S. Madelbertæ Virginis & Abbatissæ etiam Malmodiensis. Vide plura apud Oudin. Tom. II. pag. 1917. *S. Adalbero* Abbas Elvacensis XII. in Suevia, & Ludovici IV. Præceptor, exinde S. Widgerii in Augustano Episcopatu Successor ordine XXIII. scripsit vitam S. Hariolphi, primi Abbatis Elvacensis. Obiit Adalbero an. 909 die 28. Aprilis.

Sec. XI. OSBERNUS Ecclesiæ Cathedralis Cantuariensis Monachus & Præcentor condendis Sanctorum Ordinis nostri vitis incubuit; quippe vitam S. Odonis Cantuariensis Archiepiscopi à Mabillonio insertam Seculo V. Benedictino, vitam & miracula S. Dunstani, itidem Archiepiscopi, descripsit duobus libris, quos Bollandiani in Actis Sanctorum mense Majo Tom. IV. Mabillonius Seculo V. Benedictino exhibuit. Scripsit quoque Osbernus vitam & passionem S. Elphegi Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, quam Bollandiani ad diem xx. mensis Aprilis in Actis Sanctorum ediderunt. Vid. Graveson Hist. Eccl. Sec. xi. pag. mihi 108.

Sec. XII. EADMERUS, Monachus Cantuariensis S. Anselmi Cantuar. Archiepiscopi auditor primùm & discipulus, deinde convictor & amicus fidissimus, exiliorúmque ac laborum ejus individuus comes scripsit ab Anselmi obitu ejus vitam duobus libris dispositam, lectu dignissimam, cùm ex ea non virtutis tantùm, sed doctrinæ etiam exempla petere liceat. Extat post Opera S. Anselmi à Gerberonio edita. Idem *Eadmerus* scripsit etiam vitam S. Wilfridi Eboracensis Archiepiscopi uno libro comprehensam, quæ extat Londini inter Mss.ta Cottoniana; cui tamen præferendam existimo, quam suprà à *Heddio Stephano*, Seculi octavi Hagiographo conscriptam memoravimus; non tantùm quia autographa est; sed quòd in eadem etiam Dagoberti Austrasiorum Regis luculenter enucleatur historia, horrendus interitus, quíve fuerint nefandi adeò sceleris conscii optimates. Ritus præterea exponuntur peculiares in ordinandis apud Gallos Episcopis observari soliti: Acta insuper Conciliorum eruditis hactenus incognita: plura denique perutilia, atque observatu dignissima. Ruinart. in vita Mabillonii num. 17. pag. 29.

V. HILDEBERTUS Cluniacensis primùm Monachus, tam Cœnomanensis Episcopus, & postea Turonensis Archiepiscopus, præter vitam S. Radegundis ex Regina Abbatissæ scripsit vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis. Utramque inter Opera Hildeberti edidit Antonius Begaugendre.

Sec. XIII. *De Vita & miraculis S. Erminoldi*, nobilis Suevi, in Hirsaugiensi Cœnobio Monachi, Abbatis Lorsacensis, & postea primi Abbatis in Prufeningensi monasterio propeRatisbonam à S. Ottone Bambergensi Episcopo ædificato Libri duo jussu Ulrici decimi sexti Abbatis Prufeningensis anno MCCLXXXI. conscripti à Monacho Prufeningensi. Edidit Hen. Canis. in antiq. Lect. postr. edit. tom. IV. pag. 93.

Sec. XIV. ALBERTUS Oberaltahensis Monasterii in Boiaria seu Bavaria Diœcesis Ratisbonensis Prior scripsit vitam Sancti Alberti, seu Adalberti Monachi Oberaltahensis, quam ex Cod. Ms. ejusdem monasterii à R. Dn. *Carolom. Hueber* Benedictino Mellicensi erutam, & collatam cum codice Ms. Monasterii S. Emmerammi Ratisbonæ edidit Pezius Thes. Anecd. Tom. I. Part. III. pag. 535. &c. Vid. M. B. E. pag. 220. col. 2.

Sec. XV. ANDREAS Abbas S. Michaëlis apud Bambergam Congregationis Bursfeld. post annum 1460. floruit, qui vitam sancti Ottonis Bambergensis Episcopi Pomeraniæ Apostoli libris IV. comprehensam scripsit. Primus istos libros Jacobus Gretserus in Divis Bambergensibus publici juris fecit. Item anno 1681. Colbergæ editi in 4. à Valerio Jaschio Pomerano, de quibus vid. Acta Erudit. Lips. 1682. mens. Sept. pag. 279. & 280. & ex iis Autor M. B. E. verbo *Andreas* pag. 440. col. 2. Vide plura apud Cl. Fabric. in Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 248. & Clar. P. *Oliverium Legipont in ejus vita*...

Sec. XVI. JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimensis, vitam *B. Ra-*

bani

bani Mauri ex Abbate Fuldensi Archiepiscopi Moguntini tribus libris complexus est, eamque dicavit Albetto Brandeburgensi, Archiepiscopo Moguntino & Magdeburgensi. Extat apud Bolland. in Actis Sanctorum iv. Febr. Scribendi genus Trithemius sectatus est, quod ad animi compunctionem magnopere conducit. Hæc vita ab Ordinis nostri Sodalibus, literarum studiosis, præprimis legenda est.

ARNOLDUS WION Belga, Duacenus, è Congr. Casin. *S. Gerardi Sagredo*, Patricii Veneti, ex Monacho & Abbate S. Georgii Majoris Venetiarum Episcopi Canadiensis primi, ac Hungarorum Protomartyris Apostoli vitam ex antiquissimis authenticis Mss. tum etiam excusis codicibus optimâ fide collegit, & annotationibus illustravit &c. Accessere prætetea quàm plurimi, qui tam Latinè quàm Italicè de eodem S. Martyre memoriam scriptis posteritati reliquêre, Venetiis apud Jo. Bapt. & Joan. Bordonum Sessas Fratres an. 1597.

Sec. XVII. Vita sancti *Ruperti* Archiepiscopi Salisburgensis, cujus vitam monasticam Cl. Marcus Hansizius S. J. priùs in dubium multis argumentis vocaverat, tum de ea se convictum fassus est, à D. *Amando* Abbate S. Petri Salisburgi fel. mem. anno 1663. ex MS. Monasterii & aliis Auctoribus conscripta & collecta, edita verò à Fratribus Mezgeris lib. 1. Historiæ Salisburgensis pag. 69-158.

Sec. XVIII. MICHAEL FELIBIEN inter præcipuos San-Maurianæ Congr. Historicos numerandus præter alia vitam S. Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis, cum Animadversionibus in ejusdem S. Doctoris Opera literis mandavit, quæ hactenus tamen nondum typis exscripta est, teste P. le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 127. Utinam RR. Patres ejusdem Congregationis eam juris publici facerent. Unde enim exempla magis præclara humilitatis atque animi submissionis, quæ literarum studiosis tantoperè necessaria est, ne eorum animi à scientia inflati extollantur, peti possunt, atque è vitâ S. Anselmi? *Andreas Raynerius*, Prior in perinsigni Monasterio Parmensi S. Joannis Evangelistæ, Italico sermone Historiam Panegyricam S. Anselmi quatuor tomis complexus est, qui ab Abbate Mariano Armellino in Bibl. Casin. part. 1. pag. 18. variâ eruditione, præsertim ecclesiastica ac sacra abundè referti laudantur. Tomus primus impressus Mutinæ anno 1693. apud hæredes Cassiani. Tomus II. Parmæ apud Paulum Montium anno 1700. Tomus tertius ibidem apud eundem anno 1705. Tomus IV. ibidem apud eundem anno 1706. omnes in quarto.

APPENDIX

De Scriptoribus, qui Virorum ac Fœminarum recentioris ævi ex Ordine S. B. virtute ac vitæ sanctimonia illustrium Vitas, Acta, & piè Gesta literis mandârunt.

ALOYSIUS CARAFFA scripsit vitam Ven. Servi Dei *Jacobi de Graffiis*, quam in Tabulario Monasterii ad S. Severinum asservatam exscripsit, & in suum Breve Chronicon S. Severini transtulit Benedictus Laudati. Multis in vitâ & post obitum anno 1620. die 19. Octob. miraculis Venerab. Graffius effulsit. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 6.

ANGELUS PERFECTUS Monachus Neapoli in Monasterio S. Severini vitam Ven. *Aloysii Caraffa* Abbatis Casinensis anno 1664. extincti Italicè scripsit, & typis Neapolitanis vulgavit anno 1667. apud Castaldum sub hoc titulo: *Il contemplativo Casinense ideato nella vita e ne' l eroiche virtu del R.mo P. D. Luigi Caraffa Abbate dell' Ordine del Gran Patriarca San Benedetto.* De eo in Divorum numerum referendo Acta ritè formata fuerunt. Armell. l. c. part. 1. pag. 9.

CASIMIRUS VINCENTIUS CHRZANOVIUS (vel patria lingua Chrzanouski) Polonus, aliquandiu è Congreg. Casin. sed demum ad suos reversus scripsit vitam & virtutes Ven. Servi Dei, R.mi quondam *P. Zachariæ à Fractis* Ord. D. Benedicti Congreg. Casin. Abbatis; ex Typographia Anton. Gramignani an. 1677. Armell. l. c. p. 112.

CLEMENS ARCELLI Placentinus S. Sixti Monachus scripsit Vitam & Miracula Ven. Servi Dei *Hieronymi Arminii*, qui obiit Placentiæ magna sanctitatis fama anno 1626. asservatur Mf. in Bibl. ejusdem S. Sixti. Armell. l. c. p. 120.

LAURENTIUS AYALA Princiani Monasterii in Hispania Monachus & Ecclesiastes scripsit vitam *Ven. Servi Dei Garziæ Cisnerii Abbatis Montis Serrati*, quam Latio donavit Con-

ſtantinus Cajetanus, Abbas S. Baronti. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. & Armell. l. c. p. 172.

Joachimi, Abbatis Fiſchingenſis in Helvetia, in communi opinione & fama ſingularis vitæ ſanctimoniæ an. 1688. extincti vitam exhibet Felix Egger Ideæ Ord. Hier. Ben. l. 2. part. 3. p. 435.

VINCENTIUS BARRALIS SALERNA edidit Lugduni anno 1613. in Chronologia Sanctorum, & aliorum Virorum Illuſtrium ac Abbatum Sacræ Inſulæ Lirinenſis vitam Ven. *Dionyſii Faucherii* anno 1562. apud Lirinum piiſſimè vitâ functi. Armell. l. c. p. 150.

PLACIDUS PUCCINELLUS S. Mariæ de Florentia Monachus ſcripſit Italicè vitam Ven. *Gometii* Luſitani, Abbatis S. Mariæ Florentiæ, vulgavitque Mediolani an. 1645. in 4. Armell. l. c. p. 183.

JACOBUS MAJORICA Monachus Neapoli in Monaſterio S. Severini ſcripſit vitam *Ven. Fr. Jacobi ab Herculano*, ſeu, ut vocant, *Commiſſi S. Severini*. aſſervatur inter alia Authoris Scripta in Tabulario ejuſdem Monaſterii. Armell. l. c. part. 2. p. 8.

LUDOVICUS MALUMBRA Monachus Monaſterii S. Georgii M. Venetiis ſcripſit vitam Ven. *Ludovici Barbo* Congr. S. Juſtinæ de Padua Fundatoris, quæ extat in hujus Monaſterii Bibliotheca tom. 1. in fol. ſign. num. 328. Armell. l. c. part. 2. p. 84.

MARCUS Cremonenſis Monachus è Congr. S. Juſtinæ Patavinæ ſcripſit vitam *B. Nicolai Pruteni* Monachi S. Juſtinæ, quæ extat in Archivo ejuſdem S. Juſtinæ in 4. uti nos docet Armellinus l. c. p. 91. quo teſte fuit etiam ſcripta à *Mauro Orbini* Raguſino Abbate S. Mariæ de Backe, extat Mſ. in Bibl. S. Georgii Majoris Venetiarum ſignat. num 216. Cl. Bernardus Pezius ejuſdem *B. Nicolai de Pruſſia* vitam, ſed auctore Juliano Januenſi ſcriptam juris publici fecit Theſ. Anecd. Noviſſ. Tom. II. Part. III. p. 311.

NICOLAUS MINI Abbatiæ Florentinæ Monachus ſcripſit vitam *Benedictini Bonſignorii* Florentini Abbatis S. Mariæ multis virtutibus conſpicui, quæ fuit typis tradita Florentiæ an. 1586. in 8. apud Georgium Mareſcottum in principio Operum ipſius Bonſignorii. Armell. l. c. pag. 114.

ALEXIUS UGONIUS Monachus in Brixiano S. Euphemiæ Cœnobio condidit *Epitaphium in obitu Baſilii Leonis Mantuani*, Abbatis inſignis ac Congreg. Caſin. duodecies Præſidis, quem ſummum ac præclariſſimum Virum, Orbis decus & Caſſinenſis Familiæ ſingulare ornamentum appellat. Epitaphium typis excuſum fuit in Ugonii Dialogo de maximis Italiæ atque Græciæ calamitatibus; qui Venetiis prodiit an. 1559. Armell. l. c. part. 1. pag. 6.

HUGO MENARDUS è Congreg. S. Mauri vitam *Ven. Sebaſtiani* de Villoslada Monachi Hiſpani in Monaſterio D. Mariæ Vallis-Venariæ, anno 1597. ad Superos tranſlati ab Ægidio Goncalez Davila Chronographo Philippi III. Regis Hiſpaniarum ſcriptam defloravit, ac publicæ luci expoſuit in Menologio Obſervat. lib. 2. pag. 768.

AMANDUS PACHLER vitam & Geſta *Alberti* Ottoburâ Salisburgum in Abbatem Monaſterii ad S. Petrum poſtulati in manuſcriptis reliquit. Mezgeri in Hiſt. Salisburg. l. 2. c. 7. pag. 291.

ALBERTUS KREZ Ottoburanus vitam Ven. *Sebaſtiani Röhr* verè Religioſam deſcripſit, quam ejuſdem Opuſculis Sacris præfixit.

EDMUNDUS MARTHENE vitam ſcripſit Ven. *Claudii Martin* è Congreg. S. Mauri, de quâ vide judicium cenſorium Philippi le Cerf in Bibl. Hiſt. Crit. pag. 306. Ex Gallico Germanicè verſa excuſa eſt Lincii 1745. in 4.

JOANNES MABILLONIUS vitam *Vincentii Marſolli* Congreg. S. Mauri Superioris Generalis ſcripſit, quam Vincentius Thuillier vulgavit in ejus Opp. Poſthum.

THEODERICUS RUINARTUS vitam *Joannis Mabillonii* virtutum exemplis refertiſſimam edidit Pariſiis in 8. 1709.

BERNARDUS PEZIUS Mellicenſis vitam Ven. *Deſiderii à Curia* Fundatoris & Præſidis Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi Bibliothecæ Benedictino-Maurianæ præfixit, Aug. Vindel. & Græcii an. 1716. in 8. Item tom. 8. Bibl. Aſceticæ vulgavit Epiſtolam Encyclicam de obitu Ven. *Nicolai de Mazen* Abbatis Mellic. & Reformatoris Ordinis in Germania.

Placidi Abbatis Murenſis, S. R. I. Principis Vita & Geſta egregia legi poſſunt in *Muro* & *Antemurali*, ſeu

seu Descriptione Monasterii Murensis, quæ typis an. 1720. in 4. excusa est.

GERMANUS CHEVAL Monachus Monasterii S. Martini à Campis edidit vitam Martini Marrier Monachi & Prioris Religiosissimi ejusdem Cœnobii. Parisiis in 8. an. 1644.

ANONYMUS Admontensis vitam Ven. Ignatii Clavenau Ascetæ Admontensis an. 1701. in sanctitatis opinione demortui ejus Operibus Asceticis præmisit Salisburgi in 4. an. 1720.

Vita B. Alberti Prioris in Oberaltaich. Straubingæ 1699. in 8.

HUGO MENARDUS è Congreg. S. Mauri Vitam B. Margaritæ Abbatissæ Vallis-Gratiæ Auctario ad Menologium Benedictinum de quibusdam Sanctis Recentioribus intexuit.

En 1696. le *P. Mabillon* publia une lèttre circulaire sur la mort de la Mère Jaqueline Boete de Blemur Benedictine de l' adoration perpetuelle du saint Sacrament, si connüe par les ouvrages, qu' elle a donnez au public.

En 171'. le *P. Felibien* donna au public la vie de Me. d' Humiere Abbesse & Reformatrice de l' Abbaye de Mouchi in 8. Imprimée chez Jaques Etienne.

En 1699. il fit imprimer une lèttre circulaire sur la mort de Me. d' Harcourt Abbesse de Montmartre.

En 1711. le *P. Martianay* publia la vie d'une Religieuse du Voile Blanc du Monastere de Beaume.

EDMOND DURET a fait imprimer une lèttre circulaire de 16. pages in 4.to, qui contient l'eloge de la derniere Abbesse de Montmartre.

EDMOND MARTHENE a enrichi son Voyage litteraire de vies

1. De Renée de Megrigny, Abbesse de Charenton, que Dieu avoit destinée pour en ètre la Restauratrice. Mourut 26. Decemb. an. 1697.

2. De Renée de Garges, une sainte Prieure du monastere de Champ-Benoit.

3. Abregé de la vie de la venerable Mere Mademoiselle Florence de Wergingnoeul, recueillie par la reverende Mere Marguerite Trigault, Religieuse Benedictine de l'Abbaye de la Paix Nôtre-Dame de Douay, & l' une des quatres, qu' elle y amena avec elle pour établir sa Réforme.

Has aliásque vitas, vel vitarum synopses partim ex Latino, partim ex Gallico & Italico in patrium sermonem transferre animus est, ut rem gratam Sanctimonialibus Ordinis nostri in Germania faciam, cùm non nesciam, quòd perpaucas id genus historias vernaculo idiomate scriptas in promptu habeant. In animo etiam sedet, vita comite, & Deo auspice, vitas Virorum paulò antè commemoratas in quasdam congerere Decades, quibus plures aliæ nondum quidem typis vulgatæ, sed vulgatû dignissimæ superaddi possunt. Tantùm Sodales nostros rogatos velim, ut si quæ in hanc rem communicanda ab ipsis petantur, haud difficiles se præbeant.

Cœnobitarum Mellicensium *Epistola Encyclica de obitu Venerab. Nicolai de Mazen Abbatis & Reformatoris sui*, vita functi an. 1425. Vid. Bibl. Ascet. Bern. Pezii tom. 8. pag. 578.

Cœnobitarum Tegernseensium *Epistola Encyclica de obitu Abbatis sui Caspari Aindorffer.* l. c. p. 589.

Ven. *Johannis de Weilheim* Prioris Mellicensis an. 1482. defuncti *Vita* ibid. p. 609.

§. II.

Martyrologi Monastico - Benedictini.

GUILLELMUS Abbas S. Pauli Romæ extra muros, patriâ Cadurcensis, anno MCCCLXXII. Calendarium omnium Sanctorum Monachorum, necdum typis editum, composuit. Illud autem ex diversis codicibus se collegisse dicit, maximè ex quodam volumine satis grandi, quod inscriptum erat, *Collectarium Sanctorum Monachorum*, in quo Sanctorum Vitæ continebantur. In hoc autem Calendario secutus est majorum nostrorum exempla, qui de priscis Monachis agentes, Benedictinos ab aliis nusquam discrevere ante Trithemii ætatem.

ARNOLDUS WION, Belga, Duacensis, in Cœnobio S. Benedicti propè Mantuam Monachus, è Congregatione Casinensi, primus fuit Martyrologii Benedictini concinnator, quum uno post Trithemium sæculo Sanctorum nostrorum Fastos ordinana tentavit, adeò obscura invenit omnia, ut nihil incertius Sanctorum Monachorum rebus præclarè gestis affirmaret: „ quorum vitæ, ætas vi„delicet, conditio, mors, & cæte„ra hujusmodi ita in obscuris late„bant, ut etiam, an Monachi un„quam fuissent, nesciretur.„ Excu-

sandus proinde *Arnoldus*, sanè de Benedictina Republica bene meritus, excusandus, inquam (verba refero Mabillonii Præfat. In Sec. II. O. S. B.) si in aliquibus lapsus est, sive nobis Sanctos vindicando extraneos, sive prætermittendo proprios. In his enim errare aliquando hominem per offusas antiquitati tenebras ambulantem necesse fuit. Venetiis an. 1595. in 4.

-- EJUSDEM *Sylva pro Sanctorum Benedictinorum Martyrologio* à se condendo asservatur Venetiis in Bibliotheca S. Georgii Majoris, ubi illam MS. sign. 326. vidit Armellinus anno 1718.

HUGONIS MENARDI è Congreg. S. Mauri *Martyrologium Sanctorum Ord. D. Benedicti, duobus Observationum libris illustratum, in quibus continentur Sanctorum Vitæ nunquam hactenus editæ, & præclara alia antiquitatis monumenta. Parisiis apud Joannem Germont & Jacobum Billaine viâ Jacobæâ sub signo S. Benedicti MDCXXIX. in 8.* Hosce duos libros *Menardus* in *Arnoldi Wionii* Martyrologium commentatus est, quosdam Sanctos à Wione admixtos secernit à nostris, alios ab eodem prætermissos adjungit. Quid enim, inquit Mabillonius l. c. attinet, ementitos & fictitios Ordini Benedictino affingere honores, cùm suo satis supérque splendore illustretur? Cæterùm *Menardus* de hoc opere tetractando, & secundis curis edendo sollicitus erat, quando eum mors oppressit. *Elias Dupin* Bibl. Nov. Eccl. Tom. XVII. pag. 226. scribit, hoc Martyrologium eodem anno 1629. duobus voluminibus in folio editum fuisse. Verùm hujus editionis non meminit *Cerfius* in sua Bibliotheca Historico-Critica. Et quî liber in forma octava excusus molem duorum voluminum in folio adæquare potuisset? Quin id facere Hugoni Menardo nunquam fuisse propositum, ex ejus in præfatione verbis lectori perspicuum fit. Non erat, inquit, mihi mens ingens volumen conflare, nec toties ab aliis decantata retexere. Occidit enim, ut Satyricus loquitur, multos crambe repetita magistros.

GABRIELIS BUCELINI, Monachi Theologi Imperialis Monasterii Weingartensis, Prioris S. Joannis Bapt. in oppido Veldkirchii Rhetiæ Superioris *Menologium Benedictinum* Sanctorum, Beatorum, atque illustrium ejusdem Ordinis Virorum elogiis illustratum, quo brevi atque utili compendio in dies singulos celebriorum aliquot Virorum res gestæ, accendendis per domestica exempla animis celebrantur, & sera tantorum Majorum posteritas feliciter & salubriter excitatur. Veldkirchii apud Henricum Bilium Bibliopolam. MDCLV. in fol.

-- EJUSDEM *Calendarium Benedictinum* è Menologio excerptum, typis Monasterii S. Galli in 16. an. 1641.

CONSTANTINI CAJETANI *Martyrologium Benedictinum*, hoc est de Sanctis Ord. S. Benedicti MS.

-- EJUSDEM *Calendarium Benedictinum*, in quo Acta servorum Dei, famâque sanctitatis illustrium ex Ord. S. B. describuntur. MS. Hæc, nec plura Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 130.

EDWARDI MAIHEW, Angli, *Martyrologium*, qui Trophæa Benedictino-Anglicana tribus voluminibus composuit. in 4. Remis an. 1625.

ÆGIDII RANBECK, Monachi Schyrensis in Bavaria, J. U. D. antehac SS. Canonum in Archiepiscopali Universitate Salisburgensi Professoris Ordinarii, *Calendarium Annale Benedictinum* per menses & dies ejusdem Ordinis inscriptum; ære & opera D. Gregorii ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum R.mi Abbatis cœptum, ab ejusdem successore D. Romano feliciter consummatum, atque ejus jussu, voluntate, & expensis luce publica donatum anno 1675. Augustæ Vindel. in 4. apud Simoonem Utzschneider. Calendarium verò isthoc Germanicè vertit *Carolomannus Vierholz* Admontensis in Stiria. in 4. Augustæ Vindel an. 1710. sumptibus Danielis Walderi Bibliopolæ.

JOSEPHI MEZGER *Ann. Mariano-Benedictinus*, sive Sancti Illustres Ordinis D. Benedicti in singulos anni dies cum suis iconibus & vitæ elogiis distributi ab Alma Congregatione Academica titulo B. M. Virginis Assumptæ in celebri Universitate Salisburgensi Benedictina erecta, & à S. Pontif. confirmata, editi anno MDCLXVIII. typis Jo. Bapt. Mayer Typographi Aulico-Academici. & Monachii an. 1690. Germanicè Tomuli 2. in 8.

PROSPERI QUARAGNA, Neapolitani, Abbatis Titularis è Congr. Casin. *Fasti Benedictini*; Opus Italicè scriptum ac tribus tomis in fol. distinctum, in quo vita alicujus Sancti ex Ordine D. Benedicti pro quolibet anni die describitur; quod licèt simplici sermone ac stylo fiat, magnam

tamen

tamen Authoris pietatem, ac religionem ostendit. Armell. part. 2. p. 161.

BERNARDI de BRAGA Lusitani *Memoriale Sanctorum Ordinis S. B. maximè Lusitanorum* ad conficiendum Breviarium proprium Congregationis Portugalliæ jussu Balthasaris de Braga, ejusdem Congregationis Præfecti Generalis conscriptum; quod manu propria Authoris exaratum adservari à Georgio Cardoso Agiologii Lusitani Scriptore Antonius de Purificatione Augustinianus refert in Chronici Augustiniani Portugalliæ Parte II. Lib. IV. Tit. III. §. XIII. apud Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. pag. 173.

STANISLAI SCZYGIELSKI Monachi Tinecensis Beatorum & aliarum Ordinis Benedictini in Regno Poloniæ Personarum Vitæ & Elogia. Item Calendarium mensium ordine digestum, in quo illustriores certis diebus Personæ assignantur. Habentur in Authoris Aquila Polono-Benedictina à pag. 26. - - 106.

JACOBÆ BOETÆ BLEMURIÆ Benedictinæ Monialis e Congregatione perpetuæ adorationis SS. Sacramenti *Annus Benedictinus* Tom. VII. in 4 Paris. 1667. Vide Huetium lib. 3. de rebus ad se pertinentibus pag. 190. seqq. Langlet du Fresnoy Cat. Hist. Tom. III. pag. 136. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 278.

BENEDICTI CHERLE Prioris tunc temporis in Monasterio Thürhaupten *Martyrologium Benedictinum* Germanicè scriptum Aug. Vindel. an. 1714. Author cum Wionio, & Bucelino, quos potissimùm sequutus est, quandoque fallitur.

LAMBERTI GRIENMELT Andecensis è Congregatione Bavarica *Annus Sanctus Benedictinus*, i. e. Vitæ Sanctorum & Beatorum ex Ordine S. P. Benedicti in totius anni menses & dies distributus. Germanicè in 4. Augustæ Vindel. & Dilingæ apud Jo. Caspar. Bencard an. 1721.

OTTONIS KOPTIK Professi ad S. Lambertum in Stiria, nunc Abbatis Titularis in Hungaria *Fasti Benedictino-Schwarzenbergici*, seu *Calendarium Sanctorum voto vel Professione Benedictinorum, qui per Genealogicam deductionem Serenissimæ Domui Schwarzenbergicæ consanguinei probantur.* Opus in fol. Mstum, nunquam fors in lucem publicam emittendum asservatur Viennæ in Austria in Bibliotheca Schwarzenbergica.

LUCÆ DACHERII & JOANNIS MABILLONII Acta Sanctorum O. S. B. in Seculorum classes distributa, ita ut an. 1668. Paris. in fol. editum Seculum I. sit à Christo natum sextum. II. Septimum, an. 1669. III. Octavum, an. 1672. duobus volum. IV. Nonum, duob. volum. an. 1677. 1680. V. Decimum, an. 1685. VI. Undecimum, duobus voluminibus, an. 1701. in fol. Cætera Secula additum iri speramus ab egregio viro Bernardo Pez, inquit Cl. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Lib. II. pag. 544. At Fabricius vel se ipse, vel ipsum nescio quis alius vana spe lactavit, cùm *Pezius* scribendis aliis occupatissimus nullam continuationis hujus unquam susceperit cogitationem. Certius illud, quòd quo tempore Mabillonius Acta Sanctorum Ord. S. B. omnino ediderat, Clemens XI. incredibili Pontifex prudentia, doctrina, & probitate, datis VI. Junii an. 1702. ad Præfectum Congregationis S. Mauri literis, ea *piè* ac *disertè explicata*, fuerit gratulatus.

CAROLUS STENGELIUS Cœnobita San-Udalricanus Augustæ Vindelicorum edidit anno 1625. in 4. sine nomine loci & typographi *Imagines Sanctorum* O. S. B. tabellis æreis expressas cum elogiis ex eorundem Vitis. In *Corona* verò *Lucida* anno 1621. typis vulgata plures quàm centum hujus nostri Ordinis quâ sanctitate, quâ doctrinâ Monachos complexus ita cecinit:

Majores majora sonent, mihi parva locuto
Sufficit, in laudem cedere cuncta Dei.

Sanctorum enim commemoratio, & deprædicatio in illum, à quo ut deprædicari queant, acceperunt, Deum ipsum, bonorum omnium fontem, Oceanumque omnium redundat.

- EJUSDEM *Brevis Index* Sanctorum, qui sub Regula S. Benedicti vixerunt & claruerunt. Ingolstadii typis Wilhelmi Ederi an. 1645. in 12. Vertit etiam Germanicè *Wionis Lignum Vitæ* Augustæ an. 1607. in 4. *Anno Benedettino: ovvero vite de' Santi dell' Ordine di S. Benedetto, per ciascun giorno dell' anno. vol. 6. in 4. an. 1729.*

§. III.

Scriptores de Viris Illustribus Ord. S. B.

ERMENRICUS Monachus Augiensis claruit an. 850. extat ejus Libellus ad Grimaldum Archicapellanum, in quo de Viris Illustribus Monasterii San-

San-Gallensis agit, apud Mabillonium Analect. Tom. IV. pag. 329.

EDILWULPHI, seu *Ethelwolfi*, sive *Ethelwoldi* aut *Æthelwoldi Bernicii*, vel Lindisfarnensis Monachi liber de Abbatibus & Viris … is S. Petri de Insula Lindisfarnensi Poëma istud ex mſ. Cod. Cantabrigiensi erutum edidit Mabillonius Act. Ord. S. B. Sec. IV. part. 2. pag. 302. cap. 16.

REINERUS S. Laurentii Leodiensis Monachus Sec. XII. circa an. 1120. clarus, scripsit Librum *de Viris Illustribus Cœnobii sui, & Episcopatus Leodiensis*, quem ignorare se, an impressus sit, fatetur *Oudinus* Tom. I. de S. E. p. 1105. Illud autem Opus citat *Gabriel Gerberon* in Libro Gallico, quem scripsit, ut Rupertum Abbatem Tuitiensem ab errore Stercoranistarum fœdo eximeret. An etiam alicubi MS. exstet, idem Oudinus l. c. se nescire fatetur. Nobis Sectionis hujus §. XII. sermo erit de Libellis III. quos Reinerus de claris Scriptoribus Monasterii sui scripsit, ex quibus bactenus dicta vel corrigi possunt, vel major iisdem lux affundetur.

GUIBERTUS Abbas Novigentinus anno 1124. demortuus *de vita sua*, sive Monodiarum libros III. scripsit; propriè tamen solus liber primus est de vita Guiberti; hunc ad Deum oratione direxit, exemplo Confessionum B. Augustini. Extat inter ejus Opera à Luca Acherio vulgata, pag. 456.

RAYMUNDUS de RIALACO Monachi Conchensis apud Ruthenos Liber de Viris Illustribus O. S. B. quem sub finem Seculi XIV. scribere aggressus est. In quatuor verò partes librum suum distribuit: in primo agit de Summis Pontificibus Ordinis Monastici, in secundo de Martyribus, in tertio de Episcopis, in quarto de Abbatibus & Monachis, uti legitur in Mſ. Codice Lerinensi, in quo hic liber habetur. *Oud. de S. E. Tom III. pag.* 1722.

GUILLELMUS GILLINGHAMUS Monachus Cantuariensis circa annum 1390. scripsit *de Illustribus Viris Ordinis sui*, eorúmque etiam effigies tabulis pingendas curavit. Leland. cap. 82.

NICOLAUS HÖPNER Monachus Monasterii Ballenstadiani, nunc in arcem Principis Anhaltini commutati scripsit post annum 1485. Opus, cui titulus: *Corona Monachorum*. Leuckfeld Antiqq. Bursfeld. cap. 3. p. 60.

PETRI WAGNER ex Monacho Sanct - Udalricano Augustæ Vindel. Abbatis Wessofontani *Collectura Illustrium Virorum*. Hic est ille *Petrus*, cujus *Opus de Viris Illustribus O. S. B.* non distinctum à *Collectura* in Bibliotheca Pauliniana Lipsiæ adservari Bernardum Pezium docuit C. V. Jacobus Mascovius, cujus beneficio ac humanitate integrum titulum de Scriptoribus Benedictinis indidem depromptum accepit, uti ipse testatur Diss. Isag. in Thes. Anecd. pag. XXXIII. Teste autem Fabricio in Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XV. pag. 83. ita se habet titulus ille: *Fratris Petri cujusdam liber Abbati* (z) *inscriptus de Ordinibus Monachorum, & specialiter de Ordine S. Benedicti, & de illis, qui ex hoc Ordine Pontifices, Martyres, Patriarchæ, & Archiepiscopi, Cardinales, Legati, sive Apostolici Nuncii, Episcopi, clari Scriptores sunt facti; Item de Imperatoribus, Regibus, Ducibus, & Principibus, Comitibus, & Nobilibus, qui Benedictini sunt facti; item de Abbatibus hujus Ordinis & Monachis sanctis, & denique de Imperatricibus & Reginis, quæ Abbatissæ & Monachæ ex hoc Ordine fuerunt.* Plura de hoc libro videsis in Diario Lipsiensi, *Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt*, Parte XVI. pag. 238. Fabric. l. c. lib. 2. p. 547.

JOANNES GRIESHERR ejusdem celeberrimi San-Udalricani Monasterii Cœnobita *Petrum Wagnerum* continuavit. Ejus *Historia*, seu, ut ipse inscripsit, *Congestum Virorum illustrium* Ord. S. B. hactenus, quod sciatur, inedita, asservatur in volumine chartaceo in folio Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Præfatio incipit his verbis: *In hujus calamitosæ vitæ erroris nebulas, atque miseriarum animæ corporisque (heu) mille angores & capitis* autem primi titulus est hic: *De Ordinibus variis ante & post ac præter S. Benedicti Ordinem.* In fine demum totius Operis indicat ipse Auctor conditionem & ætatem suam his verbis: *Explicit Congestum Virorum illustrium Ordinis SS.mi Patris nostri Benedicti per Fratrem Joannem Griesherren Presbyterum & Conventualem Monasterii SS. Udalrici & Afræ in Augusta Vindel. ac Metropoli Suevorum sub Venerabili Abbate D. Joanne Schrott anno Domini* 1520. *vigilia SS. Petri & Pauli Apostolorum.* Pet. Lambec. Bibl. Vindobon. tom. 2. p. 933.

JOAN-

(z) *Joanni de Giltingen Abbati S. Udalrici* 1481. vid. Oudin. de S. E. Tom. III. pag. 2720.

JOANNES Monachus Castellensis apud Teisserium de Illustribus Viris Ord. S. Bened. traditur scripsisse, inquit Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 546. cui tamen non alius ab ipso Trithemio videtur. Sed fallitur, uti ex ipsius Trithemii Chronico Hirsaugiensi evincitur, ubi Tom. II. ad an. 1430. pag. 365. hæc leguntur: *Claruit his temporibus in Bavaria Joannes Monachus Ordinis nostri, cœnobii Castellensis, in Diœcesi Eichstattensi homo studiosus, doctus, & multæ lectionis, qui scripsit de Illustribus Viris Ordinis nostri Librum unum.*

JOANNIS TRITHEMII Abbatis Spanheimensis de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti Libri IV. Coloniæ an. 1575. in fol. & inter alia ejus Opera pia ac spiritualia *Moguntiæ* ex Typographæo Joannis Albini anno Domini MDCV. in fol. *Hermannus Conringius* nullos alios vult in censum admitti, nisi quorum Trithemius meminit; verùm insigniter errat: non enim, inquit *Mabillonius*, ita explicavit, aut complexus est omnia *Trithemius*, quasi aut nihil ab ipso prætermissum, aut nihil commissum fuerit. Suam profectò laudem meretur eruditissimus Vir. At quemadmodum qui novæ cujusdam disciplinæ rudimenta præscribunt, non adsequuntur omnia, sed in plerisque deficiunt, hallucinantúrque: ita & Trithemio accidit in erudienda Benedictini Ordinis antiquitate: multa siquidem aliis explicanda, illustranda, & supplenda reliquit. *Mabill. præfat. in Sec. II. O. S. B.* Cæterùm Trithemius primus fuit, qui privatum id genus indicem Virorum Illustrium Ordinis S. B. texuit, qui enim Majores nostri ante ipsum de priscis monachis egerunt, Benedictinos ab aliis nusquam discrevere, uti suprà dictum.

ANDREAS Bambergensis Abbas S. Michaëlis Trithemio synchronus insigne etiam condidit Opus de Viris Illustribus Ord. S. Benedicti, quod in loci chartulario adservatur integrum, luce publicâ dignum.

GREGORII CORTESII, Mutinensis, Abbatis primùm S. Petri de Perusio, deinde S. B. de Mantua, & S. R. E. Cardinalis *De Viris Illust. Ord. Monastici Lib. I.* sed dudum est, quod non extet; furto enim ex Bibliotheca S. Benedicti de Mantua sublatus fuit, in quâ viridi panno vel corio coopertus asservabatur. Arnold. Wion lib. 2. Lig. Vit. pag. 216. Jo. Bapt. Mar. in Plac. Diat. Supplem. annot. ad cap. XXXI.

FRANCISCI IBANNEZ, Hispani, è Congr. Montis Serrati brevis Virorum Illustrium Ordinis Benedictini Catalogus editus ad calcem Exercitatorii Vitæ Spiritualis *Garsiæ de Cisneros* Mantuæ Carpentanorum, sive Madriti, & Salmanticæ an. 1561. 1570. in 8. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 546. Nicolaus autem Antonius in Hisp. Nov. Bibliotheca breviter ab hoc Authore his verbis se expedivit: *Franciscus Ibannez scripsit Compendium Virorum Illustrium sui Ordinis* pag. 331.

RODULPHUS Mon. Clun. Vitam ac res præclarè gestas Petri Venerab. Abbatis Clun. scriptis consignavit, quam ex antiquo Codice Silviniacensi juris publici fecit Edmundus Marthene Collect. Ampl. tom. 6. col. 1187-1202.

SIMPLICIANI GODY è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi *Elogia Illustrium Virorum Ordinis nostri.* Paris. for. in minore. Etsi hæc Elogia mihi lecta non fuerint, de eorum præstantia tamen nullus dubito, cùm Auctor non virtute minùs, quàm eleganti scribendi genere excelluerit.

WOLFGANGUS TREFFLERUS Monachus S. Jacobi Moguntiæ Trithemio coævus scripsit ejusdem Apologiam, & de Viris Illustribus sui Monasterii librum unum. Ex literis Oliverii Legipont.

PLACIDI BUCCINELLI, Itali, ex Æstruriæ Oppido *Pescia* dicto, Abbatis Titularis Congr. Casin. *Urgo*, seu *Progressus Historicus*, sive Apparatus de Illustribus Abbatiæ Florentinæ Viris in XIII. capita compendiosè distributus, quorum in duodecimo agitur de Sacrophagis Abbatiæ Florentinæ anno 1645. Typis Joannis Petri Ramillati in 4. Hunc librum refert Author du Catalogue des principaux Historiens &c. impress. Parisiis anno 1712. Classe XI. pag. 44. Vid. Armell. l. c. pag. 155.

SEVERINUS BOCCIUS ab Asculo in Apulia, plurium in Congr. Casin. Monasteriorum Abbas scripsit

Elogia plurium Sanctorum, ac Virorum dignitate & doctrina illustrium, præcipue Summorum Pontificum n. XL. sub singulis eorundem imaginibus depictis Romæ in interioribus ædibus S. Callisti, nunc alibi collocatis, & Perusiæ in superioribus secundi claustri; quæ quidem Elogia à Georgio Rodul-

Rodulpho Ebmer Scriptore in Romana Curia Casin. Congregationis historicè explicata, typis tradita sunt in magno folio expanso sub hoc titulo „ Descrizione dell' ornamento della parte inferiore , che si osserva nell' Ospicio , e palazzo di S. Calisto in Trastevere , Ospizio , & habitazione de Monaci de S. Paolo. In Roma nella Stamperia di Paolo Moneta l'anno 1671. Ex Armell. l. c. part. 2. p. 175.

VINCENTII BARRALIS Chronologia Sanctorum , & aliorum Virorum Illustrium , & Abbatum Insulæ Lerinensis in 4. Lugd. an. 1613.

JODOCUS MEZLERUS Monasterii S. Galli Cœnobita & Sacrorum Canonum Doctor libros II. de Viris Illustribus Principalis Ascetcrii sui scripsit, quos Bernardus Pezius Tomo I. Thes. Anecdot. Part. III. pag. 557-626. inseruit. Tertius, quo veterum Sanct - Gallensium Patrum Hymni , Litaniæ , & Carmina continentur , huc non spectat , & ab Henrico Canisio Antiquarum Lectionum Tomo V. pridem editus fuit.

JOANNES EGONIUS Monasterii Augiæ Divitis Prior , vir juxtà modestus ac doctus scripsit librum eximium de Viris Illustribus Augiæ Divitis. Porrò Tractatum suum omnem in tres partes Egon dissecat , quarum prima tractat *de Viris sanctimonia , pietate , Cæterisque virtutum ornamentis insignibus.* Secunda agit *de Viris eruditione doctrinâque conspicuis , quorum Augia ferax satis & fœcunda fuit.* In tertia verò parte affert multos, *qui ob sua merita ad varios non tantùm Episcopatus , sed & Metropolitanas Sedes , & Abbatias sunt evecti.* Egonio de multis Viris illustribus litem movit Mezlerus , sed Pezius partes potiores priori attribuit, qui ejusdem etiam concinnum Opus Anecdot. Thes. Tomo I. Part. III. inseruit.

LAURENTII BENARD è Congreg. S. Mauri *L'Eloge Benedictin.* i. e. *Elogium Benedictinum* an. 1618. In hoc Opere, ut conjicio, Viros illustres Ordinis nostri encomiis mactat.

MARCI ANTONII SCIPIONIS, Itali, Placentini , è Congr. Casin. Professi in Monasterio S. Sixti Placentiæ

Elogia Virorum Illustrium Sacri Monasterii Casinensis à S. Placido Martyre , usque ad Constantinum Afrum, & Olibanum Comitem. Neapoli apud Octavium Beltramum an. 1630. annexo libro Elogiorum Abbatum Casinensium.

-- *Elogia in quinquaginta Heroas* è D. Benedicti Familia Clarissimos. Placentiæ anno 1636. in 4. ex officina Jo. Antonii Ardinozzi Impress. Cameralis, operâ Perillustris D. Lazari Chinelli Ecclesiæ Cathedralis Canonici.

-- *Elogia in centum Heroas* è D. Benedicti religiosa familia clarissimos ; eadem videlicet quinquaginta superiùs recensita , additis quinquaginta aliis, Placentiæ, & denuò Neapoli, ex officina Camilli Cavalli an. 1643. in 4. Iis in lucubrarionibus styli candor, eloquentiæ copia, sententiarum gravitas, elocutionis venustas , plurimùm, nec immeritò , commendantur. Armell. l. c. part. 2. pag. 91.

GABRIELIS BUCELLINI *Benedictus-Redivivus :* Hoc est: Benedictini Ordinis vetustissimi amplissimiq; , nostra ac supera ætate imarcescibilis vigor ac viror anniversaria vernantia chronologicè comprobatus ac demonstratus ab anno MD. ad præsentem usque ætatem & annos nostros, in quo manus Dexteræ Excelsi, necdum novissimis temporibus abbreviatæ, mirabiles usque in hodiernum diem operationes in effusione mirabili sui spiritus, ejusdémque gratiarum cùm in resuscitatione primævi fervoris, tum in promotione publicæ salutis, Ecclesiæ & diversorum Regnorum procurandis negotiis , literarum non minùs quàm virtutum studiis , Virorum Fœminarúmq; prodigiosis exemplis, quàm compendiosissimè exhibetur. fol. Veldkirchii apud Joan. Hübschlein an. 1679.

MARIÆ BLEMURIÆ *Eloge de plusieurs Personnes illustres en pieté de l'Ordre de S. Benoit* , i. e. Elogia complurium virtute illustrium hominum ex Ordine S. Benedicti , qui postremis hisce seculis floruerunt. 2. vol. in 4. Paris. 1686.

JOANNIS WEINKENS Prioris Seligenstadiensis *Egmhardus vindicatus & illustratus.* Francofurti an. 1714. fol.

R. P. WOLFGANGI N. Cœnobitæ Seonensis ad studia erudita nati Syntagma de Viris Illustribus Ord. S. B. in quo Bernardus Pezius non pauca sibi adhuc incognita deprehendisse scribit , quæ author cum ipso communicaturum spoponderit. Dissert. Isag. in Tom. I. Anecdot. pag. IX.

MAURI Abbatis Andecensis , doctrina juxtà ac pietate conspicui , an-

no

no autem 1655. ad meliora translati *Tractatus de Viris Religiosis in Monte Sancto Andechs à pietate & doctrinâ illustrioribus.* At hunc vel à flammis periisse, vel in alienas pervenisse manus meritò lugent Andecenses. Vid. Hist. Univers. Salisburg. l. 2. c. 3. pag. 219.

VEN. IRIMBERTI Seculo XII. Abbatis Admontensis *de Incendio Monasterii sui, ac de vita & moribus Virginum Sanctimonialium Parthenonis Admontensis Ord. S. Bened. Narratio* à Cl. Bernardo Pezio publici juris facta Tom. 8. pag. 453. Bibl. Asceticæ Antiquo-Novæ.

Vita *Venerab. P. Claudi Martin* è Congreg. S. Mauri è Gallico Germanicè reddita Lincii 1646. in 4.

§. IV.

Scriptores Historiæ Generalis Benedictinæ.

ARNOLDI WION *Lignum Vitæ, ornamentum, & decus Ecclesiæ, in duas partes, & quinque libros divisum,* in quibus totius sanctissimæ Religionis D. Benedicti initia, Viri dignitate, doctrina, sanctitate, ac Principatû clari describuntur, & fructus, qui per eos S. R. E. accesserunt, fusissimè explicantur. Venetiis 1595. in 4.to duo vol. & ex Germanica versione Caroli Stengelii Augustæ Vindel. 1607. *Livre peu exact & peu estimé, ainsi peu recherché des savans.* i. e. *Liber nec accuratè scriptus, nec magni habitus; quam per causam à viris doctis neglectui habetur.* Acrior justo censura, quam Cl. Langlet du Fresnoy à Burckardo Menckenio, ut plures alias mutuatus in suum Catalogum Historicorum inferre non dubitavit. Etsi enim Arnoldi quædam errata sint, ignoscendum tamen ei fuit, cùm primus extiterit, qui historiam oppidò difficilem, pro novo ac nondum id temporis trito argumento aggressus sit. Quis verò est, qui primam accendens facem omnes continuò dispellat tenebras, ac non ipse aliquando in tantâ rerum caligine cœcutiat. In pretio certè ejus labor & opus fuit magno Mabillonio, Annalium Benedictinorum parenti celeberrimo. Quod autem ab aliis eruditis etiam evolvatur, vel solus doctissimus *Jacobus le Long* Gallicanæ Oratorii Congregationis Presbyter, argumento esse potest, ut qui in novissima sua Bibliotheca Sacra Wionium quàm sæpissimè allegat, ejúsque niti authoritate nullatenus ambigit. Advertere debuisset doctus ille Criticus, quid de suo opere ipse Arnoldus fassus fuerit part. 1. lib. 1. cap. 97. pag. 129. „ Non ignoro „ tamen plures alios Viros sanctitate „ conspicuos, & doctrina venerabi- „ les fuisse, qui ad meam notitiam „ non pervenerunt, tum quòd Hi- „ storiis hujusmodi Ordinum desti- „ tutus fuerim, tum etiam quòd nec „ literis nec amicitia, quod justè & „ piè ab aliis optabam, extorquere „ potuerim &c. Sufficiat mihi incœ- „ pisse, aliísque viam aperuisse feli- „ ciùs perficiendi, quod à me, ut „ opinor, nec infeliciter tentatum „ est; *& supra eadem primâ parte circa finem Prologi,* sicubi tamen lapsus fuero (quis enim tam linceus, „ ut non aliquando cœcutiat? hu- „ manum enim est errare) præsertim „ in tanta sententiarum varietate & „ obscuritate, certiora edoctus, li- „ benter sententiam commutabo. „ Quid modestius & sincerius. Quæ sanè ingenua confessio, inquit Abbas Armellinus, & candida protestatio semel duntaxat lecta, à tam injuriosa in eundem Crisi Authorem præsertim Catalogi (quicunque demum ille sit) compescere debuisset; sicut enim nullus homo sine crimine, sic ferè nullus Author sine aliquo errore, præcipuè si emendationi tempus defuit.

Cæterùm ex mente ejusdem doctissimi Abbatis hoc opus Arnoldi corrigi & augeri valde posset accessione plurium, tum sanctitate tum scientia, ac dignitate celeberrimorum virorum, qui non solùm in veteribus Congregationibus, sed etiam in noviter reformatis seculo præcedenti XVII. in Hispania, Germania, Gallia, Lusitania, Polonia atque Italia floruerunt, hodieque florent. Ad explicationem autem supradictæ Arboris Monasticæ scripsit Italicè

Breve dichiarazione dell' Arbore Monastico Benedettino intitolato Legno della Vita cavata dai cinque libri dichiarativi di detto Arbore, composti per il R. P. D. Arnoldo Wion Fiamingo di Duaco Monaco di S. Benedetto di Mantova &c. i. e. *Brevis Elucidatio Arboris Monastico-Benedictinæ, cui titulus, Lignum Vitæ, deprompta ex quinque libris elucidatoriis prædictæ Arboris, Auctore R. P. D. Arnoldo Wion,* Bel-

Belga, Duaceno, Monacho S. Benedicti propè Mantuam, Venetiis an. 1594. *typis Georgii Angelerii in* 8.

ANTONIUS de YEPES, natus in oppido cognomine agri Toletani Benedictinus Monachus, suæque Hispanæ Congregationis Chronographus, multa industria, seduláque & laboriosa peregrinatione collegit, dextréque dispofuit Ordinis sui Historica omnia monumenta à principio ejus usque ad multam ætatem in generalis historiæ corpus, adjunctis in gratiam eorum, qui antiquitatem amant, quàm pluribus veteribus privilegiis, bullis, scripturísque aliis nondum editis, quorum nomine præter exactam ipsius historiæ formam valde laudatur. Titulus Operis: *Historia General de la Orden de S. Benito.* i.e. *Historia Generalis Ordinis S. Benedicti*, Centuriis septem, & totidem voluminibus, quorum primam & secundam edidit *Mathias Mares* in Monasterio *Irachiensi* 1609. in folio. Tertiam *Nicolaus de Assiayn* 1610. Pampelonæ. Quartam Pinciæ *Franciscus Fernandez* 1613. Quinta & sexta prodierunt annis 1615. & 1617. Septimam verò post Authoris obitum publici juris fecit *Hieronymus Martinez* Pincianæ S. Benedicti doctissimus Abbas, Pinciæ apud Franciscum Fernandez. Ita Nic. Ant. in Bibl. Hisp. Nov. pag. 103. Priores duos Tomos & Centurias eleganti Latinitate donavit Thomas Weissius Neresheimensis in Suevia Monachus, fol. Colon. 1652. & 1653. Domnus verò *Martinus Rethelius* è Congreg. sancti Vitoni Gallicè reddidit, multisque accessionibus subinde auxit. Cœptam etiam fuisse Germanicam versionem scribit Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag 542. Eminentiss. Cardinalis *Joannis Bona* de Chronico Yepesiano tam severa támque immoderata fuit censura, ut in Antverpiensi ejus Operum editione an. 1723. in fol. meritò castigata fuerit, non sine nota tamen adhuc Yepesii, quâ in multis corrigendus dicitur. Homo fuit Yepesius sicut Baronius & alii primæ classis Historici, quorum nullus sine errore scripsit.

GABRIELIS BUCELINI *Annales Benedictini, quibus potiora Monachorum ejusdem Ordinis merita ad compendium referuntur.* fol. Augustæ Vindel. typis Joannis Prætorii an. 1656. Misit Bucelinus Antonii Yepesii Chronicon Generale in compendium, illudque ad sua ferè tempora (an. 1631.) continuavit.

– Chronologiæ Benedictinæ Compendium. fol. Aug. Vind. 1679.

CONSTANTINI CAJETANI *Annales Benedictini*, quorum spem fecit in Commentario ad vitam Gelasii II. lucem nunquam viderunt, sed MS.ti tom. 2. asservantur Venetiis in percelebri D. Georgii M. Bibliotheca, teste Armellino Bibl. Casin. part. 1. p. 129.

LUDOVICI BULTEAU è Congregatione S. Mauri *Abregé de l' Histoire de saint Benoist*, id est: *Compendium Historiæ Ordinis S. Benedicti.* in 4. Parisiis apud J. B. Coignard 1684. Duo volumina in 4. quæ in Bibliotheca Historico - Critica Patris *Philippi le Cerf* magnoperè laudantur. Tertium, quod typis paratum reliquit, nondum vulgatum est.

GREGORII ARGAIZ, Hispani *La Solodad Laureada per San Benito y sus hijos en las Iglesias de España*, sive Annales Ordinis Benedictini Hispaniæ. Matriti typis Gregorii Rodriquez. vol. in fol. vid. Franckenau in Bibl. Hisp. Geneal - Heraldica N. CCCXXIX. pag. 166. ubi Authori eandem in Historia Benedictinâ, quam in Ecclesiastica attribuit fidem, id est, perexiguam; nec immeritò; uti enim Ixion pro Junone nubem, ita Argaizius pro veritate fabulas amplexus est. Non repeto hìc ea, quæ de Authoris simplici credulitate ex Cardinali de Aguirre libro I. Partis hujus II. adduxi.

HUGONIS MENARDI è Congreg. S. Mauri *De origine & incremento Ordinis S. Benedicti* libellus. Extat ad calcem Martyrologii Benedictini. Paris. an. 1629. in 8. pag. 829-874.

BENEDICTI HÆFTENI *Vinea Benedictina Reflorescens*: sive *De prima Ordinis S. P. Benedicti Reformatione.* Extat ad calcem Disquis. Monast. pag. 1081-1103.

HILARII BOLOGNA, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. *Il Sole, & il Monte delle Glorie del Gran Patriarca S. Benedetto, e degli huomini illustri di sua Religione; Panegirico dedicato alla Santità di Alessandro VII. in Venezia presso il Tomasini* 1656. *in* 4. estque opusculum non adeò parvæ molis, qualem Panegyris titulus videtur præseferre, continet enim paginas 200. illustrioribus Monastici Ordinis historiis adornatum. Armell. part. 1. p. 228.

PE-

PETRI ANTONII TORNAMIRA, Siculi, Panormitani, è Congr. Cas. *Patriarchatus Divi Benedicti.* fol. Palermi anno 1673. apud Carolum Adamum. Opus Italicè scriptum sub epigraphe *Il Patriarcato del S. Benedetto Abbate Legislatore de' Monaci, Riedificatore della Chiesa Romana* suspensum fuit, & in Indicem relatum, donec corrigeretur. Quod an factum fuerit, ignoramus; credere tamen ex eo proclive est, quòd Jo. Mabillonius in Catalogo selectiorum Operum ad Bibl. ex materiis ecclesiasticis comparandam (qui est ad calcem Tractatus de *Studiis Monasticis*) c. 22. *Patriarchatum D. Benedicti* Petri Antonii Tornamira pro Monastica Historia inter alia Opera enumeret. Armell. l. c. p. 125. & 126.

ANTONII MEGE è Congr. S. Mauri *Historia rerum magis memorabilium, quæ in Ordine D. Benedicti evenerunt.* Extat ad calcem vitæ S. Benedicti, quam Author luci publicæ dedit Parisiis in 4. an. 1690.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimensis, in suis Operibus cùm *Historicis*, tum *Piis* & *Spiritualibus*, non uno loco, Ordinis nostri nascentis, progredientis, deficientis, & reformati historiam persequitur. Sic Libro I. *de Viris Illustribus O. S. B.* agit de ejusdem institutione, profectu, ruina, & diversis reformationibus, præcipuè de ultima reformatione Bursfeldensi. Conscripsit etiam peculiare Opusculum, cui titulum indidit: *Liber Penthicus*, i. e. *Lugubris de Statu & Ruina Ordinis Monastici*; in quo postquàm *Capite primo* deploravit ruinam sui Ordinis, *Capite secundo* tractat de primitivo statu Benedictini Ordinis; *Capite tertio* de flebili ejusdem statu præsenti; *Capite quarto* agit contra eos, qui se ab Ordine transferunt, vel dudum etiam cum summi Pontificis facultate in Canonicos sæculares mutati transtulerunt. *Ex malis Monachis*, inquit Trithemius, *fiunt pejores Canonici*. Ejusdem *Oratio de ruina Ordinis S. Benedicti habita Erphordiæ* an. 1492. Præsertim legenda est hujus zelosissimi ac prudentissimi Viri Historia Monasterii Hirsaug. ubi id genus argumenta non jejunè pertractat, quæ ad generalem Historiæ Benedictinæ cognitionem pertinent. *Libellus Penthicus* recusus est Bambergæ an. 1739. in 8. ex consilio magni cujusdam Viri, ut scribit in Vita Trithemii Cl. P. Legipont. Recensio habetur in Florentinis Novalibus Rei Literariæ Num. 44. de dato 2. Novembris 1742. col. 698. sub Capite *ex Germania.*

JOANNIS MABILLONII *Annales Ordinis S. Benedicti Occidentalium Monachorum Patriarchæ, in quibus non modò res monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ historiæ non minima pars continetur. Quinque Tomi ab ortu S. Benedicti ad annum Christi MCXVI.* Prodiit Tomus I. Paris. fol. 1703. ab ortû S. Benedicti ad an. 700. Tomus II. ab an. 701. ad 849. tertius ab anno 850. ad 980. quartus ab an. 981. ad 1066. Hosce priores IV. Tomos cùm Mabillonius ipse in lucem emisisset, vitam cum calamo posuit. Igitur Superiorum jussu primùm *Theodericus Ruinart*, tum hoc etiam rebus humanis ac literatis exempto *Renatus Massuet* quintum Tomum ab an. 1067. ad 1116. quem Mabillonius paratum magna ex parte reliquerat, Ruinartus pluribus locupletatat, edendum curavit, variis in locis auxit, ac emendavit. Post quem cùm sexto, quem etiam Mabillonius imperfectum reliquerat, ad calcem perducendo, insudaret, eidem an. 1716. immortuus est. Igitur illum absolvit, ad annum 1157. perduxit, & variis additamentis ad Tomos præcedentes exornavit Edmundus Marthene Lut. Paris. sumptibus Jacobi Rollin 1739. Recensionem præstantissimi hujus Operis, Clementi XI. Pontifici Maximo, sapientissimo, doctissimo summoperè laudati dedit Theodericus Ruinartus in Vita Mabillonii pag. 185. seqq.

-- Ejusdem MABILLONII *Præfationes in Acta Sanctorum* Ord. S. B. conjunctim editæ *Tridenti* in maj. 4. an. 1724. apud *Johan. Bapt. Paronum.* sufficere possunt de rebus Benedictinis justos commentarios. Videlicet hic habent Monachi, ubi discant, quorumnam conatu ætatéq; Benedictina Religio plerasque Europæ ac longinquas regiones pervaserit: quo pacto sibi afferant Gregorium, Amandum, aliósque vel sanctitatis laude vel literarum gloria illustres Viros: qua de causa Abbates Episcopis diu obedientiam profiteri detrectaverint, quandóve Pontificalia ornamenta consecuti. Habent SS.mi P. B. obitum certo tempori probabiliter assignatum: Sanctæ Scholasticæ genus Instituti: Congregationum origines, & consuetudines: enumeratos Martyrologiorum scriptores: præcipua suorum studia, scholas, & inventa: Ordinis decora: ad obtrectationes re-

sponsa: habent præclaram ad virtutes hortationem, si traditum legerint, quantis contemptis molestiis eorum Majores Christi cultum amplificaverint, & ab erroribus ac contrariis ritibus liberaverint: quàm domesticæ disciplinæ languenti medicinam fecerint: quem sibi ciborum, potúsque modum præstiterint: quantâ vel Germani temperantia; quantò omnes solitudinis, corporis exercitationum, bonarum artium amore fuerint incensi: Atque hæc cùm Monastices splendorem augeant, tum præcipuè sectatorum provocant imitationem." *Peronur in præfat. ad præfationes Mabillonii.*

AUGUSTINI CALMET *Histoire generale de l'Ordre de S. Benoît; ce n'est pas seulement l'histoire de cet Ordre, mais il y entre un nombre infini de faits curieux, & interessant, avec fig. grand* 4. *vol.* 2. *sour presse.* Ita legitur in librorum venalium catalogo, quem D. Briffaut Bibliopola Viennæ in Austria an. 1736. vulgavit. Sed hæc à vero multùm remota; neque enim R.mus Abbas Historiam Generalem Benedictinam, sed Universalem Sacram & Profanam pluribus voluminibus in 4. elaboravit. Certius illud, ut ex literis Amici certior fio, quòd V. C. *Benedictus Toiebaut* antiquissimi Monasterii Luxoviensis in Burgundia Subprior hoc temporis, quo hæc scribo, novam Ordinis nostri moliatur historiam.

CAROLI STENGELII Mon. SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. *Corona Lucida in cœlo jam fulgens, olim in terris conserta ex illustribus, vita, doctrina, sanctitate, Monachis Ord. S. B. descripta, & in æ incisa, ætern. mem. gratia.* Aug. Vindel. an. 1621. in 8. In hoc Opere auctor agit *de Ordinis Benedictini propagatione*, quod in Capita XII. distribuit.

Cap. I. De S. P. N. Benedicto, ejusdémque Ordinis fundatione. *Cap. II.* De perfectione ac eminentia Regulæ & Religionis Benedictinæ. *Cap. III.* De S. Placido Protomartyre, & Ordinis per Siciliam & Italiam propagatione. *Cap. IV.* De S. Mauro Abbate, & Benedictinorum Monasteriorum per Galliam multiplicatione. *Cap. V.* De Instituto Benedictino, ab Hispanis recepto, & S. Æmiliano, Abbate Hispaniarum Patrono. *Cap. VI.* De primis initiis, progressu, & admiranda Benedictini Instituti propagatione in Magna Germania. *Cap. VII.* Religionem S. Benedicti in Anglia mirificè propagatas fuisse per discipulos S. Gregorii Magni Papæ. *Cap. VIII.* Qua ratione Regula S. Benedicti in Britanniam, Scotiam, Burgundiam, & vicinas regiones sit illata. Item de S. Columbano, ejúsque discipulis. *Cap. IX.* De Alemannia, Alsatia, & Bojoaria, & magno Religionis promotore S. Pirminio Episcopo. *Cap. X.* De S. Odone Abbate Cluniacensi, ejúsque reformatione, ac Ordinis in Asia, Ægypti partibus, usque Constantinopolim & Hierosolymam propagatione. *Cap. XI.* Etiam in Hungaria Benedictinos floruisse, & de quibusdam sanctitate claris viris. *Cap. XII.* Ordinis S. Benedicti in Bohemia propagatio.

Circa finem postremi hujus Capitis Lectorem monet: „ De Cœnobiis „ Sueciæ, Daniæ, & partium Aqui„ lonarium, legantur Albertus Krant„ zius in suis Suecia, Dania, Van„ dalia, & Norwegia; & Joannes „ Magnus Gothus Episcopus Upsa„ lensis in Libro de Gestis Gothorum: „ Helmoldus Presbyter in Chronico „ Slavorum, Arnoldus Abbas ejus „ continuator, & alii nonnulli re„ rum Aquilonarium Scriptores.

Quomodo Benedictini primi omnium in Occidentales Indias, regnum nempe Peruanum, sive Americam penetrârint, & *Buellus* primus Indiarum Archiepiscopus & Patriarcha, ac Vicarius Summi Pontificis creatus sit A. C. MCDXCIII. in sequentibus libellis, Deo dante, explicabitur.

Interea legi potest primæ hujus Americanæ *Missionis* historia, quam *Caspar Plautius*, Abbas Seittenstadiensis in Austria sub nomine, *Honorii Philoponi* typis vulgavit in fol. an. 1621. hoc titulo: *Nova Typis transacta Navigatio Novi Orbis Indiæ Occidentalis Admodum Reverend. PP. ac FF. Reverendissimi ac Illustrissimi DD. Buellii Cataloni, Abbatis Montis Serrati, & in universam Americam, sive Novum Orbem, Sacræ Sedis Apostolicæ Romanæ à Latere Legati, Vicarii, ac Patriarchæ: Sociorúmque Monachorum ex Ord. S. P. N. Benedicti ad supradicti Novi Mundi barbaras gentes Christi S. Evangelium prædicandi gratia delegatorum damissione per S. DD. Papam Alexandrum VI. anno Christi* 1492.

FELICIS EGGER, Helveti, Rolacensis, in Domo S. Petri, Imperiali Monasterio, Constantiæ ad Rhenum Pro-

Professi, SS. Theologiæ Doctoris, & ejusdem quondam Professoris &c.

Prodromus Ideæ Ordinis Hierarchico-Benedictini in charta extensa.

Eadem Idea fusiùs digesta, Libri tres in 8. Quorum *primus* exhibet Principatum, Clericatum, Scientiam, Actionem, & Antiquitatem Ordinis S. P. Benedicti. Constantiæ typis Leonardi Parcus an. 1715.

Altero exhibetur Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini, sive brevis Delineatio exhibens Principatum, Clericatum, Scientiam, & Actionem Ord. S. P. B. Dissertationibus Historicis, Symbolis, & Elogiis illustrata. Campidonæ per Joan. Mayr anno 1717.

Tertius exhibet Triplicem Actionem, seu Pietatem ejusdem Ordinis erga SS. Eucharistiam, Virginem Immaculatam, ut & animas Defunctorum. Opus Posthumum. Constantiæ apud eundem an. 1721.

GABRIELIS BUCELINI Aquila Imperii Benedictina, cujus ordinatissima pennarum serie Monachorum Ord. S. P. N. Benedicti de Imperio Universo amplissima & immortalia merita, obiter ac distinctè & graphicè adumbrata. Venetiis an. 1651. apud Juntas & Hertz in 4. Hoc Opus non est ad palatum eruditorum in Gallia; quorum acrem censuram silentio prætermitto.

SIMPLICII, Monachi S. Sulpitii Bituricensis, De senio & inclinatione Ordinis S. B. in Galliis, & ipsius speranda in integrum restitutione, Dialogorum libri tres, ad universos Galliarum Benedictinos *en douze*, Gratianopoli an. 1627.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Conspectus Historiæ Reformationum Ordinis S. Benedicti* seqq. Capp. comprehensus.

I. Regulæ Benedictinæ totius Summa.

II. Ejusdem stricta Observantia per priora tria Ordinis Secula.

III. Remissio Disciplinæ Monasticæ.

IV. Causæ collapsæ Disciplinæ.

V. Remedia ad Disciplinam instaurandam adhibita.

VI. Prima Reformatio (Sec. IX.) auctore S. Benedicto Abbate Anianensi in Gallia.

VII. Altera Cluniacensis Seculo X.

VIII. Causæ, ob quas apud Cluniacenses disciplina remitti cœpit.

IX. S. Wilhelmus ex Monacho San-Emmeramensi Abbas Hirsaugiensis, disciplinæ in multis Germaniæ Monasteriis collapsæ instaurator.

X. Magna in toto ferè Ordine Disciplinæ relaxatio Seculis XIII. & XIV.

XI. Benedicti XII. P. M. Bulla pro Reformatione Nigrorum Monachorum Ord. S. B.

XII. Reformatio S. Justinæ, hodie Casinensis, in Italia Seculo XV.

XIII. Reformatio Castellensis, Mellicensis, & Bursfeldensis eodem Seculo.

XIV. Reformatio in Lotharingia primùm, tum in Gallia; unde duæ celeberrimæ Congregationes, altera SS. Vitoni & Hidulphi, altera S. Mauri.

XV. Reformatio in Hispania; unde Congregatio Vallisoletana.

XVI. Reformatio Cluniacensis altera sub Ludovico à Lotharingia cœpta.

XVII. Reformatio quorundam in specie Monasteriorum, v. g. Casinensis in Italia, S. Dionysii in Francia, Lœtiensis in Belgio, Fuldensis, San-Gallensis, Corbeiæ Novæ &c. in Germania.

XVIII. An his temporibus opus sit in quibusdam Monasteriis vel Congregationibus disciplinæ regularis instauratione? Prætextus relaxationis revincuntur.

XIX. Summa difficultas in reformandis Monasteriis, Congregationibus & Ordinibus.

XX. Exempla eorum, qui quòd Reformationi repugnaverint, à Deo fuerunt puniti, nec immeritò, cùm Monachorum laxior vita multùm noceat profectui Christianorum.

Hunc Conspectum Auctor dedit, sed quando Opus ipsum daturus est? Ingravescente ætate, & aliis bene multis, quæ manu premit, ad fastigium perducendis, conscriptionem hujus Historiæ polliceri non audet. Curæ tamen ipsi erit, ut alius Ordinis Sodalis, non inidoneus ad eam conscribendam animum appellat.

-- EJUSDEM *Notitiæ Historicæ de Instituto Sanctimonialium sub Regula S. P. Benedicti militantium.*

Has Notitias Auctor sex Libris comprehendit. Primò agit de Sanctimonialibus in Italia, in qua earum Institutum, Duce & Magistra S. Scholastica, cœpit. Secundo transit in Angliam, tertio in Germaniam, quarto

in Belgium & Helvetiam, quinto in Galliam, sexto in Hispaniam, septimo in Bohemiam, Poloniam, & Livoniam. Notata, & Collectanea non pauca Auctor congessit, sed quando ei aliis lucubrandis occupato ad Opus perficiendum manum adjungere licebit? Hinc de Scriptore idoneo circumspicit, quîcum sua Adversaria communicet. Certè ad cujusdam Abbatiæ, cui Parthenon subjacet, Superiorem eâ causâ literas dedit; sed à quo responsum tulit, Sanctimonialium Benedictinarum historiam satis pertractatam haberi in P. Ranbeck *Calendario Benedictino*; quod vir bonus me nescire putavit. At verò nec ipse Ranbeckius hoc crediderit. Papæ! Historia Sanctimonialium Ord. S.B: satis pertractata est in Calendario Benedictino. Parùm abest, quin non exclamem: *Quantum est in rebus inane!*

STANISLAUS SCZYGIELSKI in Aquila Polono-Benedictina Ordinis Benedictini per diversa Regna propagationem repræsentat pag. 1 - 25. ad calcem, ut in unius quasi aspectu tabulæ, universa de Orbe Catholico merita Ordinis nostri proponat Author, isto duodenario numero ea comprehendit: nimirum, quòd Sacratissima Religio Nostra fuerit

I.) *In universalis Ecclesiæ regimine admirabilis.*

II.) *In particularium Ecclesiarum & Diœcesium gubernatione sollicita.*

III.) *In gentilium conversione infatigabilis.*

IV.) *In Hæresum oppugnatione & extirpatione invicta.*

V.) *In Schismaticorum ad Ecclesiam reductione pacifica.*

VI.) *In Scholarum & Academiarum erectione utilis.*

VII.) *In Sacræ Scripturæ interpretatione assidua.*

VIII.) *In Juris Canonici collectione fidelis.*

IX.) *In Historiarum & veterum monumentorum conservatione incorrupta.*

X.) *In Deiparæ Virginis cultûs propagatione pia.*

XI.) *In Ceremoniarum ac Rituum SS. Missæ, Sacrificii, & Divini Officii, ac Festorum institutione devota.*

XII.) *In utilium rerum adinventione, ac disciplinarum illustratione ingeniosa.*

§. V.

Scriptores de variis Sacri Ordinis Congregationibus.

Circa decimum Christi Seculum laxata in quibusdam provinciis & locis Disciplina Monastica, magnos mox, submittente Numine, instauratores Ordo suscepit. Horum primus Oddo, Auctor Cluniacensis Congregationis, quam bis mille monasteria non ita diu post ortum complexa fuerunt: cui Majolus, Hugo, Odilo, Petrus Mauritius, Abbates, Orbis lumina, & Ordinis columina, succollârunt.

MARTINUS MARRIER, Monasterii S. Martini de Campis Parisiensibus Monachus, omnia, quæ ad Ordinem seu Congregationem Cluniacensem spectant, ex Mss. Codicibus primùm collegit *Andreas* autem *Quercetanus* Turonensis in ordinem dispofuit, notis illustravit, ac sub nomine Chronici, seu *Bibliothecæ Cluniacensis* edidit in folio, Parisiis anno 1614. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. In Novis Literariis Lipsiensibus anni 1718. kal. Jan. pag. 2. *Prospectus novæ editionis Bibliothecæ Cluniacensis* comparuit; ipsum verò Opus, *Bibliotheca Cluniacensis*, hucusque literato Orbi intuendam se non præbuit. Prospectus magno elaboratus judicio, à nobis Libro I. Partis hujus II. exhibitus fuit.

JOANNIS MABILLONII Dissertatio de Cluniacensium Congregatione, ritibus, habitu, & propagatione, extat Præfatione II. in Sec. IV. Ord. S. Bened. §. IV.

JACOBUS CAVACIUS celebri suæ historiæ Cœnobii D. Justinæ Patavinæ originem Congregationis Casinensis opportunè intexuit.

HIERONYMI à POTENTIA, quæ est Lucaniæ Urbs, in Cœnobio S. Justinæ Patavinæ Monasticis Sacris initiati an. 1561. *Historia Monastica Italicè scripta de Origine & fundatione Monasteriorum Congr. Casin. tom. IV. in fol.* asservatur MS. in Bibl. S. Justinæ, & Venetiis in Bibl. S. Georgii M. sign. n. 237. Armell. part. 1. p. 219.

JOVITÆ à CASTIONO è Congr. Casin. *Historia Institutionis Congregationis S. Justinæ, ejúsque progressus &c.* Extat Venetiis mſ. in Bibliotheca S. Georgii Maj. Tom. I. in 4. sign. n. 326. ubi illam an. 1718. se vidisse testatur Armellinus l. c. part. 2. p. 48.

LUDO-

LUDOVICI BARBI, Episcopi Tarvis. Ord. S. B. Liber de initio & progressu Congr. S. Justinæ de Padua, nunc Casinensis, quem in publicum protraxit Bernardus Pezius Thes. Noviss. Anecdot. Tom. II.

JOANNES TRITHEMIUS de Congregatione Bursfeldensi Ord. S. Ben. ejus laudibus, defensione contra ejus calumniatores, Capitulis Generalibus variis in locis celebratis legi potest in *Opp. Piis & Spiritualibus* Moguntiæ anno 1605. excusis. Item in Annalibus Hirsaugiensibus. Confer etiam ROMANUM HAY in *Astro inextincto* Quæstione VI. ubi enumerat multa monasteria in Congregationem Bursfeldensem recepta. Affert etiam Bullam Pii II. quam eo fine emisit, ut totus Ordo S. Benedicti per Germaniam sub unam Congregationem redigeretur.

ANONYMI BENEDICTINI Sec XVII. Historia Mf.ta de Congregatione Bursfeldensi, quam sibi Joannes Georgius Leuckfeldius in concinnandis *Antiquitatibus Bursfeldensibus* magno usui fuisse profitetur, vocans rarum & Acatholicis parùm cognitum Scriptum.

CLEMENTIS REYNERI *Apostolatus Benedictinorum in Anglia*, five Disceptatio Historica de antiquitate Ordinis, Congregationísque Monachorum Nigrorum S. B. in Regno Angliæ: ejúsque unione post tempora Henrici VIII. cum Congregatione Hispanica & Casinensi. Duaci ex Officina Laurentii Kellami an. 1626. Opus præclarum, illustre, ac solidæ eruditionis, non Mabillonio tantùm, sed Cottono, Cambdeno, Spelmanno, Seldeno, aliísque Anglis Acatholicis Scriptoribus laudatum.

STANISLAUS SCZYGELSKY, Præpositi Tuchoviensis, *Aquila Polono-Benedictina*, in qua Beatorum & Illustrium Virorum Elogia, Cœnobiorum, ac rerum memorabilium synopsis, exordia quoque, & progressus Ordinis D. P. Benedicti per Poloniam, & ejus sceptris subjectas provincias breviter describuntur in 4. Cracoviæ ex Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsari an. 1663. Auctor in suo Opere agit etiam de Unione Monasteriorum *Tynecensis, Sanctæ Crucis, Sieciechoviensis, Molignensis, Lubinensis, Plocensis*, quæ Abbatialia sunt, & suorum respectu particularium Generalia, sive Capita, in quibus Novitiatus habentur, superiore seculo in Congregationem coiverunt. Notitiam etiam tradit de Monialium Ord. S. B. Monasteriis in Polonia. Præterea aliam suppeditat notitiam de Ordinibus, sive Congregationibus tam *Monasticis Claustralibus*, quàm *Militaribus Equestribus* sub Ordine S. P. Benedicti, & ejus Regula militantibus. pag 254- 340.

ALEXII UGONII, Abbatis S. Petri Savilianensis in Pedemontio Liber *De Dignitate atque præstantia Reipublicæ Casinensis*, in quo Congregationis Casinensis statum, leges, mores, onera, comodáque luculenter exponit. Quo loco, & anno typis excusus fuerit, *Armellinus* in Bibl. Casin. part. 1. p. 6. non prodit, sed tantùm meminit, eum librum iterùm imprimi Lugduni Batavorum à Petro Van der Aa. Tomo IX. Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ &c. quod etiam factum est.

Vocatio Religiosarum primitivæ Regulæ S. Benedicti fundatarum à Reverenda Matre Antonia Aurelianensi de S. Scholastica &c. Parisiis an. 162. In hoc libello, incertum mihi, cujus authoris operâ conscripto, cum approbatione tamen Doctorum edito texitur historia novæ Congregationis B. Mariæ de Monte Calvariæ & S. Scholasticæ, quam Vener. Mater Antonia ex illustri Longevilliorum & Borboniorum stirpe fundavit.

PETRUS ANTONIUS TORNAMIRA, Siculus, Panormitanus, Monasterii S. Martini de Scalis Alceta *De Origine & Progressu Congr. Casin.* Italicè scripsit tomos II unico tamen volumine comprehensos edidit Panormi apud Petrum de Insula anno 1676. in 4.

-- EJUSDEM Historia de Origine & Progressu Monachorum Oblatorum S. P. Benedicti, Italicè apud Jacobum Buga, & Petrum Camagna in 4. anno 1646.

-- EJUSDEM Historia de Ortu & Progressu Monialium Oblatarum S.P. B. Italicè Panormi per Anton. Bisagno an. 1664. in 4.

LEO à S. THOMA, Lusitanus, Conimbricensis, Monasterii Tibianensis quarto lapide ab urbe Brachara extructi (sanctum Martinum de Tibaens vocant) semel atque iterùm Abbas, penes quem totius Congregationis Lusitanæ residet Præfectura; Conimbricæ Vespertinam, uti Scholasticus mos appellat, Theologiæ cathedram eo tempore moderabatur, cùm *Benedictinum Chronicon* Lusitanè à se conscriptum edere incœpit, hoc titulo: *Bene-*

Benedictina Lusitania, id est: *Historia Congregationis Benedictino - Lusitanæ*. Cujus Historiæ primus tomus prodiit Conimbricæ ex Officina Didaci Gomez Loureiro 1644. in fol. secundus autem post aliqoot annos 1650. Vide Nic. Ant. Bibl. Nov. Hisp.

DOMINICI TSHUDI, Abbatis Murensis, in Helvetia ab an. 1644. usque ad an. 1654. *Acta Congregationis Helveto - Benedictinæ*, cujus R.mo Præsidi ante Abbatiale munus à secretis erat, de anno ad annum sub uno volumine compilata. Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. v. p. 1043.

IDea faCræ CongregatIonIs heLVeto - beneDICtInæ anno ILLIVs IVbILæo feCVLarI eXpreffa, & orbI eXpofIta, à Musis Sanctgallensibus. Typis ejusdem Principalis Monasterii S. Galli per Jacobum Müller an. 1702.

ANSELMUS SCHRAMB in Chronico Mellicensi exponit fata Congregationis Mellicensis; Cl. verò *Hieronymus Pezius* ejusdem Congregationis historiam, ni fallor, dedita opera conscripsit, nondum tamen, quod sciam, typis vulgatam. Vid. Bernard. Pezii Epist. Apol. pro Ord. S. B. p. 19.

BERNARDI PEZII Dissertatio Historica de ortu & progressu celeberrimæ Congregationis sancti Mauri in Francia. Extat ante ejusdem Bibliothecam Benedictino - Maurianam.

ERASMUS GATTOLA in Hist. Casin. pag. 786. tractat de Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi ope Casinensium fundata. De Congregationis Anglicanæ post tempora Henrici VIII. cum Congregatione Hispanica & Casinensi unione. De Congregatione S. Placidi in Belgio, S. Mauri in Gallia, & de Congregatione strictioris Observantiæ Cluniacensis, præcipuè verò de Monasterii Cassinensis unione cum Congregatione S. Justinæ. De Congregatione Benedictino - Polonica à Clemente XI. erecta.

CAROLI MEICHELBECK Benedicto - Burani Historia Congregationis Benedicto - Bavaricæ sub nomine SS. Angelorum Custodum, jam anno 17 8. mens. Jan. pag. 7. in Doctis Novellis Lipsiensium annuntiatæ, nondùm lucem publicam vidit. Legi interea poterit libellus, cui titulus, *Sanctissimi D. N. Innocentii Divina Providentia Papæ XI. Erectio & Institutio Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub Invocatione SS. Angelorum Custodum.* Juxta exemplar in Typographia Rev. Cam. Ap. Romæ impressum, an. 1686. in 4.

MICHAEL FELIBIEN è Congreg. S. Mauri in Historia Regalis Monasterii S. Dionysii in Francia, Libro VIII. agit de Congregatione *San-Dionysiana*, sic appellata, quia Monasterium S. Dionysii erat caput aliorum novem Cœnobiorum, quæ eam in societatem erant ingressa. Congregatio hæc à Paulo V. anno 1614. fuit confirmata, sed paucis post annis iterum extincta, cùm nimirùm Reformatio Congregationis S. Mauri in Monasterium S. Dionysii anno 1633. fuit introducta, cujus historiam idem Felibien persequitur pagina 449.

De Congregatione Benedicti Casalis legendus est Jacobus Bouillart in Historia Monasterii S. Germani à Pratis pag. 178. & 226.

ANONYMI Synopsis Historica de Ortu & Progressu Congreg. Benedictinæ in Suevia ab A. C. 1416. usque ad an. 1679. inclusivè deducta, asservatur MC.ta in Bibliotheca Augiæ Majoris Brigantinæ.

Congregationis Bursfeldensis pleniorem Historiam unà cum Bullis & Diplomatibus, ex ipsius Congregationis monumentis summo labore, parique fide congestam habet amicus Musis nostris Collega *R. P. Oliverius Legipont*; qui etiam Dissertatione Isagogica ad Bullarium hujus Congregationis de origine, progressu, & fructu Reformationum & Capitulorum in Ordine Benedictino fusiùs egit.

§. VI.

Chronographi Monasteriorum.

ABENDONIENSE Monasterium in Anglia. Historia à prima ejus fundatione ad an. Dom. MCXXXI. ex additamentis Chronici Florentii Wigorniensis, authore Monacho Abendoniensi, extat apud Wharton tom. 1. Angl. Sac. pag. 163 - 169. In Bibliotheca Cottoniana asservantur quædam hujus monasterii miscellanea sub effigie *Julius* A. IX. 7. Abbatiæ Abbendunensis Historia continens chartas Regum Saxonum & Anglorum Cadwalla ad Richardum I. de prædiis, privilegiis, aliisque, Gesta Abbatum, Statuta, & Consuetudines, quibus utuntur in isto monasterio regendo. Præfigitur historia de conversione Regis Lucii ad fidem Christianam, & de

de adventû Saxonum in Britanniam, asservatur in Bibl. Cotton. uti in ejus Catalogo fidem facit Thomas Smithus pag. 39. col. 2.

ADMONTENSE Monasterium in Stiria. Chronicon ab an.I. Æræ Christianæ ad MCCL. ab anonymo vel Abbate vel Cœnobita loci ejusdem anno MCCV. conditum, ac postea ab aliis Admontensibus contemporaneis ad calcem usque perductum, ab Hier. Pezio in lucem emissum ex codice autographo Bibliothecæ Admontensis Tom. II. Script. Rer. Austriac. pag. 151 -- 199.

AFFLIGENIENSE Monasterium in Brabantia. *Odo Cambier* Gerardimontanus, ubi in celebri Benedictini Ordinis schola aliquando Rhetoricam docuit; vir ingenio eleganti, eruditione rara, judicio acri, piúsque ac sedulus in functionibus suæ vocationis asceta, in flore autem ætatis rebus humanis ereptus scripsit Chronicon *Affligeniense*, celeberrimi in Brabantia monasterii, quod teste Ant. Sandero in Chronograph. Sac. Brab. tom. 1. pag. 49. amplum & accuratum in schedis reliquit; typis, quod sciam, nondum exscriptum. Obiit Cambierius an. 1651. In Lucæ Dacherii Spicilegii Tom. X. vet. edit. & Tom. II. edit. novæ extat alia *Historia Affligemensis* unà cum continuatione. In Chronico autem, quod Aub. Miræus Antverp. an. 1608. edidit, habetur à pag. 208 --- 219. *Auctarium Affligemense*. Vid. Cornelii *van Gestel* Histor. Archiep. Mechlin. tom. 2. p. 176.

S. ALBANI Monasterium in Anglia, de cujus Historia habemus ferè sequentia:

Registrum Chartarum Monasterii de terris & prædiis, eorundémque donationibus & confirmationibus &c. in Bibl. Cott. sub effigie *Julii* Lit. D. Cod. III. N. 1.

-- Excerpta de Gestis Abbatum Ecclesiæ sancti Albani. ibid. Cod. vii. num. 20.

-- Gesta Abbatum Monasterii S. Albani à Willegoto ad Thomam de la Marre. In hujus Abbatis ultimi gestis adduntur

-- 1. *Constitutiones* D. Thomæ Abbatis editæ in Capitulo Generali in festo S. Michaëlis A D. 1351.

-- 2. Processus malefactorum & rebellionis tenentium & villanorum Monasterii S. Albani (tempore insurrectionis communitatis contra R. Richardum II.) contra Abbatem & Monachos, Mathæo Parisio, & Thoma Walsinghamo Auctoribus. Smith in Catal. Bibl. Cotton. p. 45.

ALDENBURGENSE in Flandria Monasterium, quod an. 1084. ab Arnulpho Episcopo Suessionensi conditum est. Hodie Abbas cum Monachis in urbe Bruga degit, cùm Aldenburgensis Abbatia superiore seculo ab Hollandis devastata fuerit. *Georgius Cabellian*, Monachus Aldenburgensis, Historiam Urbis, Monasterii, & Abbatum Aldenburgensium contexuit, nunquam typis datam. Vid. Sanderus tom. 1. Bibl. MS.torum Flandriæ, & Johan. Baptist. Gramaye in Antiquitatibus Flandriæ de Bruga P. 1. C. 10. p. mihi 89. 90. edit. an. 1708.

ALTAHA Inferior Bavariæ Monasterium. *Placidus Haiden* Cœnobii sui Chronicon scripsit, in quo non tantùm series Abbatum cum eorum præclarè gestis, sed extantia etiam fundationis Acta, Prærogativæ, Jura, & Privilegia afferuntur, præter res memoratu dignas, quæ annis abhinc mille & pluribus exactis contigerunt. Germanicè. Ratisbonæ, sumptibus Peez & Bader anno 1732. in 4.

Author est Arnoldus Wion, & ex eo Possevinus Appar Sac. Tom. V. *Georgium* Abbatem Altaichensem in Bavaria scripsisse Monasterii sui Acta, quæ MS.ta asservantur. Neuter tamen eorum meminit, cujus Altahæ, Superioris, an Inferioris Abbas fuerit *Georgius*. In Bibliotheca Lunælacensi asservatur Hermanni Abb. Compilatio de Institutione Monasterii Altach. Inf. ex vita S. Godehardi Chronicis & Privilegiis excerpta. Vide Catal. Bibl. p. 390.

ALTIMONTENSE apud Hannones Monasterium, cujus Prior erat *Philippus Fromont*, anno 1635. extinctus. Collegerat is Annales hujus Abbatiæ, hactenus ineditos, cum Gestis Abbatum, teste Foppenio in Bibl. Belg. pag. 1032.

AMELUNXBORNENSE in Saxonia Monasterium, cujus Chronicon *Ulricus Mantwin*, Monachus Bursfeldensis scripsit c. an. 1404. uti Viselbeccius fidem facit in Chronico Huxariensi p. 117. in Syntagmate Paullini.

AMORBACENSE in Francia Orientali Monasterium antiquissimum, habuit paucis ante añis præclarum Chronographum, *Ignatium Groppium*, Herbipoli ad S. Stephanum Cœnobitan,

tam, qui ejusdem Historiam typis mandavit Francofurti in Officina Weidmanniana, fol. an. 1736.

ANDAGINENSE S. Huberti in Belgio Monasterium. Ejus Historia ab anonymo Monacho, sed diligente & accurato scripta, ab Edmundo verò Martene edita fuit Collect. ampliss. tom. IV. pag. 914.

ANDECENSE Bavariæ superioris Monasterium in Diœcesi Augustana habet Chronicon Germanicè scriptum, authore Monacho ejusdem loci, typis verò excusum in 4. Monachii per Nicol. Henricum an. 1625. Alia descriptio patrio etiam sermone sancti Montis Andecensis an. 1715. in 4. excusa est Monachii.

ANDEGAVENSE S. Albini Monasterium. MS.tum illius historia per Dominum Robertum Hardi è Congr. S. Mauri in fol. asservatur in hujus Abbatiæ Bibliotheca.

ANDEGAVENSE S. Nicolai Monasterium. Fundationis Breviculum & Seriem Abbatum in lucem dedit Laurentius le Pilletier, Monachus hujusce monasterii, Andegavi apud Henault an. 1616.

ANDRENSE Monasterium. Chronicon Guilielmus hujus loci Abbas lucubravit, quod exhibet Dacherius Tomo IX. Spicilegii. Incipit ab anno 1082. & desinit in anno 1234. Raphaël de Beauchamp, Monachus Marcianensis Cœnobii, partem hujus Chronici subjecit ad calcem suæ Synopseos Historiæ Franco-Merovingicæ, quam edidit Duaci an. 1633. in 4. 2. volum.

ANIANENSE in Gallia Monasterium. Ejus MS. Annales ab anno 670. ad an. 821. in folio, fuerunt penes Baluzium.

ARETINUM Monasterium SS. Floræ & Lucillæ in Italia. Chronicon, seu Annales elaboravit Hieronymus Alliotus loci Abbas anno 1480. vita functus. Opus msc.tum, fors etiam deperditum. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 201. l. c. p. 190. & part. 2. p. 17. aliud commemorat Chronicon, quod postea Gregorius Ricciardettus, ejusdem monasterii alumnus, ac totius postea Congr. Casin. Præses prosequutus est.

ARGONENSE in Italia Monasterium. *Joannes Novatus*, patria Bergomensis, nobili familia ortus, in Cœnobio S. Pauli de Argono propè Bergomum monasticam professionem emisit anno 1672. die 13. Novemb. cujus postea Monasterii extitit Prior ao. 1725. an. verò sequenti 1726. Abbas Pontidæ in eodem agro Bergomensi creatus est. Vir egregius & eruditus, invicto & diuturno labore Chronicon Monasterii sui à prima ejusdem erectione ad hæc usque tempora magnâ diligentia ac eleganti sermone, Latinâ lingua perduxit, cui talem præfixit titulum:

Rerum Monasterii S. Pauli de Argon Ord. S. B. Congreg. Casin. Diœces. Bergom. Notitiæ, quæ plures haberi potuerunt, in tres libros distributæ.

In primo, de origine Monachatûs, déque ejus in Occidentem migratione, ac per SS. nostrum Patriarcham instauratione & per Italiam diffusione agitur: Monasterium verò S. Pauli de Argono à mille & ampliùs annis ante hæc nostra tempora extitisse, multis ac pereruditè probatur, ditissimum illud, & penitus immune, Sedi Apostolicæ duntaxat subjectum. Intermiscentur eorundem seculorum [X. & XI.] historiæ, mores, doctrina, aliáque valde curiosa, maximè verò, quæ ad Argonense Monasterium pertinere quomodocunq; possunt, qualis est transitus ejusdem à Cluniacensibus ad Casinensem Congregationem. In secundo libro *Series Abbatum* texitur, eorúmque gesta, domi forísque narrantur, ab anno 1496. usque ad an. 1627. præcipuè multiplices ædificationes tam Cœnobii, quod veteri demolito, ex integro excitatum est, quàm rusticarum casarum, insigni utique Cœnobii ipsius & agri Bergomensis utilitate. Lites deinde, negotiorum tractationes, infortunia, prosperitates ejusdem Monasterii, obiter verò Bergomensis, aliarúmque Civitatum describuntur. In tertio demum Institutio propriorum Alumnorum (Professos Itali Benedictini vocant) exponitur, quæ an. 1628. contigit; priùs enim Cœnobium illud eis caruerat, sed indiscriminatim à monachis aliorum Congr. Cas. Monasteriorum incolebatur & regebatur. Difficultates, & opposita, quæ eam ob causam superare opórtuit, explicantur. Continuatur series Abbatum, unáque memorabilium gestorum eorumdem, usque ad an. 1700. Viri demum tum literis, tum œconomica cura illustres, qui idem Cœnobium inhabitârunt, vel gubernârunt, referuntur. Ex Armellini Bibl. Casin. part. 2. pag. 15.

AQUI-

AQUICINCTINUM in Belgio Monasterium. Annales ab anno 1049. usque ad an. 1288. in folio Stephanus Baluzius sua in Bibliotheca possedit. Ab ejus obitu in cujus devenerint manus, ignoramus.

ATHENACENSE Monasterium. Chronicon variis à Scriptoribus, varisque temporibus auctum compilavit Domnus *De la Mare.* Asservatur in Mf.tis Monasterii S. Germani Pratensis tomo v. Fragmentorum Historicorum, quæ Claudius Estiennot collegit. Jacobus le Long Bibl. Histor. Franc. pag. 206.

ATREBATENSE S. Vedasti Monasterium. Historia in fol. auctore Guyman d'Arras, Monacho hujus Cœnobii, sub an. 1170. in Bibliotheca Colberti n. 699. conservatur. Superest etiam aliud Chronicon, authore Philippo Cavarello ejusdem Cœnobii Abbate anno 1636. mortuo. Citatur hoc Chronicon à Valerio Andrea, & Foppenio.

AUGIA MAJOR BRIGANTINA. Monasterii hujus facilè in Germania antiquissimi Prior erat superiore seculo *Franciscus Ransperg*, qui scripsit inter alia volumina *Annales Monasterii Brigantini* duobus tomis, opus ineditum, sed luce publica dignum; cùm Asceterium illud viris & pietate & doctrina multùm floruerit, hodiéque præ multis Sueviæ monasteriis floreat. Primus Monasterii Fundator & Abbas fuit S. Columbanus, qui An. Chr. 610. è Monasterio Luxoviensi in exilium ejectus, cum SS. Gallo, Magno, Theodoro, Attala, Eustasio, Chagnoaldo, Sigeberto, Baboleno, aliisque pluribus Discipulis (è quibus duo Martyrio affecti in loco, ubi hodie Capitulum est, requiescunt) hîc annis 611. 12. 13. consideus cellam ædificavit &c. „ Vel-„uti hoc idem (verba Cl. Aproniani Huber, Augiæ Brigantinæ Prioris ex literis 14. Novemb. anno 1740. ad me datis, adscribo) non solùm Or-„dinis nostri Sodalibus Luxoviensibus „& Bobiensibus, verùm etiam ipsi „SS. Rit. Congregationi Romæ ad „oculum demonstravi, quæ ea de cau-„sa ad relationem Em. Cardinalis de „Porzia an. 1734. die 11. Decemb. „licentiam nobis indulsit, ejusdem „B.mi Fundatoris nostri Festum sub „ritu Primæ Classis cum Octava ce-„lebrandi, & in Lectionibus II. No-„cturni post illa verba: *Ad locum* „*Brigantinum consedit*: hæc forma-„lia subjungendi: *Sanctæ Aureliæ* „*templum hic inanium Deorum cultu* „*profanatum post simulachra ejecta* „*solemni ritu expiavit. Cella exinde* „*propè idem templum constructa cum* „*suis Commilitonibus triennio ferè com-*„*moratus, Ethnicorum superstitiones* „*per ea loca sustulit, inde à Gentilibus* „*exulare coactus in Italiam &c. &c.* „Concessit insuper Clemens XII. In-„dulgentias plenarias in perpetuum „lucrandas ab omnibus, qui in ejus-„dem sancti Patris die festo ecclesiam „nostram &c. quotannis visitave-„rint.„ Hæc Vir ille Eximius, rei literariæ Benedictinæ, si quisquam alius, promovendæ studiosus, qui & hujus sui Asceterii Epitomen historicam cum Notis & Observationibus Chronologicis, Criticis &c. ab anno 611. usque ad annum 1728. inclusivè deduxit. Synopsin verò ex hac ipsa secum communicatam Tomo V. Galliæ Christianæ inseruit Domnus Felix Hodin è Congr. S. Mauri.

AUGIA DIVES. Joannis Egonis, Prioris Augiæ Divitis, *Chronicon Augiense*, sive ut ipse Lib. de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 18. vocat *Annales Augienses.* Opus Mf.tum, adhuc imperfectum, & quod ulteriorem limam exspectat. Vidi, legi, & supremam manum eidem noncùm impositam, sed à viro erudito exspectandam esse, facilè perspexi. Adjumento forsan possunt esse, quæ in Augiensi Bibliotheca mf.tos inter Codices asservantur *Chronica Germanica* Abbatum Augiensium usque ad annum 1454. in 4. signat. 95. 26. Alia Chronica Germanica Monasterii Augiensis. 97. 28. Item eventus quidam notabiles, & obitus illustrium personarum ab anno 1350. usque ad an. 1419. signat. 136. 21. Denique in Codice, in quo habetur Tractatus de esu carnium Johannis Polomari, reperiuntur plura notata memorabilium rerum, quæ in Augiæ Divitis vicinia evenerunt. In Bibliotheca Augiæ Majoris Brigantinæ inter Mss. Codd. asservatur *Similacis Augiæ Historica Epitome* per P. Joannem Egon ab A. Chr. 724. usque ad an. 1627. in fol. sed hanc non vidi. *Conventionis Modus*, quo Monasterium Augiæ Divitis, celeberrimum olim in Germania, Episcopatui Constantiensi fuit conjunctum, juris publici est factus à Bernardo Pezio ex Bibliotheca Mellicensi Tomo VI. Thesauri Anecdot. pag. 737. Hoc Scriptum qui legerit, ve-

hementer dubitabit, quin Cl. *Januario Stabl*, Augiensi Cœnobitæ, unquam facultas sit impertienda, ut *Augiæ Annales*, quos à ploribus jam annis molitur, in dias luminis auras proferre queat.

AUGUSTANUM SS. Udalrici & Afræ Monasterium. *Sigismundi Meisterlein*, Cœnobitæ San-Udalricani *Index Monasterii SS. Udalrici & Afræ in Augusta Vindelicorum*, éstque Chronicon dicti Cœnobii in tres partes divisum, quarum quælibet in duodecim Capitula iterùm dispescitur. Aliud, & antiquius Chronicon Abbatum SS. Udalrici & Afræ, à primo usque ad Marquardum, qui anno 1316. electus fuit, perductum, asservatur mſ.tum in ejus loci Bibliotheca, teste Pezio Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. XXXIII. Præclara etiam est *Caroli Stengelii Chronologica Descriptio* Monasterii SS. Udalrici & Afræ Augustæ in fol. patenti 1613. Primas tamen partes sibi vindicat R.mus Abbas *Benedictus Hertfelder*, qui insigne Opus publico exhibuit, cujus titulus:

Basilica SS. Udalrici & Afræ, Imperialis Monasterii Ord. S. B. Augustæ Vindel. historicè descripta, atque æneis figuris illustrata. Cum brevi Chronico usque ad nostra tempora, curis secundis & auspiciis R.mi & Amplissimi in Christo P. ac D. Dñi Bernardi Monasterii ejosdem Abbatis, Sac. Cæsareæ Majestatis Capellani. Editio secunda auctior. Augustæ Vindelicorum, typis Andreæ Apergeri. anno MDCLIII. in fol. min. Præclarum hoc Opus quatuor complectitur partes. Prima, eáque sola in Capita distincta est, & Situm, Originem, incrementa, ac decrementa Loci, ejúsque quidquid est celebre, enarrat. Secunda in Penetralia ducit, & quæ illic sacra & antiqua adservantur, oculis spectanda subjicit, & explicat. Tertia Temporis rationem declarat ab initio plantatæ hîc Christianæ Religionis usque ad nostra Tempora, considerata simul Abbatum hujus Cœnobii serie; ubi R.mus Autbor & brevitati studuit, & Auctorum citatione supervacua, quia partim obvii, partim in prima parte citati, supersedere voluit. Additur Syllabus seu Index SS. hîc quiescentium, & SS. Reliquiarum partim in terram demissarum, partim publicæ venerationi expositarum. Quarta Pars novissimè adjecta est, ea potissimùm, & paulò fusiùs complectens, quæ ab annis retrò triginta ac circiter, novissimis bellorum temporibus Augustæ & locis adsitis contigêre. *Ex præfat. Auth.*

Hæc verò *Descriptio* à R. P. *Romano Kistler* San-Udalricanæ Basilicæ Custode, ex Latino Germanicè reddita, & anno 1712. impressa fuit in fol. Aug. Vindel. apud Joannem Mich. Labhartum.

AURELIACENSE Monasterinm. Breve Chronicon, auctore anonymo Monacho Cœnobii Aureliacensis, olim Arvernensis diœcesis, nunc S. Flori, quod seculo XVI. à regulari in secularem statum conversum est, edidit Mabillonius, & succinctis notis illustravit. Analect. tom. 2. pag. 237.

BANTHENSE in Francia Orientali Monasterium. *Origines Banzenses*, sive *Banthensis* ab anno 1060. Cœnobii ad Mœnum fluvii in Diœcesi Wirzburgensi (hodie in Bambergensi) descriptæ ab *Henrico* Abbate circa annum 1123. & primùm editæ à Jo. Pet. de Ludewig Tom. II. Scriptorum Bambergensium.

BECCENSE in Normannia Monasterium. Chronicon Abbatum Monasterii Beccensis ab ipsa Fundatione anno 1031. ad annum 1467. Hoc Chronicon habetur ad calcem Operum B. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi editorum à Luca Dacherio Paris. 1648. in fol. In quodam hujos Chronici mſ.to Codice, quem Bibliotheca Abbatiæ Beccensis custodit, Robertus de Torrigny, seu de Monte S. Michaëlis pro auctore venditatur: quod si ita est, Chronicon ab alio continuatum fuit; Robertus enim an. 1184. mortem oppetiit.

-- MS. Tomi duo Additionum ad Chronicon Beccense, 2. vol. in folio. Tomus primus in Abbatia S. Germani à Pratis, secundus in Beccensi habetur.

-- *Appendix ad Chronicon Beccense*, ab an. 1492. ad an. 1591. Hæc Appendix typis excusa est pag. 29. Appendicis Operum B. Lanfranci in fol. Paris. an. 1645. Excerpta est ex Historia hujus Abbatiæ, opera & studio *Francisci Carreau* Monachi Beccensis composita.

-- MS. in Annales Beccenses Epitome variis Gallorum, Anglorúmque illustrata conatibus, auctore *Francisco Choræo* Lexovæo, Monacho Benedictino. Hæc Synopsis asservatur in Bi-

blio-

bliothecis Colbertina n. 4212. & Baluziana n. 433. Autor Opus suum an. 1162. elaboravit. Jac. le Long Bibl. Hist. Franc. p. 206.

BELLILOCENSE Monasterium. Historia illius, auctore Bertrando Pictaviensi, asservatur in Bibliotheca Vaticana inter Mss. Codd. Reginæ Sueciæ num. 168.

BENEDICTO-BURANUM in Bavaria Monasterium. Chronicon breve ab anno 740. apud Bernardum Pezium Tomo III. Anecdotorum, Parte III. pag. 597.

BENEVENTANUM S. Sophiæ Monasterium. Chronici auctor est Monachus anonymus, loci Professus, qui circa an. MCLX. claruisse videtur, cùm concessa Monasterio suo privilegia ultra hoc tempus non deducat. Scripsit Chronicon Beneventani Cœnobii, quo vim ingentem privilegiorum, diplomatum, ac instrumentorum in medium profert. Edidit (utinam sine paucioribus mendis) Ughellus Italiæ Sacræ Tom. VIII. recusum edit. Nov. Tom. X. pag. 414 - 560.

SAN-BERTINIANUM apud Hesdinum Artesiæ Monasterium. Chronicon scripsit *Folquinus*, Levita Sithiensis, ab an. 630. usque ad annum 961. perducta. Illam continuavit *Simon* Gandensis, Abbas Sithiensis usque ad annum 1148. Alter Monachus anonymus sancti Bertini post Simonem usque ad annum 1229. quo scribebat. Hoc Chronicon asservatur in hujus Monasterii Bibliotheca, deinde in Regia inter Manuscripta de M. Gaigniers, & S. Germani à Pratis. Vide plura apud le Long l. c. Labente autem seculo XIV. hujus Monasterii Abbas per XVII. annos erat *Joannes Iperius*, sive *Iprensis* patria, ex Ipra, Flandriæ urbe oriundus, anno 1387. defunctus. Is Præsul scripsit *Chronicon* sui Monasterii, ac simul Episcoporum Morinensium, & Comitum Flandrensium ab anno 590. ad an. 1296. quod ex duobus MSs. recensuit, notisque illustratum prælis destinaverat Lucas Dacherius, quo morte prævento, Mabillonio item Massuetóque tandem illud vulgavit Edm. Martene Tomo 3. Anecdot. p. 446 - 776. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 4. p. 250.

BESUENSE Monasterium. Chronicon auctorem habet Johannem Monachum, si Dacherio & Mabillonio assentimur. Multa eadem in Chronico San-Benigniano, quod & ipsum Dacherius vulgavit. Fabric. l. c. pag. 671.

SAN-BLASIANUM Asceterium. *Origines San-Blasianæ*, seu Annales inclyti, & hodie Principalis ad S. Blasium in Nigra Sylva Monasterii, Auctore *Marquardo Hergott*, ejusdem celeberrimæ Abbatiæ magno Cellerario, nunc Principis Abbatis Locum tenente. Opus dudum prælo paratum, cui quod nondum fuerit subjectum, in causa est, quòd Auctor Clariss. parùm verisimiles de *Pica* Eremitis de Instituto S. Benedicti amplectendo deliberantibus, conspicuam sic præbente, aliisque rebus narrationes, antiquis ignotas & à Scriptore recentioris primùm ævi memoriæ proditas excluserit, quas alii tamen exclusas noluerunt. Sic semper sunt, quibus ægrè fit, cornicum oculos configi. Ac si verò deletis commentis non integra staret gloria florentissimo Monasterio, quod sicut proprio semper (quod ajunt) cortice notavit, neque unquam peregrinos in suam adscivit sedem Præsules aut Ascetas, ita Viros Illustres è suo gremio produxit quàm plurimos, alienis Infulis, etiam Episcopalibus, ac Cœnobiorum gubernaculis admotos, quorum syllabum vide apud Petr. Franc. in Suevia Ecclesiastica pag. 178.

BOSOVIENSE Monasterium, Cizensi Civitati vicinum. Annales ab anno 1125. ad 1198. extant in Johannis Georgii Eccardi Corpore Scriptorum medii ævi Tom. I. pag. 1007. ad 1024.

BREVNOVIENSE, vulgò S. Margarethæ propè Pragam Monasterium. Epitomen historicam Regiæ hujus, Liberæ, Exemptæ, in Regno Bohemiæ Antiquissimæ ac Celeberrimæ Abbatiæ literis mandavit, ac publicam in lucem dedit Auctor Literariæ Historiæ O. S. B. Coloniæ apud Gotthardum Joannem Püttner anno 1740. in folio.

BRIXIANUM S. Juliæ Monasterium. *Angelica Battelli* Brixiæ nata & professa est in S. Juliæ Parthenone. Scripsit verò Italicè *Annales historicos* de ædificatione, erectione, & dotatione illustris Monasterii S. Salvatoris & & S. Juliæ in urbe Brixia, Sedi Apostolicæ, & Regiæ Potestati immediatè subjecti. Insertus est Catalogus Sacrarum Reliquiarum, quæ in ejusdem Ecclesia requiescunt, atque omnium Privilegiorum à Summis Pontificibus,

Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Ducibus concessorum ab anno fundationis 760. usque ad præsentis seculi annum 1657. Brixiæ typis Antonii Rizzardi an. 1657. in fol.

BRUGENSE S. Andreæ Monasterium in Brugis non quidem situm est, sed propè Brugas. Circa annum 1525. Monachus loci anonymus Chronicon Cœnobii sui conscripsit. Hic in prologo monet, se ex corruptis foliis literarum, ex corrosarum tumbarum inscriptionibus, aliorúmque monasteriorum chronicis *sua laboriosissimè* collegisse, atque ut Conradus Janningus Act. SS. tom. 1. Julii pag. 364. perhibet, fide optima cœnobii sua monumenta ita perscrutatus est, ut totius narrationis veritas in tuto collocata sit.

BURIENSE in Anglia Monasterium, cujus Chronicon Mf. authore *Jocelino Braclando* Monacho Buriensi asservatur in Bibl. Cotton. p. 94.

CADOMENSE S. Stephani Monasterium non caret sua historia Annali ab anno 1133. ad an. 1293. quæ extat in Collectione Scriptorum Rer. Normannic. Andreæ du Chesne.

CALMOSIACENSE Monasterium exordia sua ab anno 1094. repetit ad annum 1222. Reperies verò apud Martene & Durand in Thesauri Anecdotorum Tomo III. pag. 1159.

CAMELIACENSE S. Theofredi Monasterium Chronicon suum ad an. 1119. pertexuit, quod conservatur in Bibliotheca Monasterii S. Germani à Pratis, Tomo III. Collectionis Fragmentorum Historiarum per Claudium Estiennot adornatæ.

CAMPENSE, seu *de Campis* propè Parisios Monasterium. Chronici auctor est *Martinus Marrier*, loci Prior, quàm integer vitæ, tam doctrinâ insignis. Vulgavit illud Parisiis in 4.to anno 1637. *Ouvrage curieux & rempli de bonnes pieces*, inquit D. Lenglet du Fresnoy Catal. Hist. tom. 2. pag. 142.

CAMPIDONENSE, cujus Abbas S. R. I. Princeps est, duo habet Chronica. Primi auctor est *Udalricus Nerlinger à Wurmberg*, Abbas Campidonensis; pertingit verò usque ad annum 1261. quo magna ejus pars conflagravit. Ipse diem obiit anno 1268. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 8. p. 702. ubi auctor Vossio *Henricus*, Eisfengrenio *Nericus* perperàm vocatur. Alterum est Anonymi, qui Relationem historicam de origine Principalis Monasterii Campidonensis, & serie Abbatum abs Andegario ejusdem primo Abbate cœptam usque ad Romanum Giel de Gielsperg 64. Abbatem prosequitur patrio sermone. Asservatur in Bibliotheca Augiæ Majoris Brigantinæ.

CANIGONENSE in Diœcesi Helenensi Monasterium. Breve ejus Chronicon edidit Baluzius Miscell. tom. 2. pag. 309.

CARNOTENSE S. Petri in valle propè urbem Monasterium Chronographum habuit *Petrum* suum Monachum. Vide Jo. Lironis Bibliothecam Carnot. pag. 81. & Samarthanos tom. IV. pag. 720. seqq. edit. primæ (Fabric. l. c. p. 644.)

CASA DEI celebre in Gallia Monasterium. Chronicon suum, seu *Lucubrationem Chronologicam* in acceptis fert *Simoni Genoux* Monacho è Congreg. S. Mauri. Hæc historia mf.ta habetur in ejusdem monasterii Bibliotheca.

Alia, sed pariter mf.ta Historia Monasterii *Casæ Dei* ab anno 1052. ad an. 1661. in folio.

MS. Historia ejusdem Monasterii ab anno 1640. quo Reformationem accepit, usque ad an. 1671. Quæ duo Mf.ta in Bibliotheca Asceterii S. Germani Pratensis asservantur.

CASAURIENSE Monasterium, Abbatia S. Clementis Casauriensis, sive Piscariensis in Piscaria Insula (*Pesquaire*) in Aprutio ulteriori sita, à Ludovico II. Imperatore anno Domini 854. fundata, & multis privilegiis exornata fuit; singulari enim amore erga hoc ferebatur monasterium. Chronicon illius scripsit *Joannes Berardi*, Monachus & Præpositus Casauriensis. Libris III. comprehensum incipit ab anno 854. & in anno 1182. desinit. Eorum partem, tacito auctoris nomine, Andreas du Chesne, & Ughellus ediderunt; integros verò Dacherius Spicilegii Tomo V. pag. 361. (edit. novæ Tom. 2. pag. 929 - 977. Habes etiam post Dacherii editionem idem Chronicon in Thesauro Scriptorum Italiæ tom. 2. part. 2. p. 759. & quidem pluribus diplomatibus ex Codice Regio Paris. à Lud. Ant. Muratorio auctum & locupletatum.

CASINENSE ARCHIMONASTERIUM totius Benedictinæ Familiæ Caput, fons, & origo habetur. Chronicon primus conscripsit celebris, ac nunquam satis laudandus *Leo Marsicanus*, Monachus Casinas, Cardinalis, & Episco-

Episcopus Ostiensis. Typis sæpiùs vulgatum fuit, primùm Venetiis anno 1513. tum Parisiis anno 1601. deinde Neapoli cum Notis Mathæi Laureti an. 1616. & denique unà cum Commentario, sive Annotationibus Angeli de Nuce, Abbatis Casinensis Lutetiæ Paris. 1668. Postrema, quam scio, editio est Lud. Ant. Muratorii Scriptorum Rer. Italic. Tom. iv. p. 151. *Marsicani* Chronicon à tricesimo quinto libri tertii capite prosecutus est *Petrus Diaconus*, qui quartum etiam librum addidit ad an. 1138. *Anonymi Cassinenses* quædam brevissimè de rebus Cassinatium delibârunt ab anno 1000. ad 1212. *Richardus à S. Germano* ab anno 1189. ad 1243. Ejus continuatio ab Ughello, Cartusio, Michael de Judice, Erasmo Gattola luce publica donata fuit, sed non sine mendis & erroribus, à quibus sibi sollicitè cavit Cl. Muratorius in postrema sua editione, quam exhibet Tomus VII. Scriptor. Rer. Italic. fol. 968. Anno circiter 1582. *Placidus Petruccius*, Casinas Monachus Chronicon Casinense & ipse Latina lingua ab an. 492. ad 1581. elucubravit. *D. Honoratus Medicæus* Neapolitanus circa an. 1611. Annales Casinenses lingua Italica ab an. 480. ad 1610. *D. Zacharias Serenus* circa an. 1600. vitas Sanctorum Casinensium Italicè, in quam etiam linguam vertit primum Leonis Marsicani librum, *D. Antonius à Neapoli* eadem Sanctorum Casinensium Acta Latinè concinnavit an. 1622. & *D. Marcus Antonius Scipio Placentinus* Elogia an. 1630, & secundis curis 1643. quibusdam in hac editione additis, aliisve obliteratis. Laudati tamen Scriptores, ne ipso quidem Leone demto, plura omiserunt, aut saltem brevissimè delibârunt, præsertim ex sanctorum & piorum Monachorum Actis, vel autograpba non consuluerunt, pluráque ab iis omissa egregiè apud Cassinates gesta, & facta memorabilia. Altum apud eos silentium de ritibus ac ceremoniis, & disciplina monastica, si Leonem & Petrum Diaconum excipimus: licèt & hi per transennam de rebus istiusmodi pertractaverint: ne nomen quidem apud eos legas plurimorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum. Quædam aut nimiùm presse descripta, aut omnino omissa. Privilegia Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum Langobardorum & Normannorum Judicum, qui Reges dicebantur Sardiniæ, Donationes Oppidorum, Monasteriorum, Judicum, Ecclesiarum locorum piorum, sententiæ pro Cassinatibus latæ, Cœnobia Monachorum, & Sanctimonialium, locáve pia ab iisdem erecta.

Ad hæc itaque supplenda & continuanda egregiam operam navavit Erasmus Gattola, Cajetanus, Abbas S. Mathæi Servorum Dei, & Cassinensis Archivi Custos, cujus labore & studio Historia Abbatiæ Cassinensis Venetiis apud Sebastianum Coleti anno 1733. in lucem prodiit: hanc verò in Secula divisit Auctor, ita quidem, ut singula Secula septem quasi Capitulis absolvantur. Nam I.) Abbatum exhibetur Catalogus, cui subjicitur enarratio rerum ab ipsis gestarum. II.) disciplina, quæ unoquoque seculo in Cœnobio Cassinensi obtinuit, monastica profertur. III.) historici eventus, qui ad hoc ipsum Monasterium pertinent, memorantur. IV.) Monachorum pietate ac sanctitate insignium merita exponuntur. V) recensentur Monachi, qui scientiis floruerunt, & Operibus editis, quæ accuratè notantur, nominis famam consecuti sunt. VI.) celebrantur illi hujus Cœnobii Monachi, qui ad majora dignitatis culmina evecti varias dignitates ecclesiasticas gesserunt. VII.) producuntur Cœnobia tum Monachorum, tum Sanctimonialium, nec non Xenodochiorum, quæ vel à Casinatibus fundata, vel ipsis liberalitate Principum, aliorúmve donata fuerunt. Hac ratione Historia duas distributa in partes ab Auctore per singula secula traditur, & ex ipsis Autographis, maximam partem ineditis, refertur. *Pars prima* incipit ab A. DXXIX. & desinit circa A MCC. *Altera pars* ab A. MCC. usque ad A. MDCCXXV. Historiam Cœnobii Casinensis recensset. Subjungitur Apologia pro Leone Ostiensi & Petro Diacono, Chronici Casinensis Auctoribus, in qua recensita Leonis ætate, ejúsque Chronici variis editionibus, laudatísque Scriptoribus, qui ejus mentionem fecerunt, accuratam ipsius scribendi rationem defendit Gattola.

Cæterùm Operis titulus est: *Historia Abbatiæ Cassinensis per Seculorum seriem distributa, quâ Leonis Chronicon à Petro Diacono ad annum MC. XXXVIII. continuatum in plerisque suppletur, & ad hæc usque tempora ex probatissimis, authenticisque documentis*

tis producitur, insertis, operis initio, Monasterii descriptione, & ad calcem pro laudati Chronici Authoribus apologia, studio & labore D. Erasmi Gattola Cajetani, Abbatis S. Mathæi Servorum Dei, & celeberrimi Cassinensis Archivi Custodis. Pars prima à primo constructi monasterii seculo, nempe ab anno MXXIX. ad seculum VIII. seu ad annum Christi MCC. Venetiis MCCXXXIII. apud Sebastianum Coleti.

Ad Historiam Abbatiæ Casinensis Accessiones cura & labore D. Erasmi Gattola. Pars I. & II. Venetiis apud Sebast. Coleti an. 1734. fol. Vid. recensionem in Novis Actis Erudit. an. 1735. m. April. pag. 147.

CATALAUNENSE ad Matronam in Campania Monasterium. Breve Chronicon ab anno Christi 1009. ad 1223. vulgavit Labbeus Tom. I. Bibl. Novæ Mss. pag. 296-297.

CATANENSE Monasterium. *Petrus Catania*, Siculus, Monachus Monasterii in urbe Catanâ scripsit Italicè *Chronicon Ecclesiæ Montis Regalis, & Regii sui Monasterii*, quod ms. asservatur in prædicto monasterio in plures libros distributum. Auctor obiit anno 1670.

CAVENSE Monasterium. In hoc *Augustinus Venerius*, Neapolitanus, sacram professionem emisit an. 1595. Ab eo superest *Historia brevis, seu Breve Chronicon Sacri Monasterii Cavensis* usque ad annum 1618. Ms.tum, quod inter Auctoris Opera in Archivo Cavensi asservatur, Armell. l. c. pag. 67.

CAZALENSE Monasterium, olim de Cazali-molano, nunc de Cazali-Benedicto dictum. Ejus Chronicon, seu historia est Opus illustre, typis nondum tamen mandatum. Vide le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 100.

CELANOVENSE in Hispania Monasterium. *Troquatus de Vargas*, in Celanovæ oppidi Cœnobio, quod S. Rosendum Dumiensem Episcopum veneratur fundatorem, Sodalis, ni fallor, scripsit de eodem monasterio insigne opus, hoc titulo *Cella Nova illustrata* insignitum; in quo non solùm prædicti Fundatoris vitæ, actorúmque historiam ex antiquis eruit monumentis, sed & ejusdem æquè ac antiquorum Celanovæ Comitum illustria stemmata prolixè, &, ut Philippi de Gandara utar verbis, *con grave erudition y elegantia* explicuit. Editúmne verò illud Torquati de Vargas Opus fuerit, an verò adhuc in scriniis curiosorum manuscriptum delitescat, me juxtà cum ignarissimis scire fateor ingenuè, posterius tamen magis credibile reputans. Ex Franckenau Bibl. Hisp. Geneal. Herald. pag. 400.

CENTULENSE Monasterium. Arulfus, sive Hariulfus, Abbas ab an. 1105. in Flandria Aldeborgensis, antea Monachus Centulensis, sive S. Richarii in Gallia; quo tempore *Chronicon Centulensis Monasterii* usque à temporibus Clotharii Regis cœptum à *Saxowalo* perfecit, librísque IV. absolvit A. Chr. 1088. Edidit hoc primùm Dacherius Tomo IV. Spicilegii, in cujus operis novâ editione emendatiùs integriúsque est recusum Tom. 2. fol. 291.

CERVARIA, vulgò Cœnobium Sylvariense, passûum ferè 15. millia à Genua distat. Ejus alumnus erat *Arsenius à Monelia*, qui anno 1450. scripsit Acta Cœnobii sui, quibus titulum fecit: *Thesaurus Cervariæ*, Armell. l. c. p. 61.

CITIZENSE Monasterium. Chronicon à *Paulo Langio*, Trithemii celebri discipulo, scriptum extat in Pistotii Collectione Scriptor. Rer. Germ. Tomo. 1.

CLUNIACENSE toto orbe Catholico celeberrimum Monasterium. *Franciscus de Rivo* Cluniacensis Magnus Prior, ac Sorbonæ Doctor, jussû Domini Jacobi de Ambasia, qui an. 1485. Cluniacensis Abbas erat, hujus Asceterii Chronicon conscripsit, quod habetur à columna 1627. ad 1685. in Bibliotheca Cluniacensi an. 1614. impressa. Claruit Auctor 1483.

Aliud Chronicon *Cluniacense* ab Orbe condito usque ad annum Christi 1274. composuit *Gerardus de Avernia* Monachus Cluniacensis, quod asservatur in Bibliotheca Vaticana inter Ms.ta Reginæ Christinæ n. 1185.

BIBLIOTHECA CLUNIACENSIS, in qua Monasterii Antiquitates, Chronica, Privilegia, Chartæ, & Diplomata collecta sunt, operâ Martini Marrier, S. Martini à Campis Monachi & Prioris, & Andreæ Quercetani, qui hanc Notis illustravit, in folio Parisiis 1614. Duchesne mortuus est anno 1640. & Marrier 1644.

CLUSINUM Monasterium. Chronicon, ab *Henrico Bodone*, loci Monacho conscriptum, quod multo tempore delituit, in lucem illustris Leib-

Leibnitiùs denique protraxit, & Tomo II. Script. Brunsv. pag. 345-370. inseruit.

COLONIENSE S. Martini Majoris Monasterium. *Chronologicam Descriptionem* hujus Abbatiæ adornavit Cl. Oliverius Legipont loci alumnus, unà cum Cœnobiarcharum Syllabo, & Codice Diplomatico. Opus MS. an. 1725. in fol. publicâ luce dignissimum.

-- *Ejusdem* Farrago Anecdotorum, sive Rapsodia Historico - Diplomatica, Epistolaris, & Poëtica, complectens Chartas, Diplomata, Epistolas, fundationum Instrumenta, & alia id genus Monumenta, Nova & Vetera, quæ potissimùm Abbatiæ S. Martini, & sacræ Unionis Bursfeldensis Historiam illustrant, ex blattis & tineis erepta, ac ne pereant, in unum congesta. Opus MS. quod in Bibliotheca ejusdem Cœnobii asservatur. Item *Fastorum Abbatiæ S. Martini Exegesis Historica* carmine heroico à prima ejus fundatione ad nostram usque ætatem deducta MS. in fol. maj.

CORBEIA NOVA celeberrimum & principale Monasterium in Saxonia ad Visurgim. Chronicon dedit *Antonius Schackenburgius* ab an. DCCCXV. ad annum MCCCCLXXI. Author, seu potiùs interpolator fuit nobilissimi hujus Asceterii Cœnobita, deinde Hersfeldensis, anno 1476. defunctus. Chronicon verò edendum curavit Christianus Franciscus Paullini anno 1698. Francofurti in Syntagmate rerum & antiquitatum Germanicarum à pag. 369. ad 420. Illustris etiam Leibnitius Tom. II. Scriptor. Brunsv. pag. 296-319. inseruit. Quod breve Chronicon Cl. Edmundus Martene & Ursinus Durand Collect. ampl. Tom. II. Observ. præv. in epistolas Wibaldi Abbatis Stabulensis & Corbeiensis pag. 154. *Opus miserum* vocant, *quod tam fœdis erroribus inquinatur, ut fœtum esse suspicemur mediocris cujusdam & recentissimi Scriptoris, qui nec ferè Corbeiam noverit.* Eat jam, qui scribere non dubitavit, quòd in Chronico Schackenburgii nemo fidem & industriam Authoris sit desideraturus. Solida historia Illustrissimi hujus Asceterii, è quo tot Episcopi ac Septentrionis Apostoli, ut de Viris doctrina & pietate conspicuis nihil dicam, prodierunt, adhuc in optatis habetur, nisi eam tamen dictus D. Paullini concinnavit. Is enim ex speciali mandato Serenissimi Ducis Rudolphi Brunswicensis & Luneburgensis novam & integram Antiquissimi & Imperialis hujus Monasterii Corbeiæ Historiam quinque libris comprehensam adornavit, cujus autographum in MS.tis Bibliothecæ Wolfenb. &c. se vidisse, & in ejus evolutione rara diplomata, résque notatu dignas animadvertisse testatur Leuckfeld in Antiqq. Bursfeld. cap. 3. pag. 72.

CREMIFANENSE in superiore Austria princeps & longè amplissimum Monasterium. Annales à P. *Simone Rettenpacher* ibidem Professo, nitido ac eleganti sermone conscripti, in lucem prodierunt an. 1677. Salisburgi apud Jo. Bapt. Mayer.

S. CRISPINI in Gallia Monasterium. Historia MS. hujus Abbatiæ per Joannem Elie monachum an. 1589. concinnata, asservatur in Bibliotheca hujus loci, & Abbatiæ S. Germani à Pratis.

CROYLANDENSE in Anglia Monasterium. *Aio* loci & Abbatiæ hujus Cœnobita an. Chr. 974. mortuus scripsit *Chronicon de rebus memorandis* sui monasterii, telam orsus ab anno 664. illam ad an. 974. perduxit: quod postea *Ingulphus* Abbas ejusdem Monasterii totum Chronico suo suprà à nobis memorato intexuit. *Ingulphum* an. 1109. defunctum tres Anonymi Monachi exceperunt, qui Chronico usque ad Henrici sexti & Eduardi quarti an. 1483. demortui tempora continuarunt: vulgati in Collectione Scriptorum rerum Anglicarum Joannis Felli Oxoniæ è Theatro Scheldoniano 1684. fol. Junge his, quæ supra de *Ingulphi* Chronico diximus. *Bristanus* verò Croylandensis etiam monachus in cineres ejusdem sui Monasterii, quod Dani flammis devastârant, threnos cecinit, quorum hoc initium ex Ingulpho apponit Pitseus pag. 167.

Quomodo sola sedes dudum Regina domorum Nobilis Ecclesia, & nuper amica Dei.

Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 86. & lib. 2. pag. 770.

DERVENSE Monasterium. Chronicon à *Petro Baillet* Congr. SS. Vitoni & Hidulphi scriptum ad hoc temporis in MS.tis asservatur. Vid. Calmet in Catal. Alphabet. Script. Hist. Lothar.

S. DIONYSII in Francia Monasterium. Chronicon nobilissimæ hujus & Regiæ Abbatiæ in lucem dedit *Michael Felibien* è Congreg. S. Mauri, sub epigraphe: *Historia Regalis Monasterii*

S. Dionysii in Francia complectens vitas Abbatum, qui ab annis MC. eidem præfuerunt; viros illustres, quos Ecclesiæ & Regno commodavit; privilegia item à summis Pontificibus atque Episcopis illi concessa, tum Regum, Principum, aliorúmque benefactorum dona cum descriptione Ecclesiæ, omniúmque notabiliorum, quæ ibi continentur. Gallicè fol. Parisiis apud Fridericum Leonardum 1706. cum fig. Historia octo libris distincta est, quorum primus cum Merovingicis, alter cum Carolingicis Rebus desinit. Tertius cum Hugone Capeto auctore tertiæ prosapiæ regalis incipit, inque fatis Abœlardi enarrandis finit. Quartus Sugerii Abbatis facta potissimùm celebrat. Quintus Ludovici Sancti, ejusque Successorum usque ad Caroli V. tempora persequitur. Sextus Caroli VI. regnum, maláque innumera monachis, fervente tum bello intestino, inflicta, nt & alia, quæ usque ad Francisci I. ætatem acciderunt, continet. Septimus Abbates Commendatarios primos, perniciosissimos Ligæ tumultus, & quæ exinde in Cœnobium atque urbem S. Dionysii redundârunt, calamitates exponit. Octavus denique Monasterii reformationem ad normam Congregationis S. Mauri sub Ludovici Justi auspiciis institutam, quæque sub ultimis Abbatibus Commendatariis contigêre, donec tandem mensæ Abbatialis reditus Domui Regiæ San-Cyranæ adsignati fuerint, copiosè recenset. In singulis ita se gerit accuratissimus Author, ut monasterii sui incrementa, donationes, jura, privilegia, immunitates, prærogativas, lites, jacturas, infortunia bellica, cæterásque mutationes; processiones item religiosas, miracula, Regum coronationes, ac receptiones, Oriflammæ levationes, pompas funebres, aliáque solemnia frequenter sanè ibi peracta, omnia demum, quæ ad dignitatem & venerationem loci, Abbatum porrò ac monachorum laudes, quin imò, ubi res exigit, ad vituperia eorum ullo modo pertinent, graphicè ac fideliter describat. Quorum ampliorem recensionem vide in Actis Eruditorum Lips. mens. Majo an. 1707. & in Bibliotheca Historico-Critica Philippi le Cerf pag. 104-126.

DISIBODIBERGENSIS in Palatinatu monasterii Historiam publico dedit Cl. Vir. P. Oliverius Legipont, ejus loci Præfectus à Patribus Congregationis Bursfeldensis nominatus, unà cum facti juris que deductione pro ejus revendicatione. Coloniæ an. 1736. in fol. Diplomatarium ejusdem monasterii extulit Christianus Johannis Francofurti in 8.

DIVIONENSE S. Benigni Monasterium. Chronicon ab an. 458. ad 1026. comparet in Tomo I. Spicilegii Dacheriani p. 353. & nov. edit. Tom. II. pag. 357. Hujúsque Chronici *continuatio* ab an. 1105. ad 1513. ibid. p. 394-399. Auctorem Chronici *Joannem* vocant Dacherius & Mabillonius, eundem nempe Monachum Benedictinum, qui Besuense Chronicon scripsit: sed parùm certam conjecturam illam esse ostendit Papillonus, cujus dissertatio inserta Tomo IV. libri, cui titulus: *Continuation des memoires de literature & d' histoire* Paris. 1727. pag. 224. Et Auctorem Besuensis Chronici centum annis juniorem scriptore Chronici S. Benigni contendit Hadr. Valesius in Observationibus de annis Dagoberti I. Francorum Regis, editis Paris. 1684. in 8. Excerpta ex *Chronico* alio S. Benigni Divionensis ab an. 753. an. 1223. in Bibl. nov. MSS. Philippi Labbei Tom. I. p. 293-296. Ex Fabric. Bibl. med. & inf. Latin. lib. 2. p. 561.

DOLENSE Monasterium in Provincia Bituricensi. Chronicon ab anno Christi 917. ad 1345. & recentiore manu ab anno 1459. ad 1550. cum notis Philippi Labbei S. J. Parisiis 1651. & in tomo priore Bibliothecæ novæ MSS.torum Labbeanæ pag. 315. seqq. cum auctario de miraculis B. V. Mariæ Dolensis pag. 319 -- 322. Fabric. lib. IV. p. 133.

S. DOMINICI de SILOS Monasterium in Hispania. Alumnus hujus Cœnobii erat GASPAR RUIZ, quem quidem domestici testes multùm laudare solent, cùm Theologiæ, & Mathematicarum artium, tum Historiarum exactæ cognitionis ergo. Ejus asservatur in eo Cœnobio vernacula lingua *La Historia del Monesterio de Santo Domingo de Silos*; quam quidem formabat anno 1628. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. pag. 407.

EINSIDLENSE in Helvetia Principale Monasterium. Annales Eremi Deiparæ Matris Monasterii in Helvetia prodierunt Friburgi 1612. item Francofurti 1691. cum fig. in fol. Doctis viris admodùm laudantur. Jo. Mabillonius iis annumerat, quos pro

pro instruenda Bibliotheca Ecclesiastica idoneos judicavit.

SAN - EMMERAMMENSE, antiquissimum, celeberrimum, ac Principale Monasterium Ratisbonæ, Urbe Imperiali, in Bavaria. Percelebre, & magni æstimatum opus est *Mausolæum S. Emmerammi*, seu Antiquitates Historicæ Asceterii ejusdem, Ratisbonæ, Auctore *Cœlestino* Abbate in 4. anno 1680. Iterum anno 1729.

In Bibliotheca asservatur Historia MS. Monasterii S. Emmerammi de Abbatibus, Juribus, Donationibus, Privilegiis, Consuetudinibus &c. sex volum. in fol.

ENSDORFFENSE in superiore Palatinatu. R.mus Abbas *Anselmus Meiller* primus post restitutionem, non contentus ædes Monasterii construere & ampliare, rémque firmare œconomicam, elucubravit etiam Historiam S. Ottonis, Episcopi Bambergensis, Monasterii sui Dotatoris: cum historia ejusdem Monasterii ex archivo: cui titulum præfixit: *Mundi Miraculum S. Otto, Episcopus Bambergensis, Pomeraniæ Apostolus, Exempti Monasterii Ensdorffensis Præcipuus Dotator, cum ejusdem Monasterii Fundatorum, Ottonis, Com. Palat. de Wittelspach, ac Heliæ Conjugum, eorúmque Filiorum Historia, antiquorum Abbatum Serie & Actis, Pontificum Bullis, Imperatorum, Regum, Cardinalium, Episcoporum, ac Principum Diplomatibus, Privilegiis, & Gratiis: quorundam Monasteriorum Confœderationibus, Literis, & variis hactenus ineditis Membranis, nec non ejusdem S. Ottonis & Sigismundi R. & M. Reliquiarum, Imaginum ab Heterodoxis sacrilegè injuriatarum, rerúmque aliarum hoc Monasterium concernentium notitia.* Ambergæ in 4. an. 1739. sumptibus Joan. Gastel Bibliopolæ Pedepontani.

ERFORDIENSE S. Petri Monasterium. Chronicon est volumen magnæ satis molis, ad cujus fidem D. Gudenus quàm sæpè provocat. Ejus auctor est *Nicolaus de Sygben*, seu *Nicolaus Hottenbach*; *Sigena* enim urbs Comitum Nassoviensium Nicolai patria fuisse existimatur. Continuavit Chronicon *Petrus Friderici* ejusdem Ordinis ac loci cum Nicolao Monachus. Asservatur Chronicon mſ.tum in Monasterii Bibliotheca, typis fors nunquam vulgandum. Vid. *P. Ziegelbauer Hist. P. IV.* Daniel Eberhard Baring. de Script. Rei Diplomaticæ pag. 23.

EVESHAMENSE in Anglia Monasterium, de cujus primordio scripsit S. Egwinus ex Monacho Eveshamensi Episcopus Wigorniensis. Obiit an. 716. Pitseus.

FABARIENSE in Helvetia Principale Monasterium. *Augustinus Stöcklin*, Murensis primùm, dein Fabariensis Decanus, postmodùm Abbas *Librum de Antiquitatibus Monasterii Fabariensis* in Rhucantia composuit anno 1628. in quo multa scitu digna refert. Vide, qui illum evolvit, Mabill. Itin. Germ. p. 4. col. 2.

FARFENSE Monasterium. *Gregorii Urbani*, Romani, Monachi Farfensis anno 1611. *Chronicon*, seu *Annales sacri & Imperialis Monasterii Farfensis in duos libros distinctum*; in quorum primo agitur de rebus, quæ acciderunt sub Abbatibus, tam Claustralibus ab origine Monasterii, quàm sub Commendatariis. In secundo verò de rebus gestis sub Casinensibus, nec non de iis, quæ evenerunt eorum temporibus summatim, ac facili stylo apprimè differitur in. fol. majori. Chronicon autem Farfense antiquum scripserat olim alius item *Gregorius Catinensis* dictus, quia filius Comitis Montis Catini in Sabinis, vulgò *Poggio Catino*, Monachus pariter Farfensis, tomis tribus, scilicet ab anno 705. usque ad annum 1140. & alius etiam Farfensis Monachus ejus synchronus quartum addiderat tomum, qui est Regestum Bullarum, & Diplomatum à Pontificibus & Cæsaribus, alíisque Principibus Viris Farfensi Monasterio concessorum. Fuit hic *Joannes* Monachus Grammaticus, ut se ipsum appellat. Floruerunt autem ambo non tempore Henrici IV. Romanorum Imperatoris anno Christi 1106. morte sublati, ut Armellinus scribit, sed Lotharii II. anno 1138. extincti, eorúmque opus extat Farfæ, ubi illud vidit etiam Mabillonius, ut ipsemet asserit Itin. Ital. tomo 1. part. 2. p. 62. & seq. dicítque horum veterum Chronicorum partem aliquam editam fuisse à Chesnio, sed truncam, laceram, mutilámque. Ex quibus, *Gregorio* nempe Catinensi, & *Joanne* Grammatico, Gregorius Urbanus tanto post tempore Chronicon suum, sive Annales, voluminibus antea digesta fuerant, redegit, ordinavit, supplevit &c. additis,

quæ post illorum tempora, & quæ sub Congr. Casin. evenerunt. Antiquum Chronicon Farfense nuperrimè typis traditum est Mediolani à Societate Palatina Part. 2. Tom. 2. Collect. Script. Rer. Italic. Sed deest 4.tus Tomus Diplomatum &c. quod ex Armellini quidem sententia longè majus operæ pretium fuisset edere, quia nimirùm Palatini Socii ejus copiam minimè habere potuerunt. Armell. l. c. pag. 194.

ANGELI MARIÆ QUIRINI Eminent. S. R. E. Cardinalis, *Cœnobium Farfense*. Opus in tres partes distributum, in quarum prima undecim Dissertationibus, Ecclesiastica & Civilis Historia ex monumentis potissimùm Farfensibus illustratur. In secunda, Historia Farfensis Cœnobii, series, & Chronologia Abbatum exhibetur. In tertia Chronicon Farfense, ante 600. annos à Gregorio Catinensi * conscriptum, aliáque ex Farfensi Tabulario anecdota producuntur. Armell. l. c. pag. 45. Vide etiam Comentarium, quem Eminent. Cardinalis scripsit de Rebus ad se pertinentibus part. 2. lib. 1. pag. 124.

* di Poggio Catino.

FERRARIENSE Monasterium. Historia Abbatiæ Ferrariensis per Guillelmum Morin, hujus Abbatiæ Priorem in lucem data est Parisiis anno 1613. in 12.

FIGIACENSE in Diœcesi Cadurcensi Monasterium. Historia auctore incognito, sed vetusto extat apud Baluzium Miscell. tom. 2. p. 298. Anno 1536. Monachi à Paulo III. Bullam v. kal. Septemb. impetrârunt, excutiendi jugum regulæ S. Benedicti, ut fierent Canonici seculares. Id tamen exsecutione caruit, usque ad annum 1556. quo Henricus II. Rex rogatus à Gregorio d' Armagnac Cardinali Abbate Figiaci consensum præbuit, mense Februario. Nunc igitur Figiacum est Ecclesia Collegiata. Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 1. pag. 171 - 177.

FLAVINIACENSE in Burgundia Monasterium. Historiam composuit *Daniel Georgius Viole* è Congr. S. Mauri, quæ MS.ta asservatur in Bibliotheca D. de la Marre, Consiliarii Parlamenti Divionensis. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. p. 492. Compendium verò extat inter Opera V. Guitberti Abb. Novigent. pag. 492.

FLORENTINUM S. Mariæ Monasterium. Hujus Abbatiæ multis nominibus inclytæ alumnus & Abbas Titularis erat *Placidus Puccinellus*, qui ad calcem Historiæ *Hugonis* Principis, Italicè scriptæ subjecit Chronicon Monasterii S. Mariæ in Urbe Florentia cum ejus Privilegiis Pontificiis & Cæsareis. Mediolani in 4. an. 1664. typis Malatestæ.

FLORIACENSE Monasterium. Chronicon breve ab an. 615. ad 1060. edidit Baluzius tom. 2. Miscell. pag. 303 - 307. Poëma verò de Fundatione prima Cœnobii Farfensis extat apud Duchesn. Collect. Script. Rer. Franc. tom. III.

FULDENSE, illustrissimum, ac totius Germaniæ & Galliæ princeps Archisterium. Chronicon usque ad sua tempora *Megenfridus*, Monachus Fuldensis perduxit. Floruit autem *Megenfridus* sub Ottone II. & III. nec non Henrico II. qui Ottoni III. successit. Hoc Chronicon Trithemius se & vidisse & habuisse testatur in Chronico Hirsaugiensi, his verbis: „ Claruit „ etiam his temporibus Meginfridus, „ Monachus Fuldensis, Chronographus. ---- Is inter cætera ingenii „ sui Opuscula Historiam sui monasterii ab origine diligenter complexus, Abbates singulos secundùm „ ordinem temporis sibi ad invicem „ succedentes inseruit, & uniuscujusque gesta breviter annotavit. Eorum quoque Cœnobiorum, quibus „ vel Monachos ex Fuldensi missos „ novit, vel Abbates, pari ratione „ meminit: quorum & successiones „ Abbatum, & memorabilia facta „ interserendo, compendiosè descripsit. Ex cujus viri laboribus „ multa me fateor, in hoc Opere nostro de Hirsaugiensi historia necessariò commiscuisse. „ Hæc Trithemius. Dolendum, quòd hoc Chronicon cum cæteris Megenfridi non contemnendis opusculis intercideril. Hujus etiam Historiæ jacturam luget Browerus lib. 1. Antiq. Fuld. cap. 14. Floruit Megenfridus seculo decimo ineunte, dein ad Parthenonis regimen evocatus, sive Magdeburgensis Monasterii Præpositus factus est. Anno 1729. prodiit Francofurti *Historia Fuldensis* in tres divisa partes ab anno 744. ad præsens usque tempus operâ & studio V. C. *Jo. Frid. Schannat*, cui subjicitur *Codex probationum*, quæ pleræque omnes ex MS.tis Operibus Monachorum & Abbatum Fuldensium depromptæ fuerunt; & primò quidem occurrunt *Acta vetusta* Abbatum Fuldensium ab an. 744. ad 916.

916. pag. 1. CORNELII MONACHII *Breviarium Fuldense* historicum, ex editione *Christ. Francisci Paullini* ab an. 744. ad 1468. pag. 3. *Broweri*, Soc. Jesu, Acta Abbatum Fuldensium ab anno 744. ad 1606. pag. 15. *Vita B. Sturmii*, primi Abbatis Fuldensis, per Ægilem Abbatem, ex Broweri Sider. Ill. Sanct. per Germaniam pag. 67. Excerpta ex vita *Sanctæ Liobæ*, Abbatissæ Bischoffheimensis, scripta à Rudolfo Fuld. Monacho, sub initium seculi IX. pag. 79. *Vita Ægilis* Abbatis Fuld. auctore Candido Monacho ex iisdem Broweri Sider. pag. 88. *Vita Rabani Mauri*, Abbatis Fuld. pag. 117. Literæ *Henrici*, Abbatis Fuldensis, de anno 1253. ad Leodiensem & Lobiensem Abbates, ut juxtà statutum Francofurti, ab Innocentio Pontifice confirmatum, adversùs Margaretham Flandriæ Comitissam ob non petitam à Wilhelmo Rom. R. investituram feudorum, terris privandam procedant. pag. 203. Anonymi *Vita Henrici VI.* Abbatis Fuldensis ex MS^to pag. 304. *Notitia de bello* inter Abbatem Fuldensem & Nobiles à Riedesel exorto, ex veteri Chronico MS^to pag. 311. *Fundatio Ordinis Equestris* utriusque sexûs in honorem S. Simplicii à Johanne Abbate instituti pag. 327. *Mandatum* Maximiliani I. Imperatoris, quo vetat subditos Ecclesiæ Fuldensis citari ad Dicasterium Provinciale Episcopi Herbipolensis pag. 330. *Vita Johannis II.* Abbatis Fuldensis ex Spangenbergii Chron. Henneb. pag. 343. Acta publica circa litem inter Johannem Coadjutorem Fuldensem, & Philippum Hassiæ Landgravium, an. 1526. Erico Brunsv. Duce mediante composita, pag. 375. *Vita Johannis III.* Abbatis Fuldensis ex Spangenbergii Chron. Henneb. pag. 414. *Philippi Abbatis* Constitutio de moribus Religiosorum observandis pag. 416. in qua se vocat *Abbatum Ordinis S. Benedicti per Germaniam & Galliam Primatem. Joachimi Abbatis* deductio juris sui adversùs Equestrem Ordinem Buchoniæ anno 1648. pag. 434. *Index emortualis* Abbatum Fuldensium ex MS^to pag. 463. *Necrologium Fuldense* autographum ab an. 779. usque ad 1065. pag. 464. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. VI. p. 652.

SAN-GALLENSE celebratissimum & Principale Monasterium. Primus, quod sciam, illius historiam condidit *Werembertus* Scholæ Præfectus, vir in omni doctrinarum genere multùm exercitatus & eruditus; quem B. *Notkerus Balbulus*, Monachus etiam S. Galli anno 912. mortuus excepit. Is historiam S. Galli & subsequentium temporum usque ad suam ætatem in morem Ciceronianum, id est, per Dialogos scripsit. Eos audio, inquit Goldastus, alicubi extare in Palatinatu apud viduam Wolfgangi Weteri San-Gallensis Ecclesiastæ quondam Palatini. Alios Scriptores, qui Chronicon San-Gallense, vel potiùs Monasterii hujus varios conscripserunt casus, in unum corpus congestos, edidit idem Goldastus tomo I. Aleman. Rerum, & sunt ferè sequentes.

RATPERTI, Monachi S. Galli Liber de Origine & diversis casibus S. Galli in Alemaña. pag. 1. -- 11.

EKKEARDI Junioris Cœnobitæ S. Galli Liber de Casibus Monasterii S. Galli in Alemannia pag. -- 64.

BURKARDI Monachi S. Galli lib. de Casibus Monasterii S. Galli in Alamannia ab anno 982. ad 1204. pag. 65-76.

CUNRADI de FABARIA, Presbyteri S. Othmari Liber de Casibus Monasterii S. Galli in Alamannia p. 76.

-- EJUSDEM Catalogus Abbatum, qui præfuerunt Monasterio S. Galli. pag. - 91. editionis novæ pag. 76. & 91.

BERTHOLDUS Monachus S. Galli an. Dom. quasi 1281. descripsit ætatis suæ Abbates, ab anno 1199. ad 1292. ex quibus paucissima superant, quæ Goldastus edidit pag. 92.

TUIFBURGUS, Monachus S. Galli, quin auctor sit Ephemeridum Monasterii S. Galli, quas ex variis hinc inde anniversariorum libris collegit, nullus ambigit Goldastus. Et fidem facit ipse MS. Cod. in quo legitur: *Iste liber est S. Galli, & Dominus in Tuisburg scripsit istum librum anno Domini MCCLXXII.*

Cùm igitur *Werembertum* Historiæ San-Gallensis primum conditorem *Ratpertus* continuaverit, *Ratpertum Notkerus Balbulus* exceperit, hunc *Ekkeardus junior, Cunradus de Fabaria, Bertholdus, Tuifburgus* secuti memoriam rerum gestarum conservârint, pro uno tantùm Chronico eorum Opera conjunctim sumpta habenda erunt.

Hisce Scriptoribus verò annumerari meretur *Hermannus Schenck*, Bibliothecæ Præfectus, cujus sunt

1.) *Historiæ Monasterii S. Galli tomus tertius.*

2) *Epitome Historiæ Monasterii S. Galli in* 4.

3.) *Acta Monasterii S. Galli, seu Jura secundùm chronotaxin,* in fol. Vid. Felix Egger in Idea Ord. S. B. lib. 2. pag. 575.

GANDESIANUM, seu *Gandersheimense* Monasterium. *Henrici Bodonis* in Cœnobio Clusa Monachi Benedictini Syntagma de Constructione Cœnobii Gandesiani, perfectione quoque & defectione ejusdem ab anno octingentesimo sexagesimo quinto usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum edidit Meibomius Tomo II. Scriptor. Rer. Germ. pag. 476. sed mutilum, ut ipse fatetur, cùm in Mf.to, quod ipsi obvenit, quædam deessent. Hoc Syntagma sæpiùs in partes vocant Joannes Georgius Leuckfeld in suis Antiquitatibus Gandersheimensibus, & Cl. Harenbergius in suo etiam vastæ molis & eruditionis Chronico Gandershemensi.

GARSTENSE superioris Austriæ Monasterium. De Chronico Bernardus Pezius mentionem faciens „ Vidimus, inquit, hoc insigne antiquitatis Monumentum in Bibliothecæ Cæsareæ MS. in Codice membranacéo, in folio, cujus prior pars, quæ res ab anno Christi DCCCCLIII. usque ad MCLXXXI. complectitur, hoc ultimo anno perscripta fuit in *Garsten*, ut ibidem à coæva manu notatur. Reliqua subsequentibus temporibus à diversis, sed æqualibus Scriptoribus addita fuerunt usque ad an. MCCLVIII. qui in hoc Chronico ultimus est. Narrat electiones & obitus Abbatum Garstensium, aliorúmque, quibus non pauca de publicis rebus, Principúmque factis adscripta legas &c. Hactenus ille, cujus frater germanus Hieron. Pezius excerpta ex hoc veteri Chronico protulit Tomo II. Script. Rer. Austr. pag. 143.

GEMBLACENSE in Brabantia Monasterium non tam à proventuum copia, quàm monachorum suorum doctrina & pietate celebratum. Unde ea Viri docti extitit vox: *Vis cum moribus optimis pietatem imbibere? Gemblacum vade. Vis erudita commercia, & sacram supellectilem tractare? Gemblacum vade.* Chronicon Monasterii ab anno 922. ad an. 1013. extat in Dacherii Spicilegii tom. VI. & J.B. Grammayen Antiquitatibus Belgicis pag. 26. & seq.

GENUENSE S. Benigni Monasterium. *Nicolaus de Albicis* Prior Cœnobii SS. Pauli Apostoli & Benigni Martyris *de Capite Phari* in Urbe Genua an. 1471. scripsit Latinè Compendiariam Historiam ejusdem Monasterii S. Benigni ab an. 1101. quo ab Othone Abbate olim S. Victoris Massilien. & postea Episcopo Genuensi erectum fuit, usque ad annum 1460. quo sub Pio II. Pont. Max. ad Congr. S. Justinæ, mox Casinensem, transivit; extat mſ. in 4. pag. 40. in Tabulario prædicti Cœnobii, Armell. l. c. pag. 112.

GERARDIMONTENSE in Belgio Monasterium. *Benedictus Ruteau* Hanno-Montensis Monasterii S. Dionysii propè Montes Religiosus Benedictinus, & quondam Scholarum Rector apud Gerardimontenses edidit tum Latinè tum Gallicè Chronicon Abbatiæ Gerardimontensis in 8. Athi an. 1637. Vide Foppenium Bibl. Belg. pag. 134.

GIRWENSE, vide infrà *Wiremuthense* Monasterium.

GLADBACENSE in Ducatu Juliacensi Monasterium à Gereone Archiepiscopo Coloniensi anno 974. fundatum fuit in honorem B. Virginis Mariæ & S. Viti Martyris. Chronicon reperitur in Acherii Spicileg. Tomo XII.

GLANOFOLIENSE in Gallia Monasterium. *Deodatus Bartholinus* Monachus Abbatiæ Florentinæ S. Mariæ historiam Glanifolii, tacito suo nomine, adjecit vitæ S. Mauri Abbatis, typis vulgatæ anno 1722. Lucæ per Dominicum Ciuffetti. Armell. l. c. pag. 48.

GLASTONIENSE in Anglia Monasterium. *Johannis Confratris & Monachi Glastoniensis Chronica*, sive *Historia de rebus Glastoniensibus Chronica*, ex Codice MS. membraneo antiquo à Thoma Hearne descripta, editáque Oxonii è Theatro Scheldoniano an. 1726. in 8. maj. duobus voluminibus cum excerptis è *Richardi de Becre* terrario Cœnobii Glastoniensis, diplomatibúsque & indice librorum, anno 1248. & reliquiarum in eadem Ecclesia: nec non appendice Epistolarum &c. Vid. Act. Erud. Lipſ. an. 1729. pag. 181. Bibl. Angloise Tom. XV. pag. 35. Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 20.

GLO-

GLOCESTRIENSE in Anglia Monasterium. *Gregorius* Monachus Glocestriensis ab adolescentia usque ad extremam senectutem, per annos circiter sexaginta in stricta disciplinæ regularis observantia, & in virtutum ac bonarum literarum studio constanter perseveravit. Quo ferè toto tempore omnes vacuas horas in historiarum lectione & scriptione utiliter posuit, & sui Monasterii res notatu digniores ab anno Christi sexcentesimo octogesimo sumens exordium usque ad an. 1290. ordinatè deduxit. In quo Opere multa de Regibus Merciorum durante Heptarchia, tum postea de Regibus Anglorum florente Monarchia, observata annorum serie optimè prosecutus est, totique Operi titulum præfixit:

Annales sui Cœnobii, lib. un. Anno ab incarnatione Domini 681. Claruit senex anno, postquàm Virgo peperit 1290. Pitseus de Script. Angl. æt. XIII. pag. 375. Cæterùm de Benedictinis Monasteriis olim in Anglia florentibus, hodie verò post Henrici VIII. apostasiam extinctis, sunt aliqua licèt perpauca, quorum seu Annales seu Chronica jam indicavimus; aliorum verò notitia qualisqualis in *Wilhelmi Dugdale* & *Rogeri Dodesworthi Monastico Anglicano* Tomo I. suppeditatur. Mihi hîc annotâsse verba sufficiat, quibus Angli etiam Acatholici prudentiores horum Monasteriorum cum aliis aliorum Religiosorum Ordinum lugent interitum:

„ Fuerunt regnante Henrico VIII. „ (fas sit meminisse) avitæ pietatis „ monumenta ad Dei honorem, fidei „ Christianæ, bonarúmque literarum „ propagationem & pauperum sustentationem domus religiosæ, scilicet „ monasteria, sive abbatiæ, & prioratus DCXLV. E quibus cum PP. „ Clementis VII. permissu XL. fuerunt suppressæ in gratiam Cardinalis *Wolsæi*, qui tunc duo Collegia, „ alterum Oxoniæ, alterum Ipswichi „ inchoaverat: statim circa annum „ XXXVI. Henrici VIII. in rempublicam Angliæ ecclesiasticam, quasi „ torrens rupto aggere irruit, qui gentis ecclesiasticæ partem maximam, „ orbe stupente, & Anglia ingemente cum pulcherrimis ædificiis funditùs prostravit. Nam quod Papa „ Cardinali, Rex sibi Parliamenti assensu permisit. Unde anno MDXXXVI. singulæ religiosæ ædes „ cum facultatibus omnibus, quæ in „ redditibus annuis ducentas libras „ vel minùs haberent, numeróque „ erant CCCLXXVI. Regi fuerunt „ concessæ. Et anno insequenti specioso eruendæ superstitionis obtentu reliquæ cum collegiis, cantariis, „ & hospitalibus, Regis arbitrio fuerunt permissæ. Quo tempore censitæ, sive taxatæ fuerunt religiosæ „ ædes superstites DCV. Collegia, „ præter eas in Academiis XCVI. „ Hospitalia CX. Cantariæ & liberæ „ Capellæ MMCCCLXXIIII. Quæ „ pleraque omnia brevi post tempore „ passim diruta, redditus distracti, & „ opes, quas Christiana Anglorum „ pietas, ex quo primùm Christo nomen dedissent, Deo consecraverat, „ quasi momento dispersæ, &, absit „ verbo invidia, profanatæ. „ Hæc Wilhelmus Dugdale & Rogerus Dodesworthus, Acatholici Scriptores Monastici Anglicani tomo 1. p. 1049.

Cùm verò dicunt, quasi *momento dispersa* fuisse monasteria, nemo ipsis fidem abrogabit, qui aures advertere velit ad ea, quæ de subversionis modo à Rege Henrico adhibito in literas retulit Reginaldus Polus, & ipse Anglus, atque eidem Regi sanguine junctus. Sic verò in Apologia ad Carolum V. Cæsarem (a) loquitur: „ Rex Henricus Monasteria ad prædam sibi designari & exscindi jussit. Hæc verò „ cum tardiùs dirui audiret, hac arte „ est usus, quâ in bello in expugnandis hostis urbibus, uti Duces solent „ ad celerem eversionem, ut immisso „ in fundamentis murorum pulvere, „ & ignem scilicet adhiberet. Qua „ ratione plurima, & præclarissima „ regni ædificia, & sola digna, quæ „ pro ædificiis in Anglia spectentur, „ maxima ornamenta regni, & præclarissima monumenta pietatis majorum nostrorum, ac plebis egestati maxima subsidia, quæ hostium „ incursionem toties evasissent, tot seculis durâssent, una hora absumpsit, ut unius hominis ardenti avaritiæ satisfieret, si hominem adhuc „ appellare possumus, à quo humanæ „ malitiæ & impietatis terminos tam „ longo intervallo videmus superatos. „ Ita Reginaldus Polus in sua Apologia, in qua etiam horrenda describit supplicia, quibus impiissimus iste Rex multos integerrimæ vitæ Religiosos homines è vita sustulit.

GOTT-

(a) pag. mihi 92. edit. Quirin.

GOTTWICENSE Austriæ Inferioris Monasterium. Chronicon Gottwicense, seu Annales Liberi & Exempti Monasterii Gottwicensis O. S. B. Inferioris Austriæ, non publicam quidem lucem jam aspexit, ejus tamen *Prodromus* duobus vastæ molis tomis in folio anno 1732. vulgatus est à R.mo Godefrido Abbate Gottwicensi, quem, quæ sapienter ac prolixè de hujus Chronici conscriptione, atque editione publico pollicitus fuerit, audire præstat: „ Gradum, inquit, faciemus ad indagandam originem, „ statum antiquum, & medium *Gottwici*, fundationem, donationem „ ac fata Monasterii nostri Gottwicensis, genus, natales, & res gestas Beati *Altmanni*, Conditoris ac „ Fundatoris nostri, à duobus Biographis, diversis olim temporibus „ memoriæ proditas; Ponè comparebit insignis codex *Traditionum*, „ sive Chartularium Monasterii nostri -- Succedet deinde Abbatum „ Gottwicensium Historia, æquissimis quidem hisce legibus concinnata, ut cujuslibet egregias animi „ ac ingenii dotes, præclara de Ecclesia nostra, Republica, bonisque „ literis merita dignis laudibus celebremus, eorum verò qui à recto tramite descifcentes, incuria & negligentia sua sibi posterisque detrimentum attuleruut, sequiores „ mores, consilia, & malefacta minimè dissimulemus, nihil scilicet „ animo, partium studio, aut odio „ privato, quod à Religioso Scriptore procul absit, sed uni veritatis amori omnia tribuentes. „ Hæc R.mus Abbas Besselius anno 1732. Qui quòd priùs anno 1749. die 20. Jan. vita excesserit, quàm fidem publico datam persolverit, alii alias afferunt causas, ego illam esse præcipuam existimo, quòd Chronico Gottwicensi inferenda sit *Austriæ antiquæ & mediæ Geographia, unà cum terminis, & limitibus, quibus Styriam versùs reliquásque confines provincias & gentes circumscripta est.* Hoc opus, hic labor est, quo doctissimi cujúsque Scriptoris calamus multorum annorum decursu sufflaminari potest.

GOZENSE in Saxonia Monasterium, diœcesis quondam Nuenburgensis, ab Adelberto II. Archiepiscopo Bremensi, & Friderico II. Comite Palatino II. Saxoniæ an. 1053. in honorem B. V. M. & S. Michaëlis Archangeli fundatum. Primus ejus Abbas fuit S. Benno, Episcopus deinde Misnensis. *V. Trithemii Epist.* 64. *ad Papam Julium* 2. *p.* 491. *Edit. Freheri* 1601. *it. Epist.* 31. *ad Abbatem S. Matthiæ Trev. Operum Spirit. Trithemii edit. Bussæi* 1605. Superest de hoc Monasterio Chronicon ab anno 1041. ad annum 1135. quod J. J. Maderus Helmstadii anno 1665. vulgavit. Vide Leuckfeld Antiqq. Bursfeld. pag. 84.

HASNOVIENSE Monasterium. Ejus Historia, Auctore *Tomello* Benedictino, Balduini cognomento *Montani*, Flandriæ & Hannoniæ Comitis Secretario, prælo subjecta fuit ab Edm. Martene & Urs. Durand Thes. Anecdot. Tom. III. p. 777.

HEIDENHEIMENSE in Suevia Monasterium. *Adelberti* Abbatis Heidenheimensis Relatio historica de restitutione sui monasterii Benedictinis facta sub Eugenio Papa III. edita est à Jacobo Gretsero S. J. Ingolstadii an. 1617.

HILDENSE in Anglia Monasterium, de cujus rebus Thomas Radburnus, ibidem Professus, scripsit librum unum, teste Pitseo æt. 15. ad an. 1480. p. 668.

HILDESHEIMENSE S. Godehardi Monasterium. *Johannes Legati* sive *Legatius* Monachus hujus Cœnobii claruit circa an. 1500. atque impulsu Abbatis sui *Henningi* scripsit *Chronicon* Cœnobii S. *Godehardi* ab anno 1132. quo conditum est, ad sua usque tempora: quod Ill. Leibnitius Tom. II. Scriptor. Rer. Brunsv. pag. 404-426. juris publici fecit.

HILDESHEIMENSE S. Michaëlis Monasterium. Chronicon à monacho Anonymo ejusdem loci conscriptum ab an. 993. ad an. 1520. extat apud Meibom. Tom. III. Rer. Germ. pag. 577. & apud Leibnitium Script. Rer. Brunsv. Chronicon ab anno 1001. ad 1706. pag. 399-403. Hujus inclyti Monasterii Fundatori S. Bernwardo exordia sua debet Urbs Hildesheimensis. Quantas verò calamitates, vexationes, atque adeò persecutiones longè gravissimas ab anno 1521. & præcipuè ab anno 1542. quando Hildeshemium ad Lutheri sectam defecit, ab eadem Acatholica urbe Monasterium hoc pertulerit, memoriæ prodit Cl. *Benedictus Stolte*, ejusdem Cœnobii Philosophiæ ac Theologiæ Lector doctissimus, postea verò magnus Cellerarius *in dem kurzen und Acten - mässigen Bericht*

von

von der Stifftung des Closters S. Michaelis in Hildesheim. Gedruckt im Jahr 1733. (Viennæ Austriæ) fol.

HIRSAUGIENSE Monasterium. *Joannis Trithemii Annalium Hirsaugiensium Tomi II. complectentes Historiam Franciæ & Germaniæ, Gesta Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, Abbatum, & illustrium Virorum. Nunc primùm è Manuscriptis Bibliothecæ Monasterii S. Galli editi. Typis ejusdem Monasterii S. Galli anno* 1690. *in fol.* Annales præsentes reliquis Trithemii Scriptis palmam omninò dubiam reddere videntur; quandoquidem in eos aliquot annorum industriam planè singularem impendit, nec ulli pepercit operæ, quò exactam pro suo instituto Historiam literis consignaret. Et vice quidem duplici eundem scribendi laborem adortus est, dum primùm rogatû Blasii Abbatis Hirsaugiæ ab A. C. 838. usque ad an. 1370. narrationis filum perduxit, ac deinde priores schedas denuò excutiens, non parùm eas undique adauxit, quin & integri penè sesqui seculi historiam superaddidit, colophonem in an. 1513. toti Operi imponens. Illa autem imperfecta compositio in lucē primam prodiit Basileæ ex Officina Oporina an. 1559. fol. tum accurante Frehero, qui eam in Bibliotheca Palatina repertam, an. 1601. typis Wechelianis Francofurti curavit inprimi. Nec applausu certè caruit apud viros quoscunque doctissimos, qui ejus auctoritate admodùm frequenter usi sunt, tantòque magis exoptârunt, ut totum Opus aliquando compareret, quod vel quadruplo auctius futurum sibi pollicebantur. Latuit hoc per tempus bene longum intra solos Cœnobii Hirsaugiani parietes, exortísque belli turbis, mox (ut præfatio ab Editoribus præmissa docet) ad Weingartense monasterium, mox ad Sangallenses in Helvetia, tandémque ad Blumeneggense castrum translatum fuit, ac certissimam ruinam, absumente ibi cuncta incendio, tunc subiisset, ni Monasterii S. Galli incolæ, cùm apud eos adhuc detineretur, providè id descripsissent, è quorum etiam apographo, non autem Autographo (ut Ruinartus in vita Mabillonii scribit) hortatu ejusdem Mabillonii demum id cum Eruditis aliis communicatum est. Cùm enim Mabillonius, itinere literario in Germaniam suscepto, ad S. Galli Asceterium pervenisset, in ejus Bibliotheca Trithemii Chronicon Hirsaugiense invenit. Tum verò tanquam de reperto thesauro mirè lætus, cujus esset hoc opus pretii ac momenti Sangallensibus aperuit; ejusdémque editionem impensè suasit, ac persuasit; unde præclari illius Operis, quod in ipso subinde Cœnobio excusum est, publicam editionem Mabillonii curæ ac diligentiæ acceptam referri debere, nemo est, qui eat inficias. Id ipsi Sangallenses Monachi in Præfatione laudati Operis testatum omnibus voluêre, subjectis hisce verbis: *Chronicon*, inquiunt, *surgit nunc redivivum; animante ejus editionem Clarissimo P. Joanne Mabillonio, quem tutelares nostros invisentem in sancto Gallo vidimus, nec sine sensu suavitatis recordamur.* Ruinart. in vit. Mabill. pag. mihi 70. Vid. etiam Operis recensio in Act. Erud. Lipf. anno 1690.

Monitum verò volo Lectorem, eúmque certum esse jubeo, quòd Autographum Trithemianum Annalium Hirsaugiensium, non in Castro Blumeneggensi flammis absumptum fuerit, sed ipsius Trithemii manû scriptum hodiedum Monachii in Serenissimi Electoris Bavariæ Bibliotheca cum cura asservetur; unde cum hoc editio Sangallensis conferri meretur. Id quod fortè V. C. *Oeffelius*, Electoralis Bibliothecæ Præfectus non à doctrina magis quàm humanitate laudatissimus facturus est.

HIRSCHFELDENSE Monasterium, *Lambertus* nobilissimæ Abbatiæ Hirschfeldensis in Hassia, nunc sæcularizatæ, & in Pacificatione Westphalica Landgraphio Hassiæ cum aliis bonis Ecclesiasticis attributæ, Monachus, circa an. 1058. Chronicon Principalis hujus Monasterii concinnavit, ut ex Trithemii Chronico Hirsaugiensi discimus: quod an typis unquam exscriptum fuerit, ignoramus. Negat Jo. Alb. Fabricius, nisi ex eo fortasse petita Monachi Hamerslebiensis excerpta de Imperatoribus ab Henrico Aucupe ad Henricum quintum ex libro de *Herveldiæ institutione*, quæ vulgavit Joach. Joan. Maderus in Antiquitatibus Brunswicensibus, Helmstadii 1678. in 4. pag. 149 - 159. & ex Madero illustris Leibnitius Tomo I. Scriptor. Brunswic. pag. 707. 710. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. xi. pag. 701.

HUYSEBURGENSE in Diœcesi, nunc Principatu Halberstadiensi Monasterium. FRANCISCI BOUVELETH *Annales Huysebnrgens.* Auctor fuit Or-

Ordinem S. Benedicti professus in Monasterio Gerodiensi Diœcesis Moguntinæ, qui exeunte seculo decimo septimo (anno 1698.) rogatu Domini Nicolai à Zizwiz Rev.mi Abbatis Huyseburgensis, anno 1704. defuncti, celeberrimæ hujus & in Episcopatu Halberstadiensi principis Abbatiæ Annales elucubravit in folio, qui adhuc tamen, quod sciam, in Msto jacent. Notitiam etiam de hoc monasterio suppeditat Cl. Paullini in Chronico suo Badeslebiensi in Syntagmate R. G. pag. 273. nec non in Historia sua Visebecensi pag. 28-41. & Chronico Ottbergensi in Syntag. p. 191. quo ultimo loco affirmat, se, postulante prædicto D. Abbate Nicolao à Zizwiz etiam Monasterii hujus Annales ex veteribus documentis adornâsse, quos cum Sagittario communicârit. Præter duplices hosce Annales Chronicon Monasterii Huyseburgensis extat in Meibomii Scriptoribus rerum Germanicarum Tom. 2. pag. 533. Vide plura apud Leuckfeld in Antiqq. Bursfeld. c. 3. p. 97. & p. 82. ubi Bouvelethum ab humilitate, doctrina, & rerum historicarum peritia commendat.

IOTRENSE Sanctimonialium in Gallia Monasterium gloriatur Sanctimoniali perinde doctâ, ac pia, nempe Domina de *Baradat*, dicta de S. Gertrude, quæ hujus Cœnobii condidit historiam. Vid. Voyage Literaire part. 1. pag. 43.

KEMPERLEGIENSE Monasterium in Gallia Aremorica. Breve ejus Chronicon ab an. 843. ad 1279. edidit Baluzius Tom. I. Miscell. p. 520-527. Paris. 1678. in 8.

LAMSPRINGENSE inferioris Saxoniæ Monasterium, olim Monialium, quibus Germania erat patria, Partheno, nunc Monachorum Anglicanæ Congregationis Cœnobium. Chronicon in Mstis reliquit R. P. *Domsonus*, Ss. Theologiæ & SS. Canonum Doctor, loci Professus; quod ut in publicam emittatur lucem, dignum censet Jo. Georg. Leuckfeld in Antiqq. Gandersheim. cap. 25. pag. 282.

LAUDUNENSE S. Vincentii Monasterium, cujus historiam dedit *Æmilianus de la Bigne*, è Congr. S. Mauri, quam Lucas Acherius citat in Spicilegio, ubi etiam ejus Summarium, & Seriem exhibet Abbatum.

LAURISHAIMENSE Monasterium suo non caret Chronico, quod comparet inter Scriptores Rer. Germ. Freheri Tom. I. pag. 56. in noviss. editione Struvii pag. 83. & Tom. III. Scriptorum Rer. Moguntiac. ex editione Francofurti 1631. Fragmentum ejus apud du Chesne Tom. III. p. 490. Alterius Chronici, quod à Freheriano in multis diversum, in lucem emittendi unà cum *Traditionum Lauresheimensium* antiquissimo eóque toto aureolo *Codice* spem fecit R.mus Abbas Besselius in Præfat. ad Tom. Prod. Chron. Gottwic. quam tamen, vitâ functus, non explevit. Prælo tamen paratum me vidisse viginti abhinc annis testari possum. Confer etiam Eckhardum de Rebus Oriental. Franc. tom. 2. pag. 210. ubi Annalium Lauresheim. duos facit Auctores.

LAUTERBERGENSE Montis Sereni propè Halam Monasterium in Diœcesi Magdeburgensi. Chronicon ab A. C. 1124. ad 1125. lucubravit Conradus ejusdem Cœnobii alumnus, edidit verò primus Joachimus Joannes Maderus ex apographo Meibomiano, qui illud ex Freberi Codice descripserat, Helmstadii an. 1665. in 4.

LEMOVICENSE sancti Martialis Monasterium. MS. Chronicon ab an. 1161. ad annum 1220. auctore *Bernardo Itherio* Monacho & Armario hujus Cœnobii, asservatur in ejusdem monasterii Bibliotheca. Literis fuit mandata an. 1220. MS. Idem usq; ad an. 1310. à diversis hujus loci Monachis conscriptum in folio. Hoc Chronicon asservatur in Bibliotheca Colbertina num. 1020.

LEMOVICENSE S. Martini Monasterium. Chronicon ab anno 618. ad an. 1247. perductum est ab Auctore *Petro Coral*, Abbate hujus loci, hoc anno 1247. electo; ab aliis deinde continuatum, ab anno 1221. usque ad annum 1296. Hoc Chronicon asservatur in ejusdem Cœnobii Bibliotheca, & in Colbertina num. 3892. & tomo secundo Fragmentorum Historicorum, quæ Claudius Estiennot in Monasterio S. Germani collegit.

LEODIENSE S. Laurentii Monasterium. *Adrianus de veteri Busco*, Belga, Monachus hujus loci professus scripsit Sec. XV. post *Rupertum*, *Reinerum*, & *Lambertum* historiam sui Cœnobii, quæ apud Martene & Durand reperitur tom. IV. Vet. Script. & Monument. à pag. 1033-1198.

LUNÆLACENSE Superioris Austriæ antiquissimum Monasterium, Chronicon

con juxtà Seriem Abbatum trina rerum memorabilium Genera recenset. 1.) Vitas & Gesta Abbatum, quotquot ab anno Domini 748. qui primus, usque ad annum 1748. qui à Fundatione millesimus numeratur, Lunælacensi præfuêre Monasterio. 2.) Instrumenta Fundationis & Dotationis Monasterii, id est: Bullas SS. Pontificum, Conciliorum generalium, S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum & Episcoporum: Diplomata Romanorum Imperatorum, Regum, Austriæ Archiducum, Ducum Boiariæ, Principum & Dynastarum: Donationes Nobilium & Privatorum. 3.) Imperiorum, Regnorum, & Principatuum vicissitudines Monasterio Lunælacensi contemporaneas. Ex Archivii Manuscriptis antiquo-novis collectum aB Archivario Lunælacensi ad Annum Jubilæum Millenarium. Sumptibus Joannis Gastl Bibliopolæ Pedepontani. MDCCXLVIII. in 4.

Mantissa Chronici Lunælacensis, in qua Descriptio Jubilæi Millenarii recens celebrati exhibetur. Sumptibus ejusdem Gastelii MDCCXLIX. in 4.

MAILROSENSE, sive Melrosense in Scotia Monasterium. Chronica non uno, sed incertis auctoribus, edita reperitur in Joannis Felli collectione Scriptorum Rerum Anglicar. Oxon. è Theatro Scheldoniano 1684. fol. Vide Guillelmi Nichols Bibliothecam Historicorum Angliæ pag. 62. seq. & Scotiæ pag. 79. seq. & in appendice pag. 347. seq. ubi exhibet notas triplices Johannis Jamesoni in illud Chronicon, primas quidem, quibus probat, illud esse ab Anglo & Scoticarum rerum parùm perito interpolatum, secundas quibus illustratur, & tertias paucissimásque illas, quibus corrigitur. Ita Jo. Alb. Fabr. Bibl. med. Lat. Vol. 5. p. 20.

MAJUS MONASTERIUM, Gallicè *Marmoutier*. Historia MS. hujus Abbatiæ unà cum codice Probationum per Edmundum Martene è Congreg. S. Mauri duobus vol. in fol. asservatur in Monasterio S. Germani à Pratis.

MALLEACENSE S. Maxentii in Pictaviensi Diœcesi Monasterium asservat Chronicon majus ab Orbe condito ad an. 1140. ex hoc excerpta vide apud Labbeum tom. 2. Biblioth. Nov. Manuscr. pag. 190-221.

MANTUANUM S. ANDREÆ Monasterium, Breve ejus Chronicon ab anno 1017. usque 1418. confecit *Antonius Nerlius* Abbas.

MARCIANENSE Monasterium quo tempore à Simone, vigesimo secundo Abbate regebatur, habuit monachum rei historicæ peritum, qui Præsulis sui hortatu Chronicon conflavit, quod tamen in MS.^to adhuc latet. Vid. Hug. Menard. Menolog. Observat. lib. 1. die 1. Aug. p. 291.

MARGARENSE in Anglia Monasterium. Annales ab an. 1066. ad 1232. pertingunt, editi à Thoma Galeo Tomo 2. Scriptorum veterum Rerum Anglicanarum p. 1-19. Oxon. 1687. fol.

S. MARIÆ de LICODIA, & S. NICOLAI de ARENIS Monasterium. Chronicon ab anno fundationis 1136. ad annum 1590. deducitur; quod, auctore *Bartholomæo Taberna*, Siculo Benedictino, *Monasticon* dici potest, cùm, ut infrà videbimus, de multis aliis agat monasteriis.

S. MARTINI de BELLO Monasterium in Anglia. Chronicon ab incarnato Christo ad an. 1206. MS. in Bibl. Cotton. sub effigie *Neronis* Lit. D. Cod. II. n. 4.

MASSIACENSE S. Martini Monasterium in Diœcesi Bituricensi. Chronicon breve ab an. 732. ad 1013. in Labbei Bibl. Nov. MSS. tom. 2. p. 732-733.

MEDIANUM in Monte Vosago Monasterium è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi. Historiæ typis excusæ Argentorati apud Joannem Reinold in 4. an. 1724. auctor habetur *D. Humbertus Bellhomme*, Abbas Medianensis, vir magnæ doctrinæ, Monasterii instaurator, quod etiam Bibliothecâ, quæ vix parem in Lotharingia habet, magnis sumptibus instruxit. Mabillonius in Not. & Observ. præviis ad vitam S. Leonis IX. Sec. VI. Bened. part. 2. meminit *Joannis Bayon*, qui etiam historiam Medianensis monasterii scripsit; cujus Scriptoris notitiam se R.^mo D. *Hyacintho Alliotb*, Medianensis Monasterii Abbati Congr. S. Vitonis se debere fatetur. Sed de hoc Authore & Historico nemo meliùs & fusiùs, atque ipse Abbas *Bellhomme* in laudata Historia.

MEDIOLANENSE S. Ambrosii Monasterium. *Placidus Pucinellus* dedit Compendium, sive brevem Historiam Imperialis hujus Abbatiæ cum annalistica serie omnium Abbatum ejus-

dem Monasterii ab anno 791. usque ad annum 1650. Opus, nisi fallor, typis nondum editum, quod Mediolani in monasterio S. Simpliciani asservatur. Armell. Bibl. Cas. part. 2. p. 154. & 155.

MEDIOLANENSE *SS. Petri & Pauli de Glaxiate* Monasterium. Chronicon mox laudatus *Pucinellus* vulgavit Mediolani apud Malatest. anno 1655. Eo verò continentur Abbatum omnium regimina, Diplomata, Privilegia, Decreta Pontificum, Cæsarum, Regum, Ducúmque & Principum; item & Sacrarum Reliquiarum nomina, Tribunarum, nec non sepulchrorum erectionum tempora, unà cum Inscriptionibus, & omnium Monachorum, qui hoc in Monasterio habitu monachali fuêre exornati, nominibus, & Professionis anno. Armell. l. c.

MELLICENSE Austriæ Inferioris princeps Monasterium. Historia fundationis Cœnobii Mellicensis virtute & doctrina suorum alumnorum hodie florentissimi circa an. 1000. auctore anonymo ejusdem Cœnobii monacho ad sex Codd. Mss. Mellicenses recognita, typisque excusa Tomo I. Script. Rer. Austriac. pag. 297 - 301. *Carolus Stengelius* brevem ejusdem Monasterii historiam composuit cum Catalogo Abbatum, fusiorem & accuratiorem *Anselmus Schramb* ejus loci Professus, Vindonensibus typis editam in fol. an. 1702. Opus admodùm concinnum à Jo. Burchardo Menkenio non imeritò vocatur. Ejus recensionem vide, si placet, in Act. Erud. Lips. Supplem. Tom. V. Sect. VI. p. 253. Nævis tamen suis non caret. Vide Cl. Kropfii præfationem ad Bibliothecam Mellicensem.

MESSANENSE S. Placidi Monasterium. *Flaminius Patè*, Siculus, Abbas è Congr. Casin. Opus in lucem dedit sub epigraphe: *Ortus & Progressus Monasterii S. Placidi de Calonero Urbis Messanæ*, impressum ibidem typis hæredum Petri Brea anno 1644. in 4. Auctor obiit Messanæ an. 1651. Armell. l. c. p. 171.

METENSE in Bavaria Monasterium. Vide infrà *Monasticon Ulrici*.

S. MICHAELIS Archangeli Montis Caveosi Monasterium. *Seraphim Tansi* hujus Cœnobii in Apulia anno 1683. Professus scripsit Historiam ejusdem Chronologicam ab an. 1065. ad an. 1484. Summa fide, parique diligentia ex Tabulario depromptam; cui adjecit *Seriem Chronologicam* Benefactorum ejusdem Monasterii.

S. MICHAELIS *in Periculo maris* Monasterium. *Robertus de Monte* Abbas Sec. XII. historiam hujus sui Cœnobii condidit, quæ vulgata est à Mabillonio in Analectis, pag. 350. verùm tacito nomine Auctoris, non verò ut Caveus & Oudinus scribunt, à Dacherio in Spicilegio.

MOGUNTINUM S. Jacobi Monasterium. *Wolfgangus Trefflerus* Cœnobita perdoctus ad S. Jacobum Moguntiæ scripsit Monasterii sui Chronicon, quod ipse in aliis suis lucubrationibus posteritati relictis non semel testatur. Extat verò hujus cœnobii descriptio in Christ. Joannis Tomo II. Rer. Moguntiacarum.

MONSERRATENSE in Catalaunia totius Hispaniæ celeberrimum Monasterium. *Anselmus de Forcada* Catalanus ex *Poetio-Ceretaniæ*, sive *Puius-Cerda*, municipio domûs Monserratensis, cùm in Monasterium venisset S. Petri de Arlanza, Burgensis Diœcesis, scripsit *La Historia del Monasterio de Monserrate*, id est: *Historiam Montis Serrati*. Nic. Ant. Bibl. Hisp. nov. pag. 74.

MONS S. MICHAELIS Galliæ Monasterium. MS. Historia Generalis Abbatiæ S. Michaëlis composita an. 1638. per Joannem Huynes Monachum ejusdem Abbatiæ & an. 1640. ab eodem ad limam revocata, asservatur in folio inter Mss. Codd. Monasterii S. Germani à Pratis.

MORIGNIACENSE, sive *Maurigniacense* Monasterium in diœcesi Senonensi. Chronicon auctoribus *Theulfo* & aliis Monachis ab an. 1108. ad 1147. Libris II. editum in Duchesnii Tom. IV. Rer. Franc. p. 359. - 389. Vid. Sammarth. Tom. IV. Gall. Chr. pag. 668.

MURENSE in Helvetia Monasterium, cujus Abbas S. R. I. Princeps est. Non parùm verò celebria sunt *Acta Fundationis*, Privilegiis Apostolicis ac Cæsareis, Principum, aliorúmque fidelium antiquis largitionibus, & aliis authenticis ejusdem Cœnobii monumentis insignita, atque oculatotum nonnunquam testium relatione firmata. Auctor est Monachus Anonymus Murensis Monasterii, vixitque ante annos sexcentos & plures; nimirùm, ut ipse testatur, sub Kanzelino Abbate, de quo ibidem agitur in Instrumentis annorum 1128. & 1132. Scripsit autem, ut videtur, paulò

paulò post obitum Alberti Comitis Habsburgici circa annum plus minus 1142. Monuitque posteros, ut sicut ipse, quæ vel ante eum, vel suis temporibus huic sanctæ Ecclesiæ collata fuerant, descripserat; sic & illi facerent, qui post ipsum essent venturi. Atque ista Acta Murensia typis mandata fuerunt Spierembergii, veriùs & certò Parisiis in 4. anno 1618. Constantiæ ad Rhenum anno 1651. Eadenuò recudi curavit Joannes Petrus de Ludewig Tomo II. Scriptor. Bamberg. & Jo. Georg. Eccard inter Probationes Originum Habspurgo-Austriacorum n. XXXVI. De ungue Critico, quem Cl. Marquardus Herrgott in Opere Genealogico-Diplomatico de Augusta Domo ac Gente Habsburgica hisce Actis impressit, alio loco dicturi sumus.

.. *Murus & Antemurale*, id est, Descriptio Principalis Monasterii Murensis Ordinis S. Benedicti, ejúsque Privilegiorum. Typis Monasterii Murensis in 4. anno 1720.

De MUNSTER, Abbatia, seu Monasterium. MS. Historia per Dom. Augustin. Calmet è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Abbatem, asservatur in ejusdem Abbatiæ Bibliotheca.

NEAPOLITANUM S. Severini Monasterium. In hoc Ordinem S. Benedicti professus fuit *Benedictus Laudati* anno 1678. Reliquit verò *Breve Chronicon regalis Neapol. Monasterii SS. Severini & Sosii*, MS.tum; quod magno usui sibi fuisse in concinnanda Bibliotheca Scriptorum è Congr. Casin. testatur Marianus Armellinus l. c. p. 99.

NERITINUM Monasterium. Ejus Chronicon, auctore *Stephano* Abbate montis alti ab anno 1090. usque 1368. deductum, ab alio Monacho usque 1412. continuatum fuit.

S. NICOLAI de ARENIS Monasterium. Vide *S. Mariæ de Licodia* suprà.

NIDERALTAHENSE, vide Monasticon *Ulrici* infrà. Latinè *Altaha Inferior* dicitur, de qua suprà.

NONANTULANUM Monasterium, præpotens olim, ac celeberrimi nominis in agro Mutinensi circa A. C. 752. fundatum fuit. Opusculum verò de ejus fundatione conscripsit Monachus Nonantulanus, proximæ (ut videtur) ætatis, quod Lud. Ant. Muratorius unà cum Notis Mabillonii, ex Actis Sanctorum O. S. B. Seculo IV. depromptum inseruit Scriptorum Rer. Italic. Tomi I. Parti II. pag. 185.

NORIMBERGENSE S. Ægidii Monasterium. Chronicon seu Historia fundationis dicti Cœnobii insertum habetur Chronico Civitatis Norimbergensis, quod extat Monachii in Electorali Bibliotheca. Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. XXIII.

NOVALICENSE (*la Novalesa*) Monasterium ad radices montis Cimisii in Segusina valle. Chronicon scriptum fuit circa annum 1060. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat.

NOVIENTENSE, seu, ut vulgò dicitur, *Apri Monasterium*, patrio sermone *Ebertsmünster*. Historiam monachus Anonymus ejusdem cœnobii circa annum 1235. scripsisse videtur, quæ edita fuit ab Edm. Martene Thesaur. Anecd. Tomo tertio p. 1126.

NOVIGENTINUM Monasterium. V. Abbas Guibertus Librum II. vitæ suæ in rebus Abbatiæ Novigentinæ referendis insumpsit, de quibus etiam legi merentur Notæ Lucæ Dacherii, qui Opera Guiberti luci publicæ vindicavit.

OBERALTAHENSE Monasterium, vide infrà Monasticon *Ulrici*. Anno verò 1731. typis data est in 4. Historia hujus Monasterii cum Festo Jubilæi & Concionibus pro eadem solemnitate, auctore *Æmiliano Hemmauer* loci Professo.

De ONNA, Hispaniæ Monasterium. *Alphonsus de Madrid* Hispanus, Monachus S. Salvatoris de Onna (quem Nic. Ant. Bibl. Vet. Hisp. p. 257. inter Scriptores incerti temporis memorat) reliquit scriptam regii hujus Monasterii de Onna, quæ membraneo codice, notisque antiquioribus exarata, in ejusdem Bibliotheca asservatur, & magno in pretio habetur, eò quòd Auctor hujusce domûs Abbas valde doctus fuisse dicatur. Vid. Mag. Bibl. Eccles. p. 317. col. 2.

PANORMITANUM S. Martini de Scalis Monasterium. Historiam composuit *Romanus Sincerus*, ibidem Professus. Ejus verò meminit Vincentius Coronellus in Bibliotheca Universali tit. 1. num. 862. pag. 179. Arnoldus verò Wion Lign. vitæ part. 1. l. 2. c. 16. p. 458. in Monasterii Bibliotheca asservari scribit.

PARISIENSE *S. Germani à Pratis* Monasterium. Chronicon Abbatum Regalis Monasterii S. Germani à Pratis, Auctore Jacobo du Breul ejusdem monasterii Monacho lucem publicam vidit in Aimoini Historia Francorum

Parif. in fol. an. 1603. impressâ. Obiit du Breulius an. 1614.

Jacobi Bouillart è Congreg. sancti Mauri *Historia Asceterii S. Germani à Pratis, Lutetiæ Parisiorum apud Gregorium du Pin* anno 1723. in fol. Distribuitur in quinque libros, in quibus auctor differit de fundatione hujus Abbatiæ, quæ pro suo fundatore Childebertum I. Magni Clodovæi filium veneratur: De S. Germano Episcopo, qui locum sepulturæ hoc in monasterio sibi delegit, cujúsque vitæ compendium exhibetur: De casibus variisque eventis memoratu magis dignis sub primorum Abbatum regimine: De sepulturis Regum ac Reginarum ex prima stirpe: De ceremoniis regiæ inaugurationis Pipini, qui cum Carolo M. filio suo percelebri exuviarum S. Germani Translationi præsens adfuit. Ad hæc mentionem facit de privilegiis à Carolo M. & Ludovico Pio Abbatiæ concessis. Abbates, Lansfroium, Wichardum, Robertum, Irminonem, aliósque, qui sub imperio horum Principum vixêre, justis laudibus prosequitur: singillatim Hilduini meminit, qui apud Ludovicum Pium præ aliis gratia valebat: nec obsidionem Parisiensem silentio involvit. Vide le Cerf l. c. p. 46.

PATAVINUM S. Justinæ Monasterium. *Hieronymus à Potentia* monasticis sacris initiatus anno 1561. rebus verò humanis ereptus an. 1619. condidit Annales sui monasterii D. Justinæ Patavinæ, ex quibus se materiæ plurimum sumpsisse fatetur, teste Armellino in Bibl. Casin.

Jacobus Cavacius, cujus sunt *Historiarum Cœnobii D. Justinæ Patavinæ Libri VI. quibus Casinensis Congreg. origo, & plurima ad urbem Patavium, ac finitimos attinentia opportunè interseruntur. Venetiis anno* 1606. *per Andream Muschium in* 4. iterúmque Patavii anno 1696. ex typographia Seminarii in 4. Refertur etiam ab Auctore Catalogi *des Principaux Historiens* &c. impress. Parisiis 1713. Class. xi. pag. 44. *Jacobus Cavacius* illustre suum Opus brevissimo temporis intervallo absolvit, quod Jacobus tamen Casaubonus, eruditus Criticus unicè demiratus fuit. Est verò Cavacii liber non in Gallia modò & Germania, sed in ipsa Italia rarissimus, inquit Joannes Vogtius in Catalogo lib. rar. verùm cùm secunda editio anno 1696. Patavii accurata habeatur, ejus raritas saltem in Italia desiit.

PEGAVIENSE Monasterium. Chronicon ab hujus loci Monacho conscriptum, cura & opera Reineccii an. 1580. Francof. typis vulgatum, & posteà à Madero locupletatum sub epigraphe: *Libellus de fundatione Cœnobii Bigaugiæ*, Chronico Montis Sereni an. 1665. adjectum fuit. Leuckfeld. Antiqq. Bursfeld. cap. 3. p. 124. Epitomes *Chronici Pegaviensis* à Christiano Gottfrid Hofmanno an. 1719. editi, & Continuationis ejus vulgatæ à Johanne Burchardo Menckenio Tomo III. Scriptorum Rer. German. meminit Fabric. Bibl. med. Lat. l. 3. pag. 1167. Novissimè D. Christianus Schœtgenius Scholæ Crucianæ in Urbe Dresda Rector Historiam Monasterii Pegaviensis à se Germanicè scriptam typis Christiani Seiffart Ratisbonæ in 8. vulgavit an. 1749.

S. PETRI de Cardena Monasterium Hispaniæ in Burgensi Diœcesi. *Hieronymus de Arevalo*, loci Professus, scripsit *la Historia del Monasterio de San Pedro de Cardena.* Obüt in eadem Domo an. MDCXL. Nic. Ant. l. c. pag. 483.

S. PETRI Monasterium in Nigra Sylva num Chronicon habeat, compertum non habeo: illud solum non nescio, ejus dotationes editas fuisse à D. Schannat in Collectione I. Vindemiarum literariarum, Fuldæ an. 1723. in fol. pag. 160 - 164.

S. PETRI Perusiæ Monasterium. *Leo Pavonius* Abbas composuit Italicè Chronicon hujus sui Monasterii. Armell. l. c. p. 75.

PETROBURGENSE in Anglia Monasterium. *Hugonis Candidi*, seu *Albi*, vulgò *Whithe* Historia Cœnobii Petroburgensis in Anglia ad an. usque 1177. qno ferè tempore vixit, excurrens, in qua de prima Merciorum Regum, quorum omnia diplomata non indiligenter conquisivit, ad fidem orthodoxam conversione, tantâ egit industriâ, ut sacræ antiquitatis thesaurus nominari queat, teste Lelando de Script. Britan. Edidit verò Josephus Sparke inter Scriptores Historiæ Anglicanæ Londini typis Gul. Bowyer an. 1723. in fol. unà cùm *Joannis de Kaleto* Abbatis Petroburgensis anno 1262. fatis functo Chronico, *Roberti de Swapham*, Monachi Petroburgensis circa an. 1273. mortui, Historia ejusdem Cœnobii ex proprio Authoris codice ab eodem V. C. Josepho Sparke descripta, in qua id ferè tantùm egit Auctor, ut Regestum privilegio-

legiorum &c. justo ordine disponeret: *Walteri de Witlesey*, itidem Monachi Buriensis Historia ejusdem Monasterii ab anno 1246. ad an. 1321. cum *Anonymi* continuatione ad an. 1338. qui historiam Cœnobii Petroburgensis versibus Gallicis descripsit, nisi hic sit à priore alius, & recentioris ætatis, cùm Continuator satis vetustus esse videatur. Hos omnes Monasterii Petroburgensis Chronographos luci publicæ vindicavit Josephus Sparcke &c.

PICTAVIENSE S. Cypriani Monasterium MS. Historia Regalis Abbatiæ S. Cypriani Martyris ad Clinum extra Muros Pictavienses, auctore *Renato du Cher* è Congr. S. Mauri. Hæc Historia in folio, cui auctor supremam manum 1680. imposuit, asservatur in Abbatia S. Germani à Pratis.

PONTEFRACTENSE Monasterium in Anglia. *Thomas Castelfordus*, Monachus Cœnobii Pontefractensis fuit, teste Lelando, scrutator antiquitatis non indiligens, ex cujus scriptis se multa didicisse non diffitetur idem Lelandus. Quoniam autem penè omnem ab adolescentia ætatem in suo Monasterio præfato exegit, quasi gratus alumnus, omnia loci antiqua monimenta curiosissimè perquisivit, fideliter chartis commisit, & immortalitate quadam in gratiam posterorum donavit. Scripsit

Historiam Pontisfracti, Lib. un.
Gesta dicti Cœnobii. Lib. un.

Claruit anno 1320. Ex Pitseo æt. 14. pag. 410.

PRUMIENSE Monasterium. Ejus Chronicon, sed breve, extat in Martene & Durand Collect. ampliss. tom. IV. p. 513. Hoc Monasterium, cùm sit Principatus S. R. I. amplius utique meretur Chronicon. Sed hoc tempore. . . . .

PRUNVENINGENSE Monasterium. MELCHIORIS WEIXER *Fontilegium sacrum*, sive fundatio insignis Monasterii S. Georgii Martyris, vulgò *Prifling* propè Ratisbonam facta per D. Othonem Episcopum Bambergensem MCIX. Ingolstadii an. 1626. in fol. min.

RAMESIENSE Monasterium, *Historia Ramesiensis*, sive Liber de Fundatione & Benefactoribus Cœnobii Ramesiensis in Anglia, auctore anonymo Monacho Ramesiensi. Opus suum in quatuor telas, ut ipse loquitur, divisit. Harum telarum tres edidit *Thomas Galeus* inter Historiæ Britannicæ & Anglicanæ Scriptores XX. Tom. I. pag. 382-462. ex CodiceMS. qui servatur in Scaccario Westmonasterii à parte Remoratoris an. CIƆDLXXXIX. Quarta tela ab ingressu Normannorum fortunam & statum istius domûs pertexebat; unde hoc saltem constat; Auctorem post id temporis vixisse. Galeo frustrà quæsita fuit.

RATISBONENSE Scotorum ad S. Jacobum. Vide infrà *Ulrici* Monasticon.

RASTEDENSE in Comitatu Oldenburgensi Monasterium. Chronicon auctore anonymo loci Monacho originem suam refert ad Comitem Hunonem, ejúsque Conjugem Gvillam, à quibus anno 1059. fundatum fuit; extátque de eo diploma Adelberti Archiepiscopi Hamburgensis & Bremensis apud Hermannum Hamelmannum Chron. Oldenb. c. 13. p. 37. plura vide apud Meibom. qui illud edidit Tom. II. pag. 87. Apud Marquardum Freherum in Directorio Historico Chronicon Rastedense incipit an. 1509. definit an. 1463.

REMENSE S. Nicasii Monasterium, cujus initia & progressus apud Acherium inter Opera V. Guiberti Abbat. Novigent. pag. 636.

REMENSE Archicœnobium S. Remigii. Historia inserta est Historiæ Metropolis Remensis Lib. III. autore Guillelmo Marlotto.

REINHUSANUM Monasterium. *Benedictus Laspo* an. 1268. rei historicæ non imperitus Cœnobita in Reinhusano olim celebri, nunc sæcularizato inferioris Saxoniæ monasterio, ex antiquis monumentis, scripturis, & documentis Annales sui Monasterii ad annum 1300. quo mortem oppetiit, multo labore ac industria deduxit; quos tamen nunc in deperditis haberi dolet Leuckfeld Antiquit. Bursfeld. c. 3. pag. 129.

RINGELHEIMENSE in Diœcesi Hildesheimensi Monasterium. Chronicon quo authore scriptum sit, cujúsve in manus devenerit, in incerto est. Meminit illius in *Genealogicis Hermannus Hamelmannus*; & ex eo Jo. Georgius Leuckfeld in præfatione ad *Antiquitates Ringelheimenses*, quas Germanico idiomate scriptas luci publicæ dedit in 4. Lipsiæ an. 1713.

ROTENSE Monasterium. *Danielis Molitoris*, Ascetæ Rotensis Cœnobii in Bavaria Volumen Rerum Rotensium, nondum typis evulgatum. Inscriptio Operis usque ad annum 1688. pertexti

texti est: *Rota, seu Chronicon Rotensis Monasterii, fundati, ædificati, dotati, ac dicati honori & meritis Apostolicis Sanctorum Hibernorum Syderum Marini & Aniani, Pedemontii Bavarici Apostolorum, à seculo Mari-Aniano primo, hoc est, anno Christi DCL. quo Orbi nostro illuxêre, usque ad tempora nostra, quâ non tantùm nostra, sed etiam summorum ac Bavariæ Pontificum, Serenissimorum Bavariæ Ducum Rotæ per sua secula breviter volvuntur & evolvuntur &c.* Huic Operi conjungendum est aliud ejusdem argumenti à Cl. P. *Wolfgango*, Bibliothecæ Præfecto compositum, hoc titulo: *Menda in Rota Aurifiensi emendanda*, id est, castigationes & emendationes Chronici Rotensis à Patre Daniele posteris relicti, Pez. Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. n. 21. pag. xi. Nec tacendum ANONYMI ROTENSIS Seculum septimum Monasterii S. Viti Ord. S. Ben. cis Rotam in Bavaria Germanicè. Landishuti an. 1730. in 4.

ROTHOMAGENSE Monasterium. Historia Abbatiæ S. Catharinæ de Monte propè Rothomagum: per Franciscum Pommeray e Congr. S. Mauri, typis excusa est hæc historia unà cum historia Abbatiæ S. Audoeni & Amandi eodem Auctore, in folio, Paris. 1662.

EJUSDEM Historia Monasteriorum S. Audoeni & S. Amandi Rothomagens. fol. Rothomagi 1622.

SAHAGUN seu S. *Facundi* Monasterium in Hispania. *Joannes Benedictus de Guardiola*, monachus monasterii S. Facundi vulgò *Sahagun* scripsit *Historia del Monasterio real de S. Benito de Sahagun*, adhuc ineditam, sed quam relictam ab Auctore nostro plures affirmant, inter alios Romanus de la Higuera Jesuita in Historia Toletanæ urbis. MS. lib. xv. cap. 22. Nic. Ant. l. c. p. 500.

SALMURIENSE Monasterium. MS. Historia Monasterii S. Florentii propè Salmurium in Episcopatû Andegavensi. Auctore *Michaële* Abbate hujus loci, cum serie Abbatum alia manu recentiori. Abbas verò *Michaël* claruit an. 1325. Alia MS. Historia hujus Abbatiæ ex vetustis monumentis, Tabulis atque Diplomatibus, Auctore *Joanne Huynes* sancti Florentii Congreg. S. Mauri, Priore. Hæc Historia, quam Auctor an. 1647. ad calcem perduxit, asservatur in Bibliotheca S. Germani à Pratis, & in Bibliotheca Dominorum de Sainte-Marthe.

SAVINIACENSE Monasterium. Abbas hujus Cœnobii fuit *Pontius* ab anno 1121 - 1135. cui Mabillonius Tom. II. Annal. Bened. p. 385. tribuit Chronicon breve Abbatiæ Saviniacensis ab anno 809 - 827. quod conservavit Claudius Stephanotius in Antiquitatibus Ord. S. B. Diœcesis Lugdunensis. Opus hoc MS. habetur in Bibl. Germani de Pratis. Le Long Bibl. historique de la France p. 257. Adde Galliam Christianam Tom. IV. p. 264. Schœtgenium (cui hanc notitiam debemus) Bibl. med. & inf. Lat. Lib. xvi. p. 18. ubi tamen nulla fit mentio de Chronico *Saviniacensis* Monasterii, quod extat in Baluzii Miscell. tom. 2. pag. 31. fors idem est cum priore.

SCHYRENSE Monasterium. *Chronicæ Schyrensis*, celebris in Bajoaria Cœnobii, author est *Conradus* monachus, qui illud ab anno MXCVI. inchoavit, atque ad suum tempus, id est, ad seculum XIII. deduxit; *Stephanus* Abbas ad seculum superius provexit, & in lucem emitti curavit Ingolstadii anno 1623. cum additionibus & notis. Alterius *Chronici Schyrensis* Auctore P. *Brunone Febler* ejus loci Cœnobita meminit Bern. Pezius Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. xxxi. *Joannes Aventinus* etiam hujus Monasterii Chronicon elucubravit, facem prælucente *Joanne Turbeito*, Abbate Schyrensi, cui hunc fecit titulum: *Rev. Patris Jo. Turbeiti ductu & auspicio Annales Schirenses à Jo. Aventino Principum Bojoariæ à Literis & Historicis perscripti. Ex publicis Bibliothecis, Diplomatibus, Annalibus, illustribúsque Scriptoribus diligentissimè perscripti.* Teste Junckero in Introduct. ad Geograph. pag. 619. hoc Chronicon typis nondum mandatum est, sed in Guelpherbytana Bibliotheca asservatur. Sed falli virum ex *Joannis Vogtii* Catalogo librorum rariorum discimus, ubi recensetur prima editio Bipontii anno 1600. in 4. altera ibid. 1623. [etiam hîc *Vogtius* fallitur; hæc enim editio Chronici Schyrensis, non est illius, quod *Aventinum* habet auctorem, sed *Conradum* Philosophum, & *Stephanum* Abbatem Schyrensem Continuatorem, quo accurante Ingolstadii hoc anno 1623. recusum fuit] tertia Argentorati an. 1716. in 4. curam & studium adhibente

te *Georgio Christiani Joannis*, qui editionem suam eleganti Dedicatione R.mo *Benedicto* Abbati Inclyti Cœnobii Schirensis nuncupavit Francofurti ad Mœnum an. CIↃIↃCCXV. Secunda verò *Aventini* editio Augustæ Vindel. in 4. anno 1616. accurata fuit.

SCHUTTERANUM Monasterium. Chronicon ab Anonymo conscriptum vide apud Schannat in Vindemiis Literariis à p. 17 - 23. Incipit ab anno 603. & desinit in an. 1327.

SCHWARZACHENSE in Francia Orientali Monasterium percelebre. Chronicon ab anno 815. ad an. 1590. à variis Monachis compilatum, Franconiæ, præsertim Episcopatûs Wirtzburgensis res egregiè illustrat. Edidit Jo. Pet. Ludewig Tomo II. Scriptor. Bambergensium.

-- Ecclesia nova Abbatiæ Schwarzacensis an. 1743. Item vita & res præclarè gestæ DD. Abbatum ibidem. 1743. in 4.

Idem liber 1743. *mit der geistlichen Anrede bey der Einweyhung diser Kirchen. Würtzburg* 1743. in 4.

SCOTICUM Monasticon ex Codicibus antiquis, Membranis, & Instrumentis, tum domesticis, tum extraneis collectum, complectens omnium Ordinum monasticorum Abbatias, Prioratus, Cellas, Ecclesias & Domos, quæ olim in regno Scotiæ floruerunt à tempore susceptæ religionis Christianæ, usque ad fatalem Monasteriorum dissolutionem, Auctore R. P. *Mariano Brockie* Scoto Benedictino in Monasterio S. Jacobi Ratisbonæ Ss. Theol. Doctore, prædicti Cœnobii Priore & Seniore. . Nondum typis exscriptum.

SEIDENSTETTENSE Monasterium. Historia fundationis Cœnobii *Seittenstedensis* in Austria Infer. Auctore *Gundackero* ejusdem loci Abbate ab anno 1319. ad 1330. typis donata ex Codice Membranaceo traditionum Seidenstettensium Tom. 2. Scriptorum Rer. Austriac. pag. 304.

SELEBIENSE Monasterium, quod fundatum fuit haud procul ab Eboracensi civitate, ad fluvium Usam, in honorem S. Germani Autissiodorensis Episcopi, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo nono, Guillelmi Nothi, seu Conquæstoris vulgò cognominati quarto, cùm à Benedicto Monacho in Angliâ ejusdem S. Germani digitus delatus fuisset. Historia conscripta fuit ab Auctore Anonymo quodam Monacho, qui scribebat anno MCLXXIV. à fundatione illius Abbatiæ centesimo sexto, Abbatis Gilberti XIV. vulgavit Labbe Bibl. Manuscr. Tomo. I. pag. 594 - 626.

SELIGENSTADIENSE Monasterium. *Jo. Weinckens* Navarchia Seligenstadiana, seu fundatio antiquissimæ & regalis Abbatiæ Seligenstadiensis, Epico carmine descripta. Item Brevis Historia Regalis Abbatiæ soluto sermone. Francofurti sumptibus Jo. Philippi Andreæ an. 1714. fol.

SENENSE Monasterium. *Lucas Brixia* Senis in monasterio S. Eugenii Professus Sec. XVI. exeunte scripsit *Chronicon sui Monasterii.* Anno 1606. extat Mſ. in Archivo ejusdem Abbatiæ. Armell. l. c. p. 77.

SENONENSE S. Petri Monasterium; cujus historiam scripsit Gauffridus de Colone, Monachus hujus loci, qui floruit anno 1295.

SENONENSE S. Columbæ Monasterium. MS. Chronicon rerum magis notabilium hujus Cœnobii ab anno Domini 1275. usque ad annum 1648. studio & opera Domini Victoris Cotronii è Congr. S. Mauri in folio asservatur in Bibliotheca ejusdem Abbatiæ cum epistola præliminari an. 1648. scripta.

SENONIENSE Monasterium in Monte Vosago Tullensis Diœcesis. Historiam hujus Abbatiæ condidit *Richerius* Senoniensis Monachus, non culto ac nitido, sed veraci stylo. Edita est à Luca Dacherio Spicileg. tom. 8. p. 271. edit. novæ tom. 2. p. 603.

SPANHEIMENSE Monasterium S. Martino Episcopo consecratum in Diœcesi Moguntina. Inter ejus Abbates principem locum tenet Joannes Trithemius, qui Chronicon illius ab anno Christi 1124. usque ad annum 1511. contexuit, Freherus verò è tenebris erutum in lucem protraxit cum nescio cujus continuatione. Francofurti typis Wechelianis an. 1601. in fol.

SUBLACENSE Monasterium. Chronicon partus est *Wilielmi Capisacchi Narniensis*, Sanctorum Benedicti & Scholasticæ Cœnobii Monachi stabiliti, sub Congregatione Casinensi, aliàs S. Justinæ Patavinæ, ad Reverendiss. & Illustriss. Dominum Marcum Antonium Cardinalem Columnam, ipsius Cœnobii Commendatorem, & ad ejus Sac. Monasterii Monachos, nec non ad omnes ejusdem Ab-

Abbatiæ Indigenas scriptum anno 1573. Extat in eodem Monasterio Sublacensi, quod Opus *Cherubinus Myrtius* Monachus pariter Sublacensis à prædicto anno 1573. usque ad an. 1629. prosequutus est. Armell. l. c. Lit. V. p. 15. Aliud *Chronicon Sublacense*, sive Catalogus Abbatum Monasterii Sublacensis ab anno Christi circiter DXCV. usque ad MCCCXC, Auctore Monacho Sublacensi anonymo, novissimè lucem publicam aspexit in Muratorii Antiqq. Italic. Tom. IV. pag. 1035. seqq.

SUESSIONENSE S. Mariæ Monasterium. *Michaël Germanus* è Congr. S. Mauri Auctor est *Historiæ Regii Parthenonis S. Mariæ apud Augustam Suessionum*, in 4. Parisiis apud Lud. Billaine. Opus Gallicè scriptum, magno in pretio à viris doctis habetur. Vid. Journal de Sçavans tom. 6. an. 1678. pag. 25.

SUESSIONENSE Monasterium S. Medardi. Chronicon Auctore Monacho ejusdem Cœnobii ab An. Chr. 497. ad 1260. edidit Dacherius tom. 2. Spicilegii pag. 780. edit. novæ tom. 2. pag. 486-492.

SYLVARIENSE Monasterium, vide suprà *Cervaria*.

TEGERNSEENSE Monasterium. Monumenta vetera historiam inclyti hujus ac antiquissimi in Bojoaria monasterium illustrantia, sunt ferè sequentia:

I. Historia Fundationis Monasterii Tegernseensis, Auctore, ut videtur, *Froumondo*, Cœnobita Tegerns. qui Seculo X. floruit.

II. Chronicon Monasterii Tegernseensis, Auctoribus Anonymis tribus, quorum Primus Seculo Christi XIII. Alter XIV. Postremus XV. vixit. Accessit ejusdem Chronici Continuatio usque ad hanc ætatem ab A. R. D. Patre *Alphonso Huebero*, Benedictino Tegernseensi concinnata.

III. Annotatio consecrationis Ecclesiæ Tegernseensis, & Altarium, in quorum honore Sanctorum consecrata, & quæ Reliquiæ ibidem reconditæ sunt.

IV. Tres vetustissimæ Sequentiæ de S. Quirino Rege & Martyre.

Omnia hæc ex MSS. Codd. dicti celeberrimi Monasterii Tegerns. eruit & prælo paravit R. P. Joachimus Priesterſperger Benedictinus Mellicensis. Eidem verò subjecit Bernardus Pezius Thes. Anecd. Noviss. tom. 3. part. 3. col. 473-594.

THEOKESBURIENSE Monasterium. De Abbatiæ hujus fundatione habentur Collectanea MS.ta in Bibl. Cotton. sub effigie *Tiberii* Lit. A. Cod. VIII. num. 12.

TINECENSE Monasterium. *Tinecia*, seu Historia Tinecensis primariæ inter Polonica Cœnobia venerationis per R. P. *Stanislaum Sczybieski*, Bibliothecarium ejusdem Monasterii collecta, & in IV. libros partita. Cracoviæ ex Offic. Schedeliana S. R. M. Typ. an. 1668.

TORNACENSE S. Martini Monasterium. *Hermannus* Abbas ab anno 1127. ad 1237. incertum quot annis superstes post abdicatum munus fuerit. Extat ejus *narratio restaurationis Abbatiæ S. Martini Tornacensis* ad Patres, Fratres, & Filios universos illius Cœnobii. Primus vulgavit Lucas Dacherius Tomo XII. Spicilegii pag. 358. seq. (editionis novæ Tom. 2. p. 888.) cum additionibus aliorum Auctorum pag. 922. & 926. ab anno 1127. usque ad an. 1160. Fabric. l. c. lib. 8. p. 718.

TREBICENSE Monasterium. Annales Monasterii *Trebicensis* in Moravia, dudum est, quod non extent; quemadmodum & ipsum Monasterium anno 1109. in honorem B. V. M. fundatum in arcem commutatum est. Eorum tamen fragmenta Thomas Joannes Pessina in scribendo *Marte Moravico*, docta & erudita Historia, sibi usui fuisse testatur in Epistola Dedicatoria. Nos de secularizatione hujus Monasterii plura dicturi sumus in *Olomucio Sacro*, seu historia Episcopatûs Olomucensis.

TRENORCHIENSE Monasterium. Chronicon auctore *Falcone* Monacho, quod Petrus Franciscus Chiffletius publicavit in Historia Tornutiensi, sive Trenorchiensi, Divione 1664. in 4.

S. TRUDONIS in Diœcesi Leodiensi Monasterium. *Rodulphus* Abbas Seculo XII. vir religione & doctrina insignis scripsit Chronicon ejusdem Monasterii in libros XIII. distinctum, quod Tomo VII. Spicilegii Dacheriani legi potest. Vid. Alex. Nat. Histor. Eccl. Sec. XII. part. 4. c. 6. pag. 515. Tomo. VI.

S. TRUTPERTI Monasterium. *Ortus & Occasus* antiquissimi Monasterii S. Trutperti M. in Brisgoia, seu Breve Chronicon non eleganti minùs stylo, quàm gravi & prudenti judicio scriptum, prodiit Friburgi Brisgoiæ

typis

typis Joannis Jacobi Bockler anno 1660. in 4. Opus post Monasterium à Sueco milite incineratum, Leopoldo I. Imp. ab Abbate loci nuncupatum.

VARNBACENSE Monasterium. *Clari Fasmanni* Prioris Varnbacensis in Bavaria, re ac nomine clari, viri eruditissimi, *Chronicon Varnbacense*, in duobus prægrandibus in folio voluminibus compositum, & veteribus chartis refertissimum, nondum tamen, quod sciam, luci publicæ expositum. Vide plura apud Pez. I. c. n. LXXII. pag. LIII.

VENETUM S. Georgii Maj. Monasterium. *Fortunatus Ulmus* patriâ Venetus in nobilissimo hoc Monasterio Sacris monasticis anno 1596. imbutus fuit. Ab ipso prodiit *Historia Cœnobii D. Georgii M. Ven. ubi pariter de Unione Congreg. S. Justinæ agitur.* Opus pulcherrimum, scriptum utraque lingua, Latina scilicet ac Italica, ut testatur Jo. Mabillonius Itin. Ital. tom. 1. pag. 34. Armell. l. c. p. 174.

VEZELIACENSE Monasterium. *Hugo Pictavinus* Sec. XII. clarus Guillelmi Vezeliacensis Abbatis Notarius, illius Monasterii historiam jussu Pontii Abbatis scribere aggressus est anno MLVI. & sub ipso *Guillelmo* absolvit anno MCLXVII. Quatuor libros complectitur. Extat Tomo III. Spicilegii Dacheriani.

S. VINCENTII Monasterium in urbe Metensi Chronicon breve ab an. 511. ad 1279. vulgatum à Labbeo Tomo I. Bibl. Nov. Mss. pag. 344. 347.

VULTURNENSE Monasterium in provincia Samnii, cujus res in Chronicon retulit Joannes Monachus ibidem. In lucem protolit Muratorius S. R. Ital. Tom. I. part. 2. pag. 319.

WALCIODORENSE Monasterium. *Robertus* è Decano Monasterii Stabulensis Abbas Walciodorensis, vulgò *Waufors* in Comitatu & Diœcesi Namurcensi ad Mosam fluvium, vitâ functus an. 1174. scripserat *de fundatione Monasterii Walciodorensis*, teste Molano in Natalibus 3. Belgii Decemb. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 1077.

WEICHENSTEPHENSE Monasterium in Bavaria Annales habet à primis incunabulis usque ad medium Seculum XIV. perductos. Distinctum ab illis Annalibus est *Chronicon Weichenstephense* à Caspare Frasio erudito hujus loci Abbate compositum, & usque ad proximum seculum perductum, dignissimum sanè, quod Annalibus vetustioribus junctum typis exprimatur. Pez. l. c. n. XLIV. p. XXVI. Excerpta vide apud Hier. Pez. Tom. II. Scriptor. Rer. Austriac. p. 402.

WELTENBURGENSE Monasterium in Bavaria. *Mathias* Abbas de fundatione hujus sui Monasterii Chronographicam Instructionem concinnavit, quæ Straubingæ anno 1643. in 8. excusa fuit.

WERDENSE ad Danubium Monasterium. Bernardus Pezius Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. celebrat *Georgii Monachi S. Crucis Werdeæ* in Suevia volumen, quo Annales *Werdenses* accuratè ac ampliter sub medium seculum elapsum prosecutus est. Sed quos Annales, Civitatis, an Monasterii, an utriusque simul intelligit?

WESSOBRUNENSE in Bavaria Monasterium, cujus Chronicon D. Abbas Thassilo, Præsul prudentiâ eximius, & alter loci fundator, jam multo tempore lustratis omnibus Monasterii Angulis nequicquam perquirit, etsi plures Cœnobitæ suis illud oculis conspexisse adfirment. Pez. l. c. n. 36. pag. XIX.

WESTMONASTERIENSE Londini in suburbio Monasterium longè celeberrimum. *Sulcardus* Westmonasteriensis Monachus circa an. 1070. scripsit *Chronologiam Monasterii Westmonasteriensis*, quæ asservatur ms.ta in Bibliotheca Cottoniana. Chronicon verò, teste Pitseo pag. 875. lucubravit *Joannes Fletus*, ejus loci monachus. Commentarium etiam de *rebus Westmonasteriensibus* scripsisse à Vossio dicitur *Joannes Castor*, vulgò *Bever*, sive *Fiber*, Monachus Westmonasteriensis.

WIBLINGENSE Monasterium *Templum Honoris*, seu Annales Monasterii Wiblingensis in Suevia, an. 1702. Augustæ Vindelicorum apud Jo. Caspar Bencard in 4. cum Iconismis singulorum Abbatum, auctore Menrado Heusinger, Monacho Wiblingensi.

WINCHECOMBENSE Monasterium. *Richardus Kederminster* Abbas Winchecombensis in Anglia claruit virtute ac doctrina sub Henrico VIII. ac Historiam sui Monasterii libris mandavit, quæ adhuc in ms.to est. fol. uti fidem facit Antonius à Wood in Historia Univers. Oxon. lib. 2. pag. 248. in notis ad calcem paginæ.

WIREMUTHENSE Monasterium. *Venerabilis Beda* minutissimam Monasterii sui Girwensis & Wiremuthensis historiam condidit, ut Mabillonius loquitur Præfat. in Sec. I. O.S.B. §.v. n. 63. nec malè; nam monasterium anno sexcentesimo septuagesimo quarto constructum fuit, ipse verò anno 735. humana absolvit. Hujus Historiæ meminit ipse Beda in fine Epitomes Historiæ Anglorum, ubi Operum suorum indicem texit: eámque diu desideratam seculo superiore edidit Waræus cum duabus Bedæ epistolis, atque Ecberti Eboracensis Episcopi Dialogo: subinde verò Ludovicus Billaine, Bibliopola Parisiensis, an. 1666. recensuit elegantioribus & commodioribus typis. Chronicon inscribitur *Abbatum Wiremuthensium & Girwensium Historia.*

WIRCEBURGENSE Scotorum ad S. Jacobum Monasterium. Situm est in suburbio. Chronicon ex codice manu ipsius Trithemii an. 1509. exarato, & per alium ad an. 1585. continuato, tunc primùm editum, & posteà in Busæi Operibus Spiritualibus, ac novissimè in Jo. Pet. Ludewigii Scriptoribus Herbipolensibus recusum. Lipsiæ an. 1713. in fol.

ZWIFALTENSE Monasterium. *Arsenii Sulger* Annales Imperialis Monasterii Zwifaltensis, Partes II. Opus Posthumum. Augustæ Vindel. typis Mariæ Utzschneiderin an. 1698. legenda est Auctoris præfatio, ubi Bertholdi, Ortliebi, Mezleri & Bochevallii meminit, qui Monachi Zwifaltenses ante ipsum res pro conscribendis Annalibus annotârunt.

Postquam verò ordine alphabetico quosdam Auctores, minimè omnes, recensuimus, qui Annales seu Chronica Monasteriorum contexuerunt, juvat nunc illos commemorare, quibus curæ fuit, ut *Monastica*, ut vocant, adornarent, sive plurium Monasteriorum historias vel ipsi proprio marte conscriberent, vel ab aliis elaboratas in unum corpus adhibita eruendi & conquirendi industria congererent, atque sic conjunctim in lucem emitterent.

CAROLI STENGELII *Monasteriologia*, in qua insignium aliquot Monasteriorum Familiæ S. Benedicti in Germania Ordines, Fundationes, clarique Viri ex eis oriundi describuntur, eorundémque Ideæ æri incisæ oculis subjiciuntur. Aug. Vindel. an. 1619. in fol. Hic ipse indefessæ & demirandæ industriæ Abbas Catalogum plus quàm 1000. Monasteriorum Ord. S.B. confecit, qui tamen, quod sciam, nunquam typis exscriptus fuit. Vide ejus Mantissam ad Comentarium Rer. August. pag. 93.

PRUDENTII de SANDOVAL Las fondationes de los Monasterios del Orden de S.Benito, que los Reyes de l'Espanna fundaron, y de los Santos, y claros Varones desta Religion desde el anno 540. hasta el 714. id est: *Fundationes Monasteriorum Ord. S. B. quæ Reges Hispaniæ fundârunt, nec non sancti & illustres Viri ejusdem Religionis ab anno 540. ad an. 714. Madriti in folio an.* 1601.

ANONYMUS Benedictinus *Variorum Germaniæ Monasteriorum fundationes* à temporibus Henrici III. ad an. Chr. 1212. collegit. Quam collectionem Maderus inseruit *Conradi* Lauterbergensis Benedictini Chronico pag. 241. - 294.

GABRIELIS BUCELINI diversorum in Germania, Abbatiali maxime titulo illustrium Cœnobiorum Catalogus, qui habetur in ejus *Germania Topo-Chrono-Stemmato-graphica* part. 1. Augustæ Vindel. an. 1655.

— EJUSDEM *Monasteriologiæ Imperii Germanici pars altera.* Extat l. c. part. 2. Aug. Vindel. an. 1662.

JOSEPHUS PERESIUS, Linguarum Sacrarum in Universitate Salmanticensi Professor edidit aliquot *Dissertationes Ecclesiasticas* de Benedictinis Hispaniæ Monasteriis, quas à Mabillonio laudatas oculis nunquam usurpavi.

STANISLAUS SCYIELSKI in *Aquila Polono-Benedictina* succinctè exponit Origines & Fundationes Monasteriorum Ord. S. B. utriusque sexûs per Regnum Poloniæ. Auctoris Opus præced. §. landavimos.

MICHAEL GERMAIN è Congreg. S.Mauri composuit Synopsin Historiæ Congregationis S. Mauri, quæ hactenus typis haud vulgata est. Titulus Operis est: *Monasticon Gallicanum.*

LUCAS D'ACHERIUS è Congr. S. Mauri tametsi nullius monasterii, quod sciam, ipse conscripserit Chronicon, quàm plurima tamen è situ, squallore, & tenebris eruit, suóque in Spicilegio juris publici fecit.

CLAUDII ETIENNOT è Congreg. S. Mauri *Antiquitatum in Diœcesi Bituricensi Benedictinarum Collectio.* Pars I. complectens Asceteriorum fundationes, status varios, Abbatum, Abbatissarúmque elogia, præcipuorum

item

item benefactorum nomina, piásque donationes, quæ in tabulariis dictorum cœnobiorum reperta, & ex ipsis transcripta fuerunt. *Pars II.* complectens Ordinis Benedictini in eadem Diœcesi fundationes, Monasteriorum, Abbatissarúmque catalogos, præcipuorum benefactorum nomina, virorúmque in iisdem tum sepultorum, tum vitam monasticam professorum seriem, tum probationes & bene multos dictorum asceteriorum authenticas.

EDMUNDUS MARTENE & URSINUS DURAND idem præstiterunt, quod Dacherius & Stephanotius, tam in *Thesauro Novo Anecdotorum*, quàm in *Collectione amplissima veterum monumentorum*.

DIONYSIUS SANMARTHANUS in Gallia Christiana tomis X. comprehensa omnium Abbatiarum & Monasteriorum Ord. S. B. in amplissimo eo regno Historiam cum syllabo Abbatum & Abbatissarum compendio refert.

BERNARDUS & HIERONYMUS Fratres Pezii, ille in *Anecdotorum Thesauro Novissimo*, hic in celebri Opere de *Scriptoribus Austriacis* idem, quod priores, sibi faciendum putârunt.

OLIVERII LEGIPONT *Monasticon Moguntiacum*, sive succincta Veterum Monasteriorum in Archiepiscopatu Moguntino, vicinísque locis, partim extantium, partim suppressorum, vel in usus promiscuos conversorum Notitia ex Libris publicis, veteribúsque monumentis excerpta, & ordine alphabetico digesta. Anno 1746. typis Jo. Julii Gerzabeck.

ANGELO MARIÆ QUIRINI (hodie S. R. E. Cardinali) à Præpositis Congregationis Casinensis provincia in Comitiis Generalibus demandata fuit, ut *Monasticon Italiæ* conficeret. Cui amplissimo muneri Historiographi doctissimâ Dissertatione prolusit. Posteà ipsum *Monasticon* condere aggressus, Cœnobii Farfensis monumenta in Chronicon retulit. Quia verò excitata id temporis inter aulam Pontificiam & Cæsaream contentione de Comaclensi ditione Historiographo nostro de impressione impedimenta objecta fuerunt, manum de tabula *Monastici* prosequendi sustulit. Vide, quæ Em. Cardinalis hac de re in Commentario de rebus ad se pertinentibus part. 2. lib. 1. cap. 8. referat. Mihi sequentia huc transcripsisse sufficiat. „ P. Joseph Maria Sandius, Bibliothe„ carius S. Justinæ, hæc ad me scripsit: *Il mio profondo rispetto vuole, che communichi à V. P. Rma un §. di una lettera scrittami dal P. D. Bernardo Pez Benedettino, e famoso letterato, e Bibliothecario di Melk. Dimostra egli una straordinaria passione per la stampa della di lei Storia, si duole molto dell' incontrate difficoltà in queste formali parole.* „ Et quid tandem sperandum de „ Monastico Italico Clariss. D. Quirini „ nostri? Opus hoc trans Alpes incre„ dibili desiderio exspectatur. Dolen„ dum sanè tot ei negotia Romæ fa„ cessita. In Germania vel Gallia hu„ jusmodi Opera liberiùs & tutiùs „ eduntur. „ *Jo le so dire, ch' egli la stamperebbe volontieri, senza che V. P. Rma ne spendesse altro, che la briga di farle avere l' Opera MS. ed io gliela farei avere per sicuro camino.* Verùm Quirinus in voluntate obsequendi Pontificis imperio firmus perstitit. Lugendum certò fuisset, nisi excellens hic Historiographus ad alia subinde lucubranda Opera calamum contulisset, quibus omnigena eruditione & doctrina præstantissimis Rempublicam literariam locupletavit, atque hunc in modum ingens interrupti *Monastici Italiæ* damnum abundè resarcivit.

Denique silentio à me prætereundum non est *Ulrici* nescio cujus *Chronicon* Germanicum Monasterii in Ensdorff in codice chartaceo in 4. à trecentis annis, in quo præterea breves Cœnobiorum Benedictinorum *Emmeramensis*, *Nideraltahensis*, *Tegernseensis*, *Wessobrunensis*, *Mettensis*, *Ebernspergensis*, *Scotorum Ratisbonæ*, *Schyrensis*, *Prunseningensis*, *Oberoltachensis*, *Etalensis* &c. Annales conspiciuntur. Extat Monachii in Bibliotheca Electorali. Vid. Pez Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. p. XXIII.

§. VII.

Qui Vitas, Historias, Gesta, Elogia, & Catalogos Abbatum literis consignârint.

VENERABILIS BEDA Vitas quinque Abbatum priorum Wiremuthensium, & Girvicensium, viz. *Benedicti*, *Ceolfridi*, *Easterwini*, *Sigfridi*, atque *Wicberti* libris duobus complexus est, quos ex editione Dublinensi an. 1664. in 8. recudendos dedit cum aliis quibusdam Bedæ Scriptis Henricus Whartonus Lond. an. 1693. in 4.

S. ETHELWOLDUS Episcopus Wintoniensis scripsit de Abbatibus Lindisfarnensis Monasterii lib. un. qui inter Mss. Codd. Bibliothecæ Universitatis Cantabrigiensis ostenditur.

MATHÆUS PARISIUS Vitas XXIII. Abbatum Monasterii S. Albani in Anglia præpotentis à se scriptas reliquit, quæ sæpiùs cum cæteris ejus historicis Operibus Tiguri, Parisiis, & Londini recusæ fuerunt.

JOANNES AMUNDISHAM, Monachus Anglus in Monasterio S. Albani Acta Abbatis sui Joannis Wethamsted seu Frumentarii descripsit per singulos regiminis ipsius annos, quæ inter Mss. Codd. Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie *Tiberii* Lit. D. Cod. v. num. 1. asservantur. Vid. Smithus in Catal. pag. 42.

THOMAS SPOTTÆUS, Cantuariensis Monachus, luculenter suorum Abbatum historiam scripsit ab adventu S. Augustini Anglorum Apostoli, in Britanniam, usque ad annum à Christo nato 1272. Ejus deflorator fuit *Guilielmus Thornus*, Monachus etiam Cantuariensis in historia, qua ille Abbatum suorum res gestas memoriæ commendavit. Nusquam verò in Cantuariensi Bibliotheca apparet *Spottæi* historia, & verisimile est, omnino periisse. Extat tamen defloratoris *Thorni* volumen planè non contemnendum, in quo non solùm Abbatum *Augustinianorum* egregia facta, verùm etiam Regum *Cantuanorum* subinde elucent. Leland. de Script. Britan. cap. 287. p. 299.

GUILLELMUS de THORNE, sive *Thornæus*, Monachus Cantuariensis circa an. 1380. scripsit res gestas *Abbatum Cantuariensium* ab Augustini in Angliam adventu circa annum 596. ferè usque ad annum 1375. In priori parte usque ad annum 1272. vestigiis insistit *Thomæ Spottæi*, cætera ipse supplevit. Præter Lelandum paulò ante laudatum, vide etiam Baleum VI. 63. Pitseum æt. XIV. pag. 529. Viderunt hæc Gesta lucem inter Anglicanæ Historiæ Scriptores decem, Rogero Twysdeno, & Joanne Seldeno editoribus, pag. 1758 – 2202. Londini 1652. in fol. Vid. Smith. in Catal. Bibl. Cotton. p. 20. col. 2. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. VII. p. 502.

Catalogus Abbatum Lerinensium ab anno quintodecimo supra octingentesimum usque ad annum millesimum quintum decimum, in quo cœpit Congregatio Casin. ipsum regere Monasterium, authore *Vincentio Barrali Salerno* in Chronologia Lerinensi.

Acta vetusta Abbatum Fuldensium ab anno 744. ad an. 916. edita fuerunt per V. C. Johan. Frid. Schannat in Historia Fuldensi pag. 1. & in specie Vita Henrici VI. Abbatis Fuldensis ex ms.to cod. p. 304. Vita Johannis II. Abb. Fuld. ex Spangenbergii Chron. Henneberg. pag. 341. Vita *Johannis III.* ex eodem Chronico pag. 414. *De Fr. Cornelii Monachi Breviario Fuldensi*, in quo omnium Archimandritarum ortus, potiora Facta, & obitus usque ad an. 1479. breviter narrantur, præcedenti §. sermo nobis fuit.

Historiam Abbatum Casæ Dei in Arvernia, ex libro tripartito Vitæ B. Roberti Casæ Dei primi Abbatis, auctore Monacho ejus loci, qui floruit sub annum 1160. typis vulgavit Philippus Labbeus tom. II. novæ suæ Bibl. Mss.

Vitam B. Herluini, primi Abbatis Beccensis, scriptore Gilberto Crispino; item vitas *Guilelmi*, *Bosonis*, *Theobaldi*, & *Letardi* Abbatum pariter Beccensium ab eodem *Crispino* conscriptas edidit Lucas D'Acherius in Appendice ad Opera B. Lanfranci Paris. anno 1648. in fol.

ADEMARI in S. Eparchi Cœnobio Monachi Engolismensis *Commemoratio XIII. Abbatum Lemovicensium Basilicæ S. Martialis Apostoli* ab anno 848. quorum ultimus est *Hugo*, vulgata à Philippo Labbeo Tom. 2. Bibl. Nov. Mss. pag. 271.

Venerabilium Abbatum *Cluniacensium* Chronologia ab an. 910. ad an. 1614. Extat in Bibliotheca Cluniacensi pag. 1618. Paris. in fol. anno 1614.

Catalogus Abbatum *Sylvæ Majoris* in territorio Burdegalensi, accuratissimus, ex monumentorum originalium collatione confectus à *Stephano du Laura* Monacho Sylvensi, quem Bollandiani post vitam S. Geraldi Abbatis exhibent Tomo I. April. die 5. pag. 432.

UDALSCALCI, Abbatis SS. Udalrici & Afræ Aug. Vind. *Opusculum de controversia inter Hermannum Episcopum Augustanum, & Eginonem Abbatem S. Udalrici* edidit Canisius tom. 2. Antiqq. Lect. Nempe Hermannus Cæsaris potiùs, quàm Pontificis tuebatur partes. Itaque à Paschali II. excomunicatus fuit; quâ occasione *Egino*, qui à Pontifice stabat, ab Hermanno

Augu-

Augustâ pulsus, exilii ac itinerum fidissimum Achatem habuit Udalscalcum, qui ei in Abbatia successit.

Catalogus Abbatum Monasterii SS.^mæ^ Trinitatis Vindocinensis impressus inter Opera Godefridi Vindocinensis, Parisiis an. 1610. & Tomo III. editionis Sirmondianæ in fol. Paris. an. 1696.

BRUNONIS FABRICII Abbatis Abdinkoffensis Historia Abbatum SS. Petri & Pauli, quod Paderbornæ, vulgò *Abdinchof.* Edidit Math. Antonius Analect. tom. 6. vet. edit. in 8. novæ in 4. tom. 3. p. 515.

Catalogus Abbatum Cœnobii Broniensis usque ad annum 1518. auctore *Gerardo Sorio*, ejusdem monasterii Priore asservatur inter MSS. Codd. in Bibliotheca Broniensi. Vid. A. Valerium in Bibl. Belg.

MODESTI CICCOTI, aliàs de Brunis, Itali, Pisani, Benedictina Instituta Professi Perusiæ in monasterio D. Petri an. 1585.

Oratio in morte D. Desiderii à Brixia, Abbatis S. Petri, quæ fuit impressa Astæ in Liguria apud Virgilium de Zangrandis an. 1592. Armell. part. 2. pag. 111.

Vita Abbatum Croylandiæ à Kenulpho & Turketulo ad Riccardum natum in villa de Upton, qui obiit anno quinto R. Henrici V. h. e. an. 1427. Extat in Bibl. Cotton. sub effigie *Vespasiani* lit. B. Cod. xi. n. 4.

ALBERTI Abbatis ad S. Petrum Salisburgi Catalogus Abbatum cum historiæ compendio ejusdem antiquissimi & celeberrimi Monasterii, Salisburgi an. 1646. in 4.

JOANNES BERTELS Abbas Epternaci, & Monasterii B. V. M. de Münster confecit catalogum & seriem Abbatum Monasterii D. Mariæ juxtà muros Civitatis Luxemburgensis cum brevi annotatione rerum atque historiarum memoria dignarum. Extat ad Autoris calcem Dialogorum in Reg. S. B. Colon. an. 1581. pag. 449-555. Contexuit etiam syllabum Abbatum Epternacensium, ex quo pleraque se excerpsisse fatetur Abbas Calmet in concinnando Elencho hujus Monasterii Præsulum, tametsi loca haud pauca parùm exacta sint. Cæterùm cùm Abbas Bertelius in hostium (Batavorum) potestatem venisset, monachi Epternacenses, ut eum libertati restituerent, pleraque sua bona in conficiendo lytro consumpserunt contra boni Abbatis intentionem, qui libentiùs in vinculis vitam finiisset, quàm regiminis molam tam difficili tempore versare. Mortuus est 19. Junii an. 1607. Calmet in Syllab. Abbat. Epternac. tom. III. Histor. Lothar.

Carolus Stengelius scripsit ac edidit Vitas SS. Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, & Wilhelmi Gellonensis cum Comentario. Augustæ in 4. an. 1611. Item Vitam S. Wunibaldi Abbatis ibid. in 4. an. 1612.

Vitæ quatuor priorum Abbatum Cavensium in Comitatu Salernitano *Alpherii*, *Leonis*, *Petri*, atque *Constabilis*, auctore anonymo Abbate Venusino, non diu post A. C. 1124. quo *Constabilis* obiit, editæ non ita pridem fuerunt Tomo VI. Scriptor. Rer. Italic. ex MS. Cavensis Monasterii, cujus copiam fecit Abbas Bacchinius D. Muratorio. Effigies verò, dignitates, ac tituli Abbatum Cavensium exhibentur ab *Alexandro de Rodulphis* in Historia sacri Monasterii Cavensis MS.

Elenchus Chronologicus Abbatum Lunælacensium cum Synchronismo Summorum Pontificum, Episcoporum Pataviensium, Imperatorum, & Principum Dynastiæ Wildeneggensis. Vid. Chron. Lunælac. pag. 419.

Floriacensium Abbatum Catalogus in Baluzii Miscellaneis tom. 1. pag. 491-493.

LEONELLI CROCEALLE, Itali, patriâ Parmensis, Monachi S. Justinæ Patavinæ an. 1655. Professi *Gli Abbati di S. Giustina di Padova descritti*, id est: *Abbatum S. Justinæ de Patua Descriptio.* Opus msf. in fol. pag. integr. 368. de quo vide plura, si lubet, apud Armell. in Bibl. Casin. part. 2. pag. 76.

ABBATES Monasterii S. Michaëlis Bambergæ à Martino Hofmanno carmine elegiaco descriptos exhibet Jo. Pet. Ludewig Scriptor. Rer. Bamberg. tom. 1. ex editione Norimberg. anno 1595. in 4.

MARCI ANTONII SCIPIONIS, Itali, Placentini, in Monasterio S. Sixti ibidem an. 1606. Professi

Elogia omnium Abbatum Sacri Monasterii Casinensis, Neapoli apud Octavium Beltramum anno 1630. in fol. & iterùm ibid. castigata & aucta an. 1643. apud Jacobum Gaffarum in 4. Opus insigne, non quidem puerilibus nugis refertum, ut plurimùm ea tempestate Elogia solebant esse, sed histo-

historica majestate, & pulcherrimo elocutionis ornatu contextum. Armell. l. c. p. 91.

PLACIDI PUCCINELLI, Itali, ex Æruriæ Oppido *Pescia* dicto S. Mariæ de Florentia alumni an. 1626. Professi, & postmodùm Abbatis Titularis Casin. Congr. Antiquarii & Sacrarum Cæremoniarum Magistri in eadem Abbatia Florentina.

Nomenclatura omnium Abbatum Congregationis Unitatis S. Justinæ Patavii, nunc Casinensis, unà cum Serie Prælatorum SS. Petri & Pauli de Glaxiate Mediolani. Typis ibidem Caroli Comagni apud Rosam an. 1647.

-- *Chronologia Præsidum* Generalium Congreg. Casin. Mediolani an. 1647.

-- *Chronologia*, seu *Epitome Prælatorum* Sacri Monasterii Casinensis, nec non Aretii, Florentiæ, Mantuæ, Patavii, Perusii, SS. Petri & Pauli de Glaxiate, San-Simpliciani Mediolani apud Joan. Pet. Ramellati 1647. Tres modò recensitos Pucinelli libros (sunt verba Mariani Armellini, Bibl. Casin. part. 2. p. 154.) magna cura ac studio à me tunc Florentiæ degente, id est, circa an. 1689. requisivit eruditissimus ac celeberrimus Godefridus Guilielmus Leibnitius Serenissimi Electoris Hannoveræ, postea Regis Angliæ, Georgii I. olim Consiliarius & Bibliothecarius, qui per id temporis Italiæ Urbes lustrabat.

Epistola Encyclica Monachorum Casalis-Benedicti, in qua Gesta Abbatum hujus Monasterii describuntur, anno 1111. data, à Mabillonio verò edita Tomo II. Analect. pag. 518.

BENEDICTUS CHELIDONIUS Monachus S. Ægidii Normbergensis, & Poëta, Musophili adscito nomine, labente Seculo xv. & decimi sexti sub initia scripsit *De fundatione & Abbatibus Monasterii sui*, ex quo versus quosdam producit Caspar Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ pag. 47. (editionis novæ p. 169.) Fabric. Bibl. med. Lat. lib. iii. pag. 1036.

Nomina Abbatum Conchensium, qui fuerunt post destructionem Monasterii à Saracenis illatam, legi possunt in Martene & Durand Thes. Nov. Anecdot. Tom. III. pag. 1387.

Syllabus Abbatum Imperialis Monasterii *Ottoburani* an. 764. à Sylacho, Francorum Duce, Alemanniæ Præfecto, ac Ilergoviæ Comite fundati, habetur in Petri Francisci Suevia Ecclesiastica p. 831-845.

Nomina & Acta Abbatum, qui Monasterium Fiscanense erexerunt. Mf.tum, quod in Bibliotheca Fiscanensi asservatur. Vide Duchesne pag. 152. Series Auctorum.

Series Abbatum Flaviniacensium, Labb. Bibl. Nov. Mss. tomo 1. p. 269.

Gesta Abbatum Lobiensium auctore *Hilduino*, cognomento *Tassonio*, ex Abbate Lobiensi, Mediolanensi Archiepiscopo. Hanc historiam citat Valer. Andr. in Bibl. Belg. Hilduinus mortuus est an. 941.

Catalogus Abbatum *Floriacensium* habetur in Baluzii Miscellaneis tom. 1. pag. 491.

Gesta Abbatum *Lobiensis* Monasterii, Diœcesis Cameracensis, ab anno circiter 641. ad an. 990. auctore Abbate Folcuino Lobiensi.

-- *Aliæ Continuationes* usque ad an. 1601. in Spicilegio Acherii tom. 1. pag. 541. 584. 557.

Catalogus Abbatum Principum Ducalis Ecclesiæ Campidonensis habetur apud Bruschium de Monast. Germ. Cent. I. sed longè elimatior, & à mendis perfectior in Petri Francisci Suevia Ecclesiastica pag. 228.

HENRICUS BODO Clusini Monasterii Monachus contexuit *Gandersheimensium* Abbatissarum Catalogum, quem cum ejus Chronico Gandesheimensi & Clusino vulgavit Leibnitius Tomo II. Scriptor. Rer. Brunsv.

HENNINGUS HAGEN, Helmstadiensis Professus Monasterii S. Ludgeri propè Helmsteden dedit Syllabum Abbatum Werthinensium & Helmstadiensium, quem Leibnitius exhibet Tomo III. Scriptorum Rerum Brunsvicensium pag. 600.

Catalogus Abbatum Murbacensium, ex quo Bucelinus & Cointius nomen *S. Simperti* expunxerunt, illud autem Mabillonius restituit.

Catalogus Abbatum ad D. Michaelis *Luneburgi* ex veteri Tabula Ædis San-Michaëlitanæ apud Leibnitium Tom. 3. Rer. Brunsv. p. 699.

Catalogus plenior eorundem Abbatum ibid. p. 700.

Libellus de Gestis Abbatum Gemblacensium, quem Oudinus Tom. II. pag. 1131. ait Dacherium Tomo VI. Spicilegii in publicum produxisse, obvius in nova editione Tom. II pag. 759. nec Sigeberti, nec Anselmi, nec alterius Auctoris nomen præfixum habet, Monacho tamen Gembla-

blacensi deberi scribitur. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. pag. 304.

Series Abbatum Archisterii *Luxoviensis* in Burgundia per Dom. Victorem Perin, ejus loci Suppriorem ab an. 610. (quo S. Columbanus inde pulsus fuit) usque ad annum 1733. (ubi redditus mensæ Abbatialis per Decretum Regis pro reædificanda Cathedrali Ecclesia Archiepiscopatus Bisontini per IX. annos applicari jussi sunt) inclusivè deducta asservatur mf.ta in Bibliotheca Augiæ Majoris Brigantinæ.

Abbatum Monasterii *S. Quintini de Monte* Summarium, quod Lucas Dacherius in Notis ad Opera Guiberti Abbatis Novigentini edidit pag. 618.

Catalogus Abbatum Monasterii B. Mariæ *de Novigento.* ibid. pag. 626.

Catalogus Abbatum Monasterii S. Nicasii *Remensis.* ibid. p.638.

Series Abbatum S. *Vincentii Laudunensis.* ibidem p. 648.

De Gestis Abbatum *Mediani Monasterii* libri duo, Auctore, ut vult Joannes Jacobus Chiffletius, Brunone primùm Monacho, tum Episcopo Tullensi, ac postea Summo Pontifice, qui Leonis IX. nomen gessit, extant in Martene & Durand Thes. Anecd. Tom. III. fol. 1091.

Catalogus Abbatum *Dervensium* extat in Bibliotheca Cluniac. Paris. 1614.

Series Abbatum *S. Michaëlis de Monte* ab anno 966. ad an. 1411. extat in Labbei Bibl. Nov. MSS. pag. 356.

Series Abbatum *S. Nicolai Andegavensis*, auctore Laurentio le Pelletier, Monacho hujusce Monasterii Andegavi Henault 1616.

MS. Historia Abbatum S. Remigii *Senoniensis*, hausta ex Archivis hujus Abbatiæ operâ & studio Victoris Cotron, è Congreg. S. Mauri in fol. Auctor obiit 1673.

Gesta Abbatum Monasterii *S. Vedasti*, auctore Joanne de Marquais, ejusdem Cœnobii Magno Priore, qui obiit an. 1604. Opus MS.

Gesta Abbatum Monasterii *sancti Wandregisili* in fol. asservantur in Bibliotheca ejusdem Monasterii num. 9855. le Long l.c. lib. 2. p. 256. col. 2.

Joannis Mabillonii Dissertatio de Venerabilibus *Gerardo*, *Gradulpho*, & *Gilberto*, Abbatibus Fontanellensibus, & de Venerabili Guntardo. Tom. VIII. Act. Sanctor. O. S. B.

MSS. *Gesta* quorundam Abbatum Savigniacensium à S. Ganfmaro, qui electus fuit anno 760. ad 1096. intexta sunt brevi Chronico Savigniacensi MS.to, quod asservatur in Bibliotheca S. Germani de Pratis.

Catalogus Abbatum *Trenorciensium* ab anno 875. ad an. 1087. auctore *Falcone*, Trenorciensi Monacho, vulgatus per Pet. Franc. Chifflet. S. J. in 4. Divione apud Chavancum anno 1664. Falco floruit Sec. XI.

Series Abbatum *Augiæ Majoris Brigantinæ* ab anno 1611. chronologicè deducta à *Francisco Ramsperg* ejus loci Priore, & Brigantii typis excusa.

Chronicon *Abbatiæ S. Martini Majoris* Coloniæ fusè ac diligenter conscripsit Clar. Vir. *P. Oliverius Legipont* loci Cœnobita supra comunem Concellitarum sortem eruditissimus; qui etiam *Fastos ejusdem Monasterii* heroico carmine complexus est. Edidit idem Histuriam Monasterii Disibodibergensis in Palatinatu à se nuper revendicati: Item *Monasticon Moguntiacum*, & alia.

Elenchus Abbatum Monasterii *Evesbamensis* in Anglia, quem vide in *Monastici Anglicani* tom. 1. pag. 150.

Registrum Abbatum *Winchelcumbensis* Cœnobii in agro Glocestrensi fuit penes Will. Morton. Equitem Auratum an. 1644. Vid. Monast. Angl. tom. 1. p. 188. col. 1.

Catalogus Abbatum *Ramesiensis* Cœnobii in Anglia. ibid. p. 240.

Catalogus Abbatum Burtonensis in Anglia Cœnobii, l. c. 272-274.

Syllabus Abbatum Cœnobii S. Edmundi in agro Suffolciensi. pag. 295.

Catalogus Abbatum Gottwicensium, qui ab Hartmanno primo loci Præsule usque ad Michaëlem Herrlich Professum Mellicensem, id est, ab an. 1094. usque ad 1604. pertingit, typis vulgatus habetur in Hier. Pez. Tom. II. Script. Rer. Austr. p. 281.

Catalogus Abbatum *Lambacensium* ab Ekkeberto usque ad Conradum, qui sub annum MCCLXXXIX. eidem loco præfuit, ex codice autographo Lambacensi in lucem primùm protractus ab Hier. Pezio Script. Rer. Austr. tom. 2. p. 46.

Catalogus Abbatum Principalis Monasterii ad S. Emmeramum Ratisbonæ, auctore Christophoro Hoffmanno, Monacho & Presbytero ibidem. 1531. extat ad calcem Tomi II. Bibl. San-Emmeram.

Catalogus Abbatum *Cremifanensium*, authore Bernardo Norico, ejusdem loci Cœnobita, nunc primùm ex Cod. autographo Cremifanensi publici juris factus Tom. II. Script. Rer. Austriac. pag. 51. Inscribitur ab ipsomet Bernardo Norico *Catalogus Abbatum Cremifanensium*, rectiùs fortassis *Chronicon* appellandum, in quo tum origo amplissimi istius monasterii, tum res ab ejus Præsulibus gestæ, ab anno Christi 777. ad 1273. cum summa cura sinceritatéque denarrantur, Pez. l. c. p. 51.

Catalogus Abbatum Seidenstettensium in infer. Austria ex codice membraneo traditionum Seidenstettensium juris publici fecit idem V. C. l. c. Tom. 2. p. 304.

Catalogus Abbatum *Altenburgensium* ex recenti autographo ejusdem Monasterii editus ab Hier. Pez. Tom. II. Script. Rer. Austr. p. 320.

Catalogus Abbatum *Glunicensium* in Infer. Austria typis donatus ab Hier. Pezio l. cit. pag. 329. multò auctior emendatiórque est, quàm qui in Monasteriologia Stengeliana extat.

JOAN. ANTONIUS WITLICHIUS ad S. Jacobum Moguntiæ Professus 10. Junii an. 1618. & tandem gregi servando in Prioris munere præfectus scripsit Catalogum Abbatum sui Monasterii, quem totius Conventûs nomine obtulit Wilhelmo Abbati die inaugurationis. Eundem Georgius Christianus Joannis Rerum Moguntiacarum Tomo II. recensuit, notulis passim inspersis illustravit, correxit, nec non ad sua tempora perduxit.

Catalogus Abbatum Einsidlensium in Helvetia. Germanicè in 4. Monachii.

WOLFGANGI TREFFLERI Cœnobitæ ad S. Jacobû Moguntiæ Orationes funebres in laudem R.^mi D.^ni Hermanni Abbatis ejusdem Monasterii quatuor MS.^tæ asservantur in Bibliotheca. *Oliv. Legipont.*

Syllabus Abbatum Saviniacensium. Pontius Abbas Saviniacensis ineunte Seculo XII. veterum diplomatum reliquias in unum colligi, & Abbatum nomina seriémque describi, quídve sub unoquoque Abbate gestum fuisset, adnotari per unum è suis curavit. Librum Chartarum appellat auctor, qui in prologo scribit *Sapiniacense*, sic ille vocat, Cœnobium jam dudum *ab antiquis Patribus instructum* claruisse, donec Hunnorum bestiali feritate, occulto Dei judicio, eversum, & in solitudinem redactum fuit, monachis, qui locum incolebant, effugatis, aut occisis. Idem Author ait, revolutis antiquis ejus monasterii chartis & monumentis, se Abbates duntaxat novem ante Hunnorum tempestatem; ab eo verò tempore usque ad Pontium tredecim invenisse. Absque hoc Auctore, tametsi parùm accurato, nihil ferè de insigni illo monasterio resciremus. Eundem laborem prosecutus est ad suum tempus, Id est, ad finem Seculi XV. *Benedictus Maillardi*, Decretorum Doctor, ejusque Monasterii Prior· major. Mabill. Annal. tom. 2. p. 186.

Catalogus Abbatum, Præpositorúmque Cœnobii S. Remigii Remensis extat in Historia Metropolis Remensis c. IV. & XIV. pag. 323. & 359. seq.

Series & Gesta Principum, & Abbatum Tegernseensium ab anno 746. usque 1746. anno à dedicatione millesimo, à reparata salute 1746. *Tausend Jahr des Gotteshauss Tegernsee Einweyhung in einer offentlichen Schaubühne.* in fol.

GUILLELMUS FORESTIER Montis Sanctæ Catharinæ monachus quatuordecim primorum ejusdem loci Abbatum Elogia edidit, quæ Mabillonius in appendice ad Tomum V. Annal. Ord. S. Ben. pag. 630. & seq. publici juris fecit.

CAROLI VASSIMONT Prioris titularis Prioratus Flaviniacensis super Mosam, tribus milliaribus Nancæo dissiti *Series Abbatum S. Mansueti* unà cum præcipuis eorum Gestis.

– Ejusdem Series Abbatum de Longeville. MS.

Brevis omnium Abbatum *Seligenstadiensium* Catalogus ab Eginhardo primo Abbate c. an. 829. usque ad Franciscum II. an. 1698. electum editus à *Joanne Weinkent* an. 1714.

ODO de VAUCEMANNI Prior S. Germani Antissiodorensis scripsit *de Gaucbero* Abbate ejusdem monasterii, qui obiit 1334. Vita ipsius typis descripta est in Labbei Bibl. Nov. Mannscript. pag. 589.

LUDOVICI BABENSTUBER Elenchus & Gesta Abbatum Ettalensium, quæ Auctor *Fundatrici Ettalensi*, id est, Historiæ de Miraculis B. V. Thaumaturgæ Ettalensis præmisit libro 1. Monachii anno 1694. in 4.

Elogium Venerabilis *Widradi* Abbatis & Conditoris Monasterii Flaviniacensis, Authore Jo. Mabill. Tom. III. Act. Ord. S. B. p. 628.

Cata-

Catalogus Abbatum Monasterii S. Germani à Pratis editus à Jacobo du Breul cum Aimoini Historia pag. 427. secundò.

Elogium historicum Marcuvardi Abbatis Prumiensis. Mabill. tom. v. Act. Ord. S. B. p. 606.

PHILIPPUS MARIA de PACE, Abbas Cavensis scripsit *Vitas Compendiarias Abbatum omniū Cavensium* ab exordio ejusdem Monasterii ad hæc usque nostra tempora, quibus Author adhuc vitam protrahit, aut non ita pridem absolvit. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 143.

ROMUALDI SERRA *Catalogus omnium Abbatum* Monasterii S. Mariæ de Monte apud urbem Cesenam, de quo plura vide apud Armell. l. c. pag. 167.

Nomina Abbatum Monasterii de *Ramsey* in Anglia, cum brevi de iisdem narratione ab Ednoto ad Joannem de Sautre. Sequitur interjectis foliis amplior de quibusdam Abbatibus historia. Bibl. Cotton. sub effigie *Vespasiani* Lit. A. Cod. XVIII. n. 22.

BALDUINUS DIONYSIUS Cœnobita Elnonensis in Pabula conscripsit versū Elegiaco Catalogum Abbatum Monasterii sui, eúmque ad annum 1592. produxit. *Foppens* Bibl. Belg.

BALTHASAR à DERNBACH Abbas & Princeps Fuldensis, ab invicta constantia, qua Principale suum Monasterium è manibus Julii Herbipolensis Episcopi vindicavit, commendatissimus, paulò ante discessum suum memoriam ipse vitæ suæ complecti literis cœpit, & Acta decessorum suorum compendio annotata eam in rem cum Christophoro Browero communicavit, ut is testatur in dedicatione Antiquitatum Fuldensium.

BERNARDUS WENZEL Abbas Tegernseensis an. 1672. electus Tabulas de successione & vita Abbatum celeberrimi sui Monasterii ad sua usque tempora deduxit. Opus, quod sciam, adhuc in MS.^tis latet.

Libro VI. Historiæ Salisburgensis à Fratribus Mezgeris contexti habentur Catalogi Abbatum Archidiœcesis Salisburgensis:

1.) *Catalogus* Abbatum Monasterii S. Petri Salisburgi pag. 1176.

2.) *Series* Abbatum Monasterii Ossiacensis in Carinthia. p. 1170.

3.) *Series* Abbatum Monasterii Seonensis in Bavaria. p. 1176.

4.) *Catalogus* Abbatum Monasterii quondam in *Elsenbach*, postmodùm translati in montem S. Viti cis fluvium Rotam propè Neumarckt in Bavaria pag. 1181.

5.) *Catalogus* Abbatum ad S. Michaëlem in Beürn in Diœcesi & Territorio Salisburgensi p. 1183.

6.) *Catalogus* Abbatum Liberi & Exempti Monasterii ad S. Lambertum in Styria. p. 1188.

7.) *Series* Abbatum Admontensium in Styria. p. 1194.

8.) *Catalogus & Series* Abbatum S. Pauli in Carinthia. p. 1205.

9.) *Catalogus* Abbatissarum Nunberg. Salisburgi.

10.) *Series* Abbatissarum in Parthenone Chiemensi vulgò *Frawenwördt*.

11.) *Catalogus* Abbatissarum ad S. Georgium propè Lacum Langseec in Carinthia. p. 1129.

12.) *Series* Abbatissarum illustris Parthenonis In Goss in superiori Styria ad urbem Leobii siti. p. 1231.

Syllabus Abbatum Ord. S. B. Monasteriorum in Archiepiscopatu Treverensi & tribus Episcopatibus Metensi, Tullensi, & Virdunensi ex Tomo III. Historiæ Lotharingiæ à R.^mo Abbate Augustino Calmet Gallico sermone scriptæ.

Syllabus Abbatum Monasterii de Saint Airy seu S. Agarici pag. 51.

Syllabus Abbatum sancti Arnulphi Metensis. p. 58.

Syllabus Abbatum de Saint-Avold, Latinè sancti Naboris p. 62.

Syllabus Abbatum Monasterii Belliloci Diœcesis Virdunensis. p. 67.

Syllabus Abbatum de Bouzonville Latinè Bozonis villæ. in hoc Catalogo omissus est *D. Joannes d' Haussonville*, qui præesse cœpit monasterio 1536.

Syllabus Abbatum S. Clementis, aliàs S. Felicis Metensis. pag. 90. anno 1480. desierunt Abbates Regulares, & Commendatarii successerunt.

Syllabus Abbatum Epternacensium, pag. 99.

Syllabus Abbatissarum S. Glossindis Metensis. p. 115.

Syllabus Abbatum Monasterii Gorziensis. 118.

Syllabus Abbatissarum Monasterii d'Horreen, Latinè Horrea. p. 122.

Syllabus Abbatissarum de l'Abbaye Savigny Diœcesis de Verdun imediatè subjectæ Sedi Apostolicæ p. 130.

Syllabus Abbatum S. Martini de Glanderiis, vulgò Longeville, ou Glandires. pag. 131.

Syllabus Abbatum S. Mansueti Tulli Leucorum. pag. 135.

– *Des Abbés* de Sainte Marie aux Martyres, prés la Ville de Tréves, tirez de Bruschius. Ingolstadii 1511. pag. 81.

– *Des Abbez* de Saint-Martin de Tréves, tirez de Bruschius, p. 121. 122. Congr. Bursfeld.

Syllabus Abbatum S. Martini extra mœnia Metensia. p. 143.

Syllabus Abbatum S. Mathiæ Trevirensis. p. 146.

Syllabus Abbatissarum S. Mauri Virdunensis.

Syllabus Abbatum S. Maximini Trevirensis.

Syllabus Abbatum Monasterii Lacensis. p. 155.

Syllabus Abbatum S. Michaëlis. p. 158.

Syllabus Abbatum de Moyen Moutier (Mediani Monasterii) pag. 159.

Syllabus Abbatum Monasterii, seu S. Mariæ de Luxenbourg.

– *S. Pauli Virdunensis*, antea Ord. S. Bened. nunc Præmonstratensis p. 170.

Syllabus Abbatum Prumiensium.

Syllabus Abbatum Senonensium.

Syllabus Abbatum S. Symphoriani Metensis. pag. 198.

Syllabus Abbatum Monasterii Theologiensis. p. 202.

Syllabus Abbatum S. Vitoni Virdunensis. p. 203.

Syllabus Abbatum de Vergaville. p. 206.

Syllabus Abbatum S. Vincentii Metensis. p. 207.

STANISLAUS SCZYGIELSKI *in Aquila Polono-Benedictina* pag. 270. seq. Catalogum texit *Abbatum Ascetérii Cluniacensis*, Capitis & Fontis amplissimæ Congregationis. Primus fuit S. *Berno* anno 926. ad Superos translatus, ultimus *Regularis* numero 45.tus *Aymardus* an. 1528. mortuus. In cujus locum, à Conventu electus fuit per viam Inspirationis *Jacobus le Roy* Abbas S. Florentii, & Decanus Cluniacensis, sed victus in Domino armatis precibus, cessit Denominationi Regiæ, & Electioni coloratæ in favorem *Joannis Cardinalis à Lotharingia*, qui titulo Commendæ accepit Cluniacum an. 1528. statímque magna confusio in florentissimo Monasterio, & amplissima illa Cluniacensi Congregatione subsecuta est, nam multa Monasteria in diversis Provinciis posita, unita verò corpori Congregationis Cluniacensis, ab obedientia, quam Cluniacensibus Professis Abbatibus, uti Generalibus præstare solebant, actutùm recesserunt, neque ampliùs Annalia frequentare Capitula, neque Visitatores à Cluniacensibus missos admittere voluerunt.

Mellicensium Abbatum Series ab eodem Conventu adornata. Viennæ Austriæ an. 1701. in 4. Ecclesia nova Abbatiæ Schwarzacensis Ord. S. B. 1743. Item vita & res præclarè gestæ DD. Abbatum ibidem, an. 1743. in 4.

§. VIII.

Scriptores de Prioratibus, ac Monasteriorum Prioribus.

POst recensitos Authores, qui de Abbatibus Ordinis nostri scripserunt, sequitur, ut qui tum Historiam Prioratuum confecerunt, tum Priorum Catalogos contexuerunt, parem in modum recenseantur. Verùm cùm seriùs mihi hujus recensionis in mentem venerit, nec libri, quos evolvam, nunc in promptu sint, utar Henrici Whartoni, exteri Scriptoris operâ, cujus de Prioribus in præcipuis quibusdam Angliæ Monasteriis Catalogos speciminis loco hic afferre visum est: Illud verò prænotandum, quòd qui Episcopi ex Clero, præsertim seculari, Sedes Episcopales in Cœnobiis collocârunt, privilegia & emolumenta sibi vindicârint, Monachis verò regendis ex eorum grege quempiam præficiendum curârint, cui nomen Prioris indiderunt.

Catalogus Priorum Ecclesiæ Cathedralis Cantuariensis ab *Henrico*, quem B. Lanfrancus Archiepiscopus instituit, ad *Thomam Goldwell*, qui annis circiter XXIII. dignitate potitus, extincto superfuit Cœnobio; quod in manus Henrici VIII. Regis, assentiente Conventu, resignavit anno Domini MDXL. Ejectis itaque Monachis, Rex eodem anno Ecclesiam Cantuariensem nova fundatione instauravit; & eisdem ferè possessionibus dotatam, Decani & Canonicorum secularium ditioni subjecit, *Angl. Sacr. part. 1. pag. 136.*

Successio Priorum Ecclesiæ Wintoniensis à Brithnoto, quem Ethelwoldus Episcopus anno 938. constituit, ad *Willelmum Basunge*, qui Prioratum tenuit anno 1538. Hic ultimus Prior cœnobium suum 1539. 15. Nov. tradidit in potestatem Henrici Regis, qui ex-

exauthoratis Monachis Canonicos seculares intromisit. l. c. p. 325.

Successio Priorum Ecclesiæ Norwicensis ab Ingulpho, quem Herbertus Episcopus anno circiter 1100. instituit ad *Willelmum Castleton*, qui Prioratum tenuit anno 1536. Idem (ut Whartono videtur) Priorum ultimus Cœnobium suum anno circiter 1540. tradidit Regi, qui Monachorum loco Canonicos seculares substituit. l. c. pag. 420.

Successio Priorum Coventrensis Ecclesiæ, quorum primus occurrit *Laurentius* an. 1179. demortuus (quamvis plures ante ipsum Prioratum tenuisse neutiquam sit dubitandum) ad *Thomam Camswelli*, Priorem ultimum, qui Monasterium in manus regias resignavit anno 1539. die 15. Januarii, & annuum stipendium 185. matcarum à Rege accepit. l. c. p. 463.

Successio Priorum Ecclesiæ Wigorniensis à *Wyrisino*, qui an. 971. Prior constitutus fuit, *ad Henricum Holbeck*, qui ex Monacho malo pejor Canonicus factus, ejectis Monachis, titulo Prioris in Decani mutato, Canonicis secularibus præfuit, donec medio anno 1544. Episcopus Roffensis creatus, Decanatum Joanni Barloo tradiderit. pag. 550.

Successio Priorum Ecclesiæ Roffensis ab *Ordowino*, quem Gundulfus Episcopus Ecclesiæ Roffensi Priorem præfecit an. 1089. ad *Walterum Philipps*, Priorem ultimum, qui Conventum in manus regias tradidit an. 1540. mense Martio. Rex autem eodem anno, Monachis emissis, Canonicos seculares introduxit, primúmque Ecclesiæ secularizatæ Decanum Walterum constituit. pag. 394.

Successio Priorum Ecclesiæ Bathoniensis à *Petro* anno 1159. ad *Willelmum Gibs*, Priorem ultimum, qui temporis iniquitate coactus Regi Cœnobium Bathoniense cum ædificiis, fundis, & redditibus suis transcripsit an. 1539. 27. Jan. Ipse pensione 8. librarum annua & ædibus lautis in urbe Bathoniensi donatus, privatam deinceps vitam egit. Conventus eo tempore valere annuatim censebatur 617. lib. 2. sol. & 3. den. vel juxtà alios 695. sol. & 1. den. pag. 587.

Successio Priorum Ecclesiæ Eliensis à *Vincentio* Priore I. Anno 1109. ad *Robertum Wellys*, aliàs *Stewarde*, qui anno circiter 1539. consilio de Monasteriis ubivis per Angliam evertendis impiissimè inito, Monasterium Eliense Regi libenter transcripsit, aliósque Abbates & Priores, ut idem facerent, importunis precibus, & levissimis argumentis impulit. Canonicis itaque secularibus in Ecclesiam Eliensem Monachorum loco brevi post introductis ipse primus illorum Decanus à Rege constitutus est, de quo verè dici potest tritum illud: *Ex malo monacho pejor Canonicus*. pag. 685. Cæterùm *Historiam Prioratûs Eliensis* ante finem seculi XII. scripsit *Thomas* Monachus *Eliensis*, author gravis, fide dignus & disertus.

Successio Priorum Dunelmensis Ecclesiæ ab *Aldwino* circa annum 1073. ad Hugonem *Whitehead* S. T. D. Priorem ultimum, qui anno circitet 1539. cum Monachis suis Cœnobium Dunelmense Regi transcripsit, & introductis à Rege anno 1540. loco Monachorum Canonicis secularibus mutato habitu Decanus effectus est. pag. 789.

Dunstaplense Chronicon, sive Annales Prioratûs de *Dunstaple* in Anglia, unà cum excerptis è Chartulario ejusdem Prioratûs, vulgati anno 1714. duobus voluminibus in 8. à V. C. Thoma Hearne. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. IV. p. 202.

Prioratus B. Mariæ Magdalenæ de Breton, sive Lunda Eboracensis Diœceseos. Excerpta ex libro chartarum habet Bibliotheca Cotton. sub effigie *Tiberii* Lit. A. Cod. VIII. n. 19.

Registrum Prioratûs de Daventrie in agro Northamptoniensi (erat Conventus Monachorum Congr. Cluniac.) asservatur inter Mss. Codd. Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie *Tiberii* Lit. D. Cod. XI. vid. Smith. in Catal. p. 44. col. 2.

In Monastico Anglicano notitia qualisqualis de Prioratibus & Cellis O. S. B. in Anglia suppeditatur. Ego Nomina hîc tantùm eorum Prioratuum pro specimine hîc referam, qui olim ad præpotens S. Albani Monasterium pertinebant, cujusmodi fuerunt

Belliloci Cœnobium in agro Bedfordensi cella S. Albani. tom 1. p. 325.

Malengford (cella S. Albani) in agro Berrocensi. p. 326.

Bellverense Cœnobium in agro Lincolniensi cella S. Albani. p. 327.

Hartfeld Prioratus in agro Hertfordensi cella S. Albani. p. 330.

Herteforðense Cœnobium S. Albani. p. 331.

Timmetense Cœnobium in agro Northumbrensi cella de S. Albano, pag. 333.

Wimundhamense Cœnobium in agro Norfolciensi cella S. Albani, fundata anno Dom. MCXXXIX. p. 337.

Binhamensis Prioratus in agro Norfolciensi, cella Cœnobii S. Albani, pag. 343.

Sopewellense Cœnobium in agro Hertfordensi, cella etiam S. Albani. pag. 347.

Mergatense Cœnobium in agro Bedfordiensi, cella etiam de S. Albano. pag. 350.

Petri Juliacensis Prioris vita ab Anonymo parùm accuratè scripta, tamen edita fuit à Petro Chiffletio in Opere de genere S. Bernardi. Mabill. Annal. tom. IV. p. 136. & seq.

Catalogus Priorum S. Jacobi Moguntiæ extat Tomo II. Rer. Moguntiac. Georg. Christ. Joannis. p. 821.

Carolus Vassimont Prior titularis Prioratûs Flaviniacensis super Mosam tribus milliaribus Nancæo dissiti contexuit Seriem Priorum hujus Prioratûs. Calmet in Catal. Alphabet. Script. Histor. Lothar.

Fundatio Prioratûs de Are-villa legitur in Chronico S. Michaëlis in pago Virdunensi apud Calmet Histor. Lothar. tom. I. pag. 563-564.

Syllabus Priorum de Chatenoy. Calmet l. c. pag. LXXXVI.

Prioratus de Flavigny apud eundem, pag. LXVI.

PETRUS REYNIER Prior Abbatiæ S. Joannis olim in monte juxtà Ternanam, nunc Ipras translatæ, evulgavit vernaculè *Historiam veteris Monasterii Capellæ* (quod huic Abbatiæ jam pridem unitum fuit) Ipris in 8. an. 1629. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 1004.

Chronicon Prioratûs sancti Launomari de Magenciaco apud Arvernos, seu ejusdem Prioratûs Historiola. Extat typis vulgata Act. Ord. S. B. Sec. IV. Part. 2. pag. 254-259.

Antiquitates Prioratûs de Souvigny in Burgundia; Résque memoratu dignæ Domûs Borbonicæ, quæ hujus Prioratûs est fundatrix, operâ & studio *Sebastiani Marcaille* è Congr. Clun. in 8. Molins, Vernoy an. 1616.

Regalis Monasterii & Prioratûs S. Martini de Campis Congr. Cluniacensis Historia: per Dom. Martinum Marrier, ejusdem Monasterii Priorem Claustralem, in 4. Parisiis an. 1637.

De insigni Prioratu S. Saturnini de Portu vulgò *le Pont St. Esprit* vide Gall. Christ. tom. 6. col. 658.

Martiniana, seu Literæ, Tituli, Chartæ, Privilegia, & Statuta Prioratûs S. Martini de Campis Parisiensis in octavo, Parisiis, Du Fossé. 1606.

Vita Martini Marrier, Religiosi & Prioris Claustralis S. Martini de Campis Parisiensis, Gallicè scripta à Domno Germano Cheval, hujus Monasterii Alumno, typísque vulgata Parisiis an. 1644. in 8.

Antiquitez & Dignité du Prieuré de Saint Lo de Rouen composées, en 1636. par Thomas Avice, Curé de Saint Lo in 4. id est: *Antiquitates & Dignitas Prioratûs S. Laudi Rothomagensis operâ & studio Thomæ Avice Parochi ad S. Laudum*, asservantur verò istæ antiquitates in Bibliotheca Regia intra MSta D. Bigot num. 345. le Long l. c.

MICHAEL FELIBIEN è Congreg. S. Mauri *Originem Prioratuum* in Historia Regalis Monasterii S. Dionysii in Francia Libro III. describit. Nempe Abbates mittere suis è Cœnobiis solebant, qui prædiorum longiùs à monasteriis dissitorum curam gererent. Hi Oratoria sibi construebant, ubi Abbates subinde missis coloniis novas instituerunt communitates, eâ intentione, ut cœnobia sua numero levarent. Priores subjecti erant Abbatibus, ad eorum nutum removibiles, unde *Obedientiales* nominari consueverant. At non ita diu post, suggerente ambitione, viam excogitaverunt, quâ se Abbatum subtraherent obedientiæ. Atque hæc una è præcipuis fuit causis ruinæ Ordinis Monastici.

Cellæ seu *Prioratus* ab Archicœnobio S. Remigii Remensis dependentes recensentur à Guillelmo Marlotto in Historia Metropolis Remensis tom. I. lib. 3. pag. 343.

FRANCISCI RAMSPERG Monachi & Prioris antiquissimi Monasterii Augiæ Majoris Brigantinæ

De Origine & Fundatione Parochiarum, aliorúmque Beneficiorum Curatorum Monasterii Brigantini Tomi III. in fol. Opus Ms.

MORANDI Prioris Altkirchæ in Diœcesi Basileensi vita ab anonymo Monacho scripta extat in Bibliotheca Cluniacensi pag. 501. & seqq.

TEODERICUS GHISBERTI Supprior Monasterii S. Salvii in Belgio prope Valencinas ejus loci Priorum Catalogum ac res gestas ineunte seculo septi-

mo-

mo-decimo literis mandavit. V. Annal. Benedictin. tom. vi. pag. 57.

Catalogus Abbatiarum, Prioratuum, & Decanatuum mediatè & immediatè Abbatiæ seu Monasterio Cluniacensi subditorum per Provincias Franciæ, Provinciæ, Tarentasiæ, Delphinatûs & Viennæ, Pictaviensis, Santonensis, Alverniæ, Vasconiæ, Alemanniæ, Lotharingiæ, Comitatus, Burgundiæ, Lombardiæ, Hispaniæ, Angliæ & Scotiæ. Extat in Bibliotheca Cluniac. pag. 1705.

§. IX.

Necrologia.

NOn modò ad res Ordinis elucidandas, sed ad Historiam etiam, quà ecclesiasticam, quà civilem, majori in luce ponendam usum haud rarò præstare *Necrologia*, apud omnes rei historicæ peritos in confesso est. In illis siquidem per singulos anni dies non Abbates tantùm & Monachi communes, sed Benefactorum etiam nomina, multorum Principum, aliorúmque illustrium virorum dies obituarii, seu, ut vulgò appellant, *emortuales* notari consueverant. Pro more igitur nostro pauca è quàm pluribus, eáque duntaxat, quæ alia scribenti sese ultrò obtulerunt, subjicere hic visum est.

Necrologium Fuldense antiquissimum Ms.tum Excerpta dedit Leibnitius Tom. III. Script. Rer. Brunsv. qui omnibus aliis Necrologiis præstare illud dicit, dignúmque omnino esse, ut totum typis edatur. Id quod fecit V. C. Joan. Frider. Schannat in Historia Fuldensi, ubi Necrologium Fuldense autographum ab an. 779. usque ad 1065. pag. 464. Præmittitur verò pag. 463. *Index emortualis* Abbatum Fuldensium ex Ms.to Nec reticendum est *Vetus Diptychon Fuldense*, in quo nomina defunctorum Regum Francorum à Pipino, Reginarúmque & Episcoporum ac Comitum, quod in ejusdem V. C. Schannat *Vindemiis Literariis* habetur pag. 16. Cæterùm quæ Monachi *Necrologia* hodie vocant, veteres *Diptycha mortuorum* nominare solebant, de quibus Cangius in Glossario.

Obituarium Ecclesiæ Cantuariensis. Complectitur Monachorum omnium, Archiepiscoporum, Benefactorum Ecclesiæ Cantuariensis, & aliorum spirituali societate conjunctorum à prima Ecclesiæ fundatione ad annum circiter 1530. dies obituales, additis plerumque insigniorum elogiis, juxta mensium & dierum ordinem. Asservatur in volumine quodam Bibliothecæ Lambethanæ pulcherrimè exaratum, teste Henrico Wharton, qui ex eo dies obituales Archiepiscoporum Cantuariensium descripsit, atque Angliæ Sacræ Tomo I. p. 52-64. typis vulgavit. Ejusmodi Obituaria in singulis ferè Cœnobiis majoribus asservabantur, in qua Monachorum & Benefactorum obitus referre solebant, & quam primùm Codex nominibus repleri cœperat, eadem in alium Codicem describere. Hinc ex vetustioribus Ecclesiæ Cantuariensis Obituariis bina in Bibliotheca Cottoniana habentur, aliud recentius in Bibliotheca Arundelliana, omnium autem novissimum in Lambethana, quod proinde reliqua omnia complectitur, utpote post annum 1517. conscriptum, & obitus etiam usque ad annum 1538. sequentes suis locis manu aliena adjungens. Wharton præfat. in Angl. Sac. pag. xxi.

Necrologium Ecclesiæ Cathedralis Cantuar. sive Obituarium vetustum Regum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Monachorum, Monialium, aliorúmque Anglorum, & Normannorum, per singulos anni menses dispositum. asservatur in Bibl. Cotton. sub effigie *Neronis* Lit. C. Cod. ix. Vid. Smith in Catal. pag. 54.

Necrologium Augiæ Divitis, cujus exemplum extat in Monasterio S. Blasii in Sylva Nigra. Cœptum illud est sub Erlebaldo Abbate circa an. DCCCXXX. & per duo ferè Secula continuatum. Vid. Cl. Marquardi Hergott Geneal. Habsburg. Cod. Prob. part. 2. pag. 831.

Necrologium Einsidlense, recentius quidem, sed ex vetustis documentis collectum, an. 1644. & renovatum an. 1695.

Necrologium Monasterii Murensis recentius in membrana conscriptum, cui titulus: *Tabulæ defunctorum* Monasterii Murensis Abbatum, Monachorum, ex conscriptorum collatione antiquorum Codicum restitutæ anno Domini MDCXXIII.

Necrologium Monasterii S. Agerici Seculo xi. scriptum à *Ludovico* ejus loci Monacho, quod multis aliis cum libris à se manû exaratis in Armario seu Bibliotheca recondidit. Ea de

re

re lusit his versibus, qui in fine regulæ scripti sunt: *Ecclesiæ nitor est in Clero, Codicibúsque, Quidquid agat nihil est fine Clero, Codicibúsque.* Ruinart in Itin. Lit. in Alsat. & Lothar. pag. 427.

Necrologium vetus Cluniacense, quod Mabillonius perquisivit, sed nuda ferè personarum, quibus suffragiorum communio concessa est, nomina invenit, nulla mensium habita ratione, sed ut sese offerebant, dispofita. Vide plura Parte I. prælim. hujus Historiæ Litter. p. 240. col. 1.

Necrologium Monasterii Senonienfis ab annis 700. conscriptum, ex quo multa se collegisse non dissimulat Ruinart in Itin. Lit. in Alsat. & Lotharing. pag. 442.

Necrologium Monasterii Werthinensis, ex eo excerpta vide apud Leibnit. Script. Rer. Brunsvic. tom. 2. pag. 600.

Necrologium Monasterii S. Mariæ Florentiæ ab anno 1425. usque ad an. 1531. cum singulorum defunctorum elogiis concinnavit *Isidorus Montacuti*, Monachus ejusdem Abbatiæ an. 1573. demortuus; asservatur in Codice, qui *Ortus & Interitus* appellatur. Armell. Bibl. Casin. par. 2. pag. 60.

Necrologium, seu liber obitûum Monasterii Affligeniensis in Brabantia, in quo ad 30. Aprilis legitur: *In Affligenio obiit Radulphus Tacens, Sacerdos & Monachus, qui septem annis silentium tenuit, & signo Crucis incendium maximum penitus extinxit.* Ex quo corrigi potest Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum c. 13. qui sexdecim annorum silentium ei tribuit, nisi fortè mendosus sit Codex. Vid. Hæften. Disquif. Mon. Lib. 6. Tr. III. Disq. 5. p. 596.

Necrologium Monasterii S. Michaëlis in Hildesheim, ex quo excerpta habes apud Leibnitium Rer. Brunsv. Tom. II. p. 103-110.

Necrologium Monasterii B. Mariæ Virginis vulgò ad Scotos Viennæ in Austria pro veteri more Latinè scriptum primus in lucem protraxit Joannes Raschius circa an. 1584. in libro Germanicè scripto, quo idem Editor genus gestáque Henrici I. Austriæ Ducis & Cœnobii istius Fundatoris, Historiam qnoque fundationis cum Catologo Abbatum & Necrologio ejusdem loci complexus est. Hieron. Pezius idem Necrologium totidem verbis ex mſ. quodam codice Scotensi à Raschio expressum secundis curis & typis edidit tom. 1. Script. Rer. Austr. pag. 700. Necrologii hujus exemplum manu exaratum in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca asservatur.

Necrologia duo vetera sanè præclara Admontensis in Styria inclyti Monasterii extant in duobus membraneis Codicibus mſ.tis Bibliothecæ Admontensis, quorum alter Seculo XI. alter proximè insequenti manu exaratus est; uterque posteriorum temporum accessionibus auctus & amplificatus. Excerpta ex iisdem in lucem dedit Hier. Pez. Tom. II. Script. Rer. Austr. p. 199.

Necrologium vetustissimum Monasterii Cluniacensis, è quo multa monumenta eruit Stephanus Baluzius, quæ postea Tomo VI. Miscellaneorum inserta cum orbe literato communicavit.

Necrologium S. Vincentii Metensis, quod Abbati Augustino Calmet in scribenda Historia Lotharingica usui fuit.

Necrologia duo antiquissimi Asceterii ad S. Petrum Salisburgi. Primum & antiquius in majoris formæ membrana sub Arnone primo ArchiepiscopoSalisburgensi scribi cœptum, & à coævis usque ad seculum Christi duodecimum perductum. Excerpta vide apud Bern. Pezium Differt. Isag. in tom. 1. Anecd. p. V. n. XI. Alterum à sexcentis annis optimæ etiam notæ membraneum in folio signatũ literâ S. 75. ex quo mirum est, quantum lucis res Austriacæ atque Bavaricæ accipiant. Austriacas inde collegit Hier. Pezius, cujus nniversim commentaria dici non potest, quantum hîc loci cumulata fuerint. Bern. Pez. l. c. n. x.

Nomina Fratrum de professione S. Albani in Anglia defunctorum, à susceptione Fr. Joannis de Wallingford in eodem ordine, anno 1231. Bibl. Cotton. fnb effig. *Julii* Lit. D. Cod. VII. n. 18.

Societatum virorum & fœminarum indiculus, pro quorum animabus Monachi Ecclesiæ Christi Cantuariensis tenentur præstare servitia, officia, & missas; asservatur inter mſ.tos Codd. Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie *Tiberii* Lit. C. Cod. VI. n. 7.

Literæ Richardi Archiep. Cantuar. & Alani Prioris & Conventualium Fratrum ad Ludovicum Regem Francorum, quibus ipsum ob munificentiam

tiam erga Ecclesiam Christi Cantuar. in suam fraternitatem recipiunt; asservantur inter mss. Codd. Bibl. Cotton. teste Thoma Smitho in Catal. p. 41. col. 2.

Catalogus Benefactorum, & omnium eorum, qui in plenam fraternitatem Monasterii S. Albani recepti erant: cum compendiariis historiis eorundem, & elegantissimis picturis. asservatur in Bibl. Cotton. sub effig. *Neronis* Lit. D. C. VII.

Memorandum, quod A. D. 1480. fuit recepta sive admissa Cæcilia mater Serenissimi Regis Eduardi IV. in consororem totius nostræ religionis, i. e. Ordinis S. Bened. in Concilio Generali apud Northampton, uti & Anna Ducissa Buckingham. extat ms. sub effig. *Vitellii* Lit. E. Cod. XVII. n. 8.

Catalogus Benefactorum, & omnium eorum, qui in plenam fraternitatem Monasterii S. Albani in Anglia recepti erant: cum compendiariis historiis eorundem & elegantissimis picturis: ut, sicut in præfatione legitur, *sint nobiscum plenè participes* in missis, matutinis, horis, & eleëmosynis, jejuniis, vigiliis, processionibus, disciplinis, orationibus solemnibus & privatis, & omnibus aliis beneficiis, quæ fiunt in hoc monasterio, sive huic ecclesiæ pertinentibus cellis nostris:

Contínet autem Catalogus iste nomina

1.) Regum, & Reginarum, qui terras aut res pretiosas, & Paparum, qui Privilegia contulerunt.

2.) Abbatum à Willegodo, primo Abbate ad Thomam Ramrygium, cujus ordinatione & cura confectus erat.

3.) Priorum.

4.) Fratrum, qui alibi facti sunt Prælati.

5.) Monachorum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Conversorum, Novitiorum, Juvenum, & Puerorum, sicut per menses obierunt.

6.) Episcoporum, qui *nobis*, ut loquuntur, *aliqua contulerunt*.

7.) Aliorum Benefactorum, qui tenementa, aut terras donârunt; cum breviculis narrationibus historicis de iisdem, & præcipuorum elegantissimis picturis. Tantæ autem celebritatis erat hoc Cœnobium apud Anglos ob reverentiam & honorem, quo erga S. Albani Protomartyris Angliæ memoriam ferebantur, ut illud invisere non minima pars pietatis haberetur, nec Reges ipsi in eodem excipi, aut pernoctare dedignati fuerint: speciatim verò de R. Henrici VI. & illius Reginæ apud ipsos morâ succincta illic habetur historiola. Smith in historia Bibl. Cotton. & ejusdem Catalogo.

Necrologium Monasterii S. Justinæ Patavinæ extat in Archivo ejusdem sign. num. 480. in fol. Armell. part. 2. p. 120.

Necrologium San-Blasianum citatum in Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. c. VII. n. 373. p. 409. Lucem publicam se visurum sperat, cùm *Origines San-Blasianæ* prælo paratæ eandem aspicient.

Necrologium Cluniacense, quod Mabillonius evolvit. Vid. ejus Itin. Burg. Opp. Posth. tom. 2. p. 22.

Necrologium Tegurinum. Vid. Bern. Pez. Thes. Anecd. noviss. Tom. III. part. 3. in Monum. Hist. Monasterii Tegernseensis.

Necrologium S. Germani de Pratis adjunctum est Martyrologio MS. autographo Usuardi, quod in S. Germani Monasterio asservatur. Vid. le Cerf. pag. 44. sed typis exscriptum fuisse, paulò post patescet.

Necrologium Abbatiæ S. Michaëlis Ulterioris Portûs, ex quo Lucas Dacherius nomenclaturam ejusdem Monasterii Abbatum excerpsit, atque in Notis & Observationibus ad Vener. Guibetti Abbatis Opera vulgavit p. 633.

Necrologium Monasterii S. Nicasii Remensis, in quo Drogo Abbas ab an. 1196. anniversaria benefactorum, ac præcedentium Abbatum conscribi curavit, ut Monachi ipsis satisfaciendis seriò incumberent. Sed cùm justitiæ consulit prolixiores cantus inducendo, ac pensum divinum augendo, ansam præbuit remittendi S. Regulæ observantiam. Ob. an. 1221. Luc. Dacher. l. c.

Necrologia vetus Monasterii S. Joannis Reomanensis in Tractatu Lingonensi extat in ejusdem Monasterii historia p. 448 authore Petro Roverio S. J. in 4. Parisiis apud Cramoisy.

Necrologia duo antiquissimi & celeberrimi Monasterii S. Germani à Pratis. Primum capit initium à temporibus Pipini, patris Caroli M. Alterum est continuatio præcedentis, & complectitur nomina Monachorum, benefactorum, amicorum, eo-

rúmque, qui precum à monachis participes facti, in monasterio mortui, vel sepulchro illati fuerunt. Utrumque extat in Codice Probationum Historiæ Monasterii San-Germanensis à Jacobo Bouillart typis vulgata; & prius quidem parte secunda pag. cvii, posterius p. cxxii. seq.

Necrologia Augiæ Majoris Brigantinæ duo vetustissima: in antiquiori nonnulla folia deficiunt: ex utroque tamen liquidò probari potest, quòd hîc locorum ab anno 612. usque ad annum 1197. Monasterium utriusque sexus fuerit. B. Haberilia miraculis hodie illustris in hoc Parthenone sacrum velamen è manibus D. Galli suscepit.

Necrologium Mellicense, Seculo xii. perquàm eleganter scribi cœptum, & subinde ab aliis aliisque sequiorum temporum hominibus continuatum. Editum est apud P. Hier. Pez. Tom. I. Script. Rer. Austr.

GUIDONIS Monachi Necrologium autographum ab anno MLXXV. & à Successoribus continuatum usque ad XIII. Seculum, communicatum fuit à Josepho Blanchinio Presbytero Congreg. Oratorii Romæ cum V. C. Ant. Franc. Gurio, qui illud in Collectione veterum Monumentorum juris publici facturus est.

§ X.

Scriptores de Disciplina Monastica, ejúsque Historia.

AD cognitionem Historiæ Benedictinæ etiam spectat, haud ignorare præstantes eos viros, qui disciplinæ regularis observantiam, si quando, ut fieri apud homines amat, laxata fuit, vel omnino in desuetudinem abiit, editis scriptis, ac sancitis legibus restitui curârunt.

S. BENEDICTI Anianensis in Britannia minore, sive Septimania, Galliæ Provincia, Monasterii Abbatis, & collapsæ, in eodem præsertim regno, disciplinæ monasticæ Restauratoris, anno Christi 821. ad Superos translati *Liber de Regulis diversorum Patrum*, quem Lucas Holstenius, Vaticanæ Bibliothecæ præfectus, ex veteri msf. codice Coloniensi, à Fabio Chisio tum temporis in Germania Nuncio Apostolico, & postea Romano Pontifice Alexandro VII. dicto descriptum sub titulo *Codicis Regularum* publicavit Romæ 1661. & Parisiis 1663. in 4.

In hoc Codice Holstenius post Regulas Monasticas Orientalium Patrum Latinè pridem è Græco à variis redditas SS. Abbatum Antonii & Isaiæ, SS. Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, & alterius Macarii, SS. Patrum aliam, S. Macarii Abbatis Nitriensis, S. Pachomii Abbatis Tabennensis, cum ejusdem & Theodori Epistolis: S. Oriesii doctrinam Monasticam, Incerti regulam Orientalem, regulámque S. Basilii, Cæsariensis Episcopi: deinde Regulæ S. Benedicti subjicit cæteras Occidentalium Patrum regulas ad Monachos Latinè scriptas: Incerti *Consensoriam Monachorum*, regulas SS. Pauli & Stephani Abbatum: *Cæsarii* Arelatensis, *Aureliani*, itidem Arelatensis Episcopi, S. Ferreoli Ucetiensis, Columbani Abbatis, Regulam Monasterii *Tarnatensis*, *Isidori* Hispalensis, *S. Fructuosi* Episcopi Bracarensis, *Fructuosi* Regulam communem, aliámque *cujusdam Patris*, & *Magistri* regulam, & *Grimlaici* regulam Solitariorum. Huic succedunt itidem Latinorum Patrum regulæ ad Virgines, *SS. Augustini*, *Cæsarii*, & *Aureliani* *Donati*: Vesontionensis, & alterius *cujusdam Patris* & *Leandri* Hispalensis, & B. *Ælredi*, Abbatis Rievallensis. Denique succedunt appendicis loco SS. Patrum exhortationes ad Monachos & Virgines, collectæ à Benedicto Anianensi, Græcorum quidem SS. Athanasii, Basilii Magni, & Evagrii Monachi: Latinorum verò *Fausti*, *Eucherii*, *Cæsarii* Arelatensis, *Novati* Catholici, *Paulini*, *Eutropii* Abbatis, & *Incerti* breves Sermones de decem Virginibus. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 535.

Auctor quoque censetur S. *Benedictus* Anianæ Abbas *Capitulorum*, quæ pro Monasteriorum bono regimine in Concilio Aquisgranensi anno DCCCXVII. constituta sunt, idque Ardo cognomento *Smaragdus* in vitâ, quam descripsit, S. Benedicti Anianensis Abbatis manifestè insinuat. Sunt verò Capitula LXXII. Totenim enumerat Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. 1. cap. xvi. & Chronographus monasterii S. Vincentii ad Vulturnum; tametsi variat numerus in libris editis & msf.tis ad varias capitulorum divisiones. Omnia verò istius Synodi decreta in articulos triginta & unum redegeront, & ad S. Galli monasterium direxerunt Grimaldus & Tatto Monachi: quos articu-

ticulos in appendice ad Sec. IV. Act. O. S. B. legere licet. Porrò his Synodi Capitulis quædam adjecit Benedictus, maximè pro officio divino, ut scribit Ardo in ipsius vita. Vid. Mabill. Præfat. I. in Sec. IV. §. VII. n. 145.

Præter Statuta Synodi Aquisgranensis extat etiam alius liber *Ordo conversationis monasticæ* inscriptus apud Hæftenum, (b) & in mſ. Codice Gemeticensi *Memoriale Monachorum.* Hujus libelli conditor est vel *Benedictus Anianæ* Abbas, qui ordinem observandum omnibus monachis tradidisse, præter statuta Synodi Aquisgranensis, perhibetur ab Ardone; aut certè *Euticius* Abbas, qui ex *beatorum Patrum Regulis & Institutionibus diversas consuetudines sumpsit*, unóque volumine conligavit, referente Johanne Monacho in lib. I. de vitâ S. Odonis Abbatis cap. II. In excerptis, quæ Ardo in Benedicti vitâ ex Ordine superiùs memorato adducit, vix ullum apparet vestigium, de quo hic agimus. Unde potiùs *Euticio* adscribendus videtur, quàm *Benedicto.* Huic porrò tribuitur judicium de diverso pœnitentiarum modo, qui Monachis lapsis imponi debet ex Regulæ præscripto: quod opus in appendice Capitulorum à Baluzio recens editum est num. XI. ubi vocatur: *Excerptus diversarum Modus pœnitentiarum à Benedicto Abbate* (Anianensi) *distinctus de Regula S. Benedicti Abbatis.*

S. COLUMBANI Liber pœnitentialis, quem licèt jam alio loco recensuimus, huc tamen potiori jure spectat. „ Diversas in eo præscribit pœ„nas pro qualitate culparum adver„sùs Regulam; levioribus culpis sex „ injungit percussiones, quas augetus„que ad quinquaginta, rarissimè ad „ ducentas pro gravioribus. Nonnul„las culpas plectit vel recitatione ali„quot psalmorum, vel majori silen„tio, vel jejunio in pane & aqua. „ Quanta in iis monasteriis vigeret „ paupertas & obedientia, ostendunt „ tres sequentes pœnitentiæ: Qui „ transgreditur regulam jussionis, ma„neat expulsus sine cibo, ut in crasti„num recipiatur.... Operis peculia„ris præsumptio centum plagis; posses„sio alicujus rei, quam non necessitas „ generaliter fratribus concessit, amis„sione ejusdem, & centum plagis co„erceatur.„ *Quamdiu*, inquit R. P. Ludovicus du Mesnil Tom. III. Doctr. & Discipl. Eccles. lib. 30. pag. 314. *quamdiu viguit hæc disciplina, virtutibus floruere monasteria, sed ubi primùm præpositorum negligentia laxata est, quasi satis esset majoribus providere, sensim in deteriora prolabens humana fragilitas corruptelam morum invexit etiam in sanctuarium.*

Capitula Monachorum Sangallensium edita circa an. 817. quibus præfixa est epistola Grimaldi & Tattonis ad Reginbertum magistrum Scholæ, ut Baluzius opinatur, Monasterii S. Galli, qui obiit anno 816. Edidit Baluzius Capitular. Tom. 2. p. 1382.

Capitula Monachorum ad Augiam directorum: Incipit Epistola cum XV. Capitibus quorundam Fratrum ad Augiam directorum. Edidit Baluzius in Append. Tom. 2. Capitular. col. 1380. Ex Codice S. Gall.

ADALARDUS, sive *Adalhardus*, seu *Adelhardus* nobilissimus & sanctissimus Corbeiæ veteris in Gallia Abbas ad Superos migravit an. 825. Scripsit *Statuta Corbeiensis Ecclesiæ* edita à Dacherio Tom. IV. Spicileg. pag. 1. & Tom. I. edit. nov. p. 586.

— Ejusdem S. Abbatis quinquaginta duo Capitula *de admonitionibus in Congregatione*, i. e. summaria rerum, quas Monachis inter concionandum inclucare solebat, edidit Mabillonius ad calcem part. I. Sec. IV. Benedictini.

B. RABANI MAURI *Opusculum contra eos, qui repugnant institutis B. P. Benedicti.* Tria verò in eo probat Author: primùm licere homini Christiano suam sobolem Deo consecrare: alterum, votum, quod Deo vovetur, sine magno reatu omitti non posse: postremum, vitam monasticam non humana, sed divina authoritate institutam esse. Desideratur verò in editis Rabani Opusculis, ejus tamen copia Mabillonio facta est ex Codice Mellicensis in Austria Monasterii, quem integrum in Tomi II. Annalium Ord. S. B. appendice retulit.

— *Ejusdem* S. Præsulis & S. Hugonis Cluniacensis Abbatis *Statuta* quædam ad eleëmosynam erogandam protulit in lucem, & notis illustravit Lucas Dacherius in Appendice ad Lib. III. Vitæ Ven. Guiberti Abbatis de Novigento pag. 582.

S. DUN-

(b) *In Append. ad Disquis. Monast.* ubi Opusculum hoc non improbabili, ut opinatur, conjecturâ S. Benedicto Anianensi adscribit.

S. DUNSTANI Cantuariensis Archiepiscopi *Concordia regularis*, quam ea causa composuit, ut omnes Monachi & Sanctimoniales Angliæ regni unanimes & unius moris in monasteriis habitare, & Deo servire possent. Edita à Clemente Raynero in Apostolat. Bened. append. pag. 77. & seq. Legitur etiam Tom. IX. Conciliorum: asservatur præterea mf.ta in Bibl. Cotton. sub effigie *Tiberii* Lit. A. Cod. III. n. 1.

ETHELWOLDI Episcopi Wintoniensis in Anglia seculo X. pietate ac doctrina conspicui *Liber de divina consuetudine Monachorum Ordinis D. Benedicti*, Saxonicè. Extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Tiberii* Litera A. cod. 3. pag. 171. Codex antiquus & optimæ Notæ per manus diversorum scriptus ante occupatam Angliam, in quo icones S. Benedicti, Edgari Regis, & S. Scholasticæ.

Circa decimum Christi seculum chordâ regularis disciplinæ in quibusdam provinciis & locis nonnihil iterùm remissâ, eximios mox viros, qui denuò illam intenderent, benignissimum Numen submisit. Quorum familiam ducit S. Odo, Auctor Cluniacensis Congregationis, cui bis mille monasteria, brevi post ortum intervallo, sese aggregârunt: quámque ad majus incrementum, Maiolus, Hugo, Odilo, Abbates, ac Ordinis Atlantes provexerunt. Regebantur verò celeberrimæ hujus Congregationis monasteria non sacrâ duntaxat Regulâ, sed propriis etiam Statutis, Ritibus, ac Consuetudinibus, de quibus ultimis mox §. sequenti acturi sumus: in promissa autem nova editione (de qua §. V. egimus) *Bibliothecæ Cluniacensis* Volumine V. *Statuta* Ordinis Cluniacensis adducuntur, quæ nobis scripta remanserunt (multa enim sunt, quæ vel non scripta sunt, vel ad nos usque non pervenerunt) hísque omissis, quæ in I. Volumine tum ex S. *Udalrico*, tum ex *Bernardo* rationem statutorum habent, sicut & ea, quæ sparsim in vitis SS. Abbatum referuntur: LXXVI. Statuta *Petri Mauritii* dicti Venerabilis ab ipso redacta, ac ea, quæ ab *Hugone V.* circa annum 1200. collecta, posteà à *Bernardo* circa annum 1300. deinde ab Henrico I. ejus successore, & aliis sub nomine Statutorum & Ordinationum prodierunt, præliminantur. Tum Bullæ Gregorii IX. an. 1233. Nicolai IV. an. 1289. & Bonifacii VIII. an. 1294. in quibus forma Capitulorum Generalium Ordinis præscribitur, ipsis præficiuntur Capitulis Generalibus, quæ nobis residua sunt, numero circiter trecenta, videlicet ab anno 1250. usque ad annum 1600. quô sub Claudio à Guisia Abbate Cluniac. celebre Capitulum Generale habitum est, regiis literis confirmatum: quibus sanè temporibus nimiùm tepuerat observantia regularis, licèt ab anno 1500. ad Reformationem, tum in Monasterio Cluniacensi, tum in Monasterio S. Martini à Campis, adjuvante D. Jacobo de Ambasia, anhelare visa sit, cujus Reformationis varii conatus usque ad annum 1260. satis utiles fuerunt.

V. PETRI Abbatis Cluniacensis *Dispositio rei familiaris Cluniacensis*, cujus aliqua pars edita est à Martino Marrier in veteri Bibliotheca Cluniacensi pag. 592. integram edidit Stephanus Baluzius Miscell. tom. v. pag. 443.

Diffinitiones & Statuta Generalis Capituli Ordinis Cluniacensis in fol. Niverni an. 1622.

B. LANFRANCI, Archiepiscopi Cantuariensis *Statuta pro Ordine D. Benedicti per Angliam* edidit Clemens Raynerus in Apostolat. Benedictin. Append. à pag. 211. usque ad pag. 253. Edidit etiam Lucas Dacherius in Spicilegio, qui tamen suspicatur, nonnulla in iis à quodam consarcinatore fuisse adjecta, uti in elencho Operum Lanfranci annotavimus.

- EJUSDEM *Sermo*, sive *sententiæ* extant in Dacherii Spicileg. vet. edit. Tom. IV. p. 227. novæ Tom. I. p. 442.

FRANCONIS Abbatis Affligemiensis Sermo, quòd Monachus abjecto habitu non possit salvari. Vide continuationem Hist. Affligem. in Spicil. Acher. Tom. X. vet. edit. Tom. II. novæ pag. 777.

B. PETRI DAMIANI Opusculum de perfectione Monachorum. Item de Ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi Montis Avellani. 3.) De suæ Congregationis institutis. 4.) In Episcopum monachos ad seculum revocantem invectiva. 5.) Institutio Monialis unius ad Blancham. 6.) De Bono Status Religiosi. Tom. III. Operum.

RODULPHI S. Trudonis propè Leodium Abbatis *Epistola ad Sigebertum de susceptione puerorum in Monasteriis* unà cum literis Sigeberti ad Rodulphum legitur apud Mabillonium Tom. II. pag. 495.

HU-

HUGONIS de FOLIETO ex Monacho Corbeiæ veteris, an novæ? S.R.E. Cardinalis Seculo XII. scripsit insignes duos libros *de Abusibus Claustri*, de quibus plura Eggs in Purp. Doct. Lib. I. pag. 75. ubi etiam alterius libri meminit, quem idem Hugo de *Disciplina ad Religiosos* scripsit. At enim D. Eggsius Hugonem pro Benedictino habuit, cùm Canonicus fuerit Regularis Ord. S. Aug.

PETRI Abbatis Cellensis *Tractatus de Disciplina claustrali*. Opus illustre, ac lectu dignum edidit Dacherius in Spicilegio vet. edit. Tom. III. p. 44. novæ Tom. I. p. 452. Ven. *Martini de Senging*, sec. xv. Prioris Mellicensis *Tuitiones pro observantia Regulæ S. P. Benedicti in Concilio Basileensi*. Extant tom. 8. Bibl. Ascet. Bern. Pezii pag. 503.

-- EJUSDEM Epistola de Statu Monasterii Bursfeld. Ord. S. Bened. -- pag. 550.

Statuta Abbatum Ord. S. B. in Provincia Narbonensi ad restaurandam disciplinam regularem approbata à Gregorio Papa IX. apud Dacherium in Tom. VI. Spicilegii pag. 30. & Tomo I. editionis novæ pag. 707. seqq. adde Mabillonii Analecta Tom. IV. p. 454. & novæ editionis p. 151.

Statuta ad instaurandam monasticam disciplinam in Monasterio S. Andreæ Avenionensis. Dacher. Spicil. Tom. III. pag. 631.

Constitutiones Monasterii Jotrensis (Monialium Ord. S. B.) editæ à Romano Diacono Cardinale S. Angeli anno MCCXXV. typis vulgatæ à Baluzio Miscellaneorum Tom. V. p. 455.

Illustrium Monasteriorum ac Congregationum edita præsertim in Capitulis Generalibus *Decreta* exhibent Edmundus Martene & Ursinus Durand Thes. Anecdot. Tom. IV.

Antiqua Statuta Archimonasterii Rotomagensis sancti Audoeni ex MS. hujus ipsius Asceterii ediderunt Martene & Durand l. c. p. 1206.

Statuta Regularia Monasterii Murbacensis. De quorum inventione & exscriptione integrum authenticum instrumentum ex MS.to Cod. Bibliothecæ San-Udalricanæ deprompsit Pezius, uti testatur Differt. Isag. in Tom. II. Anecd. pag. LXI.

CHRISTIANI Abbatis Altahæ superioris in Bavaria volumen Exhortationum Capitularium in Cod. membr. fol. asservatur in ejus Monasterii Bibliotheca. Incipit prima: *Ex quo Patres & Fratres dilectissimi officium principalissimum Abbatis est, & sine cujus impletione salvari non potest, quòd subditos suos debet compellere ad observantiam regulæ* &c. Bern. Pez. Differt. Isag. in Tom. I. Noviss. Thes. Anecd. pag. XLV.

PETRUS BOERIUS ex Abbate Anianensi Episcopus Urbevetanus sec. XIV. Commentarium edidit in *Benedictinam* sive Constitutionem Papæ Benedicti XII. pro *Ordine Benedictino*. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. pag. 687.

Capitula nonnulla *Generalia*, seu *Provincialia* Monachorum Nigrorum Ord. S. B. Congregationis Anglicanæ post Concilium Lateranense erectæ ediderunt Clemens Reynerus in Appendice ad Apostolatum Benedictin. & Henricus Spelmannus Tomo II. Conciliorum Angliæ, viz.

Primum Capitulum Provinciale Nigrorum Monachorum celebratum apud Northampton A. Dom. MCCCXXXVIII. Præsidentes hujus Capituli septem Diffinitores de gremio ejusdem Capituli, quos in judiciis discretos, ratione præditos, & in zelo sinceros esse noverant, ordinârunt & statuerunt. Spelman. l. c. p. 509. Optandum, ut hoc etiam apud Germanos Benedictinos statuatur; certè ut monachi, de quorum pelle agitur, contendant, quò ex ipsorum gremio discretis Patribus seu Diffinitoribus Capitulis interesse liceat, graves sunt causæ, quas tamen hîc exprimere nolim.

Secundum Capitulum Nigrorum Monachorum celebratum apud Northampton A.D. MCCCXL. ibid. p. 544-548. In hoc Capitulo inter alia ordinatum fuit, ut viri Religiosi & circumspecti singula provinciæ monasteria visitarent.

Capitulum tertium Provinciale Nigrorum Monachorum apud Northampton A.D. MCCCXLIII. celebratum. Spelman. l. c. p. 592. In hoc Capitulo inter alia Ordinationes nonnullæ circa literarum studia, & eorum Professores in Theologia & Jure Canonico factæ fuerunt.

Capitulum IV. Provinciale Nigrorum Monachorum apud Westmonasterium celebratum A.D. MCCCCXXII. in hoc Capitulo de Abbatibus ordinatum fuit, nimio equitatu & sumptuosis phaleris se non ostentent; semel in anno coram Conventu rationem reddant; Bona monasterii sine con-

 sensu

sensu Fratrum non alienent &c. Spelman l. c. p. 679 - 685.

Congregatio omnium Abbatum, Priorum, Magistrorum, Doctorum, Inceptorum, Baccalaureorum O.S.B. nigrorum monachorum in Anglia, habita mandato R. Henrici V. 7. die Maji an. 1421. in Capitulo Westmonasteriensi pro reformatione variorum defectuum in ipso Ordine tunc regnantium: cum articulis Regis in Congregatione propositis, & ad illos responsionibus, & eorundem modificationibus. Bibl. Cotton. sub effigie *Vespasiani* Lit. D. Cod. ix. n. 16.

Statuta definitoria edita in Capitulo Generali Ord. S.B. Nigrorum Monachorum in provincia Cantuariensi, & Eboracensi tento Northamptoniæ, præsidentibus D. Willielmo, Priore Ecclesiæ Cathedralis Wintoniensis, Willielmo Abbate Clocestriæ, & Joanne Abbate de Chertesey. A. Dom. 1444. asservantur in Bibliotheca Cottoniana. Vid. Smith. in Catal. pag. 48. col. 1.

Visitationes Monasteriorum S. Edmundi & Westmonasterii asservantur msf.tæ in Bibl. Cotton. sub effigie *Julii* Lit. D. Cod. II. n. 27.

Constitutiones Capituli Generalis per Abbates de Evesham & de Stington. ibid. n. 18.

SERLO ex Monacho Cantuariensi Episcopus Cornubiensis non solùm virtutis studium populo commendabat, sed etiam verbis & scriptis acriter omnium vitia reprehendebat. Vixit anno 960. & præter alia scripsit *Contra molos monachos librum unum.* Pitseus æt. 10. p. 175.

STEPHANUS WITTEBIENSIS natione Anglus, apud Northumbrenses in Wittebiensi Cœnobio D. Benedicti regulam amplexus, tandem Eboraci in Monasterio B. V. M. factus est primus Abbas Congr. Cluniac. Vir ingenii cultissimi, & omnis melioris literaturæ cupidissimi. Hic, teste Lelando, utì pium Prælatum decuit, non solùm ipse in pietate & studiis assidua profecit industria, sed etiam aliis auctor fuit, ut iisdem insisterent vestigiis. Et quoniam per illa tempora, propter frequentes Danorum in Northumbriam incursiones, disciplina Monastica nonnihil elanguit, & laxior in plerisque Monasteriis esset observantia regularis: Stephanus labore, industria, prudentia, auctoritate, monitionibus, &, quod caput est, exemplis integerrimæ vitæ, rem in iis regionibus restituit, & inviolatam deinceps conservavit, effecitque, ut rei monasticæ pristinus suus honos constaret. Quantas autem in eo negotio passus fuerit difficultates, posteà mundo patefecit, in Opere quod scripsit

De reparato Monachatu Lib. un. Quamvis sancta & una. Quod Opus diu ferunt asservatum Westmonasterii. Claruit anno gratiæ 1080. Pitf. æt. 11. pag. 189.

PETRUS MASIUS Abbas Casalis Benedicti scripsit Constitutiones suæ Congregationis, quæ typis tamen, ut opinor, nunquam excusæ fuerunt.

PHILIPPI Abbatis & Principis Fuldensis Constitutio de moribus Religiosorum observandis, extat in V. C. Joannis Sahannat Historia Fuldensi pag. 416.

Statuta & *Decreta* reformationis Congregationis Benedictinorum exemptorum trium Provinciarum, Senonensis, Turonensis, & Bituricensis à sancta Sede Apostolica & Romana immediatè dependentium, aucta & recognita in Capitulo Generali prædictæ Congregationis. Has constitutiones sibi oblatas fuisse testatur Chopinus.

Statuta Capituli Generalis Yvonis II. Abbatis Cluniacensis A. Dom. MCCLXXVI. edidit Baluzius Miscell. Tom. VI. pag. 502.

Stauta Yvonis II. in Anglia edita apud Bermondeseyam in Capitulo provinciali inibi celebrato an. Dom. MCCLXXVII. in festo S. Petri ad Vincula. ibid. pag. 511.

Monachorum Benedictinorum Capitulum Provinciale Constantiense *De Visitatione ac Reformatione Monachorum S. Benedicti* in universali Concilio Constantiensi,

Anno 1416. mense Februario definitum,

An. 1417. mense Martio in Petrusiano Monasterio celebratum.

An. 1418. 17. Jan. à Sigismundo Imperatote in Concilio roboratum. Ita *von der Hardt*, qui hoc Capitulum Historiæ suæ Concilii Constant. tom. I. part. XXVI. pag. 1095. & seq. inseruit. Nec omisit Diploma ejusdem Imperatoris, quod quia patrio ac vernaculo sermone conceptum est, silentio prætermittimus.

Capitulo autem præfederunt Ludovicus Trenorchiensis, Diœcesis Cabilonensis, Thomas Eboracensis, Syfridus

fridus Elvacensis Augustanæ Diœcesis, & Joannes S. Gregorii Constantiensis Diœcesis, & Monasteriorum Abbates. Cæterùm Origo Capitulorum Provincialium vulgò ad Innocentium III. refertur, qui cùm eorum fructus & emolumenta maxima, neque sine talibus Ordinem ad pristinum fervorem reduci posse animadvertisset, Romæ anno Domini 1215. Pontificatûs sui 18. Generali Concilio, quod à loco Lateranense nomen accepit, congregato, statuit inter cætera, ut in singulis Regnis, sive provinciis fieret de triennio in triennium (salvo jure Diœcesanorum Pontificum) commune Capitulum Abbatum atq; Priorum, Abbates proprios non habentium &c. ut pleniùs videre est in c. in singulis de statu Monach. Vid. Romani Hay Astrum Inextinctum Quæst. 6. num. 6.

JOANNIS RHODE Abbatis S. Mariæ Treviris, vitæ sanctimonia, & zelo restituendæ veteris in Ordine nostro disciplinæ admodùm celebris *Constitutiones*, quas pro reformatione Ordinis necessarias aperto sermone conscripsit, teste Trithemio. Eas in nulla hactenus Germaniæ Bibliotheca se reperisse scribit Cl. Bern. Pezius, qui ejus tamen librum *de bono Regimine Abbatis* ex msſ. codice Monasterii Benedicto - Burani in Bavaria vulgavit Bibliothecæ Asceticæ tom. 1. p. 159.

JOANNES Abbas Monasterii SS. Thomæ Apostoli & Nicolai Episcopi in Bursfeldia, quartus in reformatione Abbas: homo simplicitatis & humilitatis cultor & amator præcipuus, in observantia regulari strenuus, vita & conversatione integer & sanctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, & in divinis Scripturis non mediocriter doctus, quod ejus testantur opuscula, quæ ad ædificationem tam suimetipsius, quàm Fratrum suorum lucubravit. E quibus extat de *Profectu Claustralium* Opusculum unum in tres partes divisum, eruditionis ac totius ædificationis plenum. De Novitiorum institutione multa & varia conscripsit, quorum prænotationes memoriæ non occurrunt. Magnæ humilitatis vir extitit: & in omni extremitate victus & amictus juxtà Regulam D. P. N. Benedicti semper contentus fuit. Trithem. in Chron. Hirsaug. tom. 2. pag. 588.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanhemensis, *Constitutiones*, quæ ab anno 1417. quando Abbates Provinciæ Moguntinæ, jussu Concilii Constantiensis, diu intermissum Capitulum in Monasterio Petri Domûs in Civitate ipsa Constantiensi celebrârunt, ad añum Dominicæ Nativitatis 1493. per Capitula Ordinis Provincialia XXVIII. annis septuaginta sex in diversis locis editæ fuerunt, jussu Præsidentium abbreviavit, in unum volumen comportavit, conjungens ei & visitandi formam, & modum celebrandi Capitula, quæ fuisse impressa ipse Trithemius testatur in Chron. Hirsaug. Tom. II. pag. 349. Quibus non contentus, cùm esset instaurandæ per Germaniam monasticæ disciplinæ ardentissimus Zelotes, *Sermonum* vel *Exhortationum ad Monachos* edidit libros duos, qui habentur inter ejus Opera Pia & Spiritualia à Joanne Busæo S. J. edita, Moguntiæ an. 1605. ex typographæo Joannis Albini; ubi plura alia ejus Scripta ad Disciplinam Monasticam spectantia legere licet.

1.) De triplici Regione Claustralium, & Spirituali Exercitio Monachorum, Liber in duas partes distributus, pag. 562.

2.) De Religiosorum Tentationibus Libri duo. pag. 661. - 723.

3.) De vitio proprietatis Monachorum Liber. pag. 723. - 741.

4.) Liber de Visitatione Monachorum. Item Modus & Forma celebrandi Capitulum Provinciale Patrum Ordinis S. B. Moguntinæ Provinciæ.

5.) Constitutiones Capitulorum Ord. S. B. per provinciam Moguntinam, & Diœcesim Bambergensem, à tempore Concilii Constantiensis celebratorum Lib. I.

6.) Oratio de duodecim Excidiis Observantiæ regularis habita in cœnobio Reinhartzbornensi in Hercynia Sylva.

7.) De miseria Prælatorum claustralium Libri duo.

8.) Contra morbum Simoniæ claustralium & monialium, lib. unus.

MARTINI Abbatis Monasterii B. V. ad Scotos Viennæ *Senatorium* de Visitatione variorum Ord. nostri monasteriorum, quod Anselmus Schramb Chronico Mellicensi pag. 430 - 439. intexuit: continet notatu prorsus digna.

BENEDICTINORUM PATRUM in Basileensi Capitulo Generali congregatorum statuta regularis observantiæ in Monasteriis Diœcesis Coloniensis, Trevirensis &c. introducendæ, asservan-

vantur mſ.^{ta} in Bibliotheca Mellicensi, ut ejus Scriptor testatur p. 465.

Congregationis Benedictinæ Diœcesis Salisburg. post ducentorum propè annorum intercapedinem feliciter restitutæ, Statuta, seu Declarationes ad Regulam S. Benedicti, prout in primo Capitulo Salisburgensi anno Christi 1642. mense Augusto celebrato Patres decreverunt.

Statuta Monastica, sive Ordinationes à Reverendis Præsulibus O.S.B. Leodiensis Diœcesis pro felici suorum regimine anno 1572. conceptæ: quibus particulares quædam Monasterii D. Huberti accesserunt observantiæ. Luxemburgi typis Huberti Reulandt anno 1627. in 12.

PETRI à S. AUDOMARO aliàs de Walloncapelle, Belgæ, in Monasterio S. Winoci Professi *Institutionum Monasticarum secundùm Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta Libri III.* Editiones duæ: primam me præterit, altera Coloniæ apud Maternum Cholinum in 8. an. 1584. Accesserunt Tractatus duo: alter de Monachorum hospitalitate; alter de Casibus reservatis illorum Prælatis, cum tribus ad Monasticen Professos concionibus. Opus omnibus Benedictinis apprimè commendandum.

Constitutiones Patrum Congregationis Casinensis in duas partes divisæ. Quibus adjecti sunt pro regimine Monialium eidem Congregationi commendatarum; unà cum nonnullis indultis ac privilegiis per diversos summos Pontifices Casinensi Congregationi concessis. Moguntiæ apud Balthasarem Lippium an. 1604.

Constitutiones Congregationis Austriacæ Monasteriorum Urbani VIII. Pont. Max. authoritate recognitæ, approbatæ, confirmatæ, prodierunt unà cum Regula S. P. B. Lenzii apud Joan. Planus an. 1626. Eædem Constitutiones extant etiam in Chronico Mellicensi P. Anselmi Schramb pag. 773-811. Author earum est *Reinerus à Landau* Abbas Mellicensis anno 1637. defunctus.

LAURENTII LUCALBERTI, Itali, Florentini, Decani è Congr. Cas. quem Paulus V. Pontifex Max. Virodunum misit, ut novam Congregationem Lotharingicam Casinensi conformaret, *Commissiones*, ubi omnia, quæ ad visitationem & reformationem Congregationis Lotharingicæ per Lucalbertum peractam attinent, fusissimè continentur, nempe

1. *Articuli pro bono regimine Congregationis Lotharingicæ propositi Illmo Legato*; sunt num. 22. incipiunt: *Ad Capitulum Generale* &c. desinunt: *Si utile judicaverint in illo Monasterio.* 2. *De modo regiminis ejusdem Congr.* à pag. 526. usque ad 534. Incipit: *Regimen Congr. & est universale, quod totam Congr. respicit, & particulare, quod uni tantùm Monasterio præficitur.* Deest finis. 3. *Constitutiones pro salute Congregationis Lotharingicæ, & bono regimine ipsius.* sunt num. 13. pag. 543. Incipiunt: *Nullus Prior ultra quinquennium in eo officio ac dignitate perseverabit.* Desinunt: *Et hæc tamdiu durent, quousque Congregatio adeò creverit, ut nostras in regimine Constitutiones exactè observare possint.* 4. *Declarationes præmissorum* à pag. 544. usque ad 548. Incipiunt: *Quanto damno fuerit Prælatorum perpetuitas, multo nostro malo edocti sumus.* Definit: *Prælatis & Prioribus concedi, qui reformationem reciperent, & sua Monasteria reformata Congregationi unirent.* 5. *Declarationes articulorum*, qui supra sunt positi p. 592. ad 665. Incipiunt: *Nostra Congregatio pro iis, qui pluribus detinentur negotiis &c.* Desinunt: *Quæ omnia ego D. Laurentius Lucalberti Florentinus pro bono reformationis Monasteriorum D. Benedicti hujus provinciæ Illmo Legato examinanda, corrigenda, probanda, & reprobanda proponebam.* 6. *Ritus & Ceremoniæ Ecclesiæ servandi*, p. 560. ad 565. 7. *Variæ Relationes*, seu, ut in Indice scribitur, *Informationes*, pro eadem Reformatione, pag. 690. ad ad 766. 8. *Præcipua Congregationis, & Observantiæ Regularis Casinensis Capita Illmo & Ser.^{mo} D. Cardinali Lotharingiæ S. Sedis Apostolicæ à Latere Legato exhibita à D. Laurentio Lucalberti* pag. 767. usque ad 772. 9. *De eadem reformatione Tractatus.* pag. 714. ad 727. 10. *Relatio status Monasterii Senoniensis in Lotharingia*, Italicè. 11. *Relatio dictæ Reformationis ad SS. Papam Paulum V.* Italicè. 12. *Alia Relatio ejusdem Visitationis & Reformationis* pag. 702. ad 711. Italicè. 13. *Epistolæ diversæ* pro eadem reformatione à pag. 776. usque ad pag. 779. 14. *Plures Epistolæ variorum* ad eundem Lucalbertum de eadem reformatione à pag. 726. usque ad p. 792. Plura vide apud Armellinum Bibl. Cas. part. 2. pag. 68. quo teste Lucalberti Commissiones asservantur mſs.

mss. in Archivo Abbatiæ Florentinæ S. Mariæ, quod per antonomasiam *la Badia* dicitur.

FRANCISCUS MARIA RICCI, Romanus, Florentiæ in Monasterio S. Mariæ Professus ex Latino in Italicum sermonem primus omnium transtulit

Constitutiones & Declarationes Patrum Congregationis Casinensis cum additione Bullarum Summorum Pontificum pro bono regimine ejusdem Congregationis, Decretorum sacri Concilii Tridentini, & aliarum Bullarum pertinentium ad Reformationem & Clausuram Monialium cujuscunque Ordinis, cum Indice copioso in fine; quod opus unà cum regula Ss. P. Benedicti aliàs in Italicam linguam conversa prodiit Mantuæ ex typogr. D. Benedicti per Albertum Pazzonum anno 1723. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 177.

Constitutiones Congreg. S. Benedicti aliàs Cluniacensis, & S. Mauri. Parisiis. 1647.

Regula S. P. Benedicti Abbatis, Monachorum Patriarchæ, cum Declarationibus, & *Constitutionibus* Patrum Congregationis Casinensis motu proprio confirmatis à SS.mo D. N. Innocentio Papa XI. an. Dom. 1680. Romæ Typis Cameræ Apostolicæ 1680.

De Reformatione & instauratione *Disciplinæ regularis* in Regali Monasterio S. Dionysii in Francia legendus est *Michaël Felibien* Libro VIII. historiæ ejusdem Cœnobii. Parisiis anno 1706. Fuit verò tergemina. Prima per Abbatem Hilduinum an. 831. interposita authoritate Imperatoris Ludovici Pii. Altera per Sugerium celeberrimi nominis Abbatem anno 1127. Tertia denique est illa, quæ hodie S. Mauri dicitur, & an. 1633. cœpta fuit.

De Disciplina Monastica, quæ unoquoque seculo in Asceterio Casinensi obtinuit, eâ nonnihil aliquando defervescente, sed mox iterum instaurata legi poterit Erasmus Gattola in Historia Casinensi. *Vid. Indic. V. Disciplina Monastica.*

LEO à S. THOMA, Lusitanus, Conimbricensis, Monasterii Tibianensis, quarto lapide ab urbe Brachara extructi, Abbas, *Constitutiones Congregationis suæ Lusitanæ* formavit, ab Urbano VIII. approbatas IX. die Novembris anni MDCXXX. Nic. Ant. Bibl. Hispan. nov. p. 239.

DOMINICI THSUDI Abbatis Murensis sub medium Seculi XVII. *Constitutiones* Monasticæ Helveto-Benedictinæ, quas in ordinem redegit. Opus, nisi fallor, Ms.tum. Dionys. Sammarth. Gall. Chr. Tom. V. pag. 1043.

CAROLI FERNANDI, Belgæ, Brugensis, *Speculum Disciplinæ Monasticæ* lib. IV. excudit Badius Ascensius Parisiis an. 1515. in 4.

CHRISTOPHORI RASSLER Abbatis Imperialis Monasterii Zwifaltensis *Novæ Constitutiones* pro Congregatione S. Josephi Benedictino-Suevica, quas anno MDCLXXI Mense Octobri DD. Abbates ejusdem Congregationis susceperunt, ac in omnibus Monasteriis suis observandas promulgârunt.

AMANDI KENNER Cœnobitæ Lambacensis in Austria Superiori *Compendium Disciplinæ Monasticæ ex Sanctorum Patrum Regulis & Sententiis contextum.* Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayer in 8. an. 1678.

Constitutiones & Statuta Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub Invocatione SS. Angelorum Custodum. Romæ in 4. anno 1686. in Typographia Cam. Apost. Confirmata fuerunt ab Innocentio Papa XI.

JOANNIS MABILLONII *Prima delineatio* disciplinæ regularis in Ordine S. Benedicti, ejúsque lapsus causæ: quarum I. Abbatum seu nimia rigiditas, II. seu indulgentia. III. ædificiorum magnificentia. IV. nimia habendi cupiditas. V. ex cupiditate non copia, sed inopia oriri solita. Has causas assignat Mabillonius Præfat. in Sec. IV. Act. Ord. S. B. de remediis verò his malis adhibitis, ibid. §. VII. Quin omnes Mabillonianæ præfationes in Acta SS. Ord. S. Ben. omnino legendæ sunt, in quibus plura puncta disciplinæ monasticæ mirâ eruditione illustrantur, præsertim in Sec. IV. Tom. II.

EJUSDEM *Reflexions sur les Prisons des Ordres Religieux*, i. e. *Animadversiones in carceres Religiosorum Ordinum.* Extant inter ejus Opera Posthuma tom. 2. p. 321. Plura legi Opera Mabillonii, sed ex nullo, eum Spiritu Dei agitari in scribendo, magis cognovi, atque ex hac opella, summæ prudentiæ & discretionis plena. Non enim vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. S. P. Benedictus, etiamsi delinquentes pœnis coërceri jubeat, in

sacrâ tamen sua Regula, discretione præcipua, non unquam ullius carceris fecit mentionem. Quis ergo primus illos construxit? *Mathæus* Prior S. Martini de Campis, vir cæteroquin non malus, sed qui à recta via aberrantes nimia austeritate corrigere, atque eos, qui incorrigibiles ipsi videbantur, in longè teterrimum ergastulum compingere solitus erat. Quemadmodùm verò id genus exempla funestæ plerumque sunt consequentiæ, ita alii Abbates, plus zelo quàm charitate inflammati, confestim tetra, horrida, lurida, squallida, tenebrosa, angusta condiderunt ergastula, in quibus peccantes servarent monachos, tanta, támque inhumana severitate, ut Stephanus Archiepiscopus Tolosanus per Majorem Vicarium suum apud Joannem Regem Galliæ fuerit conquestus *de horribili rigore, quem monachi exercebant adversùs monachas graviter peccantes, eos conjiciendo in carcerem perpetuum, tenebrosum, & obscurum, quem Vade in Pace vacitant.* Quò factum, ut plures vel de potestate mentis, vel in desperationem acti salute æternâ exciderint. Plura & explicatiùs suo tempore.

-- EJUSDEM *Tractatus de regularis observantia disciplinæ.* Hujus libri ac tractatûs meminit *Ruinartus* in vitâ *Mabillonii* his verbis: „Ut porrò tam exitiali disciplinæ detrimento in posterum occurri posset, tractatum data opera edidit, quo Monachos ad regularis observantiam disciplinæ ex officio teneri demonstravit, eorúmque refellit opinionem, qui vota duntaxat sua servare contenti, cætera communis ac regularis vitæ officia pro arbitrio obire se aut negligere posse temerè sibi in animum inducunt. quod quàm cùm à Divinæ Legis, tum Sanctorum Patrum sententiis, ac à nostri quoque Legislatoris Benedicti spiritû sit alienum, nemo non videt. Unde nihil ex iis negligendum putabat, quæ ad tutandam disciplinam, aut præcavendam morum prolapsionem juvare poterant." Hæc Ruinartus, qui memoriæ tamen non prodit, ubi isthic Tractatus, cujúsque typis, quáque forma excusus fuerit, pag. mihi 157.

Vetus Disciplina Monastica, seu Collectio Auctorum Ordinis S. Benedicti maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos ferè annos per Italiam, Galliam, atque Germaniam de Monastica disciplina tractârunt, nempe

I. *Petri Diaconi* Disciplina Casinensis ex autographo Mſ. Bibliothecæ Casinensis.

II. *S. Sturmii*, Primi Fuldensium Abbatis, Consuetudines ex Italia circa medium VIII. seculi Fuldam illatæ, nunc auctori suo restitutæ.

III. *Theodemari* Usus Cassinenses ad Carolum M. sub finem VIII. seculi transmissi.

IV. *S. Benedicti* Anianensis Capitula de Disciplina Monastica suo Auctori asserta: quæ ante & post Aquisgranense Concilium couscripsit.

V. *Capitula* Monachorum ad Aogiam directa ante annum DCCCVII.

VI. *Capitulare* Aquisgranense de vita & conversatione Monachorum.

VII. *Capitula* Monachorum San-Gallensium ad Regimbertum missa.

VIII. *Guidanis Farfensis* & Monasterii S. Pauli Romæ Disciplina ex MS. Vaticano num. 6808. & veteri codice Mſ. S. Pauli in Urbe.

IX. *Bernardi* Ordo Cluniacensis mendis purgatus, & ad fidem MS. Codicis S. Germani à Pratis castigatus.

X. *Excerpta* ex Divionensi disciplina, quæ cum Fructuariensi communis erat ex Mſs. Benignianis.

XI. *S. Wilhelmi* Constitutiones Hirsaugienses, seu Gengenbacenses Seculo XI. factæ, ac centum & ultra Germaniæ Monasteriis illatæ ex Mſs. Einsidlensibus.

XII. *Luxovienses ritus* ex vetusto Psalterio Abbatiæ MS. eruti. Prodit nunc primùm opera & studio [Cl. Marquardi Hergott] Presbyteri & Monachi Benedictini è Congregatione S. Blasii in Sylva Nigra. Parisiis Typis Caroli Osmont MDCCXXVI.

JOANNES GREGORIUS TARISSE Superior Generalis Congregationis S. Mauri an. 1630. electus edidit *Constitutiones*, quibus forma regiminis continetur, à Capitulis Generalibus anni 1642. & 1645. probatas & confirmatas.

STANISLAI SCZYGIELSKI, Monachi Regii Monasterii Tinecensis in Polonia *Syntagma de Unione Monasteriorum, & Capitulis Provincialibus.* Author commonstrat, quòd non sit Ordinis Benedictini in sua Provincia [Polonia] sublevandi ratio commodior,

dior, quàm ut Monasteria in Congregationem redigantur, & Visitationes cum annuis Capitulis instituantur. Scripsit an. 1663. nec votis suis excidit; subinde enim Regni Poloniæ Monasteria in Congregationem magno disciplinæ regularis bono coaluerunt. Syntagma verò ejusdem legitur in *Aquila Polono-Benedictina* pag. 214-147.

§. XI.

Scriptores de Sacri Ordinis Consuetudinibus, Ritibus, & Ceremoniis.

Quot ferè Ordinis nostri Monasteria, vel certè quidem Congregationes existunt, tot propriæ earum habentur consuetudines, ritus, & ceremoniæ. *S. Benedictus Anianensis* in monasteriis regimini suo subditis proprias consuetudines, si laudabiles erant, minimè abrogari, sed ritè observari voluit, ut *Ardo* monachus in ejus vita testatur. *Multa*, inquit, *Regula implere jubet*, ■ *permulta sunt, quæ usus explere quotidianus expetit; ipsa tamen reticet, ex quibus omnibus habitus Monachi velut gemmis ornatur. Nonnulla autem præcipit, quæ aut propter concordiam unitatis, aut certè propter observantiam honestatis, seu propter considerationem fragilitatis commutantur. Quapropter Venerabilis Abbas quæ observanda comperit, absque ulla cunctatione, vel excusationis fuco implere decrevit. Ea verò quæ certis pro causis aut dimittenda cognovit, aut commutanda inspexit, nihilominùs prout rectiùs, & secundùm posse locique positionem decere cognovit, suis observanda discipulis tradidit: siqua nempe minùs lucidè pagina Regulæ pandit, aut omnino silet, rationabiliter aptéque instituit, atque supplevit.*

B. LANFRANCUS *in Decretis pro Ordine S. Benedicti* nonnulla circa Ritus ac Consuetudines Monasticas immutavit; cujus quidem immutationis hanc notatu dignam affert rationem: „ Addidimus quoque per„ pauca, inquit, & mutavimus non„ nulla, & maximè in celebrandis „ quibusdam Festis, excellentiùs in „ nostra Ecclesia oportere ea agi „ censentes propter Primatem Sedem. „ In quibus nec nobis, qui præsen„ tes sumus, nec iis, qui post nos „ venturi sunt, in aliquo præjudica„ mus, ut non vel eis addere, vel „ ab eis tollere, vel in eis aliqua per „ mutare valeamus, si aliter ea com„ modiùs posse fieri, vel magistra ra„ tione, vel doctiorum authoritate in„ telligamus. Quantumlibet enim „ quisquam proficiat, maximus ei de„ fectus est existimare, se ultra non „ posse proficere. Nam numerns Fra„ trum auctus vel diminutus, faculta„ tes locorum, varietates rerum, quæ „ sæpe eveniunt, diversitates sensuum „ (quod alii quidem sic & alii sic intel„ ligunt) pleraq; diu servata plerumq; „ aliter ordinare compellunt. Hinc „ est, quod nulla ferè Ecclesia imi„ tari aliam per omnia potest. Illud „ tamen cautissimè attendendum est, „ ut ea, sine quibus anima salvari non „ potest, omnibus modis inviolata „ serventur, fidem dico, contemptum „ mundi, charitatem, castitatem, hu„ militatem, patientiam, obedien„ tiam, de perpetratis culpis pœnitu„ dinem, earúmque humilem con„ fessionem, frequentes otationes, „ competens silentium, multáque in „ hunc modum. Hæc ubi servantur, „ rectissimè potest dici, Regulam S. Be„ nedicti, & Monachorum Ordinem ibi „ custodiri, quo quomodo varientur „ cætera, quæ pro arbitrio diverforum „ in diversis sunt Cœnobiis instituta. „ Hæc B. Lanfrancus, cujus *Epistola ad dilectissimos fratres suos, Henricum Priorem, & cæteros, de consuetudinibus sui Ordinis, tum festis diebus, tum aliis temporibus observandis, aliisque ad statum regiménque Monachorum spectantibus* asservatur in Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Neronis* Lit. C. Cod. 41. n. 2.

ÆTHELWOLDUS ex Mailrosensi Abbate Episcopus Lindisfarnensis in Anglia, scripsit in lingua Saxonica *de Ritibus Monachorum*, quod opus mſ.tum in Angliæ habetur Bibliothecis. Vossius, Oudinus.

ÆLFRICI, seu *Alfrici*, Archiepiscopi Cantuariensis Seculo x. *Epistola de Consuetudine Monachorum.* extat MS. in Collegio S. Benedicti Cantabrig. Vid. M. B. E. pag. 128. col. 2.

Liber Consuetudinarius, sive de variis observantiis, officiis & consuetudinibus ad monachos pertinentibus, de modo visitandi fratres infirmos, & de exequiis fratrum defunctorum, scriptus ad præceptum D. Ricardi de Wara, Abbatis Westmonasterii, à Fratre *Gulielmo de Hasfelega*, Westmonasterii Subpriore, & Novitiorum Magistro, qui totum Opus in 4. par-

tes distinxit, anno gratiæ 1266. Hujus libri pars IV. asservatur inter mss. Codd. Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie *Othonis* Cod. XI. vid. Smith. in Catal. p. 72.

Registrum, sive *Memoriale Henrici Prioris* Monasterii Christi Cantuariensis, in quo habentur plurima de Officiariis, de provisionibus, pensionibus, missis, aliisque ad sacrum cultum spectantibus, de redditibus, de noviтiis, de regimine, de suis obedientiariis, de numero acrarum in suis maneriis, de pecuniis allocatis, quibusdam officiariis, & pro vestimentis, & aliis ornamentis - - - & pro domibus & reparationibus, de debitis & placitis, de privilegiis, ornamentis, vestibus, & vasis sacris, libris, quorum usus in capella, textibus, reliquiis, libris in Bibliotheca, aliisque ad istud Monasterium spectantibus. Inseruntur quidam loci communes de conscientia, physiognomia, déque multis aliis capitibus sacri & philosophici argumenti. Bibl. Cotton. sub effigie *Galbæ* Cod. IV. vid. Smith in Catal. pag. 63.

RANDULPHUS Abbas Monasterii Eveshamensis in Anglia scripsit Monasterii sui consuetudines, quæ in Bibliotheca Cottoniana asservantur sub effigie *Augusti*. II. 9.

S. WILHELMI Abbatis Hirsangiensis Consuetudinum Monasticarum libri Sec. XI. extant inter mss. Codd. Bibliothecæ San-Emmeram.

THEODERICUS Monachus Floriacensis Sec. X. vir tam in divinis Scripturis, quàm in secularibus literis egregiè doctus scripsit inter cætera ingenii sui opuscula *duos libellos de consuetudinibus & statutis* Monasterii Floriacensis ad Bernwardum ex Monacho Hirsaugiensi Episcopum Herbipolensem, cujus Operis prologus tale habet exordium: *Domino sancto ac Patri in Christo electissimo Episcoporum insigni Bernwardo frater Theodericus, Floriacensis Asyli Cœnobita perexiguus.* Erat is Bernwardus nobilissimæ in Germania prosapiæ. Cùm verò in juventute studiorum causa in Gallias ad Gerbertum, Floriacensem monachum, posteà Romanum Pontificem, missus fuisset, Monachorum Floriacensium amicitiam familiarem satis obtinuit; quorum consuetudines posteà factus Episcopus, per Theodericum Monachum sibi duobus libris conscribi fecit. Trith. in Annal. Hirsaug. ad an. 989. & 995.

ARNOLDUS Monachus Hirsaugiæ Sec. X. scripsit *Consuetudines Monachorum Lib. II.* Vid. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. Chr. 983. pag. 125. novæ San-Gallensis editionis.

B. PETRI DAMIANI Epistola ad Clericos Florentinos, quà virgarum disciplinam novum pœnitentiæ apud Monachos genus, defendit. Extat lib. 5. ep. 8. Nonnulli tamen recentiores, ultrò susceptas flagellationes improbantes, sugillant (c) Damianum, ut ineptum garrulum: nec advertunt, quòd ipsam etiam condemnent Ecclesiam, quæ varia monachorum instituta recipit, quorum regulas approbavit Sedes Apostolica; quibus tamen præscribitur, ut fratres se propriis manibus sæpiùs flagellis verberent. Corporis quidem castigationem, Doctore S. Paulo, laudavêre veteres, sed omnes ejus modos nec præscripsêre, nec improbavêre. Casinenses illud pœnitentiæ genus amplexi sunt, quorum exemplo invaluit in aliis monasteriis, & passim ubique receptum est, paucis contradicentibus. In historia Regiæ Abbatiæ Brevnoviensis anno 1740. typis vulgata legitur de S. Adalberti Episcopi Pragensis, & multarum gentium Apostoli *Quinque sanctis Fratribus*, non sanguinis, sed Ordinis, quòd quotidie erratorum contra sacram Regulam pœnas à se mutuò exegerint. (d) *Talis enim erat mos illorum simul unoquoque dierum post Primam molliri usque deorsum, in faciémque cadens, ad fratrem frater dicebat: si percutis, percutias, cum tangis, ne mihi parcas. Et stans cum flagello respondebat, sicut vis fiat, Christum rogat, fratrémque flagellat dicens:*

Hic perfectâ pius solvat tua crimina Christus:
Atque cadens iterùm cruciat sua terga vicissim.
Nec doluit fratri frater, cùm verberat alter,
Sed miserere mei Deus, aut benedicite cantant.
Nam suffert leviter, patitur quæ quisque libenter.

BERNARDUS, Monachus Cluniacensis, jubente Venerabili Abbate B. Hugone, qui anno 1109. obiit, omnes consuetudines Cluniacensis Monasterii in unum volumen luculento sermone congessit [Trithem. lib. de Script. Eccl.] Has consuetudines in aliquibus MSS. adhuc videre licet, te-

ste

(c) Vid. Lud. du Mesnil Doctrin. & Discipl. tom. IV. l. 45. p. 127.
(d) Cap. XII. ex Boleluczky in vit. S. Adalberti.

ste Edmundo Martene in Notis ad Dialog. inter Cluniac. & Cisterc. Monachum Thes. Anecdot. Tom. V. pag. 1586. *Cangius* illas mss in Bibliotheca San-Germanensi evolvit. *Epistolam* ad *Hugonem* Consuetudinibus præmissam edidit Andreas du Chesne in Notis ad Cluniacensem Bibliothecam pag. 23. Typis vulgatæ habentur in *Vetere Disciplina Monastica*.

S. UDALRICUS, Monachus etiam Cluniacensis, eodem tempore has ipsas consuetudines collegit, & tribus libris digessit in modum Dialogorum, postulante B. Wilhelmo Hirsaugiensis Cœnobii Abbate, ac sacri Ordinis per Germaniam Reformatore præcipuo. Editæ sunt à Luca Dacherio Tom. IV. Spicilegii. Licèt autem undecimo tantùm seculo floruerit S. Udalricus, attamen consuetudines illas non eo primùm tempore fuisse conditas, sed à multis retrò temporibus usu receptas, probant Epistola nuncupatoria, & Procœmium, nec non S. Odonis Vita à Joanne ejus discipulo scripta, quæ nonnullas commemorat. Unde illas jam sub S. Odilone institutas fuisse, credere par est. Prima pars est de divinis Officiis: Secunda de eruditione Novitiorum: Tertia de Obedientiis: quibus & ultima obedientia est subjuncta, quâ quisque vocatur ad Christum. Nonnulla in iis observare operæ pretium duxit Alexander Natalis Hist. Eccl. Tom. VI. Sec. X. cap. V. art. V. num. IV. p. 141. & seq.

Initio Cisterciensis Ordinis querelæ Cluniacenses intet Monachos & Cistercienses, de variis utriusque Familiæ observantiis, ritibus, ac ceremoniis, excitatæ fuerunt, nec S. Bernardi ad Guillelmum Abbatem apologiâ, nec Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis epistolâ præclarâ ad S. Bernardum statim sopitæ. Uttaque lectu est dignissima.

JOANNES de MONTE NORICO Monachus & Scholasticus Cœnobii S. Burckardi Herbipoli scripsit de *moribus & institutione veterum Monachorum Lib. I.* Ttithem. l. c. ad an. 1072. pag. 233.

ANDREAS de TRAJECTO Monachus Spanheimensis sub medium Seculi XV. à Trithemio laudatus scripsit *de abstinentia carnium*, & *de usu floccorum*, id est, vestimenti genete, quo nos utimur Benedictini. V. Ttith. de Script. Eccl. cap. 801. & Lib. II. cap. 141. illustr. Benedictin.

Veteres Consuetudines Monasterii Floriacensis edidit *Joannes à Bosco* in Bibliotheca Floriacensi, pag. 390 - 415.

Ordo Officii in domo S. Benedicti, ante Pascha, & antiquæ Consuetudines Monasteriorum Ordinis S. Benedicti, extant apud Mabill. Analect. Tom. IV. p. 454. & edit. novæ 151. Prædictus verò Ordo excerptus fuit ex codice Bibliothecæ S. Udalrici apud Augustam Vindelicorum, scripto ab annis ferè nongentis. Hunc conjicit Mabillonius, esse Ordinem antiquum Ecclesiæ Frisingensis, quæ etiam S. Benedicto sacrata erat, monachis à S. Corbiniano Episcopo primitùs commissa, ut alibi ab eo ostensum fuit. Illud observatione dignum, quòd Passio Domini triplex in Parasceve legenda præscribitur.

CEREMONIALE BENEDICTINUM, in quo præter Ceremorias Chori, laudabiles Monasteriorum Germaniæ Consuetudines & Constitutiones describuntur. Dilingæ an. 1641. in 8.

De *Rotularum*, seu piæ Confœderationis in subsidium defunctorum origine, *Anselmus Schramb* in Chronico agit Mellicensi, & Jacobus Bouillart in Historia Monasterii S. Germani à Pratis pag. 31. Cæterùm de hoc argumento, nisi fallot, editus est superiore seculo peculiaris libellus in 12. authore Monacho Benedictino in Bavaria; cujus nomen, cùm permultis ante annis eum cursim evolverim, oblivio in mea delevit memoria; nisi forsan tamen sit, imò est

MELCHIORIS WEIXER *Rotula Mortualis*, sive fraterna Confœderatio Cœnobii in Brunsening cum quibusdam aliis Monasteriis O. S. B. Ingolstad. an. 1625. typis Gteg. Hænlini. in 12.

NICOLAI de MAZEN Abbatis Mellic. Ceremoniæ tegularis observantiæ Ordinis Ss. Patris nostri Benedicti ex ipsius Regula sumptæ, secundùm quod hodie in sacro Monasterio suo Sublacensi & Specu practicantur. Vulgatum est Opus integrum in Chron. Mellic. Anselmi Schramb pag. 320.

Abbatis Anonymi epistolæ duæ ad monachos Pratellenses de servanda in diebus solennibus abstinentia. edidit Mabill. Analect. tom. 3. pag. 494. & seqq. Ejusdem

JOANNIS MABILLONII Observationes in varias Formulas oblationis

puerorum in monasteriis. Analect. Tom. III. pag. 469.

BENEDICTUS de PENNALOSA MONDRAGON ex Monte Serrato Cœnobii Pragæ in Emmaus, & alterius anno 1633. à Ferdinando II. Imperatore extra Scotensem portam Viennæ fundati Abbas, in lucem emisit Ceremoniale Monasticum adbreviatum, & omnibus sub Regula S. P. Benedicti militantibus accomodatum, Viennæ Austriæ an. 1640.

Ceremoniale Monasticum jussu & authoritate Capituli Generalis Congregationis S. Mauri Ord. S. Ben. editum, Lutetiæ Parisiorum apud Joannem Billaine an. 1645. Operis est quadripartita divisio in IV. Libros. Primus agit de communibus ceremoniis, II. De singulis Ministrorum muneribus. III. De Actionibus Sacris, IV. De Festis totius anni.

ZACHARIAS de BASTARDIS à Mutina, Monachus S. Petri in eadem urbe edidit

Ceremoniale Monasticum Casinense Lib. III. in quo omnes Prælati Ordinis S. Benedicti, & Monachi Breviario Pauli V. authoritate recognito utentes, in Pontificalibus & sacris Functionibus instruuntur, Venetiis ex Typographia Ducali Pinelliana anno 1639. in 4. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. Lit. V. p. 35.

Manuscriptum 1. De Modo inducendi Novitios. 2. De Forma Professionis. 3. Forma solvendi Professos post triduum. 4. Benedictio Schedarum quadragesimalium, juxtà morem Monasterii Schyrensis O. S. B. in 4. asservatur in Bibliotheca San-Emmeramensi.

Vigiliæ & Officium Mortuorum in Notis secundùm Rubricam Romanam & Consuetudinem Monasterii B. Mariæ Virginis aliàs SCOTORUM Viennæ in Austria, cæterorúmque Monasteriorum Ord. S. B. Item Ordo ad communicandum infirmum fratrem, mortuúmque sepulturæ tradendum. Item Processio in vigilia, & in die animarum, Et morientium protestatio, cum Orationibus devotis & passione secundùm Joannem, cæteráque legenti occursura. Anno 1518. kalendis Octobris, Venetiis ex Officina Literaria Petri Liechtenstein, impensis Lucæ Alantse Bibliopolæ Viennensis. Ad calcem Operis hæc leguntur: *Cùm non minùs, imò multò plus exitus ab hac vita: quàm ingressus in eam: nobis, qui ad beatitudinem sempiternam nascimur: considerandum sit: operæ mihi pretium est visum: hunc libellum, quo & mori docemur, & defunctis nobis apud Deum succurratur, in exemplaria mille impressionis officio multiplicare. Accipe itaque Lector devote, hunc nostrum, quantulumcunque laborem grato animo, mibíque fratri Ambrosio Pannonio Viennæ tunc in Monasterio S. Mariæ, quod ad Scotos dicitur, Priori, Dominóque Lucæ Alantse, cujus expensis voti compos sum factus: cœlum post hanc vitam imprecare. Vale.*

Forma Professionis juxtà consuetudines Congreg. Casin. Speculum D. Bernardi Abb. Casin. Venetiis anno 1505. in 12.

FERDINANDUS PERRETI, Italus, Ferrariensis, Professus Monasterii S. Vitalis Ravennæ an. 1698. scripsit *Riti Ceremoniali per le sagre Funzioni nella Chiesa di S. Vitale di Ravenna*, id est: *Ritus Ceremoniales pro sacris Functionibus in Ecclesia S. Vitalis Ravennæ, tomi* 2. Mss. in 12. admodùm accuratè digesti, & ex probatissimis Auctoribus excerpti. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 171.

FELICIANUS STRADIVERTUS, Italus, Cremonensis, Monachus Casinensis scripsit *De Functionibus Ecclesiasticis secundùm ritum Ord. S. B.* Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 167.

PETRI ANTONII TORNAMIRA, Siculi, Panormitani è Congr. Casin. *Il Ceremoniale Benedettino, nel quale si contengono le sacre Cerimonie nel dar dell' abito, e nel ricevere alla Professione ogni sorte di Monaci, e Monache Oblate, e Confratri, e Consuore; Li Bambini, e Fanciulli offerti alla Religione per voto; e li Cavalieri delle sagre milizie dell' Ordine Benedettino, coll' aggiunta della Corona in onore di esso santo Patriarca, e di nove discorsi spirituali nel dare, e ricevere l' abito.* In Palermo il Camagna 1671. in 4. id est: *Ceremoniale Benedictinum, in quo continentur sacræ Ceremoniæ in conferenda veste religiosa, & admittendo ad Professionem Monachos omnis generis, & Monachas, Confratres & Consorores. Infantes & pueros per votum oblatos Religioni, nec non Equites sacrarum militiarum Ordinis Benedictini, cum additamento coronæ in honorem ejusdem S. Patriarchæ; & de Sermonibus spiritualibus fieri solitis in collatione & receptione habitûs.* Panormi anno 1671. in 4.

— EJUSDEM *Ceremoniale Benedettino*, nel quale si contengono le sagre Ceri-

Cerimonie nel dar dell' abito, e nel ricevere alla Professione solenne le Monache, e Sorelle Converse Claustrate dell' Ord. del S. Benedetto, coll' aggiunta degli Oblighi, che loro cottono intorno alla loro Monastica professione, e li loro esercizj spirituali. In Palermo apud Petrum de Insula 1676. in 4. id est: *Ceremoniale Benedictinum, ubi habentur Sacræ Ceremoniæ in conferendo habitu, & admittendo ad Professionem solennem Moniales, Sorores Laicas Claustrales Ord. S. B. cum additamento obligationum, quæ ipsis incumbunt circa earum monasticam professionem & spiritualia munia.* Panormi apud Petrum de Insula an. 1676. In 4.

ANONYMI Benedictini an. 1400. *Epistola de consuetudine & modo vivendi Cœnobitarum Monasterii Sublacensis,* edita à Bern. Pez. tom. 8. Bibl. Asceticæ pag. 491.

Ceremoniale Monasticum pro omnibus sub Regula sancti Patris Benedicti militantibus. Tulli apud Simonem Belgrand in 8. an. MDCXXVI.

Usus & consuetudines Monasterii S. Germani à Pratis in ejusdem historia à Jacobo Bouillart conscripta recensentur pag. cxxxiv.

THOMÆ WEISS, Neresheimensis, *Cæremoniale Monasticum* Congreg. Hispanicæ Ord. S. B. ad Breviarium & Missale accomodatum. Viennæ Austriæ an. 1640. in 4.

EDMUNDI MARTENE è Congreg. S. Mauri *De Antiquis Monachorum Ritibus Libri quinque, collecti ex variis Ordinariis, Consuetudinariis, Ritualibúsque MSS. ex antiquis Monachorum Regulis, ex diversis Sanctorum Actis, Monasteriorum Chronicis, & Historiis, alisque probatis Auctoribus permultis. in 4. Tomi duo. Lugduni sumptibus Anisson Posuel, & Rigaud an.* 1690. Cl. Reimannus de hoc Opere ita censuit: „ Unicus hic est, qui argumentum hoc literis est persecutus, & ita persecutus, ut & niteat doctrina, & industria excellat. „ Bibl. pag. 828. Cæterùm universum Opus in quinque distribuitur libros, in quorum primo Author sermonem instituit de Ritibus, Ceremoniis, seu peculiaribus Observantiis, veluti quæ ad Officium divinum, lectionem, laborem manuum, & refectionem attinent. In secundo ea discutit, quæ singulis quibusque mensibus usuveniebant; agit igitur de Matutinis magis solennibus, de aqua benedicta, cujus initia ad Alexandrum I. Papam ab Anastasio in vitis Pontificum referuntur; de Missa majori: subinde veteres Monachorum consuetudines exponit, si quando in celebratione Missæ defectus occurrit, collationes de rebus asceticis, disciplinam, seu voluntariam verberationem, quæ Feria VI. fiebat; phlebotomias; ubi advertit, Monachis in Germania positum in usu fuisse, sanguinem mittere primo cujusvis mensis die; antiquitùs Carthusiani quinquies per annum sibi venam incidi fecerunt. In Libro tertio tractat de ceremoniis, quæ singulis annis in Adventu, Quadragesima, Paschate, Ascensione, Pentecoste, & aliis majoribus Festis fiebant, tum de Capitulis Generalibus celebrioris nominis nonnulla subjungit. In Libro quarto de Festis particularibus, quæ singulis mensibus occurrebant, disputat. Denique in quinto ea omnia disquirit, quæ quoquo modo ad ritus, & res alias peculiares spectabant, quæ statum tempus haud requirunt; veluti electio Abbatis, quam in nonnullis monasteriis & Rex, & Episcopus diœcesanus, à quo etiam Abbas benedici solebat, confirmârunt: adhæc sermocinatur de susceptione habitûs monastici, & professione religiosâ; quâ occasione observat, quòd antiquis temporibus in Ordine S. Benedicti mos obtinuerit, haud citiùs vestem religiosam Novitio conferendi, quàm quo die vota monastica is nuncupavit: alias observationes subnectit de visitatione infirmorum, de sepulturis veterum monachorum, de ritu sepeliendi Abbatem, de suffragiis pro defunctis, de piis & sanctis confœderationibus cum aliis monasteriis, de Principum, aliorúmque spectatæ conditionis hospitum receptione: ad extremum verba facit de monachis itinera facientibus; de modo loquendi per signa, & aliis id generis pluribus. Vid. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. p. 300.

S. EUTICIUS, quem primo loco nominare debuissem, charus fuit Ludovico Pio Imperatori: sed calcata mundi pompâ cum esset adhuc laicus, totum se transdidit sanctorum Patrum regulis, ex quibus diversas consuetudines in unum volumen collegit, quæ posteà in monasteriis Ordinis Cluniacensis servatæ sunt. Tandem monachus factus est, eíque Ludovicus Imperator in palatio suo monasterium ædificavit. In vita S. Hugonis Abbatis S. Martini Augustodunensis scribitur,

tur; cum fuisse primum Abbatem Balmensem, quamvis Joannes Monachus id tribuat S. Bernoni. Vid. Hug. Menard Observat. Lib. I. in Martyrol. Benedictin. p. 177.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *Ceremoniale Benedictinum.* Dilingæ in 8. an. 1641.

B. WILLELMI Abbatis Hirsaug. *libri duo de ritibus Monasterii sui.* Liber I. constat Capitibus LXIV. secundus LXXII. Parùm differunt à Cluniacensibus ritus Hirsaugienses, in quibus eadem verba, eædémque sententiæ passim leguntur. Asservantur MS.^{ta} in multis Benedictinis Germaniæ Bibliothecis. Prologum ex Bibliotheca Einsidlensi typis exscribi curavit Mabillonius Analect. tom. IV. pag. 465.

JOANNIS de WELMING an. 1459. Abbatis Mellicensis *Epistola de restituenda universim in Ord. S. B. Monastica disciplina & procuranda rituum ac observantiarum conformitate.* Extant tom. 8. Bibl. Ascet. à Bern. Pezio vulgatæ pag. 581.

CASPARI AINDORFFER, an. 1460. Abb. Tegernseensis *Epistola ejusdem argumenti.* ibid. p. 588. Rituale, seu Cæremoniale Monastico - Benedictinum. Tegernsee. 1737. in 8.

§. XII.

Scriptores de Privilegiis Sacri Ordinis, ejúsque Monasteriorum.

DE his varii variè scripserunt: alii enim de Privilegiis, quæ toti Ordini communia sunt, tractant; alii Privilegia, quibus integræ quædam Ordinis Congregationes gaudent, persequuntur; alii ea tantùm attingunt, quæ ex jure communi pro favore omnium monasteriorum deduci possunt; alii econtra in iis commemorandis, quæ singulis monasteriis in particularii hinc inde specialiter à Pontificibus, Imperatoribus, ac Regibus &c. concessa fuerunt, non segniter occupantur. Quamquàm, ut verum fatear, pro dignitate amplissimi hujus argumenti æquo pauciores habeantur Scriptores.

ADEODATUS Monachus S. Erasmi in Cœlio monte, ab A. C. verò 672. 14. Martii ad 18. Maji 677. Pontifex Romanus, cujus exstat *Epistola ad universos Episcopos Galliæ* de Privilegio concesso Abbati S. Martini Turonensis, edita à Papyrio Massono in Gestis Pontificum Romanorum Parisiis 1586. in 4. Baronio ad A. C. 676. Sirmondo Tomo I. Conciliorum Galliæ pag. 507. & in Conciliorum Tomis Binii Tomo II. pag. 542. Regia Tomo XV. pag. 493. Labbei Tomo VI. p. 523. Harduini Tom. III. p. 1007. & in novissima Coleti Veneta Tomo VII. Habetur etiam in Radulphi Monsynerii juribus Ecclesiæ S. Martini Turonensis propugnatis, Parisiis 1663. in 8. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. pag. 37. Murator. Hist. Ital. part. v. an. 676. ubi exemplo SS. Bernardi, & Francisci ab Assisio, verbis verò Card. Baronii ejuscemodi improbat exemptiones, de ipsius verò Epistolæ genuina fide addubitat, ejúsque causa superioribus annis inter Eruditos Gallos lites ac controversias efferbuisse scribit. Sed quid finceri, ac genuini est, quòd Aristarchi in Gallia non in contentionem rapiant?

MARCULPHUS Monachus Benedictinus incerti monasterii in Francia Seculo VII. *in Formul. lib.* I. *cap.* I. *De Privilegio* agit de *Immunitatis* beneficio ab Episcopis & Regibus Christianissimis monasteriis concessis, circa quod quæ observet *Nat. Alex.* vide ejus Histor. Eccl. Sec. VII. c. IV. Art. IX. pag. 569. col. 2. & Sec. IX. & X. cap. V. p. 145.

PETRUS de MURGA, Hispanus, monachus domûs S. Æmiliani sub medium seculi proximè elapsi magnâ sacrorum Canonum scientiâ claruit. Cùm esset Prior Claustralis seu *Conventualis*, ut vocant, *sanctæ Mariæ de Hyarte*, Tractatum elaboravit super *Privilegia sui Ordinis Benedictini*, quem Lugdunensi prælo, ut alia præclara sua Opera, subjecit, ut Nicolaus Antonius in Bibl. Hisp. Nov. pag. 177. testatur. Quo anno autem ex illo liberatus fuerit, ignoramus.

VIRGINIUS ALVISET, Bisuntinus, *de Privilegiis Regularium* 1673. in 4.

GEORGII GEISSER Abbatis S. Georgii in Hercynia Sylvâ, nunc Villingæ, *Privilegia Ordinis S. B. Quæstionibus Theologico - Juridicis illustrata, Pars I. in 8. minori Constantiæ* 1677. Pars altera, doctissimo Authore rebus humanis erepto, vel nunquam elucubrata fuit, vel certè quidem lucem publicam non aspexit. Et cùm Partis primæ editio rarior esse cœpisset, *Bertholdus* Abbas Gottwicen-

censis eam Crembsensi prælo in inferiore Austria iterum subjici jussit, è quo evasit in forma 12. anno 1692. Præter duos hosce Scriptores *Petrum de Murga*, & *Georgium Geisser*, neminem unum scio, qui deditâ operâ de Ordinis Benedictini Privilegiis scripserit, quamvis etiam haud me lateat, quòd *Ascanius Tamburinus* in Tractatu *de Jure Abbatum* multis in locis agat de Privilegiis à Sede Apostolica Ordini S. B. variisque ejus Congregationibus concessis.

LUDOVICI ENGEL Mellicensis *Tractatus de Privilegiis & Juribus Monasteriorum, ex Jure communi deductus*, nunc octava vice impressus & adnotationibus auctus an. 1717. Salisburgi apud Joan. Bapt. Mayer. Extat ad calcem *Collegii Juris Canonici* ejusdem celeberrimi Authoris.

ANONYMUS Congregationis Casinensis Monachus scripsit *de Jure & Usu Pontificalium Abbatum, & de potestate Abbatis circa collationem Ordinum Minorum suis subditis secularibus intra fines propriæ Diœcesis commorantibus*, impressus liber anno 1629. promittit Author se editurum tractatum alium de potestate Abbatis. Armell. Bibl. Casin. part. 1 147.

JOSEPHI de LEONIBUS, Itali, Placentini, è Congr. Casin. *Brevis Tractatus de Privilegiis & Juribus Monasteriorum ex Jure communi deductus.* Armell. part. 2. pag. 47.

ALPHONSI VILLAGUT *Propugnaculum exemptionis Monachorum Casinensium adversùs Judices Ecclesiasticos* Tomi II. Mss. Venetiis in Bibl. S. Georgii Maj. Armell. part. 1. p. 12.

BENEDICTUS CANOPHILUS, Italus, Sangrinus, Monachus Casin. Operum suorum Tomo IV. Venetiis anno 1542. excuso apud Bernardin. Bondonum de Religiosis, & Vitâ, Bonis ac Privilegiis eorum.

Bullarium Cassinense, seu Constitutiones summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, & Decreta sacrarum Congregationum pro Congregatione Casinensi, cæterisque Regularibus cum eadem directè, vel indirectè participantibus, Tomus I. complectens Privilegia, Libertates, Immunitates, Exemptiones, Prærogativas, & Onera, ex ejusdem Congregationis Archivis plerumque selecta per R. P. D. *Cornelium Margarinum* ejusdem Congregationis Generalem Archivistam, ad commodum & utilitatem cunctorum Regularium cum appendice reciprocarum inter Regulares communicationum, Privilegiorum, Summariisque, ac quadruplici Indice, Venetiis an. 1560. Typis Omnibenii Ferreti.

JOVITA de RUBEIS, Romanus, D. Pauli de Urbe Professus Privilegia Congregationi Casinensi concessa, hinc inde collecta duobus libris conclusit egregiè pariter scriptis cum hoc titulo: *Transumptum Privilegiorum Congregationis Casinensis &c. Operâ D. Jovitæ ab Urbe Abbatis Cavensis, & ejusdem S. Cœnobii Professi, in præsens volumen redactum anno Domini* 1642. quod opus recognitum & approbatum fuit, manúque publici Notarii subscriptum. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 49.

Bullarium Ordinis seu Congregationis Cluniacensis complectitur Privilegia per summos Pontifices concessa, authore *Petro Simon* in fol. Lugduni 1680. In *Martini Marrier Bibliotheca Cluniacensi* privilegia Ordinis sive Congregationis amplissima continentur cum notis *Andreæ Quercetani*. Plura exhibebit dudum promissa ejusdem Bibliothecæ editio, in cujus IV. volumine reperientur privilegia quàm plurima, quæ Ordinem in genere, vel Ordinis monasteria spectant in particulari.

Congregationis Bursfeldensis privilegia, jura, & libertates &c. Equidem illa hactenus in vulgus minimè prolata fuerunt, cùm in separatâ, tribúsque clavibus munita cista asserventur, neque ulli ea inspiciendi potestas fiat, nisi sit è gremio Congregationis, præhabito tamen speciali consensu Dominorum Præsidum. Unde eorum notitiam è publicis typis nemo sibi polliceatur. Nihilominus Cl. *Joan. Georg. Leuckfeldius* in *Antiquitatibus Bursfeldensibus* succinctam de iisdem narrationem instituit, allata etiam in medium *Bulla Papæ Pii II. anno* 1461. *data Congregationi Bursfeldensi*, quam se hactenus incognitam ex Monasterio *Clusino*, quod *Unionis* primum fuit, eruisse testatur. Cui accessit *Laurentii S. R. E. Cardinalis Dispensatio de carnis esu in Congregatione Bursfeldensi.* Quòd si *Adamus Adami* Prior Monasterii S. Jacobi propè Moguntiam, Professus aliàs in Brauweiller, vel vitam diutiùs protraxisset, vel aliis gravissimis nego-

tiis non occupatus fuisset, collectionem privilegiorum celeberrimæ hujus Congregationis, typis excudendâ, ab eo sperare licuisset. Jam enim iis colligendis manum admoverat, cùm aliis publicis etiam Romani Imperii negotiis in Pacificatione Westphalica impeditus, & anno 1663. die 9. Mensis Februarii, ex cholica passione, subitanea morte præventus non expedivit, licèt in parte non parva initium jam fecisse sciebatur. Ita de ipso testatur apud Cl. Godofredum de Mejeren in additamentis ad præfationem Historicæ Relationis de Pacificatione Westphalica *Franciscus Molitor*, qui Abbas fuerat in Northeim, sed temporum injuriâ expulsus ad Monasterium S. Godehardi, in quo professus, reversus est, in eo officio Prioris usque ad mortem functus. Bono autem Numine factum credimus, quod Clar. Vir. *P. Oliverius Legipont* plura nactus subsidia opus desideratissimum perfecerit, brevi edendum sub titulo: *Bullarium Casino-Bursfeldense.*

Privilegia Congregationis S. Benedicti in Lusitania. Congregationis S. Justinæ. Monachorum Cœlestinorũ. Congregationis Casinensis. Montis Oliveti, & Ordinis Camaldulensis, Typis excusa fuerunt Romæ in 4. an. 1589.

YSO PFAW, San-Gallensis scripsit 1.) *De Privilegiis Congregationis Helvetico-Benedictinæ.* 2.) *Directorium Abbatum Exemptorum.* 3. *Succinctus Apparatus Pontificiorum Privilegiorum.* 4.) *Compendium Privilegiorum, accommodatum Monasterio S. Galli*, Ejusdem typis an. 1665. in 12. Vid. Felix Egger in Idea Ord. S. B. pag. 563.

ANDREÆ RAYNERII, Itali, Parmensis, in S. Joannis Evangelistæ insigni in Patria Cœnobio Prioris, ac viri perdocti *Considerazioni sopra la replica del Dottor Carlo Vassalli alla Scrittura de' Monaci di S. Benedetto di Mantova stampata in Bologna l'anno 1691, in proposito della loro immunità, colla quale occasione si essaminano molti punti attinenti all' immunità & esenzione Ecclesiastica, agli Statuti laicali, alla negoziazione, alla natura, e lavoro delle Gallete**, *alle Sagre Censure, & altre materie necessarie, scritte prima brevemente in Rimini l'anno 1691. & ancora ivi stampate, e poi ampliate, e distese diffusamente l'anno 1694. in Bobio*, id est: *Considerationes supra Replicam Doctoris Caroli Vassalli ad Scripturam Monachorum S. Benedicti de Mantua, typis impressam Bononiæ anno 1691. in puncto ipsorum immunitatis; quâ occasione examinantur multæ materiæ, quæ pertinent ad immunitatem, & exemptionem ecclesiasticam; qua occasione examinantur multa Capita immunitatis & exemptionis ecclesiasticæ, Statutorum laicalium, negotiationis, naturæ & opificii bombycum, sacrarum censurarum, aliarúmque rerum necessariarum, antehac compendiosè Rimini edita anno 1691. & ibidem recusa, deinde magis aucta, & fusiùs deducta Bobii anno 1694.*

* *Bozzi, ô Bozzoli difeta.*

ANGELI de NUCE *Dissertatio Historica de Spirituali Casinensis Monasterii qualitate & origine.* Monasteria toto Christiano orbe constructa, regulariter in triplici classe censentur. Quædam enim sunt juris Episcoporum, & de Diœcesi. Quædam sunt in Diœcesi Episcopali, sed non de Diœcesi, nam exempta. Quædam denique præter exemptionem à jure Ordinarii, habent proprium & separatum Territorium, in quo sua subditis jura præscribunt, & hæc appellantur, & sunt nullius Diœcesis, eò quòd nec propriam habent Diœcesin, nec alienæ subduntur. Quòd autem ex privilegio à Diœcesano jure subducta sint, & quantumvis proprium & amplum obtineant territorium, non propterea Diœcesim ipsa constituunt ex cap. licèt 6. quæst. 3. ibi: *Territorium non facere Diœcesim olim noscitur ordinatum.* Casinensis autem Ecclesia in nulla prædictarum trium classe, propriè loquendo censetur: sed propriam atque separatam habet Diœcesim, éstque verus Episcopatus, quæ illi prærogativa propria est & singularis. Vide ANGELI NUCEI *Dissertationem*, seu *Excursum Historicum* in Notis ad Lib. I. Chronici Casinensis Leonis Marsicani p. 25. Tom. IV. Scriptorum Rerum Italicarum Lud. Ant. Muratorii, & Erasmi Gattolæ Chronicon Cassinense, ubi Privilegia & Bullas Summorum Pontificum copioso numero invenies.

Privilegia Regii Cœnobii Divi Vincentii Levitæ & Martyris, nunc S. Germani à Pratis nuncupati; quæ *Aimoinus* Historiæ suæ de Gestis Francorum inseruit, & *Jacobus du Breul* cum Archetypis priùs accuratè collata Notis haud contemnendis illustravit, & Parisiis an. 1602. vulgavit.

AN-

Antonius Yepesius, *Joannes Mabillonius*, *Lucas Dacherius*, aliique complures Privilegia Monasteriis in particulari, hinc inde speciali gratia à Summis Pontificibus, seculique Principibus concessa suis *Chronicis*, *Annalibus*, *Collectionibus* &c. inseruerunt. Quare non pretium modò operæ facturus, sed quàm optimè de Ordine Benedictino meriturus videtur, quisquis Sodalium nostrorum si non omnia, certè quidem eorum præcipua in Seriem, Catalogum, vel Bibliothecam colligeret. Quod quâ ratione fieri possit, exemplo celeberrimi in Helvetia Monasterii *ad Muros* ostendam (e), in cujus Privilegiis, non universis, sed aliquibus duntaxat adducendis, eam observabo methodum, ut primò Privilegii argumentum, tum initium, deinde finem commemorem, adjectis loci, temporísque annotatione, & subscriptionibus, nec silentio prætermissis libris & scriptoribus, in quibus integra, si lubet, videri possunt.

Diploma Henrici IV. Cæsaris pro Cœnobio Murensi, quo Bona & Privilegia eidem monasterio hactenus collata confirmantur. Incipit: *In nomine S. & individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus. Data IV. nonas Martii, indict. VII. anno Dominicæ Incarnationis MCXIV. regnante Henrico Rege Romanorum anno VIII. Imperante III. Actum est Basileæ in Christo feliciter, Amen.* Ex Originibus Murensibus pag. 20.

Bulla Innocentii IV. Papæ pro Cœnobio Murensi, cui à Pontifice omnimoda libertas contra quoscunque invasores asseritur. Incipit: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati monasterii S. Martini, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis. Datum Lugduni per manum magistri Marini Romanæ Ecclesiæ vice-Cancellarii sexto kal. Maji ind. V. an. Dom. incarn. MCCXLVII. Pontificatûs verò dom. Innocentii PP. IV. anno quarto.*

Bulla Julii Papæ II. quâ Johanni Abbati, ejúsque successoribus Pontificalium usus non modò in Muris, sed ubique locorum conceditur. Incipit: *Julius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni Abbati monasterii in Mure Ordinis S. Benedicti Constantiensis Diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo, IV. idus Julii. Pontificatûs nostri anno quarto.* Ex Dionys. Sammarth. Gall. Chr. Tom. V. in Instrum. p. 530.

Diploma Leopoldi primi Romanorum Imperatoris, quo Placidus Zurlauben Murensis Abbas & successores S. R. Imperii Principes declarantur. Incipit: *Nos Leopoldus divinâ favente gratiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus* &c. *Testamur nostro nostrorúmque* &c. *In horum firmamentum huic principali diplomati nostram Cæsaream auream Bullam scienter appendi fecimus, dato in nostra civitate Wienensi, vigesimo die mensis Decembris post salutiferam Nativitatem Christi Domini nostri & Salvatoris anno millesimo septingentesimo primo, regnorum nostrorum, Romani quadragesimo quarto, Hungarici quadragesimo septimo, Bohemici quadragesimo sexto.*

Atque in hunc modum quævis Congregatio Monasteriorum suorum Privilegia in unum syllabum congesta exhibere posset. Quæ res ad exactam Historiæ Benedictinæ cognitionem oppidò proficua & jucunda foret.

Ad hæc operæ pretium est scire, quænam Monasteria ab ipsa sui fundatione Sedi Apostolicæ subjecta, quænam, & quare immunitatem à jurisdictione episcopali petierint? quænam obtinuerint, quænam repulsam passa fuerint? Rem breviter illustrabo exemplis.

Vindocinense in Gallia Monasterium cùm fundationis tabulis, tum octo Pontificum Bullis id privilegii habebat, uni ut Romanæ Ecclesiæ subesset, ut testatur *Goffridus Vindocinensis* epistola XVIII. lib. V. Alexander II. verò S. Priscæ Ecclesiæ Titulum Presbyteri Cardinalis in monte Aventino Abbatibus Vindocinensis Monasterii, cum dignitate Cardinalitia concessit, ita ut quicunque legitimi Vindocini Abbates forent, iidem Romanæ Ecclesiæ hujus Tituli Cardinales essent, ut constat ex ejus epistola ad Ordericum Abbatem anno MLXII. scripta. Quod beneficium eidem Orderico Gregorius VII. confirmavit. Lege P. Sirmondum in Notis

(e) Cùm verò viri ingenui sit, profiteri, per quem profecerit, Cl. *Astingius* facem mihi prætulit in Clave Diplomatica in 4. edita Hanoveræ anno 1737.

tis ad Epistolam IX. Libri I. *Goffridi Vindocinensis* (f). *Brevnoviense*, vulgò *S. Margarethæ prope Pragam*, Regium, & in Bohemia antiquissimum Monasterium Joannes XV. Pont. Max. ad preces S. Adalberti, Pragensis Episcopi, Martyris, & Fundatoris sub immediatam protectionem, & jus B. Petri Ecclesiæ Romanæ recepit, atque ab omni jurisdictione, dominio & potestate Episcopi Pragensis exemit, & perpetuò liberavit. Vid. Epit. historic. hujus Asceterii typis an. 1740. excusam. *Cluniacense* Archisterium ab ipsa sui fundatione Sedi Apostolicæ subjectum fuit. Quam immunitatem ab episcopali jurisdictione *Petrus Venerabilis* Epistola XXVIII. lib. 1. vindicat. Cùm enim retulisset accusationes, quæ contra Cluniacenses circumferebantur, decimam septimam, quæ talis erat: *Contra totius orbis morem proprium habere Episcopum refugitis*: ita retundit: *Nos respondemus, istud veritati contrarium opposita fronte existere; quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo potest inveniri? .... Hæc ipsius sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas, nec unius tantùm, sed multorum Decreta inde apud nostram Matricem Ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo priùs eam possidenti auferrent, sed à Fundatoribus, qui eam in proprio allodio construxerunt, rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in æternum decernentes, pluribus hoc Privilegiis confirmârunt. Hoc non soli Cluniacenses obtinent, sed & quàm pluribus datum cernimus, & longè ante Cluniacum conditum multis aliis Monasteriis ab eadem Apostolica Sede concessum videmus.*

Monasterium S. Michaëlis in Periculo Maris ut se à molestiis, quas à Cuniberto Episcopo Taurinensi admodùm graves patiebatur, liberaret, immunitatem anxiè quæsivit. Discimus id ex Gregorii VII. Epistola LXIX. Lib. II. ad ipsum Cunibertum: *An ignoras*, inquit, *quòd sancti Patres plerumque & Religiosa Monasteria de subjectione Episcoporum, & Episcopatûs de Parochia Metropolitanæ Sedis, propter infestationem Præsidentium diviserunt, & perpetua libertate donantes, Apostolicæ Sedi, velut principalia capiti suo membra adhærere sanxerunt. Percurre sanctorum Patrum privilegia, & invenies ipsis etiam Archiepiscopis Officium, nisi ab Abbate vocatis, in plerisque cœnobiis facere prohibitum esse, ne fortè monastica quies secularium personarum frequentia & conversatione turbaretur. Hoc itaque ne & nos illorum auctoritate, & exemplo de præfato sancti Michaëlis Monasterio facere cogamur, nec vel tu, dum immoderata quæris, ea, quæ ex æquo tibi attinere videbantur, justè amittas, Apostolica te auctoritate monemus, atque præcipimus* &c. *Si deinceps Monasterio infestationes aliquas inferre pertentaveris, Nos Divina & Apostolica fulti auctoritate, ut monasterium illud cum omnibus suis pertinentiis in perpetua libertate consistat, ut nullius magisterio vel judicio post Deum, nisi sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditum, in proposito sanctæ Religionis sine laceratione Deo servire valeat, Deo adjuvante procurabimus.* Hæc Gregorius: ex cujus verbis liquet, Episcoporum gravamina, quæ monasteriis vel actu inferebant, vel quæ illaturi meritò metuebantur, fuisse rationem legitimam, cur Monachi privilegia Immunitatis à Jurisdictione Episcopali quærerent, ac postularent. Unde S. Anselmus ad Urbanum II. epist. 32. lib. 2. scripserat pro suo Beccensi monasterio: *Non enim ignotum esse puto vestræ Excellentiæ, quia plures Episcopi non tantùm gaudent Monasteria paternâ pietate nutrire, & episcopali cura erudire, quàm austerâ quâdam dominatione, & propriâ voluntate gravare.*

Ubi verò monasteria nihil molestiæ, nihilque gravaminis patiebantur ab Episcopis, & tamen immunitatem quærebant, à S. Bernardo summoperè improbatum fuit. Unde cùm celebre Monasterium S. Maximini juxtà Treviros ab Archiepiscopi *Alberonis* jurisdictione eximi, & Sedi Apostolicæ immediatè subjici petiisset, ægrè tulit S. Doctor, & Literas ab Innocentio II. pro ejus libertate & exemptione concessas veluti per subreptionem obtentas revocari postulavit epistolis CLXXIX. & CLXXX. *Adsit Dominus cordi Domini mei* [*Innocentii*] *ne iterùm possit ei subripi à Monachis, non tam (ut simulant) appetentibus libertatem, quàm fugientibus disciplinam.*

Etsi

(f) Confer etiam Petrum de Marca de Concordia Imperii & Sacerdotii lib. 3. Cap. XVI. col. 327. seq. ubi de Monasteriorum Exemptionibus, earùmque causis plura.

Etsi verò S. Bernardus ejusmodi Exemptiones Monasteriorum ambitione quæsitas improbaverit, illas tamen legitimas agnovit, quæ necessitatis aut utilitatis intuitu à Sede Apostolica concedebantur. Unde Lib. III. de Consideratione ad Eugenium Cap. IV. contra Ecclesiarum & Monasteriorum Exemptiones ita scribit: *Nonnulla tamen monasteria sita in diversis Episcopatibus, quòd specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione, ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum quis nesciat? Sed aliud est, quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.* Indigna vox illa fuit, quæ ex ore Abbatis cujusdam Malmesburiensis in Anglia excidisse fertur: *Viles sunt Abbates, qui potestatem Episcoporum non exterminant, cùm pro annua auri uncia plenam à Sede Romana possint assequi libertatem.* Unde Richardus Cantuariensis Archiepiscopus hac de re in suis ad Romanum Pontificem literis graviter his verbis conquestus est. „ Hæc ad aures Eminentiæ vestræ deferimus, quia pestis illa latissimè se diffundit: adversùs Primates & Episcopos intumescunt abbates; nec est, qui majoribus suis reverentiam exhibeat & honorem. . . . Detestantur abbates habere suorum excessuum correctorem, claustralisque militiæ jugum relaxant in omnem desiderii libertatem. Hinc est, quòd monasteriorum ferè omnium facultates datæ sunt in direptionem: nam abbates curam carnis in desideriis agunt, non curantes, dummodò lautè exhibeantur. Claustrales verò quasi acephali otio vacant, & vaniloquio. . . . Hæc omnia reverende Pater, vestræ correctionis judicium postulant tempestivum. Verendum enim est, ne sicut Abbates ab Episcopis, ita Episcopi ab Archiepiscopis, & à Prælatis suis Decani, & Archidiaconi eximantur. Et quæ est hæc forma justitiæ, prohibere, ne discipuli magistro consentiant. . . . & armare filios in patres. . . si auderemus dicere, quod sentimus: cùm ex officio justitiæ reddatur unicuique, quod suum est: non multùm Romani Pontificis justitiam promovet, si alicui in alienam injuriam beneficium confert. . . . Scimus equidem, quod ob quietem monasteriorum, & episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserunt. Verumtamen in contrarium res versa est: monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis adepta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt. „ Hæc ille (g); ex quibus intelligi datur, id genus exemptiones plus Abbatibus, quàm Monachis favere: unde his author existere nolim, ut, nisi ab Episcopis Monasteria graviter premantur, immunitatem ab eorum jurisdictione quærant; quia, si necesse sit, facilior plerumque ad Episcopum, quàm Papam datur recursus. Nec credo, quòd, si gravamina sua Romam deferre velint, à suis Abbatibus pingui viatico, quò Romanum iter conficere possint, donandi sint. Verùm cùm hoc argumentum sit res admodùm delicata, nolo plura: in utramque enim partem prolixè disputari potest. Superiore Seculo Ordo S. Benedicti in Germania falsò insimulatus fuit, de quæsita omnimoda exemptione. Vide Romani Hay *Astrum Inextinctum Qu. est. VI.*

Nec illæ omittendæ sunt Pontificiæ Bullæ, tametsi sacro Ordini non admodùm favorabiles, vi quarum vel monasteriorum privilegia antiquata, vel ipsa monasteria ab Ordine avulsa penitus, vel ad alios Religiosos translata, vel secularizata, vel Episcopatibus incorporata fuerunt. Sic Benedictinis e. g. parùm favorabile fuit

Innocentii II. Privilegium, quo Immunitas à decimarum solutione Cisterciensibus concessum fuit. Monachi decimas ecclesiasticas ex Episcoporum concessione possidebant Seculis XI. & XII. & ex restitutione à Laicis, qui illas olim usurpaverant, Monasteriis facta, Ecclesia approbante. Huic possessioni renuntiârunt Cistercienses, ut constat ex Cœnobii Cisterciensis exordio à S. *Stephano* Cisterciensi Abbate edito cap. xv. Ut Cistercienses verò decimas possidebant nullas, ita immunitatem à decimarum solutione concessit Innocentius II. Pontifex Maximus omnibus novi Ordinis Monasteriis: quo de Privilegio graviter conquestus est *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis apud eundem Pontificem, & apud Aymericum S. R. E. Cardinalem, & Cancellarium epistola xxxiii. & xxxiv. libri I. maximè quòd interdicti sententiam in Gigniacense Monasterium

(g) In Alfordi Annalibus Tom. IV.

Cluniacensis Congregationis ob decimarum repetitionem de *Miratorio* Cisterciensis Ordinis Pontifex promulgâsset. Cum Abbatibus etiam Cistercii in Capitulo Generali congregatis ea de re Petrus expostulavit ep.xxxvi. & xxxvii. ejusdem libri. *Patrum*, inquit, *temporibus*, *Decimas non tantùm Laici*, *sed Ecclesiæ Ecclesiis*, *Monasteria Monasteriis*, *& de rusticorum operibus*, *& de propriis laboribus persolvunt. Si igitur horum metas exceditis*, *quid nisi maledicis detrahendi occasionem datis? Sed de lucro res agitur. Quod certè, quod lucrum putatur*, *ubi & fama læditur*, *& caritas periclitatur? Nam (ut quod verum est, Fratribus & amicis fatear) hoc uno verbo, velut uno jaculo*, *amicorum pariter & æmulorum pectora terebrâstis*, *& Episcopos*, *Clericos*, *Abbates*, *Monachos*, *ipsos etiam*, *ad quos pervenire potuit*, *Laicos adversùm vos unanimiter concitâstis. Nec potuit Satanas nequitiæ suæ utilius invenire consilium*, *quàm ut eos*, *quos mundus admirabatur*, *ne admirans imitaretur*, *notâ cupiditatis inureret*, *& alios læsionis suæ dolore stimulatos ab eorum amore revocaret*. His verò literis nihil profecit. Quin etiam Papa Cluniacensibus, cùm ea de re Cisterciensibus litem intendissent, excommunicationem comminatus est, nisi intra 40. dies desisterent. Et tamen Cluniacenses pro Innocentio contra Anacletum Monachum Cluniacensem in electione tam ancipiti steterunt, qui in amplissima Congregatione magnas ei turbas, si libuisset, dare potuissent. Intereà ab Innocentio animum magis gratum exspectaverant.

Bulla Martini V. quâ statum monasticum in Monasterio S.Albani Moguntiæ in secularem an. 1419. convertit. Credidit Pontifex, inquit Trithemius, Monachis pro veris falsa narrantibus, & indulsit postulantibus narratione deceptus, quod negâsset indubiè, si cognovisset veritatem. Omnium itaque primi apostatantium ab Ordine sacro Monachorum post Constantiense Concilium Abbas & Monachi fuerunt S. Albani ex malis Claustralibus facti Canonici pejores. *Trithem. Chron, Hirsaug. p.* 359. Bulla verò à Georg. Christ. Joannis publici juris facta est in additionibus ad Tom. II. Rer. Moguntiac. p. 920. seqq.

Bulla Julii Papæ II. translationis Monasterii Murhardensis in Wirtenbergia, *Sueviæ Ducatu*, *ab Ordine Benedictino.* Præstat hac de re audire Trithemium, ita scribentem: „ Triennium est, quòd simia intecta, & „ bellua coronata, regularis obser„ vantiæ temerarius, & pertinacissi„ mus osor, detestator, & blasphe„ mator Abbas Cœnobii nostri Mur„ hardt, Herbipolensis diœcesis, vo„ lens præcedere Monachos in apo„ statando ad infernum, habito cum „ eis pravitatis diabolicæ consilio „ unanimiter concluserunt, ut Cam„ bergensium exemplo & aliorum si„ milium recederent ab Ordine. Mi„ serunt ergò Priorem suum Conven„ tualem ad Curiam Romanam, qui „ Bullam translationis ab Ordine *fal*„ *sis narrationibus*, ut cæteri similes, „ à Julio Papa II. impetravit. Res „ acta innotuit Udalrico Duci Wir„ tenbergensium, Defensori Mona„ sterii, qui zelo Dei motus & Ordi„ nis, Bullam impetratam subdolè, „ atque repositam in Augusta Civita„ te Rhætiorum apud Bavaricos præ„ ripuit, & impiorum conatus magno „ fervore penitus impedivit. Com„ prehensum quoque Priorem, qui „ Bullam impetraverat, posuit in car„ cerem, in quo pretium recepit, „ quod meruit. Abbas verò, agente „ eodem Duce, per duos Abbates „ Ordinis nostri, Laurentii Episcopi „ Herbipolensis Commissarios deposi„ tus, & cum reprobis Monachis „ procul foras eliminatus fuit. In „ quorum locum introducti sunt Fra„ tres de Lorch, qui vitam & obser„ vantiam profitentur, & custodiunt „ regularem. Utinam (exclamat „ *Trithemius*) sic fecissent Episcopi & „ Principes supradicti, sub quorum „ dominio tot Ordinis nostri Mona„ steria sunt translata, essent procul „ dubio in suis conscientiis tutiores „ coram Deo, si reformâssent ea per „ Monachos bonos, quàm quod ma„ los in Canonicos transire permise„ runt. Ita Trithem. in Chron, Hirs. ad an. 1497. pag. 567.

Bulla Clementis VII. Papæ, quâ Weissenburgensis Ecclesia ex Abbatiali in Præposituram secularem anno 1524. commutatur. Erat autem hoc Monasterium O. S. B. exemptum & Imperiale dictum, & quidem ex quatuor illis sacri Romani Imperii Abbatiis, Ducali dignitate conspicuis, in hoc videlicet præcipuo jure consors, & socium Fuldensis, Campidonensis, ac Murbacensis Abbatiarum, quarum Abbates Carolus IV. Imperator

tor Principes inter voluit annumerari, & habere jus sententiæ in Comitiis Imperii. Vid. Dionys. Samarth. Gall. Chr. Tom. V. col. 741. Bullam verò Clementis in Append. ad Instrum. Eccl. Spirensis col. 533.

Bulla Pauli III. quâ, petente Carolo V. Romanorum Imperatore, eodémque Flandriæ Comite, Abbatiam S. Bavonis in Urbe Gandavensi secularizavit, nomen ac titulum Monasterii O. S. B. ac dignitatem Abbatialem antiquavit, & statum regularem in statum Canonicorum secularium commutavit, Bulla data anno sui Pontificatûs secundo, nono Cal. Aug. *al.* Calendis: qua de re versus hic chronographus:

VInCVLa sVnt Petro, MonaChos qVæ VInCVLa toLLVnt.

Quæ Bulla subinde Diplomate Imperiali dato Genuæ die 18. Octob. ejusdem anni exsecutioni mandari jussa est. Extat inter Instrum. Gall. Chr. Tom. VI.

Bulla Pii Papæ IV. quâ nnit & annectit Abbatiam Affligemiensem, O. S. B. totius Brabantiæ facilè principem, cum Archiepiscopatu Mechliniensi in dotem mensæ archiepiscopalis l. c. col. 437.

Bulla Clementis VIII. quâ ad instantiam Guilielmi quondam Bavariæ Ducis Cœnobium Bavariæ Benedictinum *Ebersperg* nominatum, Collegio Societatis Jesu Monacensi univit. Utrùm verò hujus translationis impetratio fuerit sub- & obreptitia, legi potest R.P. Romanus Hay in Horto Crusiano pag. 338. seq.

Denique & illi Scriptores recensendi sunt, qui calamum strinxerunt, ut eos repellerent, qui Privilegia Benedictinis Monasteriis concessa infirmare, vimque iis inferre moliti fuerunt.

ABBONIS Floriacensis Abbatis & Martyris à Vasconibus A. C. 1004. die 13. Novemb. interfecti *Apologeticus ad Hugonem Francorum Regem pro immunitatibus Monasterii Floriacensis.* Extant fragmenta apud Aimoinum in vita Abbonis cap. 8. & 9. Integer hic Apologeticus prodiit ad calcem Canonum Ecclesiæ Romanæ è Bibliotheca Pithœi. Parisiis an. 1687. in fol. p. 395. Vide etiam Alex. Nat, Hist. Eccl. Tom. VI. Sec. X. cap. 3. pag. 69.

Anno 1657. *Joannes Launoius* Parisiensis Theologus & Criticus severus Scriptum publicavit, in quo asserere nullus dubitavit, à se falsitatis convictum esse Privilegium illud, quo Monasterium S. Germani Pratensi, à jurisdictione Episcopi Parisiensis exemptum Sedi Apostolicæ immediatè subjicitur, iisque gaudet juribus, quæ id genus privilegio annexa esse consueverunt. *D. Robertus Quatremaires* è Congregatione S. Mauri opposuit anno 1658. prolixam Dissertationem sub epigraphe: *Privilegium San-Germanense propugnatum contra Joannis Launoii inquisitionem in* 8. Quam verò non ipse Launoius tantùm, sed etiam, quod viris eruditis admirationi fuit, Dominus *du Hamel*, Cancellarius Ecclesiæ Bajocensis confutare aggressi fuerunt. Unde P. *Quatremaires* novam lucubrationem in lucem exire jussit, cui titulum dedit: *V. V. C. C. Joannis Launois Doctoris Parisiensis, & Joannis Baptistæ Hamelii Ecclesiæ Bajocensis Cancellarii Paradoxa Domnus Quatremaires* recensebat. Prælo fuit subjecta apud Ludovicum Billainium.

LUDOVICI BULTEAU è Congreg. S. Mauri *Regalis Ecclesiæ sancti Germani à Pratis jura brevi compendio propugnata. Eadem jura ex demonstrato S. Ludovici Regis Gallorum postremo anno, mense & die iterùm propugnata, Et Joannis Launoii ac Joannis Baptistæ Hameli Paradoxa.* Paris. 1668. in 4. Hujus Operis in tres partes distributi author P. Quatremairius fuisse perhibetur, sed erroneè, à Jacobo le Long. in Bibl. Histor. Franc. cùm illud tantùm Gallicè verterit, Vid. le Cerf pag. 420.

Privilegium S. Medardi Suessionensis Abbatiæ propugnatum. in 8. Parisiis anno 1657. sumptibus Dionysii Bechet & Ludovici Billaine. In Opere hoc P. Quatremaires duos metuendos Criticos David Blondellum & Joannem Launoium, quorum prior erat hæreticus, alter verò habitus fuit pro Catholico, ut malignè Quatremairius dicere solitus erat, memoratum privilegium à B. Gregorio Magno collatum inficiantes revincere annititur. Vide le Cerf pag. 421. Confer tamen etiam Petrum de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 3. cap. 16. 327.

ÆGIDII KIBLER, Andecensis, Privilegia forum pœnitentiæ concernentia, concessa ab Innocentio XI. Congregationi Benedictino-Bavaricæ per communicationem cum Congregatione Helvetica, & ab Innocentio XII.

XII. per communicationem cum Congregatione Casinensi. Typis Joannis Lucæ Straubii an. 1693. in 12.

VIRGINII ALVISET Lerinensis Benedictini Opus de Privilegiis Ordinum Regularium, & in specie de Privilegiis Ord. S. B. Campidonæ 1679. in 4.

ANGELI MARIÆ QUIRINI S. R. E. Card. Epistola ad Abbatem Principem Campidonensem, in qua celebrat Privilegium eidem Abbati concessum consecrandi Ecclesiam Campidonensem. Novum est hoc Privilegium nulli alteri Abbati Ordinis S. B. unquam concessum. Indulsit illud P. M. Benedictus XIV. Extat Em. Quirini Epistola Decade V. Epistolarum ejus.

§. XIII.

Scriptores Historiæ Literariæ Benedictinæ.

HÆc cùm sit vel *universalis*, vel *particularis*, vel *singularis*, dispiciendum hîc, quinam extiterint Scriptores, à quibus earum unaquæque literis fuerit consignata.

Et quidem *Universalis Historiæ Literariæ Benedictinæ* Scriptorem planè nullum habemus. Quis enim est, qui de omnibus viris doctis, eorum studiis, libris, scholis, ac Mœcenatibus egerit? quis est, qui de scientiis, disciplinis, atque artibus, quas vel docuerunt, vel edocti fuerunt, tractaverit? quis est, qui omnium Benedictinorum scripta, codices, & Bibliothecas criticè recensuerit? Planè hactenus nemo unus; nisi fortè quis dicat, Joannem Trithemium, Petrum Wagnerum, Arnoldum Wionium, Carolum Stengelium (h), Joannem Mabillonium Scriptorum Ordinis S. Benedicti texuisse Catalogos. At enim quàm imperfectè ac incompletè, audiendus est vel ipse doctissimus Mabillonius, qui ad Tomum I. Annalium Benedictinorum his verbis pro eximio suo candore præfatus est: *Peculiarem quoque commentarium postulant Ordinis nostri Scriptores, ex quibus præcipuos quidem in his Annalibus debito non defraudavi honore: at singula eorum recensere opera, & à genuinis dubia & spuria secernere, res nimiùm fastidiosa fuerit: quod quidem in peculiari de Scriptoribus Benedictinis opere rectiùs & opportuniùs à quodam è nostris præstari poterit.*

Occupavit nostra ætate pulcherrimum hoc factum, neque ad fastigium tamen perduxit Cl. *Bernardus Pezius*, Bibliothecarius Mellicensis, qui Bibliothecam Scriptorum Ordinis S. Benedicti, quam multis ante annis scribere aggressus erat, anno millesimo septingentesimo trigesimo quinto immortuus imperfectam reliquit. Utinam vir de re literaria Benedictina optimè meritus non nisi re perfecta calamum cum vita posuisset. Quæ verò in eadem conscribenda pollicitus fuerit, ex subjecta epistolæ encyclica ad omnes Ordinis Sodales, in quâ Operis exhibetur delineatio, cognoscere licet.

Admod. Reverende, Religiosissime, ac Clarissime Domine.

„SIquem, apud Te, Admodùm Reverende, ac Clarissime Domine, favorem merentur ii, qui ad illustrandam quoquo modo Rempublicam Literariam sua studia conferunt; æquissimum profectò est, ut eos præcipuo quodam amore complectaris, qui ad domesticam gloriam, avitáque Benedictini nostri Ordinis amplificanda decora omni cogitatione, curâ, & studio incumbunt. Hos inter & me esse voluêre summè honorandi Superiores mei, qui majori Divinæ gratiæ, quàm virium mearum, certè perexilium ratione habita, mihi dudum provinciam detulêre scribendi *Bibliothecam Benedictinam Generalem*, quâ omnes Ordinis nostri Scriptores, quotquot à Sanctissimo P. Benedicto usque ad hanc ætatem ubivis gentium floruere, recenserem. Immensum sanè, ac propè infinitæ molis opus, si argumenti amplitudinem, majorum in consignandis suis rebus incuriam, Monasteriorum fata, Bibliothecarum conflagrationes, & expilationes, regnorum locorúmque intervalla, perpetua bella, & alia id genus sexcenta impedimenta spectes. Nihilo tamen minus, quæ Numinis præsentia fuit, tot inter rerum certamina difficultatésque eò jam Opus improbo scilicet labore perductum est; ut saltem post unius biennii spatium typis integrum commendari, vulgaríque poterit.

„ Nimirùm singularis, nulláque non laude efferenda humanitas, quâ „Reli-

(h) Carolus Stengelius in Syllabo suorum Operum testatur, à se fuisse perfectam *Corona Lucida partem secundam de Scriptoribus Ord. S. Benedicti.*

„Religiosissimi multorum Monasteriorum Præfecti, ac eruditi Sodales suorum Scriptorum Catalogos ardentissimè cupienti opportunè miserunt, designatum Opus non tantùm factu possibile (quod non pauci negaverant) sed etiam facile ac perexpeditum reddidit. Hinc etiam factum, ut cùm horum ope incredibilis quædam nostrorum Scriptorum vis, ac numerus in meos commentarios jam dudum confluxisset, typos sæpiùs & seriò circumspexerim. Denique prodiisset pridem Bibliotheca Benedictina in lucem, nisi eruditorum virorum consilia intercessissent. Hi enim, cùm viderent perquàm multa superesse Monasteria, eáque à Viris doctis longè celeberrima, à quibus adbuc nulla Scriptorum nomina consecutus essem, magis de interpellandis iterùm, iterúmque Religiosissimis illorum Moderatoribus, implorandáque horum ope, quàm de meo edendo Opere, utpote magnam partem imperfecto cogitandum esse statuerunt. Quorsum, ajebant, tanta properatio? num *Appendicibus*, *Supplementis*, *Addendisque*, quæ nunquam non præcocibus editoribus pœnitentiam, lectoribus molestiam, omnibus demùm perpetuò hærendi, errandíque occasionem, certè metum afferunt, delectarer? Sat citò, si bene. Nonnisi imprudentes, & rerum imperitos fore, qui longiorem in publicando tanti laboris Opere moram indignè ferant, & exprobrent. Ita viri eruditi non pauci; quorum consiliis, vocibúsque permotus editionem tantisper distuli, háncque tertiam epistolam encyclicam adornavi, quâ Te, Admodùm Rev. ac Clarissime Domine, reliquósque omnes Ordinis nostri Sodales ad conferendas, quibus opus est, symbolas humanissime invitare studui. Quas, ut certiùs consequar, non erit abs re, hîc quandam universi Operis ichnographiam, seu, ut vocant, Conspectum exhibere. Inde enim eruditi Sodales nostri nullo negotio intelligent, quid illud sit, quod tantoperè flagito, quóque obtento Bibliotheca Benedictina omnibus numeris absoluta in publicum prodire poterit.

Conspectus Bibliothecæ Benedictinæ Generalis.

„Bibliotheca Benedictina Generalis in tredecim secula distribuitur, totidem nempe, quot ab exortu Ordinis ad hanc ætatem sunt. Cuilibet seculo Dissertatio de statu Literarum, Liberalium Artium, Disciplinarúmque eo tempore in Ordine nostro præfigitur. Ibidem de insignioribus fidei controversiis, quibus nostri Scriptores plerumque implicati fuere, de studio, & industria Scribarum, seu librariorum, de artificiis à nostris aut inventis, aut excultis &c. agitur.

„ Scriptores Benedictini omnes ordine chronologico recensentur, ita, ut ille reliquos antecedat, qui prior diem suum obiit, si de hoc constet. Aliàs ratio temporis habetur, quo quisque floruit, & inclaruit. Quòd si qui sint, quorum ætatem ne probabili conjectura quidem assequi licet, ii ad calcem universi Operis ordine alphabetico collocabuntur. Sanctissimus Patriarcha Benedictus, tanquam conditor nostræ gentis, honoris causa primum locum obtinet. Paucis: quam viam celeberrimus Joannes Mabillonius in referendis *Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti* iniit, hanc nos, quoad licet, in exhibendis Scriptoribus tenemus. Hinc etiam dabimus operam, ut Bibliotheca hæc eâdem formâ typis excudatur. Sanè si doctissimi nostri è Congregatione S. Mauri Sodales Acta Sanctorum à Mabillonio cœpta, eadem methodo usque ad hæc tempora (neque enim unquam Viri Venerabiles, pietatéque illustres fœminæ nobis defuerunt) continuabunt, illa nostræ Bibliothecæ conjuncta, intra justum voluminum numerum, seriémque percommodam repræsentabunt, quidquid de nostrorum hominum sanctimonia vitæ, ac doctrinarum studiis, præcipuis nimirùm Ordinis nostri capitibus nôsse operæ pretium fuerit; Ordo & distributio hæc eo etiam nomine Viris eruditis placuit, quòd ortum, incrementum, decrementum, & instaurationem Literarum in Ordine nostro, per se, ac clarissimè indicet. Ne tamen Lectoribus in inquirendis Scriptoribus singulis ulla molestia creetur, fat copiosi, & probè instructi quà singulares, quà generales Indices ad cujusque voluminis calcem comparebunt.

„ Dum Scriptor aliquis proponitur, nomen, prænomen, cognomen, patria, parentes, locus Professionis, magistri, discipuli, amici, studia, peritia linguarum, munera gesta, casus, judicia eruditorum de iis homi- „num,

„ num, annus, diésque nativitatis, obitúsve, & alia hujusmodi, quæ ad vitæ historiam attinent, memorantur, pauciotibus verbis in iis Scriptoribus, quorum res aliunde sat notæ sunt, pluribus vetò in iis, de quibus admodùm pauca constant. Optandum, ut hæc Scriptorum elogia secundùm chronologicam vitæ seriem semper contexi possent ad eum ferè modum, quo Guilielmus Cave in Historia Literaria Scriptores Ecclesiasticos celebravit. Scriptoribus nostris accensentur etiam Anonymi, Musici, Pictores, & cujuscunque generis insignes Artifices.

„ Vitis, seu elogiis Scriptorum illicò subjicitur Catalogus Operum, tam typis editorum, quàm manuscriptorum, additò locò, tempore, forma editionis, ac nomine Typographi. Præcipua quadam diligentia notantur editiones Gothicæ, quas quidam vocant, seu illæ, quæ ab anno 1443. ferè usque ad annum 1500. procuratæ fuêre. Si Opus manuscriptum duntaxat sit, præter titulum innuitur etiam locus, ubi hodie servetur. Cúmque gratissimum eruditis sit, si Librorum MSS. initia exscribantur, id nos sedulò agimus, & ut ab amicis etiam agatur, obnixè rogamus. Immò si quæ gravioris argumenti Opera hactenus inedita, & ante annum 1500. conscripta nobiscum communicata fuerint, ea ad singulorum voluminum calcem edere decrevimus. In Catalogis Operum nihil penitus à nobis prætermittitur, utut de se leve quibusdam rerum minùs peritis videatur, maximè si ante annum 1500. vel 1600. scriptum fuerit, qualia sunt brevia Monasteriorum Chronica, Vitæ Cœnobitarum, Collectiones Donationum, Chartarum, Privilegiorum &c. quæ in Archivis plerumq; delitescunt non sine gravissimo Rei Literariæ, præsertim Historiæ Ecclesiasticæ detrimento.

„ Ecce Admodùm Rev. ac Clarissime Domine! Hæc ferè ratio & facies est Bibliothecæ nostræ Benedictinæ, ad quam splendidiùs adornandam, si opem ferre, Tuóque exemplo reliquis Tuis Sodalibus, aliísque cujuscunque Ordinis, aut statûs eruditis viris hortamento esse volueris, erit profectò, cur Tibi amplissimas gratias non ego modò, sed universus Ordo, immò totus eruditus Orbis aliquando agat, & referat. Nec modus „ mihi gratificandi admodùm difficilis erit, si ad subjuncta præcipua precum mearum capita nonnihil attendere dignaberis.

„ Primum, quod demississimè rogem, est; ut Reverendissimi DD. Abbates, vel Priores in suis Monasteriis unum & item alterum ex doctissimis Dominis Capitularibus seligant, qui domesticam Bibliothecam, & Archiva diligenter, accuratéque perlustrent, indéque nomina eorum Concapitularium, qui aliquid literis commendârunt, aut typis commiserunt; item titulos Operum, aut si tituli allegorici, perplexiorésque sint, etiam eorum argumenta, vitam Scriptoris, & cætera, quæ suprà in Conspectu exposui, eruant, & mihi transmittant.

„ Alterum est, ut in singulis Monasteriis conficiantur accurati Catalogi omnium Operum tum typis vulgatorum, tum manuscriptorum, à Benedictinis Authoribus Nigris, cujuscunque Monasterii fuerint, conditorum, quæ exstant, & habentur in domestica Bibliotheca, & privatis Religiosorum cubiculis, non omisso anno, forma editionis, aut nomine typographi. Res hæc nec gravior paulò, nec admodùm multarum horarum erit, si plures Domini Capitulares junctis operis, Bibliothecæ perlustrationem in sese suscipere non dedignabuntur. Nonnihil majoris operæ fuerit evolutio, & perlustratio (nam tituli & rubricæ è tergo extantes plerumque fallunt, nec omnia contenta indicant) Codicum manuscriptorum, qui scripturæ difficultate negotium facessunt. Sed cùm hi vulgò non adeò copiosi sint, nec ullum ferè Monasterium esse putem, in quo non unus aliquis reperiatur, qui veteres Codices, saltem quod satis sit, legere noverit, aut alium eruditum, hácque in re versatum virum ad manum habere possit, votis meis facillimè poterit satisfieri. Id minùs expertos hîc paucis moneo, ne mox pro auctore Operis habeant illum, qui ad ejus finem suum nomen adscripsit, hoc, vel simili modo: ***Explicit per manum Rudberti Monachi: finivi in Dei nomine: hunc librum scripsit Fr. Joannes, hujus loci monachus &c.*** nisi enim aliud ad hæc argumentum accesserit, ea verba nequaquam autorem & Compilatorem, sed scribam, seu librarium indicant. Sed hæc adolescentioribus nostris Sodalibus, non „ viris eruditis, à quibus ipse docen-

„ dus

„dus sum, scripta sunto. Jam verò sic confectos, & instructos Catalogos, si accepero, non potero non in uberrimam nostrorum Scriptorum cognitionem venire, atque adeò Bibliothecam procudere, qualem Viri docti optant, & exspectant. Non deerunt quidem, qui itinera, Bibliothecarúmque exterarum perlustrationem à me ipso suscipienda esse reponent, nec id sanè malè; verùm cùm hoc nec semper, nec ubique locorum (nam in non paucis Monasteriis eo labore me defunctum amici non ignorant) fieri possit, restat, ut alienis quoque manibus, & oculis utar. Certè pro adeò insigni erga me benevolentia, & favore gratum, memorémque animum præstabo, inserámque Operi meo accuratum syllabum eorum omnium, qui laboranti mihi suppetias tulerunt, aut quoquo modo majorum nostrorum nominibus à tenebris & oblivione vindicandis adlaborârunt.

„ Atque hæc pauca sunt, quæ insigni Tuo, Admod. Rev. ac Religiosissime Domine, patrocinio commendanda, & promovenda videbantur. Porrò Literæ & Catalogi ad me mittendi tutissimè Mellicium perferentur, si hæc inscriptio adhibita fuerit: *Patri Bernardo Pez Benedictino Mellicensi & Bibliothecario.* Et infrà: *Mellicii,* vulgò *Mölck in Oesterreich*, vel sic: Viennæ Austriæ *in Mölcker-Hoff.* Cæterùm nullus dubito, quin tantò benevolentiorem Te, faciliorémque mea epistola habitura sit, quanto luculentiori desiderio Tuum religiosissimum pectus jam dudum ardet, nobilissimum illum Benedictinorum exercitum videndi, quorum doctrina & eruditio tantam Ordini nostro gloriam peperêre. Intereà ut Deus Ter Opt. Max. cujus gloriam hîc ante omnia specto, Te Clarissime Domine quàm diutissimè sospitem, incolumémque conservet, ex animo precor. Dedi in Exempto Monasterio Mellicensi die mense anno. „

Hæc Eruditissimus Bernardus Pezius. Sed plerumque fit, ut cùm honestissima de re literaria bene merendi cupiditate simus incensi, plura promittamus, quàm posteà præstare possimus. Utinam vir doctus charissimo suo Germano Fratri *Hieronymo Pezio* aures præbuisset. Sæpiùs hic ei author extiterat, ut missis aliorum regnorum ac provinciarum Scriptoribus Benedictinis, eorum solùm, qui in Germania claruerunt, adornaret Bibliothecam: sic enim fore, ut quod opus moliretur, vires ejus non exsuperaret, certè quidem non exhauriret, ipséque extremam eidem à se aliquando imponendam esse manum, haud vanè sperare posset. Sed cùm ille in sententia persisteret, morte inopinâ sublatus est. Ego tamen opinor, si quo tempore (annus erat millesimus septingentesimus decimus sextus) Pezius epistolam encyclicam vulgavit, cœpto operi insudâsset, quàm plurimos eum coacervare potuisse Scriptores, & meditatam Bibliothecam Generalem ad calcem perducere, aut partem certè quidem ejus non minimam, præsertim si adjutor ei aliquis idoneus se obtulisset. Sed nimis ille multis aliis lucubrationibus distrahi studia & vigilias suas est passus; non quòd quæ literis mandavit, usum orbi literario præstare non possint, sed quòd pleraque lucubrari ab ejus Cl. Germano Hieronymo Pezio, vel ab aliis Mellicensibus, ipso facem prælucente, in lucem edi potuerint. Nec tamen interea vir indefessæ industriæ destitit, quamcunque Scriptorum Benedictinorum notitiam undecunque comparare. Cùm autem ultimæ lineæ se admoveri sentiret, doctissimis sodalibus suis fuggerere non dubitavit, ut quem apparatum quatuor magnis thecis inclusum, post se relinqueret, ad RR. Patres Congregationis S. Mauri in Galliam transmitterent, cùm Mellicensium nemo sit, qui iis reconditæ eruditionis opibus, queis ad elucubrandam Bibliothecam Generalem opus habeatur, instructus, vestigiis suis insistere, illámque pro dignitate persequi possit. Ego verò Mellicensium (arbor enim est fœcunda Mellicium, cujus uno ramo avulso non deficit alter) plures esse credo, qui si Bernardum Pezium eruditione illicò assequi haud valeant, saltem quàm proximè sequi licet, ejus vestigiis strenuè insistere queant. Unde quam magnam sylvam pro adornanda Bibliotheca Benedictina Pezius congessit, minimè blattis ac tineis in pabulis asservatum, sed cum auctario insigni aliquando in lucem à doctissimis Mellicensibus prolatum iri omnino spem nutrire licet.

Historia Particularis est, In qua de Scientiis, Scholis, Viris doctis, Bibliothecis ac libris alicujus vel Monasterii, vel Congregationis singillatim agitur. Atque hîc etiam in gurgite vasto rari nantes apparent. Neque tamen nullos omnino

omnino esse dixerim, qui recenseri possint. Præprimis celebre habetur

PETRI DIACONI Monachi Bibliothecarii Sacri Casinensis Archisterii *De Viris Illustribus Casinensibus* Opusculum, quo is nihil aliud complectitur, quàm notitiam lucubrationum, morésque Virorum doctrina & eruditione insignium, hoc est, propria & immortalia Montis Casini ornamenta. Primus, qui hunc Petri Diaconi libellum è tenebris in publicam lucem deduxit, fuit *Joannes Baptista Marus* Romanus, S. Angeli in foro Piscium Canonicus, qui descriptum ex mſto Codice Bibliothecæ Barberinæ, unà cum Supplemento Placidi Monachi Casinensis, suisque Notis, edidit *Romæ* anno 1655. Tum recusus est liber in Bibliotheca Patrum Tomo XXII. pag. 345. *Parisiis* quoque anno 1666. ac demum in Bibliotheca Ecclesiastica à Cl. Viro *Johanne Alberto Fabricio Hamburgi* an. 1718. Novissimè an. 1725. inter Rerum Italicarum Scriptores Tomo VI. primum occupavit locum. Cæterùm Jo. Baptista Marus in præfatione ad lectorem obnixè precatur, ne miretur, si non cunctos noster Petrus Scriptores Casinenses, & omnes eorum, quorum meminit, lucubrationes recensuerit; præsertim cùm pedem è navigio ponere animus ei non fuerit; quod facilè dignoscimus è scriptis ejus, uti è vestigio Hercules: sed pro certo habendum, multa diversorum Scriptorum monumenta, superstite Petro, adhuc in diversis privatis Bibliothecis latitâsse, omniáque propterea legere, aut expiscari ex animi sententia non valuisse; maximè hominuem publicis, privatísque negotiis districtum, commodiori tempore omnes annotaturum. Et fortè, mi Lector, hæc minùs ad gustum tuum, en patrocinium! scias, quòd ab indiligentiæ crimine tueri eum possumus, non solùm exemplo, quòd neque *Trithemius*, aut *Pantaleo*, aut *Cornelius Callidus*, cùm de Germanis; neque *Sammarthanus*, cùm de Gallis, neque *Ferdinandus Matamorus*, cùm de Hispanis; neque *Folieta*, cùm de Liguribus, neque *Miræus*, cùm de Flandris, neque *Hebedjesu*, cùm de Chaldæis; neque alii, cùm de Civibus suis, aut sociis scriberent, omnes tunc simul complexi sunt; quos majori forsan adhibita diligentia, aut fortuna magis propitia complecti potuissent: verùm etiam sententia Varronis, qui ajebat, neminem reprehensum esse, qui stipulam reliquisset ad spicilegium; quod confirmavit Columella de re rustica: *In magna sylva*, inquiens, *boni venatoris est, feras indagare: quàm plurimas capere, neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse*, præsertim cùm munere suo quisquis bene fungitur, si avido Lectori famem utcunq; sedat, quamvis non penitus eximat. Et ut rem dicamus; si olim Civem unum servanti civica donabatur, quamnam coronam plectere debebunt musici omnes κιστοφόρω nostro Petro, dum non unius, sed plurium illustrium virorum nomina ab interitu vindicavit, thesaurósque elucidavit invisos? Uni sapienti notum est, quanti res quæque taxanda sit. Hæc *Marus*.

PLACIDUS ROMANUS Monachus & Diaconus Casinensis in *Supplemento* Virorum Illustrium Monasterii Casinensis Scriptores exemplo Petri Diaconi recenset. Auspicatus verò fuit à *Richardo* Casinensi Abbate & Cardinali, qui claruit anno 1256, finémque fecit in *Gregorio Cortesio*, Abbate Mutinensi, atque etiam S. R. E. Cardinali, qui editis præclaris Operibus obiit anno 1584. Optandum verò, ut ubi Placidus Diaconus desiit, alius Casinensis exordiatur, cùm ab eo tempore ad nostrum usque ævum viri quàm plurimi & doctrina & virtute conspicui ex celeberrimo hoc Archisterio prodierint.

Votum hoc explevit *Erasmus Gattola*, Cajetanus, Abbas sancti Mathæi Servorum Dei, & Casinensis Archivi Custos in Historia Abbatiæ Casinensis, Venetiis apud Sebastianum Coleti anno 1733. publici juris facta: in quâ cum cura recensentur Monachi, qui scientiis floruerunt, & Operibus in lucem emissis, quæ accuratè notantur, nominis famam consecuti sunt.

ANGELI de NUCE *Bibliotheca Casinensis*, quæ manuscriptorum, & aliorum Codicum Cassinensium notitiam exhibet, quam typis destinaverat, antiquæ eruditionis plenissima. Armell. Bibl. Benedictin. Cassin. part. I. p. 39.

REINERUS Monachus S. Laurentii Leodiensis sub annum 1182. claruit, & *de claris Scriptoribus sui Monasterii Libellos III.* conscripsit, quos Bernard. Pezius Thes. Anecd. Noviss. Tom. IV. typis vulgavit. Hi in Codice autographo hoc titulo prænotantur: *De ineptiis cujusdam idiotæ Libellus ad ami-*

amicum suum. Quæ inscriptio procul dubio ab ipso profecta Reinero insignis modestiæ, quâ auctor præditus fuit, perspicuo est argumento. In his verò libellis non eos tantùm Cœnobii sui alumnos, qui doctrina & scriptis claruerunt, celebrat, sed illos etiam, qui virtute ac pietate præ cæteris enituerunt, laudibus ornat. Unde hoc opusculum haud ab eo diversum, cujus §. III. hujus Sectionis meminimus, existimare licet.

GUILHELMUS GILLINGHAMUS à loco natalitio sic cognominatus, Monachus Anglus in Cantuariensi ad fanum Servatoris Cœnobio. A juventute sua bonarum artium cultor non indiligens. Matura jam ætate historiarum lectioni se dedit, & non tantùm jucunditate, verùm etiam utilitate allectus, uberes & sibi & posteritati fructus antiquorum res gestas secuturis seculis tradere, & exempla virtutum ad imitationem proponere posteris mirè gestiebat: quam operam suam in eo maximè collocandam judicabat, ut gentis gloriam illustraret, imò ut gratus alumnus Ordinis & Monasterii sui præclara facta referret, & posteris commendaret. Quod ubi præstitisset, opus adeò placuit, ut Abbati & Capitulo visum fuerit expedire, personas illustres, quas ille suis Scriptis celebraverat, in pulchris tabulis depingere, & ad Ecclesiæ parietes ornatûs causa celebrioribus diebus appendere, ut imperita multitudo, quæ scripta nesciret legere, ex virtutibus per imagines adumbratis aliquid rerum præclarè gestarum posset intelligere, & aliquem fructum ex imitationis desiderio capere. Scripsit autem Gillinghamus

De illustribus Ordinis sui Scriptoribus, Lib. un.

Claruit an. 1390. Pits. æt. 14. p. 552. & ante hunc *Joan. Leland* de Script. Angl. cap. CLXXXI. his verbis: *Gullelmus Gillinghamus* Monachus Cantuar. circa an. 1390. ita erga suos sodales optimè adfectus erat, ut tot, quot in Cantuariensi Ecclesia *Scriptores* aliquando floruerunt, in numerum colligeret, & sacrosanctæ posteritatis memoriæ commendaret. Placuit monachis Cantuariensibus Guilelmi insignis diligentia, qui & opus ab eo scriptum in tabulis rursus pinxerunt, ac columnæ, quâ chorus ecclesiæ Boream spectat, adfixerunt. Quâ ratione spectatorum in basilica ambulantium cùm oculos tum aures literarium pascebat monumentum.

EDUARDUS MATHEW, Anglus Benedictinus, typo vulgatis Congregationis Anglicanæ trophæis anno 1625. Remis, promissa dedit, se ejusdem Congregationis claros Scriptores in lucem editurum: queis tamen quò minùs subinde steterit, aut stare potuerit, causam ignoramus. Fallitur autem *Fabricius*, cùm Bibl. med. Lat. Lib. II. pag. 547. quatuor tomos de claris Scriptoribus Benedictinis ab Eduardo promissos asserit.

BERNARDI PEZII Bibliothecarii Mellicensis *Bibliotheca Benedictino-Mauriana*, seu *de Ortu, Vitis, & Scriptis Patrum Benedictinorum è celeberrima Congregatione S. Mauri in Francia Libri II. Augustæ Vindelicorum & Græcii apud Fratres Veithios.* In edendo hoc opere præprimis spectabat Author, nimirum ut suos in Germania Sodales ad eadem facienda adhortaretur. Qui sua alioqui studia ad San-Maurianorum imitationem vix component, nisi largiori tela & colore horum Opera viderint repræsentata. Quod tamen non eò accipi voluit, ut quidam inconsultè & temerè, cautione nequicquam facta publicè dicebant, ac si scholasticam, ut vocant, Philosophiam, Theologiam, aliáque ejus generis studia aspernaretur: verùm id duntaxat hic voluit: ut postquàm Philosophiæ ac Theologiæ Scholasticæ sat litatum fuerit, ad sacram Criticam, ad illustrandos Sanctos Patres, ad discutienda selecta Historiæ Ecclesiasticæ capita, ad eruenda ex pulveribus & umbris veterum authorum monumenta, & alia ejusmodi, in quæ San-Mauriani Socii tanto Ecclesiæ commodo, tantóque cum omnium doctorum hominum applausu incumbunt, majorem suarum curarum, ac studiorum partem in posterum traducant.

PHILIPPI le CERF è Congregatione S. Mauri *Bibliotheca Historico-Critica Auctorum Congregationis S. Mauri*, *in qua ostenditur, quis proprius eorum genius, quidve notatu maximè dignum ab iis fuerit gestum. Accedit accuratus Operum ab ipsis editorum Catalogus, & Generalis eorum, quæ in illis continetur idea.* Gallicè Hagæ in 8. apud Petrum Gosseum MDCCXXVI.

Utriusque Operis, *Pezianæ* & *Cerfianæ* Bibliothecæ censura habetur in *Bibliotheca Theologica Reimanniana* pag. 131. & 133. quam ut præ mea hìc adscribam, non desunt mihi rationes.

„R. D. P. Bernardi Pez Bibliotheca Benedictino-Mauriana Augustæ „ Vindel. 1716. Philippo Cerfio mul„ tis nominibus inferior est Pezius, si„ ve spectes auctorum descriptorũ nu„ merum, sive scribendi modũ. Pezius „ enim LXXV. tantùm adfert Virorum „ Eruditorum nomina; Cerfius CVIII. „ Pezius narrat, Cerfius judicat. „ Pezius aliorum ut plurimùm utitur „ verbis, Cerfius suis. Pezius indul„ get partium studio, Cerfius non „ ita. Pezius est morosior, Cerfius „ amœnior, dulcior, suavior, ube„ rior etiam & accuratior & liberalior. „ Nec Cerfium à Pezio adjutum esse „ crediderim, à quo ita abiit, ut ne „ vidisse quidem hanc Bibliothecam „ videatur. Cujus nec in præfatione, „ nec in Opere ipso ullam facit men„ tionem. Duo tamen sunt in Pezio, „ quibus superat Cerfium, I. Disser„ tatione Historica de ortu & pro„ gressu Benedictinæ Congregationis „ S. Mauri. 2. Appendice Anonymi „ Auctoris adhuc inediti de Scripto„ ribus Ecclesiasticis.

„ *Mr. Filipe le Cerf Bibliotheque Hi„ storique & Critique &c.* à la Haye „ 1726. Opus insigne, varium, poli„ tum, elegans, ab ariditate compi„ latorum & affectatione Pedantarum „ æquali intervallo distans, non sine „ præmorsis unguibus ab authore ela„ boratum: In quo de viris Congre„ gationis S. Mauri eruditis, eorum„ que monumentis, editis & inedi„ tis, fatis etiam & controversiis ac „ editionibus variis narrationes lectu „ dignissimæ; judicia etiam exquisi„ tissima, sine ira & studio à rebus & „ personis ipsis petita, ut vinum „ ipsum suspensæ hederæ præclarè „ respondeat, & Bibliotheca hæc, „ Historica & Critica dici omnino „ mereatur. Adde rerum ordinem, „ & orationis genus ornatum, neque „ id redundans tamen aut circum„ fluens. Et si quid in ea peccatum „ est, ut nihil est ab omni parte bea„ tum, hoc est potissimùm, quòd „ auctor interdum ea studiosè occu„ lit, quæ omnium minimè fuissent „ occultanda (ut p. 157. causam car„ ceris Joh. Gelii) & eos quandoque „ Catalogo eruditorum inserit, quorũ „ nomina securè poterat subticere, „ quod ipse p. 203. in Joh. Lironio „ culpaverat.„ Aliam recensionem, Scriptoribus è Congr. S. Mauri admodùm honorificam vide in Journali des Sçavans m. Octobr. anno 1726. pag. 626.

EDMUNDUS DURET Catalogum Scriptorum Congregationis suæ S. Mauri in Francia ad calcem Historiæ Monasterii S. Germani à Pratis anno 1723. Paris. in fol. impressæ subjecit. Nihil verò aliud continet, nisi nuda nomina Scriptorum, atque Operum, quæ typis exscribenda dederunt.

MARIANI ARMELLINI è Congregatione Casinensi Monasterii S. Petri de Assisio Abbatis *Bibliotheca Benedictino-Casinensis*, sive *Scriptorum Casinensis Congregationis*, aliàs S. Justinæ, qui in ea ad hæc usque tempora floruerunt, Operum ac Gestorum notitiæ. Partes II. Prima cum triplici Indice, Assisii anno 1731. typis Feliciani & Philippi Campitelli Fratrum, Pars II. ibid. anno 1732. typis Andreæ Squariglia. Mens auctori non fuit (i) celeberrimos quosque & egregios Viros, qui quolibet Seculo in Ordine nostro doctrina, ac pietate floruerunt, hoc in Opere recensere; sed eorum tantùm, qui tribus hisce postremis seculis, vel eò ampliùs, quibus Casinensis Congregatio subsistit, in ea claruerunt, Opera & Gesta describere. Quorum famæ perennitas sarta tecta ut pro virili servaretur, nec laboribus, nec vigiliis pepercit, notum omnibus, ac perspicuum se facturum sperans, quam literis navârint operam, quæ ingenii, ac virtutis specimina ediderint, quam morum sanctimoniam præsetulerint, quos honorum ac dignitatum gradus ascenderint, quos denique doctrinæ fœtus produxerint, tum ad Catholicæ Ecclesiæ defensionem, tum ad publicam, privatámque utilitatem, ac eruditionem. *Armellini* igitur Bibliotheca magno labore ac eruditione conscripta, digna omnino est, quæ nostrorum Sodalium manibus teratur, cùm non præstantis doctrinæ modò, sed morum etiam probatissima exempla, quibus eorum animi ad imitationem succendi queant, passim occurrant. Primas in ea habent Angelus Maria Quirinus, Bachinius, Laudatus, Tedeschus, Mariconda, Benaglia, Tansius, Gattola, Beretta, Valsecchius, Giudice, Sandius,

(i) lege Authoris Præfationem.

dius. Vid. Recensio Erud. Lipſ. in Novis Actis an. 1739. m. Dec. p. 673.

Bibliotheca Mellicensis, de cujus editione jam anno 1518. kal. Jan. in Novis Literariis Lipſienſibus hæc lecta fuerunt. „ Sperare nos jubet hoc ipſo, quem nunc ingredimur, anno R. P. Bernardus Pez, Benedictinus, & Bibliothecarius Mellicenſis, Ordinis non modò ſui, ſed univerſæ Germaniæ decus, *Bibliothecam Mellicenſem*, à *Bibliotheca Benedictina Generali*, opere dudum promiſſo, multorúmque votis expetito, omnino diverſam. Tribus ea folii forma juſtæ magnitudinis conſtabit Voluminibus; quorum primum accuratiſſimam exhibebit omnium Codicum Mellicenſium (MCC. numero) recenſionem, ſimúlque vitas, opera, & reliqua Monachorum Mellicenſium, aliorúmque doctorum hominum, qui ab anno ſupra milleſimum nono & octogeſimo ad hæc tempora Mellicii aliqua ſcribendi laude floruerunt. Alteram Voluminis partem occupabunt omnium ferè Auſtriacarum Bibliothecarum (inter quas plures ſunt Benedictinæ perquàm illuſtres) Catalogi Cod. MSS. ab ipſo collecti, ampliſſimáque Obſervationum ad rem literariam & hiſtoricam, aliáſque eruditionis partes facientium, & ex ipſis Codicibus ferè excerptorum ſylva illuſtrati: quibus accedent fortè MSS. in Bibliothecis Bojariæ & Sueviæ latentium Catalogi. Alter, & tertius Tomus complectentur rariſſima omnis generis Opera, nunc primùm à Viro doctiſſimo eruta, quæ inter comparebit integer ille eximii ſanè pretii Udalrici Babenbergenſis Codex, cum aliis ejuſdem conatis lucubrationibus haud proletariis. „ Atque hæc ſunt, quæ Cl. Bernardus Pezius anno 1718. ineunte ſperare nos juſſit, cùm biennio ante edita ab eo fuit *Epiſtola Encyclica ad omnia Ordinis Benedictini Monaſteria pro conferendis ſubſidiis Literariis, ſeu Scriptoribus Benedictinis ad ſcribendam Bibliothecam Benedictinam*, cum ejusdem Bibliothecæ inſtruendæ conſpectu. Hac Epiſtola ſpem Pezius injecit Bibliothecæ Benedictinæ Generalis poſt duos annos in publicum emittendæ. Sed Virum plura promiſiſſe, quàm præſtare potuiſſe, eventus docuit: illo enim anno 1735. è vivis erepto, neutra Bibliotheca in lucem data. Mirari tamen ſubit, à doctiſſimo Scriptore hæc promiſſa fuiſſe facta. An enim ei in comperto erat, ſe vitam ad octogeſimum vel nongenteſimum, ne dicam centeſimum annum eſſe producturum? neque enim minori temporis ſpatio ab homine uno tantas tótque tomis ampliſſimæ, comparatúque difficillimæ eruditionis comprehendendas Bibliothecas perfici pro dignitate poſſe res ipſa nos docet. Critico examine tam multorum Scriptorum libros diſcutere, quàm non ardua modò ſed diuturna res eſt? annui ſpatii operam ſæpè unius auctoris opera poſtulant. Quis igitur publico id genus Bibliothecas polliceri audeat, niſi qui eodem robore corporis, mentis vigore, memoriæ tenacitate ad provectam uſque ætatem ſe futurum credat. Indulgendum tamen Viro eruditiſſimo, quem ingens, quo ardebat, de Re Literaria, maximè Benedictina bene merendi deſiderium ad haſce pollicitationes Orbi Literario faciendas impulit & adegit. Ex parte tamen Bernardi Pezii fidem liberavit Martinus Kropfius Bibliothec. Mellic. typis vulgata *Bibliotheca Mellicenſi* ſeu Vitis & Scriptis inde à ſexcentis & eo ampliùs annis Benedictinorum Mellicenſium. Qui etiam Catalogum ſelectorum nonnullorum Manuſcriptorum addidit, & hic primum ex Bibliotheca MSS. Mellicenſi publicæ luci commiſit. Norimbergæ in 4. ſumptibus Jo. Pauli Kraus.

Ejusdem *Diſſertationes Iſagogicæ* in Tomos VI. Theſauri Noviſſimi Anecdotorum, quæ in unum corpus congeſtæ nomen parvæ Bibliothecæ Scriptorum diverſi generis ſortiri mererentur. In iisdem enim recenſentur primò divinarum literarum interpretes, tum Theologi, Patres, Aſcetæ, ac Philoſophi; deinde qui Chronica, Codices diplomaticos, Monaſteriorum hiſtorias, Sanctorum Vitas, Itineraria, aliáque monumenta Hiſtorica ſcripſerunt. Sunt illæ Diſſertationes nitida oratione, acri judicio, exquiſita eruditione conſcriptæ, ita ut Viris in Gallia, Germania, Italia erudıtiſſimis non laudatæ modò fuerint, ſed ſalivam etiam moverint, plura ejus generis de Scriptoribus Ord. S. B. in promiſſa Bibliotheca Benedictina quantocyus legendi. Quid plura? ut Pythagoram ajunt è modulo pedis, quanta corporis proceritate Hercules fuiſſet, con-

conjecturam fecisse; sic cuivis istarum literarum perito ex hisce Dissertationibus, quantus Pezius in Bibliotheca Benedictina Generali futurus fuisset, judicium ferre in proclivi erit.

Jodocus Mezlerus San-Gallensis *Scriptores* è Monasterio S. Galli recenset in libro de Viris Illustribus San-Gallensibus, de quibus suprà §. III. hujus Sectionis.

Joannes Egonius Scriptores Augiæ Divitis enumerat de Viris Illust. Aug. de quibus etiam l. c.

Petrus Antonius Tornamira è Congreg. Casin. *Scriptores Marianos* Ordinis Benedictini recensuit libro typis vulgato Panormi an. 1679. in 4.

Petrus Wagnerus, Cœnobita San-Udalricanus Augustæ Vindel. in Catalogo suo de Viris Illustribus Scriptores Benedictinos refert LXXXIV. ordine alphabetico, primum Albinum Alcuinum, atque ultimos Willeramum Fuldensem, & Wilhelmum. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. pag. 547.

De Scholis Benedictinis scripsere *Joannes Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, *Mathæus Weiß* in Lycæo Benedictino, *Joannes Mabillonius* Tractatu de Studiis Monasticis, & in Præfat. ad Acta Sanctorum Ord. S. B. præsertim Præfat. I. in Sec. IV. O. S. Ben. §. VIII. ubi legi poterit ejus Dissertatio Historica de Scholis Parisiensibus Palatinis, & Monasterialibus. *Corbinianus Kamm* Hierarch. Aug. Prodromo P. III. Regul. *Felix Egger* Lib. I. & II. Ideæ Ord. Hierarch. Benedict. *Anonymus Sanblasianus* Præfat. in Historiam Universitatis Salisburgensis, ubi præcipuè agit de Benedictinis Germaniæ Scholis. *Odo Cambier* Gerardimontanus, disertissimus Asceta, scripsit, teste Sandero in Chorograph. Sac. Brabant. Tom. I. pag. 49. Tractatum de veteribus Ordinis Benedictini Scholis.

In Bibliotheca Cottoniana asservatur MS.tum: *Qualiter*, & quando, & per quos Prioratus S. Benedicti Oxon. incepit, fundatur, & ordinatur, quod ordinatum erat in Capitulo Generali Benedictinorum celebrato an. 1290. sive de fundatione & dotatione Aulæ Glocestrensis Oxonii. Vid. Smith. in Catal. Bibl. Cotton. p. 30. Erat hoc Collegium pro juventute Religiosa Ord. S. B. ab Abbatibus Angliæ Benedictinis in Universitate Oxoniensi erectum, de cujus Statutis agit Clemens Rayner. in Append. ad Apostolat. Benedictin. in Anglia.

HENRICI de FAUTERIIS ex Abbate Cluniacensi Episcopi S. Flori in Arvernia Statutum, seu Ordinatio de prospero statu studentium Benedictinorum Parisiis in Collegio Cluniacensi, quod Yvo I. Abbas Cluniac. anno 1269. fundavit. Lege illud apud Bulæum Hist. Univers. Paris. Tom. IV. pag. 12a. & seq.

Historia Almæ & Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis sub cura PP. Benedictinorum. Primus, qui ejus conscribendæ consilium suscepcret, fuit R. P. Romanus Sedelmayr San-Blasianus, in eadem Universitate Historiarum Professor. Priùs tamen finem vivendi fecit, quàm ei vel primam manum apponeret. Quæ verò Adversaria collegerat, post ejus obitum, novis collectaneis Cl. Stanislaus Wibberts ejusdem Asceterii Alumnus locupletavit, rémque totam in tres libros dispertire voluit.

Primus agit de Academiæ Salisburgensis Origine, Incremento, & Privilegiis; ubi Fundationes variæ, Ædificia, Templa, Alumnorum Collegia, Congregationes, seu pia Sodalitia, ac res aliæ, quæ à prima ejus institutione ad hæc usque tempora, hoc est, ab an. MDCXVII. usque ad annum MDCCXXVIII. peractæ sunt, enarrantur.

Secundus ob oculos ponit formam Magistratus Academici, Reverendissimos DD. Præsides & Assistentes, Rectores Magnificos, Procancellarios, plurésque alios viros vitâ & doctrina clarissimos, quorum meritis & virtute hactenus stetit Universitatis gloria, quíque scholasticis suis laboribus eandem mirificè hucusque exornârunt, nec intermori unquam sinent. Horum omnium, ut debitus ei honor haberetur, vitæ initium, añus mortis, ac eximia cùm in universam rem literariam, tum præcipuè in Academiam merita recensentur, Scriptorum etiam, quæ quisque edidit, aut MSS. hodiedum asservantur, notitia adjecta.

Tertius demum exponit Leges & Statuta Studiosorum, Gradus Academicos, Disputationes publicas, Abbates & Præpositos, è Collegio PP. Professorum, religiosóque Convictû S. Bonifacii eductos, atque illustrem Juventutem, quam si ulla alia, universitas Salisburgensis hactenus copiosam habuit. Prodiit hæc Histo-

ria

ria in 4. Bondorffii typis Joan. Bapt. Waltpart anno 1728.

De Bibliothecis Benedictinis, maximè in Italia, Gallia, Germania cùm Inferiore tum Superiore scripserunt *Mabillonius* in Itinere Germanico, & Musæo Italico, *Montfauconius* in Diario Italico, *Edmundus Martene* & *Ursinus Durand* in Itinerario Literario. *Bernardus Pezius* in Dissertatione Isagogica in Tom. I. Thes. Anecdot. Noviss. describit complures Benedictinas præcipuè in Bavaria Bibliothecas.

PHILIPPUS BILLOUET è Congr. S. Mauri Monasterii Aurelianensis Bibliothecarius solertissimus concinnavit Catalogum librorum numerosæ suæ Bibliothecæ; an verò foras dederit, affirmari à se non posse, inquit *le Cerf* pag. 23.

Catalogos Bibliothecarum suorum Monasteriorum qui confecerint, non inutile est scire. *Bernardus Franck* Bibliothecæ San-Gallensis, *Januarius Stabl* Bibliothecæ Augiæ Divitis, *Bernardus Pez*, Bibliothecæ Mellicensis, *Oliverius Legipont* Bibliothecæ S Martini Majoris Coloniæ, alii aliarum Bibliothecarum catalogos concinnârunt. Ex his quatuor verò primum non vidi, in altero artis Criticæ peritiam aliquando desideravi, tertius mihi in optatis est, quartum in promptu habeo.

Historio singularis est, quæ tantùm hujus vel illius viri docti vitam, vel certè cujusdam Scholæ, Academiæ & Universitatis historiam pertractat. Qui verò eam condiderunt, sunt ferè sequentes:

CONSTANTINUS CAJETANUS vitam Amalarii Fortunati Monachi Benedictini, & ab anno Christi 810. Archiepiscopi Trevirensis edidit Romæ typis Joannis Mascardi an. 1612. in 4. Scripsit etiam præ reliquis egregiè vitam *Gregorii* ex Abbate SS. Cosmæ & Damiani ad Micam auream S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarii Seculo XI. Viri in omni literarum genere versati, quam & typo Romæ vulgavit. *D. Eggs* Purp. Doct. lib. 1. pag. 14.

DIONYSIUS SAMMARTHANUS è Congr. S. Mauri Gallicè conscripsit vitam Cassiodori, Cancellarii apud Theodericum Regem Italiæ, & subinde Abbatis Vivariensis, quæ ex typographia Ludovici Roulland anno 1694. Parisiis in lucem prodiit.

ANTONIUS BEAUGENDRE è Congreg. S. Mauri Ven. Hildeberti primò Cenomanensis Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi vitam literis mandavit, quam etiam ejusdem Operibus Parisiis an. 1708. in fol. publicatis præmisit.

V. LUDOVICI BLOSII Abbatis Lœtiensis in Belgio, & Rerum Asceticarum Scriptoris celeberrimi vitam ex Monasterii Lœtiensis archivis, & aliis documentis ac testibus fide dignis concinnavit quidam ex Ordine D. Benedicti, sacræ Theologiæ Doctor, quam subinde Winghius Abbas Lœtiensis (ut erat acerrimi judicii) variè mutavit, ut alia vita videri jam posset: quare in ejus editione an. MDCXXXII. nomen illius Theologi omissum fuit. Ea vita edita primùm est cum Blosii Operibus anno 1632. Inseruit illam Bollandus Actis Sanctorum mens. Jan. die VII. p. 430.

EDMUNDUS MARTENE Vitam *Wibaldi* Abbatis Stabulensis & Corbeiensis, Viri cum splendore generis, tum pietate, doctrina, ac rebus gestis præstantissimi ex veteribus monumentis concinnavit, & Collectionis suæ amplissimæ Tomo II. inseruit pag. 153-183.

THEODERICUS RUINART è Congreg. S. Mauri Synopsin vitæ Joannis Mabillonii Gallicè à se scriptam edidit in 8. Parisiis an. 1709. Eam verò subinde *Claudius de Vic* ex eadem Congregatione Presbyter in Latinum conversam, & accessionibus locupletatam edidit, cujus titulus est: *Vita Joannis Mabillonii Presbyteri & Monachi Ord. S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, à Theoderico Ruinarto, ejus socio, olim Gallicè, nunc verò ab alio ejusdem Congr. Monacho in Latinum sermonem translata, verúmque nova accessione aucto.* Patavii 1714. in 8. D. *Guillelmus Roussel* ex eadem Congreg. Presbyter *Epitaphium Joannis Mabillonii* condidit, quod apud Pezium & Cersium in Bibliothecis Scriptorum Congreg. S. Mauri reperies.

RENATUS MASSUET vitæ Synopsin Joannis Mabillonii & Theoderici Ruinart à se concinnatam Tom. V. Annalium Benedictin. præfixit.

OLIVERIUS LEGIPONT Cœnobita Monasterii S. Martini Majoris Coloniæ Agrippinæ vitam & Apologiam Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis à se doctè & eruditè scriptam mecum communicavit, quam ego hu-

hujus Libri Parta III. Cap. III. inserui. Idem scripsit Vitam Adami Mayer Abbatis S. Martini Colon. & Joannis Bouzbachii Prioris Lacensis &c. Ingentem verò apparatum Scriptorum Benedictinorum ordine alphabetico cognominum digestum in MS. habet, post hujus operis nostri editionem, ut spondet, publicæ luci committendum...

BENEDICTUS BACCHINIUS, Abbas S. Mariæ de la Croma Congreg. Casin. suam ipse vitam conscripsit, ac edidit in sua Ephemer. Literat. Ab eo etiam habemus vitam Helenæ Lucretiæ Corneliæ Biscopiæ, Virginis Literatissimæ, ac Ordini D. Benedicti privatis votis adscriptæ. Parmæ typis Hippolyti Rosati anno 1688. in 8.

ENGELBERTI HEINDEL ad Scotos Viennæ in Austria Professi *Spectaculo Heroum ex Lycæo Benedictino*, seu Primi celebriores bonarum artium publici Professores ex Ordine Divi Benedicti Carmine Heroico celebrati. Viennæ typis Wolfgangi Schwendimann an. 1727.

Denique in Historia Literaria O. S. B. silentio involvendi non sunt, qui de ratione Studii literarum in Ordine Benedictino egerunt, illúdque contra æmulos & adversarios propugnârunt. nempe

HIERONYMI ALLIOTI è Congr. S. Justinæ, nunc Casinensis Abbatis Aretini, Latinis literis apprimè exculti, *Libelli duo contro eorum opinionem, qui Studia Monachis non permittunt*; de quibus vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 206. Authorem admodùm doctum esse oportuit, ut qui ante Monachatum Benedictinum Xisto IV. Pont. Max. in scribendis Epistolis operam suam aliquamdiu dicaverat.

SEBASTIANUS RÖHR, Ottoburanus, Philosophiæ ac Theologiæ Professor in Universitate Salisburgensi, qui cùm contra primos Patres Academicos Salisburgenses antiqua illa crambe recoqueretur: *Monachale Benedictinorum institutum nequaquam ad publicè docendum sese extendere*, præclarum libellum conscripsit, typis tamen, quod sciam, nondum vulgatum. Vid. Hist. Univ. Salisb. l. 2. c. 7. pag. 420.

MATHÆI WEISS Monachi Andecensis in Bavaria, Ss Theol. Doct. & Almæ Univers. Salisburg. Rectoris Magnifici *Lycæum Benedictinum*, seu de Alcuino aliísque bonarum literarum ex Ordine S. Benedicti Professoribus Publicis Historia. Salisburgi 12. typis Christophori Katzenberger anno 1630.

JOANNIS MABILLONII *Traité des Etudes Monastiques*, i. e. *Tractatus de Studiis Monasticis in tres partes divisus; unà cum enumeratione præcipuarum difficultatum, quæ in lectione Patrũ cujusvis seculi queunt occurrere; ut & Catologo librorum selectiorum componendæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ præcipuè inservientibus, in 4. Parisiis apud Cor. Robustellum* 1691. & *ibid.* 1692. *volum. in* 12. *duo.* Tractatum integrum Latino sermoni tradiderunt R. P. *Udalricus Staudigel*, monachus Andecensis in 8. Campoduni 1702. & R. P. *Josephus Porta* Monachus Casinensis in 4. Venetiis an. 1705. & iterum 1729. seorsum Dubia Historica P. Hermannus Schenck, Bibliothecarius San-Gallensis in 4.... Totam vero secundam Operis partem cum difficultatum historicarum serie Italico sermone donavit, & Romæ in 12. an. 1701. vulgavit R. P. Nicolaus Hieronymus Ceppi Augustiniani Instituti alumnus, præfixo hoc titulo: *La Studio Mabilloniano.* Tractatus iste in tres distribuitur partes. In prima Mabillonius ostendit, quòd studia literarum Monastico statui non tantùm non adversentur, sed ad tuendam monasticæ disciplinæ observationem planè sint necessaria. In secunda, quæ studiorum genera monachis potissimùm conveniant, examinat. In tertia finem, quem sibi in studiis suis proponere debent monachi, ob oculos eis constituit. Eæ verò in hunc Mabillonii *Tractatum de Studiis Monasticis* à viris præstantissimis congestæ sunt laudes, ut nesciam, an in ullius alterius Authoris Opus majores unquam fuerint collatæ. Utinam verò longè utilissimus hic liber à pluribus nostrûm, præsertim à Superioribus in Germania, ad suorum stûdia moderanda, sæpiùs & attentiùs evolveretur. proh! quàm multò alia, longè illustrior, sanctæ Ecclesiæ ac sacro Ordini fructuosior studiorum facies extitura esset. Et certè si Alcibiades tam ægrè putavit sibi ferendum, magistrum illum, in cujus ludum intraverat, carere Homero, ut manum ab eodem verberando abstinere nequiverit, quis in Benedictinæ Familiæ alumno, & multò magis in Superiore ferendum existimet, si Mabillonii Tractatum

non

non penitus penitúsque sibi commendatum habeant? O quàm multi, qui doctrinæ nomine modò se circumspiciunt, eo perlecto libro, cristas demitterent, ut qui ex eodem cognôrint, quantis adhuc parasangis à vera monachósque decente distent sapientia. Ne multis: ille Benedictinus se in vera doctrina profecisse sciat, cui Mabillonius placuerit, quíque ad regulas ab eo præstitutas studiorum suorum direxerit curriculum.

– *Tractatus de Studiis Monasticis* Volumen alterum, sive Appendix, complectens animadversiones D. *Joannis Mabillonii* in Responsionem R. P. *Armandi Buthilierii* Abbatis Trappæ ad eundem Tractatum ex Gallico Latinè redditas, quibus Studiorum Monasticorum praxis & traditio validiùs astruuntur, & ab adversariorum objectionibus omnino vindicantur. Accedit *Historia Dissidii Literarii* circa hæc Studia à D. *Vincentio Tuillier* Monacho Benedictino è Congreg. S. Mauri Gallicè concinnata, Latinè verò Anonymo interprete reddita, & variorum Epistolis huc spectantibus ad calcem aucta & illustrata. Venetiis an. 1705. & 1730. typis Andreæ Poleti. In his animadversionibus momenta rationum ex Traditionis Monasticæ & Historiæ Ecclesiasticæ fontibus eruta, quibus in suo Tractatu eruditissimus vir Studiorum Monachalium praxin defenderat, validiùs proponuntur, & data opera ab objectionibus vindicantur; ut eorum vis immota maneat, & ne verissima illius de studiis sententia olim studiosis Ascetis indita ullatenus vacillet. Ipse Auctor illud inprimis omnibus propositum voluit, ut in rectum finem dirigerentur. Amorem summum veritatis, & soli Deo in omnibus placendi, & adhærendi intentionem sæpiùs inculcavit. Quòd si alio fine, ac præpostero modo studia literarum amentur, hoc minimè tolerandum censuit, nimiam curiositatem damnans, & adversùs eos invectus, qui plùs sapere appetunt, quàm oportet sapere.

DIONYSII SANMARTHANI è Congreg. S. Mauri Epistolæ ad Dominum Abbatem Trappensem, in quibus ejus responsio ad Tractatum Mabillonii de Studiis Monasticis examinatur. Gallicè in 12. Amstelodami. 1692.

– EJUSDEM Syllabus quarundam Scriptionum quatuor Epistolas ad Abbatem Trappensem scriptas spectantium. Gallicè in 12. Coloniæ. 1693.

JOANNIS MABILLONII *Epistola de Monasticorum Studiorum ratione ad Juniores Studiosósque Congregationis S. Mauri Monachos.* Extat ad calcem Volum. II. Tractatûs de Studiis Monasticis Venetiis an. 1710. Item inter Mabillonii Opera posthuma Parisiis an. 1724. quam etiam Bern. Pezius in Tomo IX. Bibliothecæ Asceticæ recudi curavit, quòd ista Opera rariùs in Germaniæ monasteriis reperiantur. Occasione verò Mabillonianæ hujus Epistolæ in mentem venit *Joannes* Monachus S. Albani propè Moguntiam, qui Seculo x. doctrina ac eruditione non incelebris librum composuit de juvenum Monachorum institutione, quoad scientias liberales, quemadmodum videlicet ad singulas sint à principio per ordinem introducendi.

BENEDICTUS LAUDATUS, Apulus, Altamurensis, è Congreg. Casin. cùm Neapoli, ubi publicum Philosophiæ rationalis Professorem ab ipsa Civitate electus exeunte seculo superiori egerat, Sacrorum Canonum publicam Cathedram, quæ tunc vacabat, peteret, invidi quidam, ne illam adipisceretur, scriptum evulgârunt, quo probare nitebantur, Monachis minimè conveniens esse, ut publicè scientias, minúsque Sac. Canones docerent; coactus proinde illud refellere, nobili ac erudito libello id statim præstitit, ostendens tum ratione, cùm Majorum exemplis, optimè ad Monachos pertinere, scientias quaslibet, sacras præsertim, etiam publicè tradere, cùm id ipsum maximo Orbis commodo, celeberrimi Monachorum, ex quibus plerique præcipuas Europæ Academias instituerunt, summa cum laude peregerint; Titulus libello hic fuit: *Pro Monasticis Viris ad Juris Canonici Cathedram aditum sibi jure parantibus, examen responsi cujusdam Juris Consulti adversùs Monasticos Viros adpetentes Cathedras J. Can. Neapoli* anno 1697. in 4. pagg. 40. Perrarus libellus est, cùm pauca admodùm exemplaria publici juris sint facta, sed rara item eruditione, & exquisita Crisi egregiè refertus. Armell. in Bibl Scriptorum Congr. Casin. part. 1. p. 99.

Itinera literaria à Benedictinis instituta, quæ non contemnenda pars sunt Historiæ Literariæ Benedictinæ, suprà Cap. IV. Sect. I. §. III. memoravimus.

Cæterùm Rei Literariæ Benedictinæ Scriptores quò pauciores habemus, qui literas à Majoribus nostris excultas idoneè ad memoriam posteritatis transmiserunt, eò pluris certè æquum est fieri illos ipsos, qui supersunt velut testes doctrinæ ac diligentiæ nostrorum hominum: quæ longè foret illustrior, nisi Scriptores idonei superioribus seculis defuissent.

Post hæc à me scripta publicam aspexit lucem *Bibliotheca Mellicensis, seu Vitæ & Scripta inde à sexcentis & eo ampliùs annis Benedictinorum Mellicensium auctore R. D. P. Martino Kropff Austriaco Bibliothecario Mellicensi. Lipsiæ in maj. 4. an. 1747. sumptibus Jo. Pauli Kraus Bibliopolæ Viennensis.* Scriptores centum ampliùs in tres ætates commodùm distribui possunt. Primi ad seculum usque XV. floruerunt, alteri sub Reformatione Mellicensi Ordinis S. B. in Germania, tertii seculo proximè elapso, & hoc quod vivimus. Primi sunt nominis ut plurimùm obscuri, alteri majori habentur celebritate, postremi, ut Ludovicus Engel, Bernardus & Hieronymus fratres Pezii longè celeberrimi.

§. XIV.

Scriptores Critici de rebus in Historia Benedictina controversis.

GAlli Benedictini Cassinatibus de Lipsanis S. P. Benedicti ex monte Cassino in Galliam asportatis litem moverunt. Hinc utriusque partis Scriptores recenseri cupiunt.

SIMONIS GERMANI MILLET è Congr. S. Mauri *Traité de la Translation du corps de S. Benoist en France.* id est: *Tractatus de Translatione Corporis S. P. Benedicti in Franciam.* in 8. Parisiis an. 1644.

HUGO MENARDUS è Congreg. S. Mauri Libro I. Observat. in Martyrologium Benedictinum idem argumentum, quantum propositæ brevitatis ratio sinebat, eruditè tractavit, à pag. 384. ad pag. 398. præcipuè elevat authoritatem Anastasii Senioris, qui ossa S. Benedicti in Gallias asportata scribit, eáque rursus tempore Stephani II. Papæ Casinum delata. „ Non est, inquit Menardus, iste Anthor ille Anastasius in ecclesiastica „ historia multùm illustris S. R. E. „ Bibliothecarius, qui vitas Summorum Pontificum scripsit: hic enim „ circa tempora Caroli Calvi Imperatoris floruit: at ille tempore Pipini „ Regis. Siquidem se oculatum testem profitetur. Est ergò ille Anastasius à Dom. Wione citatus ne„ scio quis, & obscurus author, qui „ nunquam in lucem prodiit, quíque „ authore etiam Wione castigatione „ indiget. Idcircò inpræsentiarum „ à nobis est castigandus. „ Hæc Hugo Menardus; quæ hîc advertenda putavi, quia novissimè C. V. Ludovico Antonio Muratorio anthoritas hujus Anastasii adeò spernenda visa non est, ut eâdem nixus, Divi Benedicti Lipsana ex Galliis in Italiam reportata contendat in præfatione ad Chronicon Breve Monasterii Cassinensis, quod Scriptorum Rerum Italicarum Tomo II. intexuit, pag. 347. seqq.

JOANNES MABILLONIUS Differt. præv. Sec. II. Act. O. S. B. ea videtur afferre argumenta, quibus Translatio Reliquiarum S. Patris in Gallias planè evincatur.

ANTONIUS YEPESIUS à partibus stans Gallorum Tomo II. Chronici Generalis eandem Translationem ex Italia in Franciam ad Floriacense Monasterium astruit.

Pro Cassinatibus calamum strinxêre inter alios *Mathæus Lauretus*, Hispanus, Abbas Monasterii S. Salvatoris de Castellis peculiari adversùs *Johannem Boscum* libello, impulsu Gregorii Castionæ, Aretini, Abbatis Casinensis anno 1607. Neapoli vulgato. Titulus est: *De vera existentia Corporis S. Patris Benedicti in Cassinensi Ecclesia, déque ejusdem translatione, auctore R. A. P. Mathæo Laureto Cervariensi, Hispano, Abbate S. Salvatoris de Castellis* Neapoli ex Typographia Joannis Baptistæ Subtilis apud Scipionem Boninum an. 1607. in 4. constat pag. 349. absque indice, & epistola nuncupatoria. Hisce Tractatibus addita ab eo est anno 1618. *Appendix ad superiores duos Tractatus,* in qua exsufflat [utor verbo si non thrasonico, certè qnidem admodùm audaci Erasmi Gattola Hist. Casin. Sec. XII. pag. 769.] quidquid Yepesius Tom. II. Chronici Generalis Ordinis S. Benedicti in medium pro asserenda translatione ad Floriacense Monasterium corporis S. Benedicti, indéque Cassinum reductione affert, queq; objicit doctus Saussagus in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis Lib. IV. Extat hæc appendix in Archivo Casinensi msf. post tractatus eosdem manu-

exa-

exaratos, atque incipit à pag. 268. ad 291. Vide etiam Armell. Bibl. Cafin. part. 2. pag. 97.

D. BERNARDINUS SAIVEDRA, Abbas Caffinenfis, adhuc juvenis, differtationes duas in Archivo Caffin. affervatas fcripfit vulgari Italico idiomate, in quarum prima ante Lauretum elucubrata contendit, nunquam ex Caffino in Galliam translatum corpus S. Benedicti, quam vidiffe Lauretum credit Gattola in cit. Hift. Cafin.

ANTONIUS --- à NEAPOLI, Monachus Caffin. pluribúsque annis celebris Archivi Caffin. Cuftos compofuit Differtationem *De facri Benedicti corporis nunquam interrupta poffeffione vindiciæ Caffinenfes conduplicatæ.* Gattola Hift. Caf. Sec. xii. p. 769.

ANGELUS DE NUCE, Abbas Caffinenfis, in Appendice Romanis typis excufa ad Chronicon Cafinenfe Parifiis an. 1668. ipfius cura editum & illuftratum, totus eft in propugnandis Leone Marficano & Petro Diacono adversùs Hugonis Menardi obfervationes; cætera uti parerga rejicit. *Mabill. Differt. præv. ad Sec. II. Act. Ord. S. Bened.*

PETRUS MARIA, Januenfis, ex nobiliffima Juftinianorum Familia Monachus Caff. à Benedicto XIII. Epifcopus Sagonenfis in Corfica creatus, confecratúsque anno 1725. omnium fufiùs Caffinatium fuorum caufam egit, confcripta hac de re *Differtatione de Exiftentia Corporum SS. Benedicti & Scholafticæ apud Caffinum contra Joãnem Mabillonium.* Opus MS.cum, nondum typis mandatum. Vid. Armell. Bibl. Cafin. part. 2. p. 127.

THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Apologie de la Miffion de S. Maur Apôtre des Benedictins en France, avec une Addition touchant S. Placide, premier Martyr de l'Ordre S. Benoit,* id eft: *Apologia Miffionis S. Mauri Monachorum Benedictinorum in Galliis Apoftoli, & S. Placidi Protomartyris Ord. S. B. in Sicilia. in* 8. *Parifiis anno* 1702..... Hæc in Latinum fermonem converfa exhibetur etiam in Appendice prima ad Tomum primum Annalium Benedictinorum Joannis Mabillonii. Miffio S. Mauri in Galliam adeò certa apud Gallos erat, ut S. Mauro in antiquis Litaniis locus immediatus à S. Benedicto tribuatur. Extiterunt tamen fuperiore ætate morofiores quidam Critici, qui omnem S. Mauri miffionem fabulofam ipfúmque fanctum effe fictitium contenderunt, quorum non tam rationes & authoritates, quàm cavillationes, & congeftas difficultates Ruinartus egregiè revicit. R. P. Ludovicus du Mefnil S. J. Tom. III. Doctr. & Difcipl. Eccl. Lib 28. n. 27. pag. 238. etfi dilucidis verbis affirmet, S. Maurum circa annum 542. & 543. Monafterio Glannofolienfi à fe conftructo per annos 40. fanctiffimè præfuiffe, nihilominùs fubjicit: *Utrùm eum miferit S. Benedictus, inter peritos controverfum eft.* Addi tamen à Viro docto potuiffet, imò etiam debuiffet, quod viris illis peritis (quos inter *Bafnagius*, aliíque hæretici S. Mauro veluti larvæ infultant) à Ruinarto folidè refponfum fuerit; aliàs etiam dicere adhuc licitum foret: *Utrùm S. Francifcus Xaverius Jefuita fuerit, inter peritos controverfum eft*, cùm quidam Critici fanctiffimum hunc Indiarum Apoftolum ex Societate Jefu fuiffe negaverint, quos tamen P. Soutermann in præfatione ad Hiftoriam Ecclefiafticam P. Cornelii Hazart acriter refellit. Poftquam objecta Adverfariorum foluta fuerunt, controverfia extincta haberi debet; aliàs altercandi nullus erit finis.

CONSTANTINI BELLOTI è Congreg. Cafin. S. Michaëlis de Teliore (qui eft vicus Diœcefis Parmenfis) Prioris, ut vocant, Titularis

Gregorius M. inftituto Sanctiffimi P. Benedicti reftitutus; Opus tribus colloquiis diftinctum; Brixiæ in ædibus Polycreti Turlini anno 1603.

CONSTANTINI CAJETANI Sanctiff. D. N. à Sacris Literarum Monumentis Abbatis S. Baronti Congr. Caf. pro Johanne Diacono S. R. E. Cardinali de fancti Gregorii Magni, ejúsque Difcipulorum Monachatu Benedictino, Lib. II. Salisburgi an. 1620. in 4. & Auguftæ Vindel. an. 1621. in 4.

JOANNES MABILLONIUS eandem D. Gregorii vitam Monafticam fub Regula Benedictina invictè, ut cætera omnia, docet §. vii. præfat. in Tom. I. Act. O. S. B.

CLEMENTIS REYNERI Ss. Th Profefforis, & Congregationis Anglicanæ Secretarii *Apoftolatus Benedictinorum in Anglia*, five *Difceptatio Hiftorica de antiquitate Ordinis, Congregationífque Monachorum Nigrorum fancti Benedicti in Regno Angliæ: in qua demonftratur S. Gregorium, ejus nationis Apoftolum, fuiffe Benedictinum; oftenditur etiam obiter, quanto numero, quibúsque temporibus alii Ordines*

Religiosorum in eodem Regno cœperint agnosci. Duaci ex Officina Laurentii Kellami Typographi jurati sub signo Agni Paschalis 1626. Opus insigne, judice Mabillonio omnium Benedictinorum lectione quàm dignissimum, cui adjungi possunt, quæ de eodem argumento, S. Gregorium M. Ordinis fuisse S. Benedicti, scripsêre doctissimi Abbates nostri Constantinus Cajetanus Italus, & Henricus van Zippe Belga, & Venerab. P. Antonius Yepes, qui ultimus Tomo I. Chron. Gener. doctè, solidè, & modestè contra Baronium & Gallonium disputavit. Neque verò existimes, Lector benigne, superfluam esse, aut levem vanámque controversiam, pro qua non deberent Monachi Benedictini, tanquam pro aris & focis decertare: quoniam si Gregorium M. & missos ab eodem in Angliã Monachos ab Ordine S. B. ignaviter patiantur eripi, ceciderit præcipuâ corona capitis sui, ceciderit summa Ordinis gloria, Apostolatus nimirùm Angliæ, Belgii inferioris, Germaniæ, Norwegiæ, quæ à monachis Romanis & Anglis ad Christum sunt adductæ. Si igitur gloriosus Apostolus & Doctor Gentium Paulus non dubitaverit ad se spectare, & ad sanctam, veram, necessariámque gloriam suam, ne pateretur filios prædicationis suæ sibi ereptos aliis patribus supponi: unde illa ejus ad Corinthios suos assertio paterni juris sui: *Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Certè possunt etiam discipuli S. Benedicti tanti exempli fiduciâ fulti, pro suæ quoque regulæ gloria zelare, & Gregorium, Augustinum, Clementem, Willebrordum, Bonifacium, cæterósque gentis nostræ, & aliarum nationum Apostolos nobis eripere molientibus fidenter resistere, & veraciter absque arrogantia dicere, quia etsi decem millia pædagogorum in Christo habuerint Angli, Frisones, Batavi, Germaniæ denique omnis populi, ex Clero, Ordinibúsque aliis Ecclesiæ Catholicæ desumptos; sed non alios Patres, quàm Benedictinos; nam in Christo Jesu per Evangelium ipsos Benedictini Monachi genuerunt, signaculum Apostolatûs eorum in Domino hi omnes populi existunt. *Clemens Reiner. ibid. Tract. I. Sect. I. §. 1. pag.* 3.

ANGELI de NUCE, Abbatis Cassinensis, *Dissertationes Criticæ de rebus Benedictinis.*

1.) Utrùm S. P. Benedictus fuerit Sacerdos?

2.) Utrùm is in raptu viderit intuitivè divinam essentiam?

3.) De forma corporis S. Patris Benedicti.

4.) Utrùm S. Scholastica verè Claustralis Religiosa fuerit; an devota?

5.) An Sancta Scholastica juxtà Casinum habitârit?

5.) Quo die, quóve anno S. P. Benedictus obierit?

7.) De tempore eversionis, vastitatis, & Instaurationis Monasterii Casinensis.

8.) Quòd Sanctissimi Patriarchæ Benedicti exuviæ Casini quiescant.

9.) Casini, an Sublaci scripta, & promulgata fuerit Monastica Regula?

10.) De Sella lapidea, & de fistula argenteà Casini extantibus. Et de Pontificibus Benedictinis.

Hæ Dissertationes Commentariis *Angeli Nucei* in vitam S. P. Benedicti insertæ à Lud. Ant. Muratorio Tom. IV. Script. Rer. Italic. editæ fuerunt Mediolani an. 1723.

De *S. Scholasticæ* Monachatu Benedictino præter laudatum Angelum de Nuce l. c. agit Hæftenus in Notis ad vitam S. P. B. ad verba S. Gregorii lib. 2. Dial. c. 33. ubi *sanctimonialem fœminam* vocat S. Scholasticam. Mabillonius in præfat. ad I. Sec. Bened. §. III. & in primo Annalium Tomo pag. 60. atque *Hugo Menardus* in dissertatione de Origine & Incremento Ordinis S. Benedicti pag. 658.

BENEDICTI HÆFTENI *Disquisitio de Sacerdotio S. P. Benedicti.* extat inter Authoris Prolegomena in vitam S. B. n. 18. pag. 33 - 55.

PHILIPPI BASTIDE è Congreg. S. Mauri *De antiqua Ordinis S. Benedicti intra Gallias propagatione dissertatio adversùs Carolum Cointium Annalium Ecclesiasticorum Franciæ conditorem*, qui Tomo IV. probare connisus est, Regulam D. Benedicti ante finem octavi seculi minimè in Galliis fuisse observatam. Edita primùm fuit ad calcem *Seculi Benedictini III. partis secundæ anno* 1672. Deinde Autissiodori in 4. anno 1685. Denique Author Miscellaneorum Hist. & Literat. Vol. 3. pag. 205. edit. Roterodam. an. 1702. quamdam ejusdem Operis editionem commemorat, quæ Autissiodori anno 1683. curata fuerit. Sed fides typorum suspecta est Cl. Pezio in Bibl.

Bibl. Maur. l. 1. pag. 51. Vide plura apud le Cerf in Bibl. Hist. Crit. p. 7.

JOANNIS GARETII è Congreg. S. Mauri *Dissertatio de Aurelii Cassiodori Monachatu Benedictino contra Cæsarem Baronium.* Extat ante Opera Cassiodori à Garetio edita Rotomagi anno 1679.

ERASMUS GATTOLA in Hist. Casin. Sec. VIII. §. V. p. 478. & seq. legi poterit de Monachatu Benedictino S. Thomæ Aquinatis, antequam ad castra Fratrum Prædicatorum transiret. Mentem meam hac de re jam aliàs explicavi.

FRANCISCUS ROSE è Congreg. S. Mauri anno 1702. Scriptum publicavit, in quo demonstrare nititur, quòd Conversi in Congregatione S. Mauri non sint veri Religiosi. Contrariam sententiam tuetur Joannes Mabillonius in præfat. ad Sec. VI. Benedictinum. Vide plura apud le Cerf pag. 430.

GREGORIUS à PAPIA Monachus è Congr. Casin. scripsit *Allegationem*, an Commissi Congregationis Casinensis (qui tria simplicia duntaxat Religionis vota emittunt, ut Patres Soc. Jesu ante solemnem Professionem) *sint verè Religiosi?* quàm negativè resolvit. Estque impressa Bononiæ typis Jo. Bapt. Ferronii an. 1658. in fol. unà cum alia allegatione Dominici Odofredi J. C. qui affirmativam partem tuetur. Adnectitur alia de eodem argumento Allegatio, sed Ms. D. *Vitalis Terrarubra* à Parma Mon. Casin. & Lectoris Odofredi sententiæ adstipulatur; quam etiam approbat Petrus Clavarinus Abbas Casinensis J. U. scientissimus docta epistola ad Abbatem S. Proculi Bononiæ. *Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 189.*

JOANNIS MABILLONII *Epistola ad amicum de primario Romerici montis instituto*, in 4. Parisiis an. 1687. & inter Opera posthuma Tom. II. pag. 70-91. Gallicè. Romerici montis ecclesia fuit olim nobile monasterium Sanctimonialium Ord. S. B. nunc collapsa regulari disciplina, conversa est in Collegiũ Canonicarum secularium. Cùm enim illius loci Abbatissa Canonicarum suarum mores in melius reformare vellet, hæ novæ reformationis impatientes, Abbatissæ litem intenderunt. In iis verò scriptis, quæ in vulgus emisere, non tantùm contendebant, ecclesiam suam nunquam Monastico Ordini, & Regulæ sancti Benedicti addictam fuisse, sed & Mabillonium assertionis suæ vadem perperàm omnino citabant. Is eo magis indignatus, quo contrarium apertè statuerat multis in locis, & in iis ipsis, quæ allegabant; edidit anno MDCLXXXVII. epistolam, in qua accuratiùs retractato argumento, solita eruditione, ac moderatione probat, Abbatiam Romericimontensem in monialium duntaxat gratiam conditam Regulæ S. Benedicti ab ipsis primordiis addictam fuisse, nec illius loci monachas eam regulam profiteri destitisse, donec anno circiter MD. abjecto cum monasticis vestibus nomine in seculares Canonicas nullis constrictas votis evaserunt. *Vid. Ruinart & Massuet in vit. Mabillonii.*

ANONYMI Cœnobitæ San-Petrensis Salisburgi *Observationes Criticæ in Tomum II. Germaniæ Sac. R. P. Marci Hansizii è Soc. Jesu.* Cùm V. C. Hansizius (ut jam aliàs diximus) in Historia Salisburgensi de rebus Monasterii S. Petri nonnulla scripsisset, fors à receptis traditionibus devia; potiorem operis partem jam prælo Augustæ Vindelicorum an. 1729. subductam Salisburgum ultrò & injussu transmisit, eo consilio, ut si quâ parte aberrâsset acus, vímque fecisset aut juribus, aut veritati; edoceretur argumentis idoneis, ac reduceretur in viam. Quo ipsius candore Placidus Abbas San-Petrensis & delectatus & usus est, negotio dato cuidam de suis eruditissimo viro, qui sequentes asteriscos adposuit. §. I. *De sancto Vitale.* §. II. *De S. Amando.* §. III. *De Abbatibus primariis & secundariis.* §. IV. *De Benedictino primorum S. Ruperti discipulorum instituto.* §. V. *San-Petrenses Monachi quoad Benedictinum suum institutum neutiquam à Fuldensibus descenderunt: quod tamen Germ. Sac. Tom. II. pag. 77. prætenditur.* §. VI. *De ætate S. Ruperti, & auctoritate Hist. Conversionis Bojorum & Carantanorum.* Super has San-Petrensis Cœnobitæ Observationes Criticas Cl. Hansizius *Reflexionem* suam fecit, ac edidit loc. cit. pag. 986-1009. Præ insigni eruditione ac doctrina Viri Clarissimi candor ac veritatis studium laudari meretur, quo nulli religioni sibi duxit, ab assertionibus quibusdam suis recedere, & San-Petrensis Critici Observationibus locum dare. Quem in studio Historico-Critico candorem utinam plures imitarentur.

Scripto-

Scriptores Critici de Autore Libri de Imitatione Christi.

DOmini *Constantini Cajetani* SS. Dom. N. à facris Literarum Monumentis, & Abbatis S. Baronti ex Congreg. Casin. Ordinis S. Benedicti pro Joanne Gersen Abbate Vercellensi librorum de Imitatione Christi Autore Concertatio Romæ 1616. in 12. ad Paulum V. Pont. Max. Contra hunc librum scripsit *Heribertus Rosweydus* S. J. cui statim respondit Cajetanus, recuso supradicto Opere, & addito libello cum hac inscriptione:

Concertatio priori editione auctior. Accessit apologetica ejusdem responsio pro hoc ipso Librorum Auctore adversùs Heribertum Rosweydum S. J. Presbyterum Romæ 1618. in 8. & Paris. an...

Animadversiones Apologeticæ Fr. *Francisci Valgravii* ad Titulum & Textum quatuor Librorum de Imitatione Christi. Habentur in editione eorundem Librorum Parisiis facta apud Sebastianum Hurè an. 1638.

Domini *Constantini Cajetani* &c. *Gersen restitutus*; sive *Apologetica Responsio pro magno Dei Servo Jo. Gersen, Abbate Italo Benedictino, germano Authore librorum IV. de Imitatione Christi adversùm Vindicias Kempenses Heriberti Rosweydi è Soc. Jesu*, nec non adversùm Libellos omnes, qui ad hunc usque diem editi sunt pro Thoma Kempensi, Venerabilium Patrum S. Augustini Canonicorum Regularium Italorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum, vel aliarum quarumcunque Nationum: Utrumque opus editum unà cùm iv. libris de Imitatione Christi Romæ an. 1644. ex Typographica Officina Sacræ Congr. de propaganda Fide in 8. Superiorum auctoritate.

Joannes Gersen Vercellensis Ord. S. Bened. Abbas Librorum de Imitatione Christi contra Thomam à Kempis vindicatum Joannis Frontæi Canonic. Reg. Ord. S. Augustini Author assertus à D. Roberto Quatremaires Congr. S. Mauri in Gallia Mon. Ben. Parisiis, sumptibus Joannis Billaine 1649.

Epistola Constantini Cajetani Abbatis ad D. Robertum Quatremaires 15. Sept 1650. nondum edita.

Joannes Gersen Abbas Vercellensis Ord. S. Ben. Auctor Librorum de Imitatione Christi iterum assertus à D. Roberto Quatremaires Mon. Ben. Congreg. S. Mauri contra Refutationem P. Joannis Fronteau Can. Reg. S. Genovefæ Ord. S. Aug. Paris. apud Jo. Billaine 1650.

Instrumentum, in quo Mss. Codices Librorum de Imitatione Christi coram Illustriss. Archiepiscopo Parisiensi ventilati, atque discussi indicantur. Item ex præmisso Instrumento eruta Argumenta, quibus demonstratur, non Thomam Kempensem, sed Joannem Gersen Libri controversi esse Authorem: sine Authoris nomine, nec indicato Editionis anno, qui fuit 1671.

Eàdem de re altera Dissertatio priore duplo minimùm auctior, Parisiis ex Typographia Jacobi Vincent. an. 1712. in 12.

FRANCISCI DELFAU è Congreg. S. Mauri Libri de Imitatione Christi Joanni Gerseni, Abbati Ord. S. B iteratò asserti, maximè ex fide MSS. Exemplarium. Operis hujus habentur tres editiones. Prima apud Ludovic. Billaine an. 1673. altera 1674. & tertia 1712.

Animadversiones in Vindicias Kempenses à R. P.... Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ adversùs R. P. Franciscum Delfau Monachum ac Presb. Congr. S. Mauri novissimè editas. in 4. Parisiis 1677. & ibidem in 16. a. 1712. suppresso Authoris nomine, qui fuit Joannes Mabillonius.

THOMÆ MEZLERI Zwifaltensis *Epistola Dedicatoria*, quam præfixit libris de Imitatione Christi abs se elegiacè an. 1645. versis, cum Viri cujusdam eruditi in eam animadversionibus, vulgata fuit à D. Joan. Georg. Schelhornio Amœnit. Liter. Tom. XIII. pag. 265.

Joannis Gersen de Canabaco O. S. Ben. Abbatis Vercellensis, liber de Imitatione Christi, studio R. P. Thomæ Erhard Benedictini Wessofontani Augustæ Vindel. in 8. an. 1724. In præfatione Editor librum Joanni Gerseni asseruit. Sed cùm Erhardo R. D. Eusebius Amort C. R. *Scutum Kempense* opposuisset, in lucem prodiit

Polycrates Gersensis contra Scutum Kempense instructus, sive Apologia pro Joanne Gersen Ord. S. Bened. Abb. Protoparente libelli de Imitatione Christi contra R. D. Eusebium Amort C. R. authore P. Thoma Erhard Ord. S. Ben. cui denuo à D. Amort oppositus fuit *Polycrates Gersensis Exauctoratus*, seu *Causa Kempensis Victrix* in 8.

Du-

Duderstadii an. 1734. juxta exemplar Monachii impressum 1729.

Joannes Gersen Abbas Ord. S.B. Author assertus Librorum de Imitatione J.C. contra sententiam Authoris *Dissertationis* ad novam eorundem librorum Italicam versionem præmissæ & publicatæ in Urbe Luca an. 1723. Florentiæ an. 1724. Author est Virginius Valsecchius è Congr. Casin. in Universitate Pisana sacræ Scripturæ Professor; scripsit verò contra *Lambertum Cajetanum Ponsampieri*, Nobilem, & Sacerdotē Lucensem, qui ex quodam exemplari Gallico hujus aurei libelli, Gothicis, ut ipse asserit, characteribus impresso, in quo Monachi nomen, quod in vulgatis editionibus multis in locis legitur, semper tacetur, & Christiani nomen ei substituitur, ansam arripuit evulgandi, non à Monacho pro Monachis, sed à quopiam alio pro Sæcularibus, illum fuisse conscriptum. Uterque, Ponsampierius & Valsecchius Italicè scripsit. Ego nec de hac nova concertatione, nec de prioribus antiquis judicium censorium fero, sed consultò abstineo, iis referendis contentus, quæ Acta Eruditorum Lipsiensium habent anno 1687. pag. 438. R. P. F. Natalis Alexander Ordinis FF. Prædicatorum in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus, de Imitatione Christi, num Thomam à Campis auctorem habeant, quod Canonici Regulares S. Augustini asserunt, an Johannem Gersen, cui Monachi Benedictini opus illud vindicare satagunt, pronunciare non audet, cùm utrique parti gravissima argumenta non deesse censeat.

Quibus addo Cl. Ernesti Tenzelii verba *in den monatlichen Unterredungen* [menstruis colloquiis] anno 1693. pag. 214. 215.

Der Streit ist auch biß auf diesen Tag noch nicht geschlichtet, sondern die Scribenten fallen gemeiniglich dem Naudæo *oder den Benedictineren bey, nachdem sie diesen oder jenen affectioniret sind. Wann aber das Urtheil nach denen vom* Mabillon Lib. V. tab. 15. p. 372. *producirten* Speciminibus *der* MSS.torum de Imitatione Christi *gefällig werden soll, so dürften die Benedictiner recht behalten, weil man* Codices *hat, die vor* Thomæ à Kempis *Zeiten geschrieben worden, und das mit eigner Hand verfertigte* Manuscript, *welches die Jesuiten zu Antwerpen haben, ihn nicht für den Autorem, sondern nur für den Abschreiber angiebt. Denn so schleußt es:* Finitus, & completus anno Domini MCCCCXLI. per manus fratris Thomæ Kemp in monte S. Agnetis prope Zwoll. *Wozu* Mabillon *diese Glosse macht*; „ Autographum est ipsius Thomæ à Kempis, quod est penes Reverendos Patres Soc. Jesu domus professæ Antuerpiensis. Nullum Thomæ exemplar hactenus probatum est antiquius hoc autographo: cujus & ipsa clausula scribam indicat, non auctorem, uti Kempenses quique sincerissimi modò confitentur, probántque clausulæ similes, qualis est hic alia num. II. Scriptum per me R. Viart. „ Sed ego, ut dicebam, hisce altercationibus, quæ nec veritatem illustrant, nec promovent charitatem, me non immisceo.

ANTONII VINCENTII THUILLIER è Congr. S. Mauri *Histoire de la Contestation sur l'Auteur de l'Imitation de Jesus-Christ*, i. e. *Historia Controversiæ de Autore Libri de Imitatione Jesu Christi*. Extat inter Opp. posth. Mabill. & Ruinart. Tom. I. p. 1-47. Latinè illam edidit Thomas Erhardus Wessofontanus Aug. Vindel. Videri etiam meretur Jo. Alb. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 4. pag. 635. & seq. primo loco enumerat *Librorum IV. de Imitatione Christi Editiones* 2.) *Versiones* 3.) refert *Eruditorum sententias* de Auctore librorum de imitatione Christi, quos Canonici Regulares Ord. S. A. & Patres Societatis Thomæ à Kempis ascribunt. Alii *Joannem Gersoni* Cancellario Paris. defuncto A. C. 1429. attribuunt. Benedictini pro Auctore habent Joannem Gersenium, Abbatem S. Stephani Vercellensem ab A C. 1220. ad 1245. Iterum alii pro Kempisio, non auctore solo vel primo, sed descriptore, selectore, & digestore acriter pugnant; quos omnes si legeris, nihil certi tamen de vero Auctore statuere poteris, vel si quid hac in re intelligo, audebis.

§. XV.

Apologistæ Sacri Ordinis, ejúsque jurium, ac prærogativarum.

BONIFACII IV. Rom. Pont. Apologia pro Monachis Ordinis S. Benedicti, quos æmuli ritè Sacramenta administrare negabant. Continetur in Decreto, quod hic Pontifex anno Domini DCX, in Concilio Romano

edidit; extat apud Gratianum xvi. Q. 1. sed non integrum. Primus verò ex Bibliotheca Monasterii Ochsenhusani integrum produxit *Romanus Hay* in *Horto Crusiano* pag. 562. descripsit enim illud ex antiquissimo MS. Codice in pergameno fugientibus ferè literis.

S. ABBONIS, Abbatis Floriac. & Martyris *Apologeticus* integer ad Hugonem Francorum Regem pro immunitatibus Monasterii Floriacensis prodiit ad calcem Codicis Canonum Ecclesiæ Romanæ è Bibl. Pithœi, Parisiis an. 1687. fol. pag. 395. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. tom. 1. pag. 3.

BENEDICTI ALVAREZ, Hispani Monachi ex S. Facundi Monasterio *Apologia en defensa de la antiquedad, que tiene la confirmation de la Orden de San Benito.* id est: *Apologia pro defensione antiquitatis, quam habet confirmatio Ordinis S. Benedicti.*

PETRI à S. AUDOMARO, aliàs à Walloncapelle *Illustrationes Monasticæ* in tres libros distributæ. Ex S. Scripturis, & ab antiquissimis quibúsque Patribus probatæ, omnibus non modò huic professioni devotis, sed cæteris etiam Christianis apprimè utiles. Coloniæ apud Maternum Cholinum 1583. in 12. Authoris studium est, monasticen (præprimis Benedictinam) à falsis & ejus præstantia indignis opinionibus, quas vel hæresis, vel quorundam injuria monachorum pepererunt, asserere, ipsámque etiam in genere & in singulis suis partibus consideratam usquequaque commendabilem esse, enarratis nimirum ejus paradoxis innumerísque fructibus, variísque spiritus emolumentis ab eis, qui illam religiosè ac piè excoluerint, percipiendis.

ADAMI de DOMERSHAM, Monachi Glastoniensis *Historia Controversiæ inter Episcopos Bathonienses, & Monachos Glastonienses*, edita ab Henrico Wartbono Tomo I. Angliæ Sacræ pag. 578-583.

Initiô sacri Cisterciensis Ordinis querelæ Cluniacenses inter Monachos & Cistercienses de variis utriusque Ordinis observantiis excitatæ fuerunt. Cùm verò hujus dissidii auctorem S. Bernardum calumnia proclamaret, *Guillelmus* ex Abbate Benedictino S. Theoderici propè Remos Monachus Cisterciensis virum sanctissimum ad scribendam apologiam induxit, & ad ea, quæ in Cluniacensibus correptione digna videbantur, reprehendenda, Mellifluo Doctori respondit *Petrus Venerabilis*, Abbas Cluniacensis, data ad eum Epistola bene longa, quæ uti charitatem & pacem tota spirat, ita judice Mabillonio, Tract. de Stud. Monast. part. 1. cap. IX. in fine Cisterciensium objectiones validè enervat. Legitur ea inter Opera Petri Venerabilis, & in Bibliothecis Patrum.

Post transmissam verò ad S. Bernardum hanc Apologiam siluit is, nec ad Petrum Venerab. rescripsit. Unde hic ad Mellifluum Abbatem literas alias dedit, in quibus amicè conqueritur, quòd ei non rescriberet. Respondit S. Bernardus amicissimis verbis: *Gaudeo*, inquit, *quod recaluisis pristinæ amicitiæ recordari, & vel læsum revocare amicum. Libenter redeo revocatus: Felix, qui revocor. Nullarum jam memor sum injuriarum. ... intimus vobis denuo factus, sicut dignamini scribere.* Bernardi literis humanissimè respondit Petrus Abbas, & suorum novam texens apologiam, exponit causas dissensionum inter Cluniacenses & Cistercienses. Quarum prima est diversitas consuetudinum, licèt omnes eandem S. Benedicti regulam profiteantur. Secunda est superbia & invidia, quæ inter Religiosos facilè nascitur, dum quisque sui Ordinis prærogativam tueri sibi videtur. Unde fit, ut moriatur charitas, ut docet Apostolus, cùm dicit: Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non est ambitiosa. Demum sic concludit: „ Restat, ut „ vos, quem fortem columnam, cui „ innititur monastici Ordinis ædificium, summa providentia præparavit, & velut rutilum sidus exemplo verbóque non solùm monachis, sed & toti Latinæ Ecclesiæ „ nostro tempore insigniter lucens „ donavit. Restat, inquam, ut totam, quam potueritis, huic divino operi detis operam, & unius „ nominis & ordinis maximas congregationes nequaquam dissidere „ ultra patiamini. Studui ego semper, ut sanctos illos Congregationis vestræ monachos nostris fratribus commendarem, & ipsos perfectæ unione charitatis, si fieri posset, invisceraram. „ Sic agere consueverunt sapientes in Christo Superiores, inquit R. P. Ludovicus du Mesnil Doctr. & Discipl. Eccl. tom. IV. lib. 49. pag. 362. cujus tamen judicium censorium de Petri Venerabilis Epistola Apologetica diversum est

ab

ab eo, quod tulisse Mabillonium diximus.

B. PETRI DAMIANI S. R. E. Cardinalis *Apologeticus Monachorum adversùs Canonicos*, subjuncto Bonifacii IV. Decreto, quòd monachi, Presbyterii honore decorati, potestatem habent ligandi & solvendi. Extat inter ejus Opuscula ordine 28. Tomo III. Operum.

PETRUS ABAELARDUS, Monachus S. Dionysii in Francia Epistolam edidit contra quendam Canonicum Regularem, qui Monasticum Ordinem deprimebat; & suum illi anteferebat. Extat Opp. pag. 28. Ex hac epistola, Antonius Pagius in Critica Historico-Chronologica in Annales C. Baronii ad an. C. 1039. n. VIII. tom. IV. pag. 157. col. 2. certum tandem, inquit, debere esse, quòd Canonici Regulares, qui communi domo, communi mensa, ac communibus bonis utuntur, & S. Augustini Regulam profitentur, hoc seculo XI. initium habuerint. Nulla enim ante hæc tempora hujus institutionis in Scriptoribus Ecclesiasticis apparent vestigia, & Abaëlardus prioribus seculi insequentis annis eam tunc novam fuisse, his verbis indicat: *Cur & vos ipsi Canonici Regulares à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, magno ambitu murorum claustra extra sapientes more Monachorum ab illecebris & tentationibus seculi manetis diversi?* Ita ille in Epist. III. pag. 236. contra quendam Canonic. Regular. Nicolaus quidem II. in Concilio Romano anno MLIX. habito, de Canonicis Regularibus loquens ait: *Rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet, vitam summoperè pervenire studeant.* Quo similibusve locis Gabriel Pennotus in lib. de Canonicis Regularibus, aliique plures innixi, Canonicos à tempore Apostolorum in Ecclesia fuisse credidere. Verùm ex hoc, & aliis hujusmodi locis non magis sequitur, hoc vivendi genus ab Apostolis originem sumere, & prioribus Ecclesiæ seculis viguisse, quàm Monachos Eliæ & Elisæi tempore jam floruisse, ex eo quòd S. Hieronymus, Sozomenus, aliique horum originem ad utrumque referre videantur; utrobique enim similitudine vitæ tantùm sermo est, quia Canonici Regulares in communitate viventes Apostolorum imitatores sunt; ideóque eorum institutio *Apostolica* dici potest. Denique vanum est effugium quorundam Scriptotum, qui respondent Abaëlardum in præfata Epistola de Canonicis Ordinis Præmonstratensis, qui reverâ novi erant, intelligendum; luce enim meridiana clarius patet Abaëlardum loqui de omnibus omnino Canonicis Regularibus in tota illa Epistola, quâ ideo omnes contrariæ sententiæ falsæ demonstrantur. Hæc celeberrimus *Pagius*, Criticus in Historia Ecclesiastica facilè princeps.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis *Altercatio Monachi & Clerici, quod liceat Monacho prædicare.* pag. 970. Incipit: *Iniquè agis resistens mihi in faciem.* Desinit: *Quomodo ergò prædicabit?* De eodem argumento *Epistola ad Eberhardum Abbatem Brunwilarensem.* pag. 972.

— EJUSDEM *De Vita verè Apostolica Dialogorum Libri V.* editi ab Edmundo Martene & Ursino Durand Collect. ampliss. Tom. IX. pag. 972. ex mſ. codice Grafſchafftensis Monasterii Ord. S. B. in Westphalia, cujus character annos circiter sexcentos refert. „ Non aliam verò ob causam, „ inquiunt Editores, scripti videntur hi libri, quàm ut eorum Auctor „ demonstraret, Monachos ad omnia „ Ecclesiæ munera obeunda idoneos „ esse, summámque illis injuriam fieri „ à *Canonicis Regularibus*, qui vix seculo XI. exorti, statim eis bellum „ indixerunt; existimantes & ubique „ conclamantes, Monachos tanquam „ incapaces Verbi divini prædicatione, administratione Sacramentorum, parochiarum curâ interdictos, „ intra cellularum suarum angustias „ esse detrudendos: Quamvis hactenus monachi infinitos propè populos, integras nationes & regna non „ pauca prædicationibus suis ad Christi fidem convertissent, nec aliquas „ tantùm parochias, sed universas „ pene totius orbis diœceses administrâssent, ipsámque Sedem Apostolicam non semel occupâssent, nec „ sine fructu. Námque absque ullo „ vanæ jactantiæ vitio possum asseverare, vix unquam magis floruisse „ ecclesias, quàm cùm monachos habuerunt episcopos. „ De Authore horum Dialogorum vide plura loc. cit.

— EJUSDEM *Epistola ad Liezelinum Canonicum, qua ratione Monachorum Ordo præcellit Ordinem Clericorum*, edita est sub nomine *Roberti* in Martene & Durand Thesauro novo Anecdo-

torum Tom. I. pag. 285. & novum argumentum subministrat, *Dialogos* modò dictos esse Ruperti Tuitiensis, id quod miror ab illis Duumviris esse prætermissum, inquit D. Schöttgenius Bibl. med. Lat. l. 17. p. 388.

PAULUS LANGIUS, Germanus, Voitlandius, patriâ Zwicaviensis, Monachus Monasterii Bosauiensis seu Posaviensis in Misnia factus an. 1487. scripsit hortatu Johannis Trithemii Abbatis, sui Magistri, *contra detractores vitæ Monasticæ* libros duos. Possev. Appar. Sac. tom. 3. p. 25.

FRANCISCUS VAQUERO, Monachus Monasterii S. Mariæ de Veruela Regni Arragoniæ conscripsit *Apologia en ala blanca de la Orden de S. Benito*, id est: *Apologiam pro honore Ordinis D. Benedicti* Cæsaraugustæ an. 1616. in 4. apud Joannem de Lanaia. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. nov. p. 376.

CONSTANTINI CAJETANI *De Dignitate Ord. S. Benedicti* Monachorum Patriarchæ Occidentalium Legislatoris eximii, Orientalium Censoris acerrimi, adversùs quasdam novitates Monachorum D. Basilii Apologia recensetur ab Armell. Bibl. Cas. part. 1. pag. 129.

-- EJUSDEM *Responsio juridica* adversùs F. Martinum Fernandez Hermoso & alios de habitu Benedictinorum nigro; de ejus nempe antiquitate & præstantia, eóque usum fuisse S. Patrem Benedictum. Quod Opus cum priori MS.tos inter Codices Bibliothecæ D. Georgii Martyris Venetiis asservatur. Armell. l. c.

D. JOANNES STEPHANUS BADIER à Congreg. S. Mauri cùm esset Turonibus Prior in Monasterio S. Juliani, è Canonicis quispiam S. Martini acerbè in Monasticum Ordinem invectus est, & in corona quidem ac consessu hominum, qui non prudentia minùs quàm dignitate videbantur conspicui. Neque his contentus maledicus convitiator erat, nisi maledicta sua literis consignata typis etiam vulgaret. Ea res Patrem Badier zeli plenum ac de Ordinis sui existimatione sollicitum excitavit, ut partes illius defendendas susceperit in Libro, cui titulus: *La Sainteté de l' Etat monastique* &c. *pour servir de reponse à la vie de S. Martin, composée par Mr. l' Abbé Gervaise, Prevost de l' Eglise de S. Martin de Tours.* id est: *Sanctitas Status Monastici* &c. *quod opus responsi loco esse possit ad vitam S. Martini editam à D. Abbate Gervasio, Ecclesiæ S. Martini Turonensis Præposito. in 12. Turonibus 1700.* Opus in tres distribuitur partes: in quarum priore P. Badier ostendit, quòd Episcopi longè celeberrimi è Monasteriis sint assumpti: S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius, S. Hieronymus, S. Augustinus, aliique ferè sine numero. Ex Familia Benedictina Summi Pontifices minimùm viginti numerantur. In proxima parte per Sulpitii Severi & Gregorii Turonensis testimonia evincit, quòd D. Martinus, ejúsque discipuli Monasticæ Religioni se addixerint. Quod verò testimonia illustrium horum Scriptorum à vero nullatenus abhorreant, haud difficile demonstratu est, modò animus ad concertationem Pictaviensis inter & Turonenses ab obitu S. Martini in Candacensi vico exortam advertatur. Pictavienses sacrum vindicare corpus volebant, per eam causam, quòd Vir sanctus apud ipsos Monachus & Abbas extiterit, Turonenses verò, quòd illorum fuerit Episcopus. Denique argumentum sumit ex continua possessione, in qua Monachi Abbatiæ Majoris Monasterii ad decimum seculum usque perpetuò fuerunt; quo tempore Canonici S. Martini absentiâ usi Monachorum, qui Divi corpus ad S. Benedictum supra Ligerim, atque illinc Antissiodorum circumferebant, in possessionem Abbatiæ Majoris Monasterii involando, illud ad an. 982. usque occupârunt: cùm S. Majolus Abbas Cluniacensis regia suffultus authoritate monachis monasterium, & monasterio monachos restituit. D. Badier in parte postrema describit historiam Ecclesiæ S. Martini Turonensis à Monachis ad Seculum septimum usque possessæ, quò currente Monachi seipsi, ut ajunt, sæcularisârunt, hoc est, ex malis monachis facti pejores Canonici. Huic Libro finem imponit Historia Monasterii Bellomontensis. Opus hoc in 12. Turonibus in 4. apud Barthenum est unum unicum, quod à Domno Badier habemus, qui à natura non admodùm instructus erat, quò idiomate Gallico scitè scriberet: rationum ipsius momenta plus habent nervi, atque efficacis energiæ, quàm stylus Socratici saporis. *Vid. le Cerf Bibliotheque Historique & Critique pag. 6.*

JOANNIS MABILLONII è Congr. S. Mauri *Deux Memoires touchant la préséance des Benedictins sur les Chanoines Reguliers aux états de Bourgogne.*

id

id est: *Gemina Apologia Benedictinorum pro defendenda possessione præcedentiæ in Comitiis Statuum Burgundiæ contra Canonicos Regulares S. Augustini ejusdem provinciæ in* 4. *an.* 1687. Causa geminam isthanc edendi Apologiam hæc fuit: In solemnes Ordinum Ducatûs Burgundiæ Conventus ab hominum memoria non modò admissi sunt Benedictini præcipuarum, & antiquissimarum provinciæ Abbatiarum octo, sed & primum ex parte Cleri Regularis, ante cæteros omnes Regulares locum semper tenuerunt, Eâ prærogativa, nemine contradicente, gavisi sunt, donec Canonici Regulares circa annum MDCLXXXVII. litem movere, eósque de possessione dejicere tentarent. Id ut obtinerent, scriptum obtulêre tum Regi, tum Ordinibus Burgundiæ, in quo auctor sic ferè causam agebat, ut unam Ordinis sui antiquitatem ab Apostolis ipsis repetitam obtunderet, aliáque proferret argumenta, quæ Benedictinorum possessionem nihil aut parùm attingebant. Huic Scripto aliud opposuit Mabillonius, in quo missis adversarii declamationibus, obitérque castigatis verbis in Ordinem Monasticum probrosis, ad rem propiùs veniens, de *antiquitate* & *clericatu* utriusque Ordinis disseruit. Cúmque Mabillonii Scripto respondere conatus fuisset P. *d' Antecourt* (k), alterè Canonicis Regularibus, sed priori moderatior, ejus responsionem altero scripto refutavit. Autore igitur Mabillonio anno 1687. prodierunt *Deux Memoires* &c. quæ quidem ejusmodi sunt, ut peritorum judicio, non tam documenta, quàm eruditæ dissertationes dici jure ac merito debeant, ob varia scilicet, quæ in eis passim illustrantur, historiæ capita. Ea tanti fecêre Germaniæ Monachi, ut ad similia quoque jura vindicanda non semel ac feliciter usi, ad publicum commodum Latinè reddi, typísque subinde consignari curaverint. Prodiit igitur hoc Opus Latinitate donatum à D. *Hermanno Schenck*, Bibliothecario Sanct - Gallensi in 4. Constantiæ typis Leonardi Parcus an. 1706. Extat etiam inter Mabillonii Opera Posthuma tom. 2. pag. 96. Cæterùm Mabillonius Adversariorum ictus adeò validè retorsit, ut palmam cum rubore Benedictinis cedere sint coacti, ipso Rege Christianissimo perlecta gemina apologia per solemnem sententiam Mabillonio victoriam attribuente.

MATHÆI PETITDIDIER Abbatis S. Petri Senonensis & Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi Præsidis *Dissertationes Gallicæ de præeminentia Benedictinorum super Canonicos Regulares* in 4. an. 1698. & 1699.

FELICIS EGGER in Imperiali Monasterio Petershusano propè Constantiam Professi, Ss. Theologiæ Doctoris, *Idea Ordinis Hierarchico - Benedictini Lib. III.* In primo autem Libro asseritur Benedictinis jus præcedentiæ præ Canonicis Regularibus. Occasionem scribendi dederunt DD. Canonici Regulares in Creuzlingen Helveticæ ditionis Monasterio. Anno enim 1674. primam litem, datis ad Episcopum Constantiensem literis, D. Augustinus Prælatus Creuzlinganus O. S. August. Can. Reg. D. Wunibaldo Abbati Petershusano movit, quam DD. Prælati Melchior & Georgius instaurârunt contra D. Abbatem Franciscum.

Anno autem 1703. Reverendissimus D. Abbas Creuzlinganus à sacra Rota evicit Monitorium super manutentionem in possessione præcedentiæ supra Reverendissimum D. Abbatem Petrhusianum, ejúsque Monasterium.

Petrhusiani, jam tum præsentientes, multorum Statuum Imperialium sensu, causam istam non Ecclesiasticis, sed Politicis esse adlegendam, ad evitanda magna utrimque præjudicia, Romæ se sistere quidem recusant; coguntur tamen sub gravissimis comminationibus &c. &c. & surgentibus ex adversa parte ejusmodi Testibus, quorum *Testimonia propriâ manu, ore & sigillo revocata Petrhusii in scrinio habentur*, causa cadunt.

Appellatur à Petrhusianis, & Remissoria, seu commissio in Partium loco postulatur.

Durante Commissionis negotio, causa innotescit in Imperio, & Aula Viennensi, cùm mox ab ipso Romanorum Imperatore Josepho I. feliciss. recordat. superveniunt avocatoriæ, quibus sub gravi pœna Petrhusianis interdicitur, posthac causam suam Romæ promovere ac respondere; quòd per Leges Imperiales, qui Votum & Sessionem in Comitiis habent, reliquis Abbatibus sine controversia præferantur.

 His

(k) le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 269.

His non obstantibus, causam suam Romæ urgent Adversarii, & *Abbate Petrhusiano diutiùs exspectato, nec comparente* (sunt verba ipsius Rotæ in Decisionibus) à Judice palmam referunt.

Sententiâ cum cominatione executionis insinuatâ Petrhusiani continuò ad Comitia recurrunt Imperialia, & ipsum Cæsarem, à quo SS.mus Pater ritè informatus, *examinatis motivis utriusque Partis, declaravit, velle se omnino, ut uterque Abbas, & utrumque Monasterium amicabiliter terminent tandem controversiam.* Vid. Felic. Egger Ideam Ord. Hier. Bened. Lib. I. post pag. 368.

ANTILOGIA, seu *Juridico-Historica defensio, & responsio ad præjudicia Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Clero specialiter Cathedrali, & Ordini D. Benedicti illata à D. Augustino Erath, Canon. Regul. Ord. S. Augustini Wettenhusano per suum Commentarium in Regulam S. P. Augustini. Studio & operâ Dom. Eusebii Carlymæscin, Castroferrariensis. Viennæ an.* 1715. *in* 4. sub ficto nomine *Eusebii* latet P. Anselmus Schramb Mellicensis Bibliothecarius, Chronicíque sui monasterii celebris conditor.

Offendebat animum *D. Augustini Erath Can. Reg* historiola à R.mo *Petro Camutz*, Episcopo Bellicensi in lib. variet. historic. conscripta, à nostro autem D. *Virginio Alviset* Tractatui suo de Privilegiis Regularium inserta; hæc quia lepidum Rustici de *Canonicorum Regularium* vestitu judicium continet, tam acriter pupugit prætactæ eximiæ Religionis virum, ut in aliqua Concionum suarum Dedicatoria immoderatæ vindictæ studio, in universum Ordinem nostrum stylo satis intempestivo invaserit. Nec acquievit, sed in edito posteà Commentario in Regulam S. Augustini turbatâ inter utrumque sanctissimum Ordinem (quæ hactenus inconcussa steterat) pace, Martem accendit, classicum canit, hortatur suos ad præripiendam ubique *Benedictinis* præcedentiam, cujus tamen jus & possessionem *Benedictina Religio* hactenus quietam habuit. At enim

Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnati & prohibiti fuerunt ubicunque & quocunque idiomate impressi, imprimendíve, duo infrà scripti libri, quorum alteri est titulus: *Commentarius Theologico-Juridico-Historicus in Regulam S. P. N. Augustini &c. Authore D. Augustino Erath &c. Viennæ Austriæ an.* 1689. Alteri verò: *Antilogia, seu Juridico-Historica Defensio, & Responsio ad præjudicia Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Clero specialiter Cathedrali, & Ordini D. Benedicti illata à D. Augustino Erath Can. Regul. Ord. S. Augustini &c. studio & operâ Dom. Eusebii Carlymmæsshin Castroferrariensis. Viennæ Austriæ an.* 1715.

Nemo itaque &c.

Et ne scandala, quæ ex non inutilibus modò, sed nocentissimis dissidiis oriuntur, atque oritura imminent, eximiorum Ordinum decus, ac splendorem offuscent, & labefactent, eodem Decreto, & sub eisdem pœnis perpetuum fuit utrique Patri, cæterisque omnibus tam secularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus indictum silentium circa Præcedentiæ controversiam inter Canonicorum Regularium, & Benedictinorum Instituta, quæ in iisdem libris agitatur.

Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die 13. Julii 1717.

Hildesii in Saxonia Inferiore Benedictini præcedentiæ prærogativa nullo non tempore præ Canonicis Regularibus gaudebant: inter septem enim Ecclesias, Patriæ statum coadunantes, prima est post Reverendissimũ Ecclesiæ Capitulum S. Michaëlis Ord. S. Benedicti, cujus R.mus Abbas aliarum Præses esse dignoscitur; secunda S. Godehardi ejusdem Ord. S. Benedicti, *Sultensi* Ordinis *Canonicorum Regularium* non nisi loco quinto subsequente. Atque hæc Benedictinorum præcedentia immota perstabat, cùm illa paucis ante annis à *Canonicis Regularibus* impetuosiùs perturbari cœpit; specialiter verò in congressibus Literariis præripere Benedictinis præcedentiam contendebant. Et nimium quidem Benedictini utriusque Monasterii ad SS. Michaëlem & Godehardum, pacis & charitatis ergò jam concesserant, ut scilicet in Disputationibus secundùm doctioris prioritatem & posterioritatem permixtim recenserentur *Canonicorum Regularium*, & Benedictinorum Lectores; alii secundùm professionis ætarem; sed quoniam hoc per annos aliquot observato ordine non contenti DD. *Canonici Regulares* fœdera ruperunt, prima subsellia per se ipsi viâ facti occupârunt, & omnino Benedictinos præcedere contenderunt, R.P. *Benedictus Stolte*, qui tum Lectoris mu-e-

re

re in suo ad S. Michaëlem Monasterio fungebatur, Jus Ordinis Benedictini in sua persona notoriè læsum reparare constituit. Tractatum igitur in lucem emisit, præclaris approbationibus, maximè Sac. Fac. Almæ & perantiquæ Moguntino-Electoralis Univers. Erfordiensis munitum, in quo (sunt verba Approbationis) *susceptum de Præcedentia argumentum, pro justa Juris Benedictini defensione, non tantùm deducit, sed &, quæ hanc materiam concernunt, solidè exhibet, fundamentaliter proponit, nec non ubique magnis auctoritatibus perdoctè roborat, moderatóque calamo pertractat.* Est verò Operis Apologetici titulus:

Tractatus Historico - Juridicus de Præcedentia controversa Monachos Benedictinos inter & Canon. Regulares S. Augustini, methodo ferè scholastica concinnatus à R. P. Benedicto Stolte, Antiquissimi Ordinis S. P. Benedicti, Congregationis Bursfeldensis ad S. Michaëlem Hildesii Professo, ibidémque p. t. SS. Theologiæ Lectore. Erfordiæ typis Joban. Christoph. Heringii Acad. Typogr. 1730. *in* 8.

Author in hoc suo Tractatu præcipuè id operam dedit, ut, quia DD. Canonici Regulares ex *antiquitate* sui Ordinis & *Clericatu*, quem essentialem vocant, arma depromunt, quibus Benedictinis præcedentiam eripiant, utrumque illud præsidium funditùs evertat. Ostendit igitur, Ordinem Benedictinum esse multò antiquiorem Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini, cùm ille sit natus vix exspirante seculo quinto: nullus autem Canonicus Regularis S. Augustini, quales sunt moderni, ante seculum undecimum fuerit sub sole; quorum nulla unquam nec in Bullis Summorum Pontificum, nec in SS. Patribus, nec in tabulis originalibus, aut instrumentis facta sit mentio, sicut nec Regulæ S. Augustini; quæ primitùs sub Urbano II. anno 1087. in Summum Pontificem electo cœperit notari. Postquam nempe B. PETRUS DAMIANI *Fontis Avellani Ordinis S. Benedicti Monachus & Prior, ex Priore Cardinalis, & Episcopus Ostiensis*, qui obiit an. 1072. aliis 1080. ex duobus S. Augustini sermonibus, nimirùm de *Moribus*, & de *communi vita Clericorum*, regulam confecerat, urferátque Alexandrum Papam II. (uti testatur ep. 16. ad eum data) ut Clerus à Regula Aquisgranensi multùm deficiens (eam tamen contra ipsum prætendens) obligaretur secundùm Regulam ex S. Augustino desumptam ad voluntariam paupertatem. húncque ejus instinctus habuit effectum, ut in *Concilio Romano* anno 1063. celebrato statueretur, Clericos Ecclesiarum Collegiatarum oportere communiter vivere, quæ tamen Constitutio non fuit universaliter recepta. Qui ergo regulam istam ex S. Augustino desumptam, Canonémque hunc sequebantur, dicebantur *Canonici Regulares S. Augustini.*

Successu verò temporis regulam modernam (quam haustam esse ex ep. 109. convenit inter doctos) Monialibus à S. Augustino scriptam, à S. *Benedicto Anianæ* primùm, postea *Indensis Monasterii Ord. S. B. Abbate* olim regulæ S. Benedicti accomodatam, nondum tamen viris datam, postmodùm pleniùs viris adaptatam tradidit S. Arnulphus Episcopus Lemovicensis Franciæ anno 1117. Ab eo tempore, inquit Auctor, hanc Regulam per diversas Europæ provincias ac regna propagari cœpisse. In Italiam introductam fuisse à S. *Ubaldo* Eugubinæ Civitatis Episcopo, in Angliam circa annum Domini 1128. in Bavariam à *Gerbobo*, Reichersbergensi Præposito, in Saxoniam à *Reimbardo*, Episcopo Halberstadiensi, unde non immeritò Ordinem Canonicorum Regularium ab Arnulpho, Episcopo Lemovicensi, posteà Canonico Regulari, *novam plantationem* appellatam fuisse. Cardinalem Bellarminum Canonicorum Regularium Ordini anteposuisse Cisterciensem anno 1098. vel 1099. institutum. *Gravesonem* verò in Historia Ecclesiastica disertis verbis edicere: *Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini regulam profitentium cœpisse tantummodò undecimo seculo; nulla quippe ante hoc seculum in Scriptoribus Ecclesiasticis apparere vestigia.* Ejusdem sententiæ esse Abbatem *Joachimum, Hieronymum à Roma, Antonium Massam, Gerardum Dubois, Ludovicum Thomasinum*, aliósque plures, unanimi sententia Instituti *Canonicorum Regularium* ante seculum undecimum minimè agnoscentes. Ex quibus Auctor infert & concludit manifestè: Ergo Ordo S. Benedicti natus in *Sublaco* anno 1510. in Concilio *Lateranensi*, sive *Romano II.* approbatus, à S. *Gregorio M.* confirmatus Canonicorum Regularium S. Augustini Ordine multò est antiquior.

Quo

Quo demonstrato, Auctor Ordinem S. P. Benedicti non tantùm esse Monasticum, sed etiam per se & essentialiter Clericalem ostendit. Multa verò sunt argumenta, quibus id astruit. *Primum* desumptum est ex ordinatione Sacerdotum, quam S. Benedictus, gravibus adductus causis, non ex extraneis, sed domesticis fieri volebat. *Secundum*: quia Clericatus est distinctivum Ordinis Benedictini à quocunque alio Ordine, sive communitate non Clericali, quales purè Laicales, seu non Clericales erant Monachorum S. Antonii, Pachomii &c. *Tertium*, quia Monachorum Benedictinorum Ordo non tantùm ad vitam contemplativam, sibique soli vacantem, sed ad vitam etiam activam, salutémque animarum procurandam institutus est. Exemplo suis prævivit ipse Sanctissimus Legislator, qui anno 529. migrans in Casinum, ibi idola evertit, lucos succendit, prædicationéque continua indomitum populum ad Christi fidem vocavit, ultimus Italiæ Apostolus. Quam curam animarum strenuè prosecuti sunt ejus discipuli, populis quàm plurimis ad fidem Christianam adductis. *Quartum*: quia ex SS. Canonibus habetur, Clericatum convenire Ordini S. Benedicti, uti Bonifacius IV. can. 25. causa 16. q. 1. declaravit. Reflectenti verò, inquit Auctor, ad intentum adversariorum, contendentium negare vitam activam, & Clericatum Benedictinis, occurrit illud, quod S. Agatha Virgo *Quintiano* exprobravit: *Crudelis tyranne! non te pudet amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti?* nunquid par est inhumanitas, Germanos amputare, & negare Ordini Benedictino vitam activam, per quam tamen primitùs Christo nati cœlestis doctrinæ lacte sunt nutriti? certè enim *Benedictinis* Germani debent admirabile illud lumen fidei, ad quod de tenebris gentilitatis sunt translati per *Bonifacium*, aliósque magno numero Ordinis Benedictini Viros Apostolicos.

Postquàm verò Auctor argumenta Adversariorum ex antiquitate & Clericatu petita ita discussit, atque objectionibus eorum solutis, nullius roboris esse ostendit, præcedentiam super Benedictinos nullo eis modo competere probat, tum authoritate *Cassanæi*, *Nicolai Boerii*, *Felini*, *Baptistæ Caccialupi*, aliorúmque gravissimorum Doctorum, tum consuetudine, quæ non tantùm legum, sed omnium Jurium optima habetur interpres. In quam rem *Joannis Campegii* verba refert, ex quibus perspicuum fit, antiquissima consuetudine receptum esse, ut Benedictini Canonicos Regulares præcedant in Regno Hungariæ, Franciæ, Angliæ, in Alemannia, Burgundia, Italia, atque in ipsa Urbe Roma; constare autem, quòd stylus Curiæ Romanæ innitatur Juri communi &c.

Sicque, pergit narrare Auctor, gavisi sunt Benedictini avito suo præcedendi jure super *Canonicos Regulares* universim omnes, usque ad tempus Concilii Tridentini; quamvis enim tempore Leonis X. Canonici Lateranenses obtinuerint, ut in Processionibus abjecto habitu, quem domi & in plateis tantùm portabant, scilicet Caputio & Cappa nigra, ponerentur cum suis Rochetis, seu Camisiis albis & biretis post Clerum secularem, quasi pars illius Chori, nihil interea mali suspicantibus *Benedictinis*; cùm, ut quis habeat aliquam præcedentiæ prærogativam, debeat incedere in indumentis gradui suo convenientibus, & aliàs consuetis, ut docet Butrius *in cap. 1. de auth. & usu pallii*, & Card. Alexand. in can. Episcopus 17. *Canonici* autem *Regulares* isti in illo actu non incedebant in habitu suæ institutionis, & consueto, unde & quà tales non præcedebant. Proinde etsi hoc stratagemate *Benedictinis* præcedentiam subdolè præripere quæsierint, nulla tamen de præcedentiæ jure movebatur quæstio. Tempore autem Concilii Tridentini Canonici Regulares Congreg. Lateranensis, *Dominici Tarvisini*, *Celsi Veronensis*, & *Eusebii Mediolanensis*, qui tempore Innocentii VIII. hanc quæstionem primò moverant, forsan discipuli, aut æmuli, videntes, quòd P. M. *Paulus* III. & *Julius* item III. jusserunt, ut ipsi Cassinenses mitterent tres ex suis Abbatibus ad Sac. Tridentinum Concilium, non quieverunt, donec à Pio IV. magnis intercessionibus obtinuerunt, ut ex eis quoque tres possent accedere, prout accesserunt, suítque eis per Reverendissimos Legatos assignatus locus post ipsos Abbates Cassinenses.

„ Ipsi verò statim more solito (verba sunt *Ant. Massa*) cœperunt „ velle ejicere Cassinenses de loco & „ possessione sua, & velle illos præce-

dere

„ dere, dederúntque occasionem li- „ ti, ut verum esse appareat, quod „ à multis historiarum authoribus „ proditum est; adeò potentem esse „ in animis hominum majorum suo- „ rum imitationem, ut sæpissimè „ successores in una & eadem fami- „ lia, nedum bonos mores, verùm „ etiam vitia suorum antecessorum „ imitanda sibi proponant, in eáque „ imitatione sibi placeant; atque „ etiam exinde gloriam captent.„

Tandem prædictis illis omnibus non attentis sub Pio IV. anno 1564. controversia in favorem Canonicorum Lateranensium sic decisa est: scilicet *Canonicos Regulares* Congreg. Lateranensis, uti Clericos NB. *dimissa superiori veste, pallio*, seu *Cappa*, in *linea veste*, *Clericalíque habitu incedentes*, in processionibus, & omnibus aliis actibus publicis & privatis præcedere debere. Cujus sententiæ defectus omnes etiam substantiales ex Apostolicæ potestatis plenitudine supplet idem Pius IV. per Bullam sententiæ confirmatoriam eodem anno, die 18. Januarii emanatam.

Cardinales Judices ad antiquitatem istorum Canonicorum demonstrandam, usi sunt aliquot verbis Bullarum Benedicti XII. & Eugenii IV. quibus ajunt standum esse, nam, cùm materia dubia dici possit, standum est in dubiis determinationi Papæ. Videbatur autem Cardinali *Cicadæ* antiquitas *Canonicorum Regularium* dubia, quia tum temporis eadem quæstio explicatu difficilis erat, historia nondum satis illustrata, sed cum nostra ætate, studio eruditorum historiæ multùm lucis affusum sit, præsumpta illa antiquitas prorsus evanuit. Et certè, si Canonicos Lateranenses inter & Benedictinos controversia recrudesceret (inquit Mabillonius) dubio procul Benedictini Casinenses causam evincerent.

Manent verò Benedictini, & sunt in possessione præcedentiæ super *Canonicos Regulares*, non. Lateranenses, ubique terrarum, in Gallia, Parisiis Urbe Regia, Germania cum Superiori tum Inferiori, Viennæ in Austria, sede Imperatoris, in Italia &c. atque adeò in ipsa Urbe Roma. Nam Congregatio S. Salvatoris, seu Bononiensis quatuor Monasteria Romæ habens, in omnibus Italiæ urbibus, etiam Romæ in conspectu Pontificis, Cardinalium, & totius Cleri cedit Benedictinis.

Cæterùm ut Adversarii huic *Tractatui Historico-Juridico*, quem revincere non potuerunt, notam tamen inurerent, operam dederunt, ut Romæ delatus apud Sacram Indicis Congregationem fuerit prohibitus. Hac verò prohibitione abusi DD. Canonici Regulares Decretum prohibitionis publicè ad valvas Ecclesiæ Hildesiensis affixerunt, quod certè factum videtur, ut vulgo imponeretur, perinde ac sacra Congregatio rationes in eodem Tractatu contentas pro falsis atque insubsistentibus habuisset. Revera tamen sciendum est, id nequaquam in animo fuisse præfatæ Indicis Sacræ Congregationi: quandoquidem cùm R.mus S. Viti Martyris ad Gladbacum Abbas, & totius Congregationis Bursfeldensis Præses rem hanc iniquo ferret animo, Romam scripsit, ut inde cognosceret, quid de hac prohibitione, nec non affixione judicandum esset. Romá itaque rescriptum ipsi fuit, hoc Decreto Sacram Congregationem nullatenus voluisse præjudicare rationibus & juribus competentibus in hac quæstione; sed ideò tantùm hoc Decretum fuisse emissum, quòd antiqua ejusdem Congregationis extent Decreta, quibus cautum est, ut omnes libri, qui possint edi in tali controversia, sive pro parte Monachorum, sive pro parte Canonicorum Regularium, ipso facto prohibiti sint; idque ob œconomiam quandam, ut jurgia & dissidia inter hos Ordines de medio tollerentur. Quare Eminent. Cardinalis de Via ejusdem S. Congregationis Præfectus epistola sua an. 1721 mense Junio data testatus est, nullum præjudicium inferri rationibus à Benedictinis in medium prolatis, vel in juribus ipsis competentibus vi hujus Decreti; sed hoc factum esse duntaxat in executionem præcedentium Decretorum. Idem testatus est R.mus P. Magister Rudolphi ejusdem Congregationis Secretarius. Ex quibus satis liquet; neque in odium Auctoris, neque ob sententiam & rationes in libro contentas Tractatum hunc fuisse proscriptum. Econtrà verò, ut aliquo modo injuria, quæ aliquatenus per dicti Decreti affixionem illata fuisse videri poterat, compensaretur, aliud Decretum fuit expeditum, quod jam ab anno 1717. contra librum P. *Augustini Erath* emanaverat, qui in suo

suo Commentario in S. Augustini Regulam præcedentiam propugnat, ut possint Benedictini è converso hoc idem Decretum publicè ad valvas Ecclesiæ affigere, perinde ac factum fuerat de altero, & ita res ex utraque parte æquaretur. Sed qua Benedictini Hildesienses ad S. Michaëlem erant animi moderatione, atque pacis studio, id hactenus minimè fecerunt.

CHRISTIANI, Abbatis Mellicensis, an. 1451. defuncti *Epistola Apologetica*, quam ad universos fideles scripsit an. 1435. ad finistros rumores dissipandos, ac si cum Generali Concilio Basileensi non sentiret. Vid. Hist. Bibl. Mellic. p. 244.

STEPHANI PALTRAM, Prioris Mellicensis, *Scriptum*, quo pro defensione suæ famæ contra quosdam maleferiatos ad Sedem Romanam appellat. Inc. *In nomine Domini, Amen. Coram vobis Notario publico &c. ego Stephanus dictus Paltram, Prior Conventualis Monasterii Mellicensis &c.* Cod. chartac-membr. in fol. G. 35. Quo quidem ex Scripto apparet, fuisse eum legum, jurisque peritissimum. Utpote qui juris ordine servato, à Ludovico Abbate, ob decrepitam ætatem ad justitiam administrandam haud ampliùs apto ad Summum Pontificem appellavit. Agunt de illo P. Anselm. Schramb Chron. Mellic. pag. 243. & P. Martinus Kropff Bibl. Mell. pag. 134.

PLACIDI PETRI à PRATIS, Visitatoris Reformationis Cluniacensis *Apologeticum*, five *Jurium Volsæ & Reformationis Ord. Cluniac. in Prioris majoris vota vindex Oratio.* in 4. Vide Catalog. Bibl. Teller.

ROMANI HAY *Apologia* pro Ord. S. Benedicti, qui falsò infimulatus fuit, quòd omnimodam ab Episcopali Jurisdictione exemptionem quærat. Vid. Astrum Inextinctum Quæst. VI.

THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Apologie de la Mission de S. Maur*: id est: *Apologia ablegationis S. Mauri Apostoli Benedictinorū in Gallia.* Parisiis apud Petrum de Bats an. 1702. in 8. inserta etiam habetur Annalium Benedictinorum Tomo I. in Appendice p. 629. Recensionem vide in Actis Eruditorum m. Octob. an. 1713.

BERNARDI PEZII, Bibliothecarii Mellicensis, *Epistola Apologetica pro Ordine S. Benedicti* adversùs Libellum *Cura salutis, de statu vitæ maturè, ac prudenter deliberandi Methodus* &c. *inscriptum, & Sodalibus B. Mariæ Virg. sine labe Conceptæ in Cæsareo Academico Soc. Jesu Collegio Viennæ erectæ in strenam oblato anno MDCCXIV. Autore Anonymo Soc. Jesu. Defenduntur hic etiam obiter Inclytus Status Petrinus, Ordo Can. Reg. S. Aug. Cisterciensis, Præmonstratensis, reliquiq; stabilitatem profitentes. Edidit, notis, & observationibus illustravit R. D. P. Mellitus Oratius, ejusd. Ordinis Theologus. Campoduni per Joannem Mayr impressum anno MDCCXV.*

Editionem libelli *Cura Salutis* R. P. Generalis Inclytæ Soc. Jesu ut boni consuleret, longè pro magna sua prudentia absuit, sed periniquo potiùs tulit animo. Ita RR. PP. Jesuitæ Dilingani in Suevia Collegii, nominatim R. P. Schlechten (qui Reverendissimo & Celsissimo Principi & Episcopo Constantiensi à sacris Confessionibus fuit) R. P. Franciscus Mouleto Ss. Theologiæ ac SS. Canonum Professor, aliiq; plures R. P. Augustino Stegmüller Monacho, postea Abbati Zwifaltensi altero post anno ultro fassi fuerunt, qui pariter ejusdem libelli editionem nullo probare modo prætetulerunt. Unde operam lusit alius nonnemo Viennensis Jesuita, qui editionem libelli *Cura Salutis*, ex mente Præpositi sui Generalis præposterè factam, suo ex cerebro, verbis maximè contumeliosis in Pezium invectus, defendere sustinuit. Commotus procul dubio fuit occasione *Dialogi Apologetici pro Statu Petrino adversùs Jesuitam anonymum Viennensem* typis excusi, cujus tamen auctor minimè fuit Bernardus Pezius, sed nescio quis *Hüffenweter*, Sacerdos Secularis. Quæ verò à Pezio in suis Epistolis Apologeticis disputantur, num in omnibus Benedictinis per Germaniam Monasteriis ita se habeant, ut ipse fidem facit, in medio relinquo. Forsan à vero non deflectam, si *Epistolis* ejusdem *Apologeticis* illam præfigam epigraphen, quam Petrus Abaëlardus cuidam suo libro præfixit: *Sic, & non Sic.*

ANGELI MARIÆ QUIRINI S. R. E. Cardinalis, Episcopi Brixiensis *Epistola Pastoralis ad Clerum & Populum Brixiensem*, Italicè scripta, ac an. 1745. impressa in 4. maj. Hac inscriptione insigniuntur quatuor Epistolæ, quibus Purpuratus Princeps contra Calumniatorem Batavum, à quibusdam malevolis Romanis concitatum, se defendit. Quanquam, ut Eruditi ajunt Hamburgenses, iste nebulo tanti Herois irâ dignus non fuerit.

CAPUT



CAPUT V.

SCRIPTORES ELEGANTIORIS LITERATURÆ.

FEcerintne operæ pretium Familiæ nostræ alumni, quòd scribendis Grammaticis, Lexicis, Orationibus, Poëmatibus, aliisque politioris literaturæ argumentis calamum impenderint, non continuò dicere ausim; cùm hæc quæstio ab illa altera, *an Monachis literarum humaniorum studia permitti possint*, planè dependeat. Quòd si enim eadem studia non nisi exigente cùm necessitate, tum utilitate Monachis permittenda sunt, quis non intelligit, non tam magno numero Scriptorum elegantioris literaturæ nobis gloriandum, quàm illum Lectoribus excusandum esse. Legatur Mabillonius Tract. de Stud. Monast. cap. xi.

SECTIO I.

GRAMMATICI.

CASSIODORII (M. Aurelii) *Orthographia* ex veteribus Grammaticis excerpta. 1.) Ex Gnæo Cornuto de Enuntiatione vel Orthographia. 2.) Ex Velio Longo. 3.) Ex Curtio Valeriano. 4.) Ex Papiriano. 5.) Ex Adamantio Martyrio de *b* & *v*. 6.) Ex eodem de mediis syllabis. 7.) Ex eodem de ultimis syllabis. 8.) Ex eodem de *b*, litera trifariam in nomine posita. 9.) Ex Eutiche de aspiratione. 10.) Ex Cæsellio Orthographo. 11.) Ex Lucio Cæcilio Vindice. 12.) Ex Prisciano moderno auctore. Extat Opp. tom. 2. p. 574-587.

VENERABILIS BEDÆ 1.) *Incunabula Grammaticæ Artis restituta.* 2.) *De octo partibus Orationis.* 3.) *De Orthographia.* Tria hæc Opuscula extant Tomo I. Operum Bedæ: & primum quidem pag. 1. alterum pag. 14. tertium pag. 53. Opus tamen de Orthographia ex MS. Bongarsii edidit primùm Hanoviæ an. 1605. in 4. *Elias Putschius* inter *Veteres Grammaticos* pag. 2327-2350. diversum à libello ejusdem argumenti, qui Bedæ vulgò adscriptus, Tomo I. pag. 1. ejus Operum lucem aspexit. Oudin. de S. E. Tom. I. p. 1683.

ALCUINI Grammatica edita fuit à Canisio *Ingolstadii* an. 1604. in 4. prodiit item Hanov. 1605. in Grammaticis Putschii. Si quæ Cassiodorus, inquit Canisius in Præfat. ad Lect. *de Grammatica*, de Orthographia, de Tropis & Schematibus scripsit, meritò veneramur, & amplectimur, cur par honor non haberetur Grammaticæ Alcuini ob reverentiam partim vetustatis, partim tanti Scriptoris, qui more S. Augustini, Bedæ, & Cassiodori omnibus omnia factus est, Theologis Theologus, Dialecticis Dialecticus, Musicus Musicis, Grammaticis Grammaticus, atque adeò puer pueris, ut omnes lucrifaceret. Nec dubito, quin Alcuinus ad exemplum S. Augustini & Bedæ sese conformare voluerit, ut sicut illi de omnium liberalium disciplinarum genere præceptiones tradiderunt, & ipse nihil literarum religioso viro dignum intactum relinqueret.

PAULI DIACONI *Vocabularium* ex Festo Pompeio excerptum, quod Carolo M. nuncupavit, præmissa epistola, quam vide in Appendice Tom. II. Annalium Ord. S. B. pag. 717. & apud Gattolam in Hist. Monast. Casin. Sec. III. pag. 25. Hos FESTI *de verborum significatione* libros etiam Paulo Diacono Scaliger & Fabricius attribuunt. Vid. Fabric. Bibl. Lat. Append. pag. 78. & 79. & Bibl. Med. Lat. Vol. 5. pag. 621.

B. RABANI MAURI Libelli duo à Walafrido Strabo, ejus discipulo collecti, quorum priore *Glossæ Latina-Barbaricæ de partibus humani corporis, mensibus, & ventis*, posteriore *de inventione linguarum ab Hebræa usque ad Theotiscam, & notis antiquis* continentur. Editi primùm fuerunt à Melch. Goldasto Tomô II. Scriptor. Rer. Aleman. asservantur etiam in Bibliotheca Monasterii Emeramensis Ratisbonæ in Cod. membr. 8. Denique legi possunt Rabani Operum Tomo VI. pag. 331 - 332. & 333 - 334.

OTFRIDUS, natione Germanus, Rhabani Mauri discipulus, Cœnobii Weissenburgensis. Monachus claruit anno 870. Exemplo Caroli Magni Imperatoris conatus est barbariem linguæ Teutonicæ ad Regulas Grammaticales reducere; unde à Joanne Bollando Prolegom. in vitam B. Mauri Rhabani §. IV. pag. 505. die 4. Febr. vocatur Otfridus *Germanicæ Orthographiæ præcipuus inventor*. Extat operâ Joannis Cordesii Canonici Lemovicensis unà cum opusculis & epistolis Hincmari, Archiepiscopi Remensis, aliqua hujus Otfridi de hac sua Orthographia Theotisca, & Evangeliorum in eam translatione epistola, inscripta Luidberto, seu Liudberto, Archiepiscopo Moguntino.

ERMENRICUS, Monachus Augiensis & discipulus *Walafridi Strabonis* Seculo IX. Librum de *Grammatica* scripsit ad Grimoldum, ex Monacho Augiensi Archicapellanum Ludovici Regis, & S. Galli Monasterii Abbatem, è qua *Mabillonius* Analectorum Tomo IV. pag. 332. nov. edit. pag. 420. fragmenta quædam juris publici fecit. Vide etiam ejus Annal. tom. 2. pag. 687.

HILDEMARI Monachi epistola ad *Ursum* Beneventanum Episcopum *de recta legendi ratione*, extat Annal. Benedictin. Tom. II. Append. n. LXI. pag. 443.

LAMBERTI Pultariensis Monachi ad Albericum Abbatem epistola ejusdem argumenti. Mabill. l. c. n. LXII. pag. 744.

S. BERTHARIUS ex Regum Francorum stirpe Abbas Casinensis & à Saracenis martyrio affectus an. 883. *aliquot etiam de Arte Grammatica scripsit libros*, teste Leone Ostiensi lib. 1. c. 33. apud Gattolam in Hist. Casin. Sec. IV. pag. 70.

KERONIS Monachi S. Galli interpretatio verborum Alamannicorum extat in Goldasti Collectione Script. Rer. Aleman. tom. 2. p. 69.

ISO Cœnobii San-Gallensis Monachus, composuit, ut Goldastus testatur in præfat. ad Script. Rer. Alem. *Lexicon Latinum* ex veteribus Glossariis collectum, quod in Bibliotheca cathedrali asservatur, inquit Cav. Hist. Lit. pag. 467. ex quo interrogare liceat, quænam illa sit cathedralis Bibliotheca?

SALOMON Comes Turgoviæ, aut Baro à Ramschwag, Monachus primùm, tum Abbas San-Gallensis, ac deinde Episcopus Constantiensis hujus nominis III. Arnulphi, Ludovici filii, atque Conradi Imperatorum Cancellarius scripsit inter alia exquisitæ doctrinæ opera *Lexicon*, opus grande, & eruditum *De septem Artibus liberalibus*; quod hodiéque in Bibliotheca ejusdem inclyti Monasterii asservatur. Jod. Mezlerus de Vir. Illust. San-Gall. lib. 11. c. 16. Salomon decessit è vita anno 919.

RATHERIUS ex Monacho Laublensi Veronensis Episcopus, dum in Gallia exul *Rostagnum* adolescentem, in nobilissima Familia natum, postmodùm Arelatensem Episcopum, literis rogatus imbueret, Librum de *Arte Grammatica* condidit, quem *Sparà dorsum* hybrida voce dixit; quia puerorum tergis consulat. *Sparen* Germanis est *parcere*, quod in gratiam exterorum additur, qui hanc vocem non intellexerunt, adeóque nec rectè expresserunt. Nam Bulæus scribit *Serva dorsum*, Mabillonius verò Sec. V. Benedictino pag. 485. ex Folcuino *Spera dorsum*: utrumque Abbas Lebeuf. Tom. II. Dissert. pag. 28. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 6. p. 147. Floruit Sec. X. circa an. 933. Vid. Mabill. ad an. cit. Annal. Bened. tom. 3. An Ratherii verò Opus adhuc supersit, non satis liquet.

ABBONIS Abbatis Floriacensis & Martyris Liber *de Quæstiunculis Grammaticalibus*, cujus prologus ex msc. codice Peleteriano extat in appendice Annal. Bened. Tom. IV. §. VI. pag. 687.

MARINUS S. Maximini Trevirensis Monachus Sec. X. teste Trithemio in Annal. Hirsaug. ad an. 999. *De Grammaticis Regulis* Lib. I. composuit.

ÆLFRICI ex Abbate Malmesburiensi Archiepiscopi Eboracensis Sec. XI. anno 1051. defuncti *Grammatica Latino-Saxonica*, quam cum *Glossario*

rio ejus edidit Guil. Somnerus adjunctam Dictionario suo Saxonico - Latino - Anglico. Oxon. an. 1659 in fol. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 66. Extare tamen msf. pulcherrimo charactere exaratam in Bibliotheca Cottoniana & D. Joannis Oxon. alibique sæpiùs *Glossarium Ælfrici*, ab eo, quod publici juris fecit Somnerus longè diversum, nôrunt, quotquot in his studiis hospites non planè sunt, & plus quàm semel iterúmque monet Cl. Hickesius *Catal. Libr. Septentrion.* quem Grammaticæ suæ Anglo - Saxonicæ subjecit. Vide B. M. E. pag. 129. col. 1.

PETRI Diaconi Casin. *De Notis Literarum Romanarum* ad Conradum Imperatorem Liber, primùm editus Venetiis an. 1525. deinde Hannoviæ inter antiquæ Grammaticæ auctores ab Elia Putschio editis. Cav. Hist. Lit. pag. 579.

BENEDICTI Abbatis Floriacensis *Glossarium Latino - Græcum* digestum per rerum capita, editúmque ab Henrico Stephano, Bonaventura Vulcanio, & Carolo Labbeo, uti legimus apud Fabricium Vol. X. Bibl. Græcæ pag. 58.

CÆSARII Abbatis Prumiensis Glossarium citatur à Browero, & Cangio in *beriperretus* &c. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. pag. 881.

DAVID Monachus S. Jacobi Herbipolensis, anteà eadem in civitate Scholasticus, scripsit Sec. XII. *De Grammatica* Lib. 1. Trith. in Chron. Hirs. anno 1137.

ERCOMBERTUS, Anglus, Monachus Glasconiensis, Vir magnæ auctoritatis, gravitatis, modestiæ, & ad institutionem juventutis aptissimus. Nam plurimos suæ curæ commissos, tum in bonis literis, tum etiam in piis moribus insigniter erudivit. Vir sanè de omni politiore doctrina optimè meritus, licèt perpauca ejus scripta, eáque maxima ex parte Grammaticalia nunc inveniamus,

De octo Partibus Orationis. Lib. unus.
Regulas Grammaticales. Lib. unus.
Tempus, quo claruit, ipsum, ut Pitseus pag. 837. arbitratur, tempus oblitteravit.

GREGORIUS HUNTINGTONUS Ramesiensis in Anglia Monasterii Prior sub diversis Abbatibus ad annos triginta octo, linguarum, Græcæ & Hebraicæ erat peritissimus, scripsit

Rudimenta Latinæ Grammatices. Lib. I. Aggressus sum ego novem regulas,

Expositionem Donati. Lib. un. Iste titulus varius invenitur.

Notulas in Priscianum. Lib. un. Dicit Isaac in libro de diffi.

Artem intelligendi Græca. Lib. un. Quoniam in ante expositis literis.

Explanationes Græcorum nominum. Lib. I. Nemicerius Episcopus ad.

Grammaticæ Græcæ summam. Lib. un. Ars, quam fingo.

Claruit an. 1255. Vid. Baleum IV. 22. Pitseum æt. 13. pag. 333.

LAURENTIUS HOLBECK Monachus Anglus in Cœnobio Ramesiensi. In paludibus Girviis, teste Lelando, natus, obscuros natales ingenii felicitate, & bonis artibus, quas didicit, illustravit, & accessione virtutum mirificè ornavit. Erat enim vir castus & temperans, humilis & modestus, prudens etiam & in omnibus moderatus. Hebraicis literis valde delectatus, multos annos in earum studio feliciter posuit, & ad accuratam tandem linguæ sanctæ cognitionem pervenit. Præcesserat eum in eodem monasterio, & in iisdem studiis Gregorius Huntingdonensis. Hic multos Hebræos libros, quos à Judæis coëmerat, & undique diligenter conquisiverat, illi Bibliothecæ reliquerat. In quos incidit Laurentius, ejúsque secutus exemplum, studiis illius linguæ se totum consecravit. Invenit ibidem Hebraicum Dictionarium à prædicto Gregorio feliciter quidem inchoatum, quod morte præventus absolvere, & ad intentam perfectionem perducere non potuit. Hoc Opus aggressus Laurentius bonis auspiciis ad fastigium perduxit, hoc titulo præfixo *Dictionarium Hebraicum lib. un.* Claruit an. 1410. Pits. æt. 15. p. 587.

JOACHIMI PERIONII Dialogorum Libri IV. de linguæ Gallicæ origine, ejúsque cum Græca cognatione. Parisiis an. 1555.

ADAMUS ESTONUS ex Monacho Norwicensi S. R. E. Cardinalis linguæ Hebraicæ scientissimus, multa, quæ ad eam facilitandam spectant, eruditè conscripsit, v. g. *Alphabetum Judæorum* & alia plura. Steganographiæ etiam peritus fuit, ob quam in magnam incidit calamitatem, uti in ejus vita ostendimus.

JOANNIS TRITHEMII *de Polygraphia libri sex*, quos anno 1507. ad Imperatorem *Maximilianum I.* scripsit. *Polygraphia* verò artem denotat rei cujuspiam multiplici ac vario modo scribendæ, quam nemo intelligentiâ

assequitur, nisi qui illius possideat clavim. Multum studii ac laboris in excolenda hac facultate Trithemius collocavit, cujus primum specimen dedit in isthoc Opere, quámque subinde in sequenti libro *Steganographia* diductiùs exposuit. Prima editio est *Joannis Hasselbergeri* in fol. an. 1518. Altera in 4. *Francofurti* an. 1550. cui accessit Clavis unà cum *Adolphi de Clauburg* explicationibus. Tertia *Coloniæ* in 8. an. 1564. Quarta & ultima, quod quidem sciam, Argentorati etiam in 8. an. 1600.

— *De Steganographia libri duo.* Equidem *Joannes Duraclusius* Trithemii discipulus in epistola ad Nicolaum Hamerium, quæ præfixa est Polygraphiæ, plures enumerat Præceptoris sui libros, & inter eos Steganographiæ libros octo. Verùm ipse Trithemius in Ep. 51. ad Rogerium sic año 1507. de iis scripsit: „Magnum „ & nimis arduum opus Steganographiæ mirabilis adinventionis in octo „ libros partiendum sum adorsus, cujus primum quidem librum, & secundum ad finem usque in hunc „ diem perduxi, tertium verò mancum & omnes reliquos dimisi usque „ in hunc diem sepultos, multiplici „ consideratione persuasus, cùm & „ labor sit magnus, & forsitan retributio parva. Maneat ergò imperfectum, sicut jacet, donec aliud „ persuadeat utilitas. „ Hæc ille. Non plures igitur, quàm duo Steganographiæ libri manuscripti vivente adhuc Trithemio, in manibus paucorum circumferri cœperant, anno 1505. qui cum sex Polygraphiæ libris *Francofurti* anno 1606. in 4. & *Darmstadii* anno 1621. in 4. typis excusi fuerunt.

Significat verò *Steganographia* artem, quæ occultum scribendi genus tradit, quo præcipuè Principum Legatis ac Secretariis ad occultum literarum commercium opus esse videtur. Ut verò artis hujus pertractandæ cupiditatem promiscuæ hominum multitudini eximeret, varii generis spectra, & pallentes Erebi umbras literarum loco delegit, ut, qui oculos in librum conjicit, eum pro mago habeat quasi necesse sit. Et verò ipse Trithemius multo tempore librum hunc in vulgus exire noluit, cùm animo prævideret, quòd qui hanc scribendi facultatem minùs callerent, aut omnino ignorarent, ipsum in censum Veneficorum relaturi essent. Primam ipse occasionem præbuit, cùm anno 1499. Gandavum ad Arnoldum Bostium Carmelitam literas daret, in quibus Steganographiam suam verbosiùs commendavit. Casu verò evenit, ut ante literarum adventum Bostius humanæ vitæ periodum absolverit. Prior loci ac monasterii, apertâ epistolâ, cùm insolitas adeò, & supra quàm dici potest, mirabiles figuras atque expressiones in iis contineri cerneret, quid cogitaret, anceps animi, illam cum aliis communicavit. Nec fuit quisquam, qui inspectis literis, Trithemium si non palàm, certè quidem animo secum in magiæ suspicionem non vocaret. Id quod Trithemius ipse suo in Chronico Spanheimensi ad annum 1499. non diffitetur. Crevit suspicio, cùm anno 1512. superstite adhuc Trithemio, opella exiguæ molis ac paucorum foliorum sub ipsius nomine in vulgus sparsa fuit. Titulus libelli erat: *Veterum Sophorum Sigilla & Imagines Magicæ.* Supposititius hic erat fœtus, cujus parens minimè erat Trithemius. Nihilominus in causa fuit, ut, cùm subinde *Steganographia*, quæ plena infernalium erat spectrorum, in publico comparuit, Trithemius non obscurè insimularetur, ac si artem magicam exerceret. Cujus criminis ipsum reum fecit præ cæteris *Carolus Bovillus*, Theologus Parisiensis. At enim Trithemius ipse se omnium primus de nefario hoc scelere quàm optimè purgavit in epist. ad *Joannem Capellerium*, Mathematicum Parisiensem. Scripta fuit anno 1507. & extat inter ejus epistolas numero 243. Ab obitu Trithemii, plures pro ipso vindicias scripserunt; nempe

Sigismundus, Abbas Seonensis doctissimus, anno 1643. demortuus, cujus sunt *Vindiciæ Trithemii*, seu *defensio Apologetica Steganographiæ, à quibusdam malè interpretatæ* in 4. In hoc Opere Autor ea omnia, quæ in Steganographia adducuntur, physicis ac naturalibus principiis subnixa, ac proinde vetitæ magiæ nomine minimè damnanda esse, luculenter demonstravit. Vid. Hist. Univers. Salisburg. lib. 2. c. 4. pag. 238.

Joannes Caramuel Lobkowiz, typis Coloniensibus an. 1635. in lucem emissa *Declaratione & Vindicatione Steganographiæ Trithemianæ in* 4. à Trithemio stetit

Idem præstitit *Gabriel Naudæus* in

in Apologia *pour les grands hommes* cap. 16. §. 10.

Verùm inter Trithemii Vindices primas partes jure sibi vindicat *Augustus*, Serenissimus Dux Guelpherbytanus, qui anno 1624. sub ficto nomine *Gustavi Seleni* librum conscripsit, quem sanctissimæ memoriæ Principi Ferdinando II. Imperatori Augusto anno Christi MDCXXIV. dedicavit sub hoc titulo: *Gustavi Seleni Cryptomenytices & Cryptographiæ libri IX. In quibus planissima Steganographiæ à Joanne Trithemio Abbate Spanheimensi & Herbipolensi, admirandi ingenii Viro, magicè & ænigmaticè olim conscriptæ enodatio traditur; inspersis ubique Authoris, ac Aliorum non contemnendis inventis.* Meruimus ipsiusmet Serenissimi Principis dono, inquit *Gabriel Bucelinus* (l), Opus præfatum, nec sine magna animi consolatione, de tanto nominis & famæ tanti Abbatis Assertore gratulabundi in frontispicio libri tabellæ cupreæ inciso, quantum Trithemio deferret Dux & Princeps tantus, facilè animadvertimus, cùm ipse stans à tergore sedentis & scribentis tanti ingenii virum, meritissimúmque honoraturus caput, huic Ducalem suum pileum, sive cidarim imponeret; summâ reverâ venerationis contestatione, & memorabili literarum & literatorum omnium Mæcenatis, illorum tantoperè colendorum exemplo potentissimo illos confundere, qui sæpè de viris doctissimis & meritissimis stulta & temeraria indebitæ sibi gloriæ ambitione nequissimè detrahere non erubescunt.

„ Nec verò hoc Opus (sunt verba „ *Hermanni Conringii* (m)) usquam „ terrarum potuit temerè ignorari cu„ riosæ doctrinæ sectatoribus quibus„ que, quoniam Latina lingua, quæ „ Eruditis Europæ hodie est commu„ nis, conscriptum est; cumprimis „ verò quandoquidem novitas argu„ menti allicere lectores idonea est. „ Passim scilicet antehac Trithemiana „ illa Steganographia magicæ impie„ tatis suspicione, post Caroli Bovilli „ insectationem, laborabat, eóque „ & solenni Romanæ Curiæ interdi„ cto legi erat prohibita. Cardina„ lis Bellarminus scribere non dubi„ tavit: *Opus illud prohibitum meritò „ est, cùm sit plenum perniciosis dog„ matibus, ad magiam pertinentibus, „ quod & ipse agnovit, & confessus „ est.* Franciscus Junius Theologus „ profectò doctrina multiplice excel„ lens, cùm Bibliothecam Heidelber„ gensem curaret, ἀντίγραφον ipsum„ met Trithemii, Philippo Electori „ Palatino ab Auctore oblatum, tan„ quam magicâ refertum δαιμονισμοῖς „ combusserat. Inter magicos libros „ & *Joannes Wierus* referre Stegano„ graphiam non est veritus: cùm ipse „ præstigiarum suspicione fere vix li„ beraverit. Quàm feliciter verò „ Princeps purgaverit boni Trithemii „ illud quidem opus, audi sodes ju„ dicium Gabrielis Naudæi, viri uti„ que multâ eruditione clarissimi in „ bibliographia: *Quod ad Steganogra„ phica*, inquit, *pertinet, quæ Carolo „ Bovillo doctori primùm nafuto, ac „ ipsius relatione multorum creduli„ tati magica omnino visa fuerant, ea „ sic nuper illustravit nobilis auctor „ Cryptographiæ, Gustavus Selenus, „ ut quidquid in illis obscurum involu„ túmque, tamdiu in summa omnium „ opinione ac veneratione delituerat, non „ ampliùs sui desiderium excitet, post„ quàm ab illo retectum est, atque pa„ tefactum.* „ Johannes Vossius, vir „ itidem longe doctissimus, lecto Sele„ niano Opere, soceri sui, Francisci „ Junii, de Trithemiana Steganogra„ phia judicium nonnisi tepide ac le„ viter ausus est defendere, *viri do„ ctissimi* præconio Gustavum no„ strum prosecutus. Liberavit Trit„ hemium, fateor, & Joannes Ca„ ramuel Lobkowizius ab infamia il„ la magica, sed volumine multum „ dispari, & aliquot demùm post Prin„ cipem annis: quamvis ineptè ausus „ sibi primo gloriam illam vindicare „ Principis ingentibus meritis per „ κακοζηλίαν dissimulatis. „ Hæc ex Conringio.

Plures Authores, qui pro vel contra *Steganographiam Trithemianam* scripserunt, nôsse qui desiderat, legat CHRISTIANI THOMASII *Brevia Documenta* de crimine Magiæ Hallæ Saxonicæ an. 1704. in 4.

Ego verba tantùm *Natalis Alexandri* hic subjungam, quæ is Historiæ Ecclesiasticæ Sec. XVI. Tom. VIII. pag. 205. inferuit: *Ob Steganographiam ab imperitis in Magiæ suspicionem immeritò vocatus est Trithemius, vir pientissimus.* Quæ verba Indiculi Censorii Authores Romæ Notâ perstrinxe-

(l) in Benedict. Rediv. pag. 39.
(m) De Bibl. Aug. Opp. Tom. v. pag. 583.

strinxerunt. Respondit Pater Alexander: „ Quid sit Steganographia, videntur non intelligere, qui Trithemium jure merito in Magiæ suspicionem venisse volunt. Legant illustrissimum Annalium Baronii Continuatorem Spondanum ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum-nonum, num. x. ubi pium & eruditum Auctorem ab omni magiæ suspicione vindicat, Steganographiæ clavim tradens, Ut, inquit, *tantum virum, optimè cetera de Ecclesia Catholica Ordine suo, ac re literaria meritum, ab omni adeò nefandi criminis culpa immunem existimemus, fecit diligentia eruditissimi Patris Hilarii, Monachi Benedictini Cœnobii S. Germani de Pratis Parisiensis, Congregationis Reformatæ SS. Benedicti & Mauri, qui re nobiscum post primam nostram horum Annalium editionem communicata, arcanum aperuit ambagium Trithemii, à se non parvo labore, & industria adinventum: manifestâque ad ipsasmet Trithemii epistolas facta probatione, ostendit, nihil toto eo opere esse conjurationis aut invocationis dæmonum, sed quæ ejusmodi videntur, claves tantùm esse, seu interpretationes verborum, quibus ambiguè utebatur in suis epistolis: Spiritus diurnos, quos vocat, Epistolas ipsas esse, quæ cunctis paterent: Spiritus autem nocturnos, quasdam literas, syllabas, seu vocabula ipsarum Epistolarum, quæ in se continerent secretum in eis comprehensum: Duces denique & ministros spirituum, verba & literas otiosas, quæ iisdem Epistolis continerentur, ad legendum secretum in iis comprehensum &c.* Hæc Spondanus. Idem Trithemio contigit, subjungit Nat. Alexander, quod Sylvestro II. & Alberto Magno, ut ob rerum, quæ communem hominum captum superarent, tractationem, vel operum admirabilitatem, à rudibus illarum artium in Magiæ suspicionem vocarentur.

TRITHEMII Epistola ad Steganographiam separatim prodiit Herbipoli an. 1548.

SIMON GEIGER, Monachus Monasterii Wiblingensis in Suevia, Latinè, Græcè, ac Hebraicè doctus scripsit præter alia plura 1.) *Indicem Alphabeticum Latino-Hebraicum.* 2.) *Compendium de Elementis Linguæ Hebraicæ.* 3.) *Tabulam abbreviatam syllabarum Græcarum.* Obiit 1547. Vid. Annal. Wibling. pag. 76.

VENERAB. DESIDERII à CURIA, Congreg. S. Mauri perinde, ac SS. Vitoni & Hidulphi parentis ac institutoris zelosissimi *Methodus Linguæ Hebraicæ ediscendæ.* Opus ineditum, quod inter MS.tos Codices Bibliothecæ Monasterii Virdunensis asservatur. Ruinart in Itin. Liter. in Alsat. & Lotharing. p. 442.

AUGUSTINUS LAMPUGNANUS, Italus, Mediolanensis, è Congreg S. Mauri Italicam linguam non parùm excoluit. Unde celebriores per Italiam Academiæ, Veneta *Incognitorum*, Brixiensis *Errantium*, Bononiensis *Indomitorum*, Genuensis *Dormitantium*, aliæque, inter socios certatim eum cooptârunt, cùm præter doctrinam, morum etiam comitate, candore, & affabilitate omnes in sui amorem & benevolentiam allicerent. Edidit inter alia *Lumi della lingua Italiana diffusi da regole abbreviate, e dubbii esaminati per lo fugitivo Academico Indomito.* id est: *Fax linguæ Italicæ accensa per Regulas compendiosas, & dubia excussa per fugitivum Academicū Indomitum.* Opus hoc adhuc MS. miserat Augustinus Academicis Indomitis Bononiensibus emendandum & corrigendum; at illi inscio Authore, Operis luce dignissimi partem evulgârunt an. 1641. & postea idem integrum an. 1652. apud Zenerum sub nomine Academici Indomiti, ut dictum est, ediderunt. Augustinus itaque ipsum postea à se recognitum recudendum curavit, suo expresso nomine apposito, Mediolani an. 1653. apud Ludovicum Monza.

LUDOVICI THOMÆ du FOUR è Congreg. S. Mauri *Linguæ Hebraicæ Opus Grammaticum*, copia, brevitate, ac methodo absolutum in 8. Parisiis 1642. apud du Gast. Opus nuncupatum fuit Domino Lescot Doctori Sorbonæ, postea Episcopo Carnotensi.

CLEMENTIS REYNERI *Onomasticum* nominum barbarorum, vel obsoletorum, quæ in variis instrumentis antiquis *Operis de Apostolatu Benedictinorum in Anglia* occurrunt, ordine alphabetico dispositum, Duaci an. 1626.

CORNELII MARGARINI Abbatis Titularis è Congregatione Casinensi, *Explanatio Dictionum exoletarum Longobardicarum*, quæ nedum in Bullario Casinensi, sed in cæteris etiam Longobardicis monumentis haberi pos-

possunt. Quae quidem explanatio seorsim etiam impressa fuit Tuderti apud Vincentium Galassium in 8. anno 1670. cum hoc titulo : *Dictionarium Longobardicum*. Vid. Armell, Bibl. Casin. part. 1. pag. 140.

ISIDORUS LANFREDINI, patriâ Florentinus, ibidémque apud S. Mariae insigne Cœnobium nostris adnumeratus an. 1642. die 21. Martii, floruit nedum Etruscae, sed Gallicae etiam linguae peritiâ, quam Parisiis, ubi olim, dum in Germaniam pergeret ad fratrem suum Ser.mi Ducis Neoburgensis intimum aulicum, bellis itinera obstruentibus, aliquamdiu substitit, in Academia à Cardinali Richelio institutâ, interpretatus est, pro quâ item lingua faciliùs addiscendâ novam methodum, & regulas composuit tum Gallico, tum Italico sermone, quò fit, ut eodem tempore utrumque idioma commodè intelligi possit; quem librum sub hoc titulo postea evulgavit:

Nouvelle methode, courte, & facile pour apprendre la Langue Françoise, composée & donnée au jour par le R. P. D. Isidore Lonfredini Florentin Moine, & Doïen Benedictin, Interprete de laLangue Françoise dans l'Academie de Paris. id est : *Nova, brevis, ac facilis methodus addiscendi linguam Gallicam, composita & in lucem emissa per Isidorum Lanfredinum Florentinum, Monachum & Decanum Benedictinum, Linguae Gallicae in Academia Parisiensi interpretem. Florentiae apud haeredes Francisci Onoffrii an. 1684. & antea Parisiis quater impressa.*

SEVERINUS BOCCIUS ab Asculo in Apulia, Cavensis Cœnobii alumnus, ac deinde plurium Monasteriorum Abbas, & Congreg. Casin. Visitator scripsit *Dictionarium Italicum* tomis v. in fol. Item *Grammaticam Italianam* tom. 1. in 4. In his portò duobus Operibus plurimum temporis ac studii Author insumpsit, ut quidquid ad Italicam linguam exornandam pertinet, ex probatissimis Authoribus fusissimè enuclearet. Mſ. Armell. Bibl. Caſ. part. 2. pag. 175. Author obiit 1697.

AMBROSII WOLFF Ottoburani *Paedagogus Ottoburanus, docens ac ducens ad exactiorem methodum discendi & docendi Regulas Grammaticae.* in 8. Annum verò editionis non exprimit Felix Egget in Idea Ord. Ben. lib. 2. part. 3. p. 589.

CLAUDII LANCELLOTI, Galli, Parisiensis, literarum humaniorum olim Professoris 1.) *Nova methodus addiscendi Latinam & Graecam linguas.* 2.) *Hortus Graecarum Radicum.* 3.) *Grammatica Italica.* 4.) *Grammatica Hispana.* &c. Author scripsit Gallicè, typis sine nomine vulgavit, atque anno 1694. in Minore Britannia vitam cum morte commutavit. Ejus Opera summopere laudantur Tom. IV. *Jugemens de Sçavans* num. 689. pag. 140.

PETRI GUARINI è Congreg. S. Mauri *Grammatica Hebraica cum Compendio Grammaticae Chaldaicae.*. Author Opus suum in tres partitus est libros. In primo agit de Etymologia, aut de Analogia verborum: in altero complectitur syntaxin tam simplicem, quàm figuratam: in tertio diversos collocavit tractatus, qui ad Grammaticam & Literaturam Hebraicam pertinent: unde fit, ut lectori varia occurrant, cujusmodi sunt ampla Dissertatio de accentibus, nova Hebraeorum Poësis, eorum Calendatium, comparatio monetarum, ponderum, mensurarum, quibus ipsi utuntur, cum nostratibus; Compendium Grammaticae Chaldaicae ad faciliorem intelligentiam sacrae Scripturae in lingua isthac, & plura alia, quae enumerare longum foret. Tractatibus hisce subnectuntur tres Indices: primus continet loca sacrae Scripturae, quorum declaratio in contextu Operis data fuit: secundus verba difficilia & irregularia: tertius materias & argumenta; cui etiam finem imponit Lexicon admodùm amplum. Quibus rebus fit, ut Patris *Guarini* Opus non tam pro Grammatica Hebraica sit habendum, quàm pro collectione, in qua quae maximè curiosa sunt, atque ad Hebraicam linguam spectant, ritè ordinata magno numero habeantur. Ut nihil dicam de Notis atque Observationibus quàm copiosis, tam eruditis, quae usui maximo esse possunt iis omnibus, qui penitiorē linguae Hebraicae cognitionem sibi comparare animo propositū habent. Cùm verò Author doctissimus vitam naturae reddidisset a. 1730. *F. Nicolaus le Tournois* tertio tomo absolvendo manum admovere jussus est. Vide le Cerf. Bibl. Histor. Crit. p. 176. Meminit etiam Guarinianae Grammaticae non fine multa laude Aug. Calmet in Supplem. ad Bibl. Sac. part. 1. p. 402. col. 1.

LUDOVICUS PELLETIER è Congr. S. Mauri ab anno 1700. studium ac laborem convertit ad componendum *Dictionarium Etymologicum Linguæ Britannicæ*: cui cùm post annos XVI. supremam manum primùm imposuerit; facilè quivis animum inducere potest, ut vim ingentem eruditionis rerúmque aliarum scitu curiosarum in eo contineri credat. Opus ut in lucem publicam exire possit, faventem exspectat Lucinam.

ALEXII LOBINEAU Glossarium vocum Anglicarum, Britannicarum, Vasconicarum, Gallicarum, Hispanicarum, & infimæ Latinitatis, quod in Historia Minoris Britanniæ post indicem rerum & verborum adjecit Tom. II. Parisiis 1707.

RENATI MASSUET *Glossarium Græcum & Latinum* in Opera S. Irenæi noviter à se edita, continens eas voces, quæ vel ab usu communi remotiores sunt, vel quarum significata sunt Irenæo, vel ejus interpreti propria. Parisiis typis & sumptibus Jo. Bapt. Coignard 1710.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND *Index Onomasticus* Vocum barbararum & Exoticarum tum in *Thesauro Novo Anecdotorum*, tum in *amplissima veterum Scriptorum & Monumentorum Collectione*. Extat tomo nono & ultimo.

DIONYSII SANMARTHANI *Glossarium Vocum corruptioris Latinitatis, aliarúmque peregrinarum* in Instrumentis, quæ ad Galliam Christianam decem tomis comprehensam spectant, de quarum sensû & significatione Cl. Author suas dat conjecturas; cùm plurimæ in *Cangiano* desiderentur Glossario.

ANSELMI DESING id temporis in Lycæo Frisingensi Humaniorum Literarum Professoris doctissimi *Grammatica linguæ Latinæ*, à tribus jam lustris, & quod excurrit, scripta, nec edenda tamen ab Authore, dum occasio se feret cum viro experto totum Opus sæpiùs ad incudem revocandi.

CLAUDIUS GUENIE è Congreg. S. Mauri novam editionem *Glossarii D. du Cange* moliri cœpit, quòd unius voluminis accessione in folio augmentaturus erat, sed morte anno 1723. interceptus, operis continuationem D. *Toutain* & D. *Pelletier* ejusdem suæ Congregationis doctissimis Sodalibus reliquit, qui uno volumine non contenti pluribus illud locupletârunt, ac sub titulo sequenti in publicum emiserunt:

Caroli du Fresne, Domini du Cange Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis VI. Tomi; opera & studio Monachorum Ord. S. Bened. è Congreg. S. Mauri fol. Parisiis 1733. Editio nova locupletior & auctior, magnis efferenda laudibus. Vid. Recensio in Actis Erudit. Lips. an. 1735. pag. 193.

— *Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis. II. Tom. fol. Lugdun.*

HIERONYMI PEZII, Mellicensis Bibliothecarii, *Glossarium vocum Germanicarum obscuriorum*, quæ occurrunt in Chronico Germanico Rhythmico ab *Ottocaro* Seculi XIV. Auctore perscripto, quod Opus typis an. 1745. descriptum Rerum Austriacarum Scriptorum Tomum conficit tertium.

PLACIDUS AMBOS, Mellicensis Cœnobita, magnâ sedulitate collegit, glossísque necessariis instruxit sex sequentes veteris ævi Scriptores Germanicos, qui sunt I.) Glossæ Theotiscæ in Curam Pastoralem S. Gregorii M. ab annis octingentis scripta, quæ in vetustissimo Codice Bibliothecæ San-Florianensis in Austria superiore servantur. II.) Insignis Codex Collegii Hospitalensis manu Seculi XIII. ineuntis pereleganter exaratus, quo breves Sermones pro concione ad populum habiti per Dominicas & Festa totius anni continentur. III.) Versio Regulæ S. Benedicti Abbatis Seculo itidem XIII. adornata, quæ extat in volumine membranaceo Monasterii Aspacensis in Bavaria. IV.) Anonymus Poëta in Bibliotheca Glunicensi conservatus, qui eodem Seculo XIII. vixit, & Historias Biblicas à Genesi usque ad Lib. IV. Regum, aliorúmque populorum gesta, præsertim verò Bellum Trojanum Rhythmis Germanicis persecutus est. V.) Wolffram us de Eschenbach, Poëta pariter Seculi XIII. qui Bellum quoque Trojanum, aliorúmque Heroum acta descripsit, & in celebri Bibliotheca Gottwicensi adservatur. VI.) Incerti nominis Mellicensis Benedictini Poëmata Moralia in cod. membranaceo annorum 400. eleganter scripto, publica luce dignissima. Hactenus enumeratos sex Scriptores, aliáque plura illustrandæ veteri nostræ linguæ vernaculæ inservientia præclara monumenta, noster A. R. P. Placidus Amon ab aliquot annis magna sedulita-

litate collegit, Glossisque necessariis instructa propediem in publicos usus evulgabit. Ita Hieronymus Pezius, Bibliothecarius Mellicensis in Praefat. ad Glossarium, quô Germanicae voces obscuriores & obsoletae in Ottocari Chronico occurrentes explanantur.

PETRI GUARINI è Congregat. S. Mauri *Lexicon Hebraicum & Chaldaeo-Biblicum, in quo non solùm voces primigeniae seu radicales, verùm etiam derivatae cum omnibus earum accidentibus ordine Alphabeti disponuntur; & Latinis earum interpretationibus, quas exhibent optima, quae hactenus prodierunt, Vocabularia Hebraica & Chaldaica, praemittuntur Graeca, quas suppeditant LXX. Interpretum Translatio, & quae supersunt* Aquilae, Summachi, Theodotionis V. VI. & VII. *editionum Fragmenta. Accedunt nomina propria Virorum, Mulierum, Idolorum, Populorum, Regionum, Urbium, Montium, Fluviorum &c. cum praecipuis eorum etymologiis. Lutetiae Parisiorum. Typis Jacobi Francisci Collombat &c.* 1746. in 4. col. 3014.

JOANNES GELE è Congregat. S. Mauri Dictionarium Historico-Geographicum D. Abbatis Baudrand à se auctum & emendatum iteratis typis excudi curavit Parisus in fol. an. 1705.

JACOBI BILLII PRUNAEI S. Michaelis in Eremo Coenobiarchae *Locutionum Graecarum in communes locos per Alphabeti ordinem digestarum volumen*: Lugduni apud Franciscum le Feure MDLXXXVIII. in 8. Item Duaci 1599. in 12. Item Genevae 1609. & 1615. in 8. quibus editionibus prior fuit Parisina an. 1578. in 8.

GEORGII è Congreg. Casin. Monachi c. an. 1530. *Grammatica Graeca de syllabis Graecis* in usum sodalium Congreg. suae composita, & censurae Gregorii Cortesii Graecè doctissimi ex eadem Congregatione Cardinalis subjecta; cujus judicium vide in epistola ad Georgium data, quae extat inter Epistolas Cortesii familiares pag. 162. An verò haec Grammatica typis unquam mandata fuerit, me latet: ex ea tamen intelligimus, Graecas literas illo aevo in Congregatione Casinensi floruisse.

SECTIO II.

RHETORES, SIVE ORATORES.

S. BURCHARDUS Nuiscellensis in Anglia Monachus, Comes S. Bonifacii, Germaniae Apostoli, & Herbipolensis Episcopus ab anno 752. ad 791. cùm jam Episcopatum esset resignaturus, habuit ad Clerum & populum simul congregatum *Orationem prolixam & elegantem de substituendo successore*, cujus meminit Pitseus aet. octav. ad an. 791. pag. 164. De illo plura in Joan. Petri Ludewigii Scriptoribus Würtzburgensibus Tom. I. pag. 388. & apud Surium xiv. Octobr. *S. Sturmii*, Abbatis Fuldensis, Caroli M. ad Thassilonem Bojariae Ducem Legati Oratio, qua ipsum ad officium reduxit; extat apud Brunnerum Annal. Boicor. part. 1. l. 5. pag. 703. seq.

GUITMUNDI Monachi Crucis S. Leufredi Dioecesis Ebroicensis in Normannia Oratio ad Guillelmum I. Angliae Regem, in qua Episcopatum sibi ab eo oblatum modestissimè recusat. Extat Tomo xvui. Bibliothecae Patrum. In hac Oratione, inquit Natalis Alexander, sanctam Guitmundi libertatem suspicere licet, qui in terra praedatitia, & apud gentem, quae exteros Episcopos sibi praefici molestè ferebat, Episcopatum recusavit, ac Regem Guillelmum cognomento *Angliae Conquaestorem* hortatus est, ne secundis eventibus efferretur, útque judicii divini memor esset: „Dum, inquit, me ipsum salubriter moderari „nequeo, qualiter aliorum vitam ad „salutis viam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non „video, qua lege digniter praeesse valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbarámque locutionem nescio, quorum patres charósque parentes & amicos occidistis gladio, vel exhaeredatos opprimitis exilio, vel carcere, vel indebito intolerabilíque servitio. „Scrutamini scripturas, & videte, „si quâ lege sancitur, ut Dominico „gregi Pastor ab inimicis electus violenter imponatur. Ecclesiastica „electio priùs debet ab ipsis subjectis „inde-

„ fidelibus cum sinceritate fieri, ac
„ postmodùm adstipulatione Patrum
„ & amicorum (si canonica est) re-
„ verenter confirmari. Alioquin cum
„ charitate debet emendari. Quod
„ bello & effusione multi cruoris tru-
„ culenter rapuistis, quâ ratione mi-
„ hi aliisque contemptoribus mundi,
„ qui sponte pro Christo nudati su-
„ mus propriis, sine culpa impartiri
„ potestis? Generalis omnium Reli-
„ giosorum lex est, à rapinis abstine-
„ re, & de præda (etiam si offertur)
„ pro justitiæ observantia nolle reci-
„ pere. Dicit enim Scriptura: *immo-*
„ *lans ex iniquo, oblatio est macula-*
„ *ta - - - - Qui offert sacrificium ex*
„ *substantia pauperum, quasi qui vi-*
„ *ctimat filium in conspectu patris.*
„ Hæc & his similia divinæ Legis
„ præconia pertractans expavesco,
„ & totam Angliam quasi amplissi-
„ mam prædam dijudico, ipsamque
„ cum gazis suis, velut ignem arden-
„ tem contingere formido. . . . . Nor-
„ manniam cum vestra licentia redi-
„ re dispono, & opimam Angliæ præ-
„ dam amatoribus mundi quasi quis-
„ quilias derelinquo. Liberam pau-
„ pertatem Christi amo, quam Anto-
„ nius & Benedictus amplexati sunt,
„ magis quàm divitias mundi, quas
„ Cræsus & Sardanapalus nimis ama-
„ verunt. „ Hæc Oratio Guitmundo Regis admirationem & reverentiam conciliavit; multorum verò adversùs ipsum concitavit invidiam, ut *Ordericus Vitalis* testatur: sed Guitmundi virtus & merita invidiâ superiora erant. Certè si Marco Tullio, Romanæ Eloquentiæ Principi, in Oratione pro T. Milone tantum animi ac constantiæ fuisset, quantum Guitmundo fuit, nunquam Milo Massiliæ barbatos pisces edisset. *Guitmundus* verò subinde à Gregorio VII. ad dignitatem S. R. E. Cardinalis ab Urbano autem II. ad fastigium Archiepiscopatûs Aversani in Italia evectus fuit.

LAURENTII, Prioris Cathedralis Monasterii Dunelmensis in Anglia, *Oratoris*, judice Lelando, *vehementis* Oratio sive *Apologia Laurentii pro Laurentio* cum duabus aliis Orationibus asservatur in Bibliotheca Cottoniana sub effigie *Vespasiani* litera D. Codice XI. num. 1.

CLEMENTIS VI. Pont. Max. Oratio in Canonizatione S. Ivonis à Surio edita Tom. III. à Bollandianis recusa mense Majo Tom. IV. Notatu digna sunt illa Clementis verba; „ Et fortè
„ non casu, sed divina dispensatione
„ factum est, ut mihi istud negotium
„ servaretur. Et ratio videtur prima,
„ ut quia Dux Britanniæ Johannes
„ ex parte patris Brito est, & ex par-
„ te matris Lemovicensis erat, Brito
„ Yvo Heloy per Papam Lemovicen-
„ sem Sanctorum Catalogo adscriba-
„ tur. Secunda, quia, ut ex pro-
„ cessu colligitur, iste Dominus Yvo
„ anno ætatis suæ quinquagesimo &
„ XIX. die Maji coronatur in cœlis;
„ ego autem anno ætatis meæ quin-
„ quagesimo ad statum istum, licèt
„ invitus assumptus XIX. die mensis
„ Maji coronatus sui. „

-- EJUSDEM ante summum Pontificatum *Oratio* coram Joanne Pontifice XXII. de expeditione Philippi Regis Francorum.

-- EJUSDEM *Oratio* in funere Card. Neapoleonis; eam laudat Steph. Baluzius, & fragmenta quædam profert Tom. I. Collect. Actorum veterum Vit. PP. Aven. col. 600. 601.

RICHARDUS AUNGERVILLUS ex Monacho primùm Dunelmensi Regis Eduardi III. Cancellarius, deinde anno Domini 1333. Episcopus Dunelmensis reliquit *Orationum ad Principes, librum unum.* Pitseus æt. 14. pag. 467.

JOANNIS GODEFRIDI (al. Goffridi) ex Monacho & Abbate Luxoviensi S. R. E. Cardinalis *Oratio*, seu *Harenga* facta per Reverendissimum Cardinalem Albiensem in Ecclesia Parisiensi anno 1468. quâ die Cardinalatûs dignitatem recepit Dominus Cardinalis Andegavensis. Extat in D'Achery Spicilegio ult. edit. in fol. Tom. III. pag. 825. Sermo verò publicus id temporis *Harenga* seu *Arenga* ex Valerio vocabatur.

-- EJUSDEM *Oratio*, seu *Harenga* per R.mum in Christo Patrem, Cardinalem Episcopum Albiensem, Abbatem quoque inclyti Monasterii S. Dionysii in Francia, composita præpositáque Cordubæ coram præcellentissimo Castellæ Rege Henrico anno Domini 1469. Extat l. c. pag. 835.

GUILIELMI FILLATRII ex Abbate S. Bertini Episcopi primùm Virdunensis, tum Tullensis, deinde Tornacensis *Oratio in funere Philippi Boni Burgundiæ Ducis.* Vid. Foppen. Bibl. Belg. pag. 402.

HIERONYMI ALLIOTI Abbatis è Congr. S. Justinæ *Oratio* anno 1458. habita ad *Pium II.* Pont. Max. *pro Populo Florentino*, in qua liquidò osten-

ostendit, quantùm in Apostolicam Sedem, ac præsertim in ipsum *Pium* Pontificem Populus Florentinus propensus esset ac deditus. Vid. Armell. part. 1. p. 207.

LEONARDI SEEMANN, Monachi Bursfeldensis, Oratio in laudem *Almerici*, Abbatis primi Monasterii Bursfeldensis, Viri magnæ doctrinæ, virtutis, ac fervoris, qui non ipse tantùm sacro in suggestu pro concione dixit, sed in schola etiam docuit, quam suo in monasterio admodùm egregiam instituit. Fato functus est circa annum 1115. Vid. Leuckfeld in Antiquit. Bursfeld. cap. 1. p. 16.

JOANNIS RAULINI ex Regii Navarræ Gymnasii Doctore & Rectore Monachi Cluniacensis *Collatio*, seu *Oratio* habita in Regali Collegio Navarræ in solenni festo S. Ludovici per Thema: *Domine in virtute tua lætabitur Rex.* Seorsim excusa Basileæ; & junctim edita Tom. V. Scriptorum Francicarum Rerum fol. 493. per Andream Duchesnium.

– EJUSDEM *Collatio*, seu *Oratio* habita in publico Conventu Cluniacensium, de perfecta Religionis plantatione, incremento, & instauratione. Parisiis anno 1499. apud Guidonem Mercatoris in 8. & posteà apud Jo. Andream in 12. an. 1644.

CAROLI FERNANDI Eloquentiæ Professoris Regii in Universitate Parisiensi *Oratio de Conceptione B. V. contra Vincentium Bandellum.*

– Alia de S. *Catharina Virgine & Martyre.* Vid. Trith. de S. E. p. 393.

HENRICUS GODEFRIDUS ex nobili Familia Parisiis ortus Monachus S. Dionysii, & Collegii Navarræi Socius, erat excellens Orator, ac verbi divini præco, scripsit *Oraison funebre de Maximilien Empereur*, id est, *Orationem in funere Maximiliani Imperatoris.*

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Orationes*, vel *Declamationes* in annuo Conventu Abbatum Ordinis Divi Benedicti Reformationis Bursfeldensis. Cùm verò sint longè gravissimæ, earum argumenta me hîc subjicere non pigeat.

ORATIO I. *De fuga seculi, & laudibus vitæ Religiosæ.*
II. *De ruina Ordinis S. Benedicti, & Reformationis Bursfeldensis laudibus.*
III. *De ruina Status Ecclesiastici & Monastici, & quæ olim Ordinem Benedictinum reddiderunt gloriosum.*
IV. *De Cura pastorali, vel de Officio boni Abbatis.*
V. *De duodecim excidiis observantiæ regularis in Ordine Monastico.*
VI. *De Operatione divini Amoris.*
VII. *De vera conversione mentis ad Deum.*
VIII. *De Laudibus Ruperti Abbatis Tuitiensis.*

Extant inter ejus Opera Pia, & Spiritualia anno 1605. Moguntiæ impressa. Habuit Trithemius & alibi in aliis occasionibus præstantissimas Orationes. Sunt verò omnes ejus Orationes numero viginti, quæ Abbatibus & Monachis, si, quô spiritu scriptæ sunt, legantur, longè majorem præstare usum possunt, quàm illæ Ciceronis & Demosthenis, tametsi Græcæ & Latinæ Eloquentiæ principum.

JOANNIS FECKENAMI Abbatis ultimi Westmonasteriensis in Anglia, in carcere pro fide Catholica mortui an. 1585. *Oratio funebris in exequiis Reginæ Mariæ.* Alia habita in Comitiis Anglicè. De quibus vid. Pitseus æt. 16. pag. 785.

FLORIANI TREFFLERI Benedictoburani in Bavaria Cœnobitæ *Declamationes Theologicæ* triginta tres de præcipuis cùm Ecclesiæ Catholicæ Feriis, tum Religionis Christianæ capitibus, & *Joachimi Perionii*, Cormæriaceni *Orationes duæ*, in Petrum Aretinum una, de vita Joannis Baptistæ altera, junctim fuerunt editæ Coloniæ apud Maternum Cholinum in 12. an. 1561. De *Perionii* autem priore Oratione in Aretinum abjectè satis *Lambinum*, & *Muretum* sentire testatur Teisserius ad Elogia Thuanea Gallica Tom. I. pag. 162. *Il a publié une Oraison contre Pierre Aretin, de la quelle Lambin se moque dans une de ses lettres, & Muret temoigne, qu'il n'y a rien, pour si absurde qu'il soit, qui ne puisse monter dans l'esprit de Perion*, id est: *Vulgavit unam Orationem in Petrum Aretinum, quam Lambinus in una suarum epistolarum exagitat; & Muretus testatur, nihil ita esse usquequaque absurdum, quod in Perionii cerebro locum nancisci nequeat.* NB. in margine apud Teisserium citantur literæ Lambini ad Joañem Paludanum, Mureti verò Epistola ad Lambinum. Mihi, cùm hæc legissem, nihil prius fuit, quàm ut in ultima editione epistolarum Mureti, quam Jacobus Thomasius Lipsiæ anno 1726. accuravit,

& quibuscunque potuit epistolis, in prioribus editionibus omissis locupletavit, ejusdem ad Lambinum hac de re epistolam perlegerem; sed nullam invenire potui, bene verò duæ aliæ ad Hubertum Giphanium de Lambino scriptæ sese mihi obtulerunt. Et prior quidē extat Lib. I. Num. LXXVII. pag. 554. ubi Muretus ad Giphanium hæc de Lambino: „ Contuli loca, „ quæ notaveras: & admiratus sum „ hominis impudentiam: quam tamen in memetipso jam pridem expertus eram. Non enim tantùm, „ cùm multa à me accepta pro suis „ publicâsset, ultrò conquestus est, „ sua sibi à me subrepta esse: sed etiam (vide, quæso te, inauditum improbitatis genus) cùm admonitus „ esset à me de locis quibusdam Horatianis, quos ita stultè interpretatus fuerat, ut omnibus eruditis „ debere ludibrium videretur; non „ est veritus dicere ac scribere, eam „ ipsam sententiam, à qua ipse monitu meo discesserat, meam fuisse; „ méque ut illius auctorem exagitare „ iisdem illis argumentis, quæ à me „ acceperat. Quid ejusmodi homini facias, aut quid ad tam insignem impudentiam addi posse arbitrere?„ Hæc & alia plura Muretus de Lambino. Quæ cùm ego legissem, censorium hominis judicium de Perionii Oratione in Aretinum nauci faciendum existimavi. Idque eò magis, quòd Lambinus à Petro Ramo amico suo in Perionium concitatus fuerit. Cùm enim Ramus magnas inter Studiosos Parisienses turbas ob doctrinam Aristotelis acriter reprehensam excitâsset, Perionius hominis novaturientis conatus jussu Sorbonæ gemina oratione fortiter repressit. Quæ res cùm Ramum malè habuisset, quoscunque potuit, & maximè Lambinum, politioris Literaturæ professorem in Perionium concitavit. Teisserii verò Gallica verba leguntur apud Vincentium Placcium de Scriptor. Anonym. cap. 2. pag. mihi 195. ubi Orationem Perionii nunquam sibi visam fuisse fatetur. Mihi verò & visa & lecta fuit. Sic verò inscribitur:

Ad Henricum Clarissimum, Potentissimúmque Galliæ Regem, cæterósque Reipublicæ Christianæ Principes Joachimi Benedictini Cormœriaceni in Petrum Aretinum Oratio.

Ratio nuncupandæ Henrico Regi Orationis fuit inter alias hæc: *Petrus Aretinus* librum, quem *Capitoli*, id est, Capita, seu Epigrammata nominavit, Italico sermone in lucem emiserat: in hoc ea scripsit, quæ perspicuè Christi divinitatem ac S. Joannis Baptistæ dignitatem tollunt. Hos impios versus ad Galliarum Regem Franciscum minimè mittere ausus fuit, ejusdem tamen nomen illis præfixit, quò major ipsius Orationi tribueretur auctoritas; Perionius indignè ferens, Aretinum Regio nomine tam flagitiosè abusum fuisse, Henrico, Francisci filio, suam nuncupavit Orationem, in qua eidem Aretini flagitium exposuit.

Ad cæteros verò Reipublicæ Christianæ Principes Perionius Orationem suam scripsit, quò eosdem commoveret, ut *Petrum Aretinum*, qui se non modò legum, verùm etiam Dei hominúmque gravissimum inimicum ac hostem profiteretur, è medio Christianæ Reipublicæ tollerent. „ Est „ enim, inquit Orator, ejusmodi „ Petrus Aretinus, ut non solum ipse „ vitam ab initio ætatis omni flagitiorum libidinúmque genere inquinatam egerit, verùm etiam alios „ ita vivere & scriptis doceat, détque „ præcepta, quibus omnes imbuti „ aut potiùs infecti libidinem obscœnissimam fœdissimámque facillimè „ explere possint. Nec verò ista illius „ hoc in loco amentia consistit. Nam „ & eos tantùm laudibus afficit, quos „ sibi similes in turpitudine vitæ esse „ novit: & eos vituperat, omnibúsque maledictis vexat, quos à suo „ isto vitæ genere abhorrere intelligit: nec in eo rationem ullam ducit vel religionis suæ, vel aliorum „ dignitatis, nisi fortè eorum, quos „ aut minis, aut vitæ superioris maledictis magnum sibi vectigal quot „ annis pendere coëgisse dicitur. Atque his quasi gradibus viam sibi ad „ majora munivit: omnibus enim „ conviciis Superos exagitat. Quæ „ cùm indigna esse intelligerem, mihi „ faciendum non putavi, ut qui me „ Reipublicæ Christianæ defendendæ, quam iste oppugnaret, natum „ scriem, hísque paucis annis eandem „ contra ejus acerrimos hostes defendere meminissem, hoc ei loco „ deessem. „

Hanc autem omnem accusationem *Perionius* in duas divisit partes: Primùm dixit de Petri Aretini vita, quæ semper à pueritia cùm in omni libidinum genere, tum in nefaria turpitudine, Sodomia, versata est; deinde

de perniciosam disciplinam, quam eo libro, quem *Capricium* inscripsit, aliisque operibus profitetur, exposuit. *Aretinus* enim scripsit atque edidit nefarium librum quendam, quem *Capricium* à caprorum lascivia & libidine nominavit. Hunc præclarum istum librum, cæterósque ferè omnes, præceptis, quibus omnes imbuti aut infecti potiùs, ad nefariam istam libidinem explendam paratiores venire possunt, refersit: quæque nec os pudicum proferre, nec manus verecunda scribere, nec religiosæ aures audire sustineant. Postquàm verò *Perionius* gravissima mala, quæ ex hoc venenato fonte in rempublicam promanârint, liquidò ostendit, Christianos Principes, quibus non solùm propria salus, sed etiam omnium Christianorum commissa sit, compellat, ut muneri suo satisfaciant, secúmque cogitent, qua pœna, atque adeò quàm gravibus suppliciis Petrus Aretinus afficiendus sit? qui eorum subditis tam uberem malorum segetem suppeditet; imò verò qui tantis flagitiis à pueritia usque ad senectutem quàm turpissimam egerit vitam, & sese patiendo, quæ multis facere collibuerit, & faciendo in pluribus, quæ passus sit, contaminârit, ut de eo verè dici possit, nullum Rempublicâ vidisse, nec sensisse malùm illis annis, cujus non semen fuerit.

Jam verò haud longè ab insigni abest impudentia, quisquis demum impudentissimi hujus monstri partes contra *Perionium* tuendas susceperit. Unde mihi credibile non fit, quòd ex vero Teisserius, Muretum Perionii Orationem verso pollice damnâsse ut ineptam, scribat: aut si Muretus id fecit, certè non matura jam ætate, sed calidus etiamnum juvencâ fecit, quo tempore libido fors ipsum impedivit, quò minùs rectè ac sincerè judicare potuerit. Juvenem enim aphrodisia in deliciis habuisse, ex Pauli Manutii ad eum data epistola intelligimus. Quid? quòd ipse Muretus in elegia ad Duarenum libidinis suæ impotentiam propudiosè confiteatur, ut Josephi Scaligeri de nefaria ejus libidine aculeatos versus silentio prætermittam; quam ipse in carmine ad Franciscum Bencium posteà albescente capillo deploravit. Est igitur *Oratio Perionii in Aretinum* nitido sermone conscripta, rationum pondere gravis, sententiarum ac verborum figuris ornata, ita ut vel ipsius Mureti Orationibus, quæ omnium laudibus celebrantur, haud inferior haberi mereatur.

-- EJUSDEM PERIONII altera *Oratio* de S. Joannis, qui Baptista dicitur, laudibus scripta: Ejus vulgandæ occasionem dedit impius ille Atheus *Petrus Aretinus*. Is enim in libro *Capitoli* his ferè verbis de sanctissimo Christi Præcursore scripserat: *Si Joannes revivifcat, nec vulpini fraude, & astutia utatur, eum in sceleratissimorum numerum facilè adscribi posse*. Hoc blasphemum virus os impurissimum in Joannem, quo major inter natos mulierum non surrexit, evomuerat. Neque enim ullus ex eorum numero fuit, quos ut in cœlo immortalitatem consecutos Ecclesia veneratur, in quorum dignitatem & majestatem scribere perhorruerit. Impiissimo *Aretini* convitio *Perionius* opposuit Orationem de laudibus S. Joannis Baptistæ, brevem quidem illam, sed sententiis, verbísque præstantem.

FRANCISCI HAMILTONI, Scoti, Prioris ad S. Jacobum Herbipoli Oratio in solemni restitutione Cœnobii S. Jacobi Scotorum Herbipoli, anno MDXCV, die mensis Aprilis ultimo ad R.mum & Celsiss. Principem Julium D. G. Episcopum Herbipolitanum, typis vulgata ab Ignatio Groppio Tom. I. Scriptor. Rer. Wirceburg. pag. 516.

JACOBI CAVACII, Itali, Bergomensis, in D. Justinæ Patavinæ Monasterio anno 1584. die 1. Novemb. Professi, *Oratio Encomiastica in laudem Serenissimi Leonardi Donati, Ducis Venetiarum*, sive *Post vitat ex rebus ab ipso hactenus gestis incitamentum*. Legitur ad calcem *Musei Viri Religiosi*, sive *Elogiorum illustrium Anachoretarum*, quod Authoris Opus Venetiis prodiit ex typographia Pinelliana an. 1625. in 4. in Romana verò ejusdem Operis editione an. 1652. desideratur. Vid. Armell. part. 2. p. 2.

VALERIANI CASTILLIONÆI è Congr. Casin. Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis Historiographi *Discorsi diversi Academici in lode della R. ale Casa di Savoia*.... Mediol. & Taurini... id est, *Varii Discursus Academici in laudem Regiæ Domûs de Sabaudia*.

-- EJUSDEM *Panegirico a Luigi XIII. Rè di Francia*; sed deest locus, & annus impressionis.

-- Panegyris Ill.mo ac R.mo D. S. R. E. Cardinali, D. Ludovico Ludovisio Gregorii XV. Pont. Opt. Max. ex Fra-

tre

tre Nepoti Augustiss. Ravennæ ex Typographia Petri de Paulis, & Joannis Baptistæ Joannelli 1621 Excellentissimo Principi Paulo Jordano Ursino dicata. Vid. Armell. l. c. part. 2. lit. *v.* pag. 2. ubi id genus plura occurrunt.

AUGUSTINI LAMPUGNANI, Itali, Mediolanensis è Congreg. Casin. Abbatis *Discorsi Academici avuti in diverse Academie.* In Milano appresso Lodovico Monza anno 1653. in 8. continet sexdecim Orationes valde eruditas, quæ selectiorem philosophiam inter cæteras scientias redolent. Armell. l. c. part. 1. pag. 63.

JOANNIS HIERONYMI TEXTORII Niceæ in Provincia nati è Congreg. Casin. Abbatis Monasterii Savilianensis, *Oratio Funebris* pro inferiis Ser.mi Ducis Francisci Mauroceni, quam coram Veneto Senatu recitavit, mf. Armell. l. c. part. 2. pag. 43.

JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Cardinalis *Ludi Salmanticenses*, sive *Theologia Florulenta* Tomi II. Et quidem Tomus I. editus anno 1668. constat dissertationibus iis, quas præmisit an. 1666. juxta morem celeberrimæ Academiæ Salmanticensis, antequam acciperet eo anno Lauream Doctoratûs in sacra Theologia. Porrò in eo nihil invenies eorum, quæ ad subtilitatem scholasticam spectant; deprehendes solùm amœnas & floridas Dissertationes, sacra & propbana eruditione refertas circa SS. Angelos, præsertim Tutelares & Genios, sive dœmones ipsorum antistrophos. An Tomus II. ab Eminentiss. Auctore prælo subjectus fuerit, me latet; solùm illius verba refero: *Tomum II. scriptum habeo à viginti ferè annis, & fortasse simul cum primo jam antea edito, eóque valde aucto & correcta evulgabitur.* Ita in Admonit. ad Lectorem Theolog. S. Anselmi.

JOANNIS MABILLONII Oratio in laudem Augustissimæ Galliarum Reginæ, Annæ Austriacæ, quæ cunctis magnopere probata, nec semel anno 1666. typis commissa fuit. Orationis verò titulus est: *Galliæ ad Hispaniam lugubre nuntium ob mortem Reginæ Galliarum Annæ Austriacæ.* Parif. an. 1667. in 4. Ruinart in vit. num. 16.

ANTONII PAULI GALESII è Congreg. S. Mauri *Oratio in funere Mariæ Theresiæ Austriacæ, Galliarum Reginæ*, habita in Abbatia S. Germani a Pratis anno 1683. Thema Orationis erat: *Hæc erat plena bonis operibus, quæ faciebat.* Unde inter actiones personales & particulares, quæ defuncta ut Princeps, & inter regias & publicas, quæ ut Regina fecerat, non inscitè Orator distinxit. Vid. le Cerf in Bibl. Hist. Crit. p. 140.

ANGELI de NUCE ex Abbate Casinensi Archiepiscopi Rossanensis, *Orationes habitæ in Academia Serenissimæ Reginæ Suecorum*, quæ extant Mss. in Bibliotheca Ottoboniana, quæ ipsius Reginæ fuerat, & apud Baronium Soranum. Armell. loc. c. part. 1. pag. 39.

PETRI de VECCHIIS, Abbatis Casinensis, *Oratio pio in Casinenses Alumnos affectu ad sacrarum studium scientiarum hortatoria.* Arimini typis Symbenii 1687. super Licen. Quod opusculum Author dedicavit *Sanctissimo Patri Domino Nostro Papæ Innocentio XI. in gratiarum actionem pro nova studiorum Collegii erectione Romæ ad majorem Monasticæ Cassinatum Juventutis eruditionem.* Gattola Hist. Casin. Sæc. XII. pag. 796.

BENEDICTI BACCHINI Abbatis de la Croma è Congr. Casin. *Oratio Funebris in Exequiis Serenissimæ Margaritæ de Medicis*, Italico sermone composita, & Placentiæ in templo S. Sixti habita. Placentiæ ex typographia Ducali per Joannem Bazachium an. 1679. Armell. l. c. part. 1. pag. 77. quo teste hæc Oratio non Christianæ minùs ac moralis philosophiæ documentis est referta, quàm humanæ eruditionis flosculis ornata.

BENEDICTI LAUDATI, Appuli, Altamurensis, è Congr. Casin. Abbatis S. Severini Neapoli *Oratio funebris* in laudem Nobilium Neapolit. *Caroli Sangrii & Josephi Capycii*, quibus solemne funus jussu Caroli III. Regis Austriaci, ac deinde VI. Rom. Imp. Neapoli celebratum est, impressa in libro, cui titulus: *Publicum Caroli Sangrii & Josephi Capycii Funus* Neapoli per Felicem Moscam 1704. in fol. Armell. loc. c. part. 1. pag. 99.

CAROLI MARIA MILLIARII, Itali, Bellunensis, Monachi Patavini D. Justinæ, Philosophiæ ac Theologiæ Lectoris Oratio in funere Clementis XI. Pont. Max. habita in templo S. Justinæ Patav. ad E.mum Principem Annibalem Cardinalem Albanum Patavii, typis Conzatti anno 1721. in 4.

-EJUS-

-- EJUSDEM *Oratio* insignis & ab omnibus valde commendata ad optimarum literarum studia more majorum prosequenda paraenetica, habita Perusiae anno 1717. in ipso Generalium Casin. Congreg. Comitiorum ingressu. Armell. l. c. part. 1. p. 142.

ALPHONSI MARICONDA, Neapolitani, in monasterio S. Severini Professi, Theologiae Professoris doctissimi, atque anno 1717. à Clemente XI. ad Regium Episcopatum Triventinum in Samnio assumpti

Oratio in Aurei Velleris honore Magno Comestabili Columnensi demandato, à Piscariae & Vasti Marchione Caesareae & Catholicae Majestatis Delegato, habita in amplissima ac onatissima Vastensis Palatii Aula an. 1723. IX. kal. Nov. typis verò excusa Felicis Mosca Neapoli anno 1723. Multas praeterea panegyricas Orationes variis in locis habuit Alphonsus, quas omnes etsi viri docti prelo dignissimas judicaverint, eas tamen mſ.tas penes seipsum servare Authori placuit. Inter caeteras insignis est *Oratio Isagogica*, seu *pro introductione ad majora Comitia Perusiae* celebrata anno 1702. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 11.

PAULI MEZGER è S. Petro Salisburgi omnium ferè facultatum superiorum in Universitate Salisburgensi Professoris longè doctissimi, ac ejusdem Procancellarii

Orationum partes IV. Prima continet Orationes Sacras Parthenias, Secunda Orationes miscellaneas sacro-profanas. Tertia Problemata inauguralia. Quarta Auctarium Problematum. Omnes hasce Orationes Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayr in 8. excusas juvenis legi, sed annum editionis non observavi, vel oblivione delevi.

Pauli Mezgeri fratres fuerunt *Josephus* & *Franciscus*, quorum Orationes prodierunt Augustae Vindel. an. 1700.

LUDOVICI BABENSTUBER, Coenobitae Ettalensis, in Salisburgensi Universitate Philosophiae ac Theologiae Professoris celeberrimi *Prolusiones Academicae*, quas Doctores & Licentiatos creando dixit. Libri tres cum Oratione de S. Bonifacio. Typis mandatae fuerunt in 8. an. 1724. Augustae Vindel.

GOTTHARDI WAGNER, Tegernseensis in Bavaria

Areola Rhetorica, viginti Orationibus, seu tot floribus, foecunda pariter & facunda &c. Monachii in 12. an. 1709.

JACOBI CORNELII LUMENAEI à MARCA Coenobitae Blandiniensis in Urbe Gandavi *Orationes Sacrae VIII.* quas aliásque plures laudibus prosequitur Ant. Sander. de Scriptor. Gandav. lib. 2. pag. 60.

HERMANNI HERTANII Monachi Elnonensis Graecè Latinéque docti *Oratio in laudem Linguae Graecae*, Duaci 1609. in 4. typis Balth. Belleri.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER *Certamen de principatu & gloria fortitudinis inter Amorem, Honorem, & Pecuniam. Amor omnia vincit. Honor nulli cedit. Pecuniae obediunt omnia: Cui horum igitur trium pomum debetur fortitudinis?* Orationes III. nondum typis exscriptae; quibus Autor praeludit illis S. Joannis Apostoli verbis: *Omne quod in mundo est, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitae.* Accinit Poëta:

Ambitiosus honos, & opes &, blanda voluptas:
Haec tria pro trino numine mundus habet.

-- EJUSDEM Oratio pro solenni initio, cùm Collegium Illustrium anno 1744. (nisi Mars Borussicus intercessisset) à Patribus Benedictinis Pragae, Urbe Regia & Bohemiae Metropoli, aperiendum fuisset. Extat in Bibliotheca Bohemica. mſ.

ANSELMI DESING Panegyrico-Funebris Oratio Domûs Habsburgicae cum Carolo VI. extinctae. Insignis Oratio, quae extat in Authoris Auxiliis Historicis. Prodiit etiam Germanicè Salisburgi an. 1741. in 8.

VITALIS TERRA RUBEA è Congr. Casin. Oratio funebris in Laudem V. P. Josephi à Matre Dei Fundatoris PP. Piarum Scholarum. Italicè Florentiae habita, ibíque typis impressa, sine anno tamen impressionis, & impressoris nomine. Vid. Armell. Bibl. Cas. part. 2. lib. v. p. 33.

JOACHIMI PERIONII, Galli, Cormeriaceni, Oratio de laudibus Dionysii Briconeti, Parisiis, anno 1551.

SECTIO III.

POETÆ CELEBRIORES.

Parnassum è nostris coluerunt divite feliciores vena, olim quidem, *Marcus Patris Benedicti discipulus, & Casinensis Monachus, Vir egregius*, teste Petro Diac. cap. 3. *& in scripturis apprimè eruditus, de adventû SS.mi Benedicti ad Casinum; de situ loci, constructionéque cœnobii elegantissimos versus composuit.* Mabillonius (n) de Marci poëtica vena sequens fert judicium: „ Si quis carmina, quæ „ Marcus, Sancti Patriarchæ disci- „ pulus, super ejus vita concinnavit, „ perlegere voluerit, facilè inde di- „ gnoscet inter Poëtas mediæ ætatis „ vix alium occurrere, qui meliora „ cecinerit. Paulus Diaconus, qui „ nongentis abhinc annis mysticam „ ibi vitam degebat, ea multùm lau- „ davit. „ Similiter Adrevaldo jam pridem laudata fuerunt, ut Jo. Bapt. Marus ad Pet. Diac. cap. 3. annotavit, qui ipse Marus Marcum *Virum ad poëticam artem extollendam à naturâ progenitum vocat.* Præter recensita à Petro Diacono, quæ inedita remanserunt, scripsit etiam versibus heroicis ejusdem S. Benedicti magistri sui nonnulla miracula à Divo Gregorio Papa omissa: quæ carmina cùm diu delituissent, modò reperiuntur in tertio Poëmatum veterum volumine D. Prosperi Martinengii, Romæ anno MDXC. in 4. studio & opera Arnoldi Wionis, ut ipse testatur Lib. Ligni vitæ; quæque Mantuæ in Cœnobio S. Benedicti inventa etiam refert. Extant etiam typis impressa in Mabill. Sec. I. Benedictin. pag. 28. & in appendice Chronici Cassinensis ab Angelo Nuceo Notis illustrati pag. 3. De hoc Marco Poëta fusè agit Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana Veteri Lib. V. Cap. LII. pag. 242. num. 53. & seq. ubi ineluctabilibus rationum momentis ab auctoritate veterum recentiorúmque è Benedictinâ Familia Scriptorum petitis demonstrat, longè Marcum nostrum à Maximo Episcopo Cæsaraugustano differre, quocum illum pseudo quidam Historici confudêre, ut faciliùs excogitatas à se fabulas vendicarent; quâ de re differit omnigena eruditione præstantissimus Cardinalis Josephus Saenz de Aguirre Tom. II. Concil. Hispan. pag. 419. & 420. Vid. Gattola Hist. Cass. Sec. I. §. IV. pag. 12. ubi hujus Poëtæ carmina in Bibliothecæ Cass. codicibus mss. n. 257. & 353. perhibet.

B. Aldhelmi Angli ex Regio Isæ Visisaxonum stemmate oriundi, Malmesburiensis primùm Abbatis, tum Schirburnensis Episcopi anno 705. è terris ad Superos translati *Opuscula Metrica* edidit Martinus Delrio S. J. anno 1601. in 8. Moguntiæ. Priùs jam illa vulgârant Canisius in antiqq. Lect. & Jacobus Faber, qui an. 1512. Daventriæ edidit Librum *de Laude Virginitatis* in 4. In nova verò editione Lectionum antiquarum, curante Basnagio liber *de laude Virginum*, & alter *de octo principalibus vitiis* carmine descripti occurrunt Tom. I. pag. 708. seq. Cambdeno dignus *Aldhelmus* visus est, cujus memoria in æternitatem perennet, non solùm sanctitatis, sed etiam doctrinæ nomine, ut ea tempora ferebant. Primus enim erat ex Anglorum gente, qui Latinè scripsit, primúsque qui componendis carminis Latini rationem Anglos docuit, quod ipse his versibus promisit, & præstitit:

Primus ego in patriam mecum, modò vita superfit;
Aonio rediens deducam vertice Musas.

Plura de Aldhelmo leges apud Polycarpum Leyserum in Historia Poëtarum medii ævi pag. 199. seq.

VEN. BEDÆ *De anno, de ratione temporum, de celebritate temporum, de variis computi regulis* Carmina versibus hexametris Opp. tom. I. pag. 401. Elegiam verò se scripsisse refert lib. 4. Hist. Angl. cap. 20. ejus initium:

Alma Deus Trinitas, qui secula cuncta gubernas,
Annue jam cœptis, alma Deus Trinitas.
Bella Maro resonet; nos pacis dona canamus,
Munera nos Christi, bella Maro resonet.

Bedæ præcinuit Ovidius:

Per cava saxa sonat pecudum mugitibus echo,
Vôxque repulsa jugis per cava saxa sonat.

ALCUINI Poëmata CCLXXII. de quibus Sciagraphiæ brevitas longum instituere sermonem haud patitur. Doctissimi Fratres Mezgeri in Hist. Salis-

(n) Tract. de Stud. Mon. part. 1. c. 11. p. 42.

Salisburg. lib. III. c. IX. p. 250. testantur, *Alcuini* Poësin, pro temporum illorum ruditate non parvi habitam, non esse ad nostri ævi stylum & genium: scabris enim nonnunquam & hiulcis versibus ac quantitatum licentiis permixta, uberem quidem, sed non satis liquidam venam propinat.

RABANUS MAURUS hortatu Alcuini, Magistri sui, libros de S. Cruce, cùm prosa tum versibus implexis composuit, majore sanè artificio (quæ Mabillonii critica est) quàm fructu. Hoc opus tamen Alcuini nomine sancto Martino Turonum Episcopo, in cujus monasterio Alcuinum docentem audierat, prævio carmine nuncupavit, cùm sex lustra ætatis implêsset. Aliæ ejusdem operis editiones ab auctore factæ sunt, ex quibus unum Ludovico Augusto, præmissa ejus effigie cum versibus concatenatis, alteram Gregorio Papæ IV. dedicavit. Eosdem libros postmodùm direxit *dilectissimis in Christo fratribus in Cœnobio sancti Dionysii Martyris constitutis.* Mabill. Annal. tom. 2. p. 367. Extat Operum tomo I. pag. 273-348. Tomo verò VI. pag. 202-245. habentur *Rabani Poëmata de Diversis* cum scholiis Christophori Broweri Soc. Jesu Theologi. Carmen verò Rabani *ad Heistulphum Archiepiscopum Moguntinum in fine librorum de institutione Clericorum* edidit Baluzius Miscell. tom. IV. pag. 553.

WALAFRIDI STRABONIS, Abbatis Augiæ Divitis, discipuli B. Rabani Mauri *Poëmata Varia*, vitas Sanctorum quorumdam complectentia extant apud Henricum Canisium Tom. VI. *Antiqq. Lectionum* cum prologo Canisii pag. 42. Sunt autem potissimùm 1.) De vitâ, sive fine S. Mammæ, seu Mammetis Monachi cum hymno. 2.) De carnis petulantia. 3.) Ad Prudentium. 4.) Ad Carolum filium Augustum. 5.) In Natalem Christi. 6.) Hortulus florum Walafridi Strabonis ad Grimaldum Cœnobii S. Galli Abbatem. 7.) Ad Modoinum. 8.) Epitaphium Wolfhardi Abbatis. 9.) Ad Ludovicum Imperatorem. 10.) Hymnus de S. Gallo. 11.) Visio S. Wettini Monachi libellis duobus. 12.) De vita S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi libris duobus. 13.) De vita S. Blaetmæi seu Blaimaci, quæ extat quoque apud Joan. Bollandum Tom. II. ad diem 19. Jan. pag. 236. & apud Joan. Mabill. Seculo III. Sanctorum O. S. B. Parte seu Tom. 2. p. 439. 14.) De eminentia unitatis. 15.) Epitaphium Geroldi Comitis. 16.) Epitaphium Constantii. 17.) De Lætitia. 18.) Hymnus de Natali Domini. 19.) Ad Waldricum Monachum. 20.) Hymnus de SS. Sergio & Baccho. 21.) Epigrammata multa in variam supellectilem. 22.) Vita Werdonis Abbatis XXIII. Extant hæc Carmina omnia Walafridi Strabonis cum aliis ejusdem Opusculis in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis 1618. Seculo IX. parte prima pag. 971. atque editionis Lugdunensis 1677. Tom. XV. pag. 181. Item Poëma aliud Walafridi Strabonis Stephanus Baluzius Miscellaneorum tom. 4. pag. 551. Aliud Walafridi carmen de Exilio Judith Imp. Ludovici Pii Conjugis ad Ruadbernium extat tom. II. Scriptorum Rer. Franc. f. 338. collectore Andrea Duchesnio. Quod carmen est magni momenti ad vindicandam Judithæ innocentiam, quæ propter nimiam cum Bernardo Septimaniæ Duce ac Imperatoris supremo Camerario consuetudinem sinistra fama apud multos laboravit, ita ut eapropter in monasterium detrusa fuerit. Totus verò Walafridus est in Ruadberno laudibus ornando, cujus præcipua fide factum est &

Consilius, ut fessa diu & compressa malorum
Ponderibus Regina, feris educta tenebris
Non sine honore foret.

ABBO CERNUUS, sive *humilis*, S. *Germani de Pratis* monachus scripsit carmine *obsidionem*, cui ipse interfuit, *Parisiorum* à Normannis Danisque A. C. 886. 887. factam libris duobus in P. Pithœi XII. Script. Franc. pag. 435. in Duchesnii Tom. 2. p. 49. in Normannicis ejusdem p. 35. & ad calcem Aimoini, recensente Jacobo Breulio, Paris. 1603. fol. pag. 400. & in Joannis de Bouchet Originibus primæ & secundæ stirpis Regum Francorum Paris. 1624. fol. *Liber tertius ad Clericos*, quia nihil historici continet, à Pithœo omissus fuit. *Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. p. 3.* Refert autem Abbo, testis oculatus, quòd ea tempestate Urbis Episcopus fuerit *Gozelinus* olim Abbas S. Germani Pratensis, cui *Eubolus* ex sorore nepos tum præerat. Hunc *Mavortium* Abbatem vocat Abbo, nec immeritò; cùm enim Parisienses Proceres diutinæ obsidionis laboribus defatigati, ex urbe se proripuissent, metû pestis deflagrantis, quæ ad summam malorum accesserat, *Eubolus* Abbas ferè solus ob-

fidionis molem tamdiu sustinuit, quousque *Odo* Comes Parisiensis cum Caroli Regis copiis adveniens, Normannos obsidionem solvere coëgit. *Mabill. Annal. Tom. IV. p.* 253.

AIMOINI, Monachi Floriacensis, *Poëma de prima fundatione Cœnobii Floriacensis*, versibus contextum hexametris; itémque alterum *de Translatione Reliquiarum S. Benedicti in Galliam*, quod exhibet Mabillonius in Actis Sanctorum Ord. S. B. Sec. II. pag. 359. Pleni verò artificii sunt *versus alii hexametri ad Ottonem Imperat.* quos intexuit capiti XIII. vitæ S. Abbonis Abbatis Floriacensis à Vasconibus anno 1004. trucidati, Magistri sui. Eosdem Polycarpus Leyserus dignos censuit, ut in Historia Poëtarum Latinorum medii ævi pag. 302. in medium afferret, unde Fabricius in Bibliotheca Latina IV. 1. §. 12. repetiit.

ALPHANUS Monachus Casinensis, & subinde Archiepiscopus Salernitanus multa carmina, quorũ Catalogum Petrus Diac. texit, composuit, Poëticæ artis disertissimus, neque verò alienum ab Episcopi dignitate existimandum, quòd in Dei laudibus Poëticam maximè adhibuisset, cùm & Paulus Gentium Doctor hymnis & canticis Deum celebrari jubeat; nec jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ exempla defuerunt. Quo in numero familiam ducunt Damasus Pontifex, Nazianzenus, Damascenus, Paulinus, Fortunatus, Prosper, Sidonius, cæterique Præsules. Lucubrationes, quas notavit *Petrus Casinensis*, editæ habentur apud V. Cl. Ughellum in calce Tom. II. Italiæ Sacræ demptis versibus, quos scripsit in laudem Romualdi Causidici, & Sigismundi Monachi Cassinensis, quos Mss. servamus, inquit *Jo. Bapt. Marus* annot. in c. 19. Pet. Diac. de Vir. Ill. Cas. p. 155. Nonnulla etiam illorum carminum edita fuerunt à T. Prospero Martinengo in Tom. III Poëmatum Divinorum, Græcorum, Latinorúmque. Rom. anno 1582. in 8.

HILDEBERTUS Cenomanensis Episcopus, antea Monachus Cluniacensis, incomparabilis versificator floruit, ut *Odoricus Vitalis* coævus lib. x. Histor. Eccl. pag. 770. his verbis ait: „ & multa carmina priscis poëmatibus æqualia vel eminentia condidit, quæ fervidus calor Philosophorum subtiliter rimari appetit. „ Eleganter enim & sapienter loquitur de Christo & Ecclesia, de corpore & anima, de gestis Sanctorum „ & virtutibus eorum, de laude virtutum, & comparatione vitiorum. „ A Romanis Cardinalibus, qui frequenter Galliarum plagas adeunt, „ quia mansuetos illic & obedientes „ se reperiunt, plurima Hildeberti „ carmina Romam transferunt, quæ „ dicacium scholis & didascalis Quiritum admiranda censentur. „ Ejus *Opuscula metrica & Carmina quàm plurima*, inter quæ aliqua magnæ profectò elegantiæ, in unum collecta edidit *Antonius Beaugendre* è Congr. S. Mauri inter Opera Hildeberti Paris. anno 1708.

MARBODUS, natione Britannus, ex Magistro Scholarum & Archidiacono Andegavensi Episcopus Redonensis in Britannia Armorica Galliæ usque ad an. 1123. quo monachus ad S. Albinum Ord. S. B. obiit. Varia scripsit carmina, jussu Ivonis, Redonensis Episcopi, vulgata Redonis 1524. sed plura curante præclaro viro Domno Antonio Beaugendre è Congr. S. Mauri edita ad calcem Operum Hildeberti. Eorum syllabum & plures editiones texit Cl. Fabric. in Bibl. med. & inf. Lat. lib. xii. pag. 165.

METELLUS Tegernseensis in Bavaria Monachus circa annum 1160. clarus *Vitam ac laudes S. Quirini Martyris* carmine lyrico non spernendo celebravit, atque alias Eclogas decem, quæ extant ab Henrico Canisio edita in Appendice Tomi I. p. 37. *Quirinalia* verò, ita Metellus suum librum inscripsit, edidit Joannes Mabillonius Tom. III. Sanctorum Ord. S. B. Vid. Oudin. Tom. II. p. 1446. & Voss. de Hist. Lat. cap. 7. p. 713.

NIGELLUS WIRECKERUS, natione Anglus, Monachus & Præcentor Ecclesiæ Christi Cantuariæ. Vir pietate & doctrina clarus variæ lectionis, boni judicii, Theologus insignis, Philosophus non vulgaris, Rhetor facundus, Poëta elegantissimus. Atque ita virtutis & eruditionis intuitu non solùm suo Monasterio sed etiam toti patriæ decus fuit & ornamentum. His enim laudibus hominem exornat Lelandus. Erat in reprehendendis vitiis & potissimùm in Ecclesiasticorum abusibus coarguendis vehemens. Adeò, ut ne Regni quidem Cancellario, Guilhelmo de Longo Campo, Episcopo Eliensi, homini ambitiosissimo, pepercerit, quo minùs ejus arrogantes mores,

mores, & insolentissimum fastum emissis in publicum scriptis taxaverit. Quamvis in omnibus istis hominem minime defendendum existimaverim. Nam dubio procul in quibusdam nimia loquendi libertate abusus est. Quantumvis Joannes Sarisburiensis super ejus *Speculo* scribens videatur eum tueri. Scripsit versu sub nomine *Brunelli* ad præfatum Guillhelmum Episcopum Eliensem

Speculum Stultorum lib. un. Suscipe pauca tibi veteris Guilhel.

De hoc Nigelli *Brunello* integram disputationem vulgavit M. Jacobus Thomasius Lipsf. 1679. ibi §. 7. 8. historiæ de *Nigello* compendium quoddam è Baleo, Pitseo, Flaccio quasi contractum his verbis proponit:

„ Claruit ergò circa annum à Nativitate Christi 1200. *Nigellus Wirekerus*, natione Anglus, Ord. Benedictini Monachus, Cantuariensis Ecclesiæ Præcentor, vir pietate, doctrina, vitæ honestate, ac sanctimonia ita clarus, ut non solùm monasterii sui, sed & patriæ decus haberi meruerit. Scripsit autem tum alia Opuscula, quibus hypocritarum sui ævi simulatos mores & sanctimoniam fucatam vehementer increpat, tum versu non contemnendo jam ante citatum à nobis *Brunellum seu Speculum stultorum. Facetus hic est, & lepidus de asino, quem Brunellum vocat, apologus, quo cleri, qualis inter Pontificios tum fuit, abusus ac sceleratam vitam accusat, singulos Monachorum Ordines perstringit, Pastoribus neglectionem verbi divini, & curæ salutis animarum objicit, ne Papæ quidem ipsi parcens. Damnat insuper prohibitionem ejus carnium, & conjugium Sacerdotum defendit: ut omnino eum ab Antichristi ejúsque spiritualium hypocrisi & impietate plurimùm dissensisse appareat.* Hæc si scripsit Nigellus (neque enim ejus *Brunellus* mihi unquam visus vel lectus fuit) Satyram quidem è genio Thomasii Lutherani scripsit, sed viro Catholico, ne dicam, Monacho Benedictino planè indignam, in qua, judice Lelando, nimia loquendi libertate abusus est. Mores furs Catholicorum, non fidem perstrinxit; aliàs ejus tuendi partes Joannes Saresburiensis, Episcopus Catholicus nunquam suscepisset. Duæ verò sunt *Brunelli* editiones ab Acatholicis accuratæ, quarum altera Francofurti anno 1602. altera Wolferbyti anno 1662. prodiit, de quibus vide Thomasium loc. cit. & qui eum excerpsit Vinc. Placcium de Script. Anonym. cap. 19. pag. 393. In Bibliotheca Cottoniana asservantur sub Effigie *Julii*, Lit. A. Cod. VII. 5. Versus *Nigelli de Wetekre*, Monachi Cantuariensis continentes monita moralia, missi ad *Gulielmum* Episcopum Eliensem, R. Richardi primi Cancellarium. Non procul ab initio suum libellum his verbis alloquitur:

Quæsitus regni tibi Cancellarius Angli
Primus sollicita mente petendus erit.
Hic est, qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit.

Vid. Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 2. col. 2.

JOANNES HANTIVILLENSIS, vel *Hanwillensis*, cui etiam cognomen *Architrenius*, in Anglia natus, Oxoniæ in studiis educatus, & ibidem liberalium artium & Philosophiæ Magister creatus. Apud S. Albanum postea Monachum induit. Cùm autem acutum illi esset ingenium, facunda lingua, & secularium literarum scientia non vulgaris, ad majora studia missus est Parisios. Sed propter nimium, quem medullitùs imbiberat literaturæ politioris amorem, in iis studiis consistere decrevit. Illic itaque Poësin ita studiosè excoluit, audiendo, legendo, docendo, & scribendo, ut habitus fuerit quasi miraculum quoddam eloquentiæ, & Musis tanquam filius unicè dilectus. Ibi versu fabricavit suum Architrenium, nomine à Græcis mutuato, & appositè apposito

Hoc est flebilium quasi summè flebile carmen.

De diversis etiam rebus diversa composuit poëmata, stylum affabrè subjectis materiis applicans, & artificiosè concinnans, in gravibus gravitatem Virgilii, in mediocribus profluentem Ovidii Nasonis venam, in redarguendo satyricos Horatii sales pertinaciter sectatus, imò feliciter non tantùm consecutus. Apud illum invenias laudes Bruti Regis explicatas, Britannorum virtutes depictas, encomia Britanniæ fusa, res antiquissimas è tenebris erutas, in luce positas, posteris enucleatè traditas. Omnia Latinissimè, &, ut illa ferebant tempora, elegantissimè. Atque his nominibus honorificam non rarò hujus auctoris faciunt mentionem plurimi viri docti, & inprimis ii, qui cultiorem linguæ Latinæ puritatis

titatem diligentiùs sectabantur. Cujusmodi inter alios fuerunt Ludovicus Vives Hispanus, Lilius Giraldus Italus, Joannes Textor Gallus, Conradus Gesnerus Germanus, Hector Boethius Scotus: ita ut penè omnium testimonio nationum hujus viri elegans ingenium, & doctrina commendetur. Scripsit autem oratione, tum ligata, tum legibus soluta potissimùm ad Gualterum de Constantinis, Archiepiscopum Rotomagensem

Architrenium, libros novem. Velificatur Athos dubio mare. Cantabrigiæ in Collegio S. B. Gerardus Joannes Vossius Hist. Lat. lib. 3. pag. 783. *Architrenii* auctorem facit Joannem Sarisburiensem, sed Vossium falli vel ex eo probat Sandius in Notis in Vossium pag. 321. Quia Gualterus de Constantinis Archiepiscopus Rotomagensis fuit ab anno 1184. ad annum 1207. & Joannes Sarisburiensis obiit an. 1182. Vid. Placc. de Script. Anonym. c. 5. p. 393. n. 1601.

Epigrammatum Lib. un.

Diversorum Poëmatum, Lib. un. Et ejusmodi alia plurima. Clar. anno 1200. Pits. æt. 13. p. 256.

BERNARDI MORLANENSIS, natione Angli, an Galli? Monachi Cluniacensis, circa an. 1130. Poëtæ percelebris carmina pluribus recenset Jo. Alb. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. p. 631. Illud *de Vanitate Mundi* edidit Nath. Chytræus Bremæ hæred. Arnoldi Wesselii 1597. in 8.

THOMAS LANGELIUS, Monachus Anglus in Hulmensi Comitatûs Norfolcensis Cœnobio. Vir omni cultiore literatura non vulgariter imbutus, & cum primis sui seculi Poëtis non immeritò conferendus, in cujus epigrammata *Joannes Blaculeius*, vir egregie doctus ex Ordine SS.mæ Trinitatis, scripsit commentarios. Nam inter cætera in lucem emisit, & Joanni Episcopo Norwicensi dicavit

Epigrammatum diversi generis libros duos. Dudum conflictu venatus.

De variandis carminibus, Librum unum. Et alia nonnulla. Vixit anno Domini 1430. Vid. Pits. de Illustr. Angl. Script. ætat. 14. pag. 622.

ANTONIUS HOVÆUS, Batavus, Egmondanus, Ordinis S. B. in patria institutum amplexus, ingenii excellentis, doctrinæ singularis ac pietatis, innocentiæque exemplo cæteris præluxit, eóque nomine ad Epternacensis in Ducatu Luceburgensi Abbatiæ regimen anno MDLXIII. evectus est. Obiit regiminis anno sexto, Christi 1568. Idus Octobris. Epternaci juxtà chori murum conditus. Moriens cygnea velut vòce hoc sibi Cenotaphium lusit:

Hic jacet excelsi praceptor amoris Hovæus,
Exspectátque sui Judicis ora Dei.
Urna ferat flores, vernent atque omnia circùm,
Corpus humi cubitet, mens colat alta polos.

Scripsit solutâ oratione Coloniæ excusum 1564. in 8. Dialogum de seculi calamitate, quem *Zuemundanum* inscripsit: Vincta lusit Ovidiano stylo & imitatione, sed ad res sacras & castas Poësin transferens, *de arte amandi Deum*: item Odarum, hymnorum, ac precum librum. Sanderus lib. 3. p. 191. de Clar. Author. ex Valerio.

ANGELUS SANGRINUS Abbas Cassinensis (si Platonis illud verum est, nomina rebus plerumque convenire) Angeli instar fuit, priscæ quidem virtutis, ac sanctitatis exemplar, temporis avarissimus, & diligens, horarúmque pervigil distributor, poëtica facultate usque adeò pollebat, ut quidquid libuisset, facilè atque ubertim penè extemporaneo carmine enuntiaret. Opuscula, quæ edidit, teruntur passim eruditorum manibus, impressa Romæ, Venetiis, Florentiæ, Patavii, Basileæ, Coloniæ Agrippinæ. Plura adhuc in MS.tis latent, quorum, sicut etiam impressorum longum elenchum texit Armellinus Bibl. Cas. part. 1. pag. 24. seq. & ante ipsum Marus in Annot. ad Supplem. Plac. Diac. de Vir. Ill. Casin. pag. 70.

ANGELUS GRYLLUS Patritiâ Familiâ Genuæ natus, in Monasterio Divæ Catharinæ sacro apud patriam urbem Monachus anno 1572. effectus, ac subinde plurium è Congreg. Casin. Cœnobiorum Abbas creatus poëtica facultate adeò excelluit, ut celeberrimum quemque sui ævi, vel vicerit, vel æquaverit. Inter ejus Carmina præcipuè celebrantur *Pietosi affetti*, id est, *Piorum affectuum* libri duo, pars prima, & secunda, qui Angelici nomen illi pepererunt. In his Christi incunabula, Circumcisionem, Passionem, & Mortem, mira Poëticæ artis dulcedine describit, & verè pios affectus excitat, ínque lacrymas cor resolvit; Opus impressum primò Venetiis anno 1591. deinde Genuæ anno 1597. apud hæredes Hieronymi Bartholi in 8. cum argumentis Excellentissimi D. Petri Colelli Sinvessani; postmodùm Vicentiæ anno 1598. in 8. apud

apud hæredes Perini Librarii; & iterùm Venetiis anno 1608. & etiam anno 1613. cum argumentis Petri Petracii, apud Bernardum Juntam, & Socios: Postremò item Venetiis 1629. cum additionibus Carminum Miscellaneorum, apud Evangelistam Deuchinum, & tunc Urbano VIII. dicatum. Quanti autem pios Grylli affectus hic Pontifex, & ipse Poetarum nobilium in numero habitus, fecerit, sequens ejus carmen argumento est.

Urbani VIII. Pontificis Maximi olim Maffei Card. Barberini in pios affectus Angeli Grylli Abbatis.

Demulcent animos, sacro quæ carmina plectro
Concinis Angelicos visa referre modos.
Angele, seu Christi cunas, vel funus acerbum,
Seu lacrymas memoras, quas pia corda cient,
Mirus ubique potes duras inflectere mentes,
Qui fluit hinc ægris fit medicina dolor.
Mox oritur divinus amor, curásque profanas
Pellit, & humanum nectare pectus alit.
Hinc tibi cœlesti præcinget tempora lauro,
Qui manet Aligerum te super astra chorus.

Nec Alexandri VII. Pontif. Max. versus silentio prætermittendos existimo, quibus eosdem pios affectus celebravit.

Prisca Fides Ligurem fleat, quem funus acerbum
Plorantem ad superas fert abiisse plagas.
Sumpserit albentes plumas, propioráque lætho
Tempora festivis vocibus ille canat;
Magne Senex nivei reddis miracula Cygni
Nobis, & cantu nobiliore gemis.
Par senium vultu, Ligurum par gloria gentis,
Dispar laus querulo sed tamen ore sonat.
Impuros vagus ille, pios tu quæris amores,
Hic propè quàm terras, tam procul ipse volas.
Exequiale sonans illi est vox nuntia mortis,
Ipsa tibi æternùm Musa superstes erit.

Magnam itaque ac singularem Grylli laudem, ejuscemodi panxisse carmina, quæ à duobus summis Pontificibus, iisque sacræ Poëseos apprimè intelligentibus ornari laudibus meruerint. Alia complura nobilissimi hujus & Angelici Poëtæ Opera recenset Armell. l. c. part. 1. pag. 32.

PROSPER MARTINENGUS, Italus, Brixianus, è Comitibus de Barco, Brixiæ in Monasterio S.Euphemiæ anno 1542. professus, etsi à Latina Poësi insignem laudem tulerit, in Græca tamen summum gloriæ verticem attigit. Ejus Opera magno numero recenset Armell. l. c. part. 2. p. 158.

GUILLELMI HUGONIS VALIANTII è Congr. S.Mauri in Collegio de Pontelevio Rhetorices multis annis Professoris, ingenio, eloquentia, & poëtica vena præcellentis, anno autem 1678. defuncti

In nova Translatione Corporis S.Benedicti apud Floriacum in capsam argenteam Epinicium Eucharisticum odæ tres; nec non de ejusdem translatione ex Monte Cassino ad Floriacense Cœnobium, carmen heroicum. in 4. Parisiis an. 1643. Vid. Bolland. Tom. 3. Martii pag. 356.

-- *In Obitu Christianissimæ Francorum Reginæ Annæ Austriacæ planctus Galliæ; item Hispaniæ ad Galliam Responsio.* Parisiis an. 1663.

-- *Fasti Sacri*, sive *Epigrammatum, quibus Sanctorum Elogia per totius anni dies canuntur, Libri duodecim* Tom. II. in 12. Parisiis an. 1674. apud Desprez. Vide le Cerf in Bibl. Hist. Crit. p. 487. & quem citat El. Dupin. in Bibl. Auth. Eccles.

LUDOVICUS GABRIEL BROSSE è Congr. S. Mauri Poëta sui temporis haud ignobilis, sic Francico versu lusit, ut virum Musis nequaquam iratis fuisse usum æqui rerum æstimatores existiment. Diem suum obiit in Francico, quod suo ingenio maximè illustravit, S.Dionysii Monasterio ipsis Calendis Augusti, anno, ut scribit Pezius, 1686. vel, ut le Cerf 1685. Opera ejus Poëtica sunt:

La Vie de sainte Euphrosine Vierge & Martyre, tirée des anciens auteurs & traduite en vers François. Id est; *Vita S. Euphrosynæ Virginis & Martyris, sumpta ex antiquis Authoribus & Versibus Francicis reddita.* in 12. Parisiis 1649. apud Claudium Huot.

-- *Hymni de variis argumentis. Paris. an.* 1650.

-- *Les Tombeaux & Mausolées des Rois inhumez dans l' Eglise de St.Denis depuis le Roi Dagobert jusqu' à Louis XIII. avec un abregé des choses les plus notables arrivées pendant leur regne, en un vol. in 8. à Paris chez Pepinque.* id est: *Tumuli & Mausolæa Regum in Ecclesia S. Dionysii sepultorum, à Rege Dagoberto usque ad Ludovicum XIII. unà cum Rerum synopsi, quæ notatu magis dignæ sub eorum regimine contigerunt. in* 8. *Parisiis apud Pepinque.*

-- *La Vie de Ste Margarite*, id est: *Vita S. Margaritæ anno* 1669.

-- *Le Triomfe de la Grace sur la Nature en la vie de Ste Eufrosine in* 4. id est: *Triumphus Gratiæ super Naturam in vita S. Euphrosynæ.* Omnia hæc Opera versu Francico sunt descripta

scripta. Vid. le Cerf. pag. 51. Dupin. in Bibl. Author. Eccles.

BARTHOLOMÆUS de SEGURA, Monachus Princiani Cœnobii in Hispania, atque in eo Ecclesiastes, Theologus & Poëta dedit versibus brevioribus, quos à circulo rithmorum *redondillas* Hispani vocant: *La Amazona Christiana, ó Vida de la B. Madre Theresa de Jesu*, id est, *Amazon Christiana seu vita B. Matris Theresiæ de Jesu. Matriti* apud Franciscum Fernandez de Cordova 1619. in 8. Dignum certè argumento suo scriptorem opus clamat, elegantia & suavitate plenum. Idem author est alterius operis metrici *De la Vida de S. Julian Obispo de Cuenca* 1599. in 4. apud Michaëlem Serrano. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. nov. 157.

THEOPHILUS FOLENGUS Italus, Mantuanus, è Congr. Cas. edidit Satyram *Macronica* dictam; Poëma *l'Orlandino* sub nomine *Limerno Pittoco*, item *il Chaos, il Giano, le Grattiane*, librum *Epistolarum, & Epigrammatum; de Partû Virginis, de Christi Domini Resurrectione*, & alia cùm Etrusca tum Latina Carmina. Poëma, quod primo loco recensuimus, est mirè festivum, lepidum, ingeniosum, sed an viri Religiosi personâ satis dignum? Hoc Poëseos genus etsi aliis nimium quantum placuerit, Authori tamen suo denique displicuit. Vitam cum morte commutavit Poëta incomparabilis anno 1544. de quo fusè Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 185.

JOANNIS WEINCKENS Monasterii Seligenstadiensis Prusessi, Sacerdotis Theologi, Protonotarii Apostolici, & Sac. Cæs. Maj. Poëtæ Laureati, ac ibidem p. t. Prioris

POEMATA. 1.) *Navarchia Seligenstadiana*, seu *Fundatio antiquissimæ & Regalis Abbatiæ Seligenstadiensis ad Mœnum sitæ*, Epico carmine descripta, & typis excusa Joan. Philippi Andreæ Francofurti anno 1714.

2.) *Genealogia* seu *Series Abbatum Seligenstad.* ex antiquissimis Archivi Seligenstad. monumentis eruta.

3.) *Vera & Genuina Historia Translationis Gloriosissimorum Christi Martyrum SS. Marcellini & Petri* fidelissimè enarrans, qualiter sacra Eorundem corpora ex Urbe Romana per Rathlaicum Einhardi Notarium ad Abbatiam Seligenstadiensem O. S. P. B. in superiori Archidiœcesi Moguntina ad Mœnum sitam sint circa annum Christi 826. translata, in qua usque hodie miraculis clara requiescunt. Quam Translationem ipsemet Eginhardus Ecclesiæ Macariopolitanæ Fundator & primus Abbas quatuor in prosa conscripsit libris, quos Heroico versu nunc cantat R. P. Jo. Weinckens &c. Anno

RastaDIVM VIVIs Vernat qVe paCIs eLIVIs, PaXqVe petIta VenIt, prospera grata VbIt.

Francofurti impensis Jo. Philippi Andreæ.

Quanta sit Laureati hujus Vatis in carmine pangendo facilitas, nemo facilè animo concipere potest, nisi qui ejus legerit Poëmata. Non orationem numeris vincire, sed vinctam iisdem solvere videtur. Nec in ullo alio hujus, quod in præsens vivimus, seculi Poëta tantam sermonis puritatem, sententiarum gravitatem, ac nativam Ovidii indolem facilè quis deprehendet, atque in Joanne Weinckensio. Unde præcipuis hujus ævi Poëtis jure maximo accenseri meretur. Dignus etiam, cujus *Historica Translatio &c.* Studiosæ in Benedictinis scholis juventuti publicè prælegatur. Plura carmina panxit, quorum notitia mihi modò non suppeditat.

THOMAS MEZLER Zwifaltensis omne ingenium suum ad Poeticam contulit; unde plurima cecinit, quorum quædam oppidò elegantia sunt, quædam nimium græcissant, ut Onomastico opus sit, quædam, ut epigrammata, haud magnum sapiunt acumen. Omnium laudibus celebrantur *Libri IV. de imitatione Christi carmine elegiaco redditi.* Quos eosdem libros ejusdem monasterii alumnus *Columbanus Habisreuttinger* in Odas Germanicas convertit, quæ Augustæ Vindelicorum per Matthæum Rieger, unà cum Melodiis Ariosis duobus vol. an. 1744. excusæ fuerunt.

Cæterùm Bernardus Pezius (o) Mezlerum *Sueviæ Pindarum* vocat, optans sanè, ut elegantissima ejus Opera ab uno aliquo Doctiss. Zwifaltensium in unum corpus collecta, justo volumine recudenda curarentur. Quo voto hactenus literatus orbis excidit, nec deinceps facilè potietur; cùm nobilis hujus Poëtæ carmina toto monasterio dispersa cum blattis & tineis certare permittantur. Adeò non Prophetæ tantùm in patria sua, sed etiam Poetæ & Vates nun semper

(o) Epist. Apolog. pag. 147.

per accepti sunt. Vide plura in Annal. Zwifalt.

GREGORII ZÖDE, Benedicto-Bnrani in Lycæo Frisingensi Poëseos Professoris *Occultum Frisingæ Præsidium, tandem post aliquot secula manifestatum: sive, S. Nonnosus Abbas Soractensis & Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Patronus Tutelaris, seculis aliquot sub tumulo absconditus, tandem a R.mo & Celsiss. D. D. Jo. Francisco S. R. J. Principe & Episcopo Frisingensi &c. inventus ac decantatus, Frisingæ apud Jo. Christian. Carolum Immel Typograph. Episcop.* 1709. In quo carmine præclaro ingenio, & jucundo sex metrorum certamine Divi Nonnosi eousque non agnita beneficia Urbi Frisingensi præstita, suavissimè cecinit, ingentem sibi laudem inter melioris venæ Poëtas magno suo merito consecutus. *Vid. Meichelbeck, Hist. Frising. Tom. II. p.* 448.

At verò si omnes recensere Poëtas vellemus, quem finem nostra habitura esset recensio?

SECTIO IV.

Scriptores Panegyrum, Applausuum, Elogiorum, Anagrammatum, Inscriptionum, Epithalamiorum, Epitaphiorum &c.

CASSIODORUS habuit ad Reges & Reginas Sermones Panegyricos: *Dixisti ad commendationem universitatis frequentes Reginis & Regibus laudes.* Var. lib. 12. Ep. 20.

HERMANNI CONTRACTI, Monachi Divitis Augiæ *Rythmus*, seu Panegyris de Petro Hungariæ Rege, quem à suis pulsum Henricus III. Imperator in solium anno 1044. restituit, debellatis tandem ope divina in tertiâ expeditione rebellibus. Hunc applausum excidisse puto; extat verò ejusdem *Hermanni* Epitaphium, quod matri suæ Hiltrudi summæ quidem nobilitatis fœminæ, sed morum pietate neutiquam inferiori composuit. Incipit:

Mater egenorum, spes, auxiliúmque suorum
Hoc Hiltrud tumulo, debita reddit humo.

Et quæ sequuntur rell. videsis in ejus Chronico editionis Basnagianæ pag. 294.

WALAFRIDUS STRABO Abbas Augiensis composuit Epitaphium Comitis Geroldi, fratris Hildegardis Augustæ, quod vide apud Duchesnium Collect. Script. Rer. Franc. pag. 649. & in Bibl.PP. Lugdun. Tom. xv. f. 181.

OTFRIDUS Monachus Weissenburgensis Sec. IX. Francorum sui temporis Elogium scripsit, quod Eckhartus tom. 2. de Reb. Oriental. Franc. pag. 544. in specimen Dialectûs Francicæ, qua utitur, inseruit.

REGINO Prumiensis Abbas post elapsos à Caroli Crassi Imp. obitu 20. annos, celebrem de eo Panegyricum scripsit.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

HILDERICUS, Abbas Casinensis, exornavit Epitaphium Pauli Diaconi sui quondam Magistri, quod Joannes Baptista Marus in lucem dedit in lib. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. cap. VIII.

HUCBALDUS, seu *Hugbaldus* S. Amandi de pabula in Diœcesi Tornacensi alumnus, non Philosophia tantùm, sed cæteris etiam artibus humanitatis nulli suo tempore secundus fuit, texuítque mirabile quoddam opus CXXXVI. versuum ad Carolum Calvum Imperatorem, in quo omnia verba ab una litera C. incipiunt, ut illud:

Carmina clarisona Calvis cantate Camenæ.

Panegyris est *Calvorum*, quæ Basileæ an. 1516. & 1546. excusa fuit, sed cum auctario antea inedito exhibetur à Barthio Adversariorum libro 46. cap. 21. pag. 2175. editionis Francofurtensis an. 1624. Hæc verò dedicatio argumento est, Carolum tum vulgo calvitie suâ fuisse notatum, neque eam sibi vertisse ignominiæ. Obiit *Hucbaldus* anno 930. juxta Meyerum, jacétque apud Elnonenses cum hoc Epitaphio:

Dormit in hac tumba simplex sine felle columba,
Doctor, flos, & honos, tam Cleri, quàm Monachorum
Hucbaldus, famam cujus per climata mundi,
Edita Sanctorum modulamina, gestáque clamant:
Hic Cirici membra pretiosa reperta Nivernus
Aris invexit nostris, scripsitque triumphum.

Vid. Guillel. Marlot. Metropol. Remens. tom. 1. l. 4. pag. 520.

PETRUS PICTAVIENSIS ab urbe patria sic cognominatus, Monachus Cluniacensis scripsit Panegyrin, quâ

Petro Venerabili Abbati Cluniacensi, suo quondam Magistro gratulatus est felicem decisionem gravis illius litis, quæ inter ipsum, & Pontium S. Hugonis successorem exorta fuerat, quâ que tota Cluniacensis Congregatio ferè concussa erat. Extat Bibl. PP. Lugdun. tom. xx. p. 820.

ENGELBERTI Abbatis Admontensis in Styria *Panegyris de Electione Regis Rudolphi*, de quâ plura superiùs hujus libri cap. IV. Sect. VI. §. 2.

LEO Monachus Hecmundensis in Belgio; cujus *Breviculos majores*, sive *Elogia atque Epitaphia* Comitum Hollandiæ ab an. 900. ad 1203. jussu Abbatis Joannis de Hilligom scripta edidit Antonius Mathæus ad calcem Joannis Gerbrandi & Theoderici de Leydis. Lugdun. Bat. an. 1692. in 4. pag. 146 - 156. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. XI. pag. 769.

ALEXIUS UGONIUS, Italus, Brixiensis, plurium successivè Monasteriorum in Congreg. Casin. Abbas condidit *Epitaphium in obitu Leonis Mantuani*, Viri insignis, ac duodecies ejusdem Congregationis Præsidis. Armell. part. 1. p. 6.

ANGELI de NUCE *Inscriptiones*, variis in locis Monasterii Casinensis affixæ, quas vide apud Armell. part. 1. pag. 40.

COLUMBANUS nobili genere Brixiæ ortus familiâ de Brellaninis, in S. Benedicti Mantuano Monasterio monasticæ militiæ rudimenta posuit an. 1569. die 20. Nov. Floruit literis sacris, humanisque, linguarum cognitione, & Musarum cultu, suorumque studiorum fructum edidit unà cum Nicolao, Monacho item Mantuano,

Epitaphia, & Elogia tam Græca & Hebraica, quàm etiam Latina, Italica, & Hispanica insculpta apud Campesium in tumulo Theophili Folengii, aliàs Merlini Coccai, unde illa Arn. Wion diligenter exscripsit, & in tom. 1. l. 2. cap. 18. pag. 464. *Ligni Vitæ* imprimenda curavit, provido fanè, prudentíque consilio; nam secùs ex eodem tumulo temporis longævitas, ac loci situs ea penitus delevisset, uti reverà haud ita multò pòst delevit, ab Angelo propterea Gryllo, aliis eorum vice substitutis. Armell. part. 1. pag. 221.

GREGORIUS RICCIARDETTUS, Italus Aretinus, in Præsidem Congregationis Casin. electus an. 1658. in Mf.tis reliquit *Elogia*, *Inscriptiones & Carmina* multifariàm distincta, omnia tamen sacra, id est, in laudem Sanctorum; ad quorum calcem adnectuntur *Elogia & Epitaphia* non sacra. Armell. part. 1. pag. 150.

JACOBI TRAMONTANA, Siculi, Messanensis, in Monasterio S. Placidi extra eam urbem Prioris

Feralis Pompa Serenissimæ Margaritæ Austriacæ Caroli V. Imperatoris Filiæ, Parmæ ac Placentiæ Ducissæ per RR. DD. Monachos Casinenses in Monasterio S. Sixti Placentiæ commorantes anno 1586. descripta &c. Ibidem impressa apud Antæum Comitem eodem anno in 4.

-- EJUSDEM *In redditione Placentinæ arcis ad Illustriss. & Excellentiss. Octavium Farnesium, Placentiæ & Parmæ Ducem, Carmen Encomiasticon.* Placentiæ apud Joannem Bazzachium anno 1585. in 4.

JOANNES BAPTISTA BECCIUS, Italus, Castilionensis, Monachus in Aretino Monasterio opificio anagrammatico excelluit. Ab hac arte, laboriosa sanè, & Ixioneæ Rotæ comparanda multis viris doctis laudatus fuit; opus autem quod edidit, sic inscribitur:

Veritas Anagrammate explorata ad varia texenda Encomia, Patavii typis Pasquati anno 1668. in 4. In his plurium Sanctorum, præcipuè S. P. Benedicti gesta, aliorumque Heroum egregia facta laudantur. Armell part. 2. pag. 21.

JOANNES BENEDICTUS ROCCA, Italus, Cathacensis, Monachus Farfensis literis quà politioribus qua severioribus excultissimus, multas lucubrationes tum Latino, tum Hetrusco idiomate in lucem dedit. Huc spectant

1.) *Genialis Montium pompa, qua triumphantes in Casinum excepti sunt Illustrissimi, atque Excellentissimi Domini Joannes Sagredus, Nicolaus Venerius, Sylvester Valerius, D. Marci Procuratores, ac S. Georgii Majoris Protectores meritissimi.* Venetiis in Comitiis Generalibus anno 1679. die 22. Aprilis apud Jo. Franciscum Valvasensem.

2.) *Equus Maximus* ad Leopoldum Imperatorem Viennæ.

3.) *Anagrammata Arithmetica* in Reverendissimos Præsules ad Comitia Generalia Patavii congregatos; Patavii typis Gattellæ an. 1671. in 4. In quo opusculo Rocca ex cujuslibet Pre-

Præsulis nomine lepidum *Carmen* elicit, gestáque illius claré ac nitidè exprimuntur.

4.) *Epitalamio nelle Nozze della Regina con Carlo V. Duca di Lorena.* In Vienna.

5.) *Due Epitalamii nelle Nozze di due Nobili Veneti.* In Venezia.

Vide plura apud Armell. part. 2. pag. 34.

JACOBI CORNELII LUMENÆI à MARCA Monachi Blandiniensis in Urbe Gandavo *Elogia Ducum Burgundiæ & Brabantiæ*, quæ ad Carolum Audacem mira elegantia produxit. Ant. Sander. de Script. Gandav. l. 2. p. 60.

JOANNES EVANGELISTA à Panormo, Abbas S. Martini de Scalis observantiæ quoq; disciplinæ regularis, non modò doctrinæ ac eruditionis studiosissimus cùm esset, Innocentii XI. Summi Pontificis, tum aliorum insignium Virorum sicut etiam Cardinalis Estensis existimationem, amorémque promeruit, erat enim verbo & exemplo admodùm venerabilis, & vel ipso aspectu sanctimoniam spirans. Inter ejus lucubrationes commemorari volunt

Anagrammata Sacra ad Spiritualis Animæ desuaviationem, veluti in bolos constructa. Panormi apud Dominicum de Anselmo 1662. in 8. & iterum Messanæ an. 1671. & tertiò Mutinæ eodem anno 1671. ex Typographia Andreæ Cassiani; additis *Anagrammatibus non sacris*; & alibi præsertim Ticini, ac Regii Lepidi.

LEO, cognomine MATINA, patriâ Neapolitanus, Monachus Cavensis, & Abbas Titularis Congreg. Casin. Sacræ Scripturæ In Patavina Academia primarius Interpres in pangendis Elogiis apprimè excelluit. Ejus Opera sunt

1.) *Unguis Elogiorum* Ticini Regii apud Andream Magrium anno 1645. in 4. Quem librum in lucem emittendum curavit, inscio Auctore, Comes Andreas Cambarana, Vir optimè de literis meritus, & auctoris amicus intimus.

2.) *Ducalis Regiæ Lararium*, sive *Seren. Reip. Venetæ Principum omnium Icones, & Elogia.* Patavii 1659. typis Hertzianis in folio, quod opus Octavius Boldonus, tanquam Elogiographorum Archetypon proponit in sua *Epigraphica* sive *Elogiaca*, *Inscriptionésque pangendi ratione.* Perusiæ 1660. in Indice 4. memoriali.

3.) *Elogia Heroum*, id est, *Sanctorum Pontificum, Cæsarum, Regum, Principum, Cardinalium, Divum, Heroúmque Musæum &c.* Patavii anno 1674. Typis Petri Mariæ Frambotti in fol. Armell. part. 2. p. 74. ubi plura leges.

MARCUS ANTONIUS SCIPIO, Italus, Placentinus, in Monasterio S. Sixti ibidem Professus non *Elogia* modò *Virorum Illustrium Ord. S. B.* alio loco à nobis non sine merita laude recensita in lucem publicam dedit, sed *Inscriptiones* etiam (duas nempe supra viginti) exornando Casinati Cœnobio conscripsit, quæ opera perillustris D. Lazari Chinelli Ecclesiæ Cathedralis Canonici Placentiæ anno 1636. lucem viderunt. Armell. part. 2. pag. 91.

MAURI MARCHESII, Siculi, Panormitani, Montis Regalis Decani

Accipiter Panegyricus in laudem R.mi Patris D. Ambrosii Magii Congreg. Casin. Præsidis Generalis, cùm Patavii in S. Justinæ Cœnobio exciperetur. Patavii typis Pauli Frambotti an. 1646. opera Comitis Angeli Burggravii, qui in Epist. ad Lectorem lucubrationem illam *felicissimi ingenii præclarissimam sobolem vocat, quam auctor modestiæ suæ nimiùm consulens, in secretiore cellæ angulo celabat.*

-- EJUSDEM Panegyricus R.mo Patri D. Andreæ Mancuso Præsidi Generali dictus, impressus Romæ typis Manelphi an. 1647. Vid. Armell. part. 2. pag. 102.

MICHAELIS de JUDICE, Siculi, Panormitani, complurium per Siciliam Monasteriorum Abbatis

1.) *Palermo Magnifico dell' an. 1686.* id est, *Panormum Magnificum* anno 1686. quo Festum Inventionis gloriosæ suæ Civis S. Rosaliæ instauravit, Panormi per Thom. Rummulum an. 1686. in fol. pagg. 190. præter præfationes.

2.) *Brevis Notitia Applausûs festivi in Solennitate S. Rosaliæ, Virginis Panormitanæ*, quæ anno 1696. celebrata fuit. Panormi per Augustinum Epirum 1696. in 4. Italicè.

3.) *Applausus Coronæ in solenni triumpho S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ* an. 1697. Panormi per Augustin. Epirum 1697. in. 4. Italicè.

PETRUS le GRAND è Congr. S. Mauri modulatus est perelegantis Basilicæ Jovinianæ Nicasianæ apud Remos extructæ Encomium Adonicum, quod ex-

extat apud Marlottum Metropol. Remens. tom. 2. pag. 663.

PETRI CLAVARINI, Romani, Abbatis è Congr. Casin. *Musarum plausus Perusii* in Augusto D. Petri Monasterio Congr. Casin. ad an. 1643. Generalia Patrum Comitia excitatus. Augustæ Perusiæ ex Typographia Episcopali apud Angelum Bartholum in 4. quo anno Petrus ejusdem Perusini Monasterii erat Prior. In hoc autem libro hæc continentur. 1.) *Elogia, Anagrammata*, & *Epigrammata* in laudem Ss.mi Patris Benedicti, & Congreg. Casin. 2.) *Gemmea Corona*, id est, Anagrammata & Epigramata in laudem omnium Abbatum Congreg. Casin. 3.) *Elogia & Epigrammata* in laudem Imaginis B. Mariæ de Lilio, quæ solenniter fuit translata ex agro in Ecclesiam Monachorum S. Petri Perusii, déque eadem translatione varia Anagrammata. 4.) In laudem *Augustæ Perusiæ Anograñata & Epigrammata*, & alia quædam. 5.) *Anagrammata & Epigrammata* diversi argumenti.

In Sublacensi verò S. Scholasticæ Monasterio videntur variis in locis plurimæ *Inscriptiones*, & Carmina à Petro Clavarino composita, ac Parietibus, Stylobatis, Parastratis, Epystiliis, Janûis, Sacellis tum intra tum extra Cœnobium alibíque affixa, in quibus ingenii, acuminis, & eruditionis haud parùm elucet. Exempla affert Armell. part. 2. p. 134.

Longum Vale, quod R.mus & Ampliss. D. Antonius Abbas Scotensis, ante id Garstensis O. S. B. an. MDCXLVIII. ad III. Non. Novemb. Religiosissimis Filiis suis Scotensibus, Garstensibus, Amicis, Pauperibus dixit. *Cœtus Religios. Scotens. Optimo Parenti F.* in fol. Viennæ Austriæ typis Judith Gelbhaarin Viduæ.

PHILIPPI TANI, Itali, Romani, ex Monacho D. Pauli extra Urbis mœnia Episcopi Civitatis Ducalis in Samnio ab Innocentio XI. renuntiati anno 1686.

Elogia plura soluta oratione sparsim edita, præcipuè in laudem Leopoldi I. Cæsaris, Joannis III. Poloniæ Regis, Caroli V. Lotharingiæ Ducis, aliorúmque Heroum, qui bello Turcico anno 1683. Viennæ Austriæ de immanissimo hoste triumphârunt; impressa Romæ eodem anno 1683. Reliquit prætereà *Elogiorum Sacrorum* libros duos. Vid. Armell. part. 2. pag. 142.

PLACIDUS PUCINELLUS Italus, ex Ætruriæ Oppido *Pescia* dicto oriundus, S. Mariæ de Florentia alumnus, & Abbas Titularis Congr. Casin. quàm plurimarum insignium lucubrationum auctor in Mf.tis reliquit

Memorias & Inscriptiones antiquas, & modernas Pontificum, Imperatorum, Regum, Cardinalium, Principum & Prælatorum, & signatim Monasteriorum Casinensis, Sublacensis, Pomposiani, Florentini, Mantuani &c. Italicè scriptas. V. Armell. part. 2. p. 155.

Stephanus Cataneus, Italus, Novariensis, Congregationis Casinensis semel atque iterum Præsidens composuit *Emblemata*, *Hieroglyphica*, & *Symbola*, Latina, Italica, Siriaca, Hebraica, & Arabica, quæ in Bibliotheca Monasterii S. Jo. Evangelistæ Parmensis asservantur. Armell. part. 2. pag. 180.

VALERIUS CASTIGLIONI, Italus, Mediolanensis, Congr. Casin. Abbas Titularis plurima reliquit fœcundissimi ingenii monumenta; ex quibus per typos publicæ luci tradita sunt sequentia:

1.) Elogium de Gestis heroicis Caroli Emmanuelis I. Ducis Sabaudiæ. Veronæ anno 1626.

2.) Panegyris Illustrissimis ac Excellentissimis DD. Joanni Georgio Aldobrandino, Principi Meldensi, & D. Hippolytæ Ludovicæ, Sponsis felicissimis. Raveñæ typis Petri de Paoli, & Jo. Bapt. Giovannelli. an. 1621. in 4.

3.) *Rosa*, Panegyris dicta Eminent. Cardinali Alexandro Ursino Legati Romaniæ. Ibidem apud eosdem eodem anno 1623. in 4. Permulta alia vide apud Armell. Bibl. Congr. Casin. par. 2.

JOANNIS WEINCKENS Prioris Seeligenstadiensis, Poëtæ Laureati Cæsarei

PrInCeps EVgenIVs, PannonIæ HVnIaDes, SabaVDIæ HerCVLes, ChrIstIanItatIs HeCtor, TVrCIæ terror, fertIs & trophæIs CoronatVs. *Hannoniæ.*

EJUSDEM *Panegyricum pacis præconium.* anno 1697.

-- *Adorea Anselmiana.* in fol. cum figuris an. 1698.

-- *Jubilus Eucharisticus &c. seu, sexcenta Anagrammata ex programate EUCHARISTIA eruta.* Norimbergæ an. 1709. Vid. Felic. Egger in Idea Ord. Ben. lib. 2. part. 3. pag. 587.

ALO-

ALOYSIUS à LYMBORGH ad S. Ægidium apud Leodiens. Abbas scripsit carmine elegiaco (quale vel Ovidius ipse, inquit Valerius in Bibl. Belg. si surgat ab inferis, agnoscat suum esse) *Apprecationem pareneticam* R. D. Erasmo à Xencheval, Novi Monasterii apud Huium Abbati. Vid. Felic. Egger in Idea Ord. Ben. lib. 2. part. 3. pag. 585.

PAULUS STOCKER è S. Paulo in Carinthia anno 1705. Philosophiam in Universitate Salisburgensi docuit. Ejus Opus est

Sapientia politica symbolica, hoc est, virtutes & symbola Cæsarum Austriacorum Thesibus philosophicis & politicis explicata. Salisburgi in fol. an. 1707.

BALDRICUS ex Burguliensi apud Andegavos Abbate Archiepiscopus in Aremorica Dolensis anno 1131. defunctus composuit *Heroicum Poëma de Conquæstu Angliæ per Guillelmum Normannorum Ducem,* quod in Bibliotheca Regia intra Duchesnii Manuscripta custoditur. Adhuc Abbas *Carmina Historica* non minimo numero in honorem illustrium defunctorum panxit, quæ laudatus Duchesnius Tomo IV. Scriptorum Historiæ Francicæ pag. 251 - 277. juris publici fecit.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *Protheus Gratulatorius.* Monachii in 8. an. 1639.

ALEXANDER ROYER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, vir doctus, contexuit *Eloge de Madame Catharine de Lorraine, Abbesse de Remiremont,* id est: *Elogium D. Catharinæ à Lotharingia Abbatissæ Romarici Montis* Mf. Calmet in Catal. Script. Histor. Lotharing.

WOLFGANGI SELENDER Prioris Monasterii S. Emmerami Ratisbonæ, posteà Abbatis Brevnoviensis in Bohemia

Simulachrum Austriæ Serenissimo Principi ac Domino Dño *Mathiæ* Archiduci Austriæ &c. nec non Ratispon. &c. Comitiorum Præsidenti &c. Heroi inclytissimo & invictissimo, Patronóq; Musarum incomparabili &c. pietatis, observantiæ, gratitudinis, boníque ominis ergò conflatum, & humillimè consecratum. Incipit:

Regina Austriadum, genus alto à sanguine Divûm
Qua regis imperio populos, firmásque labantem
Teutoniæ statum, quà Marte togáque celebris
Atque immota manes &c.

Asservatur inter mf.tos Codd. Bibliothecæ Brevnoviensis.

THOMÆ WEISS, Monachi Neresheimensis in Suevia, Professoris Eloquentiæ in Universitate Salisburgensi *Dedicatio Basilicæ Metropolitanæ Salisburgensis* an. 1628. in 4. typis Christophori Katzenberger, quæ Mabillonio & lecta & laudata fuit. Author eandem inseruit Chronico Generali Ord. S. B. à se ex Hispano idiomate Latinè reddito. Prodiit iterùm separatim in 4. Latinè & Germanicè Salisburgi per Gregorium Kyrner.

CÆLESTINUS SFONDRATUS Abbas & Princeps San-Gallensis, S. R. E. Cardinalis sub annum 1695. libro in lucem emisso Virginis illibatæ innocentiam non *armis & acie* magis, quàm *flore & pompa*, omnium sententiâ, insigniter vindicavit: unde *Innocentiæ Vindicatæ* typis San-Gallensibus in fol. anno prædicto vulgatæ subnexuit. Ipsius verò *Sfondrati* laudes celebrârunt Musæ Salisburgenses in *Arbore Fœcunda* eidem dicata anno 1696.

OTTONIS AICHER è S. Vito Congreg. Bavaricæ Monasterio Historiarum Professoris in Universitate Salisburgensi

1.) *Theatrum funebre.* Partes IV. in 4. Salisburgi an. 1673. & auctius an. 1675.

2.) *Hortus variarum Inscriptionum veterum & novarum, in duas partes divisus.* in 8. majori. Salisburgi anno 1676.

3.) *Manipulus affixionum, Poëmatum &c. à Patribus Professoribus Rhetorices & Poëseos Salisburgi adornatus.* Mf.

MICHAELIS LANGBARTNER, Michaëlburani Ascetæ, Theologiæ Doctoris, Professoris Academici in Universitate Salisburgensi *Variæ gratulationes ad Archiepiscopos & Principes Salisburgenses, Symbola, Emblemata, variíque conceptus Poëtici*, quorum mentio fit in Historia ejusdem Almæ Universitatis pag. 396.

GUILLELMUS ROUSSEL è Congr. S. Mauri perelegans *Encomium* seu *Epitaphium* memoriæ Magni *Mabillonii* anno 1708. defuncti composuit, quod vide apud Pezium & Cersium in Bibliothecis Scriptorum è Congreg. S. Mauri.

Corona Gratulatoria, seu Gratulationes diversæ, quos Magnis Principibus accinuit Alma & Celeberrima Universitas Salisburgensis per R. P. *Paridem Gille* Benedictinum Buræ S. Michaëlis, antehac in præfata Uni-

versitate Poëseos & Eloquentiæ Professorem, nunc collectim in lucem datæ Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayer an. 1681. in fol.

BENEDICTI SCHMIER, Ottoburani, Professoris Theologiæ in Universitate Salisburgensi *Elogia LX.* in Christi Jesu Dei-Hominis Patientis, Morientis, Reviviscentis, Ascendentis, & futuri Judicis memoriam & gloriam stylo lapidari contexta. Author hæc Elogia Tomo I. Scholasticæ suæ Theologiæ cotonidis loco adjecit pag. 143 - 197.

OLIVERII LEGIPONT *Regia Amoris* Valles inter & Montes erecta, DIVersIsqVe honorIs, gLorIæ & VIrtVtIs agaLMatIbVs ILLVstrata, Quando Illustrissimus ac perquam Gratiosus Dominus, D. Fridericus Antonius Christophorus Cametarius de Wormatia, L.B. de Dalberg, Eminent. ac Celsiss. Principis Electoris Moguntini Camerarius & Regiminis Electoralis Consiliarius, Serenissimi Principis Electoris Palatini Archi-Satrapa in Veldens & Lauterecken &c, &c. nec non Illustriss. ac perquàm Gratiosa Domina D. Sophia Elisabetha Xaveria L. B. ex Perillustri Wamboldiorum ab Umbstadt Stemmate prognata &c. Auspice Hymenæo festivas inter aggratulationes Nuptiarum solemnia celebrabant die XVII. Novembris anno 1738. Moguntiæ ex Typographeio Elector. Aulico-Academico per Joan. Henric. Hæffner. in fol. Fuit Author Illustriss. DD. de Dalberg Bibliothecarius, ac inter plura alia poëmata, etiam *Fastos Abbatiæ S. Martini Coloniæ* heroico carmine complexus est.

FRANCISCI RAMSPERG Prioris Augiæ Majoris Brigantinæ, literis politioribus excultissimi, complura rari acuminis Emblemata, Symbola, Epitaphia, Carmina Genethliaca, Anagrammata, Epigrammata &c. Opp. Mss.

WERIGNANDI COGLERI Michaëlburani Cœnobitæ *Stillæ Poëticæ sacræ ac profanæ*, sive Elegiæ, Epica, Emblemata, Dramata, variique metri & argumenti carmina typis edita prodiêre *Aug. Vind.* an. 1730. in 8.

SECTIO V.

Qui Rhetorices, Poëseos, Historiæ, atque Epistolographiæ &c. præcepta scripserunt.

S. ALDHELMUS, cujus opuscula metrica edidit Martinus Delrio Moguntiæ an. 1601. in 8. scripsit præterea *de metrorum generibus.* Primus enim fuit, ut hujus Capitis Sectione III. diximus, qui Anglos, populares suos, condendi carminis Latini rationem docuit.

VEN. BEDÆ Libellus *de Arte metrica* ad Wigbertum Levitam; Opp. Tom. I. pag. 45. seq. Extat & in Grammaticis Putschii pag. 2350 - 2383. & pars præfigitur Hymnis Ecclesiasticis à Georgio Cassandro editis anno 1556. & inter Cassandri Opera Parisiis anno 1616. in fol. Quo fine autem V. Beda hoc scripserit Opusculum, ex præfatione palàm fit, qua illud Cuthberto discipulo suo nuncupavit: ait enim, quòd postquam illi principia ad Librorum sacrorum peritiam conducentia tradidisset, opportunum putaverit de Arte quoque Poëtica ad illum verba facere, cùm scriptura aliquando ligata oratione usa sit. Vid. Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 12. pag. 58.

ALCUINI RHETORICA prodiit, teste Gesnero, Haganoæ an. 1529. in 8. per Menradum Moltherum restituta. Stilus simplex & purus est. Editionem Paris. an. 1599. in 4. adducit Caveus.

MILO Elnonensis, seu S. Amandi in Belgio Monachus, anno 871. mortem fublatus scripsit librum de *Arte Metrica*, cujus meminit Valerius Andreas Bibl. Belg. pag. 676.

KERARDUS Augiensis Monachus Seculo IX. humanioribus literis quàm optimè imbutus, ad Augiensis scholæ singulare commodum *Synonima uno volumine comprehensa* comportavit, ut minori deinceps labore juventuti Augiensi in conquirendis vocabulis sudandum esset. *Egon* Lib. de Vir. Ill. Aug. Div. cap. XII.

REMIGII ANTISSIODORENSIS S. Germani Liber de Rhetorica; incipit: *Rhetorica est.* Extat in Codice Mſto 5304. Regiæ Bibliothecæ Parisiensis. Oudin. de S. E. Tom II pag. 332.

S. BEN-

S. Bennonis, Episcopi Misnensis, *Libellus de Dictamine*, seu *de conscribendis Epistolis*, extat in codice membranaceo Augustae Bibliothecae Guelferbytanae in forma, quam octavam vocant, n. 5620. Mf. Hujus opusculi hactenus inediti, imò planè incogniti notitiam debemus Leibnitio in Introduct. in Collect. Scriptor. Rer. Brunsv. n. xxxii, p. 34.

Gerberti Scholastici Floriacensis, *Ars Rhetorica*, quam suis auditoribus praelegit, cujusque ipse meminit Ep. 92. ad Bernardum Monachum.

Aginulphus Monachus, nescio cujus in Germania Monasterii, scripsit de *Arte Epistolographica*, utì discimus, inquit Leibnitius, ex S. Bennonis dictamine.

Albericus Monachus praecepta literis mandavit de eadem *Arte Epistolographica*, quem S. Benno secutus videtur, & prae caeteris laudat. Leibnitius loc. cit.

S. Petrus Damiani scripsit *Declamationis Rhetorices Lib. I.* Trithem. in Annal. Hirs. ad an. 1058.

Oswaldus Monachus Vigorniensis in Anglia circa an. 1010. composuit opusculum instar epistolae *de componendis Epistolis*. Baleus II, 43. Pitseus pag. 181. seq.

Marbodi ex Scholiarcha & Archidiacono Andegavensi Episcopi Redonensis, tum Monachi ad S. Albinum Andegavi *Libellus de Ornamentis verborum*, quem composuit pro discipulis suis, cùm adhuc eadem in urbe seculo xii. literas humaniores & Rhetoricam doceret, nondúmque ad sedem Redonensem fuisset assumptus. Edidit cum caeteris Marbodi Opusculis Antonius Beaugendre è Congr. S. Mauri, & Hildeberti Operibus subjecit. Parisiis anno 1708. in fol.

Mathaei Vindocinensis *Summa de Arte versificatoria* asservatur inter Mf.tos Codices Bibliothecae S. Martini Majoris Coloniae Agrippinae.

Ranulphi Higdeni Cestrensis in Anglia Monachi *Ars componendi Sermones*. MS. in Bibl. Bodleian. cod. 2752. Cav. Hist. Lit. ad an. 1357.

Thomae Langlei Hulnensis Coenobii in Anglia Monachi *De variandis carminibus*, *Lib. un.* Pits. aet. 14. pag. 622.

Godefridus de Fexa, Benedictinus Hispanus incertae aetatis scripsisse dicitur *De re metrica* laudatum Opus ab Enneco Lupi à Mendoza Santillanae Marchione in prologo ad *Centiloquium*, cujus verba affert Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. Tom. 2. pag. 265.

Laurentii Massoli, Nobilis Veneti, Abbatis è Congr. Casin. an. 1590. demortui *Methodus Historiarum conscribendarum*. Vid. Armell. part. 2. pag. 71.

Hilarionis Corbetta, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. omnigena eruditione praediti *Praecepta laudandi ex Aphtonio Rhetore*, *sive Exemplar*, incipit: *Operae pretium est observare* &c. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 225.

Petri Vecchia, Itali, Patavini, Monachi Cassinatis, Abbatis S. Justinae, ac deinde aliorum in Congr. Casinensi Monasteriorum, celeberrimi Concionatoris

Metodo di comporre, & parlar bene, id est: *Methodus componendi, & bene differendi*. Venetiis anno 1622. Item *Idea dell' Eloquenza*, i. e. *Idea Eloquentiae*. Venetiis apud Nicolaum Pezzana anno 1663.

Vitalis Terra Rubra, Viri undequaque doctissimi è Congr. Casinensi *Lexicon Rhetoricum*, utriusque Orationis tum solutae, tum metricae regulas complectens. Opus MS. Armellin. Bibl. Script. è Congr. Casin. part. 2.

Joannes Jacobus ex illustrissima prosapia Comitum à Preysing, ingenio, pietate, ac moribus verè illustris: ut eum avitam stemmatis gloriam humilitate occultaret, in Monasterio Tegernseensi terrenis perpetuò sese abdicavit vii. Calendas Septembris MDCXXXVII. Neque tamen latere diu potuit, quin ab Universitate Salisburgensi pro *Rhetorices* schola expeteretur anno MDCXLIII. ut acceptam in religioso convictu scientiam denuò grato rependio in alios diffunderet. Et utinam diutiùs eo frui licuisset! Demessuit mors caeca nobilem florem in Monasterio Admontensi anno MDCXLV. die vigesima prima Augusti, in quam solaris Eclypsis inciderat. Unde in Ephemeridibus Academicis sequentia annotavit P. Romanus Müller. *Tandem Eclypsis praedicta finem absolvit suum, & piè obiit in Monasterio Admontensi R. P. Joannes Jacobus à Preysing, Rhetorices Professor, aetatis vigesimo septimo. Sic tanti spes sanguinis, & tam floridae indolis rosa uno & non exspectato malignae febris halitu exspiravit.* Fusiùs excelsas animi dotes, aptámque majori-

majoribus indolem describunt literæ mortuales, quas unà cum Epitaphio Theatro suo funebri inseruit P. Otto Aicher è S. Vito. Reliquit verò P. *Preysing Institutiones Poëticas & Rhetoricas*, quæ nondum lucem publicam viderunt.

OTTONIS AICHER è S. VITO in Universitate Salisburgensi multis annis Poëseos & Rhetorices Professoris doctissimi

1.) *Introductio Brevis ad Historiam*, quæ præfixa est ejusdem Epitome Chronologicæ Historiæ Sacræ & Profanæ ab O. C. usque ad C. N. Coloniæ apud Wilhelmum Metternich in 4. an. 1706.

2.) *De Principiis Cosmographiæ*. Salisburgi an. 1678. in 12.

3.) *Iter Oratorium*, Salisburgi in 12. an. 1673. Ex hoc circa an. 1698. in Gymnasio Crembsensi Rhetoricam à R. P. Spindlero Soc. J. fuisse explicatam meminit Cl. Bernardus Pezius in Epist. Apolog. pag. 270. *Ut adeò*, inquit, *nostrorum Monachorum labores minimè ejusmodi sint, qui Jesuitis usui esse nequeant*. Ut verù hoc sit, ita illud etiam negari nequit, habere Jesuitas suos Cyprianos, Soarios, Stradas, Pomeyos, Masenios, & sexcentos alios, quibus uti si velint, aliorum libris facilè carere possunt.

4.) *Iter Poëticum*. Salisburgi in 12. an. 1674.

Gabrielis Liebheit Weichenstephensis *Rudimenta Eloquentiæ* ad usum faciliorem studiosæ Juventutis ex optimis Rhetoricarum Legum Scriptoribus, iis deinde, qui de eruditione præ cæteris sunt meriti, recens collecta. Pedeponti propè Ratisbonam an. 1739. in 8. Sumptibus Joannis Gastl Bibliopolæ Pedepontani.

IGNATII CLAVENAU, Admontensis in Styria Cœnobitæ *Ars Rhetorica per præcepta & exempla breviter illustrata*, cui accessit additio *de Eloquentia Concionatoria*. Extat in Auctoris Ascesis Posthumæ Part. II. pag. 511-720.

THOMÆ ERHARD Wessofontani è Congregatione Bavarica *Opus Rhetoricum* in maj. 8. cujus plurimis ante annis cursim à me evoluti titulum, atque editionem oblitus fui. Subit verò memoriam excellens illud monitum Mabillonii nostri Tract. de Stud. Mon. c. XII. *Porrò insistendum nullatenus erit Recentiorum quorumdam futilibus, nulliusque penè momenti Rhetoricorum libris, unde vix aliquid discitur. Quocirca Aristotelis & Quintiliani Rhetorica præcepta cæteris quibusque antecellunt, quæ ab aliis vel de re literaria benè meritis viris possint nobis impartiri* &c. Omnium librorum, quos vitâ meâ perlegi, nullus fuit, ex quo minus didicerim, atque ex *Erhardi* Rhetorica.

ENGELBERTI HEINDEL in celebri Lycæo Monasterii B. M. vulgò ad Scotos Viennæ in Austria Poëseos ac Rhetorices Professoris *Rhetorica*, quam discipulis dictavit, & ex quâ Illustriss. Adolescens D. Leopoldus S. R. I. Comes à Schallenberg sequentia Parerga anno 1727. defendenda suscepit. „1.) Datur Rhetorica artificialis. 2.) Ea non bene definitur per „Platonem, quòd sit Ars flexanima, „seu flectens animos. 3.) Nec per „Aristotelem, quòd sit facultas vi„dendi in unoquoque, quod contin„git ad persuadendum. 4.) Nec per „Soarium dicendo tantùm: quòd sit „Ars, vel Doctrina bene dicendi. „5.) Sed ea tantùm bene definitur: „quòd sit Ars bene dicendi per Tro„pos, & Figuras juxtà numerum O„ratorium ad persuadendum ex Lo„cis suis. 6.) Hæc solummodò in ha„bitualem, docentem & utentem be„ne & univoce dividitur. 7.) In actu„alem enim, docentem, & utentem „tantùm analogicè, & impropriè divi„di potest. 8.) Habitualis Rhetorica „docens realiter distinguitur ab ha„bituali utente. 9.) Habitus aliarum „scientiarum, etiam dum per Tropos „& Figuras differunt, non sunt Rhe„torica utens in recto. 10.) Ad alias „scientias etiam in statu perfecto ac„quirendas, Rhetorica artificialis nec „moraliter est necessaria. 11.) Par„tes essentialiter constituentes elo„quentiam sunt quinque: Inventio, „Dispositio, Elocutio, Memoria, & „Pronuntiatio. 12.) Judicium non „est sexta pars. 13.) Rhetorica est „virtus intellectûs in genere. 14.) „Et in specie Ars & Scientia strictè „talis. 15.) Et quidem purè & sim„pliciter practica. 16.) Objectum „materiale proximum illius non sunt „res omnes. 17.) Nec Thesis, nec „Hypothesis. 18.) Nec Tropi & Fi„guræ, nec Loci Oratorii, nec par„tes Orationis, licèt hæc opera, „pront sunt in fieri, considerentur. „19.) Sed objectum materiale proxi„mum Rhetoricæ tantùm sunt voces „externæ. 20.) Objectum formale „illius non est rectitudo suarum ope-

„rationum. 21.) Sed ipsa duntaxat „aptitudo ad persuadendum. 22.) „Illius verò objectum attributionis, „ad quod omnia referuntur, non est „oratio perfecta ut sic. 23.) Nec „thesis, nec hypothesis, nec mo- „tus animorum, nec peroratio, seu „epilogus orationis. 24.) Sed ora- „tio perfecta in genere deliberativo „tantum. *Viennæ Typis Wolfgangi Schwendmann Univers. Typogr.*

ANSELMI DESING Ensdorffensis in Palatinatu Superiore Cœnobitæ, & Professoris Poëseos in Episcopali Lycæo Frisingensi *Porta Linguæ Latinæ.* Ingolstadii apud Joannem Andream de la Haye. forma 8. an. 1727. Author id temporis humanioribus literis à primo limine in Lycæo Frisingensi docendis admotus, putavit, serviendum juventuti esse, multáque præclara ad eam excolendam conatus est, nec sine insigni fructu. Recusa est *Porta* auctior Monachii apud Riedlin 1734. in 8.

-- EJUSDEM *Index Poëticus* continens Nomina Propria, Genealogiam, Mythologiam, Apologiam, Geographiam, Poëticam, & alia ad eruditionem, copiam, & ornatum orationis spectantia, serviens pro Elucidario, Vena, & Lexico Poëtico, cum octo tabulis Geographicis. Ambergæ typis Jo. Georgii Koch an. 1731. Hic *Index* eruditionem affert scholasticam maximè; nec tantùm fabulosam modò ex Mythologia petitam; sed ad rerum verborúmque copiam in ligata potissimùm, sed & soluta oratione conciliandam.

-- EJUSDEM *Methodus Contracta Historiæ*, sive triplex Schema depingens historiæ naturam, studium, & praxin. Ambergæ apud Johan. Koch fol. oblong. an. 1725.

-- Ejusdem *Officina Epithetorum.*

-- EJUSDEM *Historica Auxilia*, id est: Institutiones in Geographia, Politica, Chronologia, Re militari, & aliis juxtà hodiernam methodum maximè ad historiæ cognitionem necessariis rebus pro Catholica Juventute. *Germanicè.* Pars I. Sulzbachii apud Christianum Holst anno 1733. in 12.

-- Pars altera *Auxiliorum Historicorum* Solisbaci apud Christianum Holst, & Ratisbonæ apud Hieronymum Lentz in 12. quâ de variis ad modernæ historiæ notitiam spectantibus adminiculis sermo fit ad tyronum captum. Hic quoque libellus recusus est Pedeponti in 8.

PETRI GISCHEL Ottoburani *Rhetorica major & minor* in 8. Aug. Vindel. an. 1740. Habetur etiam hujus Operis editio in folio.

FRANCISCI LAMY è Congr.S.Mauri *La Rhetorique du College des Quatre Nations trahie par son Apologiste dans son traité de la veritable eloquence, contre celui de la connoissance de soi meme*, i. e. *Rhetorica Gymnasii Quatuor Nationum prodita à suo Vindice in tractatu de vera eloquentia, typis vulgato adversùs opus de cognitione sui ipsius.* in 12. Parisiis 1704. Vide plura apud le Cerf pag. 193.

THOMÆ ERHARD Wessosontani *Ars Memoriæ*, sive clara & perspicua Methodus excerpendi Nucleum rerum ex omnium scientiarum monumentis. Expedita quoque ratio per apertas Rhetorices vias excerptis utendi. Opus in tres partes divisum, literarum sedulis cultoribus, novellis præcipuè Verbi Divini præconibus ac vitæ religiosæ tyronibus utile. Pars I. & II. Aug. Vindel. sumptibus Jo. Strötter Bibl. an. 1715.

SECTIO VI.

CRITICI VETERES & NOVI.

Quorum nomine illos intelligo, qui in varios Authores notas, illustrationes, adversaria, castigationes, & variantes lectiones ediderunt, vel eorum libros criticâ discussione recensuerunt.

Cunabula Grammaticæ Artis DONATI à Venerabili Beda restituta. Operum Tomo I. pag. 1.

CASSIODORI *Commentarius in Donatum.* Duos quidem ipse *Cassiodorus* narrat à se conscriptos esse *Commentarios* in *Donatum*, sed quoniam hi, quantum constat, nondum editi fuerunt, *Garetius*, qui Cassiodori opera conjunctim edidit, unicum tantummodò dare potuit. Tam aptè verò hic Commentarius cum iis, quæ in libro Cassiodori de *Grammatica* leguntur, cohæret, ut quæ in hoc sub finem

finem desiderantur, ex illo possint abundè suppleri.

PAULI DIACONI ex Notario seu Cancellario Desiderii Regis Langobardorum Monachi Cassinensis *Epitoma Librorum XX. Verrii Flacci*, nobilis veteris Grammatici *de verborum significatione*, à *Sexto Pompeio Festo* jam in breviorem formam redactorum. Hanc Epitomam Carolo M. dicavit, præmissa epistola, cujus hæc est inscriptio: *Largitatis munere, sapientia, potentiâque præfulgido Domino Regi Carolo, Regum sublimissimo, Paulus ultimus servulus.* De editionibus hujus Epitomes vide Fabric. in Bibl. Lat. lib. IV. cap. 6. Anonymus Mellicensis de S. E. cap. 67. *Paulus vir doctus scribit inter alia librum utilissimum, qui inscribitur de significatione verborum.*

SMARAGDI, Abbatis S. Michaëlis in Episcopatu Virdunensi sub annum 819. *Commentarius in Donatum*, nusquam typis, quod Mabillonius sciat, excusus, ita inscribitur in exemplari Corbeiensi num. 524. *In Christi Nomine incipit Grammatici Smaragdi Abbatis Mirificus Tractatus*: & in alio n. 525. *Incipit Tractatus in partibus Donati, cujusdam Presbyteri Zmaragdi.* Opus istud dividitur in libros quatuordecim, quibus in secundo codice subjicitur quintusdecimus de Orthographia. Mabill. vet. Analect. pag. 357. & 358. nov. edit. in fol. Teste Caveo extat MS. in Bibliotheca Corbeiensi. Prologum videre est apud le Cointe ad an. 824. n. 45. Fragmentum de antiquis Germanorum nominibus laudatus Mabillonius Analect. tom. 2. p. 420. vet. edit. affert, quod hîc adscribo: „In Francorum „Gothorúmque genere hæc patrono„mica species frequentatur multoti„ens A parte enim gentili & à The„odisca veniunt lingua, de quibus in „exemplo Gothorum pauca primùm „ponimus nomina, quorum hæc sunt „exempla. ALTMIR, GLITMIR, RIG„MIR, RAINMIR, WATMIR, WIG„MVNT, RIGMVNT, RATMVNT, „WLMVNT, & similia. Quorum „hæc est in Latinum interpretatio. „ALTMIR namque Vetulus mihi inter„pretatur; GLITMIR, Debitus mihi; „RIGMIR, Potens mihi; RAINMIR, „Nitidus mihi; WATMIR, Vestimen„tum mihi; WIGMVNT, Volens „bucca; RIGMVNT, Potens buc„ca, RATMVNT, Consilium oris. „Francorum patronomica secundùm „Theodiscam linguam hæc sunt no„mina: HELPERICH, ALTRICH, ART„RICH, AINARTH, RICHART, STEIN„HART, RAINHART, ARCHARAT, „FVLRATH, TANCHRATH, FAST„RATH, GOTRATH, RAGHMAN, „GOTHMAN, ARTHMAN, RICHMAN, „WITMAN, SUARZMAN, LIUBMAN. „Quorum hæ sunt interpretationes. „HELPERICH, Adjutorium potens; „ALTRICH, Senex potens, ARTRICH, „Durus potens; AINARTH, Unus du„rus; RICHART, Potens Consilium; „STEINHART, Lapis durus; RAIN„HART, Nitidum consilium; ARCHA„RART, Durum consilium; FVLRATH, „Plenum consilium; TANCHRATH, „Grande consilium; FASTRATH, Fir„mum consilium; GOTRAHT, Bonum „consilium, RAGHMAN, Consiliarius „homo; GOTHMAN, Bonus homo; „ARTHMAN, Durus homo; RICH„MAN, Potens homo; WITMAN, Can„didus homo; SUARZMAN, Nigrus „homo; LIUBMAN, Amatus homo.

ADALGARDUS Monachus Gallus Sec. IX. incompertum mihi cujus monasterii, in libris veterum emendandis fuit magnæ diligentiæ & exactæ critices. Extat ad eum Lupi Ferrariensis epistola, in quâ inter alia hæc habet: *Habeo tibi plurimas gratias, quod in Macrobio corrigendo fraternum adhibuisti laborem, quamquàm librum, cujus mihi ex eodem folium direxisti, præoptarem videre. Est revera venerabilis, & exactissimæ diligentiæ. Nec minùs tibi gratulor pro commento Boëtii; nescio tamen adhuc, an totum id contineatur, aut si tuum sit, aut si cum alio id contuleris.* Epist. VIII. pag. mihi 27.

ISO Monachus Sangallensis scripsit glossas in Poëmata Aurelii Prudentii, quas Weitzius cum Operibus Prudentii edidit Hanoveræ an. 1613.

REMIGII ANTISSIODORENSIS S. Germani *Glossa in Donatum de Grammatica.* Incipit: *Rursum*, id est, *iteratò*. Extat in Bibliothecæ Regiæ codice msc.^to 5304. Oudin, de S. E. Tom. II. pag. 332.

-- EJUSDEM *Glossæ in Martianum Capellam de Nuptiis Mercurii & Philologiæ*. MS. in Bibliotheca Colbertina Codicibus 1050. & 1935. In Regia Gallica Cod. 5304. Oudin. l. c. pag. 331. Schöttgenius l. 17. p. 187. addubitat, an non his titulis comprehendantur *Remigii Grammaticalia* Colon. 1500. in fol. edita.

REMIGIUS Mediolacensis Scholæ Magister Seculo X. dein Abbas in *Priscianum Grammaticum* commentarios

rios edidit. Super Donatum quoque majorem & minorem. Trithem. Annal. Hirsaug. ad an. 980. pag. 222.

RICHARDUS PLUTO Monachus Cantuar. circa an. 1181. scripsit super Opera Philonis. Leland. cap. 212.

ROBERTUS Abbas Montis S. Michaëlis in Normannia, vulgò *Robertus de Monte* Plinium correxit. Vidi, inquit Lucas Acherius, ingens Plinii historiarum volumen elegantissimè scriptum, & ad nos è præfato Cœnobio Montensi transmissum, ubi hæc inter alia leguntur: *Prologus Roberti Abbatis in Plinium, qui & ipsum librum in Normanniam advexit, & corruptum correxit.*

LAMBERTUS Monachus S. Laurentii Leodiensis, Seculo, ni fallor, XIII. *fabulas Esopi commentatus est.* Has verò ad figurandos hominum mores auctor sagaciter præscriptus finxit. Sed commentator noster moralitate postposita insudavit allegoriæ, in hoc minimè sagax, qui ex rebus hujusmodi sacrata voluerit res procudere, quasi de spinis colligantur ficus, aut de rubo vindemientur uvæ. Igitur kalendis Martialibus liber ille in senatu soricum recitatus est, discussus est, abjudicatus est, sententiámque accepit corrosivam. Irruerunt proinde ex agris, irruerunt ex villis Palæstinorum mures, ac effero dente invaserunt, corroserunt, dissipaverunt apices præscriptos. Quæ autem spes recuperandi? deerat Philistinorum nobis inclyta supellex, qui mures potuerunt aureos in sua expendere vota, ne pergamena quidem suppetebat. Pergamum verò, quæ urbs scilicet prima pergamenis tam usu quàm copia nomen indidit, adire arduum nobis ac difficile nimis. Ergo Æsopicum illud ita disperiit sacramentarium. Hæc festivè ac lepidè *Reinerus* ejusdem monasterii Monachus Lib. I. de Scriptoribus sui Monasterii apud Pezium Thes. Noviss. Anecdot. Tom. IV. part. 3. fol. 30.

PETRI BERCHORII S. Eligii Parisiensis Prioris Congregationis Cluniacensis *Commentarius prolixus & insignis* in Opus metricum inscriptū *Doctrinale metricum cum Commentariis Petri Berchorii*, extat ter manuscriptum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis.

- - EJUSDEM *Commentarius Moralis, seu Allegoriæ in libros quindecim Metamorphoseos Ovidii*, qui extat MS. in Bibliotheca S. Germani de Pratis Parisiensibus Cod. 688. Allegoriæ autem sunt ab eo ingeniosissimè expositæ. Oudin. Tom. III. p. 1064.

- - EJUSDEM *Commentatio de Poëtarum fabulis*, quæ est liber XV. *Reductorii* necdum typis editus.

HUGO LEGATUS in Comitatu Hartfordiensi in Anglia natus, post bene collocatos in ingenuis artibus adolescentiæ suæ annos, apud S. Albanum O. S. B. factus est Monachus, deinde studia sua ad majorum suorum præscriptum prosecutus est Oxoniæ. Sed inde domum revocatus successu temporis se dedidit historiarum lectioni. Tum diversos pervolvens in Bibliotheca cœnobii sui libros, tandem incidit in Architrenium Joannis Hautivillensis ejusdem Ordinis & cœnobii quondam Monachi, cujus lectione & meditatione ita deinceps delectabatur, ut cæteris postpositis omnibus, nihil præter illud opus, & ea; quæ ad ejus explanationem facere deprehenderet, libenter legeret. Illud scriptum, ejúsque auctorem miris in cœlum efferebat laudibus, ab eruditione, pietate, & multiplici utilitate. Ibi lugubri versu deplorantur humanæ miseriæ, hujúsque vitæ calamitates, ibi severissimis censuris perstringuntur hominum vitia omnia pereleganter, ingeniosè, eruditè. In hoc igitur opus tam insigne, ad ingenii sui pium exercitium, & ad communem omnium utilitatem, composuit commentarios, eósque Guilhelmo Hayworthо, Abbati suo consecravit sub hoc titulo:

Commentarios super Architrenium Hautivilli. Lib. novem. Humillimus paternæ.

In Boetium de consolatione, Libros quinque. Superna Dei Sapientia cœlest.

Obiit anno à plenitudine temporis, 1400. Pits. æt. 15. pag. 569.

PHILIPPI de BERGAMO Cato cum Glossis anno 1475. habetur MS.tus in Bibliotheca San-Emmeramensi.

HILARIONIS à VERONA Cœnobii SS. Nazarii & Celsi ibidem alumni, Latinis Græcísque literis valde exculti *Paraphrasis Rhetorica Hermogenis* concinnata ab eo circa annum Domini 1516. teste Arnoldo Wione, sed postea impressa Venetiis anno 1523. dicata Petro Basadonnæ Patricio Veneto Consuli Rhetymnensi in Insula Creta. Extat etiam MS. Romæ in Bibliotheca Sapientiæ tomo 2. Miscell. profanor. Constantini Cajetani cum hoc titulo; *Rhetorices Hermogenis*

mogenis Compendium Hilarione Monacho Interprete; ubi in margine hæc leguntur: *habetur unà cum multis tractatibus Rhetorices antiquorum aliquot Rhetorum, ut Georgii Trapezuntii &c.* Venetiis apud Aldum an. 1523. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 224.

ARNOLDUS WION, Belga, Duacenus, è Congr. Casin. *De Temporum, Familiarum, & aliorum in historiis dubiorum emendatione* magnum & imensum Opus auspicatus est, quod propediem, Deo favente (ipsius Arnoldi sunt verba) *in lucem emittendum erat*; quod sanè utrùm factum posteà sit, adhuc ignorare se, scribit Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 55. Idem *Arnoldus* collegit etiam & recognovit omnia Opera Platinæ, quæ jam typis parata erant.

FABIANUS PINUS, Appulus, Matherensis, è Congr. Casin. variâ eruditione insignis, scripsit *Notas in primum Georgicorum Virgilii*. Armell. l.c. part. 1. p. 164.

BENEDICTI à S. GERMANO, Monachi ac posteà Abbatis Casinensis circa an. 1570.

Tractatus de Imitatione Ciceronis, liber impressus, teste Placido Diac. in Supplem. ad lib. Pet. Diac. de Vir. Ill. Casin. & Arnoldo Wionio, qui tamen nec locum nec annum impressionis prodűnt. Armell. part. 1. p. 100. Possevin. in Appar.

BENEDICTI de UVA, Itali, Capuani, Monachi Cassinatis *Commentaria in Dantem Poëtam*. Opus, nisi fallor, Mf.tum. quod extat in Bibliotheca Casinensi. Armell. part. 1. p. 102.

AUGUSTINUS PAIOLUS, Italus, Ferrariensis, ex Judice & Jurium Doctore percelebri Monachus Congr. Casin. an. 1663. comparaverat sibi selectam, ac pretiosam Bibliothecam, præsertim Poëtarum ferè omnium tum Latinorum, tum Italorum, & Gallorum, quorum singulos eruditis, ac doctis Notis marginalibus illustravit. Opus etiam mf.tum *de Arte excerpendi* reliquit, quod Ferrariæ in Bibliotheca Monasterii S. Benedicti asservatur, cui sequens carmen præfigitur:

Nectare sic plenos per prata virentia flores
Mella quibus condat, sedula carpit apis.

Obiit Paiolus anno 1711. años 81. natus. Vid. Armell. part. 1. p. 51. & 69.

JOACHIMI PERIONII *Annotationes in omnes Livii Conciones*. Parif. an. 1545. in 8. eodem anno Basileæ in 12. sunt equidem breves, sed inprimis eruditæ. Conciones verò Livii per genera causarum distinctæ sunt, ut vix quicquam Rhetorices ac Latinitatis studiosis proponi accomodatius possit.

VALERIANI CASTILLIONÆI è Congr. Casin. Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis, Historiographi, *Breves Notæ ad Conicorum libros Apollonii*. Mf.tum asservatur in Monasterio S. Simpliciani Mediolani. V. Pezium in Lit. Apol. pag. 247. & Armell. part. 2. Lit. V. p. 5. ubi etiam Notas in Commentaria Eutocii Ascalonitæ scripsisse dicitur. Eodem teste in Mf.tis reliquit *La Prattica del Mondo; Opera Morale, Politica & Economica, cavata, e discorsa su le favole di Esopo Frigio in fol.* id est: *Practica Mundi; Opus Morale, Politicum, & Oeconomicum.*

LUDOVICUS GABRIEL BUGNOT, Gallus, Sandiserienfis in Diœcesi Catalaunensi, è Congr. S. Mauri, publicavit anno 1659. primum librum *Argenidis Barclaii*, quem Notis admodùm doctis illustravit. Liber secundus certis ex rationibus publicâ luce decem post annis primùm donatus fuit. Neque tamen in illum, utì in priorem commentatus est: id verò inprimis studuit, ut Barclaii narrationi plus gratiæ magno numero versuum conciliaret, quos ita inseruit, ut cum prosa scitè metra connecteret. Ad calcem secundi voluminis duo extant encomia, quibus Domni *Gabriëlis Bugnot* lucubratio celebratur.

GUILLELMI FILLATRE è Congr. S. Mauri *Dissertatio de Nomine Mitra*, quam P. Roussel ad finem epistolatum à se Gallicè versarum subjecit. le Cerf. Bibl. Hist. Crit. p. 129.

-- EJUSDEM *Epistola* ad Mabillonium perquàm curiosa de Lexoviensis Ecclesiæ termino *Osca*, & statuto, *Qui ad Osca venerit, mulcletur*; cujus mentio fit in Ceremoniali Lexoviensi. Extat Opp. posthum. Mabill. & Ruin. tom. 1. l. 5. p. 445. subjungitur Responsio Mabillonii p. 453.

OTTONIS AICHER è S. Vito, Congr. Bavaricæ Monasterio in Universitate Salisburgensi Poëseos, Rhetoricæ, Ethices, & Historiæ Professoris longè doctissimi

1.) *M. T. Ciceronis Orationes Philippicæ Notis Historicis, Ethicis, Politicis, Philosophicis, & Rhetoricis illustratæ*. Partes II. in 8. Salisburgi anno . . . .

2.) *Titi Livii Decas prima cum Notis*

tis Historicis, Ethicis, & Politicis. in 8. Salisburgi anno 1694.

3.) *Tacitus enucleatus*: sive *Aphorismi & axiomata politica ex omnibus Cornelii Taciti Operibus.* in 12. Augustæ Vindel. an. 1701.

4.) *Supplementum Taciti enucleati, ex Julii Agricolæ vita & moribus Germanorum.* Eodem anno & loco.

5.) *Notæ in XII. Libros Virgilii & Senecæ Medeam.* in 8. Mſ.tum

6.) *Quinti Curtii Rufi Libri omnes, Notis Historicis, Ethicis, Poëticis, Philosophicis, & Rhetoricis illustrati.* in 8.

7.) *Florilegium insignium sententiarum ex Poëtis.* in 8. Salisburgi anno 1690.

8.) *Florilegium sententiarum Oratoricarum, Ethicarum, Politicarum, ex probatissimis Auctoribus collectum, & in locos communes digestum.* in 8. Norimbergæ an. 1695.

Vir doctissimus, postquàm inter Academica subsellia quadraginta octo annis gloriosum Professoris titulum circumtulit, quódque laudis argumentum, scriptis & factis mirum in modum adauxit, humanæ vitæ periodum absolvit anno MDCCV. decimo quinto Calend. Febr. ætatis suæ septuagesimo septimo, monasticæ quinquagesimo octavo. Vid. Hist. Salisburg. Acad. Lib. II. c. VII. p. 398.

GYGES GALLUS, sive PETRI FIRMIANI *ingeniosa in mores suæ Gentis Quæstio, & Animadversio.* Opus Politicis, Comicis, sacris & profanis Oratoribus utilissimum, omnibus eruditis jucundissimum, quod in hac nova editione *Sumariis Notis*, sicubi visum, & indice copioso illustravit *P. Gabriël Liebheit* Congr. Benedictino-Bavaricæ Monachus, Weichenstephanii Professus, & in Lycæo Frisingensi Rhetorices Professor. Ratisbonæ typis Hieronymi Lenzii in 8. anno 1736.

ANSELMI DESING *Curtius cum Notis Germanicis*, cui accesserunt *Electa ex Livio, Cæsare, ac Sallustio* in locos communes digesta. Denique *Institutiones Styli Historici* non quidem virilem, sed ad captum adolescentum. Ratisbonæ apud Hieron. Lenz. in 8. anno 1738.

-- EJUSDEM *Electa Poëtica*, seu *Optima Carmina Ovidii, Horatii, Martialis, Senecæ, Statii &c.* collecta, notisque brevibus illustrata; addita Isagoge ad cujusvis carminis indolem ac virtutes noscendas; cum farragine phrasium poëticarum copiosa. Opus nondum prælo subjectum, sed eo, ut cætera omnia doctissimi hujus Authoris, dignum.

JOANNES GELE è Congr. S. Mauri Dictionarium Geographicum & Historicum Michaëlis Antonii Baudrand correxit, & novis accessionibus auctius reddidit 2. vol. in fol. Parisiis anno 1705.

SECTIO VII.

POLYGLOSSI & LINGUISTÆ.

Linguis, ceu rivis, ad imbibendas scientias carere non possumus. Utut verò ad doctrinarum studia æquè omnes nullatenus requirantur, earum præcipuè tamen cognitioni à Monachis studendum est, quæ præ cæteris majorem ad sacras literas cùm intelligendas tum explanandas utilitatem afferunt; cujusmodi sunt Latina, Græca, & Hebraica; unde in antiquissimis Benedictinæ Familiæ monasteriis Præceptores & Magistri fuerunt, qui earum cognitione juniores monachos imbuerent. Ne verò sine exemplo loquamur, testes sunto

ADRIANUS Abbas Cantuariensis, à quo & Theodoro Archiepiscopo Angli Benedictini Latinam & Græcam linguam didicerunt, teste Venerabili Beda, cujus ævo de Adriani discipulis supererant, qui *Latinam Græcamque linguam æquè ut propriam, in qua nati sunt, nôrunt.* Hist. Eccl. lib. 4. c. 2. Ac nominatim eidem Adriano Abbati, & Theodoro Archiepiscopo in Græcæ linguæ studio operam dederunt

S. ALDHELMUS, qui jactis apud *Maidulphum Scotum* Latinæ linguæ fundamentis Cantuariense petiit monasterium, ut adjiceret artes, nempe *Dialecticam, & Rhetoricam*, tum etiam *Græcæ* linguæ cognitionem: in quibus diligentissimè & à Theodoro Cantiorum Archiepiscopo, & ab Adriano Augustiniani cœnobii Abbate instructus est. Joan. Lelandus de Script. Brit. cap. 71. p. 99.

OSTPHORUS Streaneshalensis Monasterii alumnus, qui relicto suo monasterio ad Cantuariense se contulit, ut ab Adriano & Theodoro *Græcæ* linguæ peritiam consequeretur. Leland. l. c. cap. 67. p. 95.

TOBIAS Monachus *Doroverni Cantuorum* educatus præceptoribus undecunque doctissimis, nempe *Theodoro Græco* & *Adriano Afro* usus est: quorum virtutes tam feliciter æmulatus est, ut nullum prorsus diligentiæ locum reliquerit. Unde tantus postea evasit, sive eruditas artes, sive linguarum elegantiam spectes, quantum illa secula & meritò quidem observabant, suspiciebant, venerabantur. Fieri hìc potest, ut me, inquit Jo. Lelandus, putet eloquentiorem, quàm veriorem laudatorem, cui, si quis talis erit, habeo hoc honorificum testimonium ex octavo (p) capitulo quinti libri Historiæ Bedæ, quod apponam: „*Tobiam* pro illo (defuncto *Gebmundo* Roffensi Episcopo) *Berechtwaldus* Cantuariensis Archiepiscopus, „consecravit, virum *Latina, Græca*, & „*Saxonica* lingua atq; eruditione mul„tiplici instructum.„ Et illud rursus ex 23. capite ejusdem libri. „ Cum „ eruditione literarum vel ecclesiasti„ carum vel generalium ita *Græcam* „ quoque cum Latina didicit lin„ guam, ut tam notas ac familiares „ sibi eas, quàm nativitatis suæ lo„ quelam haberet. „ Jam ut meum de *Tobia* sit vanum præconium, nemo, certè scio, tam temerè stultus erit, ut non quamprimùm *Bedæ*, authoris minimè mendacis, suffragium admittat. Lel. c. 63. p. 91. Mortuus est Tobias Roffensis Episcopus anno 726. Cæterùm *Berechtwaldus* successit Theodoro in Episcopatu Cantuariensi, qui erat Abbas in monasterio quodam juxta ostium aquilonare fluminis Genalde positum, quod Raculf nuncupatur. Vir & ipse, attestante iterùm Beda l. 5. c. 9. scientia scripturarum imbutus, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè instructus, tametsi prædecessori suo minimè comparandus.

ALBINUS Adriani Abbatis discipulus, atque ab ejus obitu in Abbatia Cantuariensi successor, in tantum studiis Scripturarum institutus est, ut Græcam quidem linguam non parva ex parte, Latinam verò non minùs, quàm Anglorum, quæ sibi naturalis est, noverit. Beda Ecclef. Hist. Gentis Angl. l. 5. c. 21.

VEN. BEDA præter Latinam linguam, etiam Græcam magna ex parte didicit, nec Hebraicam ignoravit. Præterea Bedæ laudi datur, fuisse doctum in Saxonica lingua. Postquàm verò Angli-Saxones à Normannis subacti fuerunt, hique novum loquendi genus in Insulam intulerunt, ne lingua eorum Saxonica penitus exolesceret, Monachi Benedictini Tavistuckiæ celebris ulim in agro Devoniensi monasterii curam habuerunt. Ad eam enim retinendam atque propagandam prælectiones habuerunt, quæ ad avorum nostrorum memoriam (inquit Spelmannus in Præfat Tom. I. Concil. Angl.) floruisse dicuntur, & cum ipsis monasteriis videntur exspirasse.

B. ALCUINUS in schola Eboracensis Monasterii Latinis literis institutus, etiam Græcam linguam addidicit, nec Hebraicæ penitùs expers fuit.

B. RHABANUS MAURUS ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ erat peritus. Primus Germanos, populares suos, Græcas literas docuit. Baron. ad an. 850.

WALAFRIDUS STRABO, Rabani Mauri discipulus, Augiensis Abbas, Latinè, Græcè, & Hebraicè doctus.

HARTMUTUS Rabani Mauri quondam auditor, idémque Abbas S. Galli, Græcè, Latinè, Hebraicè, & Arabicè noscens. Trith. de Script. Germ. & ex eo Possevin. Appar. tom. 2. pag. 5. Lambec. Comment. de Bibl. Cæs. lib. 2. c. 5. pag. 449.

MARTINUS ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Braccarensis sub an. 572. cùm linguæ Græcæ haud esset ignarus, in sua Canonum collectione pleraque ex Græco in Latinum convertit.

DIONYSIUS EXIGUUS, natione Scytha, Monachus & Abbas Romanus, *in utraque lingua Latina & Græca*, teste Cassiodoro cap. 23. de div. lect. doctissimus, multa ex Græco Latinè reddidit.

S. RATBERTUS PASCHASIUS, Abbas Corbeiæ Veteris in Gallia linguam Græcam haud ignoravit. Ex Græco vitas Patrum, aliáque synthemata, non sine crisi transtulisse compertum est ex MSs.

HERICUS Monachus Antissiodorensis, Lotharii, Caroli Calvi Regis Galliæ ac Imperatoris filii, præceptor fuit, quem, inquit Launoius de Schol. celebr. p. 21. c. XIV. literas Græcas perinde ac Latinas calluisse ac tradidisse do-

(p) mihi nono in editione Colon.

docent ejus Opera, quæ supersunt; ea enim Græcis hinc vocabulis, inde locutionibus non rarò inspergit.

FRIDEGODUS Monachus Anglus seculo x. vir fuit Græcè doctus, quod per id temporis in Anglia haud vulgare erat, teste Wilhelmo Malmesburiensi.

HARTMANNUS Junior Monachus San-Gallensis, & S. Udalrici Episcopi Augustani Præceptor linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ apprimè gnarus fuit, ad quem Otfridus Wissenburgensis multas epistolas scripsit. Mezlerus de Vir. Ill. Monasterii S. Galli l. 1. c. 22.

OTFRIDUS WISSENBURGENSIS, cujus modò mentio facta est, cùm Rabano Mauro in Schola Fuldensi operam daret, ab eo linguam Latinam, Græcam, & Hebraicam edoctus est: præ his tamen patriam, id est, Germanicam linguam magno studio & labore excoluit, omniúmque fuit primus, qui Marco Velsero teste, Germaniæ sermonem iis temporibus perquàm difficilem literis tradere aggressus est. Unde à Joanne Bollando honorifico nomine *Germanicæ Ortographiæ præcipuus inventor* appellatur.

S. LEO IX. quamvis esset eruditissimus, sacra studia jugiter colebat, nec linguam Græcam addiscere propè quinquagenarius dedignatus est, ut Scripturam sacram Græcè legere, ac intelligere posset, quò faciliùs cum Græcis ageret, eósque refelleret. Lud. du Mesnil Tom. IV. p. 94.

HERMANNUS CONTRACTUS Monachus Divitis Augiæ fuit trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritissimus. Trithem. de S. E. cap. 321.

WICBOLDUS Abbas Corbeiæ Novæ in Saxonia cùm Græcæ linguæ esset intelligens, bis Legatus in Græciam missus est à Friderico I. Augusto.

CONSTANTINUS AFER, patriâ Carthaginensis, Monachus Casinas Seculo XI. erat Chaldaicè, Arabicè, Persicè, Ægyptiacè & Indicè doctus. Bulæus *Hist. Univers. Paris. ad an.* 1085. *p.* 479. Egger *in Idea O. S. B. pag.* 163.

ATHELHARDUS, vel ADELHARDUS Monachus Bathoniensis in Anglia claruit circa annum 1130. & peragrata Gallia, Germania, Italia, Hispania, Ægypto, & Arabia multarum linguarum scientiam sibi comparavit. Unde & multos antiquos Anctores partim in Anglicam, partim in Latinam linguam ex aliis idiomatibus convertit. Pitseus æt. 12. pag. 201.

GREGORIUS HUNTINGDONUS Monachus Ramesiensis in Anglia circa an. 1225. libros Hebraicos nocturnâ versabat manu, versabat diurnâ, donec penitiorem linguæ cognitionem ex ipsis exhausisset fontibus. Jo. Lelandus cap. 332. p. 321.

JOANNES INFANTIUS Ramesegánus in Anglia Monachus cognitione trinm linguarum doctus, ac reconditæ antiquitatis juxtà ac veterum exemplariorum indagator longè curiosissimus. Jo. Leland. cap. CCXLI.

ADAMUS ESTONUS Norwicensis primùm Monachus, tum S. R. E. Cardinalis non Latinam modò, sed & Græcam atque Hebraicam linguam exactissimè calluit. Et in ultima quidem paucos eo tempore pares illi vidit Europa, teste Doctore Pitseo, superiorem profectò neminem. Pitf. de Scriptor. Angl. æt. 14. p. 548.

JOANNES de LYDGATO, vel LYGDATO Suffolciensis, natione Anglus, Cœnobii Buriensis Monachus, licèt plurium linguarum esset peritus, nullam tamen atque patriam majoribus in deliciis habuit; huic excolendæ omne suum studium addixit, nec infelici labore; teste enim Warthono, Anglicam linguam, inculta quæ olim squallebat barbaris, haud parùm ad incorruptam sermonis integritatem provexit. Vid. Warthon in continuatione Historiæ Rei Liter. Guillelmi Cavi ad an. 1440. pag. 118.

HENRICUS Abbas Ifnensis in Suevia, Vir omnium doctrinarum consummatissimus, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ peritus. Obiit 1350. Vid. Eysengren in Catal. Test. Verit. p. 140.

THOMAS MILLINGUS, Abbas Westmonasterii uti in omni melioris doctrinæ genere benè versatus fuerat, ita linguæ etiam Græcæ peritissimus fuisse dicitur. Hunc Edwardus Rex IV. non modò sibi à consiliorum secretis fecit, sed eum præ cæteris etiam omnibus elegit, ut filium suum primogenitum Edwardum Principem de sacro fonte susceptor levaret. Pitf. l. c. append. Cent. 4. p. 916.

PETRUS VISSELBECCIUS Monachus Eresburgensis, Imperialis & primi in Saxonia Monasterii à fundato Christianismo, fuit Philosophiæ & Theologiæ strenuus cultor, linguæ Græcæ haud ignarus. Vixit doctrinæ

&

& pietati semper intentus, ut tandem à Superioribus suis Ss. Theologiæ Doctor in cœnobio isto constitueretur. Decessit lenta phtisi consumptus, anno 1395.

INNOCENTIUS de NOVARRA, Abbas Casinensis, vir linguis Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, ac Latinis versatus floruit seculo XVI. Plac. Diac. in Supplem. c. VII.

PAULUS de ALTA-VILLA Monachus Casinas vir in Græcis, Hebraicis, & Latinis literis doctissimus. Plac. Diac. l. c. c. 17.

BENEDICTUS de S. GERMANO Monachus Casinas in Latinis, Græcis & Hebraicis literis valdè eruditus. ibid. c. 19.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas Spanheimensis adhuc adolescens præter Latinam Græcæ, Hebrææ, aliisque linguis Orientalibus animum curásque appulit, usus præceptoribus Joanne de Dalberg, Episcopo Wormatiensi, Conrado Celtis, Joanne Capnione, aliàs Reuchlino, Judæo quodam, Libanio Gallo, aliisque; quod studium ob alia deinde negotia per septennium ferè intermissum, Abbas strenuè rursus assumpsit; ut ipse testatur in Chronico Spanheimensi. Scripsit Opus mirabile, quod γλωττωφιλίαν, id est, *linguæ fertilitatem* prænotavit. de quo in Nepiacho & ep. 23. lib. 1. ubi vocat partem suæ Steganographiæ &c. Vide vitam n. 53.

NICOLAUS ELLENBOGIUS, Monachus Ottoburanus, Latinis literis Græcas & Hebraicas conjunxit, suáque præcipua cura, omni præconio dignissima, effecit, ut an. 1543. in florentissimo Monasterio Ottoburano Gymnasium trilingue institueretur. Mabill. in Itin. Germ. p. 48. & ex eo Jo. Georg Schellhorn Amœn. Liter. Tom. XIII. p. 412.

HERIBERTUS ARROPÆIUS à Lœndorff Abbas Monasterii Brauwillern in diœcesi Coloniensi, Græcè, Latinè, & Hebraicè peritus.

GILBERTUS GENEBRARDUS, Archiepiscopus Aquensis Latinè, Græcè, & Hebraicè doctissimus, cui Hebræa lingua, (teste Raynaudo Tom. XI. Part. I. Erotemate X. pag. 254.) *adeò familiaris erat, quàm vernacula.* Hanc edoctus fuerat à Cæsare Brancassio (aliàs Abrahamo Lunelli, quamdiu nimirum Judæus extitit) Is recens ad fidem conversus, dimittente Claudio Page, Andaonensis S. Andreæ monasterii Benedictini secùs Avenionem in Gallia, Abbas institutus fuit Brevi Gregorii XIII. dato Romæ IX. cal. Januarii, Pontificatûs anno 1. possessionem adeptus 7. Novembris 1573. Vir erat doctissimus, linguas 22. callebat, qui & Hebraicam Gilbertum Genebrardum in cœnobio Montis-Alti Andaoni vicino & subjecto edocuit. Cardinali Georgio Armaniaco, aliisque sacris Ecclesiæ Principibus acceptissimus fuit, non verò monachis, qui eum hucusque Judaismum profiteri ita conquesti sunt, ut Lutetiam Parisiorum accedere dato Vicario Generali, tandémque Johanni Sicardo Polemarchi de Ornano filiorum pædagogo, post expressam regulæ S. Benedicti professionem, sub annua pensione an. 1597. resignare compulsus sit. Venetias deinde perrexit, quò dum iter ageret per Rhodanum, & Avenionem, pallio faciem obduxit, ne locum, in quo tot probris affectus fuerat, videre cogeretur. Peregrè verò & antequàm Venetias attigiliet, eum ferunt obiisse anno 1598. & quidem juxta nonnullos ad Judaismum regressum. Gall. Chr. tom. 1. pag. 884.

GREGORIUS CORTESIUS S.R.E. Cardinalis trium linguarum Latinæ, Græcæ, & Etruscæ absolutissimam notitiam est assequutus. Ad Superos evolavit Romæ anno 1548. Armell. part. 1. p. 184.

CHRYSOSTOMUS CALVINI ex Monacho Casinensi Archiepiscopus, Ragusinus, Latini, Græci, ac Hebraici sermonis notitia multùm excelluit. Diem supremum obiit 1574. Vid. Armell. part. 1. p. 117.

ALPHONSUS VILLAGUT, J. U. Doctor, ac postea Congreg. Casin. Præses an. 1608. creatus, præter Latinam, Græcámque, & Hebraicam linguam, quas publicè profitebatur, egregiè calluit. Armell. part. 1. p. 11.

PROSPER MARTINENGUS è Comitibus de Barco Monachus Congr. Casin. religiosissimus juxtà ac doctissimus linguarum tum Græcæ, tum Latinæ, tum etiam Hebraicæ intima notitia excelluit, in Græca tamen Poësi summum gloriæ verticem attigit, ita ut Pindarus alter, altérque Homerus passim audiret. Mortalitatem explevit an. 1595. Armell. part. 2. pag. 157.

ANSELMUS PAJOLUS Juris Utriusque Doctor, tum Monachus Casinas Galliam & Hispanias peragrando utriusque gentis linguarum peritiam exa-

exactissimam est assecutus. Armell. part. 1. p. 50.

JOANNES BAPTISTA de MIRO, Præses Congr. Casin. in Græcæ linguæ intelligentia nemini fuit secundus. Quo tempore Romæ in Collegio Anselmino Sacros Canones exposuit, discipulos etiam in Græcis literis instruxit, ut hujusce præclarissimæ linguæ studia, quæ olim in Casinensi Congregatione floruerant, postliminio revocasse videatur. Armell. part. 2. pag. 28.

NICOLAUS HUGO MENARDUS primus fuisse fertur, qui studia Literarum in Congregatione S. Mauri excitaverit, eáque cum sanctioris vitæ cultu conjungenda esse, quà sermone quà exemplo docuerit. Erat verò Menardus Latinè, Græcè, ac Hebraicè doctus. Pez. Bibl. Maur. l. 1. c. 1. pag. 2.

THOMAS du FOUR è Congreg. S. Mauri Hebraicæ linguæ peritissimus, ætatis anno 17. Theses Philosophicas in Hebraica lingua defendit. Adhibendus erat ad revidendam Polyglottam, quam tamen provinciam ex modestia recusavit. Composuit Linguæ Hebraicæ opus Grammaticum, copia, brevitate, ac methodo absolutum. le Cerf. pag. 132.

RENATUS AMBROSIUS JANVIER è Congr. S. Mauri non contentus qualicunque Hebraicæ linguæ peritia, omnes illius sinus, sinúsque circumspexit, Rabbinorum etiam excussis Commentariis, quos cum judicio, & fructu tractare non cujusvis è vulgo eruditorum hominum est. Commentarios Rabb. Davidis Kimchi in Psalmos ex Hebræo Latinè reddidit. Pez. l. c. pag. 30.

JOANNES MARTIANAY è Congr. S. Mauri Hebraicæ, Græcæque linguæ cultum nunquam intermisit, sed in penitiorem earum cognitionem tantò ardentius incubuit, quantò majorem usum necessitudinémque utrarumque in S. Hieronymi Operibus noviter edendis quotidie animadvertebat. Pez. l. c. pag. 312.

BERNARDUS de MONTFAUCON ex primis fuit, quos sapientissimi Congregationis S. Mauri Moderatores ad Græcas & Hebraicas literas auspicatò transtulêre. Quantopere utriusque linguæ peritus sit, indicio esse possunt præclarissima Opera magno numero ab ipso in lucem emissa, præcipuè Analecta & Palæographia Græca, ut de SS. Athanasii & Chrysostomi Operibus nihil dicatur. Sed quis omnes San Maurianæ Congregationis Sodales enumeret? cùm ferè nullus sit, qui præter Latinam non etiam sacram, & eruditam calleat linguam, quarum cognitione juniores Religiosi Superiorum jussu cum cura instituuntur, quò majori cum fructu lectioni divinæ paginæ, Sanctorum Patrum, atque Scriptorum Ecclesiasticorum deinceps operam navare queant.

ROMANUS HAY, Ochsenhusanus in Suevia Cœnobita, sacrarum linguarum peritiâ excelluit, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ.

JOSEPHUS PERESIUS, Hispanus Benedictinus, ab ineunte pubertate sine viva voce cujuspiam magistri, didicit linguam Græcam & Hebraicam, quas ita calluit, ut primarias earundem linguarum cathedras successivo tempore in Salmanticensi Universitate adeptus sit. Præterea non modò Italicè, sed & Gallicè (quod mirêre) scit, ac si natus fuisset Romæ aut Lutetiæ: ut propterea quidam doctus Jesuita soleret dicere, Perezium à Deo obtinuisse donum linguarum. Card. Aguirre in Ep. ad Mabill. Romæ die 19. Jun. 1694. extat Opp. Posth. Mabill. tom. 1. lib. v. pag. 429.

ANSELMUS BANDURIUS à Magno Hetruriæ Duce Parisios missus linguis Græcæ & Hebraicæ operam ut navaret, in iis peritissimus evasit, ut & Opera ab eo in lucem emissa testantur, & Montfauconius utriusque linguæ callentissimus fidem facit in Diario Italico cap. 27. p. 394.

MAURUS Abbas Andecensis in Bavaria Latinè, Gallicè, Italicè, Hispanicè, Græcè, Hebraicè doctus ex Italico Latinè reddidit Opera Asceтica, de quibus vide Histur. Univers. Salisburg. l. 2. c. 3. p. 223.

PETRUS OWER, Cœnobita Petrhusanus in Suevia, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ callentissimus erat, cui ex eadem S. Petri Domo adjungi meretur *Cœlestinus Pfeiffer*, tergeminæ illius linguæ versatissimus ætatem hodie agit.

THOMAS WEISS Monachus Neresheimensis in Suevia variarum linguarum peritia ac eruditione clarissimus Chronicon generale O. S. B. à P. Antonio Yepesio Hispanico sermone conscriptum Latinitate donavit.

Inter Linguistas haud postremus enituit JOANNES CARAMUEL à LOBKOWITZ,

WITZ, non modò Latii, sed Hebræi, Græci, aliorúmque idiomatum peritissimus, teste Ughello in Italia sacrâ, ubi & convitia in eum passim congesta uno abstergit encomio, ipsum ex mente Erycei Puteani nuncupans *Virum, si ingenium, doctrinam, eloquentiam spectes, magnum, eximium & plenè divinum.*

HERMANNUS SCHENCK San-Gallensis, etsi postremo loco memoretur, non postremum tamen inter Polyglossos locum meretur: Latinæ enim, Hebraicæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ, ac Hispanicæ linguæ intelligens, complura ex peregrino & vario idiomate in Latinum sermonem scitè convertit, quorum syllabum exhibet Felix Egger in Idea O. S. B. pag. 164. Cæterùm San-Gallense Asceterium Emporium est Græcæ ac Hebraicæ linguæ, quò ex aliis Germaniæ monasteriis ceu ad sacræ & eruditæ linguæ mercatum juniores Monachi hactenus mitti consueverunt.

HELENA PISCOPIA (quæ & *Scholastica*) in elogio imaginis ejus, quæ Mediolani in Bibliotheca Ambrusianâ adservatur, adjecto vocatur *Septilingue Oraculum;* calluit enim Hebraicam, Græcam eruditam & vulgarem, Latinam & Italicam, Gallicam, & Hispanicam.

SECTIO VIII.

COMICI.

EOs primùm referre animus est, qui in celebri illo Univerſitatis Salisburgensis Theatro, quod anno MDCLX. conditum nulli nec artificio, nec elegantia in Terra Germania cedit, Comœdias exhibuerunt. Subit Theatrum hoc varias mutationes, quarum principales, I. *Atrium*, II. *Aulam*, III. *Conclave*, IV. *Urbem*, V. *Templum*, VI. *Hortum*, VII. *Sylvam*, VIII. *Castra*, IX. *Mare turbulentum & placidum*, X. *Cellam Vinariam*, XI. *Infernum*, XII. *Cælum* repræsentat; grato supra quàm dici potest oculorum spectaculo. Forum omnium Comicorum, qui in Theatro hoc ab arte & magnificentiâ celebratissimo ludos scenicos adornârunt, nomina recensere aggredimur, præmissis etiam illorum nominibus, qui ante erectum novum Theatrum fabulas seu Comœdias dederunt.

ANDREÆ VOGT OTTOBURANI *Applausus Comicus S. Ruperto* Wormatiâ per injuriam depulso, Juvavii excepto primo Episcopo ad Trophæum de Mundo reportatum editus Illustrissimo Principi & Reverendissimo Archiepiscopo solenni ritû suam Metropolim ingresso. An. 1621.

PLACIDI RAUBER San-Blasiani *Boleslaus Audax* II. Rex Poloniæ, ob immanem S. Stanislai cædem sponte se regno exuens, profugus, & in infimam sortem à Deo dejectus. Anno 1624.

EJUSDEM *Doctor Sabinus.* 1625.

EJUSDEM *Saul* Rex Israël, Regum Principum Decrementa, *David* Incrementa, uterque suo exhibet exemplo. A. 1626.

THOMÆ WEISS Neresheimensis *Pandora, oder wunderbahrliches Glück durch menschlichen Mißbrauch verkehrt.* An. 1627.

EJUSDEM *Ecclesia Salisburgensis S. Ruperti* Episcopi, Doctoris, Apostoli, ac Theodonis optimi Bojariæ Ducis auspiciis condita, suisque incrementis inclyta. Anno 1628. *Exhibita fuit Comœdia in Festo Dedicationis Templi 25. Septemb.*

EJUSDEM *Rupertus* Tuitiensis à B. V. MARIA celebri ingenio dotatus. A. 1629.

EJUSDEM *Agilbertus* Centonatus, Purpuratus, Damnatus, Pauper, Felix, Miser. A. 1630.

EJUSDEM *Jephte* Ductor Hebræorum, Victor Ammonitarum, Victimarius Filiæ. An. 1632.

EJUSDEM *Anastasius* Fortunæ Pila, Terræ Piaculum, Orci Monstrum, in bonorum Album manû Magnæ Matris relatus. *Eodem anno.*

EJUSDEM *Aman* Assueri Satrapa, Fortunæ Pila, Humanarum rerum Tragœdus. an. 1633.

EJUSDEM *Conradinus* Dux Sueviæ, Ducum Augustæ Domûs Spes longa, Summa brevis. an. 1634.

UDALRICI SWAIGER Tegernseensis, *Absalom* Regis Filius, Regni Æmulus, Fortunæ ludus. an. 1635.

ÆMIL. PIRCKEL è S. PETRO *Cosrois* Persarum Rex, Avarus, Superbus

bus, Tyrannus, Christianis flagellum, Siroæ I. Filio ludibrium. an. 1637.

ALEXANDRI HUEBER Andec. *Filius Prodigus.* 1639.

ÆMILIANI PIRCKEL è S. PETRO, *Holofernes* Assyriorum Dux, Hebræorum Persecutor ebrius, Judithæ viduæ ingenio & manu, suo verò gladio cadit. 1640.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *Theodoricus Amalus*, Bonus & Malus. an. 1641.

EJUSDEM *Ambrosius* Episcopus Mediolanensis, Severus Regum Censor, Ecclesiasticæ Libertatis Vindex. 1642.

EJUSDEM *Partharis* Rex Longobardiæ XIII. Divinæ Providentiæ luculentum argumentum, Infelix, Felix. 1643.

JOANNIS JACOBI à PREYSING Tegernseensis Tragœdia *De S. Martyre Quirino*, Philippi I. Imperatoris Filio, Tegernseensium Tutelari. 1644.

THOMÆ WEISS Neresheim. *De Doctore Lupo.* 1645.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *S. Sigismundus* Rex Burgundiæ supra exemplum bonus, infra fidem malus, præter morem Martyr. 1646.

EJUSDEM *S. Henricus* ex Duce Bojariæ XXXI. Imperator semper Augustus, Cæsar, Conjux, Virgo. an. 1647.

EJUSDEM Tellus suo Erinophilo reconciliata. 1648.

EJUSDEM Triumphus Veræ Virtutis. 1651.

EJUSDEM *Ansberta* Conjugalis Amoris exemplar. 1652.

EJUSD. Pax alma Germaniæ restituta. 1653.

EJUSDEM Concordia Anima Mundi. 1654.

PARIDIS GILLE Michaëlbur. *Abul* in tempore felix, prospero lusu damnatum caput, & Regnum Granatense lucratus. an. 1655.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *Amphibodorus* Irritus & Irrisus Mundi Pædagogus. an. 1657.

EJUSDEM *Sol Austriacus* exurgens Francofurti, & Aquila rursus juvenescens. an. 1658.

EJUSDEM *Ira & Clementia Dianæ* in Agamemnone & Iphigenia demonstrata. 1661.

EJUSDEM *Germania* Barbara, Culta, Delicata. 1662.

VIRGILII GUGGENBERGER è S. Petro *Charidemus* Senex Flandriæ Nobilis sine consilio, ex Divite miser cum consilio, ex Misero felix. 1663.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *Montani Iter Poëticum.* 1664.

EJUSD. Pax conciliante Augustissimo Imperatore Leopoldo Austriaco Telluri restituta. 1665.

EJUSD. Grobianus. 1666.

EJUSD. Temporis Potestas. 1667.

EJUSD. Concordia Victrix. 1668.

ALEXANDRI HUEBER Andecensis. *Libertas* sibi permissa Domi pruriens, Foris seducta, tandem resipiscens, seu *Filius Prodigus.* 1668.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *Corona laboriosæ Heroum Virtuti imposita*, seu Dii laboribus omnia vendunt. 1670.

OTTONIS AICHER è S. Vito *Horatius* Romanus, Victor, Reus, Absolutus. anno eodem.

OTTONIS GUZINGER Seonensis *Triumphus Amoris Divini.* 1672.

ODILONIS OSTERMAYR Andecensis *Speculum Divinæ Providentiæ*, seu Abdolonymus ex Hortulano Sydoniorum Rex. anno eodem.

SIMONIS RETTENPACHER (q) *Innocentia Dolo circumventa*, seu Demetrius Philippi Macedonum Regis Filius Insidiis Fratris Persei crudeliter peremptus. anno eodem.

EJUSD. *Ineluctabilis Vis Fatorum*, seu Atys, Crœsi Lydorum Regis Filius ab infelici Adrasto inopino vulnere peremptus. an 1673.

EJUSD. *Perfidia Punita*, seu Perseus ultimus Macedonum Rex à L. Æmilio victus & in Triumphum ductus. 1674.

OTTONIS AICHER è S. Vito *Rosimunda* Regum Filia felix, Conjux invida, crudelis interitus. 1675.

EJUSD. *Athalia* Sanguinaria Judaici Regni filia, ambitiosæ crudelitatis monstrum, magnum divinæ vindictæ argumentum. 1678.

EJUSD. *Pendularia*: Vaumorinus Parisiensis inter malos malus, inter bonos pessimus, nec malis nec bonis emendatus. an. 1677.

PARIDIS GILLE Michaëlburani *Polyxena* Achillis Sponsa, Vidua & Victima, magnum exemplum non bene convenire conjugia ex hostibus. 1678.

OTTONIS AICHER *Mariana Amena* Constantini VI. Imperatoris Conjux felix infelix, variantis fortunæ spectaculum. A. 1679.

EJUSD.

(q) Clarissimi hujus Comici Dramata cùm Salisburgi tum Cremisfanii in theatro exhibita typis impressa fuerunt Salisburgi anno 1683.

EJUSD. *Innocentia calumniis oppressa*, sive Mariamne Regina Machabæorum stirpe inclyta, Herodis pessimi conjux optima jubente marito innocenter occisa. an. 1680.

JOSEPHI WALLNER Ossiacensis. *Lusus Divinæ Providentiæ* in Eustachiana Familia repræsentatus. 1681.

OTTONIS AICHER *Seculum Aureum* Ecclesiæ ac Provinciæ Salisburgensis à S. Ruperto primo Episcopo & Bojariæ Apostolo reductum. 1682.

EJUSD. *Nabuchodonosor* Rebus gestis Magnus, Somniis Major, inter Magnos Maximus, Imperio magnum Caput, Fortunis Arbor Vitæ, inter tot titulos vix homo. an. 1683.

EJUSDEM *Valerianus* Romanorum Imperator, Barbarorum ludibrium, Regiæ infelicitatis Exemplum. 1684.

EJUSD. *Balthasar* Ultimus Babyloniorum Rex, sui obliviosus, Dei contemptor, Vindictæ Divinæ Exemplum. an. 1685.

EJUSD. *Virtus pressa non oppressa*, seu Daniel Idolorum eversor, veræ pietatis propugnator, Aulici favoris exemplum & invidiæ. an. 1686.

EJUSD. *Virtutis Triumphus*, seu Ulysses Virtute Duce, Sapientia Comite, Victor Discriminum. an. 1687.

VITI KALTENKRAUTER è S. Pet. *Boni Corvi Ova non dissimilia*, seu Optimi Corvini genuini Filii Ladislaus & Mathias. an. 1688.

EJUSD. *Rex Catholicus*, seu S. Hermenegildus Rex & Martyr. an. 1689.

EJUSD. *Fastus Confusus*, seu à Juditha proprio ense fusus Holofernes. an. 1691.

EJUSD. *Rex Invitus*, Martyr Invictus, coronam terrestrem recusans, cœlestem martyrio adeptus, seu D. Wenceslaus, Bohemiæ Rex & Martyr. an. 1692.

EJUSD. *Fidei ac perfidiæ exempla* in Pertharito & Gundeberto ab Unulfo & Garibaldo demonstrata. 1694.

EJUSD. *Captivans Captivata*, seu Ismeria per MARIAM Maria. 1695.

AUGUSTINI KENDLINGER è S. Petro *Alfonsus* hujus nominis decimus Hispaniarum Rex, Superbiæ vindicatæ luculentum exemplum. 1696.

WOLFGANGI RINSWEGER *Invidia Gloriæ Umbra* in C. Julio Cæsare demonstrata. an. 1697.

EJUSD. *Infelix Parentum Amor* in Ferdinando Filio.

EJUSD. *Honor Divinus* de Respectu humano triumphans, seu S. Thomas Cancellarius, Archiepiscopus Martyr. an. 1698.

PLACIDI SEIZ ETTALENSIS *Gratia Divina* de Potestate Tenebrarum Triumphans, seu Magnus Antonius Anachoreta. an. 1699.

EJUSD. *S. Catharina Virgo & Martyr*. anno 1700.

EJUSD. *Ludus Divinæ Providentiæ* in Henrico Comite Calvensi. anno 1701.

EJUSD. *Ruina Simonis Magi*. anno 1702.

EJUSD. *Amor in Dolore infelicior*, seu Gratia Divina per peccatum deperdita, per mortem restituta, sub parabolico Amantis Theogoni, & peccantis Philomenæ involucro. an. 1703.

EJUSD. Tragœdia Vitæ humanæ. anno 1704.

EJUSD. Barbaræ Crudelitatis Victima *Conradinus* Ducum Sueviæ Ultimus, innocenter & crudeliter oppressus. anno 1705.

EJUSD. *Ecclesia Militans* de Portis Inferi invictè triumphans. an. 1707.

CAROLI BADER Ettalensis *Saul* Israëlitarum Ex-Rex. an. 1708.

EJUSD. *Samson* Philistæorum Flagellum. an. 1709.

EJUSD. *Ambitio* severè castigata in Maximo Tyranno. an. 1710.

EJUSD. *Patientia Calamitatum Victrix* in Jobo Hussæo Principe. 1711.

ALANI RITTER Wessofontani *Impietas Punita*, seu *Wilhelmus Rufus* Angliæ Rex. an. 1713.

EJUSD. *Innocentia* in Gundeberga Longobardorum Regina triumphans. an. 1714.

EJUSD. *Ambitio infelix*, seu Ibrahim Turcarum Imperator. an. 1715.

EJUSD. Gloriosus de Apostasia Triumphus. anno 1716.

EJUSD. *Crudelis in Patriam pietas*, seu Alphonsus de Guzmann. an. 1717.

EJUSD. *Connubium Religionis & Sapientiæ* in Nursio & Jovina. 1718.

LEONARDI KLOZ *Redux in Authorem supplicium*, seu *Bithynus* intentans lethum Filio ab eodem necatus. anno 1718.

EJUSD. *Affectata infeliciter Purpura*, seu Stilico ob affectatum Imperium ab Honorio Imperatore unà cum Filio Euchario capite plexus. an. 1719.

ALANI RITTER WESSOFONTANI *Catholicæ Veritatis Victima*, seu Thomas Morus. an. 1721.

EJUSD. *Impia violati pudoris ultio*, seu Hispania à Mauris oppressa. 1722.

EJUSD.

EJUSD. *Hispania Rediviva*, seu Maurorum jugo liberata à Ferdinando Rege Catholico. an. 1723.

EJUSD. *Triumphus Christianæ Fortitudinis*, seu Scanderbegus. an. 1724.

EJUSD. *Regina Rex*, seu Semiramis. an. 1725.

VIRGILII KLEINMAYR *Mancipium in folio*, seu Iventus II. Chinensium Imperator. an. 1726.

EJUSD. *Potentia* in tribus Nobilibus Gallis è captivitate Saracenorum liberatis. anno 1727.

Qui alii Comici ab anno 1727. usque ad præsentem 1743. ludos dederint theatrales, eorum nomina tam parum comperta habeo, quàm Comœdiarum argumenta. Etsi enim ad illos, qui scire poterant, iteratas dederim literas, ad eas tamen nullum tuli responsum.

Pandora. Hoc nomen prætulit actus ille scenicus, qui die 26. Martii an. 1702. in Monasterio Murensi fuit exhibitus, quando Excellentissimus Dominus Orator Comes de Trautmansdorff delegatâ sibi Imperatoriæ Auctoritatis facultate Illustrissimum D. Placidum Monasterii Murensis Abbatem S. R. I. Principem solenni ritu declaravit. Sed integram epigraphem afferamus: PANDORA *Deorum muneribus inclyta, Jovis Imperio recusa*: id est: AUSTRIA GLORIOSA immensis favoribus cœlo superfusa, utroque & bellicâ fortitudine, & munificentiâ præsertim in Nympham Murensem Habsburgo-Austriacæ Munificentiæ Primogenitam Filiam Famosa: Quam in Leopoldo I. Invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, cùm Patrocinante Illustrissimo Austriæ Paranympho Excellentissimo Domino Francisco Erenrico S. R. I. Comite & Domino in Trautmansdorff S. C. M. ad Helvetos Oratore extraordinario Reverendissimum & Illustrissimum Dominum, D. *Placidum* Ejusdem Principalis Ascetetrii Murensis Abbatem Meritissimum inter S. R. I. Principes Gratiosissimè adoptaret, gratâ mente & humili devotione in publico Theatro veneratur & adorat Nympha Murensis.

JACOBUS CORNELIUS LUMENÆUS à MARCA in Monte Blandinio (Gandavi) Sacerdos, vir elegantis ingenii, & utriusque stili præstantia eximius, quem genuinam Musarum & Apollinis sobolem vocare possis, Scripsit hactenus *Tragœdias varias*, tanta & tam rarâ felicitate, ut ab ipsa Melpomene ad heroicam hanc & masculam scribendi rationem auctor iste formatus esse videatur. Illæ sunt *Jephte*, sive *Votum* Hebræi illius Ducis temerè factum, & impiè impletum, ut D. Hieronymus ait. *Amnon*, sive *stuprum sororis Thamar* ab Absalome acri ultione percussum. *Bustum Sodomæ* & impurarum illarum civitatum excidium. *Carcer Babylonis*, sive cædes liberorum Sedeciæ Regis, & exoculatio in Reblatha. *Absalom*, seu miserando exitu clausa in patrem Davidem Absalonis filii Rebellio. *Saul*, *Abimelech*, *Anastasius*, sive perfidia fulminata. Ita Anton. Sander. de Script. Gandav. lib. 2. p. 60.

ALPHONSI PAIOLI, Itali, Ferrariensis, è Congr. Casin. *Il David Pentito*, id est: *David Pœnitens* Drama, Ferrariæ apud Gironum anno 1653 in Theatro à Musicis recitatum. Armell. part. 1. pag. 50.

AUGUSTINI LAMPUGNANI, Itali, Mediolanensis, è Congr. Casin. *Cæcilia prædicante, Rappresentatione Sacra*; id est: *Cæcilia prædicans, Repræsentatio Sacra*; carmine Italico. Bononiæ per Dominicum Barbieri anno 1643. Opus à Valeriano Castillonæo in quadam Epistola valdè laudatum. Armell. part. 1. pag. 62.

ANTONII FLORETI è Congreg. Casin. *La Parola di un Prencipe, ovvero l' Innocenza di Florindo, Comedia*, i. e. *Verbum Principis*, seu *Innocentia Florindi*, Comœdia.

BENEDICTI de UVA, Itali, Capuani, Monachi Casinensis, Poëtæ præstantissimi *Tragœdia Jephte Ducis Israëlitici, déque ejus moribus & bellicâ virtute.* Regii Lepidi apud Flavium & Flaminium Bartholum. an. 1587. Armell. l. c. p. 102.

GREGORII MORELLI, Siculi, Panormitani, è Congr. Casin. *Tragœdia de S. Catharina* asservatur Mf.ta in Monasterio S. Martini de Scalis. Armell. l. c. part. 1. p 189.

JOANNES BAPTISTA LANA, Italus Brixiensis, è Congr. Casin. Præses, & Abbas S. Sixti Placentiæ scripsit

L' Innocenza difesa nel castigo dell Empio, id est: *Innocentia defensa in castigatione impii*, Tragicomœdiam, Brixiæ, excudente Ricciardo anno 1667. editam, historiam Davidis repræsentantem. Obiit an. 1702. Armell. part. 2. p. 27.

JOANNIS BENEDICTI ROCCA, Calabri, Catbaciensis è Congr. Casin. an. 1712. defuncti

Arsinda, Drama Tragicomicum continens paginas integras 64. Opus moralibus ac politicis sententiis undique aspersum. Armell. l. c. p. 34.

LACTANTII STELLA, Itali, Brixiani, Abbatis è Congr. Casin. Academiæ *Errantium* in Brixiana Urbe Institutoris Comœdiæ Italicâ linguâ conscriptæ, quarum una prænotatur *Il Giusto sdegno*, Id est: *Justa Indignatio*; & alia *La Cravella*; Opera Pastorale dell Academico *Fisso* (namque in laudata Errantium Academia hoc nomine vocabatur) divisa in in v. Atti, ravviata l' anno 1628. ad istanza della Ser.ma Madama Margherita Duchessa di Parma e Piazenza.

Drama in Theatro Lunælacensi ad Jubilæam solennitatem Millenariam exhibitum, sub epigraphe

Selenis Unopprooto Desponsata, dierum quidem plena, sed non satura. Seu Monasterii Lunælacensis Fundatio, Vastatio, Instauratio, Anni supra Millesimum Jubilæi celebratio, in scenam data à studiosa juventute Gymnasii Monseensis an. 1748. Legi potest in Mantissa ad Chronicon Lunælacense pag. 273 - 349.

MARTINI ANASTASI, Siculi, Panormitani è Congr. Casin. Flavio Crispo Tragœdia in versu. Armell. l. c. pag. 95.

VICTORINI AURELLI, seu AUCELLI, Siculi, Messanensis, è Congr. Casin. 1. Tragœdia S. Flaviæ Virg. & Martyris. 2. Tragœdia de Judicio Universali. 3. Tragœdia Martyrii S. Catharinæ. Armell. l. c. part. 2. Lit. V. p. 9. ubi laudat Tragœdiam nescio cujus argumenti, ceu admodùm piam & delectabilem coram D. Margaretha ab Austria diligentissimè relatam.

GEORGIUS GEISSERUS Abbas Villinganus in Suevia doctissimus juxtà ac piissimus, in Comicis mirum quantum excelluit, atque ea, dum Humaniorum adhuc erat Professor, in scenam dedit, quæ multi spectatorum non sine magno salutis suæ emolumento viderunt; uti Sebastianus Textor, aliique Concionatores testatum faciunt. Eos verò Theatrales inter Ludos primas tenuerunt: *Homo Omnia. Homo Nihil. Quis ut Deus?*

GUILLELMUS BLESENSIS, Abbas Maniacensis in Sicilia, frater *Petri Blesensis*, qui epist. 93. ejus scripta recenset: *Nomen vestrum*, inquiens, *diuturniore memoria commendabile reddent Tragœdia vestra de Flaura & Marco; Comœdia vestra de Alda.. - Plus honoris accreverit vobis ex vestris operibus, quàm ex quatuor Abbatiis &c.* Vide Bibl. PP. edit. Lugd. tom. XXIV. p. 1011. & Cæs. Egass. Bulæum Hist. Univers. Paris. tom. 2. p. 745.

WOLFGANGI RINSPERGER Abbatis Michelfeldensis Operis posthumi Dramatum, quod inscribitur: *E funere Phœnix*, per Jo. Evang. Heigel ejusdem Monasterii Professum. Pars I. Pedeponti an. 1724. Pars II. Pars III. in 8.



CAPUT



CAPUT VI.

SCRIPTORES & AUCTORES MISCELLANEI.

Cùm multi superſint Scriptores, qui ad unam ſuperiorum claſſium reduci commodùm non poſſunt, aut certè quidem eorum lucubrationes nondum typis ſunt exſcriptæ, è re futurum mihi viſum eſt, ſi farraginem illam in ſextum hoc & ultimum conjicerem caput, quod in duodenas diſtinguere ſectiones placuit.

SECTIO I.

APOLOGISTÆ.

S. GREGORII M. *Liber Regulæ Paſtoralis*, quem in ipſo veluti Pontificalis muneris tyrocinio ſcripſit, ut Joanni Raveñati Epiſcopo reſponderet, amicè eum reprehendenti, quòd paſtoralis curæ pondera fugere delitеſcendo voluerit, qui mores hodie tariſſimi, olim frequentiores fuerunt, univerſis ferè piis viris ad officium paſtorale poſtulatis, tantum onus præ animi demiſſione, ſummâque modeſtia deprecantibus. Vid. Act. Erud. Lipſ. an. 1706. pag. 389.

VEN. BEDÆ *Epiſtola Apologetica* ad Plegwinum monachum de eo, quòd hæreſeos inſimularetur à noñullis Beda, quaſi in libro de temporibus non rectè de ſex mundi ætatibus ſenſiſſet: nempe quòd negaret, Chriſtum in ſexta mundi ætate carnem noſtram ſuſcepiſſe. De hac epiſtola mentionem facit Beda in Indice Operum, quam etiam *Jacobus Waræus* cum hiſtoria primorum Abbatum Wirenſis & Girwenſis monaſteriorum typis vulgavit. Mabill. Annal. tom. 2. p. 98.

SAMSONIS, Abbatis Monaſterii S. Zoili in Hiſpania *Apologeticum*, quod tribus libris diſtinctum ſcripſit contra *Hoſtigeſium*, Malacitanum Epiſcopum, qui ipſum in Concilio Cordubenſi hæreticum cum convitio dixerat. Hoc Apologeticum in Toletanæ Eccleſiæ Bibliotheca, Goticis literis exaratum, in pervetuſto codice haberi teſtis eſt *Morales*, quod mirum eſt, inquit *Mabillonius*, tamdiu delituiſſe, nec proferri tandem in lucem ab Hiſpanis, apud quos tanta per ea tempora bonorum operum penuria eſt. Mabillon. l. c. tom. 3. p. 108.

LUPI Abbatis Ferrarienſis, epiſtola ad *Jonam*, Epiſcopum Aurelianenſem, quâ calumniam à ſe removet, quòd, *Odone* Anteceſſore ſuo exauthorato, per fraudem potiùs ac vim, quàm canonicè factus eſſet Abbas Ferrarienſis. Extat inter cæteras ejus epiſtolas.

RATRAMNI, Corbeiæ Veteris Monachi, contra Græcorum (*Photii*) Oppoſita Romanam Eccleſiam calumniis ac conviciis proſcindentium Libri IV. editi à Luca Dacherio Spicilegii tom. 1. pag. 63. ult. edit. quæ tribus conſtat tomis in folio; in prima verò editione Tom. II. pag. 1. Hos libros vetò Epiſcoporum in Gallia hortatu elucubrâſſe Ratramnum perſuadere videntur Libri IV. poſtrema pag. 61.

RATHERIUS, natione Lotharingus, filius Comitis Viennenſis, monachus in Lobienſi monaſterio, ditionis Leodienſis, ſed diœceſis Cameracenſis, anno 921. ab Hugone Rege Italiæ Epiſcopus conſtituitur; ſed poſt aliquot annos bis ejicitur, unde primùm Ticinum, pòſt in patriam exulatum conceſſit. An. 953. factus eſt Epiſcopus Leodienſis, unde quoque ejectus an. 914. in monaſterio ſuo ſatis conceſſit. Scripſit non unam pro ſe Apologiam, quæ inter ejus Scripta edidit Lucas Dacherius Spicil. Tom. I. hoc ordine:

Concluſio deliberativa Leodici acta, ſive

five Climax Syrmotis ejusdem, qui cætera non adeò parvi. pag. 356. Est defensio actionum suarum Leodii & Veronæ.

Qualitatis conjectura cujusdam. pag. 257. Ejusdem materiæ

Discordio inter ipsum Ratherium & Clericos. pag. 363.

Apologeticus liber pag. 366.

De Clericis sibi rebellibus. p. 368.

Vid. Fabric. Bibl med. Lat. Vol. 6. p. 144. Mihi Ratherius majoris aliquando zeli, quàm prudentiæ, nec satis memor illius fuisse videtur, quod S. Benedictus animarum pastorem in Regula monet: *Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis; ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vos.*

REGINONIS, Abbatis Prumiensis, *Relatio de injusta sua exauctoratione*, quam *Richorius* successor, ejúsque asseclæ suppresserunt, ne Reginonis Chronico inserta ad posteritatis memoriam perveniret.

S. ABBONIS, Abb. Floniacensis & Mart. *Apologeticum*, quod scripsit contra obtrectatores cùm Præsules tum Monachos, ad Hugonem Capetum, & Robertum ejus filium, Francorum Reges, apud quos ipsum æmuli infamare conabantur. Typis regiis è Pithœano codice nuper vulgatum scribit Mabillonius Annal. tom. 1. pag. 93. An hoc Apologeticum idem sit cum illo, quod *Abbo* ad Hugonem Francorum Regem pro immunitatibus Monasterii Floriacensis scripsit, dubium mihi movent *Oudinus* & *Fabricius*: ille enim periisse scribit Tom. II. S. E. pag. 509. ejus tamen extare Fragmenta apud Aimoinum in vita Abbonis capp. 8. & 9. hic verò testatur, quòd integrum prodierit ad calcem *Codicis veteris Canonum Ecclesiæ Romanæ* è Bibliotheca Pithœi Paris. 1687. fol. pag. 395. Vid. ejus Bibl. med. & inf. Latin. lib. 1. pag. 3.

HUMBERTUS Tullensis Monasterii monachus, S. R. E. Cardinalis & Leonis IX. Legatus ad Imp. Constantinopol. Græcorum calumnias in Latinos egregiè confutavit editis libris, qui extant in Appendice Tom. II. Annalium Cardinalis Baronii apud Henricum Canisium Tom. V. Lect. Antiqq. & in Bibliothecis Patrum.

ADEMARI, Cabillonensis Monachi S. Eparchii *Epistola Apologetica pro Apostolatu* S. Martialis, ex ipso, ut videtur, autographo à V. C. Baluzio communicata Mabillonio, & appendici Annal. Ben. Tom. IV. inserta pag. 717. occasionem scribendæ epistolæ, vide apud eundem Mabill. loc. cit. pag. 348.

B. PETRI DAMIANI ex Monacho Benedictino Episcopi Ostiensis, & S. R. E. Cardinalis, *Apologeticum de Contemptû Seculi.* Item *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.* Item *Apologeticus Monachorum adversùs Canonicos.* Extant hæc tria Opuscula Tomo III. ejùs Operum.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Vindicatio adversùs Carolum Bovillum*, Gallum, Canonicum Noviodunensem, qua Magiæ suspicionem omnem à se amolitur, quemadmodum & Tomo II. Annal. Hirsaug. pag. 288. ab ea se alienissimum protestatur. Illam non ita multis ante annis Cl. Colerus in Anthologiæ suæ Tomo I. Fasc. 1. p. 41. seq. exhibuit.

CONSTANTINI CAJETANI, Abbatis S. Baronti è Congr. Casin.

1.) *De Sanctitate Luciferi Episcopi Calaritani libri Apologetici duo.* Mf.

2.) *De Joachimo Calabro Abbate Apologeticus.*

3.) *Apologia pro Bonifacio VIII. Rom. Pont.* ingressu legitimo ad Pontificatum, prudenti regimine, & gloriosa morte. Hunc Pontificem Adversarii criminati fuerant, quòd intraverit ut vulpes, regnaverit ut leo, mortuus verò fuerit ut canis. Mſtum Hujus Apologiæ meminit Lud. Jac. in Bibl. Pontif. Vid. Armell. part. 1. pag. 130.

JOANNES AMUNDISHAM ad S. Albanum in Anglia Monachus scripsit *Jo. Frumentarii* Abbatis *Acta*, & pro eo *Clypeum*, seu *Apologiam*, Baleus VIII. 15.

JOANNIS MABILLONII è Congr. S. Mauri *Epistola ad Catholicos Anglos de sua in Catholica fide perseverantia*, cujus meminit Bernardus Pezius in Bibliotheca Bened. Maur. lib. 1. pag. 217. his verbis: „ Editáne aliquando typis fuerit, nec ne, nemo auctorum memoriæ prodidit. Fortè „ in illa Mabillioniarum Epistolarum „ collectione, quam D. Theodericus „ Ruinartus, & post hunc alii institu„ êre, suum olim locum sortietur. „ Pezio accinit Philippus le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 279. ubi epistolam illam in lucem publicam nunquam emissam fuisse testatur, eò

quod

quòd fraus & impostura non ita diu pòst detectæ fuerint. Uterque verò, Pezius, & Cerfius, falluntur; nam Epistolam Mabillonii vulgavit *Claudius de Vic* in ejusdem vita, quam in Latinum conversam & accessionibus locupletatam Petavii anno 1714. in 8. typis exscribi curavit.

PHILIPPI BILLOUET è Congr. S. Mauri *Vindiciæ* in 12. centum paginarum, quibus Auctoris partes, qui operam suam in Morerii Dictionario de anno 1718. collocavit, contra censuras Mr. le Clerc, Viri ex Ordine Ecclesiastico Seminarii S. Sulpitii propugnat.

Apologia del Diario Italico: id est: *Apologia Diarii Italici* R. P. Bernardi Montfauconii Bened. Congreg. S. Mauri contra Observationes *Francisci Ficoronii*, facta à P. *Romualdo Riccobaldo*, Monacho Benedictino è Congr. Casin. Venetiis apud Antonium Bartoli an. 1710. Verùm hunc *Riccobaldum* non fuisse Benedictinæ Familiæ alumnum, sed personatum authorem, jam alio loco ostendimus.

ANTONII PAULI GALESII è Congreg. S. Mauri, verbi Divini Doctoris, & Concionatoris suo tempore longè celeberrimi *Scripta Apologetica* contra æmulos & Adversarios, qui cùm aliena laude ac luce jam dudum dolerent, Oratoris sibi exosi famam, gratiámque hominum, quâ florebat, quoquo modo & pretio, imminuere cupientes, paucos quosdam, eósque imperitos, ac sibi obnoxios, sacræ Facultatis Cadomensis Doctores Theologos eò perpulerunt, ut nonnullas Galesii sententias & dicta imprudenti ac temeraria censurâ notarent. At eam labem sibi malè aspersam publicis tribus scriptis mox abstersit Antonius, quibus præter injurias & contumelias nihil opponi ab invidia potuit.

Declaration signifiée à MM. les Docteurs de la Faculté de Theologie de Caen, l'onziéme Fevrier 1686. Id est: *Declaratio facta Dominis Doctoribus Sacræ Facultatis Theologicæ Cadomensis, die undecima Februarii anno* 1686.

-- *Eclaircissemens apologetiques sur quelques propositions de Theologie: où l'on defend les expressions de l'Ecriture sainte, celles des SS. Peres, & des Theologiens, la doctrine de l'Eglise* &c. *contre trois censures des quelques Docteurs de la Faculté de Theologie de Caen* &c. Id est: *Explicationes Apologeticæ quarundam propositionum Theologicarum, in quibus vindicantur phrases, seu modi loquendi Scripturæ Sacræ, Sanctorúmque Patrum, ac Theologorum doctrina Ecclesiæ Catholicæ &c. adversùs tres censuras quorundam Doctorum Facultatis Theologicæ Cadomensis* &c. --- 4. an. 1686. Ad calcem hujus Apologetici Scripti habetur approbatio complurium Episcoporum, Parochorum, Doctorum, aliorúmque ecclesiastici Ordinis virorum, qui de integritate fidei P. Gallesii authenticum perhibent testimonium.

-- *Lêttre d'un Ecolier en Theologie à un Ecclesiastique de ses amis sur deux censures faites par les soi disans Faculté de Theologie de Caen.* Id est: *Epistola cujusdam Theologiæ studiosi data ad Ecclesiastici Ordinis amicum de binis censuris, latis à quibusdam hominibus, qui sibi ipsis nomen sacræ Facultatis Theologicæ Cadomensis attribuunt & usurpant.* 4... 1686.

-- *Reponse charitable à la lêttre diffamatoire adressée à l'Université de Caen par le P. D. I. contre le R. P. Dom. Antoine Paul Gallois* 1686. Id est: *Amica Responsio ad famosam Epistolam, quam P. D. I. adversùs R. Patrem Dominum Antonium Paulum Gallesium ad Universitatem Cadomensem scripsit anno* 1686. *in* 4. Vide plura apud le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 137. & Bern. Pez. in Bibl. San-Maur. lib. I. pag. 87.

Vindiciæ Editionis Operum S. Augustini à Benedictinis adornatæ, adversùs Epistolam Abbatis Germani, auctore Baptista de Riviere, Romæ 1699. & postmodùm in Gallia recusæ. Verus auctor est *Bernardus Montfauconius*, qui Italico in itinere suo constitutus sub personato nomine eas vulgavit.

Doctissimi juxtà ac Religiosissimi Patres è Congregatione S. Mauri, duce *Thoma Blampino*, Opera S. Augustini noviter ediderant. Qui verò Benedictinorum gloriæ minùs favebant, iis doluit hæc editio. Unde in publicum protrusa fuit Epistola nescio cujus larvati Abbatis Germani, qui nulli religioni sibi duxit, Benedictinam editionem Jansenismi postulare. Hæc epistola multas dedit turbas, quæ paucis enarrari non possunt. Inter alios, qui illam confutârunt, etiam Cl. *Montfauconius* fuit, cui animos addidit Eminentissimus Cardinalis *Cantelmus*, quàm ægerrimè illorum ferens malitiam, qui Benedictinam Operum S. Augustini

Editionem calumniis insectari non abhorrerent. Vide plura apud le Cerf.

FRANCISCI LAMY è Congr. S. Mauri *Lettre d'un Theologien à un de ses amis, sur un libelle, qui a pour titre : Lettre de l'Abbé *** aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur sur le dernier tome de leur edition de S. Augustin.* id est : *Epistola cujusdam Theologi ad amicum de quodam libello, cujus titulus : Epistola Abbatis *** ad RR. PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri de ultimo tomo Operum S. Augustini ab eisdem editorum. in 12. anno 1699.* Personatus hic Abbas Monachos Congregationis S. Mauri in hæreseos suspicionem, quâ erat temeritate, fuæque doctrinæ confidentia, vocaverat. Huic respondit Lamius perinde Theologus atque Philosophus doctissimus.

-- *Plainte de l'Apologiste des Benedictins à Messeigneurs les Prélats de France.* Id est : *Vindiciæ Benedictinorum querela ad Prælatos Franciæ.* in 8. 1699. Jámque Lamius tertiam paraverat Apologiam, in quâ larvati hujus Abbatis technas & accusationes in lucem apertiùs producere statuerat, cùm Rex utrique parti silentium imposuit. Sic nova & laudatissima Operum S. Augustini editio à Benedictinis adornata, instar palmæ pressa, sed non oppressa, toti Ecclesiæ Catholicæ & æstimationi & venerationi est.

DIONYSII SAMMARTHANI è Congreg. S. Mauri *Apologia* pro Ludovico XIV. Galliarum Rege, qui Calvinistas aut fidem Romano-Catholicam profiteri, aut suo è Regno exulare jussit. Parisiis anno 1688. in 12.

PETRUS PAULUS GINANU è Congreg. Casin. *Notis Historicis* illustravit *Palinodiam Fr. Michoëlis de Cesena*, ibidem à se inventam in Mss. Biblioth. Malatestæ apud FFr. Min. S. Francisci cum hoc titulo : *Dilucidatio super Psalm. Miserere* &c. Expositio Fr. *Michoëlis de Cesena*, olim Ord. Min. Ministri Generalis, quam anno 1343. mense Novembri luctans cum morte, pœnitentia perfidiæ in Joan. Pont. Max. subiit Monachii in Bavaria serò, sed seriò. Ex qua Michaelis pœnitentia, adeò hucusque disputata, extra omne dubium ponitur. Hanc unà cum suis Notis Lud. Ant. Muratorio misit, in Collectaneis Historicorum Italiæ, cùm primùm sese occasio offerret, imprimendam.

ERASMI NIGELLII, Schyrensis in Bavaria Monachi, *Apologia pro Ludovico IV. Rom. Imp. Ingolstadii an. 1628. in 12.* Famam Imperatoris Ludovici duo impetierunt Scriptores, Abrahamus Bzovius, & Odoricus Raynaldus. Prior curante Electore Bavariæ ad palinodiam adactus est, quam *Nigellius* Tractatui suo præmisit. Posterior Bzovii periculo haud cautior factus, nullàque idonea fultus auctoritate asserere sustinuit, à Carolo IV. Imp. leges Ludovici, gestáque omnia rescissa, ac propterea, quod hæreseos, & schismatis crimine notatus esset, planè irrita fuisse pronuntiata. At quantâ Ludovici Imp. injuriâ hæc scripta fuerint, ex ejusdem *Bonis Operibus* facilè dignosci potest. Hæc verè enim & prudenter *Nigellius* describit, ut jam alio diximus loco.

ANGELI MARIA QUIRINI S. R. E. Cardinalis *Vindiciæ pro tuendis Gestis, seu Scriptis Reginaldi Poli Cardinalis in causa Henrici Angliæ Regis.* Fuerunt Viri docti in Regia Parisiensi Academia Inscriptionum, qui censerent, vix ac ne vix quidem fieri posse, ut culpâ vacarent tam liber de Unitatis Ecclesiasticæ defensione à *Polo* stylo admodùm aspero exaratus, quàm Legationes ab eo gestæ ad concitandos adversùs eundem Henricum tum Carolum Cæsarem, tum Franciscum Regem Galliarum. *Quirinus* igitur in Epistola quàm bene longa, tam erudita ad hosce Cll. Viros scripta ostendit ex veræ Artis Criticæ regulis, Poli animum innoxium omnino fuisse in Gestis Scriptísque illis, imo vetò non alienum tantùm ab omni odio, sed Regis Henrici incolumitatis & felicitatis studiosissimum. Extat hæc Epistola ordine secunda inter Epistolas Decadis IV.

-- EJUSDEM *Animadversiones* in Epistolam Jo. Georgii Schelhornii, qui *Polum* non uno nomine in reprehensionem vocat. Extant ante Collectionem Epistolarum *Reginaldi Poli*.. Hic quoque memoranda Clariss. P. *Udolrici Weiß* Ursinensis in Suevia monasterii cœnobitæ *Epistola Apologetica* ad Eminentiss. Card. *Quirinum*.. contra infanas *P. Fortunati à Brixia* calumnias & impetigines.. Aug. Vind. A. 1750. edita in 4.

SECTIO

SECTIO II.
EPISTOLOGRAPHI.

S. MARTINUS, ex Abbate Dumiensis Monasterii in Gallicia Archiepiscopus in Lusitania Braccarensis reliquit *Volumen Epistolarum*, quod se legisse *S. Isidorus* testatur; at hodie frustra desideratur. Obiit anno 580.

S. GREGORIUS MAGNUS Pont. Max. *Registrum Epistolarum* confecit, quo præstantius nullus alius Pontificum Ecclesiæ dedit. Inter has præprimis à Sodalibus nostris legendæ sunt, quæ pro Monachis scripsit, cujusmodi sunt Lib. 1. Ep. 9. 12. 38. 48. 50. 60. argumenta vide breviter apud Mabillonium tom. 1. Annal. l. 8. n. 24. pag. 219. Item lib. 2. ep. 24. & alias, quas laudatas vide apud eundem Mabill. l. c. n. 33. & seq. p. 225. quæ ad disciplinam pertinent monasticam. Ex gravissimi hujus Annalistæ sententia, operæ pretium facturus est, qui eas ex aliis selectas, & in unum corpus congestas separatim typis imprimi faceret; ad cognitionem enim cœnobiticæ disciplinæ apprimè faciunt.

Judicium Mabillonii de Epistolis S. Gregorii extat Annal. tom 1. ad an. 604. pag. 284. *Guillelmus Bessinus* è Congr. S. Mauri Epistolas S. Gregorii M. in ordinem chronologicum redegit, sed quàm peritè ac feliciter. Vide le Cerf in Bibl. Crit. pag. 21.

CASSIODORUS scripsit *Libros XII. Epistolarum*, quos titulo *Variarum* inscripsit propter diversa, quæ in eiscontinentur, rerum argumenta. Quinque prioribus Literas & Edicta complexus est, quæ sub *Theodorico*; octavo, nono, & decimo, ea quæ sub *Athalarico*, *Theodahato* & *Vitige*, Regum illorũ nomine & mandato scripsit. Sextus & septimus dignitatum continet Formulas, quæ sub Gothorum imperio vigebant. Undecimus denique & duodecimus collectas habet Epistolas & Decreta, quæ ipse, cùm Prætorio præesset, ad plures destinavit. Vid. Alex. Nat. Hist. Eccl. Sec. VI. cap. 4. art. 9. pag. 410. Videri etiam potest *Dionysius. Sammarthanus* in vita Cassiodori, ubi de ejus epistolis fert judicium. Exemplum afferunt Acta Erud. Lipf. an. 1695. m. Octobr. pag. 450. in recensione vitæ Cassiodori. Dignum autem insigne hoc Opus *Variarum*, inquit Jo. Alb. Fabricius, novo adhuc idonei atque eruditi viri studio, cùm in superioribus editionibus, ac postrema etiam *Garetiana* sint, quæ adhuc meritò desiderentur, ut patet vel ex iis, quæ monuit *Richardus Simon* in censura Bibliothecæ Ecclesiasticæ Dupinianæ, Gallica lingua editæ Tomo I. pag. 211. seqq. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. p. 994.

S. ACCA Haguftaldensis in Anglia Episcopus reliquit Epistolarum ad diversos lib. nn. sed quæ exciderunt. Sola superstes, at memorabilis est illa, quâ Venerabilem Bedam pro illustrandis Sac. Scripturis, maximè Evangelio S. Lucæ adhortatur. Occurrit inter Bedæ Opera ante Commentarios in Lucam tomo 5. 213.

VEN. BEDÆ *Epistolæ*. Prima ad *Albinum* Abbatem S. Petri Cantuariensis, qui Bedæ auctor fuit, & adjutot scribendæ Anglorum Historiæ, ut Beda testatur Epistolâ nuncupatoriâ ad Ceolwulfum Regem. Vide Mabillonii Analecta Tomo I. pag. 9. (editionis novæ in fol. pag. 398.) ubi Bedæ ad hunc Albinum epistolam exhibet: *Desideratissimo & Reverendissimo Patri Albino Beda Christi famulus salutem.* Edita fuit à Jacobo Waræo cum notis. Altera Bedæ *Epistola* est Apologetica pro libro de sex ætatibus ad Plegwinum Monachum, adversùs alterius Monachi Davidis objectiones. Tertia *Bedæ* Epistola est ad *Egbertum*, Eboracensem Archiepiscopum *De Christiani Præsulis Officio* scripta paulò ante obitum. Vid. Fabric. in Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 518. Venerab. Beda in syllabo Operum suorum testatur, se librum epistolarum ad diversos scripsisse, qui tamen, quod dolendum, excidit. Inter has, crédo, etiam illas fuisse, quas, teste *Vadi mo in Epit. 3. part. terræ* ad Principes misit, magna id sedulitate molitus, ut militia conscripta Saraceni Hispania pellerentur. Sed surdis, velut in proverbio est, narravit fabulam.

S. BONIFACII *& ad eum scriptæ Epistolæ CLI.* Harum præcipuas ex Othlono & Baronio collectas primus in Germania edidit Johannes Lcznerus Erfurti anno 1603. & Ascanio de

Heimburg, Canonico Hildes. dedicavit, cujus industria excitatus *Nicolaus Serrarius* S. J. codices Mss.tos à Baronio adhibitos ex Italia in Germaniam ad se afferri primùm petiit, sed frustra. Nactus interim apud Germanos duo exemplaria, alterum ex Viennensi, alterum ex Ingolstadiensi Bibliothecis anno 1605. in 4. edidit epistolas illas Moguntiæ, sed ita, ut novum editorem videantur exspectare, qui non modò cum codicibus Romanis aut Viennensibus Mss.tis conferat, sed & secundùm ordinem temporum distribuat, easque Notis uberioribus illustret. Nam neque Serrarius dissimulavit, exemplum posterius an. 1497. jussu Trithemii Abbatis à Novitio Monacho in Cœnobio Spanheimensi descriptum non adeò se vetustatis gloriâ commendare. Quasdam harum epistolarum Lunigius in *Spicilegio suo Eccles.* Tom. I. inseruit. Earum epistolarum exemplum in Fuldensi Cœnobio olim extitisse refert Serrarius, quod inde ab involante harpya immundissima *Illyrico* sublatum, posteàque variè laceratum & conscissum fuerit; ita ut qui ejus in Helmstadiensi Bibliotheca vidit reliquias Lutheranus Prædicans, dixerit, vel inde satis apparere, quàm in veteribus tractandis, fœdandis, & mutilandis tenere morem solita sit dira illa Celæno. Sagittarius tamen monuit jam pridem, nihil in Helmstadiensi Bibliotheca superesse epistolarum S. Bonifacii lib. 3. Antiquit. Gent. & Christ. Thur. c. 27. n. 2. Omitto censuram *Conringii* SS.mo Germaniæ Apostolo planè indignam, quod vel ex eo conjici potest, quòd Conringii Scholiastes, vir doctissimus, *Joannes Gœbelius*, novam Epistolarum S. Bonifacii editionem suadeat. Intereà has ipsas epistolas videsis in Bibliothecis Patrum Paris. & Colon. Supplemento Tom. II. p. 48. & Tom. VIII. & Lugdun. Tom. XIII. Epistola verò ad *Zachariam* Papam an. 745. de causa Adelberti Galli, & Clementis Scoti in Usserii Epistolis Hibernicis pag. 44. habetur cum Zachariæ epistolis ad Bonifacium. *Epistolis* ad *Erchebaldum* Angliæ Regem, occurrit apud Wernerum Rolevinck lib. 1. *de moribus & situ antiquorum Saxonum* c. 7. teste Fabric. l. c. pag. 711.

B. EGINHARTI, Abbatis Seligenstadiensis, Epistolæ numero LXIII. quarum multò plures erant in codice ms. sed lineis adeò passim exesis & corrosis, ut describi non potuerint. Edidit *Joannes Weinkens*, Prior Seligenstad. in *Eginharto illustrato.* Francof. an. 1714. in fol.

B. LUPI Ferrariensis in Gallia Monasterii Abbatis omni doctrina eruditi, & ex viris sapientioribus seculi IX. Epistolarum num. 130. tres habemus editiones. Prima est Papirii Massoni, sed mendis & erroribus fœdè maculata. Altera est Andreæ Duchesnii, in qua quàm plurimi errores sublati, sed non omnes. Tertia est Stephani Baluzii præclara cum Notis an. 1664. Parisiis, quæ anno 1710. Antverpiæ, veriùs Lipsiæ repetita fuit.

HINCMARI ex Monacho S. Dionysii in Francia Remensis Archiepiscopi Sec. IX. Epistolæ inter cætera ejus Opera extant. Separatim à Busæo cum Notis editæ fuerunt Moguntiæ anno 1602. in 4. Præ reliquis memorabilis est epistola ad Nicolaum Papam de Rothardo Suessionensi Episcopo data, in qua de jure appellationum disputat; atque alia, quam ratione Caroli Calvi Franciæ Regis de appellationibus scripsit. Aliquot alias ejus literas hactenus ineditas publicavit Joannes Georgius Eccard tom. 2. auth. med. ævi.

S. ABBONIS, Abbatis Floriacensis, & Martyris, epistolas nonnullas edidit Stephanus Baluzius Tomo I. Miscellaneorum pag. 40. præ cæteris memoratu digna est epistola ad Leonem Abbatem Monasterii SS. Bonifacii & Alexii Romæ, in qua nonnulla magni momenti Editor observavit. Nam primò de Translatione corporis S. Benedicti ad Monasterium Floriacense Abbo scribit, tanquam de re, de qua tum inter omnes conveniebat, ita ut propter eam causam Leo Abbas popoścerit ejusdem Sancti reliquias ex eodem monasterio ad se mitti. Deinde ait Abbo se, cùm magnifica Principis Apostolorum membra supplex adiisset, Romanam Ecclesiam digno viduatam pastore offendisse. Quod non ita intelligendum est, ac si Sedem Apostolicam Pontifice vacantem reperisset, cùm certum sit, Joannem XV. sedisse tum in cathedra beati Petri. Itaque ait Abbo, se Romanam Ecclesiam *digno* viduatam Pontifice offendisse, quia non putabat Joannem dignum esse tanta Sede. *Sanè*, inquit Aimoinus in cap. XI. lib. de vita ejus, *non qualem voluit, aut qualem debuit Sedis Apostolicæ Pontificem nomine Joannem invenit. Nempe turpis lucri cupidum*

pidum, atque in omnibus suis actibus venalem reperit. Quem execratus perlustratis orationis gratia Sanctorum locis, ad sua rediit. Longè aliter sentit de Gregorio V. Joannis successore, viro imperialis sanguinis, Ottonis nimirùm Imperatoris propinquo, quem ex Corbeiæ Novæ monasterio assumptum vocat virum *totum virtutibus & sapientia compositum.* De aliis Abbonis epistolis, earúmque fragmentis vide Oudin. tom. 2. p. 510.

SYLVESTRI Papæ II. *Epistolæ CLX*, ab eo, dum sedem adhuc Remensem teneret, scriptæ, in lucem emissæ fuerunt à Joanne Massono ex Papirii Massoni Bibliotheca Parisiis an. 1611. in 4. & ab Andrea Duchesnio Histor. Franc. Tom. 2. pag. 787. insertæ; quæ exinde in Bibliothecam Patrum editionis ultimæ Lugdunensis anno 1577. Tomo XVII. pag. 669. relatæ sunt. Epistolæ III. post Pontificatum susceptum scriptæ extant Concil. Tomo IX. col. 777. Nonnullæ sunt in Joannem XV. Pont. Max. duriores, inquit Nat. Alex. H. E. tom. VI. p. 37. quibus certè mollior non est S. Abbonis epistola ad Leonem Abbatem scripta, de qua paulò antè. Cæterùm *Gerberti* seu *Sylvestri* epistolæ ita scriptæ sunt, ut historiam ecclesiasticam quasi quandam contineant eorum temporum, quibus ipse vixit ac scripsit.

B. PETRI DAMIANI, Ostiensis Episcopi, S. R. E. Cardinalis Lib. VIII. *Epistolarum* ex Bibliothecis collecti, argumentis, notisque illustrati, atque nunc primùm excusi operâ & studio Constantini Cajetani, Syracusani, O. S. B. Parisiis ex Officina Nivelliana an. 1610. in 4.

BERNONIS Abbatis Divitis Augiæ *Epistolarum ad diversos* Liber in Augiæ Majoris Brigantinæ Bibliotheca asservatur; è quibus Bern. Pezius aliquas, non omnes, subinde protulit in lucem Tom. VI. Thesauri Anecdotorum.

S. ANSELMUS, Archiep. Cantuar. extra eas epistolas, quæ libris IV. continentur, alias reliquit epistolas, quas Edmundus Martene tomo III. Anecdotorum, Dacherius tomo IX. Spicileg. vet. edit. tomo III. novæ, Stephanus Baluzius tomo quarto Miscellaneorum juris publici fecerunt.

V. HILDEBRTI, ex Monacho Cluniacensi primùm Cenomanensis Episcopi, deinde Archiepiscopi Turonensis Epistolæ *ob insignem* (ut de his S. Bernardus epist. 23.) *eruditionem, sermonem suavem, orationem luculentam, gratum laudabiléque compendium,* à viris doctis summis laudibus celebratæ. Obtinent primum locum inter Opera Hildeberti, quæ collecta in unum edidit Ant. Beaugendre è Congreg. S. Mauri Parif. in fol. an. 1708.

VENERABILIS PETRI, Cluniacensis Abbatis, *Epistolarum* libri VI. vulgati pridem à Petro de Monte Martyrum Parisiis an. 1522. in fol. recusi in Bibl. Lugdun. Tom. XXII. Ejusdem Ven. Petri Epistolas historicas VI. ex vulgatis excerpsit, atque in Scriptoribus rerum Francicarum Andreas Duchesnius recensuit Tom. IV. pag. 458 - 491. De aliis ejus epistolis vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 15. p. 754. In his epistolis non insignis modò doctrina, & eloquentia, sed summa etiam elucet morum elegantia & prudentia.

PETRI ABOELARDI Epistolæ ad Heloissam IV. quæ Tractatus potiùs, quàm Epistolæ censeri debent. Ejus Epistolæ ad diversos septem. Item Epistola ad Amicum, seu *Historia calamitatum suarum*, quam eruditis notis illustravit *Andreas Duchesnius*. Extant inter ejus Opera Parisiis in 4. anno 1616. impressa. Seorsim unà cum Epistolis Heloissæ edendas curavit Londini in 8. anno 1718. Richardus Rawlinson.

PETRI CELLENSIS, Abbatis, & posteà Episcopi Carnotensis, *Epistolarum* libri IX. quas Jacobus Sirmondus S. J. vir doctissimus Lutetiæ edidit, notis adjunctis anno 1610. in 8. apud Sebastianum Cramoisy cum Alexandri Papæ III. epistolis octo & viginti, ac deinde tom. III. Sirmondi Operum Parif. 1696. & Venet. 1729. sicut & in Bibl. PP. Lugdun. Tom. 23. p. 823. omissis tamen Alexandri III. epistolis. Et postremò Ambrosius Janvier è Congr. S. Mauri in nova Operum Petri Cell. editione.

GOFFRIDI Abbatis Vindocinensis & S. Priscæ Cardinalis *Epistolarum* Libri V. quorum Primus eas, quas ad Romanos Pontifices, eorúmque Legatos misit, continet. Secundus, quas ad Episcopos & Carnotenses dedit. Tertius ad Andegavenses, aliósque. Quartus, ad Abbates & Monachos diversorum Monasteriorum. Quintus ad quosdam Ecclesiasticos & seculares Viros. Inter hasce epistolas una est, quæ ordine quadragesima septima extat libro IV. ad *Robertum de Arbrissello*, memoratu digna, de qua Ale-

Alexander Natalis integram contexuit Dissertationem. Hist. Eccl. Sec. XII. brevius illius contenta persequitur Graveson Hist. Eccl. Sec. XII. Colloq. V. pag. 250. Hæc epistola à Bollando, Henschenio, Raynaudo, & Bona Cardinali pro suppostitia, ab Editore autem Operum Sirmondi pro genuina præter alias declarata fuit. Is ipse Editor Robertum vitam duxisse inculpabilem asserit; quæ verò *Goffridus* ei objiciat, de medio vulgaris famæ sumta esse ait; *Quis igitur non sentiat, neutiquam insimulari, aut reprehendi à Goffrido Robertum, sed de iis, quæ homines maledici spargebont, liberè ac fincerè, ut fit inter amicos, admoneri.* Denique his concludit verbis: „ Ac „ plurimis ejusmodi luculentísque „ testimoniis, alisque argumentis gra„ vissimis sanctitatem Roberti Arbrus„ sellani comprobavisse satis esse po„ terat viro docto, qui abhinc ali„ quot annis grandi commentario „ causam hanc egit sanè justissimam: „ cujus scriptoris consilium certè, stu„ diúmque laudabile. Sed profectò æquum non fuit, neque ad vanam criminationem diluendam necessarium, ut Goffridi Operum editorem, virum omnibus probarissimum, vocaret in invidiam, ac nihil unquam tale promeritum, carperet, viz. *Jacobum Sirmondum*, qui Opera Goffridi cum notis edidit Parisiis ex Officina Nivelliana an. 1610. in 8. Nunc Epistolas invenies inter Opera Scriptorum, à Sirmondo vulgatorum, & in Bibliotheca PP.

WIBALDI, Abbatis Stabulensis & Corbeiensis in Saxonia, Viri cùm splendore generis, tum pietate, virtute, prudentia, ac rebus gestis præstantissimi *Epistolas* ex msf. Codice imperialis monasterii Stabulensis edidit P. Martene Collect. ampliss. Tom. II. pag. 183. usque ad 622.

ALBERICI ex Abbate Viceliacensi S. R. E. Cardinalis *Centuria Epistolarum ad diversos*, quarum unica extat apud cit. Edmund. Martene (Thes. Anecdot. Tom. I. pag. 397.) ad Petrum S. Maxentii Abbatem ex MS. Bibliothecæ S. Albini Andegavensis.

SUGERII Abbatis Monasterii San-Dionysiani, Ludovico VI. & Ludovico VII. ab intimis consiliis ac ministerio *Epistolæ* de gravioribus Galliarum Regni negotiis, quibus Ludovico VII. dicto *Juniore* ad sacram Expeditionem in Palæstinam profectò summa cum laude præfuit. Editæ sunt hæ Epistolæ à Duchesnio Tom. IV. Scriptorum Histor. Franc. Ibidem pag. 244.

S. THOMÆ, Archiepiscopi Cantuariensis, anno 1170. martyrio affecti *Epistolorum* Libri VI. quas unà cum aliorum ad ipsum datis publicavit Christianus Lupus Bruxellis an. 1682. in 4. Vid. Oudinum Tomo III. pag. 1477. ubi in Carolum de Visch invehitur, quòd Thomam Benedictino Ordini surripiat, suóque mure Cisterciensi Familiæ adscribat.

GUIBERTI MARTINI, Gemblacensis in Brabantia Abbatis, Epistolæ ad varios, quarum contenta vide apud Mabill. tom. II. Analectorum pag. 44. & seqq. & ex eo apud Oudin. tom. 2. p. 590. Sunt adhuc ineditæ, sed lectu perquàm dignæ.

S. HILDEGARDIS Abbatissæ Liber Epistolarum, continens varias epistolas Pontificum, Imperatorum, Episcoporum, Principum, & aliorum ad S. Hildegardim, & ipsius ad eosdem responsiones, editæ studio Justi Blanckwalt Coloniæ, hæred. Jo. Quentel, an. 1566. in 4. Plures id genus epistolas è tenebris in lucem protraxit Edm. Martene Collect. Ampliss. Tomo II.

RICHARDUS FOLSHAMUS, Monachus Norwicensis, vir in omni politiore doctrina insigniter eruditus, quippe omnes artes liberales egregiè calluit. Eruditionis & pietatis nomine erat Thomæ Arundelio Cantuar. Archiepiscopo gratissimus; scripsit *Epistolos natalitias* lib. un. Agamemnon Atridis filius.

Epistol. viginti octo ad Joan. Pap. XII. lib. un. Alias etiam permultas ad diversos scripsit epistolas. Clar. an. 1410. Pits. æt. 15. p. 590.

HIERONYMI ALLIOTI Abbatis è Congr. Casin. præstantis omni probitate atque eruditione viri *Epistolarum Lotmarum* magnum volumen in libros sexdecim distinctum asservatur MS.tum in Archivo Abbatiæ Aretinæ. Sunt hæ epistolæ optimo stylo, nitido, venustóque charactere scriptæ, ad Summos Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Principes &c. de quibus, alisque diligenter vide Armellinum Bibl. Cas. part. 1. pag. 201.

JOANNIS RAULINO ex Magno Magistro Collegii Navarræ Parisiis Monachi Cluniacensis, *Opus Epistolarum ad diversos*: in quibus, Launoio teste in Historia Regii Navarræ Gymnasii part. 3. lib. 3. cap. 22. multa cùm ad pie-

pietatem, tum ad Gallicanæ Historiæ notitiam continentur. Prodierunt verò *Raulini* Epistolæ LV. Parisiis apud Joannem Parvum anno 1520. Quarum argumenta Launoius digna habuit, ut prædictæ suæ insereret Historiæ.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, Epistolæ numero xxxv. libro uno comprehensæ, qui habetur inter ejus *Opera Pia & Spiritualia*, Moguntiæ à Joanne Busæo S. J. anno 1605. in lucem emissa.

– Alii *Epistolarum* libri duo, à tempore discessûs ex Monasterio Spanheimensi scriptarum.

Epistolas CXL. Marquardus Freherus ad calcem Tomi II. Opp. Historic. Trithemii typis exscribi curavit. Aliæ sunt à *Trithemio*, aliæ ad *Trithemium* scriptæ. Quædam illarum ad Fratrem *Trithemii*, Jacobum nomine pertinent. Plagulas in fol. 34. conficiunt; cùm verò ab anno 1505. vel 1506. aut 1507. exaratæ sint, eas non omnes esse, quivis facilè poterit existimare. Res historicas non admodùm multas continent, præter eas, quæ ad curriculum vitæ ipsius Trithemii pertinent. Plures sunt *didacticæ*, & doctrinas morales sanè quàm præstantes continent. Altera harum epistolarum editio prodiit Hagenoiæ an. 1535. in 4.

Trithemii epistolas ad *Joachimum* Electorem Brandeburgicum, & hujus ad *Trithemium* scriptas typis jam vulgatas recudi fecit Jo. Pet. de Ludewig præfat. ad Script. Herbipol. §. xiv. ubi plures doctissimi hujus Abbatis epistolas in Archivo Berolinensi luce publicâ minimè indignas asservari asserit, ex quibus, cæterisque epistolis diligenter evolutis nova ejusdem vita concinnari possit, cùm Trithemius in epistolis suis Harpocratem sui ipsius agere non consueverit. Plures ineditas congessit V. Cl. P. *Oliverius Legipont* in nova ejus Operum editione vulgandas.

GREGORIUS CORTESIUS ex Abbate S. Benedicti in agro Mantuano S.R.E. Cardinalis à Paulo III. creatus, cum doctissimis viris per totam ferè Europam familiaritatem & frequens per epistolas colloquium habuit, celebratus ab omnibus ob ingenium propè divinum, doctrinámque mirè excellentem. Reliquit duo Epistolarum volumina: alterum literas Latino, alterum Hetrusco sermone scriptas continet. Doctor Eggsius *Purpuræ Doctæ* lib. iv. pag. 589. affert epistolam miræ elegantiæ, quam Cortesius ad Pauli III. literas rescripsit, quáque eidem ob collatam in se Cardinalitiam dignitatem gratias rependit. Cæteras quoque Latinas Epistolas plurimi à doctis fieri testatur Petrus Ricord. in Hist. monast. Excusæ fuerunt Venetiis an. 1573. apud Franciscum Franciscium, cujus incuria mendis typographicis non parùm laborant, unde novam merentur editionem.

JACOBI BILLII PRUNÆI, S. Michaëlis in Eremo Cœnobiarchæ *Epistolæ Latinæ, Græcæ, & Latino-Græcæ* summa pietate, eruditione, & elegantia non modò aspersæ & conditæ, sed etiam plenæ, & ita refertæ, ut ab ipsa Suada dictatas putes, quas pro varietate temporum ad varios, eósque sui seculi longè doctissimos viros scripsit. Ita censuit *Cathardus*, qui eas publici juris se facturum tecepit in Billii sacrarum Observationum dedicatione. An promissis verò steterit, ignoramus. Joannes Launoius tres Billii epistolas Historiæ Collegii Navarræ inseruit.

ISIDORI CLARII, Episcopi Fulginatis, Epistolæ ad Amicos. Opus postmodùm per Benedictum Bacchinum è Congr. Casin. publica luce donatum *Mutinæ* an. 1705. apud Capponum. Sunt verò, inquit Editor in præfatione, Latino sermone nitidissimo conscriptæ, & Auctorem suum summa eruditione, moribúsque amœnis æquè ac piissimis præditum exhibent &c. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 55.

VITI BILDII ACROPOLITANI, Cœnobitæ San-Udalricani Augustæ Vindelicorum *Epistolæ*, quas vel ipse ad viros suâ ætate claros, vel hi ad illum dederunt; quales *Nicolaus Ellenbogius*, Asceta Ottoburanus, Græcè ac Hebraicè doctus, *Conradus Peutinger*, *Johannes Cæsar*, Augustanus, *Georgius Spalatinus*, *Joannes Denichius*, *Conradus Adelmann ab Adelmansfelden*, *Oecolampadius*, *Jonas* &c. extiterunt. Inter *Viti* epistolas duæ sunt ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem, quarum altera data est kalendis Octobris 1518. ubi ait, se Duci mittere Horologia vitro inscribenda. Vide Pezii Differt. Isag. Tom. I. Thes. Noviss. Anecdot. pag. xxxiii. Sunt verò *Bildii* Epistolæ MS.tum, quod in celebris illius Cœnobii Bibliotheca asservatur.

NICO-

NICOLAI ELLENBOGII, Cœnobitæ Ottoburani, Epistolarum libri novem, ex quibus residui sunt libri duntaxat septem in Bibliothecam Colbertinam advecti, curâ eruditissimi Stephani Baluzii, à quo hæc se didicisse scribit Mabillonius in historia Itineris sui Germanici. Cl. Schelhornius quasdam egregii hujus Viri epistolas manuscriptas inter reculas suas adservare scribit Amœn. Liter. Tom. XIV. pag. 412. quæ ipsum in Astronomia haud mediocriter versatum fuisse evincunt. Tragica est Ellenbogii epistola de rebus Ecclesiæ tum perturbatissimis, quam legere poteris apud Pezium Dissert. Isag. Tom. I. Thes. Anecdot. pag. XXXUI. Habuit verò doctissimus *Ellenbogius* commercium literarum cum *Erasmo, Reuchlingio, Eckio*, & aliis ejusdem ævi viris literatis perquàm multis.

Cùm Eminentissimus Cardinalis *Quirinus* anno 1748. Ottoburæ esset, de *Nicolai Ellenbogii* Epistolis eruditus ipsi sermo fuit cum celebri Philologo, Jo. Georgio Schelhornio, qui eò etiam accesserat, ut coràm Purpuratum illum Principem veneraretur, quîcum literas à multo jam tempore commutaverat. Narrationem (q) hujus collocutionis ex ipso Cardinali audire præstat: „ Ad manus habebam, dum ille (*Schelhornius*) ad me „ ingressus est, luculentam Nicolai Ellenbogii Operum Collectionem, quo „ me dono afficere dignatus fuerat eruditus, atque erga me admodum „ benevolus Ottoburanæ Bibliothecæ Præfectus Michael Reikbechius. „ Hic magnam diligentiam impenderat iis Operibus describendis ex vetustis Codicibus in eadem Bibliotheca extantibus. Una simul oculos „ conjiciebam in Germanici Itineris à „ Mabillonio confecti Diarium, quo „ scilicet loco Ottoburana Abbatia „ memoratur. Singula itaque Mabillonii de Ellenbogio verba pensitan„ do, integram & amplius horam „ transegimus. Fassi ambo sumus, ju„ stas omnino laudes Mabillonium ho„ mini illi tribuisse, quippe qui bo„ narum literarum amantissimus, La„ tinis Græcas, & Hebraicas con„ junxit, harumque omnium ludum „ aperuit an. 1543. Gymnasio trilin„ goi Ottoburæ instituto, favente in„ primis Wolfgango Abbate, & Prin„ cipe Campidonensi. At non ita „ facile assensimus eidem Mabillonio „ affirmanti, Collegii, illius institu„ tionem factam fuisse ab Ellenbogio, „ *reluctante Abbate suo*. Recitavi ipse „ ex ea Collectione unum & alterum „ locum, unde contrarium evinceba„ tur; iisque expensis, Schelhorniua „ hac in re levem esse Mabillonii au„ thoritatem pronunciavit, indica„ vitque mihi statim ex amplissimo eru„ ditionis suæ penu causam, ex qua in „ errorem adductus fuerit Vir ille præ„ stantissimus. Inter hæc narrare „ mihi idem suscepit, quantam curam „ olim ipse adhibuisset, sed frustra, „ ut ex Bibliotheca Colbertina ex„ emplum obtineret Epistolarum El„ lenbogii librorum septem, qui ex „ novem dumtaxat restant, eo adve„ cti opera Stephani Baluzii. Polli„ citus ego sum, eam ipsam curam à „ me quam citius susceptum iri, quod „ valde arrisit Schelhornio. Cum E„ rasmo, Reudelino, Eckio, & aliis „ ejusdem temporis hominibus litera„ tis epistolicam necessitudinem Ellen„ bogio intercessisse, ex eorundem li„ teris in lucem jam editis innotescit. „ Ellenbogianas vero æque typis vul„ gari dum adeo ardere conspicerem „ Schelhornium, admiratio me subiit, „ eundem animo suo non prævidere, „ ex Ellenbogii Scriptis nova à me „ arma parari quandoque posse ad „ Sectas oppugnandas, quarum er„ roribus refutandis doctissimus Mo„ nachus ille egregiè laboravit.„

VINCENTII BORGHINI, Itali, Florentini, Magni Hetruriæ Ducis Cosmi I. Locumtenentis in Academia Graphica Epistolæ Italico sermone contextæ, sunt quàm plurimæ, & quidem eruditæ, & ferè omnes versantur circa antiquitatis historicæ monumenta. Asservantur Romæ in Bibliotheca *Sopiemiæ* in Tomo III. Miscell. prosan. Constantini Cajetani. Vid. Armell. tom. 2. lib. V. p. 18.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, Collectio epistolarum, quæ vel ab ipso ad alios ætatis suæ Viros doctos, ac celebres, vel ab his e. g. *Gretsero, Radero, Constantino Cajetano* ad ipsum datæ fuerunt tribus in fol. voluminibus comprehensa. Extat inter MSS.^ta nobilis Bibliothecæ San-Udalricanæ. Vid. Pezius l. c. p. XXXII.

JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Card. *Epistolæ Miscellaneæ ad diversos Principes, & illustres aut eruditos Viros,*

(q) Extat in epistola ad Sereniss. Hassiæ Langravium Epist. Aug. data Brixiæ 12. Junii an. 1748.

ros. Tomus unicus in fol. cujus ipse meminit in syllabo Operum suorum, quem texit in præfatione Tomi I. Theologiæ Anselmianæ. An typis in Hispania unquam exscriptus fuerit, me planè præterit.

ANGELI de NUCE, Abbatis Casinensis, tum Archiepiscopi Rossanensis *Volumen Epistolarum Familiarium*, quod erat penes Ducem Turris Philomarinum, qui easdem publici juris facere jam parabat, nisi Auctor tunc vivens seriò id prohibuisset. Armell. in Bibl. Cas. part. 1. p. 39.

JOHANNIS MARTIANAY è Congreg. S. Mauri *Epistola ad Viros doctos & studiosos*, in qua quàm necessaria sit nova Operum Hieronymi editio, ostendit, & eruditos ubique gentium degentes humaniter invitat, ut si quid Hieronymi ineditum in Bibliothecarum forulis delitescere noverint, indicent, aut siquid in privatis commentariis, schedísque suis habeant singulare, quod ad exornanda & illustranda Hieronymi Opera faciat, in publicam Ecclesiæ ac studiosorum utilitatem illud conferant, epistolásque suas, si rescribere dignentur, vel sibi vel socio suo *Antonio Pouget* in cœnobio S. Germani à Pratis, quod Parisiis est, inscribant. De altera P. Martianay epistola *Gallico idiomate ad Fratres Covetos scripta, & Michaëli Lequiennio opposita* vide sis Acta Erudit. Lipf. in recensione Opp. S. Hier. Tom. I. an. 1695. pag. 98.

JOANNIS MABILLONII Epistolarum Collectionem Domnus Theodoricus Ruinartus, & post hunc alii instituerunt. Renatus Massuetus in epistola sua encyclica anno. 1710. à Benedictinæ Familiæ Sodalibus efflagitavit, ut si quas Mabillonii epistolas ad se vel alios scriptas haberent, ad San - Germanense Monasterium transmittant, ut cum aliis junctim edi possint. Aliquas Vincentius Thuillier, in Operibus Mabillonii Posthumis vulgavit. Nuper etiam Cl. Franc. Ant. Gorius unam Antonio Mariæ Salvinio scriptam publicavit vol. 2. Symbol. liter. p. 193.

BERNARDI MONTFAUCONII Epistolæ, quas & ipse bene multas ad Viros doctrina & eruditione præstantes, & hi ipsi ex Italia, Hispania, Anglia, Germania &c. ad eum perfrequentes dederunt. Quæ in unum volumen ut congerantur, nemo literatorum est, qui non in optatis habeat. Sed quis illas ab iis ipsis, ad quos missæ fuerunt, aut ab iis, in quorum manus mortuis ipsis pervenerunt, corrogabit, quasique ostiatim conquiret? Minus negotii habebit V. C. *Magnus Crusius* in Urbe Göttingana, qui quas epistolas Montfauconius ad *Joannem Ernestum Grabium*, celebrem Criticum, exaravit, se in promptu habere, atque cum Orbe literato communicare velle aliquot abhinc annis fidem suam viris eruditis obstrinxit. Mihi duæ Montfauconii Epistolæ ad mox laudatum *Grabium* datæ anno 1704. & 1708. ad manum sunt, quarum me participem fecit Jo. Erhard. Kappius in Academia Lipsiensi Eloquentiæ Professor celeberrimus. Asservo etiam in Cimeliis alias duas, quas Montfauconiā ad me dare placuit. Ex illa verò, quæ anno 1738. scripta est, perpauca hæc verba afferre liceat - - - - *ac licèt octogesimum quartum ætatis annum agam, viribus tamen valeo, & bis in singulis hebdomatibus ad Academiam Regiam literariam me confero, in cujus societatem ab annis viginti admissus fui.* Quæ cùm legerem, præclari illi versus, quos Marc. Antonius Muretus in laudem literatissimi ac celeberrimi Viri Christophori Thuani, Primi summæ Parisiensis Curiæ Præsidis aliquando cecinit, animo observari cœperunt:

Obtigit has inter, dictu mirabile, curas
Firma valetudo, & nullis obnoxia morbis,
Atque inconcusso decurrens vita tenore:
Non vulgare Dei munus simul, & simul ingens
Compositi argumentum animi. Nam turpiter acta
Ut celeres ducit canos florentior ætas,
Et parit informes morbos, ægrámque jam ſam;
Sic senium juvenile similiter acta juventus.

Nuper V. C. Franc. Ant. Gorius Symbol. Liter. vol. 11. pag. 194. novem Montfauconii Epistolas ad Ant. Mariam Salvinium datas cum Orbe literato communicavit.

RENATUS MASSUET cùm ab obitu Mabillonii & Ruinarti à Superioribus Congr. S. Mauri provinciam accepisset prosequendi Añales Benedictinos, an. 1710. ad omnes in Italia Ordinis eruditos Sodales Epistolam exaravit encyclicam, qua eosdem humanissimè rogatos voluit, ut quæ in Annalium Benedictinorum continuationem pro Tomo V. forent, secum communicare non gravarentur. Epistola typis mandata fuit. Ejusdem quinque Epistolas, quas ad Bernardum Pezium, Bibliothecarium Mellicensem exaravit, Jo. Georg. Schel-

hornius, inscio & invito Pezio, evulgavit in Amœnitatibus suis literariis.

BERNARDUS PEZIUS magna in scribendis epistolis valuit elegantia, quarum aliquæ typis exscriptæ fuerunt, reliquæ eosdem exspectant. Inter impressas habetur *Epistola encyclica*, qua de *Bibliotheca Benedictina Generali* à se cònscribenda omnes Ordinis Sodales certiores facit, ipsósque pro notitiis secum communicandis exhortatur. Altera data fuit ad Cæsareum Proto-Medicum, & Bibliothecæ Augustæ Præfectum Doctorem Garellium, propter confixionem libri de Vita Ven. Virg. Agnetis Blanbeckin. Tertia ab ipso scripta fuit jussu seu rogatu D. Godefridi Beselii, Abbatis Gottwicensis ad *Vaissierium de la Croze*, qui à Congregatione S. Mauri ad Reformatos, ut se Calvinistæ vocant, transiens, Regis Borussiæ Bibliothecæ præfectus fuit. Habuit verò Pezius cum Viris quà doctrina, quà dignitate præcipuis literarum commercium. Ejus *Epistolas Apologeticas* pro Ordine S. Benedicti alio loco commemoramus.

ANGELI MARIÆ QUIRINI, S. R. E. Cardinalis *Epistolæ* & *Italicæ* & *Latinæ* omnium studia in se convertunt non tantùm propter summam ejus in Catholica Ecclesia authoritatem, à quo scriptæ fuerunt; sed etiam tum propter summum sermonis nitorem, puritatem & elegantiam, tum propter rerum scitu dignissimarum copiam & ubertatem, qua refertæ & locupletes sunt, ut de facilitate scribendi, animique exprimendi sensa, quæ planè admirabilis est, nihil dicam. Latinarum verò Epistolarum sex habemus Decades typis excusas.

Decas I. Epistolarum Latinarum Suæ Eminentiæ à 19. Jan. an. 1741. ad 6. Aug. 1742. Brixiæ 1742. fol.

Decas II. à 9. kal. Jan. an. 1741. ad 11. kal. Martii an. 1743. Romæ an. 1743. med. 4.

Decas III. ab 10. kal. Majl an. 1743. ad 27. Aug. an. 1744. fol.

Decas IV. à mense Julio an. 1745. ad mensem Martium an. 1747. cui præfixa est Epistola Nuncupatoria ad RR. PP. Professores Benedictinos Universitatis Salisburgensis data Brixiæ 17. Aug. an. 1747. med. 4.

Decas V. à mense Aprili an. 1747. ad mens. April. an. 1748.

Decas VI. à mense Junio an. 1748. ad mensem Januarium an. 1749.

Hisce Latinis Epistolis accedit *Deca di Lettere Italiane di Sua Eminenza già prima separamente uscite olla luce & ora unite.* In Brescia 1746. med. 4. dalle Stampe di Rizzardi.

At verò hæ Epistolæ cùm Latinæ tum Italicæ sunt perpaucæ, respectu earum, quæ multis voluminibus comprehensæ in custodiis quasi continentur, usque dum foras ipsis prodire liceat. Quod utinam si non omnibus, saltem aliquibus concedatur. O quantum ex earum publicatione Historia Literaria augenda est!

SECTIO III.

Interpretes, ac Versiones librorum.

INter studia, quibus cum laude, dignitate, atque utilitate Ecclesiæ vacare possunt Monachi, illud etiam connumeratur, quô ad Scriptorum illustrium, maximè SS. Patrum & Ascetarum Opera sive de Græca in Latinam, sive de Latina in patriam linguam vertenda incumbunt. Quo in genere cùm plurimi ex nostra Familia desudârint, ex iisdem perpaucos more nostro adducemus.

DIONYSIUS EXIGUUS, rogatu Laurentii Romanæ Ecclesiæ Presbyteri ex Græco in Latinum transtulit *Canonum Codicem*, & plura alia, quæ jam alio loco recensuimus.

S MARTINUS ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Braccarensis in sua *Collectione Canonum* maximam partem ex Græco convertit. *Sententias* quoque *Ægyptiorum Patrum* ex Græco in Latinum transtulisse dicitur Nicolao Antonio. Alii tamen hujus versionis laudem tribuunt *Paschasio* Diacono, qui S. *Martino* adhuc Abbati suo Dumiensi dicavit translatas è Græco jussu illius *Patrum sententias.* Has *Heribertus Rosweydus* in appendicem libri sui *De Vitis Patrum* conjecit è Toletano Ecclesiæ altero, & monasterii S. Floriani in Germania altero codicibus antiquis desumptas, & excusas Antwerp. 1615. Lugdun. 1617. atque iterum Antwerp. 1628. Alium veterem codicem vidit ante annos CD. manuscriptum in Nucalensi Ordinis

dinis nostri Monasterio Franciscus Bivarius. Incipit: *Abbas Johannes dicebat ad discipulos suos.* Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Vet. Sigebert. de S. E. c. 118. D'Andily in Vitis Patrum pag. 277. col. 2.

S. ZACHARIAS Romanus Pontifex electus 6. Decemb. anno 741. mortuus 15. Mart. 752. in Latinum ex Græco sermone transtulit S. *Gregorii Magni Libros IV. Dialogorum*, qui Latino textu adjuncto habentur in editione Opp. S. Gregorii M. Romæ 1590. ubi desiderantur sex capita supplenda ex Canisii Antiq. Lect. Tom. III. pag. 24. Ac proinde in editione Operum S. Gregorii Parisiensi anno 1640. *Versio Græca* integra reperitur, quemadmodum etiam talis habetur in Benedictinorum è Congregatione S. Mauri editione. Illud D. Schöttgenius in Continuatione Fabricii Bibliothecæ med. & inf. Lat. lib. 21. pag. 918. observatione dignum memorat ex Jac. Basnagio, quòd Zacharias (natione Græcus) Græcorum sententiam de processione Spiritus S. à solo Patre versioni suæ immiscuerit. Nam quæ Gregorius Dialog. II. 38. ita scripsit: *Cùm enim constet, quia Paracletus Spiritus à Patre semper procedat & Filio*; Zacharias ita vertit: *Apertè igitur patet, quod Paracletus à Patre procedit, & in Filio permanet.* At miror, D. Schöttgenium hæc scripsisse; cùm pro magna sua eruditione nescire non debuisset, dudum Johannem Diaconum, aliósque orthodoxos conquestos fuisse de Græcorum fraude, quâ hanc Zachariæ interpretationem corruperunt. Dionysius Sammarthanus, cujus est novissima Operum S. Gregorii M. editio, præfatione ad Dialogos ejusdem, non ex vano suspicatur, hujus corruptelæ authorem fuisse Photium Pseudo-Patriarcham, peritissimum scilicet talium depravationum artificem.

ANASTASIUS S. R. E. Bibliothecarius, Abbas Romanus, & Presbyter Cardinalis, non pauca ex Græcis Latinè reddidit; ex quibus sunt v. g. Chronologia Nicephori Constantinopolitani, Historia Ecclesiastica, Acta Synodorum, Vitæ Sanctorum &c. præsertim Vita S. Dionysii Areopagitæ, quam circa annum 846. scripserat Methodius Patriarcha CP. qui ex Hilduino Abbate S. Dionysii in Francia multa mutuatus, ad Carolum Calvum Imperatorem in Galliam transmisit. Anastasii versiones magis ab integritate fidei quàm sermonis elegantia Combefisio in Bibliotheca Concionatoria laudantur.

KERO, Monachus San-Gallensis Regulam S. P. Benedicti in Germanicam linguam retulit, floruítque Pipini Caroli Magni Patris, & S. Othmari ævo. Vid. Jod. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. cap. 56. Confer tamen, quæ Libro II. Cap. I. Sect. I. §. II. ex Eccardo annotavimus.

WALDRAMUS, Monachus & Decanus San-Gallensis, Psalterium in linguam vernaculam transtulit, quem Codicem San-Gallensis Bibliotheca diu asservavit. Claruit Waldramus Sec. IX. & an. 895. jam Episcopus Argentoratensis Concilio Triburiensi interfuit. Schœttgen. Bibl. med. Lat. lib. 21. pag. 871.

S. PASCHASIUS RADBERTUS, Abbas Corbeiæ veteris, è Græco in Latinum fertur nonnulla transtulisse sermonem, & scripsisse multa. Trithem. in Annal. Hirsaug. ad an. 883. p. 35. Extat in Rayrhadensi Moraviæ Ordinis nostri Monasterio codex MS. continens *Vitas Patrum Græcorum* ab eo Latinè redditas.

OTFRIDUS *Wizenburg.* sive *Weissenburgensis* monachus in Alsaria inter claros interpretes præcipuum locum apud nostros seculo IX. meretur, ut qui, teste Fabricio med. & inf. Lat. lib. xv. pag. 535. insignem ætate sua operam præstitit Ecclesiis Germaniæ, libros sacros & Cantica in linguam Theotiscam ex Latina transferendo, atque metaphrasi metrica Teutonicis auribus commentando. De *Otfrido* præter Trithemium agunt plures alii, quos vide apud Fabric. l. c.

ÆLFRICUS ex Malmesburiæ Abbate Archiepiscopus Eboracensis in Anglia, interpres Seculo X. clarissimus, quàm plures libros veteris Testamenti, Canones Concilii Nicæni, Vitas, & Passiones Sanctorum, Sermones, & Homilias sanctorum Patrum, aliáque id genus plura è Latino in Saxonicum idioma convertit. In secunda Grammatices præfatione de se ipse testatur, se *octoginta libros Sermonum* vulgari sermone reddidisse Et totidem quidem ab illo versos hodie habemus, inquit Warthonus Angl. Sac. tom. 2. pag. 132.

B. HERMANNUS CONTRACTUS, Divitis Augiæ Monachus tres linguas, Græcam, Latinam, & Arabicam apprimè callens, Græcorum Philosophorum, Arabúmque Astronomorum Tra-

ſtatus aliquot Latio donavit. Graveſon Hiſt. Eccleſ. Sec. XI. pag. 106. Vide etiam Trithem. in Annal. Hirſaug. ad annum MV. pag. 149.

NOTKERUS, cognomento *Balbulus* San-Gallenſis Aſceta præter Pſalterium, Librum Job, & Cantica Biblica Teutonicè reddidit Symbolum Apoſtolorum, & S. Athanaſii, Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ, Martianum Capellam de Nuptiis Mercurii, & Philologiæ, atque Organum Ariſtotelis, quorum plura adhuc autographa in Bibliotheca San-Gallenſi manuſcripta aſſervantur, teſte Cl. Bernardo Franckio Bibliothecario San-Gallenſi in Diſſertatione Critica Notkeri Pſalterio præmiſſa in Tom. I. Theſauri Schilteriani.

CONSTANTINUS AFER, Monachus Caſinenſis, inclinante Sec. XI. Medicorum Arabum varia Opuſcula Latinè reddidit, quæ ſubinde ad excolendam in Europa medicinam magnum uſum præſtiterunt, teſte Hermanno Conringio, Helmſtadienſi Medico.

GRIMALDUS Monaſterii S. Æmiliani in Hiſpania monachus circa ſeculi XI. finem S. Gregorii M. libros Moralium in Job Hiſpanicè vertiſſe dicitur. Nic. Ant. B. H. V. pag. 3.

ADELARDUS, ſive AHELARDUS, Anglus, Monachus Badunenſis, ſive Bathonienſis, Libros Euclidis de Geometria ex Arabico in Latinum transtulit, aliúmque (Pitſeus *Erichi aſarim* vocat) neſcio cujus auctoris, de ſeptem Planetis *Japharis* Mathematici, cujus Iſagogen minorem in Aſtronomiam ab Adelardo verſam ex Arabico memorant. Vide Oudin. Tom. II. pag. 1017. & Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. I. p. 30. Ægyptum, Arabiam, aliáſque provincias & regna peragrâſſe narrat Baleus. II. 69.

GUILLELMUS de NANGIACO S. Dionyſii in Francia Monachus, & ſub finem ſeculi XIII. inſignis Hiſtoriographus Chronicon, quod ab ipſo Latinè compoſitum extat Tomo IX. Spicilegii Dacheriani pag. 405. Gallicè vertit, quo qui linguam Latinam ignorarent, ſæpè tamen monaſterium S. Dionyſii adirent, faciliùs Regum in ejuſdem Abbatiæ eccleſia ſepultorum notitiam percipere poſſent, ut ipſe in præfatione Gallica teſtatur Nangius. Vid. Oud. Tom. III. pag. 631.

JOANNES LONGUS S. Bertini apud Audomaropolim Abbas, dictus vulgò *Joannes Iperius*, ſeu *Iprenſis*, ex Iprenſi Flandriæ urbe oriundus extitit, unde *Joannis Iperii* nomen ei adhæſit. Antequam ad Abbatiam S. Bertini promoveretur, complures libros in linguam Gallicam tranſtulit, è quibus hìc ſolùm ſpeciminis gratia recenſeo *Hiſtoire de la noble Fortreß de Luſignen en Poitou, compile ſelon diverſes Chroniques.* Liber iſte elegantiſſimis figuris illuminatus, olim pertinebat ad D. Jaquettam Luxemburgicam, Duciſſam Bedfordiæ, ut illa propriâ manu in fine libri teſtatur. Plura apud Oudin. Tom. III. p. 1097

PETRUS Magiſter, Presbyter, Profeſſus Monaſterii in Caſtello Ord. S. B. in Reichenbach *Boëthii Libros V. de Conſolatione Philoſophiæ* de Latino in Teutonicum transtulit an. MCCCCI. Vide plura apud Pez. Diſſert. Iſag. Tom. IV. Theſ. Anecd. Nov. p. XXIV.

HILARION Monachus SS. Nazarii & Celſi Veronæ in Italia Congregationis S. Juſtinæ, quæ nunc Caſinenſis dicitur, poſt annum 1460. claruit, atque ex Græco in Latinum convertit *Dialecticam S. Joannis Damaſceni*, item *Dorothei Archimandritæ Doctrinas de vita rectè inſtituenda.* Illa habetur in omnibus Operum S. Joannis Damaſceni Operibus, hæ numero XXIV. in prima Bibliothecæ SS. Patrum editione Pariſienſi. Fabricius *Veroneum* & Monachum Caſinenſem, qui c. an. 1551. flor. vocat Bibl. med. Lat vol. 4. p. 730. ſed fides Armellino habenda eſt.

JOANNES de LYDGATE, Benedictinus Anglus, circa annum 1440. Libros IX. de Caſibus Virorum Illuſtrium ab Adamo uſque ad Joannem Franciæ Regem 1356. ex *Joanne Boccatio*, aliúſque tranſtulit Londini anno 1527. 1554.

JOACHIMUS PERIONIUS D. Clementis Epitomen de Geſtis S. Petri Coloniæ Agrippinæ excuſam an. 1562. in fol. interpretatus eſt.

ISIDORUS CLARIUS S. Nili Monachi Tractatum de *Chriſtiana Philoſophia* in Latinum ex Græco ſermone convertit. Quæ verſio, cùm Iſidorus doctiſſimus ac Græcè peritiſſimus fuerit, quanti ſit facienda, quis non videat? Nec credimus, alteri poſtponetur verſioni, quam olim adornavit *Joſephus Maria Suarez* Epiſcopus Vaſionenſis, & aliis Nili Operibus à ſe pariter Latinè redditis, Romæque anno 1675. editis in folio præmiſit cum hoc titulo, *Tractatus de Monaſtica Exercitatione.* Certè hac edi-

editione deterritus non fuit Mabillonius à *Clarii* describenda, & suo tempore evulganda. Nec mirum, cùm præter stylum elegantiorem, & Isidoro maximè proprium, genuinum auctoris sensum longè aptiùs & enucleatiùs *Clariana* exprimat, quàm illa Suaresii, quod quisque advertere facilè poterit. Extat verò Tom. IX. Collectionis amplissimæ PP. Martene & Durand.

JACOBUS BILLIUS BRUNÆUS, Abbas S. Michaëlis in Eremo, Vir Græcè ac Latinè doctissimus permulta ex *Patribus Græcis, Gregorio Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo, Joanne Damasceno* admodùm scitè reddidit. Vide Pet. Daniel. Huetium de Claris Interpretibus p. 261. apud quem etiam censuram leges de M. Cassiodoro, Anastasio Bibliothecario, Gilberto Genebrardo, Joachimo Perionio Benedictinis Interpretibus.

BENEDICTUS CHELIDONIUS Abbas celeberrimi Monasterii ad Scotos Viennæ in Austria, jussu Maximiliani I. Imperat. Commentarium *Joannis Stabii* Historici Cæsarei de rebus gestis ejusdem Augusti Cæsaris ex Germano in Latinum vertit, ut ipse testatur in Dedicatione Theologiæ Bandini.

GREGORIUS de ALFARO, Cordubensis in Hispania, Abbas, Monasterii S. Mariæ *del Bueffo* pietatis, doctrinæque specimen dedit vertens magno Asceticæ doctrinæ bono ex Latino authoris *Las obras de Ludovico Blosio*, i.e. *Opera Ludovici Blosii*. Pinciæ an. 1617. Matriti an. 1619. in fol. Nicol. Ant. Bibl. Hisp. Nov. pag. 414.

HILARION CORBETTA, Italus, Mediolanensis è Congr. Casin. Abbas Lerinensis, Latinæ ac Græcæ Linguæ peritissimus, multa Græcorum Authorum Opera in Latinum sermonem traduxit, quorum syllabum texit Armellinus part. 1. pag. 225. mihi commemoranda solùm videntur *Mathiæ Regis Pannoniæ Religiosissimi Commentaria Græca in Cant. Canticorum Salomonis* vetustate consumpta, quæ Hilarion primò Græcè transcripsit, mox Latinitate donavit, & quidem Græcè ac Latinè ea imprimenda paraverat anno 1538.

CAROLUS STENGELIUS Abbas Anhusanus, præter octoginta Opera, quæ proprio Marte conscripsit, aliorum viginti & unum interpretatus est, quorum indicem ipse in Catalogo Scriptorum suorum texit.

THOMAS WEISS, Neresheimensis in Suevia Cœnobita, variarum linguarum peritia, eruditione, ac eloquentia clarissimus in Universitate Salisburgensi, Rhetorices, Ethices, ac Matheseos Professor Chronicon Generale Ordinis Benedictini à P. *Antonio Yepes*, Religioso Monserratensi suæq; Hispanæ Congregationis Chronographo, lingua patria conscriptum Latinitate sanè, quàm eleganti ac tersâ, donavit quoad priores duos tomos, qui Coloniæ Agrippinæ prodierunt an. 1652. & 1653.

SIMON RETTENPACHER, Cremifanensis Polyglossus (quorum plures hodiedum sunt in celeberrimo hoc superioris Austriæ Monasterio) è Gallico vertit:

1.) *Consilia Sapientiæ*, seu *Epitome axiomatum Salomonis.*

2.) *Compendium Politiæ Domini Rebecquii.*

3.) *Verom Politiam illustrium Virorum.*

4.) *Institutionem nobilis Juvenis*, seu *Ideam præclori Viri D. de Chetardye.* Ex Hispanico in Latinum transtulit *Sapientem in suo secessu.* Vid. Hist. Salisburg. Univers. lib. 2. c. 7. pag. 424.

LUDOVICUS BULTEAU è Congr. S. Mauri in Francicum sermonem convertit *Librum Introductionis ad sapientiam Ludovici Vives.* Versio hæc publicata fuit anno 1670. Parisiis apud J. B. Coignard. Is ipse doctissimus interpres, qui Gallicè sciebat, ut pauci, epistolam dedicatoriam, quæ Tomo I. Operum S. Augustini editionis Patrum Congr. S. Mauri præfixa habetur, in Gallicum sermonem convertit, quò Ludovico XIV. præsentaretur. Vid. le Cerf. l. c. p. 56.

ANTONII JOSEPHI MEGE è Congreg. S. Mauri *Le Pseautier royal, ou les Pseaumes de la confession composez par Dom. Antoine Roi de Portugal, traduits en François.* Id est: *Psalterium regale*, seu *Psalmi de confessione ab Antonio Rege Lusitoniæ compositi, in Francicum translati.* in 16. Tolosæ an. 1571.

FRANCISCUS MEZGER è S. Petro Salisburgi complura ex Gallico & Italico Idiomate Latinè reddidit. Unum commemorâsse sufficiat: *Dioptra Politicæ religiosæ*: sub quo titulo Salisburgi an. 1694. in 8. edidit Domni Hieronymi Joachimi le Contat è Congreg. S. Mauri *Meditationes pro sacro dierum secessu ad usum & praxim Superiorum accomodatas.*

RENATUS AMBROSIUS JANVIER è Congr. S. Mauri Latinè interpretatus est ex Hebræo R. Davidis Kimchi Commentarium in Psalmos in 4. Parisiis an. 1666. vid. Pez in Bibl. Maur. pag. 30. & le Cerf. in Bibl. Hist. Crit. pag. 182. quo teste *Kimchius* operi suo more Rabinorum plura contra orthodoxam fidem intexuit, quæ veluti ad intelligentiam Psalmorum inutilia à P. Janvier omissa fuêre. Librum impressit Ludovicus Billaine, quem interpres *Francisco de Harlai de Chanvalo*, Archiepiscopo Rothomagensi dedicavit. Recensionem vide in Journali des Savans m. Dec. anno 1666. pag. 433.

MAURI RANBECK, Abbatis Andecensis in Bavaria, Latinè, Græcè, Hebraicè, Gallicè, Italicè, atque Hispanicè docti *Filiatio Spiritualis ex Italico Philippini*, in fol. Venetiis an. 1686. Item ex Italico in patriam transtulit linguam, typísque commisit *Vitam Venerabilis Mariæ Joannæ Bonbomi de Vicenza Monialis Ord. S. B. Bassani in monasterio S. Hieronymi*. Extinctus est Abbas doctissimus anno 1686. sepultus in Ecclesia Andecensi ante capellam S. Josephi. Vid. Hist. Univers. Salisburg. l. 2. c. 3. p. 222.

BERNARDUS MONTFAUCON cum Hebreæ ac Græcæ Linguæ magnam assecutus esset cognitionem, ex utraque in Latinum transferendi usum adjunxit. Inter cætera in Latinum transtulit *Græco-Barbarum Proscynetarium*, id est, descriptionem locorum religiosè colendorum montis Atho, à Joanne Comneno Medico scriptum, ac in Ungaro-Valachia in Monasterio Synagobi anno 1701. impressum. Ille, quem Græcorum Romam vocare possis, longitudine trium dierum, latitudine sex horarum iter deposcens, à nemine nisi aliquot millibus monachorum habitatur, quorum plurimi inter Ascetica & rigidæ disciplinæ exercitia, operas manuarias ad vitæ humanæ necessitatem sublevandam facientes, tractant. Viginti duo replent monasteria antiquissima, nulli Turcarum injuriæ, piratis, quibus opportuna sunt, rarò ob sanctitatis opinionem obnoxia. Singula describit Comnenus, mirè quidem in antiquis relationibus & prodigiis credulus, sed qui diligenter omnes illorum angulos perreptavit. Nihil illi nisi magnificum, nisi splendidum, & sacrosanctum in templis, in ædificiis, & Divorum reliquiis oppidò multis. Ante alia quidem palatum Montfauconii sollicitat, qui jactatur ingens (pro istorum locorum genio) multitudo librorum Theologicorum non modò, sed ad alias etiam disciplinas spectantium. Prædicatur insuper copia Chrysobullarum, quas Imperatores à Constantino Magno usque ad Imperatorem Constantinum Palæologum, nec non Imperatores & Principes Russiæ, Trapezuntis, Iberiæ, Ungaro-Valachiæ, Moldaviæ, Serviæ, aliarúmque gentium, & Patriarchæ Constantinopolitani pariter, ac alii Præsules monasteriis concessêre. Versionem opusculi lectu non indigni Montfauconio debemus, qui in præfatione excerpsit, quæcunque Petrus Bellonius de sacro hoc monte, quem ipse perlustraverat, anno 1553. memoriæ prodidit. Vid. Act. Erud. Lipf. Supplem. Tom. IV. Sect. IX. pag. 389.

Analecta Græca, sive varia Opuscula Græca hactenus inedita ex manuscriptis codicibus eruerunt, Latinè verterunt, & notis illustrârunt monachi Benedictini Congr. S. Mauri Parisiis typis Edm. Martin. an. 1688. in 4. Domnus BERNARDUS de MONTFAUCON *Typicum*, seu *Regulam* Monasterii Gratiæ plenæ ad Imperatrice Irene Ducæna, Alexii Comneni uxore pro monialibus scriptam; & Excerpta ex Heronis Geometria, Antiquum rationarium Augusti Cæsaris, novúmque Alexii Comneni, ac denique Tractatum de mensuris & ponderibus Latinè interpretatus est. Plura si scire aves, quæ idem Vir doctissimus ex Græco in Latinum transtulit, videsis Cersium Bibl. Hist. Crit. p. 364.

GABRIEL GERBERON ex Congr. S. Mauri *Pugnam spiritualem* Hispanicè scriptam à D. Joanne de Castaniza ex msf.to autographo Gallicè reddidit, & Parisiis typis exscribi curavit an. 1675. in 12.

MAGNUS SCHLEYR, Vir impensè doctus, & multarum linguarum gnarus ex Italico vertit *Artem Epistolarem Emmanuelis Thesauri* in 8. anno 1709. *E Gallico Orationis benè pronuntiandæ & animandæ rationem*; uti & Conciones D. *Flechier Episcopi Neumausensis*. Interpres erat Elchinganus in Suevia Cœnobita.

HERMANNUS SCHENCK San-Gallensis Asceta, Latinè, Hebraicè, Græcè, Italicè, Gallicè, Hispanicè egregiè doctus quàm plures libros ex alieno idiomate vertit, quorum syllabum accipe à *Felice Egger* in Idea Ord. Hier. Bened. lib. 1. part. 3. Disp. 3. p. 165.

Ex

Ex Gallico vertit.

1.) *Historiæ funestæ nostri temporis*, du Bellay in 12.

2.) *Vollkommenheit des Christenthums*, P. Rapini S. J. in 12.

3.) Devotio Montis Calvariæ, Crasseti S. J.

4.) De amore Jesu: Nepveu in 8.

5.) *Leben* Benedictæ de Passione Ord. S. B. in 8.

6.) Vera & solida devotio complectens scientiam Christiani circa septem Sacramenta. Beuvelleti in 8.

7.) Instructio Novitiorum Congregationis S. Mauri in 8.

8.) Dubia Historica Mabillonii circa Historiam Ecclesiasticam in 4.

9.) Dissertationes duæ Mabillonii de præcedentia inter Benedictinos & Canonicos Regulares in 4.

10.) Historia omnium Conciliorum, Truilloti in 4.

11.) Spiritus Christianæ Religionis, Rapini S. J. in 8.

12. Dissertatio Chronologica de anno Nativitatis Christi Baronis de Notle in 4.

13.) *Magnum salutis negotium*. Rapini S. J. in 4.

14.) *Von dem Glauben diser lezten Zeiten.* Ejusdem in 4.

15.) *Weegweisung zum innerlichen Leben.* in 8.

16.) *Glückseeligkeit einer Seelen, die Gott in dem Gebett gefunden.* in 8.

17.) *Leben* Amatæ de Rabutin.

18.) Item Helenæ de Chatelus, Monial. Visitat. B. V. M.

Ex Græco.

Grammatica Chrysoloræ. in 4.
Capita Parænetica S. Nili. in 8.

Ex Italico.

Indrizzo per caminar alla perfettione d' amore: i. e. *Anleitung zur Vollkommenheit der Liebe.* in 8.

Ex Hispanico.

De Apparitione Spirituum: authore Onuphrio Manescal Cathedratico Universitatis Barcinonensis.

De Jubilæo Dubia.

JOSEPHUS CARELL Asceta Angiæ Majoris Brigantinæ R. P. Dalier è S. J. Dominicale & Festivale è Gallico idiomate in Germanicum transtulit &c. prodierunt duobus tomis Augustæ Vindel. Anno hujus seculi.

ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Cardinalis, adolescens adhuc linguæ Gallicæ addiscendæ cupid tactus, in ea breviter ita profecisse Magistro suo visus est, ut idoneum eum censuerit, qui Historiam VARILLASII *de prisca Religione*, à Sectariis ex nefariis quibusdam causis immutatam, in Italicum idioma ex tempore converteret, & altâ voce prælegeret, dum Sodales publicæ mensæ accumberent. *Vide rerum ipsius Card. Commentarios Part. I. p. 4.*

WUNIBALDUS REICHENBERGER Prislingensis in Bavaria Monachus, *Angeli Paciuchelli* Tractatum de patientia ex Italico in Germanicum sermonem à se conversum publico dedit *Lincii in Austria* an. 1747. in fol.

ROMANUS KISTLER Imperialis & exempti Monasterii ad SS. Udalricum & Afram Aug. Vindel. Professus, ex Italico in Latinum sermonem vertit *Recollectionem Spiritualem* ab aliquo Soc. Jesu Theologo Gallice conscriptam, quam noster pluribus adauxit, & illustravit, edito Opere *Augustæ Vindel.* anno 1739. in 8.

SECTIO IV.

Antiquarii Monachi, quinam, & quàm utiles Ecclesiæ, bonísque artibus.

Antiquariorum labor commendatur.

ANtiquis Monachis maximè placuisse codicum scribendorum operam, pluribus ex *Cassiodoro* nos docent *Mabillonius* in Præfat. ad Sec. I. Benedictinum. Ita enim *Cassiodorus* libr. 2. inst. cap. 7. ad Monachos suos: *Ego*, inquit, *fateor votum meum inter vos, quæcunque possunt corporeo labore compleri*, ANTIQUARIORUM *studia* (si tamen veraciter scribant) *non immeritò forsitan plùs placere; quod & mentem suam relegendo Scripturas divinas salutariter instruunt, & Domini præcepta scribendo longè latéque disseminant. Felix intentio, laudanda sedulitas: manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitum dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentóque pugnare. Tot*

enim vulnera satanas accipit, quot Antiquarius *Domini verba describit. Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius, audiunt populi, unde se à prava voluntate convertant, & Domino purâ mente deserviant. Operatur absens de corpore suo,* tantóque tempore etiam post mortem ipsius apud Deum & homines extenditur lucrum laborum manuum suarum, quanto, ut ita dicam, durare potuerit vita librorum ab eo descriptorum. Observavit id ipsum *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis ad *Gislebertum* Reclusum ita scribens *: *Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri, reclusione perpetua prohibente: sed quod est utilius, pro aratra convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis literis paginæ exarentur. Seratur in chartulâ verbi Dei seminarium, quod maturatis segetibus, hoc est libris perfectis, multiplicatis frugibus esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellat. Sic planè, sic verbi Divini poteris fieri tacitus prædicator, & linguâ silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit.* Hæc ille mira planè & egregia; ex quibus prolixè cognoscetur fructuum immensa seges, quos studiosa nostrorum solertia protulit, sive dein ad Ecclesiam eosdem referas, sive ad sanctioris disciplinæ Monachorum sublimius institutum.

* Libr. 1. Ep. 20.

Quinam Antiquarii. Etenim labores propiùs si consideres, alii varii generis libros transcribunt; alii veterum Scriptorum monumenta è situ & squallore in lucem protrahunt; alii denique Antiquariorum labores vel commendant, vel antiqua manuscripta contra neotericorum censuras defendunt. E prima classe, cùm quàm multi sint, aliquos tantùm speciminis loco, more nostro adducemus.

Ovo, quem S. Wulframus in patibulo mortuum excitavit, postea Fontanellensis Monachus, & egregius Scriptor, plurimos codices & multas testamentorum literas exarâsse perhibetur. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 593.

Babolenus Abbas Fossatensis circa an. 661. clarus plures codices scripsit, ut ex ipsius vita à Monacho Fossatensi scripta discimus, ubi biographus ejus scribendi peritiam laudans asserit, penes se adhuc superesse plura volumina, quæ ipsius manu descripta fuisse dicuntur. Mabill. l. c. pag. 464.

Witichindus Monachus Corbeiæ Novæ & celebris Historiographus claruit exeunte Seculo X. Ejus est liber egregius deauratus, & gemmis excultus, in quo descripta habentur quatuor Evangelia, quorum initia variis & exquisitis literis excolorata cum nonnullis versibus, quos apud Letznerum & Mabillonium Annal. Tom. III. pag. 617. videre licet. Videsis etiam hosce versus pietatis plenos, si placet, apud Meibom. Rer. Germ. Tom. I. p. 627.

Notkerus in Monasterio Sancti Galli Scriptor peritissimus ætatem egit sub annum 973.

Othlonus Monachus & Scholasticus ad S. Emmeramum Ratisbonæ libros quàm plurimos propriâ manu exaravit, quibus varia monasteria locupletavit, prout jam aliàs diximus.

Ademarus in Engolismensi S. Eparchii monasterio Cœnobita Seculo XI. manu sua exaravit Historiam Romanorum Pontificum Damaso adscriptam, & in Leone IV. desinentem, in membranaceo codice Uticensi, præmissis acrostichis versibus ad Rohonem Ecolismensem Episcopum, editis à Mabillonio ad calcem tomi tertii Analectorum: ubi etiam fit mentio librorum Amalarii de divinis Officiis, quos itidem Ademarus exscripsit cum insigni additamento, in quo divina Officia monachorum cum canonicalibus comparantur. Hos verò libros *in hoc corpore*, i. e. in codice S. Martialis, *transcribi curavit Ademarus, indignus* (ut se ipse ex nobili familia Chabannensi procreatus appellat) *monachus in honore Dei & S. Benedicti.* Vid. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 259.

Conradus Monachus Schyrensis in Bavaria, plusquàm quadraginta vastæ molis membraneos codices scripsit ab *Aventino* laudatos, & plerosque recensitos, quorum unus Magistri Petri cognomento Comestoris, scholasticam continens historiam, in quinque primis foliis artium liberalium imagines repræsentat, præmissa B. Mariæ effigie, cum his aliísque Scriptoris verbis: *Chonradus Peccator Auctor & Scriptor hujus Operis.* Deinde in secundo folio picto Musica, & in tertio Astronomia exhibetur, adjunctam habens à dextris Pto-

lomæi

lomæi effigiem, sidera contemplantis ope instrumenti longioris, quod instar tubi optici quatuor ductus habentis concinnatum est in hunc modum. Conradum hujus Codicis Scriptorem ante annum MCCXII. vixisse affirmat Stephanus Abbas in limine prædicti Chronici, ubi quæ de illo tubo vidimus & scribimus, inquit Mabillonius Itin. Germ. p. 9. observat conjicitque. Plura de Conrado videsis apud Pezium Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Noviss. pag. XXVIII. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. III. p. 1179.

HIERONYMUS de WERDEA, Prior Lunælacensis, seu Monseensis anno 1463. reliquit in solo monasterio Monseensi sex supra viginti volumina, sua veneranda manu exarata, in quæ partim proprii ingenii, partim lectiora aliorum monumenta literaria intulit. Exactiorem de illis notitiam promisit Cl. Pezius in Bibliotheca Benedictina. Hæc ex ejusdem præfatione in Opusculum *Hieronymus de Werdea*, quod Tomo II. Bibliothecæ Asceticæ intexuit. De eodem Hieronymo MS. Codex Bibliothecæ Cremifanensis attestatur, eum solum tot volumina contexuisse, ut iis avehendis sex equi non sufficerent.

LAURENTIUS GAZIUS, Iralus, Cremonensis, Monachus S. Justinæ Patavinæ ab anno 1510. usque ad an. 1552. quo piè obiit, non insignis modò erat Philosophus & Mathematicus, sed Scriptor etiam Librarius tam excellens, ut parem fortassis aliquem, superiorem habuerit neminem. In exarandis Choralibus Codicibus nitidissimo charactere, efformandísque ibi pulcherrimis Sanctorum imaginibus, aliarúmque rerum figuris minio, auróque identidem distinctis, mirabilis prorsus fuit. Extant quidem illi, ac visuntur Patavii non sine stupore intuentium; súntque Missarum, Hebdomadæ Sanctæ, Evangeliorum, Epistolarum, Gradualium, & alia id genus, quæ velut pretiosissimæ gemmæ in Sacrario jure & merito nunc asservantur. Armell. in Bibl. Casin. appendice pag. 8.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Panaletbia*, seu libri XIV. aut XX. ut alibi legitur) *de variis rebus & quæstionibus Antiquitatum* tali initio: *Multa sunt Præceptor Magne.* Oliv. Legipont in vit.

JACOBUS du BREUL Monachus S. Germani à Pratis, in perquirendis antiquitatibus Urbis Parisiensis non infelicem operam collocavit, quarum permultas è situ, squallore, & tenebris erutas in lucem publicam magno patriæ historiæ amantium applausu edito volumine in folio, atque earundem deinde supplementum libro in 4. divulgavit.

AUGUSTINUS VENERIUS, Neapolitanus, Monachus Cavensis, è Congr. Casin. cùm esset in studiis antiquitatis versatissimus, ex perinsigni Monasterii sui Archivo eruit sequentia opera:

1.) *Libros tres* in fol. *plurimarum Familiarum Defunctorum tam Neapolitani Regni, quàm aliarum Regionum.*

2.) *Series Regum, Principum, Ducum, Comitum, Imperatorum & egregiorum Virorum, ac Principum, Salerni, Capuæ, Beneventi, ac Affinium, & Consanguineorum eorum, cum adnotatione de Familiis &c.*

3.) *Historiam Civitatum, & Regionum Italiæ, ejúsque Populorum, & Regum, quatuor partium Mundi, Imperii Romani Occidentalis*; Tractatus ibidem *de origine & servitute Italiæ*, cum serie Græcorum, Francorum, Langobardorum, Nortmannorum, Germanorum, Suevorum, Andegavensium, Arragonensium, Dyrrachensium, Hispanorum, alisque de rebus notabilibus; Inter quæ, de Summorum Pontificum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporúmque familiis, eorúmque consanguineis, affinibus, ac propinquis &c. omnia Mss. in fol. Cavensis Archivi & Classicorum Scriptorum authoritate fulcita.

4.) *Libellum Ms. de Donationibus Ecclesiarum Principum Salerni, eorúmque Consanguineorum, de eorum Jure patronatus factis Monasterio Cavensi, cum Fundatoribus & Fundationibus, & Serie, ac Genealogia Comitum, qui, vel filii, vel fratres fuerunt Principum Salerni.*

5.) *Historiam brevem, seu Breve Chronicon Sacri Monasterii Cavensis usque ad annum* 1618. & alia minoris momenti. Quæ omnia ipsiusmet Augustini manu exarata asservantur in Archivo Cavensi. Decessit industrius hic Antiquarius. 1638. cujus memoria apud Cavenses Monachos in benedictione est. Vide Armell. Bibl. Ben. Casin. part. 1. pag. 67.

CORNELIUS MARGARINUS Abbas titularis è Congr. Casin. à reconditæ an-

antiquitatis studiis plurimùm celebris fuit, ab eruditis omnibus & Principibus Viris magno in honore habitus; In veteribus monumentis nocturna diurnáque manu pervestigandis diligentissimus, & adversùs studiorum labores infractus, lucubrandi servidum studium ad extremam usque senectam perduxit; adeò ut plurimas diei horas, decrepitus quamvis senex, eisdem impenderet. Ab ipso habemus *Inscriptiones Antiquæ Basilicæ, Monasterii & Horti sancti Pauli de urbe ad viam Ostiensem*, Opus magno labore & eximia diligentia confectum; antiquissima epitaphia tum Christianorum, tum Ethnicorum, & obsoletos propemodùm characteres dilucidè atque enucleatè exhibens, *Romæ* apud Monetam 1654. in fol. De hujus Operis præstantia vide sis plura apud Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 141.

OTTONIS AICHER ad S. Vitum in Bavaria Cœnobitæ, in Universitate Salisburgensi Historiarum Professoris Ordinarii *Hortus Variarum Inscriptionum Veterum & Novarum* viz. Urbium, Templorum, Sacellorum, Altarium, Reliquiarum, Cœmeteriorum, Organorum, Horologiorum, Scholarum, Bibliothecarum, Musæorum, Obeliscorum, Columnarum, Pyramidum, Statuarum, Imaginum, Arcuum Triumphalium, Portarum, Arcium, Palatiorum, Aularum, Curiarum, Armamentariorum, Propugnaculorum, Munimentorum, Portûum, Aquæductûum, Thermarum, Pontium, Viarum, Fontium, Hortorum, Villarum, Cœnaculorum, Cellarum, Hippodromorum, Officinarum, Monetariarum, Nosocomiorum, Hospitalium, Tumulorum &c. in certos locos seu Areolas digestarum. Salisburgi typis J. B. Mayr in 12. A. 1676.

LUCAS DACHERIUS è Congr. S. Mauri bonas horas, quæ à monasticæ vitæ officiis, primas apud Lucam semper obtinentibus, reliquæ erant, optimorum Auctorum lectioni, librorúmque manu à veteribus exaratorum, perscrutationi sedulus impendebat. Quâ in re admodùm celeres, tantásque progressiones fecit; ut etiam Viris cùm virtute, tum eruditione summis in amore juxta esset, ac admiratione. Habemus ab eo

Spicilegium veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, superfunt. in 4. vol. XIII, Paris. 1655. & seq.

De hoc insigni, & propter raritatem suam typis iteratis in forma folii vulgato Opere Joannes Bona Congregationis Reformatæ S. Bernardi Abbatis Generalis, ac demum S. R. E. Card. anno. 1663. Româ ita ad Authorem scripsit: *Multùm laudat Summus Pontifex* (is erat Alexander VII.) *Spicilegium tuum, dixitque sibi præ omnibus placere Virorum illustrium epistolas, & ea, quæ pertinent ad historiam & ad antiquam Ecclesiæ disciplinam: nam hæc, inquit, singularia sunt, & historia epistolaris omnium certissima est.* Tum subdidit: *utiliorem præstare operam Reipubl. Literariæ, qui eruendis è situ Bibliothecarū veterum lucubrationibus incumbunt, quàm qui novos cudunt libros: libri enim novi, siquid boni continent, ab antiquis mutuari solent. Hoc est judicium de studiis, quod ab ore Sanctissimi D. N. acceptum tibi sincerè repræsento, nihil addens, nihil minuens.* Ex Præfat. Tom. VI. Spicilegii, de cujus Operis præstantia Sectione sequenti plura dicturi sumus.

ANSELMUS ROLLE è Congreg. S. Mauri, quem Hugo Menardus in Menolog. Observ. lib. 2. pag. 262. monachum religiosissimum, & rerum antiquarum indagatorem studiosissimum vocat, & à quo vitam S. Benedicti Anianæ Abbatis se accepisse testatur.

CLAUDIUS CHANTELOVIUS è Congreg. S. Mauri egregium à natura ingenium sortitus, eruendis, seligendis, emendandísque veterum monumentis delectatus *Bibliothecæ Asceticæ Patrum* quinque volumina, studii sui antiquarii fructum luci publicæ exposuit. Lucæ etiam Dacherio in adornando Spicilegio sedulus adjutor fuerat.

ODO de la MOTHE è Sodalitio S. Mauri, vir sanè, dum vitam ageret, invicto prorsus animo in veteribus monumentis ex ruderibus Monasteriorū, Ecclesiarúmve, Aquitaniæ potissimùm egerendis: quibus ubertim adjuvit illustrissimos Scriptores Henricum Spondanum, atque Andream du Saussay, nec non & Sammarthanos Fratres, aliósque non paucos. Ejus adversaria in San-Germanensi Monasterio reconduntur. *Luc. Dacher. præfat. in Tom. 2. Spicil. n. v.*

CLAUDIUS ETIENNOT, vulgò *Stephanotius*, è Congr. S. Mauri Antiquarius indefessæ diligentiæ, præter celeritatem in eruendis veteribus monu-

monumentis, undecim annorum decursû quinque supra quadraginta volumina in folio conscripsit, nullius calamo adjutus, atque unius Domni *Renati du Cher*, qui postremis in voluminibus adjutricem ipsi præbuit manum. Amorem, quo in antiquitatis studium ferebatur, hoc versu expressit: *Immorior studiis, & amore senesco sciendi.* Le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 100.

Brevis Historia de origine, consecratione & reparatione Speluncæ seu Eremitorii, ejúsque Capellæ in Monte propè Cœmeterium Monasterii S. Petri in Civitate Salisburgensi, ex antiquis Monumentis & Manuscriptis in lucem protracta, & notis illustrata ab anonymo Asceta ejusdem Monasterii. Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayr an. 1661. in 4.

JOANNES MABILLONIUS, Dacherii discipulus, in Antiquarium longè celeberrimum evasit, cujus famam, inquit Jo. Bapt. Perronus, qui nondum percepit, celeberrima nomina ignorare inde conficitur, quòd, cùm eximiam Christianæ antiquitatis peritiam laudare in quopiam voluerunt, hunc *alterum Mabillonium* denominavérint viri literatissimi. Præfat. ad Lect. de Mabill. Præfat. in Act. SS. O. S B.

BERNARDI MONTFAUCON è Congreg. S. Mauri *Plan du grand ouvrage sur les Antiquités.* id est: *Conspectus vasti Operis de Antiquitatibus.* Parisiis an. 1716. Tribus post annis Opus ipsum in lucem produit: *L'Antiquité expliquée & representée en figures.* i. e. *Antiquitas explicatione & schematibus illustrata.* Parisiis an. 1719. & 1722. Tomis V. quorum singuli in duos distribuuntur. Tum, uti pollicitus erat Montfauconius, Supplementa subsecuta fuerunt. Priùs verò typis ab eo vulgata fuit *Souscription d'un Supplement à l'ouvrage de l'Antiquité expliquée & representée en figures.* id est: *Informatio de Supplementis ad Antiquitatem explicatione & schematibus illustratam.* Parisiis 1723. Tum publico exhibita fuerunt *Supplemens au livre de l'Antiquité expliquée & representée en figures.* id est: *Supplementa ad librum de Antiquitate, explicatione & schematibus illustrata.* Parisiis 1724. Tom. V. fol. Opus pretiosum, adeóque non in omnibus Bibliothecis obvium. Recensionem vide in Actis Eruditorum Lipsiensium ab an. 1720. mense Junio. *In der Republic der Gelehrten von* an. 1720. & in Bibliotheque ancienne & moderne tom. 12. apud Gabrielem Wilhelmum Gœtten, *in dem jezt lebenden gelehrten Europa III. Theils ersten Stuck* pag. 54. quod uti nemo vitam D. Montfauconii diffusiùs perscripsit, ita nemo ejus opera accuratiùs recensuit. Cæterùm illud advertendum, quòd David Humfragus, Magister & membrum Collegii Ss. Trinitatis Cantabrigiæ hoc vastæ molis opus in Anglicum sermonem translatum typis excudi curaverit. Author etiam est D. *Jourdinus*, quòd Montfauconius non ab aliis tantùm majorem in modum rogatus fuerit, ut illustre suum Opus de Antiquitatibus prosequeretur, sed ipse Augustissimus Imp. Carolus VI. significari eidem jusserit, continuationem sibi rem fore pergratam; atque ut ad laborem stimulos adderet, aureum Numisma per Gentilotum, Cæsareæ Bibliothecæ Præfectum, transmiserit.

JOANNIS BAPTISTÆ FERRETI, Itali, Vicentini, è Congreg. Casin. *Musæ Lapidariæ, antiquorum in marmoribus carmina, seu Deorum donaria, hominúmque illustrium obliterata monumenta, & deperdita Epitaphia, cum rerum perpetratarum publicis incisis lapidibus, quibus Templorum Aræ, Votiva in tabellis, Iconum stylobatæ, Mortuorum sepulchra, facinorúmque Diaglyphica notata insunt, visa in Urnis, Vasculis, Loculis, Lucernis, Columnis, Obeliscis, plumbeis Laminis, Tabulisque æneis signa Carminum; Quæ omnia Latiali sculpta stylo, & variis locis reposita atque inventa, inscriptiones antiquissimas explanant expendúntque; memoriæ excerptæ notis historicis, in quibus reconditarum omnino rerum Gentilium, tam Sacrarum quàm Profanarum publico, privatóque jure perhibetur mentio; triplicique cognitæ Indice.* Opus Libris V. in folio distinctum, ac Serenissimo Ludovico Borbonio, Galliarum Delphino, Ludovici XIV. filio, dicatum, impressúmque Veronæ Typis Antonii de Rubeis an. 1672. Hoc in Opere *Ferretus* diffusis, ac eruditis notis Lapidarias omnes inscriptiones carminibus signatas, enucleat, quas non solùm *Grutterus*, & Appianus, alíique collegerunt, sed quàm plurimas etiam alias, nec hactenus visas. Rex autem Christianissimus unà cum libro accepta fama ejus eruditionis per *Victorium Siri*, illius potentissimi Regis Historicum ordinarium, haud exigua pecuniæ vi *Ferretum* donavit, suúmque

que Historiographum renuntiatum in Gallias invitavit; sed cùm Gallicam profectionem Jo.Baptista meditaretur, ac pararet, morte interceptus in ipso juventutis flore, frustratis omnium votis, qui majora in dies ab ejus ingenio exspectabant, nimis immaturè ex hac mortali vita discessit an. 1682. ætatis suæ 36. Promittebat autem *Ferretus* in Epistola ad Lectorem sequentia Opera, quibus parùm deerat, ut ad coronidem perducerentur.

1.) *Bibliothecarum deperditarum Opus*, id est, perditorum Operum, quorumcunque,tam Græcorum,quàm Latinorum series, in qua concenturiantur tot voluminum tituli cum notis, ut ascendant ferè ad centum millia, ubi videtur quantum detrimenti acceperit Respublica Literaria. 2.) *Antiquorum subterranea*: est de rebus antiquorum celebrioribus inventio, utputa multa, & dissimilia, quæ effodiuntur, & apud Priscos æstimatissimi fuêre pretii. 3.) *De antiquorum genio*: ubi de Gentilium superstitionibus variis per Deos Manes, Lares, Lemures, Larvas, Spectra, Visiones, Umbrarúmque terriculamenta, nonnulla expenduntur. 4.) *De antiquis Collegiis, & Sodalitiis, vel Corporibus, tam publicis quàm privatis, & de Jure, ac Privilegiis eorundem.* 5.) *Hymnodia Veterum, Precationes, Supplicationes, Imprecationésque tam publicæ quàm privatæ ad Deorum pulvinaria & in Larariis.* 6.) *De Summano Deo, seu detestabili Dæmonum adoratione per Gentiles.* 7.) *De Theatro, sive de priscarum Tragœdiarum, Comœdiarum, Fabularúmque repræsentationibus variis.* 8.) *De veterum Triumpho, seu Jure triumphandi, forma, honore, atque præmio.* 9.) *De Senatu, seu de Senatûs Principe, Senatorum dignitate, ornatu, Senatus Consultis, Decretis, quæ Romanorum antiquorum jam in majestatem, & in Rempublicam erant, recentioribus nunc sunt in protoypon ad perfectissimam Politiam constituendam.* 10.) *Musæi Genii ad varia Musæa constituenda specimen, tam apud Principem, quàm apud eruditum virum.* 11.) *Epistolica ad eruditos Viros, seu petitiones consultationésque literariæ.* 12.) *Vicentinæ memoriæ. Antiqua marmora expensa* &c.

Quæ solùm sunt incepta.

1. *De Latinis Familiis, tam in Urbe, quàm in Provinciis*, nec non 2. *Antiquariæ totius Corpus absolutissimum in sex tomos digestum.* Utinam autem tot ejus lucubrationes, præsertim quas ipse jam ferè se absolvisse affirmat, reperiantur; diligenti enim quamvis per amicos investigatione adhibita, ubinam extent, scire minimè se potuisse Abbas Armellinus testatur, cujus conjecturam vide Bibl. Scriptor. è Congreg. Casin. part. 2. pag. 23.

ANGELI MARIÆ QUIRINI S. R. E. Cardinalis *Primordia rerum Corcyrensium ex antiquis monumentis illustrata, SS.mo D. N. Benedicto XIII. dicata*, Licii apud Mazzeum anno 1725. Eminentissimus Author fuerat Archiepiscopus Corcyrensis ab Innocentio XIII. anno 1723. creatus.

-- EJUSDEM *Diptychon Vaticanum*, & ab ipso, & ab aliis Viris doctissimis illustratum. Vid. Authoris Epist. Lat. Decades.

MARQUARDI HERGOTT Magni Cellerarii amplissimi Monasterii ad S. Blasium in Sylva Hercynia *Dissertatio de fide Actorum S. Trutperti, déque Cenotaphiorum Habsburgensium, in Cœnobio Trutpertino repertorum, authoritate ad probandam Genealogiam Habsburgicam.* Quæ Dissertatio ipsum est Prolegomenon II. ad *Genealogiam Diplomaticam Augustæ Gentis Habsburgicæ* Tom. I. Probat verò Eximius Author, Codicem Zwifaltensem à Bernardo Pezio tanti æstimatum, mancum esse & interpolatum, aliísque San-Gallensi multis parasangis inferiorem.

-- EJUSDEM *Dissertatio*, seu *Prolegomenon* III. l. c. *de ætate & authoritate Actorum Murensium.* In his magnum semper præsidiū collocaverant *Franc. Guillimannus, Christ. Hartmannus, Jo. Georgius Eccardus, Bern. Pezius*, aliique quàm plurimi, sed jam olim fidem *Dav. Blondellus*, cùm contra *Chiffletium* arma sumeret, reddidit dubiam. Erravit sanè *Petrescius*, qui primus hunc ex Bibliotheca Parisiensi protraxit Codicem, cùm Seculi XI. reliquias à se putavit evulgari. Innumera sunt, quæ falsitatem assertionis probant argumenta. Scriptus est in papyro usuali, quæ quidem ante Seculum XIV. non invaluit, literis Seculo XIII. exeunti æqualibus, ceu de accentu acuto satis probavit Ven. Abbas Gotwicensis. Ipse textus ante scriptum Codicem vixisse prodit *Anselmum* Abbatem, quem tamen anno 1178. demùm electum, anno 1210. d. 9. Maji diem obiisse supremum, ex chartis fide dignissimis constat. Schema

ma Genealogicum, cujus in Actis mentio injicitur, per generationes singulas tantis scatet erroribus, ut rejiciendum summo jure videatur. Incipit ab *Ita*, Radebonis, Habsburgici Comitis, conjuge, ex sanguine Lotharingico oriunda. Non urgemus, indecorum esse, à fœmina stemmatis ordiri origines; id verò taciti præterire vix possumus, *Radebonem* Comitis Habsburgici titulum nunquam gessisse, sed semper Comitem in pago Clegowe vocitatum, quamquàm ipsum illud castrum, unde nomen circa an. 1114. duxit familia, ejus fundatum sit auspiciis. Quæ cùm ita sint, nemo arbitramur, litem movebit Rev. *Hergotto*, quòd, sine Diplomatum ope nullam esse Murensium Actorum vim atque virtutem, liberè & ingenuè pronuntiaverit. Ita censent Authores Actorum Erud. Lipsf. an. 1738. mense Jan. pag. 3.

SEVERINUS de PEDEPENNIS, Bitontinus, Monachus Benedictinus Sec. XV. qui multùm in recognoscendis homiliis Chrysostomi in Mathæum insudavit, teste Thoma Januensi de Valerano in præfatione ad editionem illarum antiquissimam in Bibliotheca monasterii Farsensis. Vide Mabillonii Iter Italicum pag. 147. Schœttgenius Bibl. med. & inf. Latin. l. 18. p. 456.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *De Laude Scriptorum Manualium Lib. I.* Extat inter Opera ejus Pia & Spiritualia à Joan. Busæo S. J. Moguntiæ an. 1604. excusa in fol.

PETRI COUSTANTII è Congreg. S. Mauri *Vindiciæ Manuscriptorum Codicum à R. P. Bartholomæo Germon S. J. impugnatorum*, in 8. Parisiis anno 1706.

— EJUSD. *Vindiciæ veterum Codicum confirmatæ, in quibus plures Patrum atque Conciliorum illustrantur loci, Ecclesiæ de trina Deitate dicendâ traditio asseritur; Ratramnus & Gotheschalcus purgantur ab injectis suspicionibus; & quædam Pyrrhonismi semina novissimè sparsa reteguntur & convelluntur.* in 8. ibid. apud Joan. Bapt. Coignard. an. 1715.

BENEDICTI BACCHINI, Itali, Parmensis, Abbatis è Congr. Casin. *Epistola* sub nomine *Eleutherii Ilierini à S. Irene* ad Ill.^{mum} D. N. contra librum Patris Germonii de Hæreticis veterum MSS. corruptoribus pro D. Petro Coustant Monacho Ord. S. B. Congregationis S. Mauri; de qua vid. Authores Ephem. Literat. Ital. tom. 35. pag. 31. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 82.

GODEFRIDUS BESELIUS, Abbas Gottwicensis, Prodromi Chronici Gottwicensis Tomo I. Libro I. toto diffusè & exactè docet, MSS. Codicum critica cognitio, quomodo fit instituenda, ubi etiam Monachos antiquarios contra *Joannem Clericum* exculpat. Omninò legenda sunt, quæ tradit.

SECTIO V.

Variorum Autorum Collectiones miscellaneæ.

Spicilegium, sive Collectio veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis delituerunt, olim editum operâ & studio *Lucæ d' Achery*. Nova editio priori accuratior, & infinitis prope mendis MSS. codicum, quorum variantes lectiones *Stephanus Baluze*, ac *Edmundus Martene* collegerunt, expurgata per Ludovicum Franciscum de la Barre Parisiis an. 1724. tres Tom. in fol. Spicilegium isthoc, quod ab anno 1655. ad an. 1677. in XIII. tomis in 4. impressum fuerat, tam multos habuit emptores, ut nulla ferè exemplaria suppeterent. Unde *Edmundus Martene* illius emendandi & iteratis typis exscribendi consilium cepit. Cùm verò aliis literariis laboribus occupatissimus esset, variantes suas lectiones præter alias copias cum Domino de la Barre, Viro docto & erudito, comunicavit, cui etiam ad manum erat exemplar, in quo Baluzius suas lectiones & annotationes ad marginem adscripserat. Vide Cl. Gabr. Wilhelm Gœtten *in dem jezt lebenden gelebrten Europa III. Theils ersten Stuck.* pag. 87.

JOANNIS MABILLONII *Veterum Analectorum* Tomi IV. Omnes prodierunt Parisiis in 8. sed variis annis. Primus anno 1675. Secundus 1676. Tertius 1684. Quartus 1685. Antiqua monumenta non sunt temere, & prout sors offerebat, collecta, & inserta, sed maturo examine selecta,

qualia sunt Opuscula theologica, fragmenta Conciliorum, Chronica, Fundationes Ecclesiarum, & Monasteriorum, Epistolæ Imperatorum, Regum, Summorum Pontificum, & Episcoporum, Inscriptiones, Acta, Formulæ, & alia ejusmodi, quibus pretium addunt collectoris notæ, observationes & dissertationes. Plura alia ejuscemodi monumenta in scriniis reliquit, suo tempore publicanda, inquit Ruinartus in vita n. xxiii. pag. mihi 55.

EDMUNDI MARTENE & URSINI DURAND è Congt. S. Mauri *Thesaurus Anecdotorum Novus*. Parisiis an. 1717. Tom. V. in fol. In primo continentur Epistolæ & Diplomata Magnatum; intexta etiam est collectio Scriptorum Veterum. Tomus II. exhibet collectionem epistolarum Summorum Pontificum, Urbani IV. Clementis IV. Joannis XXII. & Innocentii IV. & quæ ad Papas Avenionenses attinent. Tomus III. complectitur Annales. Chronicon Siciliæ de an. 820. usque 1328. Tomo xii. seu parti vii. Scriptorum Rerum Italicarum Muratorii inserta fuit. In Tomo IV. varia Concilia, Episcoporum Decreta, & communitatum Religiosarum statuta exhibentur. In Tomo V. reperies Scripta quorundam Ecclesiæ Patrum, veluti V. Bedæ, Abailardi, & aliorum, è quibus tamen aliquot non incognita priùs, prælóque jam subjecta fuerant. In doctis Novellis Lipsiensibus de anno 1715. Thesaurus istic non infimam abstulit laudem. Qui Historiam sacram æquè ac profanam non obiter perspectam habere cupiunt, hoc opere carere minimè poterunt. Canonistis, Casuistis, & qui in disciplinam cùm Ecclesiasticam tum Monasticam inquirunt, non minùs necessaria est. Nec ex eorum usu non futurum est, qui in elaboranda historia Traditionum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum desudant. Plura qui de hoc Opere nôsse cupit, legat Journal des Sçavans de anno 1718. mens. Febr. Martio & Aprili; *Europe Savante* de anno 1718. mens. Januario; *Republic der Gelehrten* de an. 1718. & 1719. Memoires de Trevoux de anno 1718. mens. Junio & 1721. mens. Octobr. Giornale de' Letterati d' Italia tomis 31. 33. 35. 36. Bibliotheque ancienne & moderne tom. 15. Acta Latina Eruditorum de an. 1718. mens. Novemb. Denique le Cerf in Bibl. Hist. Crit. ubi *Toutes les pieces*, inquit, *qui composent tous ces recueils &c.* „ Quæ monu„ menta collectionem hanc consti„ tuunt, non sunt ejusdem omnia „ valoris ac præstantiæ: comodùm „ in tres classes dispesci possunt. „ Quædam & antiqua & optimæ „ sunt notæ, neque unquam publi„ cam aspexerunt lucem. Alia typis „ jam excusa ex iterato prælo non „ reddita fuerunt præstantiora. De„ nique nonnulla sunt, quæ ad Le„ ctoris curiositatem seu excitandam „ seu explendam nihil admodùm va„ lent. Neque ea P. Martene The„ sauro suo ex alio fine intexuit, quàm „ ut vario legentium gustui servi„ ret. „

— EORUNDEM MARTENE & DURAND *Veterum Scriptorum* & Monumentorum, historicorum, moralium amplissima Collectio. Tom. IX. Parisiis anno 1724. Vide brevem recensionem apud D. Gettenl. c. p. 84.

Analecta Græca sunt varia *Opuscula Græca* in unum corpus congesta, quæ ex Mss. Codd. eruerunt, Latinè verterunt, & notis illustrârunt Monachi Benedictini Congreg. S. Mauri Tom. I. Parisiis apud viduam Edmundi Martin, Johannem Boudot, & Stephanum Martin anno 1688. in 4. Operam huic tomo suam inprimis impenderunt Domnus *Jacobus Lopin*, qui vitam S. Euthymii, & Stephani junioris Latine interpretatus est, D. Antonius Pouget, qui vitam S. Cyriaci Latinè reddidit, & D. Bernardus de Montfaucon, qui typicum Irenes Augustæ, excerpta ex Heronis Geometria, antiquum Rationarium Augusti Cæsaris & novum Alexii Comneni, & brevissimum Tractatum de ponderibus & mensuris Latinâ versione donavit. Vid. Act. Erud. Supplem. I. Sect. V. pag. 257.

Collectio nova Patrum & Scriptorum Græcorum, Eusebii Cæsariensis, Athanasii & Cosmæ Ægyptii. Hæc nunc primùm ex manuscriptis Codicibus Græcis, Italicis, Gallicanisque eruit, Latinè vertit, notis & præfationibus illustravit *Bernardus de Montfaucon*. Paris. an. 1707. in fol. Tom. II.

WOLFGANGI, Monachi Altahæ Superioris in Bavaria Seculo XIV. insignis *Collectio*, seu Codex Epistolarum, cui multæ Archiepiscoporum, Ducum Austriæ, ac Bavariæ, aliorumque illustrium Virorum literæ insertæ sunt. Asservatur inter mss.tos codices ejusdem antiquissimi Monasterii. Vid. Pez. Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. p. XLV.

ANSEL-

ANSELMI BANDURI *Imperium Orientale*, five *Antiquitates Constantinopolitanæ*, in fol. Parif. an. 1711. Vol. II. Eft Collectio diverforum Tractatuum, qui pertinent ad illuftrandas antiquitates Imperii Orientis. Tractatus primi voluminis funt

1.) *Constantini Porphyrogeniti de Thematibus Libri II. Græcè & Latinè.* Speciem præfert Geographiæ Provinciarum, quæ Imperatoribus Conftantinopolitanis erant fubjectæ.

2.) *Hieroclis Grammatici Synecdemus.* Etiam eft Chorographia, vel notitia provinciarum Imperii Orientalis.

3.) *Constantini Porphyrogeniti Liber de administrando Imperio.* Hic Tractatus, qui magis hiftoricus, quàm politicus eft, complectitur res excellentes, quæ hujus Imperii hiftoriam medii ævi illuftrant.

4.) AGAPITI Diaconi *Capita admonitoria ad Justinianum imperatorem.*

5.) BASILII Imperatoris *Capita exhortationum ad Leonem filium.* Duo ifti Tractatus Dogmata moralia vel politica continent, hiftoriæ nihil.

6.) TEOPHILACTI Archiepifcopi Bulgariæ *Institutio Regia ad Porphyrogenitum Constantinum.* Pars prima hujus Tractatûs parùm hiftoriæ, altera verò multùm doctrinæ moralis complectitur.

7.) *Anonymi Origines Constantinopolitanæ Libri IV.* In hoc Opere de Topographia Urbis Conftantinopolitanæ non jejunè pertractatur.

8.) *Anonymi breves enarrationes Chronographicæ.*

9.) *Nicetæ Choniatæ de Statuis Constantinopolitanis.*

10.) *Catalogi varii Patriarcharum, & Imperatorum Constantinopolitanorum.*

11.) PETRUS GILLIUS *de Bosphoro Thraciæ.*

12.) EJUSDEM *Topographia Constantinopoleos, & ejus antiquitates.*

13.) *Vetus Descriptio Urbis Constantinopolitanæ tempore Arcadii & Honorii.*

Cùm nova hujus Collectionis editio Venetiis pararetur, admiratio Cl. Bandurium meritò tenuit, quòd ejus operam Typographi Veneti pro novis acceffionibus faciendis haud follicitârint: quandoquidem in promptu ipfi fuiffet, novam *post Teophanem* Scriptorum collectionem fuppeditare, qui inter MS. Codd. regiæ Bibliothecæ affervantur.

Alterum volumen complectitur octo libros Antiquitatum Conftantinopolitanarũ, quibus accedunt quàm plurimæ tabulæ, chartæ, figuræ ex antiquiffimis monumentis depromptæ. Author nullum librum primæ partis eximium abire paffus eft, quem notis non illuftraret. *Vid. Langlet Cat. Hist. Tom. 3. pag. 250.*

BERNARDI PEZII Bibliothecarii Mellicenfis *Thesaurus Anecdotorum Novissimus*, feu *Veterum Monumentorum, præcipuè Ecclesiasticorum, ex Germanicis potissimùm Bibliothecis adornata Collectio recentissima.* Tomus I. II. & III. Aug. Vindel. & Græcii, fumptibus Philippi, Martiui, & Joannis Veith, Fratrum an. 1721. in fol. Alph. 36. Ipfi verò Scriptores, librorúmque tituli, ut & ipfe Pezius in fronte cujuslibet Tomi facere confuevit, in Actis Eruditorum Lipfienfium hoc ordine recenfentur.

Tomi I. P. I. 1.) *Notkeri Balbuli* Liber de Interpretibus Divinarum Scripturarum. *Notkerus* San-Gallenfis Ord S. Bened. obiit an. DCCCCXII. col. 1. 2.) Ejusdem Liber Sequentiarum, quæ ad Miffas dici folebant. col. 17. 3.) *Angelomi* Monachi & Diaconi Luxovienfis Ord. S B. qui anno Chrifti DCCCCXXXV. floruit, Comentarius in Genefin. col. 45. 4.) *Candidi* Presbyteri, B. Alcuini difcipuli, Expofitio Paffionis Domini noftri Jefu Chrifti. col. 241. 5.) Ejusdem Epiftola: num Chriftus corporeis oculis Deum videre potuerit? col. 309. 6.) Anonymi, fortè Cœnobitæ Lunælacenfis Ord. S. Benedicti, Gloffarium Latino - Theodifcum in Biblia facra. col. 319. 7.) Mifcellanea Theodifca ex diverfis Mfs. Codicibus collecta, & in duas partes diftributa. col. 373. 8.) Engelberti Abbatis Admontenfis Ord. S Bened. qui fub Rudolpho Habfpurgico Imp. claruit, Epiftola de ftudiis & fcriptis fuis. col. 429. 9.) Ejusd. Liber de Caufis Longævitatis Hominũ ante diluvium. col. 439. 10.) Ejusd. Tractatus feu Liber amplus de Gratiis & Virtutibus B. Mariæ. col. 505.

Tom. I. Pars II. 1.) S. Pafchafii Radberti, Corbeienfis in Francia Abbatis Ord. S. Ben. de Fide, Spe, & Charitate Libri III. col. 1. 2.) Gerberti, poftea Sylveftri II. Pont. Max. Ord. S. Ben. Libellus de Corpore & Sanguine Domini. col. 133. 3.) Ejusd. libellus ad Ottonem III. Imp. de Rationali & ratione uti. col. 149. 4.)

Ger-

Gerhohi Præpositi Reicherspergensis Ord. Canon. Regul. S. Augustini, qui Seculo XII. celebris fuit, Liber de Gloria & Honore Filii Hominis. col. 165. 5.) Ejusdem liber adversùs duas Hæreses sui temporis. col. 283. 6.) Ejusdem Epistola de sensu verborum S. Hilarii & Athanasii de æqualitate & inæqualitate Christi cum Deo. col. 317. 7.) Ejusdem Epistolæ aliquot anecdotæ. 329. 8.) Adami Præmonstratensis Candidæ Casæ in Scotia Abbatis & Episcopi Soliloquiorum de Instructione Animæ Libri II. col. 337. 9.) Richalmi, Abbatis Speciosæ Vallis in Franconia Ord. Cisterc. Revelationes de Insidiis & Versutiis dœmonum. col. 375. 10.) Alani Magni Ordin. Cisterc. Libri V. de Arte Catholicæ Fidei ex rationibus demonstrata. col. 475. 11.) Henrici de Hassia Liber adversùs Telesphori Eremitæ Vaticinia de ultimis temporibus. col. 507. 12.) Joannis, fortè Gersenis, Abbatis liber aureus de Professione Monachorum. col. 567

Tomi I. Pars III. 1.) Codex diplomaticus Ratisbonensis. col. 1. 2.) Codex Traditionum Sanct-Emmerammensium. 81. 3.) Anamodi Subdiaconi Traditionum Sanct-Emmerammensium Seculo IX. factarum Lib. II. 195. 4.) Agii Monachi Ordinis S. B. de vita S. Hathumodæ primæ Abbatissæ Gandersheimensis Liber 289. à Cl. Eccardo in Quaternione Monumentorum veterum editus, & à nobis nuper memoratus. 5.) Ejusd. Dialogus metricus de obitu S. Hathumodæ, 309. qui & apud Eccardum extat. 6.) Anonymi Zwetlensis Ord. Cisterc. Historia Romanorum Pontificum à S. Petro usque ad Cœlestinum III. 329. 7.) Gerhohi Præpositi Reicherspergensis Liber de vita BB. Abbatum Formbacensiũ Berengeri & Wirntonis 339. 8.) Angeli Rumpleri Abbatis Formbacensis Historia Monasterii sui. 425. 9.) Joannis Wirzburgensis descriptio Terræ Sanctæ. 485. 10.) Alberti Oberaltahensis Ord S. B. Liber de vita S. Alberti Oberaltahensis. 537. 11.) Jodoci Metzleri San-Gallensis de Viris Illustribus Monasterii sui, Libri II. 557. 12.) Joannis Egonis, Prioris Augiensis O. S. B. de Viris illustribus Monasterii sui Tractatus. 629.

Tomi II. Pars I. 1.) B. Flacci Alcuini opusculum de Comparatione Veteris & Novi Testamenti à denario numero usque ad unum cum Epistolis VII. ad Arnonem Antistitem Salisburgensem. col. 1. 2.) S. Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis Paraphrasis Psalmi L. col. 13. 3.) Erhardi de Lainiz Abbatis Petrensis, Paraphrasis Psalmi XII. 23. 4.) Walafridi Strabonis, Augiensis Abbatis O. S. B. Homilia de Genealogia Christi. 41. 5.) Theodorici Canonici Paterbrunnensis Commentatio in Orationem Dominicam. 59. 6.) Honorii Augustodunensis Ord. S. Bened. circa annum MCXX. Hexaemeron. 71. 7.) Ejusdem de X. Plagis Ægypti spiritualiter. 91. 8.) Idem in Psalmos selectos. 97. 9.) Ejusdem Scala Cœli major. 157. 10.) Ejusd. Scala Cœli minor. 173. 11.) Ejusd. Summa Gloria de Apostolico & Augusto. 179. 12.) Ejusdem Liber XII. Quæstionum. 201. 13.) Ejusd. Libellus VIII. Quæstionũ de Angelis & Homine. 215. 14.) Ejusdem Libellus de Animæ Exilio & Patria. 228. 15.) Ejusdem Libellus de Libero Arbitrio. 237. 16.) Ejusdem Sacramentarium. 249. 17.) Ejusdem Eucharisticon seu Liber de Corpore & Sanguine Domini. 349. 18.) Ejusdem de vita Claustrali 363. 19.) Irimperti Abbatis Admontensis Ord. S. Bened. Commentarius in Cantica Canticorum. 369. 20.) Ejusdem Liber de X. Oneribus Isaiæ. 427. 21.) Thomæ Abbatis Vercellensis ad S. Andream Ord. Can. Regul. S. August. Commentarius Hierarchicus in Cantica Canticorum. pag. 503.

Tom. II. Pars II. 1.) Maxentii Patriarchæ Aquileiensis Epistola de ritibus Baptismi ad Carol. M. col. 1. 2.) Adelheri Episcopi Ord. S. Bened. ad Nonsuindam Reclusam Admonitio de laude Charitatis, seu Liber de studio Virtutum. 19. 3.) Galtheri Veteris Theologi Liber de Trinitate. 53. 4.) Placidi Nonantulani Episcopi Liber de Honore Ecclesiæ. 75. 5.) Helperici Monachi San-Gallensis liber de Computo Ecclesiastico. 183. 6.) Gerhohi Præpositi Reicherspergensis Liber de Ædificio Dei, seu de studio & cura disciplinæ Ecclesiasticæ. 225. 7.) Ejusdem Dialogus de differentia Cleri Regularis & Secularis ad Innocentium II. Pont. Max. 439. 8.) Idungi Cœnobitæ Emmeramensis, circa annum MCXC. Liber IV. Quæstionum de Clericis, Monachis, & Sanctimonialibus. 507. 9.) Anonymi Benedictini circa Seculum duodecimum Dialogus de esu volatilium. 545. 10.) Joannis de Spira, Prioris Mellicensis, circa annum MCCCCXXX. Tracta-

tus

tus de esu carnium monachorum infirmorum. 569. 11.) Antiquus & amplus Ordo publicè pœnitentium. 611. 12.) Ordo diffusior probandi homines de crimine suspectos per ignitos vomeres &c. 635.

Tomi II. Pars III. 1.) Supplementum Historiæ Miraculorum S. Mathiæ Apost. Autore Anonymo Benedictino Trevirensi. col. 7. 2.) Acta S. Christophori Martyris versu & prosa descripta à Walthero Subdiacono Spirensi, qui Ottone III. imperante floruit. 29. 3.) Acta integra, & hactenus inedita Miracula S. Herculani Ep. Perusini & Martyris, autore Anonymo Perusino. 125. 4.) S. Liutbirgis Reclusæ in Diœcesi Halberstadiensi Sec. IX. Vita, autore Anonymo. 147. 5.) Vita S. Alberti Archiepiscopi Casellensis in Hybernia. 181. 6.) Ludus Paschalis sub Friderico I. Imp. de Adventu Antichristi in scena exhibitus. 187. 7.) Henrici Archidiaconi Salzburgensis & Præpositi Berchtolsgadensis Historia Calamitatum Ecclesiæ Salzburgensis sub Adelberto Archiepiscopo. 199. 8.) Vita Chunradi I. Archiep. Salzburgensis, autore Anonymo Reitenhaslacensi Ord. Cisterc. Synchrono. 221. 9.) Vita S. Alrunæ Marchionissæ Chambensis, antore Anonymo Nideraltahensi Ord. S. Ben. 253. 10.) Ludovici Barbi, Episcopi Tarvisini Ord. S. Ben. Liber de initio & progressu Congregationis S. Justinæ de Padua, nunc Cassinensis. 269. 11.) Vita B. Nicolai de Prussia, autore Juliano Januensi. 311. 12.) Anonymi Epistola de rebus anni MCCCCLVI. 342. 13.) Monumenta vetera Res S. Simperti Episcopi Augustani illnstrantia. 354. 14.) Georgii Prioris Gemnicensis Ord. Carthus. Diarium peregrinationis transmarinæ per Ægyptum & Syriam. 455.

Tomi III. Pars I. Hervei Monachi Dolensis Commentariorum in Isaiam Prophetam Libri VIII.

Tomi III. Pars II. 1.) Gerberti, postea Sylvestri II. P. M. Geometria. col. 5. 2.) Ejusdem Epistola ad Adelboldum Episcopum Trajectensem de causa diversitatis arearum in Trigono æquilatero. 82. 3.) Adelboldi Episc. Traject. Libellus de ratione inveniendi crassitudinem Sphæræ. 86. 4.) B. Hermanni Contracti Monachi Augiens. Liber de Mensura Astrolabii. 94. 5.) Ejusdem de utilitatibus Astrolabii. Libri II. 108. 6.) S. Othloni Monachi Sanct-Emmeramensis Dialogus de tribus Quæstionibus, id est, de divinæ pietatis agnitione, judiciorúmque divinorum diversitate, & de varia bene agendi facultate. 141. 7.) Ejusd. Epistola de permissionis bonorum & malorum causis. 251. 8.) Ejusdem liber de Cursu Spirituali. 257. 9.) Ejusdem Narratio de quodam miraculo, quod nuper accidit cuidam Laico. 398. 10.) Ejusdem Liber de Admonitione Clericorum & Laicorum. 402. 11.) Ejusdem Liber metricus de Doctrina Spirituali. 430. 12.) Ejusdem Liber Proverbiorum. 484. 13.) Ejusdem Sermo in Natali Apostolorum. 538. 14.) Ejusdem liber visionum tum suarum, tum aliorum. 545. 15.) Ejusdem præfatio in vitam S. Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis à se emendatam. Accessit Vita quædam Rhytmica ejusdem Sancti. 614. 16.) Petri Abaëlardi Ethica, seu Liber: Scito te ipsum. 626.

Tom. III. Pars III. 1.) Viti Arnpeckii Prioris Ebersperegensis Chronicon Bajoariæ Libris V. col. 1. 2.) Monumenta vetera historiam inclyti Monasterii Tegernseensis in Bavaria illustrantia. 1. Historia fundationis Monasterii Tegernseensis, autore, ut videtur, Froumundo Monacho Tegerns. 2. Chronicon Monasterii Tegernseensis à prima origine ad nostra usque tempora. 3. Historia consecrationis Ecclesiæ Tegernseensis & Altarium. 4. Tres vetustissimæ Sequentiæ de S. Quirino Rege & Martyre Tutelari Tegernseensi. 473. 3.) Monumenta vetera historiam inclyti Monasterii Benedicto-Burani illustrantia. 1. Breve antiquum Chronicon Benedicto-Buranum. 2. Rerum Benedicto-Buranarum notitiæ antiquæ. 3. Epistolæ Benedicto-Buranæ. 4. Anonymi Benedicto-Burani Historia Fontis Salutis. 595. 4.) Codex diplomaticus inclyti Monasterii Admontensis in Stiria O. S. Ben. 657.

Postquàm hoc ordine Clarissimi Authores *Actorum Eruditorum Lipsiensium* Scriptores, eorúmque titulos, qui in primis tribus Tomis Novissimi Thesauri Anecdotorum habentur, accuratè recensuerunt, in hæc verba & vota proruperunt: *Utinam & brevi prodeant reliqui Thesauri hujus Tomi! quibus si Theologici argumenti paulo minùs, historici verò plurimum inseruerit Rev. Author, haud ampliùs Gallis Dacherios suos, vel Bal-*

uzios ac Martenios invidebimus. Non præclarè minùs sentit *Christianus Gottlieb Buderus Ducalis & Academicæ Bibliothecæ Jenensis Præfectus*, qui Vir Doctissimus in Dissertatione Epistolari de Bibliotheca Diplomatica Germanica Cl. Bernardum Pezium his verbis alloquutus est: „ Loquitur in„signem Tuam mirabilémque prorsus „in tractandis, legendis, judicandis„que Codicibus, manu quandoque „flagitiosissimè scriptis, & carie, pu„tredine, antiquitate ferè exesis pe„ritiam Novissimus ille Tuus Anec„dotorum Thesaurus, tribus majo„ris formæ & molis voluminibus ex„cusus, quibus inter alia bonæ no„tæ Opuscula Ecclesiastica, nobis „Codicem Diplomaticum Ratisbo„nensem, Codicem Traditionum „Sanct - Emmeramensium Seculo IX. „factarum, Libros II. aliáque plura „Diplomatica cimelia adornasti, & „cuncta eruditissimis Præfationibus „illustrâsti. „ Hæc V. C. *Buderus*. Quoties, quámque honorificè *Joannes Albertus Fabricius*, Vir cùm doctrina tum prudentia summè conspicuus, Thesaurum Pezianum in Scriptis suis toti Orbi literario laudaris allegat, in testem vocat, atque ad eum provocat? Nec de eo Germani solùm, sed exteri etiam Scriptores honorificè sentiunt. Unius solùm eruditissimi Abbatis Langleti du Fresnoy verba adscribo: *Outre un nombre considerable d' ouvrages dogmatiques des anciens auteurs, qui sont contenu dans cette collection, qui est très ample, on y trouve encore beaucoup de pieces historiques pour la connoissance de la Germanie & des derniers tems de l' Empire d' Allemagne.* id est: *Præter veterum Authorum Opera dogmatica & Theologici argumenti, quæ in isthac admodùm ampla collectione magno numero continentur, in eadem etiam extant multa historica monumenta, quæ ad cognitionem rerum Germanicarum, & posteriorum temporum Imperii Alemannici conducunt.* Proh! quàm longè alia, multúmque diversa sunt hæc ab iis, quæ *Modestus Taubengall* non immodestè minùs, sed nullo planè judicio contra Bernardi Pezii *Novissimum Thesaurum Anecdotorum* chartis illinere non erubuit, quem ad nihil aliud esse utilem effutiit, quàm ut *piperi cucullum* faciat. Quo tamen convitio, aliisque id genus insu[l]sis dicteriis & scommatibus majorem vel livoris, vel ignorantiæ notam sibi ipse, quàm Adversario apud viros doctos, rerúmque prudentes inussit.

PLACIDUS AMBOS, Mellicensis, insignis Antiquarius, magna sedulitate collegit, Glossisque necessariis instruxit sex sequentes veteris ævi Scriptores Germanicos, qui sunt:

I.) *Glossæ Theotiscæ* in Curam Pastoralem S. Gregorii M. ab annis octingentis scriptæ, quæ in vetustissimo Codice Bibliothecæ San - Florianensis in Austria superiore servantur.

II.) Insignis Codex Collegii Hospitalensis manû Seculi XIII. ineuntis pereleganter exaratus, quo breves Sermones pro concione ad populum habiti per Dominicas & Festa totius anni continentur.

III.) Versio Regulæ S. Benedicti Abbatis Seculo itidem XIII. adornata, quæ extat in volumine membranaceo Monasterii Aspacensis in Bavaria.

IV.) Anonymus Poëta in Bibliotheca Cluniacensi conservatus, qui eodem Seculo XIII. vixit, & Historias Biblicas à Genesi usque ad Librum IV. Regum, aliorúmque populorum gesta, præsertim verò Bellum Trojanum Rhytmis Germanicis persecutus est.

V.) Wolfframus de Eschenbach, Poëta pariter Seculi XIII. qui Bellum quoque Trojanum, aliorúmque Heroum Acta descripsit, & in Bibliotheca Gottwicensi adservatur.

VI.) Incerti nominis Mellicensis Benedictini Poëmara Moralia, in codice membranaceo annorum 400. eleganter scripto, publica luce dignissima.

Hactenus enumeratos sex Scriptores, aliáq; plura illustrandæ veteri nostræ linguæ vernaculæ inservientia præclara monumenta noster A. R. P. *Placidus Ambos* ab aliquot annis magna sedulitate collegit, Glossisque necessariis instructa propediem in publicos usus evulgabit. Ita Hier. Pezius in præfatione ad Glossarium, quo Germanicæ voces obscuriores & obsoletæ in Ottocari Horneckii Chronico occurrentes explanantur.

JOANNIS FRANCISCI à Brixia Congreg. Casin. Collectio, quâ habentur:

1.) Vita Divi Benedicti, sive Dialogus S. Gregorii de eadem.

2.) Epistola B. Benedicti ad Remigium.

3.) Regula ejusdem cum expositione DD. Joannis de Turrecremata Cardinalis.

4.) Or-

4.) Ordo sive modus profitendi sub eadem Regula.

5.) Regula S. Basilii, ac vita ipsius breviter proposita.

6.) Regula S. Augustini, ac vitæ ipsius Epilogus.

7.) Regula & vita S. Francisci Seraphici cum expositione in eandem Regulam ex Clementinis.

8.) Pulchra quædam de laude ac bono Religionis.

Prodiit hæc Collectio Venetiis anno 1500. in 4. & Rothomagi anno 1510. in 4.

Floriacensis Vetus Bibliotheca Benedictina, Sancta, Apostolica, Pontificia, Cæsarea, Regia, Franco-Gallica ad Henricum IV. Christian. Franciæ & Navarræ Regem, ac Mariam Mediceam Reginam cum utroque Xysto ad diversos, operâ Joannis à Bosco Cœlestini Lugdunensis, nunc primùm è latebris emersa, ac Antiquariorum usui exposita. Lugduni apud Horatium Cardon an. 1605. in 8.

JACOBI du BREUL, Prioris celeberrimi Monasterii S. Germani à Pratis

Collectio Operum à variis Autoribus lucubratorum, Parisiis apud Ambros. & Hier. Drovart anno 1602. fol. Sunt verò

1.) Aimoini Monachi libri v. de Gestis Francorum.

2.) Ejusdem Aimoini libri duo de Inventione & Translatione Corporis S. Vincentii Levitæ & Martyris, nunquam antea impressi.

3.) Abbonis discipuli Aimoini libri duo de obsessa à Normannis Lutetia.

4.) Chronicon Casinense Leonis Marsicani, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarii.

5.) Inventio SS. Corporum Placidi Abbatis, ac Sociorum ejus Martyrum.

6.) Liber Miraculorum B. Mauri Levitæ & Abbatis, hactenus prælo typographico ignotus.

7.) Benedictina à Benedicto Papa XII. nomen sortita. Et alia plura, quæ post indicem capitum Aimoini recensita offendes.

Eminent. Card. ANGELUS MARIA QUIRINUS collegit, atque in lucem edidit

Francisci Barbari, & aliorum ad ipsum *Epistolas*, ex duplici MSS. codice Brixiano & Vaticano uno depromptas ab anno Christi 1425. ad an. 1453. Præmittitur Diatriba in duas partes divisa, quarum prima de Francisci Barbari in Latinis & Græcis literis præstantia à Viris doctis ejus ætatis magno in pretio habita; altera de pacis & belli artibus, quibus Franciscus Barbarus Remp. domi forisque administravit, differitur. Subsequitur ampla earum epistolarum mantissa ex Forojuliensibus Biblioth. Guarnerianæ Mss. fol.

-- Ejusdem Em. Card. studio & opera prodiit insignis Collectio Epistolarum Reginaldi Poli S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipsum, Partibus III. comprehensa, quarum I. prodiit Brixiæ typis Jo. Mar. Rizzardi anno 1744. fol. Altera ibidem an. 1745. fol. Tertia an. 1748.

MAGNOALDI ZIEGELBAUER Collectiones duæ Epistolarum Virorum illustrium Ord. S. B. Prima complectitur Epistolas de Rebus Literariis scriptas ab antiquissimi ævi Benedictinis per XIII. secula ad nostram usque ætatem. Hæcque Collectio esse potest adinstar Codicis Probationum Historiæ Literariæ à Benedictinis omni ævo excultæ. Altera complectitur Epistolas selectas de Moribus ac Officiis Christianis, maximè Monasticis, & Regularibus. Utraque Collectio prælo parata, ab Ill. Comite de Giannini post authoris mortem surrepta est.

Huc quoque referenda *Analecta Oliveriana*, sive *Miscellanea R. P. Oliverii Legipont opuscula*, *Epistolæ*, *dissertationes*, *variâque erotemata* ab eodem in unum comportata, & parergis exornata, duobus justæ molis voluminibus in fol. comprehensa.

SECTIO VI.

Scriptores inediti, seu Anecdota.

INgens est Benedictinorum vis ac multitudo, quorum Scripta nondum exscripta, & maximam partem nunquam exscribenda, in variis Ordinis nostri asservantur monasteriis; in quibusdam etiam tam exiguâ curâ, ut alia jam in deperditis habeantur, alia ægrè se à blattis ac tineis tueantur. Unde operæ pretium facturus esse videtur, qui eorum catalogum vel

P. Ziegelbauer Hist. P. IV. Tttt 2

vel Bibliothecam conficere velit. Nos pro instituto nostro paucos è multis, eósque tantùm, qui se nobis quasi aliud agentibus, inter lucubrandum ultrò obtulerunt, loco speciminis proferemus.

VEN. BEDÆ inter Opera unum est de *Indigitatione*, seu de arte numerandi per digitos, ab antiquis olim usitata. Inveni, ait Mabillonius Annal. Bened. Tom. II. pag. 100. in quadam membrana semilacera monasterii S. Petri Carnutensis varias figuras, quæ totam hanc artem oculis subjiciunt. Ejus specimen hoc loco dare visum erat: sed fortè meliùs in aliam occasionem differetur. Bedæ verò libellum de Indigitatione pro supposititio habuit Petavius, non item Aventinus.

BEATI Levanensis Asturis, Hispani Abbatis, de quo jam aliàs, *Commentaria*, sive Catena Patrum in *Apocalypsin*, quæ laudant Lud. Alcasar pag 89. Mabillonius, & alii, nemo autem hactenus in lucem protulit. Fabric. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 491.

MILONIS Monachi S. Amandi ad fluvium Elnonem in Belgio in diœcesi Tornacensi, scientiâ literarum clari circa an. 840. & deinceps usque ad an. 871. *De S. Cruce carmen hexametrum* duplex, in modum sphæræ ingeniosissimè compositum Manuscr. Elnone ad S. Amandum, teste Miræo ad Sigeberti cap. 105. Fabricius l. c. lib. XII. pag. 241.

OTFRIDI Monachi Weissenburgensis *antiqua Theotisca Paraphrasis in Psalterium*, *Orationem Dominicam*, & *varia Cantica sacra*.

– EJUSDEM *variæ Homiliæ Theotiscæ*, *antiqua formula Theotisca*.

– EJUSDEM *Symbolum Apostolicum antiqua lingua Theotisca*.

– EJUSDEM *Symbolum Athanasianum antiqua lingua Theotisca*: de quibus vide Lambecium in Bibl. Cæsar. lib. 2. quo teste in eadem MSS.ta asservantur.

MARIANI SCOTI, Monachi Fuldensis, *Concordia Evangelistarum* Manuscr. in Bibl. Cottoniana.

– *Scholia interlinearia*, & *marginalia* in Epistolas Pauli ἀντίγραφον Manuscr. in Bibl. Cæsar. teste Lambecio Tom. 2. pag. 749. Fabric. l. c. p. 198.

MEGINFREDI ex Scholastico Fuldensi Magdeburgensis Præpositi, inter Historicos eximium locum promeriti Libri XXIV. historiarum, quas nemo adhuc, quod sciam, inquit Fabric. l. c. p. 198. protulit in lucem.

PAULI DIACONI 1.) *Expositio Regulæ S. Benedicti.* 2.) *Versus de miraculis S. Benedicti.* 3.) *Gesta Episcoporum Papiensium* inedita, nec unquam fors edenda, quia vero est simillimum, quod à multo jam tempore exciderint.

RATHERII ex Monacho Laubiensi Episcopi Veronensis diversa nondum edita opuscula in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis habentur: quorum inscriptiones admodùm obscuras vide apud Pezium Dissert. Isag. Tom. I. Thes. Anecdot. Noviss. pag. XXVII. Quia verò in Ratherii Opusculis cùm editis tum ineditis notatu dignissima occurrent, operæ pretium fore existimat Jo. Alb. Fabricius Bibl. inf. Lat. Vol. 6. p. 149. si ex iisdem perlectis, tum historicis illorum temporum consultis, nova ejus vita à Viro docto conscribatur; quam enim dedit Mabillonius Sec. V. Bened. pag. 478. pro instituto ipsius bona est, sed nondum sufficit ad plenam rerum ad illum spectantium scientiam.

REGINONIS Abbatis Prumiensis *Epistola de harmon. institutione ad Radbodum Archiepiscopum Trevirensem*, quibus in Bibliothecis MSS.ta asservetur, hujus Libri Cap. III. Sect. III. §. IV. diximus.

ALBERICI ex Monacho Casinensi S. R. E. Cardinalis Sec. XI. *Scripta inedita* 1.) De Virginitate B. Mariæ, egregium volumen, & de Assumptione ejusdem Hymni tres. 2.) Dialogus de Musica. 3.) De diversis Dictaminibus & Salutationibus. 4.) De Dialectica. 5.) Passiones SS. Modesti & Cæsaris. 6.) Vita S. Dominici Abbatis & S. Scholasticæ Virginis. 7.) Homiliæ item aliquot de S. Scholastica. 8.) Hymni de Paschate, de Ascensione, de S. Cruce, de die judicii, de pœnis inferni, de gaudio Paradisi, de Monachis. 9.) Carmina de S. Paulo, de S. Apollinare, de S. Nicolao, de S. Scholastica. 10.) Epistolæ plures ad diversos. Scripsit & alia, teste Petro Diacono, quæ ad nostram notitiam, inquit Cl. Eggsius in Purpura Docta lib. 1. p. 34. non pervenerunt. Alberici lucubrationes omnes habentur MSS. in Bibliotheca Cœnobii S. Crucis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Florentinæ. Vita quoque S. Scholasticæ asservatur in Bibliotheca Monasterii Cassinensis.

EAD-

EADMERI, fidissimi Achatis S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis *Anecdota* in Angliæ Bibliothecis delitescunt, quarum Catalogi ei consulendi sunt, qui Bibliothecam MS.torum Codicum Ordinis nostri Sodalium concinnaturus est; quàm plurima enim eorum Scripta in iisdem recensentur.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis *Opus ex Libris Regum de glorioso Rege David*, cujus ipse meminit in prooemio ad librum de Divinis Officiis. Vide plura Anecdota apud Schöttgenium Bibl. med. Lat. l. 17. pag. 388.

ALULFUS, Monachus Benedictinus S. Martini Tornacensis circa an. 1096. *Paterii* exemplo, & *Odonis* Abbatis sui, posteáque Episcopi Cameracensis precibus, ex *Gregorii M.* scriptis collegit expositionem Veteris & Novi Testamenti tomis IV. eísque nomen *Gregorialis* imposuit. Tomi duo primores loca Veteris Testamenti, tertius Novi continet, quartus est de variis argumentis, & Ondino de S. E. Tom. II. pag. 656. teste, qui MS.tum Opus in variis Bibliothecis Galliæ evolvit, libris XVI. distinguitur. *Prologum* edidit Mabillonius Tom. I. Analect. pag. 312. (editionis novæ in fol. pag. 131.) *Liber tertius in Novum Testamentum* lucem vidit Parif. anno 1516. in 4. & eodem anno Argentorati per Joannem Knoblauchium: & sub Paterii nomine inter Opera Gregorii M. an. 1553. Romæ in fol. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 205.

HIERONYMI de WERDE, Monachi Lunælacensis seculo XV. *Tractatus de universis dubiis, quæ in Regula S. P. Benedicti possunt occurrere*, asservatur in Bibliotheca Monasterii Rotensis in Bavaria. Alia & propè innumera Auctoris anno 1475. defuncti opuscula in diversis Bibliothecis reperiuntur, intérque ea *Tractatus de duratione & annis Mundi ab Adamo usque ad Christum*, scriptus adversùs Ven. Johannem de Weilheim Priorem Mellicensem. Vid. Bern. Pez. Dissert. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. Nov. pag. x.

THEODORUS à CRUCE Monachus Benedictinus è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi anno 1628. novam S. Hidulfi vitam Gallicè conscripsit, neque tamen vulgavit. Videsis Historiam Mediani Monasterii anthore *Bellhomme* ejusdem celebris Monasterii Abbate.

PETRI BERCHORII plura Anecdota. I. Breviarium historiarum Bibliæ. II. Inductorium Morale. III. *Reductorii* Liber XV. de Poëtarum fabulis. IV. Ejusdem *Reductorii* Liber XVI. de figuris S. Scripturarum. V. Versio Gallica Titi Livii. VI. Naturalium exemplorum Libri III VII. *Allegoriæ* in libros Metamorphoseos Ovidii.

ALGERIUS ex Canonico & Scholastico Ecclesiæ Leodiensis monachus Cluniacensis longè doctissimus, teste Nicolao Leodiensi, *antiquam dignitatem Leodiensis Ecclesiæ relatione & scriptis majorum adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam ad subsidium memoriæ scriptam reliquerit.* Sed non lucem vidit illa lucubratio, sicut nec Carminum liber, nam & versu valuisse Trithemius cap. 328. de S. E. & Lib. II. cap. 90. de Illustr. Benedictinis est testatus.

GAUFFREDUS de COLLONE Monachus S. Petri Vivi in suburbio Senonensi ante annos quadringentos & quinquaginta Chronica de Gestis Archiepiscoporum Senonensium, nondum typis vulgata, condidit. Mabill. Itin. Burgund. pag. 2.

PHILIPPUS BASTIDE è Congreg. S. Mauri præter *Dissertationem de Ordinis Benedictini Gallicana propagatione typis editam* an. 1672. permulta alia elucubravit opera, quæ prælo tamen nunquam fuêre subjecta, & quorum ipse syllabum texit in præfatione ad dictam Dissertationem.

PETRUS OWER Asceta Petrhusanus, ut erat integerrimæ vitæ, ita præclara ingenii sui ornamenta posteris reliquit in suis libris, quà impressis, quà MS.tis, quos ultra viginti cœlestis doctrinæ & odoris plenos indefesso studio contexuit. V. Felix Egger in Idea O. S. B. lib. 2. p. 555.

SEBASTIANUS RÖHR, Monachus Imperialis Monasterii Ottoburani, pluribus annis Philosophiæ & Theologiæ Professor in Universitate Salisburgensi, demùm ad monasterium redux tum conscribendis libris asceticis, tum animarum curæ totum se impendit, donec in Benningensi Parochia peste laborantibus diu noctúque subveniendo ipsémet lue infectus occubuit anno 1650. Præter typis vulgata ab eo relicta fuêre 1.) *De exercitio & occupatione Monachorum privata* MS. 2.) *De jure publicè docendi Monachorum* S. B. MS. 3.) *Exercitia Spiritualia* MS. 4.) *De Perfectionibus divinis*

vinis MS. 5.) *De S. Angelo Custode* MS. 6.) *De S. Eucharistia* MS. 7.) *De mediis sese ad Deum verè convertendi & proficiendi.* MS. 8.) *De fiducia habenda in Deo præcipuè in agone.* MS. 9.) *Liber de obligatione recitandi Psalmos Graduales, Pœnitentiales, Officium Defunctorum, & B. M. V. extra chorum.* MS. 10.) *De Tristitia.* MS. 11.) *De Peccatis venialibus.* Vitam verò Sebastiani verè religiosam pluribus descripsit P. *Alphonsus Krez* Ottoburanus in præfat. ad ejusdem *Opuscula sacra posthuma*, qui proin consuli poterit. Ex Hist. Salisburg. Univers. Lib. II. cap. VII. p. 419.

ODONIS ex Priore Cantuariensi Abbatis S. Martini de Bello plura & egregia Manuscripta recenset Oudinus, & ex eo Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XIV. p. 455.

VALERII Abbatis Monasterii S. Petri de Montibus totâ Hispaniâ inclyti circa annum DCLXXV. florentis Anecdota

1.) *De vana seculi scientia.*

2.) *De vita & sancta peregrinatione* fœminæ cujusdam sanctæ Eucheriæ nomine ad Bergidenses Monachos Epistola.

3.) *Historia brevis Dona - Dei Abbatis.*

4.) *De quibusdam miraculis & revelationibus* duorum Monachorum Maximi & Bonelli, ejusdémque S. Fructuosi famuli.

Hæc & alia plura reperiuntur in Ovetensis Ecclesiæ Codice mſ.to, quem se vidisse Morales testatur, lib. 12. cap. 51. Horum etiam ferè omnia se inter ἀνέκδοτα asservare scribit Card. Aguirre apud Nicol. Ant. in Bibl. vet. Hisp. Tom. I. pag. 302.

PETRI BOHERII ex Abbate S. Aviani, Episcopi Urbevetani & S. R. E. Cardinalis Scripta sunt pleraq; adhuc inedita, & in Bibl. San-Germanensi Codd. 454. & 664. aliisque obvia. *In Speculum Monachorum. In Regulam S. Benedicti explicatio duplex*, in quibus sententias, dogmata, verba, consilia, & præcepta confert cum Jure Pontificum, & sententiis sanctorum Patrum. *In Benedictinam Benedicti Papæ XII. In Speculum Monachorum. De signis locutionum.* His Hendreichius addit *Notas in Damasi Pontificale* laudatas Georgio Cassandro. V. Fabric. l. c. lib. 15. pag. 737.

ROBERTI de TUMBALENIA Abbatis Monasterii S. Victoris juxta murum Bajocensis civitatis *Expositio super Cantica Canticorum*; brevis quidem, sed luculenta sensúque profunda esse dicitur ab iis, qui eam MS.tum variis in Bibliothecis Galliæ viderunt. Joannes Mabillonius Prologum ad Ansfridum Abbatem, atque operis initium publici juris fecit Analect. Tom. I. pag. 125.

SIGEBERTI GEMBLACENSIS *Ecclesiastes, literaliter, allegoricè, mythologicè* metro heroico descriptus ejus Operibus ineditis annumerandus venit.

DOMINICI VISCHER, BENEDICTI ZISEL, GEORGII VOGEL, aliorúmque Monachorum Wiblingensium Scripta anecdota vide in ejusdem Monasterii Annalibus.

SIMON BOUGIS Superior Generalis Congr. S. Mauri composuit excellens opus, cui titulus: *Idea Religiosi in Operibus S. Bernardi adumbrata.* Equidem plura ejus exemplaria transcripta fuere; verùm autographum prælo non fuit subjectum. Author plenus dierum ac meritorum naturæ concessit an. 1714. ætatis 84. annorum. Vide de illo plura apud le Cerf in Bibl. Hist. Crit. p. 42.

MARTINI FRIDLINI in Cladrubensi Bohemiæ celebri monasterio Cœnobitæ, & Theologi Universitatis Carolinæ Pragensis Opera Theologica nunquam typis mandata, & magnis codicibus comprehensa asservantur in celebri Bibliotheca celebris cœnobii Canonicorum Regularium sancti Augustini Treboniæ in Bohemia. Vid. Balbinus S. J. Epit. Rer. Bohem. in Notis ad cap. X. p. 67.

JOANNIS KECKII Tegernseensis Monachi ac Theologi notabile scriptum *de nomine Tetragrammaton.* Ejusdem doctissimi viri plurima alia opera tum in Tegernseensi tum in Mellicensi Bibliotheca asservantur.

SIGISMUNDI Abbatis Seonensis in Bavaria, anno 1634. demortui *Tractatus de Monocerote an detur?* & complura alia MS.ta, quorum syllabus texitur in Hist. Univers. Salisburg. Lib. II. cap. IV. Maximè contra *Roseæ Crucis Fratres* plures scripsit Tractatus, Qui verò illi fratres, & cujus sectæ fuerint, tunc temporis perinde compertum habebatur, atque hodie in aprico est: *Wer die Frey - Maurer seyen.* Confer tamen, si placet, Vincentium Placcium de Scriptor. Pseudon. pag. 544. & Struv. de Bibl. cap. IX. 539.

S. ODONIS Abbatis Cluniacensis Chronicon succinctum MS.tum Cantabrigiæ

brigiæ servatur in Bibliotheca Collegii S. Benedicti. Plura hujus S. Abbatis anecdota memorant Vossius, Caveus, Fabricius.

GASPAR BONINCURTIUS, Atrebas, Belga, Eques Hierosolymitanus, Monachus primùm Monasterii S. Salvatoris Aquicinctensis non procul Brugis, Congregationis Bursfeldensis, vir linguæ Græcæ, Latinæ, Slavicæ, Gallicæ, Flandricæ, Italicæ, & Hispanicæ peritus, scripsit, quæ penes Arnoldum Wionem extabant m. s. idiomate Gallico; *De Itinere suo Hierosolymitano & montis Sinai Lib. I. Sermones ad fratres Lib. I. De Arithmetica Lib. I. De cognitione sui ipsius versu heroico Gallico Lib. I. De prædestinatione eodem metri genere Lib. I.* Qui duo ultimi libri à facultate Doctorum Burgensium, & à Jacobo Pamelio approbati, jam in lucem emittendi erant, nisi mors immatura supervenisset an. 1576. ætatis autem suæ 48. Abbatialis regiminis octavo in castro Cranemburgensi. Possev. Appar. Sac. tom. I. pag. 529.

CONRADUS FONTANUS, Monasterii Helmwardeshusani olim celebris, nunc extincti Monasterii in Diœcesi Paderbornensi Cœnobita, haud exiguo numero reliquit Opera manuscripta, quorum Leznerus in Operibus suis Historicis sæpiùs mentionem facit. Vide Leuckfeldii Antiquitates Bursfeldenses cap. 3. pag. 88.

ANTONII POUGET è Congr. S. Mauri *Institutiones Linguæ Hebraicæ*, typis nunquam vulgatæ, sed à Religiosis San - Maurianis ad usum proprium sæpenumero descriptæ. Vid. le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 416.

VALERIANI CASTILLIONÆI è Congreg. Casin. Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Historiographi, multæ eæque præclaræ lucubrationes lucem publicam aspexerunt, præstantiora tamen ejus Mss.ta in Monasterio S. Simpliciani Mediolani delitescentia sunt; *Relatione della Guerra Voldesa* anno 1655. *Descrittione del Palazzo della Venaria Reale. Celestino quarto Apologia Istorica. Istoria del Duca Vittoria Amadeo di Sovoia. Memoire Istoriche delli Duco di Savoia. Breves Notæ ad Conicorum libros Apollonii.* Vid. Pez litt. Apol. pag. 247.

GUIDONIS ALEXII LOBINEAU è Congr. S. Mauri *Histoire de la Ville de Nantes. Histoire de la Chambre des Compts de Bretagne. Traité historique des Droits Seigneriaux de Bretagne; & un Traité des Barons de cette Province.* id est: *Historia Urbis Nanneti. Historia supremæ rationum Curiæ. Historia ditionis Britanniæ Minoris, & unus Tractatus de Baronibus hujusce Provinciæ.* Autor Opera hæc Historica cum pluribus communicavit, à quibus aliquando juris publici fieri possunt. Vid. Jacob. le Long in Bibl. Hist. Franc. n. 14888.

ANGELI NUCEI ex Abbate Casinensi Archiepiscopi Rossanensis Opera X. Anecdota typis dignissima recenset Armell. Bibl. Casin. part. I. pag. 38.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Soliloquium hominis ad animam suam. Libellus pro Immaculata Conceptione B. V. M.* aliáque plura Opera inedita, de quibus vide Cl. Oliverium Legipont *in Vita Trithemii*; Fabricium *in Bibl. med. & infimæ Lat. Lib. IX. p. 453.*

OLIVERIUS de LANGHE, sive *Longus*, Prior ad S. Bavonem juxtà Gandavum circa an. 1450. scripsit, teste *Valerio Andrea* pag. 706. & *Sweertio* pag. 588. hæc quæ in Bibliothecis Lovaniensibus & Gandavensibus inedita asservantur:

De Sacramento Eucharistiæ, & de tenendis ac credendis circa Eucharistiæ Sacramentum.

De Defectibus circa Missam.

De Reditibus ad vitam.

De Vitio Simoniæ in religione.

Vitam B. Coletæ Virginis Reformatricis Ordinis S. Claræ anno 1447. defunctæ, ex Latino Stephani Juliani transtulit in linguam Belgicam, seu Flandricam, de qua vide Acta Sanctorum Tom. I. Martii 6. pag. 533. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. xiv. pag. 477.

B. RABANI MAURI, Archiepiscopi Moguntini, Commentarius in Prophetam Danielem, & Joannem Evangelistam, quem utrumque prælo paratum asservo. *A Comite Giannini ulterque sublatus est.*

S. ODILONIS, Abbatis Cluniacensis, Commentarius in Psalmos, Henrico Sancto, Imperatori, oblatus, & ab hoc Ecclesiæ Bambergensi à se fundatæ dono datus; in cujus etiam Bibliotheca ms.tus asservatur.

S. BRUNONIS, ex Abbate Casinensi, Episcopi Signiensis anecdota, viz. *Commentaria in librum Judicum, in Judith, & in Isaiam.* Vid. Jacobi le Long Bibliotheca exegetica pag. 654.

FRAN-

FRANCISCI RANSPERG, Prioris Augiæ Majoris Brigantinæ Descriptio *Historica Comitatus & Urbis Brigantinæ*, & in specie Monasterii Augiæ Majoris vulgò Mererau ab urbe Brigantina condita usque ad annum 1600. & ultra deducta, Opus Mſ.

CLAUDII ETIENNOT è Congreg. S. Mauri *Historia Vexini*, quæ regio Normanniæ est, tribus minoribus tomis in folio comprehensa, in Monasterio S. Martini asservatur. Vid. le Cerf pag. 99.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhusani, præter Opera typis ingenti numero mandata, supersunt quàm multa Anecdota; quæ utinam prælo subjicerentur; nam *gustus vini*, ut veteri fertur parœmia, *emptorem vocat*. Nemo doctissimi bujus Præsulis Opera impressa legerit, qui non etiam ea, quæ in Mſ.tis reliquit, legendi desiderio corripiatur.

THOMÆ MEZLERI, Zwifaltensis, Carmina & Poëmata varii argumenti.

MAURITII BOG, Zwifaltensis, Paraphrasis Metrica in *Sequentiam Dies iræ, dies illa* &c. prælo digna; quæ sine compunctione animi legi non potest.

JOANNIS HIERONYMI TEXTORII, nati Niceæ in Provincia, è Congreg. Casin. Viri omnigena eruditione clarissimi, ac in Universitate Patavina Sacræ Scripturæ publici Professoris *Prælectiones*, seu potiùs *Dissertationes* valde luculentæ, & eruditæ in *Sacram Scripturam* tot annis Patavii habitæ, quæ ipsius manu exaratæ asservantur in Bibliotheca S. Justinæ. Vid. Armell. part. 2. p. 43.

CONSTANTINUS CAJETANUS, Abbas S. Baronti, è Congr. Casin. præter typis excusa, innumera alia Opera Mſs. reliquit, ut dicitur in Bibl. Max. Pontificia. Ea ferè omnia extant Venetiis in S. Georgii Majoris Biblioth. & etiam in Monasterio S. Nicolai de Arenis Catanæ, & alibi, quorum elenchum exscribere volnit, Mariano Armellino dictante, Georgius Guilelmus Leibnitzius, Serenissimi Ducis & Electoris Hannoveræ Georgii, olim Consiliarius Status, & doctiss. atque eruditiss. Bibliothecarius, Florentiæ in Ord. nostri Monasterio S. Mariæ, ubi tunc temporis, nempe anno 1690. Philosophiam docebat. Ita ipse fidem facit in Bibl. Casin. part. 1. pag. 131. ubi etiam Cajetani Mſ.torum Catalogum texit.

BENEDICTUS BACCHINUS, Abbas de la Croma è Congr. Casin. multa, eáque reconditæ eruditionis Mſs. Opera reliquit, quæ magnam partem in Bibliotheca Vaticana velut pretiosa Literaturæ cimelia asservantur. Eornm recensionem vide apud Armellinum l. c. pag. 82. & 83. apud quem etiam legere licet Anecdota *Alexandri Lelli, Alphonsi Villagut, Anselmi Pajoli*, & quàm plurium aliorum præstantis doctrinæ Scriptorum è Congr. Casin.

JOSEPHUS SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Cardinalis præter typis vulgata in manuscriptis sequentia reliquit 1.) *Theologiæ S. Anselmi Tomum IV.* 2.) *Ludorum Salmanticensium Tomos II.* 3.) *Epistolarum ad Principes Viros doctos Volumen.* 4.) *Miscellaneorum volumina II.* 5.) *Apologiam* pro vindicandis Abbati Joanni Gersenio Libris IV. de Imitatione Christi. 6.) *Meditationes* & *Orationes* notis aliquot illustratas. 7.) *Librum de Viatore Christiano in Patriam pergente.* Quæ aliaque plura Eminent. Cardinalis gravissimis pro Ecclesia negotiis distentus typis mandare haud potuit. Vid. Tom. I. Theolog. S. Anselmi, Admonit. ad Lectorem circa libros Auctoris.

ALEXANDER ROYER è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi vir doctus superiore seculo multa luce publica minimè indigna condidit, quæ tamen adhuc in Mſ.tis latentia D. Humbertus Bellhome Abbas Monasterii Mediani cum Augustino Calmet, Abbate virtutibus & doctrina ornatissimo communicavit, & sunt sequentia:

Memoires pour l'Histoire de Lorraine. Seriem Ducum Lotharingiæ à Gerardo Alsatiæ Comite auspicatur.

Memoires pour le Duché de Bar.

Memoires pour le Comté de Vaudemont.

Memoires pour la Maison de Guise, établie en France depuis 1508.

Memoires pour les Alliances de la Maison de Lorraine, & particulierement avec la Maison d'Autriche.

Memoires pour les prétensions de la Maison de Lorraine, sur divers Etats de la Chretienté.

Eloge de Madame Catherine de Lorraine, Abbesse de Remiremont.

Memoires sur les droits, que la France avoit prétendu sur la Lorraine & contre les reunons, qui ont été faites de plusieurs parties de la Lorraine aux Evechez. Quæ omnia Manuſ.ta intra

tra manus sunt Abbatis Calmet, ut ipse testatur in Catalogo Alphabet. Scriptor. Hist. Lothar. pag. xcv. col. 2.

GERMANUS CARTIER, Monasterii D. Ettonis propè S. Landelinum, vulgò Ettenheimünster in Brisgoia, Prior, ac Ss. Theologiæ Professor, rerum divinarum scientiâ inter Ordinis nostri in Germania Sodales hisce annis proximè præteritis apprimè excelluit, præter ea verò, quæ typis mandavit, summis Religionis nostræ Præsulibus, uti non semel ipse audivi, laudata, in MS[tis], anno 1749. 18. Febr. vitâ functus reliquit

1.) Breviarium hominis Christiani, medullam Psalmorum cum notis, aliaque selectissima pietatis exercitia complectens, ad purganda, illuminanda, confortanda, ac inflammanda fidelium corda, nec non ad piè vivendum & beatè moriendum accomodatissima. Mss.

2.) Breviarium hominis Christiani, seu Exercitia pietatis quotidiana ex Psalmis Davidicis expositione facili, & expeditâ illustratis, in cujusque animæ Christianæ commodum concinnata. Mss.

3.) Aspirationes mentis & cordis ex attributis divinis elicitæ, quibus anima Christiana à terrenarum rerum affectu abstrahitur, & ad amandum Deum inflammatur. Accesserunt Excitationes ad cultum & amorem erga B. V. Mariam. Mss.

4.) Tractatus Ascetico-Theologicus de Religione, seu Statu Religioso in gratiam Religiosorum, præsertim Novitiorum concinnatus. Mss.

5.) Tractatus de Doctrina Christiana. Mss.

6.) Tractatus de Conscientia. Mss.

7.) Commentarius in Cantica Canticorum ad mentem SS. Patrum, ac probatissimorum S. Scripturæ Interpretum methodo succincta, ac perspicua elucubratus, nec non Meditationibus, & Documentis animæ Christianæ ad vitæ perfectionem anhelanti apprimè utilibus illustratus. Mss.

8.) Institutiones Canonico-Civiles. Mss.

9.) Collegia Juris Canonici ad Libros V. Decretalium Gregorii IX. in Methodum brevem & claram redacta. Mss.

10.) Dissertationes Theologicæ in utramque partem ventilatæ. Mss.

11.) *Der Clösterlichen Zucht und Disciplin erster Tractat, darinnen die Regel des heiligen Vatters Benedicti ausgelegt, zumahlen auch die meiste Hauptgründ, worauf das geistliche Leben beruhet, wohlbegreifflich erörtert werden, zu sonderbarem Nutzen so wohl aller privat Geistlichen, als auch deren, die geistliche Anrede zu halten verbunden seynd, in hundert Exhortationen verfast.* Mss.

12.) *Der Clösterlichen Zucht und Disciplin anderter Tractat, darinnen das 4.te Capitel der Regel des heiligen Vatters Benedicti von denen Werck-Zeugen der guten Wercken ausgelegt &c. in 73. Exhortationen verfaßt.* Mss.

13.) *Marianische Liebs-Ubungen auf einen jeden Tag der Wochen eingetheilt, aus denen heiligen Vätteren gezogen.* Mss.

14.) *Der Prophet Isaias in die Teutsche Sprach mit besonderem Fleiß, auch mit vermengten, oder dem Text beygefügten Buchstäblichen Auslegungen und nachgesezten sittlichen Anmerckungen erleuchtet.* Mss.

15.) Breviaire d'un homme Chrêtien contenant plusieurs exercices spirituels tirés de Pseaumes avec des notes, & une explication courte en faveur d'une ame, qui souhaite parler à Dieu le langage du St. Esprit, & s'acquiter parfaitement des principaux devoirs d'un Chrêtien pendant la journée. Mss.

16.) Tresor de maximes trés-édifiantes tirées de la St. Ecriture, de SS. Peres, & autres personnes sages & vertueuses avec des notes, en faveur d'une ame, qui cherche Dieu, & souhaite de s'avancer dans la perfection Chrêtienne. Mss.

Diligentis hujus & eximii Theologi germanus frater est *Gallus Cartier* p. t. Ettenheimensis Subprior, cujus Opera Theologica & Scripturistica alio loco jam laudavimus; hîc verò ejus MS[ta] prælo parata, Anecdotis *Germani Cartier* subjicere à loco alienum non existimamus.

1.) Philosophia Eclectica in usum Monasteriorum Congregationis Benedictinæ Argentinensis. Mss.

2.) Theologia Universalis ex variis, iisque probatissimis & celeberrimis Theologis, S. Scripturæ Interpretibus, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, Juris utriusque Consultis &c. in usum Monasteriorum Congregationis Benedictino-Argentinensis congesta, & in quatuor tomos distincta. Mss.

3.) Scientia universalis concionandi &c. è Gallico in Latinum translulit, ac tribus tomis distinxit. Mss.

NB. Opus istud à laudato R. P. Gallo Cartier ante duodecim jam annos è Gallico in Latinum translatum & hucusque in Musæo suo veluti delitescens, alius postea translulit, atque præterito anno 1749. typis vulgatum est.

Prætermitto compendii causa quàm plurimorum aliorum Scriptorum Anecdota, memor Senecæ, qui lib. ad Albin. c. XVII. exclamat: *O quàm multorum Opera in obscuro jacent.*

Hic commemoranda veniunt posthuma Auctoris Opera ex ejus elogio Historico à Cl. V. P. *Oliverio Legipont* concinnato; ea verò sunt: 1. Olomucium Sacrum. 2. Bibliotheca Bohemica. 3. Collectio Epistolarum Dionysii Exigui & aliorum Ord. S. B. Patrum. 4. Meditationes selectæ in Regulam S. P. Benedicti. 5 Hungaria & Austria M. V. Deiparæ dicatæ. 6. Historia particulæ S. Crucis in Augia Divite adservatæ. 7. Vita B. Margarethæ de Cruce. 8. Methodus studiorum pro Nobilibus. 9. Oratio pro apertura Collegii Illustrium Pragæ. 10. Insulæ doctæ per Germaniam. 11. Sacræ Eremi per Europam. 12. Historia Monialium O. S. B. 13. Epistolarum fasciculus benè spissus. 14. Phrænesis Malignantis Cleri Olomucensis &c.

SECTIO VII.

Scriptores, quorum libri rariores.

Prodiit anno 1738. Hamburgi in 8. altera editio *Catalogi Historico-Critici Librorum rariorum*, quam V. C. *Joannes Vogt us*, magna industria, atque eruditione accuravit. Ex isto igitur Catalogo Benedictinos illos Scriptores, quorum in eodem fit mentio ac recensio, excerpere, hícque ad verbum adscribere pro specimine visum est.

Petri Abaelardi & Æloissæ Conjugis ejus Opera ex Mss. Codice Francisci Amboesii cum ejusdem præfatione apologetica, & censura Doctorum Parisiensium, anno 1616. in 4. Libris rarissimis adnumeratur tum alibi, tum in Bibliotheca Anonymi P. II. pag. 38.

Lucæ d'Acherii *Spicilegium veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis latuerunt.* Parisiis anno 1655. in 4. Opus egregium, sed rarissimè obvium ab anno 1655. ad an. 1677. XIII. Tomis editum. De pretio & raritate horum voluminum hæc Jo. Petr. Lodewig in Reliquiis Mss. Tom. I. præfat. pag. 120. „Hic „liber nunc maximi fit, pretiúmque „habet centum ferè imperialium, „sed ego mallem tot aureis carere, „quàm his voluminibus.„ Hac de causa inductus L. Fr. Jos. de la Barre novam editionem suscepit, quæ prodiit hoc rubro: *Spicilegium, sive Collectio veterum aliquot scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis delituerant, olim editum, opera, atque studio D. Lucæ d'Acherii, Presbyteri ac Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, nova editio priori accuratior, & infinitis propè mendis ad fidem Mss. Codicum, quorum varias lectiones V. C. Stephanus Baluze, ac R. P. Edmundus Martene collegerunt, expurgata per Lud. Franç. Joseph. de la Barre Tornacensem*, Parisiis apud Montalant anno 1723. in fol. Tom. III. Multis quidem nominibus ordinatior, castigatior, & melior est hæc editio repetita; sed omissa etiam quædam sunt, & immutata, ut ideò priori etiam editioni in charta maxima, typis luculentis excusæ, & inde à septuaginta annis citatæ pretium adhuc aliquod statuendum; eò magis, quia ordo in recentiori mutatus, atque paginæ nec in margine additæ, omitto typos minutiores in folio visui minùs forti non arridere. Quæ in singulis Spicilegii tomis prioris editionis continentur, satis diligenter ac copiose recenset Thomas Ittigius de Bibliothecis ac Catenis Patrum pag. 166. ss. De nupera novissima lege, si placet, *Journal des Savans* 1724. Tom. II. pag. 99.

Ven. Agnetis Blanbeckin, quæ sub Rudolpho Habsburgico & Alberto I. Austriacis Impp. Wienæ floruit, Vita & revelationes, Autore Anonymo Ord. FF. Min. è celebri Conv. S. Crucis Wiennensis, ejusdem Virg. Confess. Accessit Pothonis Presbyteri & Monachi celeberr. Monast. Prunveningensis, nunc Prislingensis propè Ratisbonam Ord. S. B. qui

secu-

seculo Christi XII. claruit, Liber de Miraculis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Utrumque Opusculum ex Mss. Codd. primùm edidit R. P. Bernardus Pez, Benedictinus & Bibliothecarius Mellicensis. Viennæ apud Petrum Conrad Monath. 1731. Opus hoc jussu piissimi Imperatoris Viennæ publicè confixum est, & exemplaria ad unum ferè omnia Bibliopolæ ablata sunt. Causa pœnæ in librum hunc statutæ fuit, quia in illo continentur res insulsæ, meram superstitionem redolentes, & ad dedecus religionis Romanæ facientes. Pertinet huc inprimis Cap. 38. & 39. Vitæ Blanbeckin, ubi Autor de Heroina sua narrat „ eam aliquando scire desiderâsse cum lacrymis, & mœrore maximo, ubinam esset præputium Christi. Ecce verò in instanti sensisse eam illud, & dulcissimi quidem saporis in ore, super lingua vel centies versatum, quod totidem vicibus deglutiverit, donec tandem, cùm pelliculam hanc tentaret digito attingere, ea sponte in guttur descenderit. „ Neque minùs huc pertinet cap. 36. Pothonis, de quadam Abbatissa imprægnata, quam verò duo Angeli à Beata Virgine Maria missi, obstetricis munus in se recipiendo ab onere gravitatis liberârunt, puerúmque extra conjugium natum Eremicolæ, ut per 7. annos eum educaret, tradiderunt. Vid. Hadriani Pontii Epistola ad amicum, qua historiam libri rarioris exponit, qui inscribitur: *Ven. Agnetis Blanbeckin Vita & Revelationes*; adjectæ sunt Pezii & Garellii de hoc libro Epistolæ, Francof. & Lips. an. 1735. in 8. Reliquit etiam Cl. Pezius in Mstis Epistolam Apologeticam in defensionem editionis vitæ Agnetis Blanbeckin scriptæ an. 1731. quæ suo tempore, ut in Bibliotheca legimus Mellicensi, in lucem prodibit. Legant interea, qui ea causa Pezio insultant, sed *attentè*, ejus præfationem cùm in Vitam dictæ Virginis, tum ad Tom. x. Bibliothecæ Asceticæ Benedictino-Novæ,

ANSELMI LUCENSIS *Collectio Canonum antiqua, editore Antonio Augustino.* Andreas Schottus in vita Anton. Augustini expressis quidem verbis scribit, Augustinum Anselmianam Canonum Collectionem edidisse, quod ex Schotto refert in Abaco Patrologico p. 38. Godofr. Olearius. Verùm valde dubitant Eruditi, fueritne hæc Collectio unquam ab Augustino edita. Lege, si placet, Frid. Jac. Leickerum in adnotationibus ad Vitam Ant. August. in Vitis Clariss. JCtorum p. 144. Cui adde, qui rem pleniùs conficit, Cas. Oudin. in Coment. de S. E. Tom. 2. p. 719.

BENEDICTI BACCHINI *Dissertatio de Sistris*, Parmæ quinquagesies solùm excusa est, quam tamen *Jac. Tollius Traject.* 1696. in 4. locupletatam denuò edidit. Vid. Mich. Lilienthalii Machiavellism. Litter. p. 126. Marian. Armell. Bibl. Script. è Congreg. Casin. part. 1. p. 79.

HENRICI BASSE, *Monachi Ballenstedensis, Panegyricus Genealogiarum illustrium Principum Dominorum in Anhalt. an.* 1519. Scriptum hoc admodùm rarum vocatur in Jo. Hubneri Biblioth. Genealog. p. 497. Illud nuper Cl. Jo. Christoph. Becmannus variis notis locupletatum, & subinde castigatum secum dedit in Accessionibus Historiæ Anhaltinæ pag. 1-26.

CONSTANTINI CAJETANI *de religiosa S. Ignatii Fundatoris Soc. Jes. per Patres Benedictinos institutione, deque Libello Exercitiorum ejusdem.. Venetiis* 1641. in 8. Insigniter rarus vocatur in Catalogo Historicor. Fresnoio-Mencken. p. 73. Confer tamen diligenter Marian. Armell. l. c. p. 127.

MERLINI COCCAII, Poëtæ Mantuani, *Opus Macaronicorum. Totum in pristinam formam per me Magistrum Acquarium Lodolam optimè redactum, in his infra notatis titulis divisum, Zanitonella, quæ de amore Tonelli erga Zaninam tractat. Quæ constat ex tredecim Sonolegiis, septem Eclogis, & una Strambottologia. Phantasia Macaronicon, divisum in viginti quinque Macaronicis, tractans de gestis magnanimi & prudentissimi Baldi, Moschææ facetus liber in tribus partibus divisus, & tractans de cruento certamine Muscarum, & formicarum. Libellus Epistolarum, & Epigrammatum ad varias personas directarum.* Venetiis apud Bevilacquam an. 1613. in 12. pp. 550. Liber admodùm rarus, ut sunt cætera omnia hujus Autoris, qui est *Theophilus Folengus*, Monachus amœnissimi ingenii Brixiæ in S. Euphemiæ Cœnobio. Præter hanc, quam possidemus, editionem, extant prima omnium anni 1521. altera Venetiis 1561. Vid. Memoires de Litterature Tom. I. p. 139. ss. & 462. Tertia Venetiis 1564. Quarta Venetiis 1581. Alium ejusdem *Folengi* li-

brum: *Chaos del Tri per uno con privilegio.* Vinetia ap. Giov. Anton. & fratelli da Sabbio 1527. in 8. recenset Cl. Aug. Beyerus in Memoriis Libror. rarior. p. 43. ss. Vide plura apud Armellin. l. c. part. 2. pag. 185.

CHRISTIANI DRUTHMARI, *Grammatici, Expositio in Mathæum Evang. familiaris, luculenta, & lectu jucunda cum Epitomatoribus in Lucam, & Epistolam S. Martini Episcopi ad Mironem Regem, cum Privilegio Maximil. Cæs. & cum censura Jacobi Oesler J. U. D. & cum dedicationibus Jac. Wimphelingii. Argentorati operâ & impensis probati viri Johannis Grueningeri, anno 1514.* Non Expositio Druthmari, cùm in Bibliotheca Patrum Lugdunensi Tomo xv. habeatur, inter libros rariores referenda est; sed editio per *Wimphelingium* accurata. Cujus editionis exemplar possidet Vir Clariss. & summè Reverendus D. Albertus Seill, Canonicus S. Cuniberti Coloniæ Agrippinæ. Ea verò ita titulum exhibet: *Erudita admodùm, præclaráque expositio in Evangelium secundùm Mathæum, Divini sermonis præconibus familiaritate commodissima, religiosissimi F. Christiani Druthmari Aquitanien. cum appendice compendiolorum in Lucam Johannémque Evangelistas Divi Martini præsulis.* - - - Sequitur Epistola Jacobi Wimphelingi, editoris, hoc exordio: *Georgio Nigri ex Lapide Leonis humanæ & divinæ Philosophiæ Professori ordinario Heidelbergensi.* Altera ejusdem epistola signata erat *penultimâ Aprilis anno Christi tertio decimo supra sesqui millesimum.* Ad calcem Operis: *Excusum Argentorati operâ & impensis probati viri Johannis Grüningeri anno Incarnationis Dominicæ MV^cXIIII. mense Augusto.* Paulò aliter, ut vidimus, rubricam nobis explicat Johannes Vogt. Est igitur *Jacobi Wimphelingii* editio rara, & adeò rara, nt rarissima *Serveti* Opera, & Jordani Bruni Nolani *Spaccio della bestia* æquet, si non superet. Hinc factum, ut *Gesnero*, *Simlero*, *Frisio*, *Königio*, *Wiono*, *Possevino*, *Mæo*, *Maittairio*, aliisque Bibliographis ignota, *Labbeo* autem, & *Richardo Simonio* planè negata, aut suspecta fuerit. Sed nullum de ejus existentia dubium superat, postquam locum indicavimus, ubi & videri & legi potest.

Aliam ex Mſ Codice Wormatiensi editionem accuravit *Joannes Secerius*, typographus acatholicus Hagenoæ anno 1530. Qua in editione non unus dicitur esse locus, qui *Transubstantiationis* dogma convellat. Quare Scriptores Catholici *Sixtus Senensis*, *Cardinalis Perronius*, *Bigneus*, aliique contendunt, *Secerium*, hominem acatholicum *Druthmari* textum corrupisse, idque probant ex fide Codicum Mss. quorum unus habetur in Bibliotheca San Emmeramensi Ratisbonæ seculo xii. in membranis exaratus. Idem Commentarius in Mathæum integer habetur in Bibliothecis PP. Coloniensi tom. ix. p. 851. Lugdunensi Tom. xv. pag. 85. Concordat verò cum editione Wimphelingiana, quam apud laudatum D. *Seill* se manibus oculísque contrectâsse testarus mihi est Cl. Oliverius Legipont Ss. Theologiæ Professor Coloniæ in Monasterio S. Martini Majoris. An pariter concordet *Secerian*i, quam laudant Acatholici, ignoramus, quia illam videre nobis non contigit. Certè titulum editionis Wimphelingianæ à D. *Vogtio* relatum cum nostro non quadrare prudens quivis facilè animadvertet, atque ex ungue leonem admetietur. Quamvis autem *Edmundus Albertinus* editionis Secerianæ fidem & integritatem vindicare conatus fuerit, necdum tamen contentionis & litigii finis. Labbeus enim in Addendis ad Tom. I. de S. E. p. 792. regessit, *Albertini* hominis hæretici fidem sibi valdè esse suspectam, idque eo magis, quòd ubi editionem illam Wimphelingianam *privilegio Cæsareo, & censura Jacobi Oesler* ornatam viderit, quáve in Bibliotheca deprehenderit, non addat, cùm ea diligentissimis Bibliographis hactenus fuerit incomperta. Eam quidem alii neutiquam ab *Edmundo Albertino* confictam, sed obviam esse jactitant in Bibliothecis Galliæ apud *Dallæum*, Angliæ apud *Thomam Perison*, Germaniæ apud *Joannem Ludolph. Brunemannum*, qui rarissimæ huic editioni pretium XL. Talerorum statuit. Eandem quoque in Bibliotheca Westeniana Basileæ reperiri *Westenius* ipse in Notis ad Origenis Dialogos contra Marcionitas pag. 79. testatur. Ejusdem meminère *Tenzelius* in Colloq. Menstr. anno 1693. pag. 293. *Caveus* in Hist. Liter. *Schelhornius* in Amœnit. tom. ii. pag. 429. & in Amœnitatibus Historiæ Ecclesiasticæ à pag. 823 - 837. *Joannes Albertus Fabricius* in Bibl. med. & inf. Latinitatis Volum. I. lib. 3. pag. 1040. Verùm cùm hi Scriptores sint à Sacris Romanis

nis alieni, parùm fidei apud illos, qui eisdem addicti sunt, reperient; præsertim cùm ne verbulo indicent, utrùm laudata exemplaria exhibeant editionem illam ementitam, quam nobis D. *Vogtius* depingit titulo tenus à Wimphelingiana disparem; an verò illam, quam descripsimus, cum editis in Bibliothecis Patrum conformem repræsentent. Sed hoc dato, dispiciendum, an ea loca, quæ *Transsubstantiationis* dogma validissimè infringere comminiscuntur heterodoxi, in utraque editione pariter atque in Mss. codicibus occurrant. Ultro enim compertum est, quas fraudes Ecclesiæ Romanæ hostes texere soleant, ut eam à Patrum Scriptis aliena & docere & tenere commonstrare possint. Appositè (r) Oudinus in simili: *Impostores*, inquit, *nostri temporis hujusmodi multa in Scriptis Catholicorum Doctorum inseruerunt, ut venenatam doctrinam suam eorum quasi authoritate roborarent.*

JO. BAPTISTA FERRETI, Casinensis, *Liber de Musis Lapidariis*, Veron. an. 1672. in fol. Oppidò rarum esse hoc Opus docet doctiss. Christoph. Aug. Heumannus in Conspectu Reipubl. Literar.

GILBERTI GENEBRARDI, Archiepiscopi Aquisextiensis, *Liber de Jure sacrarum electionum, & earum necessitate ad Ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem, Paris. apud Nivellum* anno 1593. in 12. Liber rarissimus, lictoris manu publicè combustus, cujúsque auctor perpetuo exilio mulctatus fuit, facultatibus omnibus fisco additis. V. Essais de Litterature T. I. p. 109. Petr. Zornij Tract. de Libertate Ecclesiæ Gallicanæ pag. 29. qui editum hoc Scriptum an. 1595. fuisse adserit. Pro doctissimo *Genebrardo*, Archiepiscopo Aquensi, ejúsque libro haud multi negotii res foret, scribere Apologiam.

S. Hildegardis Abbatissæ in monte S. Roberti propè Bingam sanctissimæ Virginis & Prophetissæ Epistolarum liber, continens Epistolas S. Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum &c. ad Hildegardim, & ejusdem sanctas ad eosdem responsiones; item ejusdem Hildegardis scripta alia nunc primùm in lucem edita. Coloniæ apud Hered. Jo. Quentell. & Gerwin. Colonium anno 1566. *in* 4.

HUGONIS Floriacensis *Chronicon ex Museo & cum Notis Bernh. Rottendorfii, Monasterii an.* 1638. *in* 4. Liber rarissimus Lambecio nunquam visus, cùm in Bibliotheca Vindobonensi hunc inter ineditos recenseat. Vid. Bibliotheca Hasæana pag. 367.

MARTINI MARRIER *Sancti Martini à Campis Monachi & Professi, Bibliotheca Cluniacensis, in qua Abbatum Cluniacensium Vitæ & Scripta, Catalogus Abbatiarum, Privilegia, Chartæ, & Diplomata continentur. Parisiis an.* 1614. *in fol.* Libris rarissimis adnumeratur in Catalogo Bibliothecæ Menckenianæ. p. 42.

EDMUNDI MARTENE *Vie de Dom Claude Martin.* Librum hunc jussu Superiorum suppressum esse narrat Auctor L' Europe Savante an. 1718. Janvier pag. 129. Philippus le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 306. de hoc libello sequens tulit judicium. „Le P. Martene „ est Auteur de la Vie du vénérable P. „ D. Claude Martin, qui n' est certainement pas le meilleur de ses Ouvrages: on ne peut contester, que le R. P. „ Martin n'ait été un Religieux d' un „ mérite extraordinaire, dont la vertu, „ & la pieté ont donné un grand eclat „ à la Congregation de Saint Maur, „ & qu' il ne se soit rendu trés recommandable par la sainteté de sa vie; „ mais il convenoit de publier ses „ vertus avec plus de menagement & „ de discretion, & de decharger cette „ vie de mille puerilitez & de certains „ faits, qui peuvent donner atteinte „ à la reputation du prochain. „

ROBERTO MONACO *Istoria della Guerra fatta da Principi Christiani contra i Saraceni per l' acquisto di Terra santa, tradotta per Francesco Baldelli, & impressa in Firenze per il Torrentino* 1522. *in* 8. Liber in Italia rarissimus. Vid. Nic. Franc. Haym Notitia de lib. rar. p. 86.

Origines Murensis Monasterii in Helvetiis Ord. S. Bened. Spiremberg an. 1618. *in* 4. Raritatem hujus Scripti indicat Catalogus Historic. Fresnoio-Mencken. pag. 57. his verbis: *Dieses Buch ist sehr rar, und darinnen curieuse diplomata, daraus man die Origines des Hauses Oesterreich lernen kan, enthalten.* Hinc Cl. Jo. Georg. Eccardus recusum adjecit sub finem Originum Familiæ Habsburgo-Austriacæ pag. 199-236. Editæ etiam fuerunt à Jo. Petr. Ludewig tom. 2. Rer. Bamberg. Francof. an. 1718. in fol.

OTFRIDI Monachi Weissenburgensis *Liber Evangeliorum*, Basileæ an. 1571.

(r) De S. E. tom. 2. col. 507.

an. 1571. in 8. Liber inter rariores rarissimus nuncupatur à doctissimo *von Seelen* in Memoria Stadeniana pag. 129. Hæc namque editio adeò ad paucas est redacta, ut Liber parvus Hamburgi in Auctione Bibliothecæ Gudianæ octo Imperialium pretio divenditus fuerit. Vid. Jo. Andr. Schmidii Diss. de modo propagandi religionem per Carmina §. xxi. Non ita pridem recusus fuit in *Jo. Schilteri Thesauro Antiquitatum Teutonicarum.*

MAGNENCII RABANI MAURI *de Laudibus sanctæ Crucis*, Opus eruditione, versu, prosâque mirificum. In fine legitur Librarii de se ad Lectorem, & cujus sit? epigramma:

Ipse Magisterium tute cognoscis abunde:
Sed Patriam si vis, nomen & artificis?
Est natale solum Baden: Sedes mihi Phorciis:
Dicor & Anselmi bibliopola Thomas.
Phorcheim in ædibus Th. Anselmian. 1503. in fol.

Est Liber rarissimus, tum propter summam infrequentiam, tum etiam propter innumeras figuras Crucium diversas formas exhibentes. Nescio, an legatur inter Rabani Opera omnia studio Jac. Pamelii, Anton. de Henin, & Georgii Colvenerii VI Tomis Coloniæ Agripp. an. 1627. in fol. excusa, quæ itidem rarissima sunt de indicio Catalog. Biblioth. Schalbruch. P. I. p. 4. Ita Cl. Vogtius, cui dicendum, quod *Rabani Carmen de Laudibus S. Crucis* extet Operum Tomo I. pag. 273 - 348.

Religiosissimi Viri Fratris Johannis Raulini Artium & Theologiæ Professoris Epistolarum illustrium Virorum opus eximium. Paris. an. 1521. in 4. De ingenti hujus libri raritate testatur Jacob le Long. in Bibl. Hist. Gall. n. 12702. Cl. Vogtius in ponendo titulo falsus est, qui ita poni debet: *Joannis Raulini Opus Epistolarum ad diversos.* Vid. hujus Capitis Sect. II. de Epistolographis.

FLORIANI TREFFLERI *Methodus ordinandi Bibliothecam. Augustæ anno* 1560. Rarissimus Liber non quidem ob suam præstantiam, sed potiùs ob futilitatem regularum parùm congruarum, quas præscribit. Vid. Wendleri Differt. de Libr. rar. §. xxvi.

JOANNIS TRITHEMII *Steganographia, hoc est, Ars occultam per scripturam animi sui voluntatem absentibus aperiendi certa. Præfixa est huic operi sua Clavis seu vera introductio ab ipso Autore concinnata. Hactenus quidem à multis multùm desiderata, sed à paucissimis visa; nunc verò in gratiam secretioris Philosophiæ studiosorum publici juris facta. Francofurti ex offic. typogr. Jo. Saurii, sumtibus Jo. Berneri an. 1608. in 4. Darmstadii anno* 1621. *in* 4. *Vid. Biblioth. Reiman. pag.* 770.

— EJUSDEM *Polygraphiæ Libri VI. Francofurti an.* 1550. *in* 4. Hæc Polygraphia Steganographiâ est inculpatior, & minùs suspecta, sed rarior tamen, & magis lectu digna. Quod verò Trithemii Steganographia in suspicionem magiæ immeritò vocetur, suprà hujus Libri Cap V. Sect. I. latiori stylo à nobis expositum fuit.

— EJUSDEM *Liber octo Quæstionum ad gloriosissimum Imperatorem Maximilianum.* Scriptum ob raritatem suam minùs cognitum, quod nec inter Opera Trithemii junctim edita extat. Evolvi illud Viennæ in Austria in Bibliotheca Windhagiana; dabitur etiam tibi, si petas, in Cæsarea

— EJUSDEM *Chronicon Spanheimense*, quod cura Marquardi Freheri typis Wechelianis Francofurti an. 1601. prodiit, hodie perrarum est; ut proinde de nova Operum Trithemianorum editione meritò quispiam cogitet.

WILRAMI *Abbatis olim Ebersbergensis in Cantica Salomonis mystica explanatio, per Menardum Moltherum in lucem restituta. Adjecta est ex Sponheimensi Abbate Auctoris vita, qui sub Henrico tertio anno MLXX. floruit.* Hagenoæ per Guilielmum Seltz anno 1528. in 8. plag. 12. De maxima hujus libri raritate legatur Jo. Georgii Lotteri peculiaris observatio de prima eademque rarissima editione Willerami inserta Actis Erudit. an. 1731. pag. 28 - 41.

ARNOLDI WION, Belgæ, Duacensis, *Lignum vitæ*, sive initia Ord. Bened. & Viri Clari dignitate, doctrina, sanctitate, ac principatu descripti Libris V. Venetiis an. 1595. II. Vol. in 4. Liber rarissimus prostat quidem Germanicè ex versione Caroli Stengelii, Aug. Vindel. an. 1609. 1627. 1701. in 4. sed pleraque ad notitiam Scriptorum facientia hîc desiderantur.

His à V. C. *Joanne Vogtio* recensitis rarioribus libris totidem alios non minùs raros adjicere visum est.

VEN. BEDÆ *Historia Abbatum Wiremutensium & Girwensium* edita à Jacobo Waræo; sed exemplaribus

non

non ita multis, ut solent Angli, impressis. Hæc Historia est magni momenti pro stabilienda traditione Antiquitatis Monasteriorum Ord. S. B. in Anglia. Certè eâ lectâ Antverpienses Hagiographi longè aliam de antiquitate Regulæ Benedictinæ sententiam conceperunt, quàm aliàs in Actis SS. maximè in Commentario prævio ad vitam S. Elphegi Episcopi tom. 2. Aprilis prodiderunt.

LUDOVICI BULTEAU è Congr. S. Mauri *Cura Salutis* & Latinè & Gallicè sæpiùs impressum, sed in Germania paucissimis visum.

BENEDICTI CHELIDONII, Abbatis Monasterii ad Scotos Viennæ Austriæ Carmina de Passione Jesu Christi Salvatoris Mundi magnæ elegantiæ cum figuris æneis Joannis Wechtlin. Hoc Opus nullibi à me visum, nisi in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi; Scotensis certè Bibliotheca eo caret.

CHRYSOSTOMI Abbatis Schyrensis in Bavaria Liber contra abusum S. Scripturæ anno 1557.

MAURI CORKER, Abbatis Lambspringensis, *Catholicorum Principia erga Deum & Regem Angliæ*, in 4. anno 1680.

GREGORII CORTESII, S. R. E. Cardinalis, Epistolarum Familiarium Liber. *Ejusdem* Tractatus adversùs negantem S. Petrum Apostolum fuisse Romæ, ad Adrianum VI. Pont. Max. Venetiis an. 1573. Opera elegantissimè & solidissimè scripta, sed quæ in paucis occurrunt Bibliothecis.

FRANCISCI DELFAU è Congreg. S. Mauri *Abbas commendatarius*. in 12. Coloniæ. Vide suprà Cap. II. Sect. 2. §. 3.

ERCHENPERTI *Historia Principum Langobardorum* Neapoli an. 1643. forma 4.ta impressa est, liber in Germania rarissimus, adeò, ut neque ad notitiam pervenerit insignium aliàs Virorum, Langleti du Fresnoy, & Burckardi Menckenii, unde Jo. Georg. Eckard in Corp. Script. medii ævi tom. 1. novam editionem accuravit.

CAROLI FERNANDI Opera Ascetica ad usum Benedictinorum scripta, pauci sunt in Germania, qui viderunt, ne dicam, evolverunt. Vidi, sed non perlegere potui præ temporis inopia in Cæsarea Bibliotheca.

JOANNIS HAUTIVELLENSIS, Monachi ad S. Albanum in Anglia c. an. 1200. *Architrenius* an. 1517. Parisiis impressus fuit in 4. Quæ editio fuit in Bibl. Thuana tom. 2. p. 286. cùmque tarissimè sit obvia, operæ pretium esset prælis iterùm subjicere, judice Fabricio Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 4. pag. 237.

BENEDICTI HERTFELDER Basilica SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindel. an. MDCXLVII.

COSMÆ KNAUF Defensio Imperialis, Liberæ, & Exemptæ Abbatiæ Prumiensis contra Archiepiscopum & Electorem Trevirensem. Vide suprà Cap. II. Sect. I. §. V.

BENEDICTI LAUDATI è Congreg. Casin. Romæ in Collegio Anselmino Ss. Theologiæ & SS. Canonum Professoris longè doctissimi

Pro Monasticis Viris ad Juris Canonici cathedram aditum sibi jure parantibus, examen responsi cujusdam Consulti adversùs Monasticos Viros adpetentes Cathedras I. Can. Neapoli an. 1697. in 4. pagg. 40. Perrarus libellus est, cùm pauca admodùm exemplaria juris publici sint facta, sed rara item eruditione, & exquisita crisi egregiè refertus. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 1. pag. 99.

JOANNIS MABILLONII Opusculum inscriptum *la Mort Chrétienne* Parisiis in 12. anno 1702. de quo Cl. Montfauconius in literis ad me anno 1738. datis: „ *Opusculum Mabillonii* „ diu & frustra quæsivi, ut ad te „ transmitterem. Neque enim id „ miror: nam Opusculum meum, cu„ jus titulus, *La verité de l' histoire* „ *de Judith*, quod typis datum fuit „ anno 1689. ita evanuit, ut nullum „ ejus exemplar, neque penes me, „ neque in Bibliotheca nostra, neque „ apud Bibliopolas invenire possim.„

EDWARDI MAIHEW Martyrologium, quo Trophæa Benedictino-Anglicana continentur. in 4. Remis anno 1625. Dudum mihi ardentibus, irritis tamen expetitum votis.

JOANNIS de MARRE, Episcopi Condomiensis in Gallia, *Euchiridium Sacerdotale*, planè aureum, Parisiis anno 1519. impressum quotusquisque nostrum in Germania oculis usurpavit, ne dicam, manu trivit?

JOSEPHI PERLSII Dissertationes Ecclesiastiæ de Benedictinis Hispaniæ Monasteriis, Mabillonio laudatæ.

JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE Defensio Cathedræ S. Petri, adversùs Declarationem Illustrissimi Cleri Gallicani editam anno MDCLXXII. die xix. Martii. Tomus in folio.

– EJUSDEM *Ludi Salmanticenses*.

CARO-

CAROLI STENGELII *Monasteriologia* Augustæ Vindel. an. 1619. in fol.
-- EJUSD. Comentarius Rerum Augustan. Aug. Vindel. an. MDCXLVII.
-- Basilica SS. Udalrici & Afræ Aug. Vindel. cum Mantissa an. 1653.

Eminentissimus Cardinalis Passioneus, id temporis adhuc Sedis Apostolicæ Nuntius ad Helvetios nulli pepercit operæ, ut Operibus hisce potiretur, sed irrito tamen conatu, velut ipse in Epistola ad Bernardum Pezium, Bibliothecarium Mellicensem, data his verbis testatur: „ Omnia à te habebo, si in Caroli Stengelii Monasteriologiam, & quæ de Rebus Augustanis, de Basilica S. Udalrici cum Mantissa, separatim edita, „conscripsit, quoties per otium licuerit, diligentiam tuam adhibueris. „Nullum enim fructum ex laboribus, „quos apud nonnullos Bibliopolas mihi „sumpsi, hucusque percepi. Lucernæ „anno 1722. Ita Illustrissimus Nuntius; quem in eo tamen sua fefellit opinio, quòd Historiam Basilicæ SS. Udalrici & Afræ à Carolo Stengelio conscriptam fuisse crediderit, cùm illa Auctorem habeat *Bernardum Hertfelder*, amplissimum juxtà ac doctissimum Abbatem San-Udalricanum.

VICTORII SYRI è Congregatione Casinensi Galliarum Regis Historiographi ,

Mercurius, seu *Historia currentis temporis*. Paucissimi sunt, qui hoc Opus completum habeant. Adhuc rariores sunt ejusdem Auctoris *Memoriæ reconditæ*. Vide Auctorem Catalogi præcipuorum Historicorum &c. impress. Parisiis anno 1713. Classe 23. pag. 136.

LEONIS à S. THOMA *Lusitania Benedictina* Conimbricæ an. 1644. in fol. cujus acquirendæ desiderio flagrare quàm reipsa potiri , multò facilius est.

WERNERI, Abbatis S. Blasii in Sylva Nigra *Sermones Postillares* per annum ex SS. Patrum doctrina deflorati hodie rarissimi sunt. Viennæ in Austria Bibliotheca Windhagiana exemplar custodit, quod cùm evolvissem, cogitare mecum cœpi, quanto dignius & utilius excellentes hi Sermones prælo iterùm subjicerentur, quàm hac ætate nostra multorum Concionatorum Opera; qui fors ex sacro suggestu Oratores visi non fuissent, si, quas ad populum habuerunt Conciones, eas subinde typis non evulgâssent.

SECTIO VIII.

PHILOLOGI.

QUo nomine ii omnes designantur, qui variæ ac multiplicis eruditionis libros cùm ediderint, in nullam è superioribus Classibus aptè referri possunt.

S. ALDHELMI Episcopi Schirburnensis in Anglia *Ænigmaton libellus*, quem post editionem Basileensem anno 1557. cum Notis edidit *Martinus Delrio* Moguntiæ anno 1601. in 12. Plura de hoc Opusculo jam diximus in vita Aldhelmi.

VENERABILIS BEDÆ Libellus *De septem Mundi Miraculis*, Opp. Tom. I. pag. 400.

B. RABANI MAURI 1.) *Glossæ Latino-Barbaricæ de partibus humani corporis*. 2.) *De inventione linguarum ab Hebræa usque ad Theodiscam* , & *Notis antiquis* , Opp. Tom. VI. 3.) *Capitula de Romanorum militia* , ad Lotharium Imperatorem scripta. „ Quia, inquit in Dedicatoria Epi„stola , Excellentiam vestram multa „ decet cognoscere , annexui quædam capitula de disciplina Roma„ næ militiæ : qualiter antiqui tyro„ nes institui solebant. Quod ideò „ feci, quia necessarium fore id æsti„ mavi post frequentissimas Barba„ rorum incursiones. Quæ scilicet ex „ cujusdam Flavii Vegetii Renati li„ bello , quem de antiquissimis scri„ psit Romanis, excerpsi atque com„ pegi , breviúsque annotare studui, „ cavens scilicet prolixitatem, & ne „ fortè ea scribere viderer , quæ tem„ pore moderno in usu non sunt: il„ lud etiam prævidens , ne si nimius „ fierem, fastidio potiùs, quàm de„ lectationi inservirem. „ Ita Rabanus in Dedicatione Opusculi de Anima, quod tomo VI. p. 137. extat. Pamelius verò ad marginem notat : *Hoc Opusculum nondum invenimus* , *alioqui adjunxissemus*.

BENEDICTI HIERONYMI FEIJOO, Hispani, Ord. S. B. *Theatrum Criticum & Hispanum*, seu *Discursus varii de omnis generis argumentis* , *ad confutan-*

fitandos vulgari popularíq; sensu receptos errores. Opus ab Authore patrio conscriptum sermone, quàm concinnum, elegans, plenúmq; eruditionis ac prudentiæ, tam in Germania rarum, infrequens, miniméque obvium. Versionem Gallicam adornavit *D. Joannes de Ferreras.* Editiones Hispanæ ad annum 1743. prodierunt quinque, quo labente anno Pater *Feijoo* volumen doodecimum congerere cœpit.

Discursus, qui primom explent volumen, sunt numero sedecim. En eorum titulos. *Vox Populi. Virtus & Vitium. Opulentia & Paupertas. Politica callidissima. Apologia literarum studio vacantium. Astrologia Judiciaria, & Calendarium. Eclipses. Cometæ. Annus climactericus. Mundi senectus. Corollarium super materiam præcedentis Discursus contra Philosophos modernos. Musica in Ecclesiis. Comparatio Linguarum. Defensio Feminarum.* Vid. Correspondence des Savans an. 1743. p. 126. ubi Discursûs primi elegans habetur Recensio ex symbolis Cl. V. P. Oliverii Legipont ejus Academiæ Socii...

ADELARDI, Monachi Bathoniensis in Anglia *liber de septem artibus*, & alius *de sic & non sic*, de quibus vid. Pits. æt. 12.

ALANI ALBRETI, Abbatis Teuksburiensis in Anglia anno 1201. defuncti *Problemata sophistica*, de quibus Baleus III. 46.

JOANNIS LIDGATI, Monachi Buriensis in Anglia, excellentis Philologi, Opera quàm multa Philologica, quæ in vita ipsius superiore libro recensuimus.

LEONARDUS VAIRUS, Beneventanus, scripsit Libros III. de fascino, quos Parisiis an. 1583. Nicolaus Chesnau, Venetiis autem Aldus an. 1589. edidit, quos item Martinos Delrius in Opere suo insigni Disquisitionum Magicarum sæpe citat. Possev. tom. 2. pag. 342.

BENEDICTI à S. GERMANO, Monachi Casinatis, *Proverbia Animalium*, opus à Placido Casinensi Diacono, & Arnoldo Wion pulcherrimum vocatum.

BENEDICTUS GUIDI, Italus, Venetus, in Monasterio S. Georgii Majoris Professus, variorum Monasteriorum in Congregatione Casinensi Abbas, anno 1590. demortuus, scripsit librum *De laudibus Mulierum*, suppresso tamen nomine Authoris. Armell. part. 1. p. 97.

Ceremonie Nuzziali di tutte le Nazioni del Mondo. in Venezia an. 1685. in 12. Author est Dominicus de la Gaya. Translator ex Gallico Casimirus Freschottus è Congreg Casin. ut ex præfatione: In questo piccolo ragguaglio per dilettare qualunque Italiano, che non habbia voluto la briga s'apprendere la lingua Franchese, ha faticato con molto spirito la penna del Signor D. Casimiro Frescotti, il quale senza dubbio appagherà colla sua virtù la curiosità publica,, est pagg. 151. Armell. l. c. part. 1. p. 113.

MENGOR incerti ævi Monachus scripsit *de proprietatibus rerum*, de quo hæc habet Barthius Adverf. lib. 32. p. 1499. Pervenit in manus meas vetus membranaceus codex XIX. librorum de proprietatibus retum ex variis per Angliam, Germaniam, & Galliam libris constructus à Monacho S. Benedicti, qui in fine se *Mengor* appellat. In eo libro multa non inutilia inveni, præcipuè de gemmis, quarum consecrationes mirificas ad varios usus proponit. In eo libro citantur non inepti Scriptores, utpote pag. cc. Damascenus. Ibidem Marcianus, & Beda, item Lucretius. Fine voluminis XIX. memorat suo ævo Galliam & Germaniam copiosiores omnibus regionibus fuisse supellectili libraria. Est is Codex nunc in manu Theodori Zwingeri, à quo facilè impetrabilem arbitror, si quis editioni velit adornare.

CONSTANTINI de NOTARIIS, Itali, Neapolitani, è Congr. Casin. *Il duello dell' Ignoranza, e della scienza fatto principalmente nel campo filosofico diviso in due parti, Sceptica e Dogmatica*; id est: *Duellum ignorantiæ & scientiæ commissum præcipuè in campo philosophico, ac in duas partes, Scepticam & Dogmaticam divisum*; Mediolani apud Hieronymum Bordonum, Petrum Martyrem Locarenum, & Bernardinum Lantonum anno 1607. in 4. & etiam Venetiis anno 1610, per Mathæum Valentinum; opus insigne, quod nobiliorum disciplinarum, ac præcipuarum facultatum officina meritò dici potest; nam potiores quæstiones, & selectiora problemata Philolophiæ, Mathesis, & aliarum scientiarum eruditè pertractat, & sapienter dilucidat, accuratam censuram, & acre judicium, primò de erroribus, ac vitiis, de præstantia deinde, & excellentia graviorum ac celebriorum Authorum solidè pro-

nuntiat nobili, ac nitida usus eloquutione. Scripsit etiam alia duo *de Mundo parvo*, & *Mundo magno* illustria Opera, de quibus videsis Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 1. p. 136.

LAURENTII à GRANIANO, Itali, Abbatis Titularis è Congreg. Casin. *Quodlibeto di varie cose naturali, e necessarie tanto per la vita Civile, quanto Monastica.* Opus Mf. asservatur Neapoli in Bibliotheca S. Severini. Armell. l. c. part. 2. p. 67.

Della Carozza da Nolo, ovvero del vestire, ed usanza alla moda lib. 2. di Gio. Tonta Pagnalmino (id est anagrammaticè di D. Agostino Lampugnani) in Milano per Lodovico Monza. 1649.

Della Carozza di ritorno, ovvero dell' esame del vestire alla moda lib. 2. di Gio. Tonta Mangnalpino (eodem nomine inverso) in Milano apud eundem anno 1650. Armell. part. 1. pag. 61.

LEONIS PAVONII, Itali, Tudertini, Abbatis Perusiæ in Monasterio S. Petri, tum aliorum Monasteriorum Congr. Casin.

Bibliothecæ Apparatus Catholicus, Historicus, Philosophicus, scientiarum floribus, Apum ingenioso melle refertus, ad publicam moralis Lecturæ munus accomodatus, in quo studiosorum labori in volutandis libris, per Auctorum Summulas è suis originalibus æquè provisum, materiarum omnium Divinarum, Ecclesiasticarum, Historicarum, Humanarum, Prophanarum, ad Theologos, Jurisconsultos, Historicos, Philosophos, Medicos, Mathematicos, Concionatores, & Academicos quosque directum opus, ita ut omnium scientiarum Encyclopedia vocari possit, tomi duo in fol. mss. in quorum primo agitur: *De creatione, & origine Mundi, Libris V. De Origine nascentis Ecclesiæ, & progressu. De Christi glorificatione, & Apostolorum prædicatione. De Antichristo & Innovatione Mundi* lib. IV. Additur *Auctarium* ejusdem primi tomi lib. 1.

Secundus tomus habet: *Ecclesiæ militantis Acta*, id est: *de Conciliis, & Summis Pontificibus, de Sacramento, de Schismate*, lib. 1. *De Papali suprema dignitate, de Cardinalibus, Episcopis, de Conclavi, Canonibus Pœnitentialibus, Indulgentiarum Thesauro* &c. lib. 1.

Miscellaneorum lib. in fol. mf. Magna hæc volumina extant mss. in Bibliotheca Monasterii Perusini, quæ se ibidem vidisse testatur Armellinus l. c. part. 2. pag. 75.

BENEDICTI BACCHINI Abbatis de la Croma è Congr. Casin. Dissertationes de variis rebus eruditissimæ, quas *Diario Literatorum* Italicè à se scripto, & tomis IX. comprehensis intexuit, inter quas celebris illa est *De Puella noctû vidente*, quæ impressa denuo fuit à Literatis Batavis, teste Armellino loc. cit. part. 1. pag. 78.

Evax Rex Arabum de lapidibus pretiosis scripsit, cujus librum in carmina redegit Marbodus Redonensis Episcopus, tum Monachus O. S. B. ut ipse in exordio libelli sui de gemmarum, lapidúmque pretiosorum formis, naturis, atque viribus fatetur, quem cum aliis ejus carminibus edidit Ant. Beaugendre è Congreg. S. Mauri in appendice ad Opera V. Hildeberti.

OLIVERII Malmesburiensis Monachi an. 1060. mundo denati liber *De Geomantia.* Baleus II. pag. 51. Pitseus pag. 187.

ALEXANDRI LELLI, Itali, Perusini, è Congregatione Casinensi *Fragmenta varia, Sacra, Ecclesiastica, & Poëtica.* Omnia Mf.ta, de quibus vid. Armell. l. c. part. 1. p. 4.

ANGELI de FAGGIIS, vulgò Sangrini, Abbatis Casinensis ad Christianissimum Galliarum Regem Henricum II. de dirimendo cum Turcis fœdere carmen Phaleucium, quod incipit:

Eheu quàm grandis ad astra clamor,
Ingens luctus ubique fremit, unde
Tot suspecta fulgurant per arma &c.

Vide Armell. loc. cit. parte. 1. p. 26.

HENRICI HEINLIN Therensis in Franconia Cœnobitæ, ac in Universitate Salisburgensi Philosophiæ ac Theologiæ Moralis Professoris percelebris.

Lustrum doctrinale ex quintuplici doctrinæ genere, Historicæ, Poëticæ, Philosophicæ, Juridicæ, ac Politicæ in 8. Norimbergæ. an. 1701.

JOANNIS TRITHEMII *Curiositas Regia*, seu *Liber OctoQuæstionum*, quas illi dissolvendas proposuit Maximilianus Cæsar 1. *De fide & intellectu.* 2. *de fide necessaria ad salutem.* 3. *de miraculis infidelium.* 4. *de Scriptura sacra.* 5. *de reprobis atque maleficis.* 6. *de potestate maleficarum.* 7. *de permissione divina.* 8. *De Providentia Dei.* Opusculum perquam utile ac lectu ju-

jucundum prodiit Coloniæ an. 1534. in 12. & jam priùs an. 1515. Oppenheimii in 4. impensis Joannis Hasselbergen de Augia Constant. Diœcef.

CAROLI STENGELII Abbatis Anhusani *Hortensius* & *Dea Flora cum Pomona*, historicè, tropologicè, & anagogicè descripti. Augustæ Vind. typis Andreæ Aperger 1647. in 12.

-- *Hortensii* Tomus II. *De Pomona & Arboribus*. Ibid. apud eundem an. 1647. in 12.

SECTIO IX.

Scriptores, quorum Opera conjunctim edita.

Bibliothecis Benedictinis ejuscemodi Opera deesse è nullo decore est; pro iisdem verò comparandis notitia, quam tamen brevissimâ daturi sumus, prodesse ac commodare poterit.

S. GREGORII M. Opera *Romæ* 2. vol. an. 1588. 1593. *Basil.* 1564. 2. vol. *Antverp.* 1572. 1615. *Parif.* 1605. 1640. & 1705. per Dionysium Sammarthanum Tomis IV. comprehensa, quæ præ aliis comparanda est.

V. BEDÆ Opera *Parif.* 1544. 1554. *Basil.* 1563. *Colon.* 1612. 1688. Quæ omnes tamen editiones numeris omnibus absolutæ haudquaquàm sunt; unde novam à Benedictinis adornandam esse jam alio loco monuimus.

M. AURELII CASSIODORI Opera impressa sunt duobus tomis in fol. Rotomagi anno 1679. impensis *Antonii Dezallier* Bibliopolæ Parisiensis, & collata fuerunt cum Mss. Codd. curis *Johannis Garetii* è Congreg. S. Mauri, præmissâ dicti Cassiodori vitâ de ejusdem Monachatû Benedictino. Novam editionem promisit multis ante annis Illust. Maffeius. Recusa tamen fuit editio Garetiana typis Anton. Groppi Bibliopolæ Veneti an. 1729. in fol.

MARTINI Episcopi Dumiensis Opuscula, quæ superant, edita studio Gilberti Cognati Nozereni. Basileæ Robertus Winter 1545. in 8.

S. COLUMBANI Opera junctim edidit *Patricius Flamingus* Ordinis Minorum Lovanii an. 1667. Vide Waddingum Bibl. Ord. Minor. pag. 272.

B. ALCUINI Opera omnia ab Andrea Quercetano collecta Parif. 1617. in fol. Quæ autem in eadem editione non obvia sub *Alcuini* nomine vulgata fuerunt, plura sunt, de quibus vide, quæ libro superiore in vita ejusdem *Alcuini* diximus.

B. RABANI MAURI Opera, quotquot reperiri potuerunt, collecta olim à Jacobo Pamelio, ac deinde operâ studióque *Georgii Colveneri* in lucem typis Coloniensibus emissa 1627. fol. Tomis VI. Desiderantur verò in iisdem quàm plurima; unde novam editionem à Benedictinis adornandam suadet R.mus Abbas Calmet. Nos de Tomo VII. vel etiam VIII. in lucem emittendo cogitamus.

HINCMARI Remensis Archiepiscopi Opera post Joannem Cordesium, & Joannem Bulæum collegit, atque accurato, ut solet, studio edidit *Jacobus Sirmondus* Soc. Jes. Parif. an. 1645. fol. Tom. II. *Ludovicus Cellotius* S. J. quatuor *Hincmari Opuscula* de *Ecclesiastica libertate* adversùs Hincmarum Laudun. unà cum Concilio Duziacensi non solùm in lucem protulit, sed etiam notis ac observationibus eruditis illustravit, quæ ad innocentiam Hincmari Remensis vindicandam non parùm faciunt. Inserta etiam sunt Concil. Tom. VIII. pag. 1732. ibique etiam pag. 1789. exhibentur Epistolæ VIII. quas Hincmarus Remensis ad nepotem suum Hincmarum Laudunensem scripsit. Erutæ fuerunt ex codice Bibliothecæ Vaticanæ, & tunc primùm juris publici factæ, quas proinde in Operibus Hincmari frustra quæras.

S. PASCHASII RADBERTI, Abbatis Corbeiæ Veteris in Gallia, Opera edidit doctissimus Jacobus Sirmondus Parif. 1618. fol. desiderantur verò in hac editione aliquot magni momenti Opuscula, quæ à viris doctis luci publicæ subinde vindicata fuerunt.

B. SERVATI LUPI Abbatis Ferrariensis Scripta junctim vulgavit Stephanus Baluzius Parif. in 8. an. 1664. apud F. Muguet, quæ subinde Antverpiæ an. 1710. in 8. veriùs Lipsiæ recusa fuerunt.

BEATI LANFRANCI Archiepiscopi Opera Parif. in fol. 1648. editore Luca Dacherio è Congr. S. Mauri.

S. ANSELMI Cantuar. Archiepiscopi Opera prodierunt omnia in IV. Tomos distributa, studio *Theophili Ray-*

Raynaudi S. J. Theologi Lugduni fol. 1630. apud Durantium. Multò autem accuratiùs impressa sunt in fol. Parisf. apud Ludovicum Billaine anno 1675. cura & studio Gabrielis Gerberon è Congr. S. Mauri.

B. PETRI DAMIANI Opera per Constantinum Cajetanum in fol. Romæ an. 1606. Lugduni tribus tomis an. 1623. Parisiis 1642.

RUPERTI Abbatis Tuitiensis Opera 2. vol. in fol. Parisiis 1630. & an. 1648. cura Gregorii Tarissii è Congr. S. Mauri. Has editiones præcesserunt Colonienses plures in 4. an. 1528. 1532. & seq. ultima est Venetiana an. 1748. in fol. auctior.

S. BRUNONIS Astensis, Episcopi Signiensis Opera per Maurum Marchesium in fol. Venetiis an. 1651.

GUIBERTI Abbatis de Novigento Opera per Lucam Dacherium, fol. Parif. 1651.

GOFFRIDI Abbatis Vindocinensis S. Priscæ Cardinalis, *Epistolæ*, *Opuscula*, *Sermones* per Jacobum Sirmondum in 8. Parisiis 1610. & in editione Regia Parisiis an. 1696. Tomo III.

PETRI CELLENSIS Opera per Ambrosium Janvier è Congr. S. Mauri in 4. Parisiis an. 1671.

PETRI ABÆLARDI Opera quàm plurima in unum volumen congesta labore & studio *Francisci Amboesii*, Equitis, Regis in Sanctiori Consistorio Consiliarii, Baronis Charbæ &c. prodierunt Parisiis an. 1616. in 4.

S. PETRI MAURITII cognomento *Venerabilis* Abbatis Cluniacensis Opera in fol. min. edidit *Petrus de Montmartre*.

BERNARDI PLACENTINI è Congr. Casin. Abbatis anno 1486. demortui Opuscula 1.) *De contemptu mundi, & assumenda religione, & de institutione Novitiorum* lib. 1. 2.) *De Primordiis Institutionis Monachorum Congregationis S. Justinæ* lib. 1. 3.) *Quomodo debeat Religiosus in Monasterio conversari, & de modo orandi* lib. 1. 4.) *De Resurrectione Christi* lib. 1. omnia unico libro comprehensa, excusa sunt post ejusdem obitum Cremonæ an. 1511. Vid. Armell. part. 1. pag. 106.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Opera Spiritualia* per Joan. Busæum Moguntiæ 1605. Conspectum novæ editionis omnium Tritemii Operum Tomis VII. comprehensæ edidit anno 1746. Cl. Olivetius Legipont.

VEN. LUDOVICI BLOSII, Abbatis Lætiensis, Opera in fol. Antuerp. 1632. Ingolstadii an. 1726.

IGNATII CLAVENAU Opera Ascetica, Salisburgi in 4. anno 1720.

JOANNIS MABILLONII, & THEODERICI RUINART è Congr. S. Mauri *Opera Posthuma* trib. vol. in 4. Vide Criticam Philippi le Cerf Bibl. Hist. Crit. cui titulus editioni præfixus minùs probatur.

S. HILDEGARDIS Opuscula edita studio Justi Blanckwalt Coloniæ, hæred. Joannis Quentel 1566. in 4.

DIONYSII FAUCHERII Ven. Patris ac Monachi Lerinensis & Civis Arelatensis, olim dispersa, nunc primùm à D. Vincentio Barrali Salerno, Monacho Lerinensi in unum congregata. Lugduni an. 1613. in fol. Extant post Chronologiam Lerinensem.

Cure Sagre e Letterarie dell' Emminentiss. e Rev. Signor. Cardinale Angelo Maria Quirini Vescovo di Brescia redutte palesi nella presente Raccolta publicata dell' Abbate Antonio Sambuca in 4. maj. an. 1746. Continentur in hac collectione præfationes, literæ pastolares, sermones, & alia minora scripta, quæ Em. Cardinalis variis occasionibus concinnavit. Interim ut hoc obiter moneamus, editionem novam Operum Em. *Card. Quirini* in Germania, & in usus *Orbis literati Septentrionalis* accurandam in se suscepit Jac. Wilhelm. Feverlinus Publicus Professor Univers. Göttingensis. Vide Decad. v. Epistolarum Card. Quirini Epist. VI. pag. IV. Faxint superi ut brevi prodeant!

SECTIO X.

Authores Operum imperfectorum.

QUorum nomine illos intelligo, qui libris scribendis manum quidem admoverunt, sed vel morte intercepti, vel aliis negotiis præpediti, supremam iisdem non imposuerunt: quibus addi possunt, qui pro conscribendis operibus sylvam, ut ajunt, materiarum indefesso studio congesserunt.

S. IL-

S. ILDEPHONSUS præter typis edita *scripsit alia multa, quæ variis rerum ac molestiarum occupationibus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit.* Julianus in vita.

S. BENEDICTUS, Abbas Anianensis, celeberrimus Ordinis Benedictini reformator de hac sententia: *diverte à malo, & fac bonum*, librum facere cogitaverat, ut Ardo in illius vita his verbis memoriæ prodit: „ Quibusdam verò hoc inculcare solitus erat: „ Si plurima tibi impossibilia esse præcepta noscuntur, hoc exiguum serva præceptum: Declina à malo, & fac bonum; quæ sententia ei ita familiaris extitit, ut tempore mortis collectis omnium Patrum sententiis unum ex ea vellet conficere librum. „ Vid. Edm. Martene in Coment. in Prolog. Reg. S. B. p. 17.

WALAFRIDUS STRABO libros duos de vita & miraculis S. Galli illigato sermone à se scriptos metro reddere cœperat, sed opus imperfectum reliquit, Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 496.

S. ANSELMI LUCENSIS Commentatio in Psalmos, sed imperfecta. Mabill. Annal. tom. v. p. 228.

WASSELINUS, cognomento *Mommalius*, Abbas S. Laurentii Leodiensis scripsit præter cætera librum *de Concordia Evangeliorum, & expositione eorum*, opus equidem clarum & utile, sed quod studiosus doleat Lector remansisse imperfectum. Reinerus Lib. 1. de Scriptor. Monasterii sui, qui extat Thes. Pez. Anecdot. Tom. IV. part. 3.

GUILHELMUS CELLINGUS propè Feversham oppidum in Anglia natus, Monachus Cantuatiæ ad S. Salvatorem. Vir ad pietatem & bonas literas à natura formatus. Postquàm intra privatos parietes politiorem doctrinam & artes liberales percepisset, aspirans ad majora, ab Abbate & Capitulo suo licentiam petiit, & accepit in Italiam studiorum causâ proficiscendi. Adiit igitur Bononiam, ubi juris utriusque studiis seriò incubuit, & Angelo Politiano Doctore celeberrimo familiarissimè usus est. Antiquitatum etiam curiosus admodùm scrutator veteres codices, tum Græcos, tum Latinos ubique per Italiam conquisivit, & tanquam thesaurum exoptatissimum, secum in Angliam Cantuariam detulit. Nec diu inter suos ibi resederat, cùm communi omnium suffragio Abbas eligeretur. In qua dignitate constitutus, cùm se præclarè gereret, fama virtutis & eruditionis percrebescente, Rex ejus consilio nonnunquam in rebus arduis usus est, eúmque Romam aliquando Legatum & Oratorem misit, erátque vir in omnibus prosperè agens: nisi hoc uno fuisset infelix, quòd morte præventus scriptis suis ultimam limam adhibere nequaquam potuerit, & quòd non multo post ejus mortem tempore, omnes prorsùs illius lucubrationes imperfectæ ut erant, incendio fortuito Monasterium intempesta nocte invadente, gravissimo studiosorum detrimento miserè perierunt. Vixit anno, postquàm Verbum caro factum est, 1490. & Cantuariæ tandem diem suum obiit, ibique sepultus. „ Hæc Pitseus æt. 15. p. 852. ex Lelando. Quod verò dicatur *Guilhelmum Cellingum* Bononiæ in studio Juris utriusque Angelo Politiano Doctori celeberrimo operam dedisse, tam à vero remotum est, quàm quod remotissimum; Angelus Politianus fuit, ut minùs Latinè loquar, bonus Humanista, sed nullus Jurista. Nunquam Bononiæ, sed Florentiæ in Gymnasio Græcas & Latinas literas politiores docuit, quibus eum fuisse exeultissimum haud inficias iverim.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Opus prolixum de origine, acquisitione, pulchritudine ac utilitate virtutum in genere, & in specie*, quod quia ad eam perfectionem quam volebat, perducere non potuit, flammis abolevit, prout ipse narrat in Chronico Spanheimensi ad an. 1488.

JOANNES IV. Abbas S. Arnulphi Merensis, vitam antecessoris sui B. Joannis Abbatis, vulgò *Gorziensis* (quia priùs huic monasterio præerat) scribere aggressus, imperfectum immaturâ morte præreptus reliquit. Vid. Calmetum in Hist. Lotbar.

IGNATII SQUARCIALUPI Abbatiæ Florentinæ S. Mariæ alumni anno 1475. & posteà totius Congr. Casin. quinquies Præsidis *Historia Abbatiæ Florentinæ* nondum tamen completa. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 11.

ADRIANUS AMALTHÆA, Neapolitanus in S. Severini Cœnobio ibidem an. 1526. Professus præter typis excusa multa alia tam in Casibus conscientiæ, quàm in sacris Literis scripsit, quæ morte præventus imperfecta reliquit. Wion Ligni Vitæ part 1. l. 2. c. 62. p. 397. Possevin. in Appar. Sac. Armell. Bibl. Casin.

JACOBI CAVACII, Itali, Patavini, è Congr. Casin. à viris literatis sui ævi *Ingenium Portentum* vocati *Illustrium Anachoretarum Elogia*, sive *Religiosi Viri Musæum*, Opus posthumum, nec correctum, nec completum, sed magni operis exigua portiuncula, quam Author pressus ingenti mole negotiorum unius anni spatio elaboravit: in lucem prodiit primùm Venetiis ex Typographia Pinelliana an. 1625. in 4. Liber in Germania perquàm rarus, editionem tamen Venetam vidi in Bibliotheca Monasterii ad Scotos Viennæ in Austria.

BARTHOLOMÆUS AVEROLDUS, ex Abbate Leonensi in agro Brixiano Archiepiscopus Spalatensis in Dalmatia, Vir doctissimus, in sacram Scripturam gravissimas animadversiones incœpit, quas tamen immaturâ morte præventus perficere non potuit. Armell. part. 1. pag. 71. Octavius de Rubeis in Elogiis Historicis Illustrium Brixiensium pag. 188. & seq.

LEONARDI RUBENI *Dictionarium Biblicum* ad Literam P. perductum, quod Abbas Abdinckoffensis electus ob varia negotia, quibus distentus fuit, intermittere debuit. Vide, quæ libro superiore in ejusdem vita diximus.

CÆLESTINI SFONDRATI Abbatis & Principis San-Gallensis S. R. E. Cardinalis *Historia Atheismi*, Opus Mss. imperfectum, asservatur in Bibliotheca San-Gallensi. Vid. Hist. Univers. Salisburg. Lib. II. cap. VII. pag. 333.

JOANNES GASPAR BERRETA, Italus, Mediolanensis è Congreg. Casin. postquam varia reconditæ eruditionis opera typis vulgavit, aggressus etiam fuerat ingens opus in tres partes distribuendum, sed ob mortem inclyti Mæcenatis sui, ex ordine Senatorio, cujus nutu scribere cœperat, opus minimè absolvit; quamvis pro illo absolvendo opportunam materiam, seu (ut dicunt) sylvam collegerit: Operis autem Idea hæc est:

I. *Metropoleon Civilium Universi Orbis* antiqui, Barbari, Judaici, Græci, geminique Romani Penegesis plenissima cum perpetuis Vindiciis in Novatores. Prodromus, ad Insubrum Sacri Senatûs Historiam Politico-Literariam.

II. *Mediolanum Metropolis Civilis.* Hoc est summi Magistratûs perpetua Sedes: sive Insubrum Sacri Senatûs Historia Politica.

III. *Insubrum Sacri Senatûs Historia Literaria.* Hoc est Scriptorum ex Ordine Senatorio Acta, & Scripta edita vel anecdota; cæterorúmque hactenus cognitorum à I. Duce nostro ad hoc tempus eruditio, plerumque per testes ostensa.

Scribere etiam cœperat sequens opus, sed verebatur Abbas Armellinus, ne non illud adhuc absolverit, vel unquam absoluturus sit, ob provectam ejus ætatem & multiplices alias occupationes.

I. *Prodromo Ticinense* agli Anni memorabili della Regia Città di Pavia, e del suo antico Principato; Dove in XII. Discorsi trattasi.

1.) *De' Primi Abitatori* delle nostre Contrade Traspadane avanti i Toschi. 2.) *Da chi fu data al Vico Ticino* la forma di Città Barbara. 3.) *Se Colonia Romana*: Quando Municipio; & di quale Tribu. 4.) *Dell' etè* del suo Protovescovo S. Siro, controversa ne' tempi presenti. 5.) *Quando, e perche* detta Pavia. 6.) *Cronologia riformata* de' suoi Rè Longobardi. 7.) *Apologia* del legitimo loro Regno contra G. V. 8.) *Se la Sede* del Langobardico Regno fosse da quì altrove trasferita da Ottone III. 9.) *Se per questa Città* sia si fatto l' Epigramma Legnino ora al Ponte del Fiume Ticino. 10.) *Quando*, e da chi fabricossi questo Ponte. 11.) *Reliquie* di sue antichità: Bronzi, Marmi Romani, Greco-Barbari, Gotici, Langobardici, e de' tempi posteriori, Torri &c. illustrate. 12.) *Suoi Cittadini illustri* per dignità Ecclesiastiche, e per Magistrati Civili fuori della Patria, per Ufficj Militari, e per eccelenza nelle Arti.

II. *Anni Memorabili* della Regia Città di Pavia, e del antico suo Principato, tratti dagli Annalisti, e Storici più Classici delle cose d' Italia. III. *Pavia erudita*, ovvero Raccolta de' suoi Scrittori, del suo antico Principato giunti fin' ora alla notizia d' un suo Cittadino. IV. *Scriptorum* Academiæ Ticinensis Collectanea binis dissertationibus.

I. *De Scholis Paviæ.* II. *De hujus Academiæ præmissis.* Vid. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Casin. part. 2. p. 42.

MAURUS MARCHESIUS, Siculus, Panormitanus, è Congr. Casin. in fine suæ Dissertationis Historicæ Operibus S. Brunonis Astensis à se Venetiis anno 1651. per typos evulgatis præfixæ spopondit, se evulgaturum Doctores Ordinis Monastici *ex locupletissimo penario R.mi Abbatis D. Constantini Cajetani*,

jetani, qui optimorum monumentorum Promuscondus in Bibliotheca sua Anicianа insigniores quosque Benedictinos Scriptores asservavit, à sese multorum annorum longo spatio, ac diuturna industria comparatos. Sub prælo etiam habebat Marchesius *Vitam S. Gertrudis, S. Scholasticæ, & aliarum Sanctarum*, sed morte præventus, earum impressionem absolvere non poterat; prælo item paraverat tomos 12. in fol. quibus titulum apposuerat:

Duodecim Cophini Fragmentorum, quæ supersunt è mensa Benedictina, in quos congessit Opera omnia sive integra, sive manca Scriptorum Benedictinorum ex Archivis, ac Bibliothecis extracta, in quibus ob incuriam præcedentium delitescebant; reliquit pariter plura alia edenda, quæ videsis apud Armell. Bibl. Casin. Congr. part. 2. pag. 102.

BERNARDI HONTIVEROS, Hispani, Primarii Theologiæ Professoris in Ovetensi Academia, tum Episcopi Calagurritani *Lacrymæ Militantis Ecclesiæ* propter laxas Casuistarum opiniones. Opus imperfectum. Vide Libri II. Caput I. Sect. IV.

NICOLAI de TEDESCHIS, vulgò Abbatis Panormitani, *Commentarius in Decretum*. Joannes Trithemius libro de Script. Eccles. tametsi affirmet Abbatem librum unum imperfectum super Decreto scripsisse, tamen non constat, quousque in eo pervenerit, cùm inter ipsius opera non reperiatur. Felinus verò in additionibus ad prius opus Abbatis in Decretum, ait Abbatem super Decreto cœpisse scribere, dum esset Basileæ, & scripsisse super prima distinctione duntaxat. Joanni Crusio, qui Panormitani verba *in c. Abbas* 18. *q.* 2. allegat, respondet noster Romanus Hay in Horti Crusiani Floribus pag. 131.

QUIRINUS RESTIUS Abbas Tegernseensis in Sacra Theologia ac utroque Jure minimè hospes, aliisque literis ornatus reliquit in Mf.tis tres Libros Exhortationum domesticarum de disciplina religiosa monastica. Tractatum de Bibliotheca & Archivo Tegernf. Item alium de Origine & successione Bavariæ ex stemmate Agilolfingico usque ad sua tempora. Item Vitas & Martyria SS. Quirini, Chrysogoni, & Castorii, aliorúmque Monasterii sui Tutelarium, nec non & Librum de successione Dominorum Abbatum Tegernf. Quæ pluráque alia negotiis præpeditus imperfecta & manca reliquit. Vid. Monum Tegernf. apud Pez. Anecd. Thes. tom. 3. part. 3. pag. 570.

GUILLELMUS hujus nominis Abbas tertius Monasterii S. Germani à Pratis dictus *Episcopus*, ob. 1418. Commentatus est in priora XVIII. capita Genesis, in reliqua etiam commentaturus, nisi in Abbatem electus, aliis negotiis fuisset præpeditus. *Jacques Bouillart* in Hist. Abbat. S. Germ. pag. 165.

JOANNIS RODE Abbatis S. Mathiæ Trevirensis anno 1439. defuncti Opus imperfectum in Genesim, cujus ex Antonio Mesenich meminit Gabr. Bucel. Germ. Sacr. Part. II. p. 225.

ADAMUS ADAMI, Monachus Brauweileranus, & posteà Episcopus Hierapolitanus, Regulam S. Benedicti descripsit propria manu sua, cum multis constitutionibus Papæ Benedicti XII. super Ordine S. Benedicti. In primo folio hujus ab eo conscripti libri, R.mus Dominus Abbas *Franciscus Molitor*, qui Abbas fuerat in Northeim, sed temporum injuria expulsus, ad Monasterium S. Godehardi, in quo professus, reversus est, in eo officio Prioris usque ad mortem functus, ille de Adamo Adami scribit sequentia: „ Hunc librum, & quæ in „ eo continentur, propria manu sua „ conscripsit in annis 1641. 1642. „ 1643. Adamus Adami Prior Mo„ nasterii S. Jacobi propè Moguntiam „ professus, aliàs in Brauweiler, & „ quidem Privilegia Ordinis ex ipsis „ originalibus, intendens pleniorem „ pro Ordine & origine Congregatio„ nis Bursfeldensis informationem „ edere, sed aliis publicis, etiam Ro„ mani Imperii negotiis impeditus, & „ anno 1663. die 19. mensis Februa„ rii, ex cholica passione, subitanea „ morte præventus non expedivit, „ licèt in parte non parva initium jam „ fecisse sciebatur. Sepultus est in „ sacello S. Laurentii, in ambitu Ca„ thedralis Ecclesiæ Hildesiensis. „ Plura in monasterio S. Godehardi de eo non inveniuntur. Vid *Jo. Godefred de Meieren* in additamentis ad præfationem Historicæ Relationis de Pacificatione Westphalica auctore Adamo Adami N. VII. p. 7. Plura de Adamo occurrunt in recessibus Capitularibus Congr. Bursfeld.

EDMUNDUS MANICOR, Styrus, Græcensis, Monachus Admontensis ex Controversiarum Fidei Professore in Universitate Salisburgensi Consiliarius

rius Principis Corbeiensis, ac Vicarius in Spiritualibus Generalis Opus illud laboris plenum *Repertorium*, seu *Concordantiam in Corpus Juris* concinnare aggressus est, quod tamen præmaturâ morte interceptus imperfectum reliquit. Vid. Hist. Univers. Salisburg. pag. 339.

BENEDICTI BACCHINI, Abbatis è Congr. Casin. doctrina & eruditione clarissimi Liber *De Viis antiquorum Romanorum per Italiam*, quod tamen opus cum Autor primæva ætate scribere cœpisset, aliis posteà operibus intentus minimè absolvit. Armell. part. 1. p. 81.

HIPPOLYTI PUGNETTI, Itali, Placentini, è Congr. Casin. *Bacchinianæ Bibliothecæ Epitome*, in qua libri omnes tam à Bacchino compositi, quàm aliorum Authorum pro suo usu à Bacchino ipso comparati (optimæ sanè Notæ) referuntur, & compilantur, sed incompletum est hoc opusculum.

-- *De Scriptoribus Placentinis, ac Parmensibus* incœptum Opus. Armell. l. c. p. 230. & 231.

BERNARDI PEZII *Bibliotheca Mellicensis*, tribus in fol. proferenda Voluminibus, quorum primo notitiam locupletem ducentorum Codicum Manuscriptorum dare voluit, qui in Bibliotheca Mellicensi adservantur: secundo Catalogum Manuscriptorum totius Austriæ cum Criticis observationibus: & tertio inedita veteris ævi monumenta. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. tom. v pag. 203. ubi hæc habet: Pezii autem & hoc aliisque, & præclaro tetrateucho Anecdotorum Opere, & undecim Bibliothecæ Asceticæ voluminibus *præclarissimè* promeriti de hisce literis non possum meminisse, quin ejus hoc ipso anno 1735. extincti obitum vehementer doleam: doleámque fata intercessisse Bibliothecæ ejus Mellicensi.

GODEFRIDUS BESELIUS Abbas Gottwicensis in Austria inferiore, Chronicon sui monasterii, emisso in lucem quindecim abhinc annis ejus Prodromo duobus voluminibus in fol. typis se proximè exscripturum Orbi literario fidem suam obligavit; quis verò Trojano huic equo frænum injecerit, quòd post tria lustra nondum in publicum prodiverit, ignoramus. Ejus tamen desiderium se ferre posse dicunt Viri eruditi, cùm Fratres Pezii Catalogum Abbatum Gottwicensium & præcipua Diplomata vulgârint; Historia etiam Fundationis in Topographia Austriæ habeatur; cætera verò de Viris Illustribus aliisque memorabilibus ad pauca redeant; quorum verò incredibili flagrant cupiditate, sunt *Austriæ antiqu. & mediæ Geographia*, *Nummophylacium Gottwicense*, & id genus plura, quorum descriptio Reipublicæ Literariæ tam grata est futura, quàm quæ gratissima.

SECTIO XI.

Scriptorum Libri deperditi.

FRustra quis à nobis exspectet, ut Benedictinorum Opera deperdita ad unum omnia, nullis prætermissis, recenseamus; ea enim vis ac multitudo est, ut eorum numerus nulla ratione iniri queat. Ubi est regnum, regio vel provincia, in quibus Monasteriorum Bibliothecæ ab incendiis, hostium direptionibus, aliisque infelicibus fatis integræ & incolumes remanserunt? Quid de sola Anglia dicam, quam, ut Henricus Warthonus vult, nulla Orbis Christiani regio Scriptorum, (quos inter Benedictini minimè pauci fuerunt) numero antecelluit? „ Horum autem pars „ minima ad nos transmissa est; haud „ ita temporis injuria tamen, quàm „ sacrilegio intercepta. Perierunt „ pars maxima, quando avara seculi „ superioris iniquitate Monasteria „ eversa sunt, Ecclesiæ Collegiatæ „ demolitæ; Bibliothecæ utrarumque direptæ, laceratæ, vilissimis „ usibus, vel etiam flammis damnatæ. Atque utinam Ecclesiæ Cathedrales, (quarum minimè octo Monachi Benedictini possederunt) sacrilegorum rapinam effugere potuissent! Harum etiam aliquot Archiva homines nequissimi mutilârunt, distraxerunt, fœdârunt. Id „ in plurimis avaritia & impietas, in „ nonnullis superstitio effecit. Com„ peri enim Episcopum quemdam „ ante centum & quod excurrit an„ nos, avitæ superstitionis prætextu, „ omnia Ecclesiæ suæ munumenta & „ Regi-

„Regiſtra igni tradidiſſe. „ His verbis Warthonus, tametſi à Sacris Romanis alienus, iniqua Benedictinarum in Anglia Bibliothecarum fata deplorat: ſed miſſis nil jam proficientibus lamentis, perpaucos Scriptores, quorum Opera exciderunt, more noſtro recenſeamus.

S. GREGORII MAGNI varia Scripta in cineres à Romanis redacta eſſe, memoriæ prodit Sigebertus Gemblacenſis de Scriptor. Eccleſ. Cap. XLI. his verbis: „ Scripſit & alia, quæ „ à Romanis poſt mortem ejus com„ buſta ſunt, qui & omnia ejus opera „ combuſſiſſent, niſi Petrus, Diaco„ nus ejus, interveniens confirmâſſet „ jurejurando, ſe vidiſſe Spiritum S. „ quaſi columbam ſuper caput Gre„ gorii tractantis, ſedeotem, roſtium „ ſuum illius auri inſerentem; & hoc „ ipſum Petrus hac condirione ſecit, „ ut ſi ipſe poſt factum jusjurandum „ ſtatim moreretur, Romani à libris „ Gregorii comburendis ceſſarent: ſi „ non moreretur, ipſe etiam combu„ ſtoribus librorum manus daret. Sic „ Petrus inter verba juramenti expi„ ravit, & Romanorum inſania ceſ„ ſavit. Hæc Sigebertus ex Joanne Diacono in vita Gregorii. At enim hanc narrationem, inquit Mabillonius ad an. Chr. 604. pag. 285. Scriptoribus Johanne antiquioribus ignotam, rejicit Cardinalis Baronius, nec immeritò ſanè; maximè cùm Paulus Diaconus de columba Gregorio aſſiſtente agens, ubi opportuna hujus rei commemorandæ occaſio erat, nihil ſimile de Petro Diacono referat.

CASSIODORI libros inter deperditos primum locum teoet *Hiſtoria Gothorum*, quam temporum injuriâ nobis eripuit; aliorum ſyllabum texit Dionyſius Sammarthanus in vita.

S. MARTINI ex Abbate Dumienſi Braccarenſis Archiepiſcopi *Volumen Epiſtolarum*, in quibus hortatus eſt ad vitæ emendationem, & conſervationem fidei, orationis inſtantiam, eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia culturam virtutum omnium pietatem. Has epiſtolas hodie deſideramos cum aliis, de quibus vide Fabricium Bibl. med. & inf. Latin. Tom. V. pag 2.0.

S. ALDHELMI Epiſcopi Schirburnenſis Opus *de P.ſchate* contra Britannos Quartadecimannos ſuæ ætatis, intercidit.

VEN. BEDÆ Opera deperdita in ejus vitâ recenſuimus.

S. BURCHARDUS ex Monacho Nuiſcellenſi Epiſcopus Herbipolenſis, multa procul dubio ſcripſit, quæ pene omnia cum ipſis ſuis titulis perierunt. Nam apud Hiſtoricos (ſunt verba Pitſei) invenio, eum, quo tempore præ infirmitate & ſenio, relicto epiſcopatu ſuo, ſe in monaſterium Hochemberg recepit, ſecum accepiſſe omnes libros, quos ipſe conſcripſerat, eóſque ibi cum fratre ſuo Siguino reliquiſſe, ut ex Capravio, Lelando, & aliis colligo. Verùm ubi nunc illi libri ſint inveniendi, vel quinam fuerint eorum tituli, me latet. Illud unum conſtat, quòd cùm jam Epiſcopatum eſſet reſignarurus, habuerit ad clerum, & populum congregatum

De ſubſtituendo ſucceſſore prol.xum & elegantem orationem. Vid. Pitſ. æt. 8. pag. 164.

TOBIAS ex Cantuarienſi Monacho *Roffenſis* Epiſcopus complures reliquit libros, à ſe elucubraros, ſed quos Danorum depopulatrix flamma in cineres omnino redegit. Jo. Leland. de Script. Angl. cap. 13.

S. ADALHARDUS Abbas Corbeiæ Veteris, & Caroli M. frater parruelis librum ſcripſit de Ordine palatii, cujus fragmenta Hincmarus Remorum Antiſtes retulit in epiſtola ad Epiſcopos Franciæ, quam pro recta novi ac juvenis Principis inſtitutione, maximè ex hoc libro compoſuit: quâ in epiſtola ſic de Adalhardo, ejúſque libro loquitur: *Adalhardum ſenem & ſapientem, domni Caroli magni Imperatoris propinquum, & monaſterii Corbeiæ Abbatem, inter primos c nſiliarios primùm in adoleſcentia mea vidi: cujus librum de Ordine palatii legi & ſcripſi.* Utinam integrum ad nos rranſmiſiſſet, inquit Mabill. Annal. tom. 2. l. 29. pag. 467.

-- EJUSDEM S. Adalhardi epiſtolas, quas S. Paſchaſius Radbertus ob doctrinam & eloquentiam laodat, & poſt eum Gerardus, excidiſſe dolemus. Mabill. l. c. p. 499.

ALCUINI Opera deperdita: Commentarius in Proverbia, Commenrarius in 4. Epiſtolas S. Pauli, viz ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos: De orrhographia liber: De Muſica liber. *Gul. Cave.*

HETTO Epiſcopus Baſileenſis, idémque Augienſis Abbas anno 811. à Carolo Magno Conſtantinopolim ad pacem cum Græcorum Imperatore Nicepboro ſanciendam miſſus eſt unà cum

cum Hugone Comite Turonico, & Haione Forojuliensi: cujus legationis *Hodæporicum* scripsit, testante Hermanno Contracto, hactenus desideratum. Mabill. Annal. tom. 2. pag. 397.

B. EGINHARDI Abbatis Seligenstadiensis Opera deperdita. 1. *Liber de adoranda Cruce*, cujus meminit Lupus Ferrar. in epistola ad Eginhardum. 2. *Psalterium Gallicanum abbreviatum*, ex quo excerpsit versus verba orationis habentes, imitatus in eo Bedam, qui Hebraicum Psalterium contraxit. 3. *Liber de Bellis Saxonicis*, cujus memoriam nobis conservavit Adamus Bremensis lib. 1. Hist. Eccl. citando quædam ex eo fragmenta. 4. *Historia Temporum*. 5. *Carmen Jambicum* de martyrio SS. Martyrum Petri & Marcellini. Vid. Joan. Weinckens in Eginhardo Illustrato cap. 4. §. 3. pag. 28.

S. ANSCHARII Septentrionis Apostoli *Manuale*. In Annalibus Corbeiæ Novæ ad annum 1215, narratur, fuisse apud Corbeienses *Manuale* (seu *Diarium*) S. Anscharii, quò sancti labores in Septentrione à viro exantlati, juxtà annos & dies consignati fuerant. Ipsius manu annotata Acta apparet; sed originale, an apographum huc pervenerit, definiri non potest. Id postea *Tymo* Abbas Romam misisse dicitur. Utinam in Vaticanis Chartophylaciis superesset. Leibniz. in Introduct. ad Script. Brunsv. n. xxv. pag. 28. En verba Annalium: *Donavit nobis Balthas. Rummer S. Ansgarii Manuale, in quo sancti ejus labores in Septentrione juxtà annos & dies studiosè notati sunt breviter. Tymo postea id Romam misisse dicitur.*

B. LANFRANCI Archiepiscopi Cantuariensis *Historia Ecclesiastica*, & *Vita Guillelmi Conquæstoris Regis* desideratur. Vid. Henschen. in Comment. præv. ad vitam B. Lanfranci Tom. 6. Maji d. 28. pag. 832.

ODONIS Abbatis S. Martini Tornacensis & Episcopi Cameracensis *Collationum librum & Parabolas*, quarum Miræus meminit, nemo adhuc luci publicæ exhibuit.

LAMBERTUS SCHAFFNABURGENSIS, teste Trithemio, præter Chronicon sui Monasterii, quod nemo adhuc juris publici fecit, alia quoque multa literis mandavit. *Chron. Hirs. ad an.* 1158. Dolendum, quòd Lamberti Scripta exciderint. Erat enim, judice Magno illo Critico Caspare Barthio, *miræ ævo suo eloquentiæ Scriptor.*

ADELBOLDI Episcopi Trajectensis seu Ultrajecteni *Vita S. Henrici Imperatoris*, maximam partem deperdita habetur. Ut mutila non esset, Gretserus, qui fragmentum in Divis Bambergensibus edidit, planè optavit, & nos, inquiunt Hagiographi Antwerpienses, pridem optavimus, & vehementissimè optare pergimus. Ex Trithemii verbis in Catalogo Virorum Illustrium Germaniæ, ubi disertim *librum unum de Vita & Gestis S. Imp. Henrici extare testatur*, haud obscurè colligi videtur, extitisse ejus tempore, eique notum fuisse Adelboldi opus, cujus apographa omnia duorum duntaxat seculorum decursu intercidisse, haud facilè mihi persuadeo. Quod si acciderit, irreparabilis est insignium Actorum jactura, eóque magis nobis sui relinquunt desiderium, quòd ex solo fragmento perspicitur, accuratissimam esse oportere totius Vitæ Henricianæ seriem, si eodem ordine, methodo, & diligentia ad exitum usque perducta est, ab oculato rerum omnium gestarum teste, eóque integerrimo Antistite, de cujus regimine, ædificiis extructis, virtutibus & scriptis videndi *Joannes à Beka* pag. 37. & *Wilhelmus Heda* pag. 107. potiùs quàm Vossius, qui Anonymi opus à Canisio editum, cum Adelboldiano perperam confundit. Frustra, ut semel dicam, à Majoribus nostris, frustra à nobis quæsita est hactenus desideratissima historia, quam si quis aliunde resodere valeat, & nos & hagiophilos universos immortaliter sibi obstringet. Hæc V. C. Jo. Bapt. Solerius Act. SS. Tom. III. Julii p. 724. col. 1.

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS scripsit *Apologiam ad Henricum Imperatorem contra eos, qui calumniabantur Missas conjugatorum Presbyterorum*: qui liber periit, dignus, qui interiret, inquit Foppenius Bibl. Belg. pag. 1096.

B. RHABANUS MAURUS scripsit Capitula quædam ad Lotharium Imperatorem de Romanorum militari disciplina: „Quia, inquit in nuncupatione, excellentiam vestram multa decet cognoscere, annexui quædam capitula de disciplina Romanæ militiæ: qualiter antiqui tyrones instituti solebant. Quod ideo feci, „quia necessarium fore id existimavi „post frequent (limas Barbarorum incur-

„siones. Quæ scilicet ex cujusdam „Flavii Vegetii Renati Libello, quem „de antiquissimis scripsit Romanis, „excerpsi, atque compegi, breviús„que annotare studui, cavens scili„cet prolixitatem, & ne fortè ea scri„bere viderer, quæ tempore moder„no in usû non sunt: illud etiam præ„videns, ne si nimius fierem, fastidio „potiùs, quàm delectationi inservi„rem.„ Hæc B. Rabanus in dedicatione Opusculi de Anima, quod tomo VI. pag. 137. habetur. Pamelius verò, qui Opera Rabani conjunctim edidit, ad marginem notat: *Hoc Opusculum nondum invenimus, alioqui adjunxissemus.* Vero quàm simillimum est, quòd dudum exciderit.

OTHLONUS Monachus Ratisbonensis ad S. Emmerammum insignis Hagiographus scripsit vitam S. *Magni* Abbatis, *compulsus*, ut inquit, *fratrum duorum precibus intimis & assiduis, Wilhelmi scilicet ex Congregatione nostra, & alterius, qui ad nos discendi causa ex monasterio S. Magni venit, Adalbam dictus, quique nunc in S. Afræ Cœnobio Abbas est constitutus.* Opus, cùm hactenus nuspiam comparuerit, excidisse creditur. Quæ verò S. Magni vita à Goldasto Tom. I. part. II. Rer. Alamannic. vulgata fuit, hanc, ipso teste, auctore quodam *Pseudo-Theodoro* scriptam Ermenricus Elewangensis Monachus emendavit, & distinxit.

JOANNIS de MARRE, Episcopi Condomiensis in Gallia, anno 1519. in magna virtutis opinione defuncti, cujúsque corpus anno trigesimo ab obitu incorruptum, aperto sepulchro, inventum est, vita scripta fuit à monacho anonymo Condomiensis monasterii, sed quæ hodie nusquam comparet, teste Claudio Estiennot è Congr. S. Mauri.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis scripsit *Res gestas Episcoporum Leodiensium & Abbatum S. Laurentii* libris V. quorum tres priores perierunt, quia monachus imperitus eos è codice abrasit, & Epitomen Operis S. Bernardi in Cantica, quæ vulgò *Reinero* tribuitur. Schöttgenius Bibl. med. Lat. l. 17. pag. 386.

GREGORII CORTESII S. R. E. Cardinalis, Scriptoris ad unguem politi, elegantis, & docti *Liber de Viris Illustr. Ord. Monastici* ex Bibliotheca S. Benedicti de Mantua, cujus Monasterii Abbas fuerat, furto sublatus est.

CLEMENS SÜNDERUS, San-Udalricanus Monachus, Historiam universalem egregio Opere, in Tomos XII. distributo complexus est; è quibus verò unus intercidit, & ille quidem, quo res memoratu magis dignæ ab anno 1315. usque ad annum 1440. enarrabantur. Vid. Pez. Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Noviss. Anecd. pag. 33.

MEGENFRIDI ex Fuldensi Monacho Præpositi Magdeburgensis, inter Historicos eximium locum promeriti circa an. 1010. libros XXIV. *historiarum de temporibus Gratiæ* intercidisse, omnes dolent eruditi.

ODONIS Belluacensis ex Abbate Corbeiensi Episcopi *Responsiones ad decem objecta Græcorum* (Photii) interciderunt.

PETRI VENERABILIS, Abbatis Cluniac. libri quinque, quibus *Alcoranum* confutavit, licèt diligenter quæsiti, reperiri non potuerunt, inquit Andreas du Chesne. Duos tamen ex his quatuor, non quinque, in lucem asseruit Edm. Martene Tom. 2. monument. 1121.

VEN. JOANNIS RHODE Abbatis S. Mathiæ apud Treviros, Reformatoris præcipui Benedictinæ Familiæ in Germania, ac Congregationis Bursfeldensis Fundatoris *Constitutiones*, in quibus observantiæ regularis per singula capita juxta proprietatem Regulæ SS.mi Legislatoris nostri Benedicti pulcherrima ratione simul, & copiosissimè providit, in nulla hactenus Germaniæ Bibliotheca reperiri potuerunt.

JOANNIS TRITHEMII, Abbatis Spanheimensis, *Steganographiæ* autographum flammis absumptum periit, quippe quod, ab ipso olim auctore Philippo Electori Palatino oblatum, tanquam magica refertum δαιμονομανία Franciscus Junius, cùm Bibliothecæ Heidelbergensis curam gereret, igni immeritò addixit. Vid. Conring. Bibl. Aug. pag. 244. Plura hujus polyhistoris opera magni sanè momenti intercidisse memorat Oliverius Legipont in ejus Vita.

CAROLUS de BACCIS, Italus, Aretinus nobilis, è Congr. Casin. Theologiam Moral. Florentiæ complures annos non tantùm Monachos docuit, verùm etiam apud S. Mariam Novam (amplissimi videlicet Xenodochii templum) singulis festis diebus publicè explanavit, haud parva utriusque Cleri, aliorúmque Eruditorum frequentia. Sed cùm sub annum 1670.

Superiorum jussû in Poloniam profectus esset, Prioris munere, deinde Abbatis Monasterii S. Crucis egregiè functus, ibidem plurima scripsit, quæ ad eam Theologiæ partem pertinent, quæ mores ad præscriptum Christianæ Religionis componit. Sed Monachis Polonis Tartarorum irruptionibus, qui Leopolim usque populabundi pervenerant, solum vertere coactis, Carolus regressum in Italiam maturavit, libros verò & lucubrationes suas in totam moralem Theologiam prælo destinatas, vixque Barbarorum flammis ereptas Monachis cujusdam cœnobii Ordinis nostri Poloniam inter & Germaniam siti, commisit, qui ea Viennam missuros se quàm primùm spoponderunt, at neque hoc ab ipsis præstitum fuit, nec libri illi deinceps ullo unquam pacto recuperari potuerunt. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 111.

MAURUS TANTUCCIUS, Italus, Bucinensis in territorio Aretino, Florentiæ in Cœnobio S. Mariæ anno 1626. professus, in Mathematicis, Philosophicis, & Theologicis scientiis nulli secundus, Philosophiam anno 1639. non autem Moralem Theologiam, Sacrósque Canones, ut Abbas Armellinus vult, in Universitate Salisburgensi docuit. Reversus in Patriam Serenissimi Caroli Cardinalis Medicei Theologus, Diœcesis Fesulanæ Examinator & Visitator, sacræque Inquisitionis Consultor electus scripsit

Moralis Theologiæ Tomos sex, quorum primus *de Sacramentis* quamvis imprimi Genuæ incepisset, ob Auctoris tamen mortem, ac subinde pestilentiam insequutam usque ad impressionis finem progredi non potuit, itaque semiexcusus in Bibliotheca Abbatiæ Florentinæ adhuc visitur; reliquis tomis eadem de causa deperditis. Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 106.

JOANNES BAPTISTA FERRETUS, Italus, Vicentinus, è Congr. Casin. rei antiquariæ peritissimus postquam *Musas Lapidarias* tomis v. in fol. comprehensas in lucem emiserat, epistolam vulgavit, in qua sequentia promisit opera, quibus parùm deerat, ut ad coronidem perducerentur.

1.) *Bibliothecarum deperditarum Opus*, id est, perditorum Operum quorumcunque, tam Græcorum, quàm Latinorum series, in quâ concenturiantur tot voluminum tituli cum notis, ut ascendant ferè ad centum millia, ubi videtur, quantum detrimenti acceperit Literaria Respublica. 2.) *Antiquorum subterranea*: est de rebus antiquorum celebrioribus inventio, utputa multa, & dissimilia, quæ effodiuntur, & apud Priscos æstimatissimi fuêre pretii. 3.) *De Antiquorum Genio*: ubi de Gentilium superstitionibus variis per Deos Manes, Lares, Lemures, Larvas, Spectra, Visiones, Umbrarúmque terriculamenta, nonnulla expenduntur. 4.) *De antiquis Collegiis, & Sodalitiis, vel Corporibus, tam publicis quàm privatis, & de Jure ac Privilegiis eorundem.* 5.) *Hymnodia Veterum, Precationes, Supplicationes, Imprecationésque tam publicæ quàm privatæ ad Deorum pulvinaria, & in Lararis.* 6.) *De Summano Deo, seu detestabili Dæmonum adoratione per Gentiles.* 7.) *De Theatro, sive de priscarum Tragœdiarum, Comœdiarum, Fabularúmque repræsentationibus variis.* 8.) *De veterum triumpho, seu jure triumphandi, forma, honore, atque præmio.* 9.) *De Senatu, seu de Senatûs Principe, Senatorum dignitate, ornatu, Senatus Consultis, Decretis, quæ Romanorum antiquorum jam in majestatem, & in Rempublicam erant, recentioribus nunc sunt in prototypon ad perfectissimam Politiam constituendam.* 10.) *Musæi Genii ad varia Musæa constituenda specimen, tam apud Principem, quàm apud eruditum Virum.* 11.) *Epistolica ad eruditos Viros, seu petitiones, consultationésq; literariæ.* 12.) *Vicentinæ Memoriæ. Antiqua marmora expensa.* Abbas Armellinus, qui hæc Ferreti Opera recenset in Bibl. Casin. part. 2. pag. 23. se nescire, in cujus ea manus post immaturum Authoris obitum pervenerint, non diffitetur; unde exclamat: Utinam tot *Ferreti* lucubrationes, præsertim quas ipse jam ferè se absolvisse affirmat, reperiantur; diligenti enim quamvis per amicos investigatione adhibita, ubinam extent, scire minimè potui; fortasse dum se *Ferretus* in Galliam à Ludovico XIV. accitus, itineri erat commissurus, ab eo in unum congestæ, vel secum in Gallias deferendæ, vel per vectores mittendæ, ejus morte insequuta miserè periêre, ant ignoto aliquo in loco inutiliter hærent.

GERWICUS BLARER de Girsperg, Güttingen, & Wartensee loco illustri natus, Imperialis, Celeberrimi, & Primarii in Congregatione Benedictino-Suevica Monasterii Weingartensis Abbas

Abbas, de Catholica Ecclesia, Romano Imperio, & Austriaca Domo meritissimus Præsul, reliquit ingenii maximi maxima monumenta, tomos duodecim super Juribus Canonico & Civili suomet conceptu animi, quos tamen sive Ministri ejusdem Aulici, sive rei literariæ minùs æqui, & ignari, necdum compactos, hac illacque distrahentes, usibus minimè convenientibus applicârunt, quod usque hodie nunquam satis dedolent, qui viri ingenium ex maximi momenti dexterrimè confectis negotiis penitùs cognoverunt. Gabr. Bucel. in Bened. Rediv. pag. 102.

ROBERTUS de TORRIGNY, Abbas S. Michaëlis de Monte Tumba, scientiâ ingenuarum artium expolitus, ac literarum studiis doctrinæque cultui deditissimus Præsul, centum quadraginta volumina edidisse fertur, quæ turris sub ruinis & impluvio computruisse refert historia Monasterii S. Michaëlis calamo exarata. Obiit Robertus anno 1186. Vid. Acher. in not. ad Epist. B. Lanfranci pag. 351.

CAROLUS STENGELIUS Abbas Anhusanus, vir elegantis ingenii, Opus insigne libris XV. comprehensum de Rebus Ecclesiæ Augustanæ composuit, quod Autolyci manu sublatum est, ut ipse nos docet in Mantissa ad Commentarium Rerum Augustan. p. 93. ubi suorum Operum Indicem texit.

GUILIELMUS FILLATRE è Congreg. S. Mauri erat exquisitè doctus, cujus singularem doctrinam & eruditionem Magnus Mabillonius tanti fecit, ut eum de rebus literariis quàm frequenter consuleret. Plura varii argumenti literis mandavit, quæ omnia tamen, qua erat animi demissione & modestia, sub vitæ finem flammis abolevit. Eorum jacturam non immeritò dolet Philippus le Cerf in Bibl. Hist. Crit. pag. 128.

RICHARDUS KEDERMINSTER, Anglus, Abbas Monasterii Winchelcombensis literarum, maximè sacrarum peritissimus incredibili studio ac labore *Registrum cœnobii Winchelcombensis* concinnavit, Opus ab Eruditis Angliæ omnibus votis expetitum, sed quod in Londinensi incendio interiit. *Vid. Thomas Hearne præfat. ad Joannis Glastoniensis Chronicon §. 6.*

SECTIO XII.

Rerum novarum Inventores, & Artifices nobiles.

M. AURELIUS CASSIODORUS lucernas semper ardentes concinnavit. Vide ejus lib. div. lect. c. 30. Non absque piaculo, inquit Garetius in vita, sanè hîc taceremus lucernas illas non admiratione solùm, sed æternis etiam laudibus dignissimas, quas fratrum multam in noctem labores producentium vigiliis stupendo artificio concinnaverat. In usum etiam suorum Monachorum clepsydras & horologia miræ artis construxit, quæ motum syderum repræsentabant; has *Theodericus* Rex Gothorum ad Gundebaldum Regem Burgundiæ rari muneris loco misit. *Vid. Garet. in vita.*

S. ELIGIUS, quem Monachum Benedictinum fuisse Arnoldus Wion tum ex Sigeberto, tum ex Notgero & aliis optimè probat, judice Hugone Menardo in Menologio pag. 383. priusquàm Noviomensi infulâ donaretur, aurifaber per Galliam inter paucos celebris habitus fuit. Visitur etiamnum ejusdem opus, illustre Mausolæum S. Martini Turonensis Episcopi, Mabillonio autem teste Annal. tom. 1. pag. 351. etsi S. Eligius veste & professione Monachus non fuerit, monasticæ tamen vitæ studio, imitatione & propagatione piissimis quibusvis monachis inferior non fuit.

In Fuldensi Ecclesia, quam Abbas *Ratgarius* sumptuosè extruere cœpit, Eigil verò successor ad fastigium perduxit, *Racholfus* Monachus arcus ordinavit, *Bruunus* picturas confecit, *Rabanus* inscriptiones Altaribus & Cryptis apposuit. Dedicata fuit ecclesia anno 819. Vide vitam S. Eigilis atque Eckhardum de Reb. Oriental. Franc. tom. 2. p. 157.

OTFRIDUS Monachus Weissenburgensis in Alsatia *Orthographiæ Germanicæ primus fuit inventor*: de quo Marcus Velserus Liber II. Rerum Boicarum, sic: „ Vixit ante annos abhinc ampliùs septingentos Otfridus monachus, qui Germaniæ sermonem omnium primus literis tra-

„ ctare aggressus, linguam appellavit scriptu perdifficilem propter sonum incommodum, & literarum pleromque congeriem, multis in eam sententiam collectis argumentis; tum vocalium creberrimum, præ eo quod nunc fit, usum fuisse perpetuum veluti testimonium ejus scriptio dicit. Quæ meo sensu, causa longè planissima mutatæ pro scribentium libidine & inscitia, orthographiæ. „

GERBERTUS Monachus Floriacensis, qui posteà *Sylvester* II. Mathematices peritissimus fuit, ex cujus fundamentis clepsydram invenit, momenta temporum guttis dimetiendo. Horologium etiam Magdeburgense construxit, in quo stella polaris se conspicuam præbuit. Audiendus hac de re Dithmarus Merseburgensis in Chronico Libro VI. pag. 399. ita rescribens: *Hic* Gerbertus *à finibus suis expulsus Ottonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus in Magdeburg, horologium fecit, illud rectè constituens, considerata per fistulam quadam stella, nautarum duce.* Ex quo loco memorabili simul liquet, modum astrorum cursus observandi per tubos, hac ætate Gerbertum non latuisse. De hydraulicis verò Machinis apud Remensem Ecclesiam extare doctrinæ ipsius documenta perhibet Bedæ Continuator libr. II. cap. 13. his verbis: *Horologium arte mechanica compositum, organa hydraulica, ubi mirum in modum per aquæ violentiam ventus emergens implet concavitatem barbiti, & per multiforabiles tractus æreæ fistulæ modulatos clamores emittunt. . .* Vid. Caten. temp. pag. 485. Yepes Chron. Centur. 2. pag. 300. col. 2. . . Jacob. Bruckerus Hist. Phil. Tom. III. pag. 648.

GUIDO *Aretinus* Monachus Cœnobii Pomposiani propè Ravennam, ac deinde Abbas S. Crucis Avellanæ prope Aretium, celeberrimum ineunte Seculo XI. sibi nomen peperit, quòd vetus systema musicum novâ scalâ *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la* expressit, sicque Musicæ usum simplicioribus pro temporis illius captu longè faciliorem reddidit: Qua de re ita Sigebertus Gemblacensis in Libr. de Script. Eccl. cap. 144. & in Chronico ad an. 1028. *Guido Aretinus Monachus post omnes pene Musicos in Ecclesia claruit, in hoc prioribus præferendus, quod ignotos cantus etiam pueri & puellæ faciliùs discant vel doceantur per ejus regulam, quàm per vocem magistri, aut per usum alicujus instrumenti, dummodo sex literis vel syllabis modulatim appositis voces, quas solas regulariter musica recipit, bisque vocibus per flexuras digitorum lævæ manûs distinctis per integrum diapason se oculis, & auribus ingerunt intentæ & remissæ elevationes vel depositiones earundem vocum.* Deprompsisse has syllabas Guidonem è noto hymno *Pauli Diaconi* in S. Joannem, Ut *queant laxis* Re*sonare fibris*. . pervulgatum est. Novam hanc inventionem is exhibet in *Micrologo* sive libris duobus *de Musica*. Vid. *Vossius* de Scient. Mathem. cap. XXII. §. 7. p. 95. *Cangius* in Gloss. voce *Micrologus*. Comparavit inter se vetus systema & Guidonis novum *M. Meibomius* ad Euclid. Introd. Harmon. Script. Music. Tom. I. p. 51. & ad Aristidem pag. 240.

S. MAGNUS Fundator & Abbas Faucensis in Suevia Monasterii fuit. Ipsi Ferrifodinarum inventio in monte Seyling adscribitur. Vid. Stengel. Rer. Aug. Part. 1. pag. 62.

S. DUNSTANUS Archiepiscopus Cantuariensis erat statuarius non contemnendus. Pits. pag. 179.

B. TUTILO Monachus San Gallensis erat sculptor, pictor, & aurifex in paucis suo ævo peritus. Abbatum verò sub quibus militaverat permissis, & plerumque præceptis multas propter artificia simul & doctrinas peragraverat terras: picturas & aurificia etiam & anaglyphas, carminibus & epigrammatis decorabat singulariter pretiosis. Missos aliquando ad Metensium urbem, celaturus thronum, & imaginem B. Mariæ, latrones duos ex itinere in fugam egit. Ergo Tutilo cùm venisset ad urbem, & operi celaturus astans satageret, ecce duo viri astiterunt juxtà illum, S. Mariæ imaginem celantem, in habitu peregrini, eleemosynámque petebant. Quibus cùm nummos clam tribueret, divertentes ab eo, Clerico cuidam à longè astanti, ajebant: Benedictus vir iste Domino, qui nos hodie benè consolatus est. Sed éstne soror ejus, inquiunt, domina illa præclara, quæ ei tam commodè radios ad manum dat, & docet, quid faciat? Ille verò miratur, quid dicerent, cùm nuperrimè ab eo digressus, nil tale vidisset: revertitur ergò cum peregrinis, & quod dixerant, velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Ajunt autem illi Clericus & Peregrini: Benedi-

nedictus tu Domine Pater, qui tali magistra uteris ad opera. Qui cùm ipsos quid dicerent, nescire assereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale aliquid dicerent, interminatur. Et statim quidem Peregrini transeuntes disparuerunt, nec ampliùs ab aliquo sunt visi: in crastinum autem cùm gloriam talem de se plures audiret dictitare, occultè subtrahens se, cessit è medio, neque jam ultrà in urbe illa operari volebat. In bractea autem ipsa aurea cùm reliquisset circuli planitiem vacuam, nescio cujus arte, tales cælati sunt apices:

Hoc panthema pia calaverat ipsa Maria.

Sed & imago sedens quasi viva, cunctis inspectantibus adhuc hodie est veneranda. Ekkardus in vit. B. Notkeri Balbuli c. 4. v. April. in Act. SS. Bolland. pag. 589.

B. HERMANNUS CONTRACTUS, Monachus Augiæ Divitis, propter libros à se scriptos *De Compositione*, sive *mensura Astrolabii & ejus utilitate* inventor Astrolabii celebratus fuit à Gulielmo Durando IV. 22. aliisque. Vide Pezii Prolegomena in Tom. III. Thesauri Anecdotorum pag. IX. Sed notum est ante Ptolomæi tempora usum Astrolabii jam frequentatum fuisse. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 8. p. 708.

DESIDERIUS Abbas Casinensis, posteà in Romanum Pontificem electus, ac Victor III. nominatus, vocatis ex Græcia peritissimis, ut Seculi XI. ferebant tempora, artificibus, curat artes nobiles in Italia restitui. Vid. Cbron. Leonis Ostiensis.

MANNIUS Abbas Monasterii Eveshamensis in Anglia an. MXLIII. à Rege Eduardo electus, sacris liberisque artibus fuerat imbutus, videlicet cantoris, scriptoris, pictoris, aurifq; fabrilis operis scientia pollens, super omnes alios ferè in Regno Angliæ magister optimus habebatur. Vid. Monasticon Anglic. Tom. I. p. 151. col. 1.

S. THIEMO nobili Comitum Medlingensium sanguine ortus, tam literis quàm disciplina monastica in Nideraltach imbutus, etiam cælandi sculpendique artibus ingenium felix induisit. Promunt hodie quoque Salisburgi in S. Petri Monasterio signum eburneum, mole quidem exiguum, sed artificio ingens ac admirabile. Ex Monacho factus Salisburgensis Archiepiscopus, & deinde cum christiano exercitu in Palæstinam profectus, non procul Corozaim à Saracenis exceptus est; qui cùm intellexissent arte eum statuaria præpollere, unus, qui dignitate cæteris præstare videbatur, simulacrum Mahumetis undique mutilum, cujúsque fuliginem longa ætas excusaverat, in medium attulit, jussitque Thiemonem venerabili trunco (scilicet) non modò squallorem detrahere, sed totum Prophetam in integrum restituere. Ille aliquamdiu animi pendens, turpissimum monstrum aspicit: sæpè gemitus edens à capite ad calcem usque considerat: útque dolor omnem iram collegit, malleum poposcit, quasi primam operi manum adhibere pararet: Malleo è porrigentis manu rapto, bellum signum validissimis ictibus subitò occupavit, fregit, dissipavítque. Saraceni rabie perciti, egregium fabrum animis infestis certatim invadunt: huc illuc quatiunt, pulsant. Resupinatum deinde illigant: in frusta secant. Denique ingenti sulco per ventrem ducto, intestina baculo innexa humi fuso evolvunt, ipsúmque cor radicibus imis hærens, revulsum in os morienti objiciunt. Agebatur annus Christi nati MCII. Ant. Yepes. in Chron. Gen. tom. 2. p. 21.

JOANNES Monachus Vindocinensis, erat artis cæmentariæ peritus, quem, ut sibi perutilem ad ædificia perficienda, à suis prædecessoribus incboata, vel nova, à se, ut referunt Gesta Cenomanensium, suscepta, Venerabili Hildeberto Episcopo Goffridus Vindocinensis Abbas concesserat. Vid. Ant. Beaugendre in Not. ad Hild. Epist. 49. col. 157.

B. WILHELMUS, Abbas Hirsaugiensis, naturale horologium ad instar cœlestis hemisphærii excogitavit; naturalia Solstitia, sive Æquinoctia & statum mundi certis experimentis invenire demonstravit: quæ omnia etiam literis mandare curavit. Vid. Anonym. Mellic. de S. E. c. 108.

LEO Seculi XII. Monachus Benedictinus rythmicos versus primus condidisse fertur, à quo appellati fuerunt Leonini. Vid. Sixt. Sen. Bibl. Sac. Lib. III. p. 224. Menagius, Leyserus, Tenzelius, & alii recentiores plures.

CONRADUS Schyrensis Monachus, ac Chronologus Seculo XIII. ex Mabillonio in Germanico Itinerario pag. 35.

35. edit. Fabric. allorúmque suspicione, aliquem optici tubi usum habuisse videtur: ídque colligitur ex imagine Ptolomæi instrumento longiori quasi tubo sydera contemplantis pictâ ab ipso Conrado Schytensi. Vid. Caten. Temp. p. 487.

RICHARDUS WALLINGFORD, Abbas S. Albani talem horologii fabricam magno labore, majore sumptu, arte verò maxima compegit, qualem non habet tota, mea opinione, Europa; sive quis cursum solis ac lunæ seu fixa sidera notet, sive iterùm maris incrementa & decrementa, seu lineas unà cum figuris ac demonstrationibus ad infinitum pene variis consideret. cúmque opus æternitate dignissimum, ad umbilicum perduxisset, *Canones*, ut erat in mathesi omnium sui temporis facilè primus, edito in hoc libro scripsit, ne tam insignis machina errore monachorum vilesceret, aut incognito structuræ ordine fileret. *Albion*, si rectè memini, hoc gènus organi dictum est ab autore; de quo *Joannes Stubius* Mathematicus multa refert. Inciderat ille in exemplar, sed mutilum, unde quod deerat in *Albione* supplevit. Pars *Albionis* instrumenti *Saphe* dicta, Norimbergæ impressa est. Vid. Leland. de Script. Brit. p. 404. Claruit Richardus Wallingford sub annum 1326.

GOMETIUS, natione Lusitanus, Abbas Florentinus è Congr. Casin. morum vitæque integritate summè conspicuus Oleum, seu balsamum illud pretiosissimum ac ubique celeberrimum contra vermes, qui in humanis, præsertim puerorum visceribus, gignuntur, eísque aliquando mortem afferunt, aliósque graviores morbos, operâ ac sapientiâ suâ adinvenit, quod usque in præsens in Florentina Abbatia haud parvo impendio componitur, & pauperibus distribuitur. Vid. Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 182.

JOANNIS TRITHEMII *Steganographia*, opus mirabile quatuor libris comprehensum; vide quæ diximus lib. præced. in ejus vita n. 24.

Idem *Trithemius* anno 1505. Maximiliano Imperatori lichnum perennem obtulit, cum ejus conficiendi arcano, in cujus compensam Imperator eidem 6000. coronatos elargitus est, ut refert Bartholomæus Korndorffer in aurei velleris Tractatu II. ubi Trithemianum ejusmodi arcanum legitur.

– De ejusdem *Arte scribendi per ignem* vide vit. n. 58.

– EJUSDEM γλωττοφυΐα, sive *linguæ fertilitas*, opus, ut ipse vocat, mirabile, & laboriosum, cujus adminiculo homo Latinæ linguæ penitus ignarus, modò literas formare sciat, in una hora cum Deo & bona conscientia discet unum occultum modum, quo Latinè congruè & ornatè poterit scribere, quicquid voluerit, in quocunque negotio Mundi. *Hoc*, inquit, *Opus adhuc nulli communicavi, nisi Maximiliano Regi Eurypono & Adelpho, sive fratri Jacobo Trithemio*. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. tom. 4. pag. 467.

THEOPHILUS FOLENGUS è Congreg. Casin. ingeniorum phœnix, novi styli, novæque Poëseos conditor felicissimus etiamnum audit, licèt anno 1544. diem supremum obierit. Opus enim novo dicendi genere insigne, animíque ingenitâ festivitate ac lepore jucundissimum condidit, in quo Latinis ac Italicis vocibus præcipuè *Lombardis*, ut nunc dicimus, undique permixtis, servata metri harmonia amœnissimo carmine jocosè ac facetè multorum sui temporis vitia carpit, occultè tamen, & confictis eorum nominibus. Armell. part. 2. pag. 185.

BENEDICTUS CASTELLI è Congr. Casin. in Universitate primùm Pisana, deinde in Romana, quæ *Sapientia* dicitur, Matheseos Professor celeberrimus, ipsam scientiam novis, præclarísque inventis illustravit, præsertim decurrentium aquarum mensuras primus omnium deprehendens, ac geometricè demonstrans. Cùm deinde Trasimeni lacus emissarium à Braccio Fortebraccio olim constructum, tunc dejectum esset, feliciter Benedictus illud reparavit, in antiqua littora coërcito lacu; quod etiam Baccanensi præstitit. Vide Armell. part. 1. p. 92. ubi gloriam primæ inventionis mensuræ decurrentium aquarum *Castello* solidis argumentis vindicat contra *Raphaëlem Fabrettum* in Opere de Aquis & Aquæductibus Veteris Romæ Dissert. 2. pag. 127.

SERAPHINUS CASULANUS Abbas S. Mariæ Florentiæ, Aretii, & Senarum, ac totius Congregationis Præses anno 1635. quo tempore mirâ Archi-

chitectonices, quâ pollebat, peritiâ, ostendit Architectis modum facillimum elevandi à terra supra altissimam publici palatii turrim, quam Senenses *Del Mangia* dicunt, maximam æneam campanam, quæ diu in terra jacuerat, cùm nullus anteà rationem eam sublevandi, suptáque turrim collocandi invenire potuisset. Vid. Armell. part. 2. pag. 170.

JOANNES MABILLONIUS, literatæ Congregationis S. Mauri præcipuum decus ac ornamentum, *Rem diplomaticam*, arduum, difficile, ac nullis ad eam diem regulis ac legibus subjectum argumentum omnium primus incredibili eruditione, labore, ac studio ad artem atque præcepta redegit.

PETRUS PONCE, Monachus Benedictinus Cœnobii S. Facundi (*Sahagun* vulgò) superiore seculo invenit artem docendi mutos verba proferre, discere literas, Latinámq; linguam, & scribere: quod *Aristoteles Lib. IV. De Historia Animalium Cap. IX.* natura impossibile esse existimavit. Atqui noster rationibus philosophicis, & quod multò plus est, experientia adprobavit contrarium. *Fr. Joannis de Castaniza* Benedictini de Vita S. Benedicti verba quædam adjunximus vernaculæ linguæ: „ Fr. Pedro Ponce „ Monge de Sahagun por industria en „ senna a hablar a las mudos dizien- „ do el gran Filosofo Aristoteles que „ es impossibile: y a descubierto por „ verdadera Filosofia la possibilidad „ y razones que ay para ello; y lo „ dexarà bien probado en un libro, „ que dello tiene escrito: y lo que „ mas admira es, qne no pudiendo „ oir bumana mente los hazeoir, ba- „ blar y aprender la lengua Latina „ con otras, escrivir y pintar, y otras „ cosas, como es buen testigo Don „ Gaspar de Gurrea hüo del Gobet- „ nador de Aragon discipulo suio y „ otros algunos. „ Hæc *Castaniza. Ambrosius de Morales* legi dignissimus est de hoc homine, atque ejus hâc peregrinâ industria in *Descriptione Hispaniæ* fol. 38. referens docuisse eum loqui fratres duos, & sororem Castellæ Connestabilis; de qnorum altero, *Petro à Velasco* nuncupato, mirum esse ait, quæ & qnanta intra vigesimum ætatis annum, ad quam vixit ætatem, didicerit. Siquidem ultra suam vernaculam linguam loquebatur, scribebátque Latinâ, ferè absque solæcismo, quandoque & eleganter; nec non & Græcis characteribus scribebat. Adducítque idem *Morales* schedulam manû illius scriptam, quâ respondit roganti pet manualia signa de arte istâ & fama, quam sibi adeò utilem expertus fuerat. Sed liber is, quem scriptum ab eo hâc de re diximus *Joannis Castanizæ* verbis, visus fuit nunquam typis editus. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. pag. 184.

P. Ziegelbauer Hist. P. IV.

GODEFRIDUS BEHM Schwarzachianus, Professot Matheseos in Univers. Salisburg. authot est *Polymetri*, h. e. novi instrumenti ad plerasque mathematicas dimensiones ritè facilèque peragendas accomodati.

ERMENRICUS, Monachus Augiensis sub annum 849. in libro de Grammatica ad Grimaldum, Monachos Sangallenses, *Ysenricum*, *Ratgerum*, & *Amalgerum*, ceu nobiles monasterii artifices, commendat. Vide Mezlerum de Vir. Ill. Monasterii San-Gallensis.

BERTHOLDUS SCHWARZ, Monachus Benedictinus, Bombardæ inventor, & Goslariæ natus fuit, teste Athanasio Kirchero in Mundo Subterraneo tom. 2. lib. 12. p. 487. Alii, quos inter Arsenius Sulger in Annal. Zwifalt. ad an. 1355. Minoritam faciunt authorem; nempe in ea sunt opinione, ut existiment, hujus inventionis gloriam non magnoperè Benedictinis expetendam, sed aliis relinquendam esse; quî enim, inquiunt, pulchrum esse potest, ea invenisse, quæ generis humani exitio inserviunt. Est autem fama, addit Sulgerus, Bertholdum hunc postea à Wenceslao ignavissimo unà & crudelissimo Cæsare ingenii præmium tulisse, & suamet arte, velut alterum Perillum, flammis arsisse. Vid. etiam Aventinus l. 7. c. 21.

ANSKETELLUS, Monachus S. Albani in Anglia, ab eodem S. Martyre in apparitione monitus fuit, arcam fabricare pro sacris ejusdem exuviis recondendis. Vid. Acta Sanctorum Tom. IV. Junii die 22.

MARTINUS STOCK, Cœnobita S. Martini Majoris Coloniæ Agrippinæ, arte pictoria clarissimus, libello varia de conficiendis & præparandis colpribus principia complexus est,

Zzzz qui

qui in ejusdem Monasterii Bibliotheca asservatur.

LEONARDUS WIRSTELINUS, aliàs *Hamaxurgus* dictus, ex Suevorum Menchinga natus, incomparabilis Scriba, *librum centum diversarum Scripturarum Latinarum*, quarum quamque peculiari proprio & erudito nomine appellavit, eleganter digessit anno 1507. Obiit in Cœnobio SS. Udalrici & Afræ Aug. Vind. an. 1522. kal. Jan. *Brusch. de Monast. Germ. fol.* 140. *& alii plures...*

GEORGIUS ADAMUS, Monasterii S. Michaëlis Bambergæ, extra muros Abbas fuit eximiè doctus in sacris & prophanis literis, morum item honestate & integritate conspicuus. Mathematum studiosus investigator, & Solariorum, omnísque generis Horologiorum compositor ingeniosissimus. Bonus scriba, & qui eleganter literas pingere potuit. Bruschius l. c. pag. 91.

BONIFACIUS GALLNER, Cœnobita Mellicensis, in paucis pius ac religiosus, cùm in disciplina mathematica, & architectonica, ac præsertim in arte pictoria non mediocriter esset eruditus, nullam sinebat abire diem, quo lineam non duceret. Ejus Opera sunt. 1.) Regula S. P. B. 787. Emblematibus pictis pulcherrimè expressa. Mſ.tum in fol. prælo dignum. 2.) Omnes Psalmi Davidici pulcherrimè descripti, & brevibus notis illustrati. Mſ. in fol. 3.) Opusculum mathematicum cum figuris non spernendis. Authorem an. 1727. piissimè in Domino defunctum cœlum, ut sperare fas est, recepit. Ejus vitam vide in Bibl. Mellic. Cap. CVII. pag. 540.

HIERONYMUS RUSCELLI, Abbas è Congr. Casin. varia, eáque nova & hactenus inusitata instrumenta pro Mathematicis disciplinis, quarum erat peritissimus, excogitavit, & perfecit, regulásque ad eorundem usum conscripsit. Vide plura apud Armell. part 1. pag. 221.

DOMINICUS JACOBUS ALEXANDER è Congr. S. Mauri anno 1698. horologium invenit pendulum, quod motum apparentem solis, & tempus verum solare indicat, & Academiæ Regiæ Scientiarum obtulit. Vid. Acta Erudit. Lips. an. 1736. p. 226.

DOMINICUS CAROLUS VAILY è Congr. S. Mauri, novum dedit clepsydrarum genus, quod ope liquoris, tympano in plures cellulas diviso, inclusi, & successivè ex una cellula in alteram defluentis, horas, ejúsque partes accutatè monstrat. Vid. Act. Erud. Lips. an. 1736. p. 225.

ANONYMUS è Congr. S. Mauri artem scribendi aureis literis, dudum in deperditis habitam, ex Mſ.to Opusculo Regiæ Bibliothecæ Parisiensis edoctus, feliciter instauravit, teste Montfauconio in Palæographia Græca pag. 5. seq. his verbis: *Artis aureas literas conficiendi, ut hîc edocetur, periculum nuper fecit quidam è nostris, harumce rerum peritissimus; qui rem sibi probè cessisse renunciavit, & speciem aureæ scriptionis secundùm traditam hîc normam confectæ nobis obtulit.*

D. PETRUS de URVENNA Monasterii de la Espina, apud Valisoletanos, nusquam satis laudatum ornamentum, claruit ineunte seculo XVII. de quo *Joannes Caramuel* in Trithemii Steganographia vindicata hæc memoriæ prodidit: *Is*, inquit, *ingenium nactus à natura, quod dum superviveret, à multis totius orbis terrarum credebatur excellentissimum; & sanè nullius injuriâ dixerim, nullum ego cognovi, quod cum ipso potuisset comparari; à nativitate etiam vir cæcus, non solùm fuit Musicorum pater & eloquentiæ Coriphæus, sed etiam* (vix auderem dicere, ni extarent ipsius Opera Mathematica) *qui voluit & potuit supernas Planetarum aulas visui negatas mentis acumine discernere, & novis circulis, certissimísque periodis, inventione plusquàm naturali, errores adligare. Hoc de Authore dixerim solùm, ut videatur à curiosis in utroque Tomo Musico & Mathematico, cognoscens omnes Lectores huic opinioni subscripturos.* Huc usque *Caramuel*, qui insuper prodit Eundem virum in Steganographicis fuisse versatissimum, variósque occultè scribendi modos invenisse, & docuisse, verè proinde dicendus *Naturæ & Artis Prodigium.*

ROBERTUS de GABETS Philosophus experimentalis celeberrimus in Altivillariensi Congregationis S. Vitoni Monasterio anno 1636. Professus, & post exercitas functiones varias anno 1678. die 13. Martii vivis ereptus, inventor fuit transfusionis sanguinis

ex


ex arteriis unius hominis in alterius venas faciendæ. Cujus quidem Inventi experimenta Parisiis aliqua publicè prodidit, ídque amicis communicè fecit. Sed cùm ea res neglecta subinde in oblivionem venisset, Angli se illius arcani inventores primos jactitare non sunt veriti, quos verò noster egregiè scriptis obtudit. Distinctiùs ista narrat *Calmetus* in Bibliotheca Lotharingica pag. 397. addítque se tubos & instrumenta, quibus ille utebatur, vidisse: *Nous avons encore vû*, inquit, *les tuyaux dont on se servoit pour faire passer le sang d'un animal vivant, dans les veines d'un autre, & feu Dom* Hyacinthe Alliot, *Abbé de Moyenmoutier, qui vivoit de ce tems-là, m'a souvent raconté les experiences qu'il en avoit faites, étant à Bar-le-Duc.*


Artificibus quoque celebrioribus jure quodam suo accenseri debet LEOPOLDUS DURAND è Congregat. Lotharingica, ut qui à se inventa quædam curiosa, & Adversaria reliquit exquisita *De Architectura, Pictura, Sculptura; de Theatris Veterum, Templorum ædificiis, & aliis penè innumeris*, quæ fusiùs commemorat *Calmetus* in Bibl. Lothar. pag. 338.

MARTINUS GUTTWILLIG Imperialis Monasterii SS. Udalrici & Afræ, Augustæ Vindel. Cœnobita, Mathematicarum artium benè peritus nuper adinvenit novum horologii Sciatherici Systema, cujus ille sequentem nobiscum communicavit notitiam. 1. Non habet hoc solare horologium acum magneticam, quæ sæpiùs fallit, & tardè omnino subsistit, neque semper eandem à polo habet declinationem. Quapropter hoc novum horologium nullum à propinquo ferro patitur obstaculum, sed ubique locorum exponi potest. 2. Monstrantur in eo non solùm singuli horæ quadrantes, sed etiam minuta per totum annum. Unde *Horologii Universalis* nomen sibi jure vendicat. 3. Ventorum nomina supra horizontem insculpta gerit; lineam Meridionalem ostendit in omnibus hemispheriis; adeóque terrâ maríque usui esse potest. 4. Gaudet istud horologium iis prærogativis, ut nullum aliorum horologiorum vitium habeat, & in multis aliorum virtutes superet...

In Omnibus glorificetur DEUS.
S. Bened. in Reg. cap. 57.











INDEX

Authorum et Rerum memorabilium

PARTIS IV.

Numerus paginam denotat.

A.

Stam-

B.

Eber-

F.

G.

Grego-

H.

J.

May-

N.

O.

P.

Plan-

S.

Schiltt-

T.

V.

Vene-

W.

FINIS.





